COMMENTARIUM
LITERALE
IN BIBLIA.

PSALMI
ET
PROVERBIA.

COMMENTARIUM
LITERALE
IN OMNES AC SINGULOS
TUM VETERIS CUM NOVI
TESTAMENTI
LIBROS

AUCTORE R. P. D.

AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti, Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi.

E Gallico in Latinum sermonem translatum.

TOMUS QUARTUS.



VENETIIS, MDCCXXX.

Apud Sebastianum Coleti;

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

IN UNIVERSUM PSALMORUM LIBRUM
PRÆFATIO GENERALIS.

I

Elogium Psalmorum, præstantia, & utilitas.

UNiversa licèt Scriptura *Divinitùs inspirata utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia 2. Timot. 3. 16.* plus tamen aliquid contulisse Deus benedictionis & virtutis Divinæ in Psalmos visus est. Sacer iste Liber, tanquam uberrimus vitæ fons, salutares ad omnia vitæ commoda aquas largus effundit. Totus veluti summam omnium, quæ in Scriptura continentur, utilium complectitur: *Psalmorum Liber quæcumque utilia sunt ex omnibus, continet*, ait S. Augustinus (1). Veteres in illo historiæ ab ipso Mundi exordio, Leges à Deo hominibus datæ, exempla Sanctissimorum Patriarcharum, de adventu Messiæ, vocatione Gentium, Ecclesiæ constitutione oracula; uno verbo, *communis quidam doctrinæ thesaurus est, apertè singulis necessaria subministrans*, ait idem Pater ibidem. Dolore opprimeris? relevat; perplexitatibus angeris? dubitationes omnes subducit. Vulneratæ menti & altè licèt sauciatæ pharmacum est, inveteratis quibusque ulceribus sanandis præsentissimum. In tædio, in dejectione animi, in metu omne ab illo solatium, robur omne & virtus suaviter blandèque suppeditantur. Id enim Divino Providentiæ consilio factum est, ut dulci eloquentiæ & poesis sapore conditæ veritates traderentur, quò delicias simul cum pharmaco potarent Lectores; instar Medici sapientissimi, qui utili dulcia miscens, crateris lymbum, quo remedium porrigit, melle circumlinit.

Omni hominum ætati, omnium apta statui, & conditionibus remedia exhibentur in Psalmis. Lapidea firmitate contumacia corda tanguntur, & in fluenta lacrymarum Psalmorum lectione resolvimur. Si quando cantandos sive meditatione versandos Psalmos suscipimus, adsistere nobis Angelorum choris videmur, ait S. Chrysostomus (2). Nulla Libri utilior lectio, nulla omnibus aptior. *In hoc Libro*, ait Cassiodorus *Præfat. in Psal. sparsim*, *spiritualis Bibliotheca instructa est*. Additque mel esse dulce, vividum lumen, patentem & inexhaustum thesaurum, Librum superno lumine radiantem, veritatum fontem, vas cœlestis liquoris, hortum delicatissimorum fructuum.

Lex docet, ait S. Ambrosius Præfat. in Psal. historia instruit, futura reserat, prophetia impii redarguuntur, moralis suadet; *In Libro Psalmorum profectus est omnium, & medicina quædam salutis humanæ*. Jure meritoque appellaretur *Dei laus, plebis laudatio, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio*. In Psalmis, ait idem Sanctus, omnia simul Religionis meæ testimonia percurro, omnia Prophetarum oracula; per singula discurro adventus & resurrectionis Jesu Christi argumenta. Vitare peccata instruor, nec pœnitentiam detrectare. Tanti Principis unà simul & vatis exemplo, ne in crimina proruam, retineor; ad criminis jam admissi confessionem urgeor, & lapsus jam in peccati barathrum relevor.

Præter hæc suavia cordium blandimenta, quibus illæ tantùm animæ tanguntur, quæ ædificationem, & Religionis pabulum in Psalmis quærunt, alia sunt etiam ad eorum gustum, qui amœnioribus & elegantioribus delectantur. Inter sapienissimos æquè ac doctissimos Scriptores satis convenit, ingenuæ & minimè fucatæ eloquentiæ exemplar in Psalmis præseferri; neque enim grandia desunt & sublimia, non pathetica & blanda; non delicatæ & simul expressivæ loquendi phrases; omnia argumento apta, & perfectæ totius generis eloquentiæ exemplaria. In moralibus verò disciplinis tradendis quid justius, quid magis purum absolutumque? Tenerrimę pietatis sensus delicatos, & verè divinos inspirant; abdita quęque & maximi momenti Religionis mysteria pandunt.

Tandem, ut verbis S. Ambrosii utar, *certat in Psalmo doctrina cum gratia; simul cantatur ad delectationem, discitur ad eruditionem*. Jam inde à Davidis ad nostram usque ætatem Psalmorum lectio in deliciis piarum animarum habetur; insonant quotidie Psalmorum cantilenis Domini Templa; nec ab exordio Religionis ad nostra usque tempora adhuc cessatur. Nullum aliud orationum exemplar perfectius posteris suis tradendum sibi Apostoli reputarunt; nihil ad instructionem solidius proposuerunt, quàm quod ipse Dei Spiritus è corde Regis omnium sanctissimi expresserat. In illud autem consilium eò libentiùs venerunt, quòd in uno hoc Libro singulis apta personis & statibus, quæ maximè desiderari possunt, colliguntur. Sive etenim Dei summi Judicis

(1) August. Præfat. in Psal. Vide & Ambros. Præfat. in Psal. n. 4. & Basil. item Præfat. in Psal. Athan. Ep. ad Marcellin.
(2) Vide Chrysost. in Psal. 137. & August. Præfat. in Psal.

cis misericordia imploranda, sive laudes in majestatem & potentiam Dei congerendæ, sive gratiarum actiones solemnes præstandæ, sive Dei auxilium in bello vel in morbo atque calamitate implorandum; sive instruendus deducendusve ad fidem, corrigendus reprehendendusque populus; tot simul omnibus unus Psalmorum Liber sufficiet.

Hinc obsequium Fidelium in Divina illa cantica, ardor, quo ad Sanctum illud studium ferebantur. Lex erat singulis Episcopis Ecclesiasticis & Monachis proposita, ut Psalmos memoriter addiscerent (1); plures etiam vel Laici suppetebant, qui Psalmos in Ecclesiis, in ædibus, in itinere, operi incumbentes, in mensa, in agro cantitarent (2). Nec fœminæ, quamquam alioqui ne in Ecclesiis loquerentur ab Apostolo prohibitæ, ab eo privilegio excludebantur, uti in cantandis Psalmis suas virorum vocibus miscerent. Cœpta dies & absoluta, & nondum à Psalmorum recitatione cessatum. *Cum Psalmus legitur*, ait S. Ambrosius *Præfat. in Psal. n. 9., ipse sibi effector est silentii*. Ignoraverint licèt Fideles è populo vel ipsa quandoque Sacrorum quorumdam Librorum nomina, qui tamen Psalmos vel aliquos saltem memoriter non recitaret, nemo erat, ait S. Chrysostomus in Isaiæ cap. 5. & Theodoretus Prolog. in Psal. Manè surgentes cantitabant Psalmum 62. *Deus Deus meus, ad te de luce &c.* vesperis Psal. 140. *Domino clamavi ad te, exaudi me &c.* quibus proinde Psalmis inditum nomen, *Psalmi quodiani*.

Eusebius Præfat. in Psal. & Theodoretus item Præfat. in Pss. Psalterium tanquam primum post Mosaicos Inspiratum Librum, ordine temporum servato, habuerunt; ex quo divisum in quinque partes Librum, veluti novum Pentateuchum, aliqui suspicantur. Quæ tamen in eo Libro exponitur doctrina multò, quam scientia Legislatoris Hebraici, sublimior est. Ostendit enim David, ait Eusebius, nulla esse sacrificia, novamque colendi Dei per laudes & cantica Religionem induxit. Ex eo tandem Libro crebriora pro astruenda Religionis Christianæ veritate argumenta Jesus Christus, & Apostoli deduxerunt.

II.

Nomen Psalterii, & divisio. Ordo Psalmorum inter se.

Liber Psalmorum inscribitur in Hebræo ספר תהללים *Sepher tehillim*, *Liber hymnorum* vel *laudum*, quòd scilicet sanior eorum pars & augustior laudes Dei prosequatur; augustior, inquam, cæteri enim querelas ærumnosi vel pœnitentis vel intimo dolore sauciati animi exprimentes Psalmi, multò prioribus illis concedunt. Apud Græcos est *Psalterium* seu *Liber Psalmorum*; quod etiam in nostris Bibliis Latinis nomen servatum est. Porrò *Psalterium* musicum est instrumentum, alibi à nobis describendum; ejus nominis etymon, sicut & *Psalmus*, deducitur ex Græco *psallo*, instrumentis cano. In Evangelio Luc. 20. 40. sub hoc titulo laudatur *Liber Psalmorum* sive *Propheta* (3). David enim Author Psalmorum potissimus, Propheta ob excellentiam appellatur.

Totum Psalterium in quinque partes distribui, recepta est apud Hebræos consuetudo; quod ab antiqua traditione tenere illos ex facta illius apud PP. mentione constat (4). Probat S. Gregorius Nyssenus Tract. 1. in Pss. cap. 5. & vetustissimam agnoscit S. Epiphanius De mensuris num. 5. nec rejicit Eusebius, S. Ambrosius, & Pseudo Hieronymus Comment. in Pss. servari illam in Originali Hebræo & optimis Græcis Exemplaribus testatur Eusebius; & S. Ambrosius refutandam censet illorum sententiam, qui divisionem hanc reprobant, eo quòd in Scriptura de Psalterio veluti de Libro singulari agatur. Sed ea potissimùm ratione reprobandam dijudicant S. Hilarius Præfat. in Pss. genuinus S. Hieronymus (5), & S. Augustinus (6); nec inter se minùs Interpretes nostrates committuntur; laudant enim alii, & tamquam ab ipsis Psalmorum Collectoribus inductam commendant (7); alii recentiorem esse ætate Apostolorum (8), nulliusque propterea authoritatis contendunt. Res est tamen nullius momenti, cum omnes ad arbitrium invectam, nec ex ordine temporum rerumve connexione petitam conveniant. Sola est enim Lectorum ratio habita, ut scilicet longioris Libri tædio facta divisione levaretur.

Quod autem maximè insinuare posset, divisionem illam ab ipsis Psalmorum Collectoribus

inductam

(1) Vide Gregor. Mag. lib. 4. Ep. 45. lib. 8. Ep. 34. lib. 12. Ep. 6. Hieron. 4. ad Rustic. Ep. 8. & 18. alios passim. Vide Ferrand. Præfat. in Psal. c. 2.

(2) Ambros. Præfat. in Psal. *Certant clamare singuli quod omnibus proficit. Domi Psalmus canitur, foris recensetur &c.* Et in Hexaem. lib. 5. cap. 12. *Quis enim sensum hominis gerens, non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere?*

(3) Matt. 13. 35. *Quod dictum erat per prophetam*: Et 27. 35. *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam*.

(4) Euseb. Hieron. Hilar. Amb. in Psal. 9 Item Euseb. in argumentum Psal. & in Ps. 71. Cassiodor. Præfat. in *Psal.* c. 2. Hieron. ad Marcell. & in Prologo galeato, & Epist. ad Cyprian.

(5) Hieronym. Præfat in Psal. ad Sophron. Vide & ad Cyp.

(6) August. in Psal. 150. t. 4. par. 2. p. 1604. Vide & Cassiodor.

(7) Muis, Genebr. Syr. Arab. alii passim, maximè qui Hebraico Textus addicti sunt.

(8) Natal. Alexand. Dissert. 24. Ferrand. Præf. c. 9. Du Pin Præf. n. 21.

inductam fuisse, illud est, nimirum singulos Libros eadem conclusione verborum terminari, quæ de industria adjecta videretur vel ab Esdra, vel à Patribus magni Synedrii, quorum authoritate certos Librorum Canonicorum numerus definitus est. In hanc sententiam convenit Muis ad Ps. 11. aliique nonnulli. Cæterum in recensione omnium simul Sacrorum Librorum tum apud Hebræos, cum apud Christianos, Psalterium tanquam unicum Librum, etiamsi in quinque dispesceretur partes, habitum esse constat.

Quicumque ex Patribus Latinis hanc Psalterii in quinque Libros divisionem rejiciendam censuerunt, aliam sibi invehendam non minùs ac priorem illam arbitrariam duxerunt. Totum illi Librum in tres partes, singulis Psalmorum quinquagenis constantes, distinguunt; quam Psalterii divisionem non oscitanter, sed maturè & consultò à Septuaginta invectam S. Hilarius autumavit; namque, ait, in singulis quinquagenis Sanctissimis illis viris consilium fuit, ut ordinem à nobis in assequutione Beatitudinis & in progressu virtutum tenendum demonstrarent: *Ex ratione ac numero beata illius nostra expectationis* (1). Plura in eam distributionem ternariam observat, quæ ad gustum alterius ætatis, non quidem nostræ congruerent; nec equidem solida videntur & gravia. Mysterium in ordine Psalmorum latens (latere enim aliquod arbitratur) numquam assequi valuisse se S. Augustinus in Ps. 150. profitetur; suspicari autem non ineptè, tres illas quinquagenas ad vocationem, justificationem, glorificationem Justorum pertinere; priora enim quinquagena, ait, ad pœnitentiam hortantur; altera proximè succedentia misericordiam pariter, & judicium exhibent; postrema Dei laudes in Sanctis suis prosequuntur. Priores Psalmos triste plerumque argumentum tractare animadvertit S. Chrysostomus in Ps. 51. postremos verò solatii & gaudii plena argumenta versare.

Verùm nullus erit arbitrariis animadversionibus modus, quæcumque tandem divisio inducatur. S. Gregorius Nyssenus *in Psal. Tract.* 1. *cap.* 5. moralia plura in divisione Psalterii in quinque Libros prosequitur. Aliter res Genebrardo *in Psal.* 41. 15. visa, cui prior Psalterii pars ex quadragenis constans circa tristiora versatur, omnesque illos Psalmos Davidi tribuendos censet: succedit altera pars 31. Psalmos lætiores complectens, & à Core potissimùm, quamquam & ab aliis Authoribus nonnullos, scriptos. Tertia Palmorum portio ex 17. constans ingenii Asaph ut plurimùm fœtus, ingratum habet argumentum; gratius est quod Psalmi 17. quartam constituentes partem, prosequuntur: pluribus illa Scriptoribus debetur. Quinta pars, quam totam dictasse Davidem credit, tristia quandoque & læta pariter exhibet. Huic divisioni exactior altera desideraretur, Primus Liber juxta Hebræos clauditur in Psalmo apud nos 40. secundus in 71. tertius in 88. quartus in 105. postremus cum Psalterio terminatur. Quatuor prioribus Libris hæc in Hebræo clausula inscribitur, *Amen amen*; in Latino *Fiat, fiat*. Operæ pretium est animadvertere hanc in quinque Libros divisionem apud Hebræos diutius in incerto vagatam; ut S. Hieronymi ætate adhuc essent inter Judæos, à quibus prorsus rejiceretur: *Nos*, ait ille, *Epist. ad Sopr. seu Præfat. in Psalmos*, *Hebræorum authoritatem sequuti & maximè Apostolorum* .... *unum asserimus Psalmorum Volumen*. Kimchi ætate, duodecimo nempè sæculo, res adhuc sub Judiee pendebat; quin recentiorem Hebraicum Codicem elegantissimè scriptum apud D. Præsidentem Mesme servari tradit D. Ferrandus *Præfat. in Ps. cap.* 9. *p.* 88., in quo ne vestigium quidem hujus divisionis apparet. Latuisse illam Origenem suspicor, cujus fragmentum in fronte secundi Psalmi exscripsimus, quo in loco asserit, in Hebraicis Bibliis nullam Psalmorum divisionem, quin nec numeralem notam aliquam, puta 1. 2. 3. &c. inscribi.

Nec minus est inter Judæos & Christianos dissidium in secundariis eorumdem Psalmorum divisionibus; licèt enim utrique in 150. distribuant, non tamen in dividendi ratione conveniunt. Psalmùm 9. in geminos dispescunt Hebræi. Psalmum à vers. 22. *Ut quid Domine recessisti longè &c.* exordiuntur; exinde verò numerus Psalmorum à nostro & Græcorum aberrans, unitate præcedit: qui illis est e. g. Psalmus 20. nobis est 19. Psalmum 113. *In exitu Israel de Ægypto &c.* in duos distinguunt, ad illa verba Psalmum 114. exordientes: *Non nobis Domine, non nobis &c.* Hinc Psalmo 114. Græcorum & Latinorum 116. Hebræorum respondet. Proximè ad nostrum ordinem accedunt, cum duos Psalmos 114. *Dilexi, quoniam exaudiet*, & 115. *Credidi propter quod &c.* in unum consociantur. Tandem uno tantùm numero à nostro ordine discrepantes, junctis pariter in unum duobus Psalmis 146. *Laudate Dominum quoniam bonus* & 147. *Lauda Jerusalem Dominum &c.* nobiscum deinceps congruunt.

Hunc in Versionibus suis ex Hebræo ordinem secuti Protestantes, non alterum quàm Judæorum in suis Operibus laudant. Distributionem Septuaginta Catholici præferunt; quanquam vetera Græca & Latina Exemplaria in divisione duorum priorum Psalmorum nonnihil discrepant; alia enim distinguunt, alia jungunt. Videsis quæ à nobis ante secundum Psalmum disputantur. Porrò hanc Judæorum in divisione Psalmorum rationem neque authoritatis habere plurimum nec vetustatis ex eo potissimùm deducitur, quòd Septuaginta Interpretes latuerit; & cùm vacua præjudiciis mente Psalmi ipsi sedulò in examen revocantur, ingenuè fatendum est, neutram divisionem, sive quæ apud Septuaginta, sive quæ apud Hebræos, exactissimam apparere. Jurè illi quidem e. g. Psalmum 9. in duos post vers.

(1) Hilar. Præfat. in Psal. n. 8. 9. 10.

verſ. 22. diſtinguunt, cum novum exinde argumentum ſuccedat, nullo connexionis vinculo ad primum referendum; ſed minùs illi rem aſſecuti videntur in diviſione Pſalmi 113. ut in Commentariis demonſtravimus.

Accidit non raro, ut unus Pſalmi contextus in tres diſtribueretur, quòd e. g. Alleluja, vel ſimilis aliqua clauſula interdum recurreret. Sæpè dividendum in plures partes Pſalmo unica fuit ratio, quòd in priori ejus parte ſermo ad Deum pro ejus ope in tribulatione impetranda dirigeretur; ac deinde veluti de impetrato ejus auxilio ſermo eſſet, & tandem ea de re gratiæ agerentur; tot ſimul diverſa argumenta, timoris, doloris, ſpei, gaudii, actionis gratiarum in uno eodemque Pſalmo jungere incongruum viſum eſt. Sed quod illi incongruum, id omnibus Authoribus Pſalmorum familiariſſimum eſt, quemadmodum ex pluribus Pſalmis plura ſimul triſtia, ingrata &c. continentibus intelligimus. Conſule Pſs. 3. & 6. & 17. & 21. & 53. ac noſtram Diſſertationem de Authoribus Pſalmorum, ſicut & Præfationem in pſ. 3.

Quæ de præpoſtera Pſalmorum diviſione affirmavimus, nonnullis adductis exemplis demonſtranda ſunt. Pſalmi 11. & 12. & 13. tres videntur ex uno. Author qui Babylone captivus tenebatur, vincula ſibi à Deo ſolvi poſtulat; neque enim diuturniorem pateretur moram in medio populi doloſi, impii, & infidelis; divinarum poſt hæc promiſſionum ſpe confirmatur; unicè verò ejus miſericordiæ fidere ſe proteſtatur; iterum inde ad querelas in exordio Pſalmi 12. vertitur; iterumque ſpe ſibi auxilii Divini blanditur. Fuſiùs poſt hæc in Pſalmo 13. Babyloniorum ſcelera proſequitur, totumque Pſalmum claudens, futurum ominatur, ut Iſrael perfectam jam libertatem aſſecutus Dei laudes ingeminet.

Pſalmus 19. oratio eſt pro Rege expeditionem aliquam ſuſcepturo, ut proſper armis ſuis exitus impetretur; de recepta mox victoria in eodem bello gratiarum actiones aguntur. In Pſalmo 20. Captivi Babylone verſantes unum Canticum in tres, nempè 25. & 26. & 27. diſtributum proſequuntur. Hujus argumentum vota ſunt Domum Dei quàmprimùm videndi; tum & de iniquitate hoſtium querelæ; propoſitum de frequentando Templo, & grati animi argumenta in illo præſtandi poſt ſolutam captivitatem; tandem veluti compos voti ſui factus Author, debitas gratiarum actiones exſolvit. Ejuſdem argumenti & temporis ſunt gemini Pſalmi 31. & 32. quibus Juſtorum felicitas multis exaggeratur; ad ingeminandas Dei laudes ſuadentur; tandem quid eorum ſtatus ab impiorum diſcrepet, ſub ipſis veluti oculis exhibetur. Morbo aliquo affectus ac tandem convaleſcens David, valetudinem ſimul Deum rogat, & pro obtenta gratiarum laudes exſolvit quatuor pariter Pſalmis 37. & 38. & 39. & 40. Filii Core poſt hoſtilem exercitum fuſum, ſolutâ jam Babylonica captivitate Canticum pangunt gratiarum actionis in Pſſ. 45. & 46. & 47. Patriæ ſuæ à Chaldæis everſæ ærumnas deplorat Aſaph in Pſſ. 78. & 79. In dedicatione ſecundi Templi vel mœnium Jeruſalem poſt ſolutam captivitatem gratiæ facilè referuntur perpetuo Cantico toto Pſalmo 95. & 96. & 97. & 98. eodem enim quatuor illi Pſalmi ſpiritu & argumento nectuntur. Pſalmi 112. & 113. uſque ad verſ. 9. ſolemni pompa gratiarum actiones pro ſoluta captivitate celebrant; inde verò, nempè à verſ. 9. novum initur Canticum per tres Pſalmos 114. & 115. & 116. decurrens, cujus amplioris carminis portio facilè ſunt Pſſ. 112. & 113.

Ad permiſſam à Dario Hyſtaſpis reſtituendi mœnia Jeruſalem facultatem pertinent Pſſ. 145. & 146. & 147. in cujus Cantici exordio agit Pſalmiſta de revocato edicto antea à Cyro conceſſo, mœnia nempè & Templum reſtituendi; ſuccedit dein ſermo de imbre à Deo immiſſo, cum populus interceptum opus reſumpſit; tandem in gratiarum actiones totus reſolvitur Author per Pſalmos 148. & 149. & 150. excurrens prolixum ſanè Canticum, quod facilè in dedicatione mœnium Jeruſalem decantatum eſt. Tandem pſſ. 101. & 102. ac ſinguli deinceps uſque ad totum 107. ſunt etiam ampliſſimus Pſalmus gratiarum actionis, in quo primò Author, veluti ſi in ipſa captivitate ageret, ſermonem inſtituit; dein votorum compotem factum ſe à Deo, ejus miſericordia liberatum profitetur; ſuccedunt actiones gratiarum, nec ſine methodo; namque in ipſo veſtibulo, nempè in Pſalmo 102. laudes Divinorum attributorum, miſericordiæ, veritatis, & juſtitiæ exhibentur; in Pſalmo 103. Dei opera in ſcenam producta, Mundi creatio, & in vivis ſervata animantia; ſelectus poſt hæc Abraham ejuſque familiæ genus, auxilium à Deo Patriarchis præſtitum, Joſephi & Jacob in Ægyptum deſcenſus, Hebræorum ex ea regione Duce Moyſe egreſſus, iter per deſertum, ac tandem in Terram Promiſſionis introitus. Hæc ſumma Pſalmi 144. Tandem in Pſalmo 145. crimina ſua Author fatetur, veniam pro commiſſis à ſe & patribus ſuis deprecans; habere enim perſuaſum ſignificat, eorum omnium criminum merito tot inducta in Iſraelem mala, quæ ſola Dei miſericordia ſublata deinde fuiſſent, quemadmodum ipſe profitetur in Pſalmo 146. & 147.

III.

Author Collectionis Pſalterii. Numerus Pſalmorum.

QUis potiſſimùm colligendorum, & in ordinem digerendorum Pſalmorum Author fuerit, incertum. Eſdræ tribuit ſanior quà veterum, quà novorum Interpretum pars; ſed verbo tan-

bo tantùm opinionem illam affirmantes, de ratione etiam factæ hujus Collectionis non sati sibi constare videntur. Afflatu Dei Esdram universos sacros Libros iterùm scribendos suscepisse Theodoretus Præfat. in Pf. est author; quare & Psalmos Judæorum negligentia vel Babyloniorum impietate sive amissos, sive corruptos, iterum ab illo recensitos autumavit. Scriptos tamen primùm Psalmos à Davide credit, sed ordinem, quem modò tenent, ab alio acceptum arbitratur. Idem, non asserto tamen, affirmandum sibi Eusebius censet Pf. 62. & 86., cui vel Esdras, vel alius quispiam hujus collectionis est Author; quanquam nullum servatum ab illo ordinem, sed ut quisque sese offerebat, Psalmum descripsisse credit. Ex veteri traditione receptum tenere se dicit S. Hilarius Prolog. in Pff. Esdram tumultuario opere Psalmos collegisse: *Psalmos incompositos, & pro Authorum ac temporum diversitate dispersos in Volumen unum collegisse ac retulisse*. Dispositos eodem, quo à Patribus suis acceperant, ordine à viris sapientissimis Judæis Philastrius Hær. 78. asserit; eorum opera servata sacra illa Cantica è manibus adversariorum & persecutorum affirmans. Hos Collectores non Spiritu quidem Dei afflatos credit; sed sapientia quadam & probitate tanquam viros doctissimos & Sacerdotes. Esdras Autor est Collectionis Psalmorum juxta Pseudo Athanasium in Synopsi. Genuinus tamen S. Athanasius in Argumentis Psalmorum in 2. tom. Collect. vet. PP. pag. 70. neminem designat; sed Opus esse dicit veteris Prophetæ rerum Synagogæ peritissimi, qui nullum sibi temporum ordinem in sua Collectione servandum censuerit. Favet pariter Esdræ Beda Venerabilis. Huic Patres magnæ Synagogæ adjutores accensent recentiores quidam Interpretes, qui sententia sua Opus ab eo digestum authenticum & Canonicum declaraverint. Receptam apud Judæos opinionem hanc de collectis ab Esdra Psalmis nullo se indicio deprehendere potuisse affirmat Munsterus; sed vulgatam hanc esse illorum traditionem asserit, præter Eusebium ad Psal. 84. etiam S. Hilarius.

Non abs re tamen suspicamur, plures eidem Operi, nec codem tempore, laborasse, ut non nisi serius totum Psalterium absolveretur. Sub Ezechia quamdam Psalmorum Collectionem obtinuisse facilè credimus; scriptum enim de illo legitur, cultum Domini in Templo restituisse, cani Psalmos David jussisse ad normam instrumentorum, quæ olim sanctissimus Princeps in usum Domini adhibenda statuerat 2. Par. 29. 25. &c. Ex 3000. Psalmis à Davide scriptis, 150. selectos ab amicis Regis Ezechiæ, cæteris aliis suppressis, affirmat Pseudo Athanasius in Synopsi, quod tenere se dicit ex auctoritate Libri Paralipomenon, cùm tamen nihil tale ea de re hodie supersit. Porrò quantùm Ezechias studii & diligentiæ in Sacris Scriptis piissimorum virorum & Prophetarum colligendis contulerit, pluribus aliis exemplis intelligimus. Digestas ejus jussu Sapientum sententias (1), quarum pars in Proverbiis superest, ex Scriptura docemur. Nehemias Bibliothecam sacram Jerosolymis instruxit, in quam redacta Davidis Opera disertè legimus 2. Macchab. 2. 13. Ejus exemplum sequutus Judas Macchabæus dispersos bellorum, atque persecutionum tumultu Libros colligendos curavit (2). Nec segniorem fuisse Esdram credimus, redigendis scilicet in unum sacris monumentis gentis suæ; cùm illius viri ea in re sedulitati Judæorum æquè & Christianorum traditio, silente licèt Scriptura, testimonium abunde reddiderit.

Quæ cum ita sint, si minus ordinis in Psalmis animadvertatur, non est cur vehementer miremur. Non enim curæ erat Prophetis, ait S. Hieronymus in Jerem. cap. 25. *tempora conservare, quæ historiæ leges desiderant, sed scribere quodcumque audientibus atque lecturis utile noverunt*. Negligunt plerumque Prophetæ ordinem Chronologicum, solam Lectorum utilitatem, cui parùm temporum adscriptiones conducunt, præ oculis habentes. Unde & in Psalterio, addit idem S. Doctor, *male quidam juxta Textum historiæ, Psalmorum requirunt ordinem, qui in Lyrico carmine non observatur*.

Profectò si hujus Collectionis Authores ordinem quemdam sive Chronologiæ, sive rerum servandum sibi proposuissent, nunquam id commissum ab illis fuisset, ut bis iidem Psalmi iisdem penè vocibus variis in locis recurrerent; e. g. Pff. 13. & 52. Confer etiam Pff. 10. sive juxta Hebræum 11. & Pff. 15. & 35. cum duobus illis jam expressis. Psalmus 107. eadem repetit, quæ in fine Pf. 56. leguntur, adjectis versiculis, 7. 8. 9..... 14. Psalmi 59. Psalmus 69. ferè totus repetitur in fine Pff. 34. & 39. Tres priores versiculi Psalmi 30. totidem fere verbis leguntur in Pf. 70. 1. 2. 3. Unicum illud Canticum insertum 1. Par. 16. 8. in duos Psalmos divisum est; ut Psalmus 104. ex priori parte hujus Cantici usque ad illa verba: *Nolite tangere Christos meos*, constet; & Psalmus 95. ab illis exordiatur: *Cantate Domino omnis terra*. Psalmus 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, ex alterius Psalmi ignoti portione derivatus videtur. Psalmus 135. totam revocat priorem partem Psalmi 134. adjectis ad singulos versiculos: *Quoniam in æternum misericordia ejus*.

Quicumque Collectionis hujus adornandæ consilium inierunt, tanto illi in divina hæc carmina obsequio tenebantur, ut quæcumque veniebant in manus, hæc summa fide describenda curarint, nulli alteri rei intenti, quàm ut sacrum à prophano discernerent. Cùm autem

(1) Prover. 25. 1. (2) Ibid. vers. 14.

ipsi Divino Spiritu, uti credimus, afflarentur, illud facilè usurpare potuerunt, ut quædam vel in fronte vel in calce quorundam Psalmorum adderent; ut puta titulos & clausulas, quibus singuli quinque Psalterii Libri terminantur; videlicet: *Benedictus Dominus Deus Israel, à sæculo & usque in sæculum: Fiat, fiat*. Potuit & illorum esse clausula illa Ps. 71. *Defecerunt laudes David filii Jesse*; sicut illa Ps. 105. 47. 48. *Salvos nos fac Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo*; quæ verba sunt addita in fine Cantici è Paralipomenis deducti (1). Vide exitum Psalmi 50. & nostrum argumentum in eundem Psalmum, sicut & in Psalmo 24. & 33. quædam enim adjecta in fine utriusque hujus Psalmi acrostyci suspicamur.

S. Hilarius, cæterique ejus sententiam de ordine Psalmorum secuti (2) autumarunt, ordinem illum, quicumque tandem fuerit, in Psalterio, totum Septuaginta Interpretibus seu vetustis collectionum Psalmorum Authoribus tribuendum, qui certa sibi argumentorum & conceptuum serie propositâ, quorundam de industria sedem, ut suo consilio servirent, mutaverint. Ita Psalmus 3. ad defectionem Absalomi spectans de industria præponitur Ps. 51. & 53. & 55. & 56. & 58. quos diu anteà scriptos constat. Ps. 50. ad tempus suscepti in Ammonitas belli pertinet, ordine tamen præcedit cæteros de persecutione Saulis in Davidem.

Si tamen Esdras, vel Septuaginta seriem quandam sive temporum, sive rerum, sive Authorum sibi proposuerunt, multùm illos à consilio suo aberrasse dubitaverit nemo. Ne integra quidem 15. sive 20. Psalmorum series occurrit, qui omnes ad eundem Scriptorem, ad unum temporum aut argumenti ordinem pertineant. Quare aliam fuisse Collectionis hujusce Authoribus mentem, quàm ut talem ordinem sibi proponerent, apertissimè constat. Hujus verò ordinis si Authores Septuaginta teneamus; illis etiam tribuamus oportet Hebraicum eorundem Psalmorum ordinem, cum idem ferè sit utrinque; vel saltem illud consequitur, ordinem illum Hebraicum, recentiori quàm Septuaginta Authori Hebræo probatum, è Septuaginta expressum fuisse, quod vix, ac ne vix quidem credimus.

Singularem de ordine Psalmorum sententiam Euthymius *Prolog. in Ps*. sequutus est; à primis enim hujus Collectionis Authoribus digestos juxta ordinem Solemnium, & temporum, quibus in Templo cantarentur, autumavit. Cùm tamen ordine sibi succedentes Psalmi adeò parum congruere inter se deprehendantur, satis illud est argumenti, parùm cantandis in singulis Solemnitatibus Psalmis ordinem illum contulisse. Apud Græcos in suis Liturgiis & destinatis in usum Ecclesiæ Libris, vetus obtinet divisio Psalterii in 20. *Cathismata* vel *Sessiones*; qui apud illos receptus mos Hebræis & Latinis incognitus, nec nisi Choro & cæremoniis Ecclesiasticis Græcorum accommodatus est.

Psalmorum numerus ad 150. uti supra innuimus, apud omnes Hebræos pariter & Christianos definitur. Nec nisi ut singulares videantur aliqui eum numerum ad 149. alii ad 147. restringunt (3): illi enim duos priores in unum conjungunt; hi verò mysticum numerum 147. annorum Patriarchæ Jacob ad Psalmorum numerum referre voluerunt. Nec abs re crediderim fore etiam, ut numerus multò in angustius redigeretur, si omnes ad arbitrium divisi Psalmi jungerentur, & singulis sua redderetur amplitudo. Sed res est nobis inpræsentia de recepta, & Ecclesiæ usu probata divisione, qua certus 150. Psalmorum numerus determinatur. Unus additur in pluribus Exemplaribus Græcis & Latinis sicut & in Syriaco, & Arabico; sed nunquam ille sivè in Hebræo sive in Canone Librorum Sacrorum receptus est. Vide nostrum argumentum in eundem Psalmum ad calcem Psalterii.

Legimus in Syriaco adjectos à nonnullis 12. Psalmos; quos ille tamquam inutiles & nullius authoritatis rejiciendos arbitratur. Proximè elapso sæculo reperta in Bibliotheca Argentoratensi Collectio Græca 18. Psalmorum Hebraismis refertissima, & stilo non multùm à Septuaginta abhorrente, publici juris facta est à S. Ludovico de la Cerda Soc. Jesu, sub eo titulo: *Psalterium Salomonis*; rebatur enim Editor potuisse ad eum Principem spectare, quem Scripturæ testimonio (4) ad 5000. carmina dictasse compertum est. Vulgò tamen aliter creditum, receptumque apud Eruditos, potuisse Opus ad Hellenistam aliquem Græcam linguam & maximè stilum Septuaginta callentem pertinere. Porrò Operis hujusce Author imitandos sibi perpetuò, nec rarò exscribendos veteres Psalmos ducit opportunum, quorum ramentis Opus suum conflavit (5). Illud sibi facilè consilium proposuerat, ut postremam Jerosolymæ eversionem, rerum sacrarum prophanationem, dispersionem Judæorum deploraret, phrasibus & verbis mutuatis ex Psalmis eversionem Jerosolymæ per Chaldæos & captivitatem Babylonicam lugentibus. Minùs calluisse Hebræum ex eo intelligimus, quod octavo Psalmo titulum adscribat: *Canticum Salomonis pro victoriis*; volens Græcos imitari, qui Hebræum *Lamnaseach*, quod recentiores Interpretes reddunt, *musica Præfectus*, transtulerunt *Victor*. Adde, nullum alium titulum minùs

(1) 1. Par. 16. 34. 35. 36. (2) Vide Ambro. Apol. David. cap. 8. n. 42. *Non tam ordinem ordini, quàm mysterium gestis voluit convenire* Vide Origen. in Epist. ad Rom. lib. 3. cap. 3. p. 317.
(3) Apud Hotting. Thes. Philol. l. 2. Section. 3. p. 491. (4) 3 Reg. 4. 32.
(5) Vide in Psalter. P. de la Cerda Pss. 1. & 8. & 9. & 11. & 12. & 13. & 15. & 16.

nùs Salomoni quadrare, Principi, si quis alius, pacifico & nullis susceptis bellis inclyto. Tandem quale, rogo, Psalmistæ consilium, qui Canticum Victoriæ daturum se in titulo pollicitus, nihil nisi querelas & luctus pro desolatione Jerosolymæ & exilio Judæorum in carmine prosequatur?

Suspicatur D. Ferrandus Opus illud facilè Authori Synopseos compertum fuisse; quippè qui sermonem de illo fortè habuerit, cùm Salomonis Psalmos inter dubios Libros adscribit (1). Vix equidem nobis persuaderetur, Collectionem illam, siquidem authoritati aliquid obtineret, tandiu potuisse in tenebris & situ jacere, & à Sanctis Patribus manere illaudatam. S. Ambrosius in Præfat. in primum Psalmum, asserendum sibi censuit, ex omnibus Salomonis Canticis unum Canticum Canticorum ab Ecclesia probari. Et nos ultrò fatemur, primos Sacrorum Carminum Collectores ex pluribus sibi propositis, selectos tantùm probasse, iis rejectis, quos oblivioni tradendos & indignos, ut ad posteros transferrentur, ea qua præstabant judicii discretione reputarunt.

IV.

Authoritas Libri Psalmorum. Argumentum vel Idea hujus Libri. Vaticinia Messiæ.

TOtam hanc 150. Psalmorum Collectionem, quibus Psalterium constat, tanquam Divinum & S. Spiritus afflatu scriptum Opus Synagoga æquè & Ecclesia Christiana nunquam non suspexerunt. A Davide tamen & à S. Spiritu abjudicarunt cum Nicolaitis, & Gnosticis, etiam Manichæi, referente Philastrio; & Paulo Samosateno ea fuit audacia, ut Psalmis in Ecclesia cantari consuetis suppressis, alios in sui honorem substituerit; hanc audaciæ suæ causationem afferens, Psalmos nempe nec satis probatos habuisse authores, nec veteres (2). Ambigunt tamen, nec immeritò quidem, an Psalmi isti, quos Paulus abrogavit, Sacra ne essent & in Canonem recepta Cantica, an potius hymni quidam à primis Christianis in honorem Jesu Christi digesti. Anabaptistarum etiam nonnulli impietatis suæ esse censuerunt, si cum Sacrosanctis omnibus etiam Psalmos Davidis rejicerent. Sed quem Hæretici isti omnes habuerunt in sacra hæc carmina horrorem, eodem impios illos Ecclesia semper detestata est.

In aliis singulorum Librorum Sacræ Scripturæ Prolegomenis partium nostrarum esse duximus, si Operis argumentùm, & scribendi consilium panderemus. Frustra hic par methodus servaretur; neque enim singularis Authoris Opus censendi sunt Psalmi, neque argumenti. Singula planè carmina suum habent peculiare argumentum, & novum referunt scribendi consilium. Quare huic incommodo pro viribus supplendo, singulis Psalmis suum præfiximus Argumentum, in quo simul & de Authore & de tempore & consilio scribendi, stilo, idea, quæsitum. Quibus sedulò discussis, certam quamdam interpretationem seligimus tenemusque, ne relatis ac refutatis quidem aliis, metu ne earum numero confusionem Lectoribus ingeramus, atque tot varietatibus distractus animus minùs ad scopum Psalmi intendatur. In ambiguo errantem animum habere nemo cupit, sed certam viam tenere malunt omnes. Quibus expositiones nostræ non arriserint, illis aliam seligere pronum est, indicante singulas Argumento singulis Psalmis præfixo. Quando semel certum aliquod historicum Systema in expositione alicujus Psalmi constitutum est, nullæ deinde in expositione literæ salebræ currentem diu retinent.

In ea Collectione Psalmi occurrunt merè historici, veluti quibus agitur de egressu ex Ægypto, & Israelitarum per desertum itinere; alii futurorum oracula referantes, uti Ps. 2. *Quare fremuerunt gentes &c.* & 21. *Deus Deus meus respice in me*; & 44. *Eructavit cor meum verbum bonum*; & 71. *Deus judicium tuum Regi da*; & 109. *Dixit Dominus Domino meo*; aliique nonnulli ad Messiam, ejus Natalia, Regnum & Passionem spectantes. Alii partim ad historias, partim ad vaticinia pertinent; nempe memorabile aliquod factum de gestis David, sive de Republica Hebræorum ad literam narrantes vaticinia simul de Jesu Christo sive Ecclesia pandunt. Quidam normam præscribunt moribus dirigendis: alii preces ingruentibus ærumnis, & persecutionibus depellendis. Gratiarum actiones vel epinicia aliqui prosequuntur; nec desunt Epithalamia, Cantica bellica, sacra pro Templo in cæremoniis dedicationem, in Festo Tabernaculorum, cùm primitiæ ad Domum Sanctam deferrentur. Invehuntur quidam in crimina; largum benedictionum imbrem in pios & religiosos viros alii effundunt. Tandem argumentorum & conceptuum varietas multiplex est & penè infinita, aliis ad virtutem incitamenta, aliis vitiorum fræna exhibentibus, aliis tandem in minas effusis. Prospera & adversa tempora suos æquè habent Psalmos; si quis domi, si quis in itinere, in exilio, in ægritudine versetur, suos habet aptos & peculiares Psalmos, tum laudibus Deo agendis, tum veniæ deprecandæ, tum misericordiæ impetrandæ; quin & hæc simul omnia interdum unum idemque carmen complectitur. Quare statuendum est, consilium Sancti Spiritus potis-

(1) Ferrand. in Psal. Præfat. cap. ult. ex Synops. Athanas.
(2) Antioche. Synod. advers. Paul. Samosat. apud Euseb. Hist. Eccl. l. 7. c. 30. Edit. Valesii.

potissimi Operis Authoris illud fuisse, nimirùm ut totius disciplinæ moralis summam daret, in qua unà quidquid ad instructionem & ædificationem aptissimum esset, contineretur.

Psalmorum lectione discimus unum esse & singularem Deum, cujus vanum spectrum exhibent Idola; eundemque verò Deum summæ esse potentiæ, sapientiæ & justitiæ, nihilque facere ad miserationem reliqui. In amplissimo ejus Providentiæ sinu omnes creaturæ foventur, ejus ditioni nemo unquam sive Angelus sive homo non subjicitur; favoribus præstandis nunquam non propensus, defensandis justis & maximè electo sibi populo nunquam non advigilans; & debitæ de impiis ultioni exigendæ nunquam segnis. Per omnia retro sæcula patrata ab Altissimo prodigia in theatrum producuntur. Mortales omnes & dispersæ per Orbem gentes ad ejus laudes celebrandas invitantur, suadenturque ut spes omnes in illo collocent, nunquam ab agendis gratiarum actionibus cessent, utpote quem unum habuerint omnium bonorum authorem; dicto fideles morigerosque se præbeant, utpote cui domini jure subjiciantur. Quanta ille districtione in impios animadvertat, solidis argumentis luculentisque exemplis demonstratur. Ecquis alius amorem nostrum omnem & grati animi significationes præ illo promeretur? Quod ad felicitatem spectat, sinceram illam puramque frustra alibi quàm apud justos quæras, cùm felicitatis speciem tantummodo, non rem impii teneant. Prava impiorum consilia authorum malo implentur, cum in eos, quos aliis paraverint, laqueos incidant plerumque. Post hanc mortalem, altera nobis manet vita perennis in Cælo, cujus imaginem exprimunt Psalmi instar felicitatis cujusdam temporalis, pacis, diuturnæ vitæ, & terræ viventium, quæ simul omnia in præmium constituta sunt veris Israelitis in hoc mundo. Specimina interdum exhibentur moralis doctrinæ, solidæ, planæ & sinceræ, & ab ea fæce limpidæ, qua plerumque carnalium Hebræorum scientia inficitur. Manu & arte constructa Templa non habitat Deus; non victimas, non holocausta poscit; sed contrito & humili corde, interno cultu & insonti vita delectatur. Non desunt ad clementiam, ad remittendas injurias, divitiarum contemptum, amorem inimicorum, intentam in se ipsum curam, studium Divinæ Legis, in rebus adversis constantiam, de admissis criminibus dolorem, & ingenuam etiam de occultissimis confessionem hortamenta. Omnibus æquè quæ justa sunt reddantur, votorum fides liberetur, dolus, fraus, usura, odium in proximos, & hypocrisis horrori habeantur.

Unum est, quod piorum animos offendere videtur; nimirum mala interdum adversarios suos apprecari Psalmistam, & extremis quibusque miserum eorum caput devovere (1). Quam SS. PP. afferunt, pro Psalmista excusatio in eo plerumque versatur, quòd dicta illius potiùs tanquam vaticinia & minæ, quàm ultionis vota habenda sint; injuria enim in Deum illata offensus Propheta, inquiunt, dira in se omnia opperiri impios jubet, verbis in ea re usus, qualibus intimum animi sui dolorem & amorem in Deum suum exprimeret. Malunt alii, vota hæc omnia Prophetæ conditione aliqua temperata fuisse, ac si diceret: Pereant, nisi resipuerint, & commissa in Deum mala condigna satisfactione non expiarint. Volunt aliqui rem esse cum obfirmatis in impietate animis, quibus frustrà meliorem vitam desideres. S. Chrysostomus in Psalmum 136. 11. non suo spiritu dicta hæc à Propheta autumavit, sed aliorum minùs pios sensus & verba retulisse. S. Athanasius *Argum. in Pss. pag.* 72, *nov. collect. to.* 2. in adversarios invisibiles non mortales homines illata hæc omnia arbitratur. Tandem non abs re suspicaremur, Davidem vel alios quoscumque Psalmorum Authores unius justitiæ Dei, speculationi intentos, ne minimùm quidem illatam sibi injuriam spectasse; oblatas proinde ab illis ad Deum preces, quò injuriam ille suam ulcisci, & justos ab oppressione relevare dignaretur, neque ideo gaudere illos, quasi de fratrum suorum malo solatium sibi quærerent; sed de sublato à justis oppressionum jugo, atque publica tranquillitate restituta, Divino honore reparato sibi plausisse. Scribebant illi, ut verbis S. Augustini Ser. 9. Psal. 34. 6. utar, *certo judicio bono, justo, sancto, tranquillo, non perturbati ira, non amaro zelo, non animo inimicitiarum exercendarum, sed justitia vitiorum puniendorum.*

Cùm autem ad Messiam veluti ad scopum Libri omnes V.T. colliment, ideo utramque ille paginam implet. Leges, historiæ, prophetiæ, Psalmi Divinum hunc Liberatorem loquuntur. Quòd autem Psalmorum usitatior & vulgaris usus futurus extitisset, majora in illis venturi Reparatoris argumenta exhibita sunt. Ejusdem Christi imaginem in omnibus vitæ suæ gestis David expressit; quòd enim inter fratres ad Regnum Juda ipse eligeretur, quòd in amoti Saulis locum ascenderet, quòd impium illum sævum suspiciosumque Regem acerrimum adversarium nancisceretur, quòd semper sui similis & inter media pericula & sævæ fortunæ impetus animo maneret constanti, quòd Regnum egerit felicissimum supra omnes gentis suæ Principes, quid aliud in his omnibus referebat, quàm Jesum Christum à Judæis fratribus suis ad necem usque adactum, quos tandem omnes, & mortem ipsam, gloriosa à mortuis Resurrectione superavit? Regnum Salomonis sub emblemate in Ps. 71. expressum; ejus epithalamium mysticum oppidò in Ps. 44. decantatum, ipsum depingunt Jesu Christi super universas terrarum orbis nationes imperium, sicut & ejus cum Ecclesia connubium,

(1) Vide in eam rem Præfat. D. Bossuet Episc. Meldensis in Psalt. & nost. Comment. in Ps. 34. Argum.

nubium, tot fructibus, quot succedentibus sæculis prodierunt fideles, feracissimum. Captivitas Babylonica, & ab exilio revocatio, non semel apud Prophetas & in Psalmis inculcatæ, malum & reprobationem in caput Judæorum imminens portendebant; tum & lætissima erant oracula futuræ Ecclesiæ ex Gentilibus felicitatis, quippe quæ è tenebris mortis & captivitate Dæmonis ad nuptias cum Deo & favorem illius evocanda esset. Hæc in omnibus Psalmis majoris momenti occurrunt.

Si quis autem ad dispicienda singula animum applicaverit, statim ob oculos obversabitur in Psal. 109. 3. æterna Verbi generatio, non obscurè his verbis expressa: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: Ex utero ante luciferum genui te*. Ejus in tempore nati veritas maximè spectatur in Psal. 2. 7. 8. *Dixit Dominus ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Quæ verba tum ab Authoribus N. T. de Jesu Christo exponuntur (1); cùm de Messia dicta Hebræorum Scriptores vulgò consentiunt (2). Psal. 21. luculenter adeo & disertè de Passione Domini ejusque morte singula prosequitur, ut rei gestæ potiùs narratio, quàm gerendæ vaticinium videri potuisset. Nec obscuriùs in eodem Psalmo aliisque pluribus de Resurrectione Domini differitur. Ita illud (3). *Ego dormivi & somnum cæpi*, de obitu ipsius spontè admisso accipiendum est; sicut & de Resurrectione sequentia proximè verba dicta constat: *Exurrexi quia Dominus suscepit me*. De sepultura Domini hæc legas (4): *Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, (in sepulchro) *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo*.

De Regno Christi in terris hæc disertè in Psalmis (5): *Quid est homo, quòd memores ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*. Porrò de Servatore singula hæc accipienda fuisse non nostra sententia nos, sed unanimi Apostolorum, & Patrum ab ipso Ecclesiæ exordio consensu asserimus; adversùs quam rerum evidentiam nequidquam dolus & furor Judæorum valuerunt. Gentium vocatio non minùs quam cætera, luculenta habet in eodem Libro testimonia (6). *Reminiscentur* (nempe prodigiorum Dei) *& convertentur ad Dominum universi fines terræ; & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium; quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium*; & alibi (7): *Sedes tua Deus in seculum seculi; virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Et Psal.88. *Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus. Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus & susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. Misericordiam meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea*. Et Psal. 71. 5. 6. *Permanebit cum sole & ante lunam in generatione & generationem. Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna. Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum*.

De Sacerdotio Christi hæc accipe. Psal. 109. 4. 5. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*. Et Psal. 39. 7. 8. *Sacrificium & oblationes noluisti; holocaustum & pro peccato non postulasti; tunc dixi; Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei*. Et Psal. 50. 18. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Totum denique exscribendum esset Psalterium, si omnia de Jesu Christo testimonia promerentur. Neque enim obstruendo adversariorum ori una vel altera carpenda ex eo divino Libro sententia, & veluti cento ex pluribus simul consarcinatis sententiis formandus; sed quemadmodum scitè S. Augustinus observat (8), totum promendum est Opus, tanquam unicè ad hunc scopum collimans, cujus singula Cantica aliquid de Messia ipsius S. Spiritus primario consilio pandunt. Id planè demonstraretur ad sensum, relatis illis Psalmis, ex quibus nos sententias decerpsimus. Unicè enim Jesu Christo serviunt, quæ prima est & potissima verborum ab ipsis Scriptoribus intenta significatio.

(1) Acta 4. 24. & 13. 32. 33. Hebr. 1. 4. 5. & 5. 5.
(2) Talmud Sucah c. 5. R. Sal. Jarchi Beresith Rabba. Abenezra R. Kimchi R. Simeon in Jalkut Midras Tehillm Tryphon apud Justin. M. (3) Ps. 3. 6. Vide Aug. de Civit. l. 17. c. 18.
(4) Ps. 15. 9. 10. Acta 2. 24. &c. (5) Ps. 8 5. Vide Hebr. 2. 8. & 1. Cor. 15. 26.
(6) Ps. 21. 28. 29. (7) Ps. 44. 7. Hebr. 1. 8.
(8) August. de Civit. Dei lib. 17. cap. 15. *Quia testimonium quod profertur de contextione totius Psalmi, debet habere suffragium, ut certè nihil sit, quod ei refragetur. Ne more centonum ad rem quam volumus, tanquam versiculos decerpere videamur: veluti de grandi carmine, quod non de re illa, sed de alia longè diversa, videatur esse conscriptum.*

V.

Obscuritas Psalmorum. Variæ exponendorum methodi.

Psalterii expositionem rem esse præ obscuritate arduam nihil magis probat, quàm immensa Commentariorum multitudo, in hoc argumentum laborans. Obvoluto Libri alicujus Textu pandendo nunquam major Scriptorum copia vulgata est, nunquam magnis conatibus infaustior eventus respondit. Nemo suo in Psalmos Scripto contentus est. Hic justò fusior; ille brevior; alter nimis servit Hebræo; sunt qui Septuaginta, & Vulgatam in locis etiam apertissimè corruptis defendant. Patres, inquiunt aliqui, sensui morali & spirituali plus justo deserunt. Hanc sibi methodum proponunt S. Hilarius, S. Ambrosius, & Pseudo-Hieronymus, Cassiodorus, Beda, aliique Latinorum sexcenti. Literam magis sequuntur Græci; inter quos Origenes Scholia dictavit in Psalmos, cujus Operis sola fragmenta in Recentiorum scriptis & Catenis Græcis servata hodie supersunt. Minùs temporum injuriam senserunt Commentarii Eusebii, & S. Athanasii non ita pridem vulgati; in quibus sanè Eusebius prolixior quidem, sed in pluribus non inutilis deprehenditur. Exactus S. Hieronymus, literalis, præcisus, & bono sensu plenus; ad moralia & spiritualia non nisi post excussum literalem sensum excurrit; sed pauca tanti viri occurrunt. Brevior Teodoretus, & Textus studiosior, nec facilè propositum sibi objectum deserens, sed non semper in suis hypothesibus felix. Theodori Mopsuestenus, & Heracleensis, ac Diodorus Tharsensis idem in scribendo consilium servarunt; quorum reliqua nostra ætate Scripta & interpretationes literales desiderium pro amissis inducunt. Audaciorem tamen quandoque criticen amant; sed singulares pandunt sensus: non rarò veritatis indices, cujus interdum veritatis per vulgares tritasque vias ne vestigia quidem deprehendes. Quæ à me dicta, de aliis quàm de rebus ad fidem pertinentibus accipias, veluti de critica & litera Textus.

Post illos summos & primi ordinis Interpretes, turba hominum succedit ingens, & supra fidem immensa (1). Sunt qui ultra 500. enumeraverint. P. Le Long Sacerdos Oratorii, sedulus, si quis alius, & exactus earum rerum perscrutator, expansis tabulis ad 630. recensuit, iis demptis qui super universam Scripturam Commentarios dederunt, tum & iis qui Psalterii solummodo partem prosequuti sunt; ut proinde omnibus collectis, ad 1000. Scriptorum in Psalmos summa constaret. At enim cur iterum eadem Sparta adornetur? Meliorem ne successum nobis auguramur, & plus aliquid nos inventuros, quàm tot præstantes Viri speramus? Non id quidem nobis consilium, sed ea est, uti optimè Cardinalis Bellarminus respondet (2), Psalmorum obscuritas, & profundo adeò sensu latent, ut nullus superfluus labor videatur, etsi plures in eodem pandendo sensu operam suam collocaverint. Ager est vastissimus, æquè ac fæcundissimus, quem colendum suscipimus, ut plurium simul messorum operam patiatur. Singulis sua est methodus & consilium; nec iniquo oculo eos aspexit Ecclesia, qui ad id studii operam suam omnem contulerunt; quò enim majores illa operarios in eum agrum miserit, eò præclariùs secum agi reputat. Neque invidia in Librum creari poterit, quòd minus aptum nanciscatur Interpretem; cui si impar votis eventus successerit, aggressus ille quidem aliquid supra vires, nec quid maximè posset prævidisse, accusaretur, sed de audacia ipsius nihil in Originale invidiæ conflatum; quin & ejus Authoris conatus suum habent aliquod bonæ voluntatis meritum, pariter & præmium.

Porrò Commentarios in Psalmos non una tantùm ratio arduos efficit & penè impossibiles. Omnium maxima obscuritas est Textus Hebraici; illus etiam Psalmorum negotium facit; nec conceptum & argumenti sublimitas parum id studii genus remoratur. Ad hæc, linguæ Hebraicæ ignota plura, ut quantumvis nonnullarum vocum significationi pervadendæ laboraveris; nunquam tamen earum vim assequaris. Desunt etiam plura, quibus ad certam rerum cognitionem deduceremur; rari etenim in ea lingua Libri, nulla vetus Syntaxis, nullum Dictionarium; vetustissimi ejus linguæ & Textus Interpretes inter se non rarò committuntur; nec major est inter Recentiores consensus. Qui ergo certus in Textu adeò obscuro & dubio sensus exprimatur? Hebræus, qualem hodie in nostris Bibliis legimus; non uno in loco apertissimè corruptus est, cuius rei certissima argumenta præbet diversa legendi ratio, quam Septuaginta, Syriacus, & S. Hieronymus præseferunt, Sæpè illi inter, se variant; nec rarò plurimùm discrepant a Rabbinis recentioris Textus fidem sequentibus. Menda sunt in Hebræo vetustissima; menda sunt pariter alia, quæ recentiùs invecta creduntur. Vox *Cari* pro *Caru*, *foderunt*, in Psal. 21. 17. substituta, S. Hieronymo recentior est; vetustior expunctio versiculi 14. Psalmi 144. Neque enim jure quis in dubium revocaverit, versiculum illum olim in Hebræo lectum fuisse, cùm hodie usque in Septuaginta servetur; & cum Psalmus acrosticó artificio digestus sit, versum deesse satis demonstrat. Percurratur Commentarius, in quo varia suppetunt ejus generis exempla &

(1) Bocchius Comment. in Psl. pag. 806. &c. David. Biblioth. classi. pag. 522: &c.
(2) Epist. ad Paul. V. in cap. Comment. Psl.

pla & variantia, quibus ad ſenſum demonſtratur, jam inde à veteri ætate Pſalterium Hebraicum menda aliqua admiſiſſe, nec ſenſum Textus noſtræ ætatis adeò pronum eſſe ac Originale olim à Septuaginta & primis illis Græcis Interpretibus viſum.

Eſt quidem per ſe Poeſis ſolutâ oratione implexior; & inter cætera carminum genera Lyricum obſcuritate ſuperat. Poetarum enthuſiaſmus, ſubiti illi impetus, conceptuum ſublimitas, figuræ audaciores & frequentes, libertas, quam ſibi artis privilegio vindicant, voces penè ſingulares, quibus in gratiam metri ſive numeri uti aliquando coguntur; omnia hæc ſimul ad carminis obſcuritatem augendam conferunt. Erit cui neque Ciceronis neque Titi Livii ſermo negotium faciat, qui tamen in lectione Virgilii & Horatii hærebit; ſicut & Xenophontem atque Demoſthenem inoffenſo pede excurrat, & in Homero & Pindaro ceſpitet. In linguis Orientalibus maximè difficultas augetur, quorum proſa pariter oratio eas patitur figuras, quas rarò & cautiſſimè Latinorum poeſis admitteret. Illorum verò carminis ea eſt audacia, & ſublimitas, cui multo & Græcorum & Romanorum concedit.

Sunt autem Pſalmi vetuſtiſſimum quoddam Poeſis genus, in Templo & in cœtibus religioſis decantandum. Authores habent Viros Sanctiſſimos, Divini Spiritus œſtro afflatos, Divino & ſupernaturali igne incenſos, qui tamen peculiares gentis ſuæ ſpiritus ſervabant, igneam indolem, quæ metaphoris & metaphoricis vocibus maximè delectaretur. Ejuſdem guſtus & indolis habebant Lectores, argumento ſerviebant, ſi quod aliud, ſublimi, cui nihil ex ornamentis linguæ & poeſis peculiaribus alienum. Quare motus illi ſubiti, & frequentes, quibus Scriptores illi rapiebantur, tempora alia pro aliis uſurpara, ignea quædam veluti fulgura, quæ rapiditate ſua ſpiritum ſimul excitant, & evaneſcunt, ut interdum ne ſentiri quidem niſi maximè intento ſpiritui contingit; impetu fluens elocutio, impetuoſæ indolis indicium; hæc ſimul omnia pigriorem noſtrorum Interpretum mentem & intelligentiam fugiant. Accedit ignorata vis particularum contextum orationis colligantium; quin & aliquando ab Authore in argumenti magnitudine prorſus occupato eædem particulæ omiſſæ, Lectorem in incerto vagantem relinquunt; neque enim veſtigia tenere poteſt Prophetæ, qui raptim ex uno in alterum argumentum diſſilit. Angimur hinc frequenter, ut contextum & orationis feriem aſſequamur.

Sancti Spiritus loquentis ſermo eſt Sacra Scriptura, ſermo planè myſteriis creber, profundus, & hebeti intelligentiæ oculo impervius. Divina enim Majeſtas caligine quadam mortalibus occultanda fuerat; idque etiam præſtandum, ut ea ratione attemperatus Divinitatis fulgor, imbecillioribus mortalium oculis coruſcaret. Debuit ergo Deus in Divinis Scripturis imbecillitati noſtræ & neceſſitati conſulere; quod eo artificio præſtitit, ait Auguſtinus *De Doctr. Chriſ. l. 2. c. 9. ut magnificè & Salubriter Scripturas Sacras modificaret, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret*. Voluit, ait idem S. Doctor *Epiſt. 137. ad Voluſian. n. 18.*, ut *animos non tantùm manifeſta paſcant, ſed etiam ſecreta exerceant veritate*. Porrò quæ ex Scripturæ obſcuritate nobis commoda referuntur, plura ſunt; ne alta de nobis præſumamus efficiunt; ſicut etiam, ut ejuſdem S. Auguſtini verbis *In Pſ. 18. Enarr. 2. ar. 4.* utar: *Nonnulla verba Scripturarum obſcuritate ſua hoc profuerunt, quòd multas intelligentias protulerunt*.

Hæc de univerſa Scriptura veriſſimè dicta, multò etiam apertiùs in Pſalmis parent. Eſt enim Pſalterium omnium Sacræ Scripturæ profundiſſimi & implexi ſenſus Liber, in quo non myſteria tantùm maximè ſublimia, ſed vaticinia etiam plura obſcuriſſima pariter & ænigmaticè propoſita (1). Ne permittendum quidem cenſuit S. Spiritus, ut Authorem & tempus ſcriptorum Pſalmorum plerumque ſciremus; quod ſanè multùm difficultatem inquiſitionis levaret; neque enim aliter conſtare poteſt ſive de ſcopo, ſive de Scriptoris conſilio. Perſuaſum quidem habemus, plura contineri in Pſalmis futurorum oracula, & præter literalem lectoribus obvium, penitiorem alium eſſe & ſub figurarum velaminibus latentem, ſenſum; ſed quæ in ſingulis potiſſimùm vaticinia, quis contineatur ſenſus, ignotum.

Illud tamen præ Judæis commodi habemus, quòd poſt Jeſu Chriſti in Mundum adventum, veluti reducto figurarum velo latentia plurima vaticinia, in eo potiſſimùm impleta, prodierint. Suppetunt etiam certiſſimæ ad pervadenda obſcuriſſima locorum plures regulæ, Scriptis Patrum, & Eccleſiæ traditione firmatæ (2). Hæc tamen facem præſeferunt rei ſub figurarum velaminibus latenti pandendæ, cùm interim figura tenebris glomerantibus lateat. Scimus e. g. hæc vel illa Jeſum Chriſtum figurato ſenſu referre; quorum tamen literalis ſenſus adhuc manet in ambiguo; incertum eſt enim, an Salomonem præſeferant, vel Davidem, ſive Ezechiam, Joſiam, ſive Zorobabelem; unum etenim, quicumque tandem fuerit, reſpicere literali & hiſtorico

---

(1) Vide Hilar. Prolog. in Pſal. num. 5. & in Pſal. 142. pag. 546. 547. & Caſſiodor. concluſ. Comment. in Pſal.

(2) Vide Hilar. Prolog. in Pſſ. pag. 4. n. 5. & in Pſ. 142. n. 1. & in Pſſ. Gradual. Prolog. pag. 366. 367. n. 1. & in Pſ. 1. pag. 15. n. 2. *Sed ubi & quando ad Chriſtum prophetia ipſius ſermo ſe referat, rationabilis ſcientia diſcernendum eſt veritate.*

rico sensu certissimè constat. *His ipsis, quæ spiritualem sensum intimant, rerum gesta connexa sunt*, ait S. Hilarius in Psal. 55.

Origenes in ipso Commentarii sui in Psalmos limine (1), quædam de obscuritate universæ simul Scripturæ ex Judæo quoddam refert, quæ maximè Psalterio quadrarent. Scriptura, ait ille, veluti magnificum quoddam & superbum ædificium habenda est, in varia distributum membra, claustra, & porticus, quorum singula singulari clavi referantur. Cùm vero claves istas omnes in unum confundi contigerit, pandendis foribus confusio illa negotium facit. Singulæ proinde applicandæ sunt claves, & si fortè aptam inveniri fortuito casu detur, sedulò tene, namque foribus illis reclusis ad interiora quandoque via panditur. Ita quidem interdum; sed accidit etiam non raro, ut non sua clavis foramini inserta, & seram & clavem in diversa distorqueat, & aditu in ædem prohibito errare coegerit. Quare in expositione Psalmorum ac cæterorum omnium Sacrorum Librorum illud unicè spectandum est, ut inter varios sensus optimus seligatur. Eo enim semel electo facilis ad secundum aditus præstruitur; sed apta clavis adhibenda est. Jesus Christus clavis est foribus singulis aptissima; sed altera quærenda pro sensu literali & historico. Hæc Judæi commentatio arrisit etiam S. Hilario Prolog. in Pss. num. 24. & veteri cuidam Authori sub S. Hieronymi nomine vulgato (2).

Optassent quidem nonnulli, ut paraphrasim in Psalterium daremus, quò posset & conceptuum series, & versuum inter se connexio veluti sub oculos exhiberi. Nec sanè minimæ esset utilitatis optima quædam paraphrasis, ut facilius loquentis Poetæ sensus teneretur; cùm maximè stilo utatur brevissimo, & desultorio, raptim ex uno in alterum argumentum dissiliente. Sed his paraphrasum commodis majora etiam incommoda respondent, quæ nos ab ea re suscipienda deterruerunt. Omnium maximum illud est, hujus generis Scriptores commentationes suas non rarò veris Authorum, quos loquentes inducunt, conceptibus substituere; quos facilè incautus Lector in ipsa lectione ebibit, ratusque se Authorem tenere, Interpretem tantummodo assequitur. Ingeniosa enim paraphrasis, quæ maximè Scriptori libuerit, Authori supponit. Si quis ejus rei periculum facere voluerit, ille difficiliorem aliquem Psalmum decem variis Scriptoribus paraphrasticè vertendum tradat; statimque intelliget, decem illos suis singulos systematibus ejusdem Textus verba sive invita sive facili Minerva aptasse. Itaque ut verus teneatur sensus, post lectam paraphrasim iterum Textus consulendus erit, & Commentarius. Quare nulla ex difficultatibus in expositione Scripturarum evitandis parapraftica eversione reapse evitatur; & si quid præbere videatur facilitatis, sub ejus obtentu occulti veluti laquei parantur, ut ad unum tantùm sensum incognita causa Lector determinetur, cum interim Textus plures admittat.

Quicumque igitur ad Psalmum aliquem exponendum animum applicat, illi primùm integer percurrendus est; mente singula perpendenda; tum & intelligentiæ oculis spectandum tempus, & scribendi occasio; ac tandem post hæc omnia sensus maximè probatus seligendus. Frustra enim quis totius Psalmi sensum se pervasurum blandiatur, si sola Commentariorum lectione contentus, versiculos hinc inde decurrat. Si quis fortè minus per se hæc omnia præstare valuerit, ille parato sibi adjumento in Argumentis Psalmorùm usus, unam aliquam seligat interpretationem è multis ibidem propositis. Integrum deinde percurrat Psalmum, in locis difficilioribus identidem adeat Commentarios; neque enim vel Commentarios tantummodo lectitans, seu versiculos desultorio more transcurrens, id unquam assequetur, ut Psalmi interpretationem teneat. Id maximè adnitendum, ut generalis totius Cantici idea concipiatur; integrum statuatur systema; & genius atque mens Authoris veluti induatur. Ad hæc, argumentum præ oculis statuendum; tum & in ipsis versandum locis rerumque circumstantiis, in quibus Author, dum scriberet, versabatur. Plus hic docilitate ingenii, reverentia, pietate, fide & religione, quàm subtilitate & scientia proficitur; plus corde laborandum quàm mente.

DISSER-

(1) Apud Huet. to. 1. pag. 39.
(2) Hieron. Præfat. in Psal. pag. 523. nov. Edit.

DISSERTATIO IN TITULOS PSALMORUM.

Titulorum, qui in fronte cujuslibet Psalmi inscribuntur, expositio crucem figit Interpretibus. His enim tenebris obvoluti sunt tituli, ut eorum mysterium intimè pervasisse nemo sibi huc usque arrogaverit; quin & Rabbini ipsi, quamvis alioqui certam de rebus sententiam ferre consueverint, nihil in ea re magis quam cæteri Scriptores scire se non rarò profitentur (1). Cæteri Commentatores eruditissimi æquè & sapientissimi unà conveniunt, incertius nihil esse, quàm quod ea de re apud Interpretes legitur; quanquam ut verbis sapientissimi de Muis in Psal 8. utar: *Parum est damni in hujus vocis (haggittith) ignoratione; cùm illa, ut & alia similes, quæ passim oc-* B *current in titulis Psalmorum, ad argumentum & materiam Carminis nihil prorsùs pertineant.*

Hanc in adscriptionibus Psalmorum obscuritatem fassi etiam SS. Patres, aliter tamen de ipsorum usu & authoritate philosophati sunt. Rati enim utilissimas esse ad totius Cantici intelligentiam, operæ pretium censuerunt, si eorum mysteriis pandendis omni conatu intenderent. *Quid est Titulus, nisi clavis? In Domum non ingreditur, nisi per clavem; Ita & uniuscujusque Psalmi intellectus per clavem, hoc est, per titulum intelligitur,* ait Hieronymiaster in Prolog. Pss. *Titulus Psalmi tamquam præco Psalmi est,* ait S. Augustinus in Psal. 139. *Titulus & Psalmus duo sunt,* ait S. C Hilarius in Ps. 119. *quorum alter ab altero minimè divellendus; sibi enim invicem authoritatem præstant: debilis est sermo si de aliquo eorum absque altero disseratur.* Per Psalmorum viam decurrentibus titulus veluti ducem se præstat; rectusque ejus sensus ex recta Tituli expositione petitur; inde pendet omnis versus, qui cantatur. *Si quis cognoscat quod in domus fronte positum est, securus intrat,* ait S. Agustinus in Psal. 53.

Plus aliquid addit, cum de inscriptionibus Psalmorum tamquam de cæteris Divinis Scripturis agendum suscipit. In exordio Expositionis suæ in Psalmum 64. cujus est titulus: *Canticum Jeremiæ & Ezechielis ex populo transmigrationis, cum inci-* D *perent exire;* hæc habet. *Agnoscenda est vox Sanctæ Prophetiæ ex ipso titulo Psalmi hujus:* & in Psal. 50. cujus est Titulus: *Psalmus ipsi David, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee;* ait: *Hoc in ipso Psalmo non legitur; in Libro autem Regnorum pleniùs legitur: utraque autem Scriptura Canonica est.*

Gemina fermè habet Theodoretus Præfat in Pss. *Quoniam Inscriptiones Psalmorum quidam falsas esse dixerunt, necessarium puto etiam de his pauca percurrere. Mihi quidem temeritas videtur, invertere inscriptiones, quæ à prima origine usque ad Ptolemæi tempora delatæ sunt, qui post Alexandrum in Ægypto regnavit: quas inscriptiones Septuaginta omnes* E *Seniores in Græcam linguam transtulere, sicut alias omnes Scripturas. Supra centum & quinquaginta ante annos interpretationem Ptolemaicam mirabilis ille Esdras edidit in Lucem Libros cælestis gratiæ plenos, qui quidem cùm propter Judæorum incuriam, tum verò ob impietatem Babyloniorum diutiùs depravati permansere. Si igitur Esdras divino numine afflatus horum voluminum memoriam illis hominibus renovavit: etiam hi Septuaginta viri non sine S. Spiritu hæc Opera in Græcum sermonem converterunt. Inter cætera verò sacra volumina etiam inscriptiones* A *interpretati sunt. Rem quidem nimiæ temeritatis & confidentiæ plenam arbitror falsas illas existimare, & nostras rationes vi S. Spiritus sapientiores judicare.* Et initio Exposit. in Psal. 1. ait: *Facile est cognoscere, quod antiquitùs apud Hebræos, qui invenerunt inscriptiones & Divinas Scripturas interpretati sunt, eas in linguam Græcam transtulerunt; hunc enim Psalmum, & eum qui proxime sequitur, sine inscriptione reliquerunt, non audent à se ipsis aliquid adjungere verbis Spiritus Sancti.*

Ad id usque viri illi sanctissimi obsequium suum in Titulos Psalmorum provexerunt. Judæi pariter in Synagogis veluti portionem quandam Psalmi recipere illos videntur; quippè qui utrosque B indiscriminatim cantare consueverint. Eorum Interpretes non secus ac apud nostros plures, nihil habuerunt antiquiùs, quàm ut illorum expositioni veluti potissimæ Operis parti adlaborarent. Septuaginta, & Vulgata semper illos & legerunt, & in suis Textibus inviolatos servarunt; quasi scilicet pandendo Authori, argumento, tempori, & consilio scribendi unicè valerent. Profectò nisi Tituli ductu inter Psalmos Davidis, filiorum Core, & aliorum distinguere quis posset? Tandem D. Bossuet Episcopus Meldensis in Dissertatione de Pss. cap. 6. hæc sibi censuit asserenda: *Psalmorum titulos divinitus inditos conservatosque dicimus, ut Psalmorum Authores & argumenta noscerentur.* C Addit pariter: *Neque verò ulla ratio sinit ut Titulos à reliquo Scripturarum corpore amputemus, cùm eodem tenore legantur cum reliquis, atque in Textu pariter, & in omnibus Versionibus positi legantur.* Pariter vide Præfat. D. Du Pin in Pss. art. 3.

Si quis tamen omnibus æquè Titulis Divinam, Canonicam, assertamque authoritatem tribuendam censeret, ille certè pia hac credulitate plus nimio abuteretur. Patres enim, quamquam alioqui Inscriptionibus quàm maximè faverent, fassi sunt tamen interdum nihil illas habere cum litera Psalmi affinitatis. Ita S. Hilarius in Psal. 59. num. 1. fatetur, ejus Psalmi titulum historiæ repugnare: *Quo Psalmus omnis ab historia* (tituli) D *dissidet.* Inscribitur enim Psalmus: *Cum succendit David Mesopotamiam Syriæ & percussit Idumæam &c.* cum interim *Psalmus totus* triumphali licèt titulo inscriptus) *tristis & mæstus sit.* Nonnulla etiam discrepare observat inter historiam Regnorum & Textum tituli: ac tandem concludit, Septuaginta Intrepretes futura sub Jesu Christo præ oculis habentes, ea apposita Inscriptione, tum scripti Psalmi tempus. cùm Authoris consilium, conversionem Gentium ad fidem meditantis, insinuare voluisse.

Eadem repetit in Ps. 63. n. 1. *Cum ipsi illi Psalmi, qui secundum titulorum inscriptiones res gestas continere creduntur, in plurimis à tituli sui, & re-* E *rum, ac personarum proprietate dissentiant, magis per editiones nominum atque gestorum spiritualium operationum significent effectus &c.* Tandem in novissimum Psalmum credere se innuit, ut non tantùm insciptiones, quæ maximè literæ Psalmorum repugnare videntur, mysterium aliquod contineant, sed vacuas non esse autumat à mysterio cæteras etiam, quæ apud Septuaginta ab Hebræo Textu dissentiunt, easque pariter, quæ in Græco tantùm, non verò in Originali leguntur.

Qua in re satis ille ab opinione Theodoreti recedit, cum ille ad criticæ libram Titulos Psalmo-

(1) Muis in *Psal. 4. 1. Hebræi sæpè fatentur se nihil scire de Titulis Psalmorum.*

morum plerumque discutiens, eos omnes reiiciat, quos Hebræus & Septuaginta non admittunt. Ita reprobandum censet Titulum Psalmi 64. cum nec in Hebræo, nec in priscis Interpretibus Græcis Aquila, Symmacho, & Teodotione, sicut & in Textu Septuaginta in Hexaplis legatur. Putat verò ille eum Titulum recentioris alicujus Scriptoris satis historiæ Psalmorum sensus imperiti opera adjectum fuisse. Imperitiæ pariter &, stultitiæ accusat illos, qui Psal. 136. titulum, cum in Hebræo nullus appareat, adjeceruut. Easdem alibi querelas innovat, audaciam reprehendens illorum, qui plus suo sensui, quàm debitæ in Scripturas reverentiæ detulerunt (1); abjectisque eorum commentationibus, ipse quærendum suscipit in litera ejusdem Psalmi & argumentum, & scriptæ Lucubrationis tempus.

S. Augustinus, persuasissimus alioqui de authoritate Titulorum, quos in Exemplaribus suis legebar, fateri nihilominus cogitur, aliò illos interdum referri, quàm quò Canticum spectet. Ita Psalmum 89. quamvis in Hebræo, Septuaginta, & Vulgata Moysi inscriptum, alterius esse opus autumavit: *Non enim credendum est, ab ipso omninò Moyse ipsum Psalmum fuisse conscriptum, qui ullis ejus literis inditus non est*. Si enim, addit, Moysem haberet Authorem, cur inter alia ejus scripta, in quibus nec Cantica desunt, non accenseatur? Quare in eo titulo inscribendo aliò spectatum est, atque nomine amplissimi illius viri ad magnum aliquod & sublime Lector deducitur. Et in expositione Psalmi 95. cujus est titulus: *Quando domus ædificabatur post captivitatem*; observat nullius ædis constructionem in Psalmo designari: *Non ergo consonat Psalmus titulo suo; & aliud portat in fronte, aliud in voce. Immo nihil aliud, sed intellectores quærit; agitur enim in Psalmo de Templo, sed planè à Salomonico diverso*.

Idem Pater in Psalmum 59. ait: *Verumtamen sicut solet Propheticus Spiritus in Psalmi titulis recedere aliquantum ab expressione rerum gestarum, & aliquid dicere, quod in historia non invenitur, & hinc potius admonere, non propter cognoscendas res gestas esse hujusmodi titulos inscriptos, sed propter futura præfiguranda*. Cassiodorus pro suo more Augustinum præceptorem secutus, habet: *Si literam consideres, extraneum est, cùm ea non invenias in Psalmis, quæ continentur in titulis*. Tunc solùm consonat inter se Psalmus & Titulus, cùm sensus mysticus & spiritualis panditur. Sunt autem, addit ille, Inscriptiones veluti oppansa velamina ante fores Psalmi; quæ procul spectata sensum obducunt; accendens verò & per interjecta filamentorum spatia introspiciens, intimum penitioremque sensum pervadet.

His ita constitutis, illud statim consequitur, 1. Patres cæterosque, qui eos magistros secuti sunt, divinam assertamque authoritatem Psalmorum Inscriptionibus, quæ è Textu orginali repeterentur, tribuisse; cæteris verò recentiorum Authorum opera adjectis nihil detulisse. S. Hilarius persuasum quidem habebat, maximam illarum partem ad Septuaginta spectare; sed Theodoretus, qui severiori examine cuncta discussit, falsa illum commentatum fuisse ostendit, nihil ratum habendum esse inscriptionibus arbitratus, quàm quod sive in Originali extaret, sive cum Textu Psalmi literali & historico, vel saltem spirituali & mystico sensu congrueret (2) 2. Inscriptiones illas quandoque à litera Psalmorum abhorrere. 3. Semper earum examen permissum fuisse, datumque omnibus, ut cum Textu, & historia conferrent, cui quantum ad sensum literalem nihil deferendum, siquidem à litera Cantici, sivè ab historia discrepare deprehenderetur.

Quod autem à Patribus illis traditum est, nimirum Inscriptiones, non minùs ac reliquum Psalmi contextum, Spiritu Sancto afflante dictatas fuisse, eoque proindè habendas loco, quo cæteræ Canonicæ Scripturæ, eorum privatam sententiam nunquam adoptasse Ecclesia videtur, cùm hodie usque eruditissimi plures Theologi demonstrandum sibi aggrediantur, titulos illos nec Divini Spiritus Opus habendos, nec in censum Divinarum Scripturarum cooptandos (3). Censent etiam nonnuli, glossas esse Textui diù post primævos Psalmorum Authores adjectas. Porrò si certum esset, quod Veterum nonnullis visum, Esdram, cui Psalmorum Collectio tribuitur, Titulos etiam adjecisse (4), in eam facilis sententiam concederem, quæ Divinam illis authoritatem vindicat. Sed potuit non modica eorum pars ante ipsam Esdræ ætatem Psalmis accessisse ab ignota quadam, nec assertæ, nec divinæ authoritatis manu. Fortè enim inter legendum visus est ignotis illis Authoribus Inscriptionem illam Psalmus exigere, quam statim Exemplaribus suis præfixerunt. Exemplaria autem illa nactus Esdras, servanda omnia censuit, nihil probans, nihilque pariter reiiciens. Facilè etiam post doctum illum Scribam Tituli recentiori manu in Textum irrepserunt, quos deindè Septuaginta in suam Versionem transtulerint; undè factum, ut in Originali simul & in Græco legerentur. Sed vetustissimi licèt, nihil tamen authoritatis merentur, nisi si fortè cum textu Psalmi, & cum historiæ veritate congruerint.

Quod etiam ad sensum demonstrat, nihil satis certi pro Divina Titulorum authoritate in Ecclesia Græca pariter & Latina receptum fuisse: libera est, quam sibi vindicarunt, facultas novos addendi, & veteres abolendi, eorumque authoritatem pro arbitrio sequendi delerendique. Patres inter se ferè semper committuntur; & Interpretes integrum sibi ducunt, ut privatam singuli sententiam sequantur, suas singuli in limine cujuslibet Psalmi proponentes conjecturas, tunc maximè cum de sensu literali & historico agitur. Percurrenda in eam rem, ne morosi simus in præsentia, argumenta singulis Psalmis à nobis præfixa, eorumque lectione statim quispiam intelliget, quanta lectionum in iis titulis sit varietas, quanta in assignando Psalmi argumento & Authore inter Scriptores discrepantia, quantam sibi quisque sumat licentiam systema aliquod statuendi in genuinum Textus sensum; nihil inscriptiones morati, siquidem illæ alienum quid à reliquo contextu indicare viderentur.

Profectò si Ecclesia Titulos in canonem recipiendos censeret, modum aliquem imposuisset tantæ Commentatorum licentiæ, ac extra præscriptos in fronte Psalmi limites prætergredi quempiam non tulisset impune. Numquam insuper commisisset, quin in Officio publicisque Psalmorum recitationibus cantarentur. Uno verbo, exactitudo illa, quę in pluribus ipsorum desideratur, Titulorum cum reliquo contextu repugnantia, alterius quàm S. Spiritus esse Opus, documento sunt apertissimo. Si quam Authores Sacri Inscriptionem apposuerunt (nonnullas enim apposuisse non ambigo) fateamur oportet, eas cum cæteris immixtas confusasque non satis posse distingui, ut proinde in ea, qua sumus, ambiguitate neque reiicere omnes, neque probare audeamus. Ultro igitur admittimus eas, quæ cum historiæ veritate, & sensu Psalmorum congruunt; cæteras à reliquo contextu abludentes, incunctanter reiicimus. Satis convenit inter Theologos, non omnes æquè Librorum sacrorum Titulos pro inspiratis habendos. Agnoscunt etiam ex Patribus quidam, Inscriptiones il-

las

(1) Vide & in Psal. 138. & 143. & 145. &c. (2) Vide Theod. in Psal. 59. (3) Vide Natal. Allexand. Histor. V. T. Dissert. 24. q. 1. art. 1. & Ferrand. Præfat. in Psal. & alios. (4) Vide Theodoret. Præfat. in Psal. & Bedam item Prolog. in Ps.

las nihil conducere ad literam & argumentum Psalmorum pandendum; sicut & nomina virorum, quæ in fronte Cantici leguntur, non semper genuinum Lucubrationis Authorem prodere. Quicumque etiam ex iisdem Patribus omnes uni Davidi Psalmos vindicarunt, illis certè Titulis parum detulere, cum illis non raro alter à sanctissimo Rege Scriptor præferatur.

Quæ in divisione Psalterii, sicut & Psalmorum inter se, apud diversos obtinet varietas, alterum est argumentum pro abroganda suprema authoritate Inscriptionibus Psalmorum. Observavimus in Prolegomeno, variam adoptasse Patres Psalterii distributionem; cùm alii pro Hebræorum more in quinque Libros dispescuerint; alii in tres; aliis singularem esse Librum, nec divisione ulla deformandum statuentibus. Qui apud aliquos unicus est Psalmus, in duos ab aliis distinguitur. Sunt qui Titulum Psalmo præfixum legant, cui Titulus in aliis Exemplaribus deest. Syriacus Hebraici Exemplaris fidem sæpissimè deserit; Septuaginta singularem lectionem servant discrepantem ab Hebræo, Syriaco, & Vulgata; nec infrequens est inter ipsa Septuaginta Exemplaria varietas. Psalteria vetera Latinorum abhorrent quandoque à Græco, & Vulgata. An hæc Textui Canonico & legitimo, cujus invariata est veritas, quadrent? Cùm ex pluribus Psalmis unus integer conflatus est, cùm duo simul juncti, erantne singulis uniformes & invariabiles tituli inscripti? Quot apud Vulgatam leguntur, quos frustra in Hebræo quæras; & quot pariter in nostris recentioribus Bibliis, cùm olim nulli? Psalmus 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, sine titulo est apud Hebræos; defuit etiam in Exemplaribus Eusebii, Theodoreti, Euthymii, & Hieronymastri; cùm tamen hodie suus Psalmo Titulus legatur in Spetuaginta, & Vulgata.

Cùm Tridentinum Concilium Vulgatæ authoritatem asseruerit, nulla facta inter Titulos Psalmorum distinctione, omnibus æquè eandem authoritatem conciliavit (1). Vix autem credimus voluisse illud divinam vindicare authoritatem iis Titulis, qui & hodie & antehac semper in Hebræo defuerunt; sicut & iis qui & ipsi per se apertissimè & unanimi Patrum consensu, historiæ sive reliquo Psalmorum contextui repugnare noscuntur. Statuendum est igitur, omnes æque generatim Psalmorum Titulos nullam obtinere Divinam & Canonicam authoritatem, eosque proinde in examen revocare, reiicere etiam cùm alterum meliorem sensum litera Psalmi offert, singulis esse permissum. Adhuc tamen cùm eorum authoritatem deferendam nobis suscipimus, integrum tamen ratumque servare jubemur in illos obsequium, utpote quos Ecclesia servandos in sacris Scriptis censuit, & non infima ipsorum pars ad assequendum Psalmi sensum plurimùm confert.

Quantumvis tamen summam adhibuerimus in eo examine curam, plures fuisse nihilominus Titulos fatemur, quorum implexior sensus conatus omnes nostros fefellit; quod etiam ante nos ingenuè primi ordinis Interpretes fassi sunt. Flaminius *Præfat. in Paraphr. Psi. pag.* 14. deseruisse se majorem Titulorum partem inexplicatam profitetur, quòd neque ipse de suo aliquid promere valuisset, neque aliquid invenisset apud Interpretes Latinos, quod sibi probaretur; nec Rabbinos aliter in ea re commentatos, quàm quòd suspicari se significarent, inextricabiles illas voces plerumque sive instrumenta musica designare vel musicas notas & cantilenas, ad quarum normam Levitæ sacros hymnos in Templo concinerent. Censuit hinc Flaminius optimum factu esse, si voces illas Hebræas in sua Versione retineret, exem-

A plum secutus doctissimorum Interpretum ex Hebræo Latinam Sacrorum Librorum Versionem adornantium. Isidorus Clarius Præfat. in Pss. fatetur pariter, unà cum Rabbinis doctissimis, Inscriptiones illas, iis exceptis quæ historiam aliquam satis notam indicant, inexploratas esse, eorumque sensum frustrà tentandum, quòd vetus Hebræorum musica nostra ætate penitus exciderit, ut neque instrumenta illorum satis noscamus, neque notas musicas iis Titulis designatas habeamus perspectas. Hæc cum Rabbinis Clarius.

Fusiùs præ cæteris ea de re disserit Genebrardus *in Ps.* 4. 1. Maxima Inscriptionum pars, ait ille, adeò implexa est & obscura, ut brevioribus scholiis evolvi totæ vix possint. Ad hæc, minor
B est eorum in expositione literæ utilitas, quàm ut labori Scriptoris respondeat; sunt enim plerumque notæ veteris Hebræorum musicæ, nostra ætate penitus incognitæ. Illis tanquam clavibus utebantur Hebræi, ut varios in cantando tonos dirigerent; quemadmodum apud nos prima antiphonæ vox totam deinde cantilenam moderatur, atque totius Psalmi modulationi normam præscribit. Rarò Inscriptionibus illis tempus & occasio Scripti Operis indicatur; & si quando indicari contingat, non semper tamen verus Textus sensus ex illis repetendus. Sunt enim sæpe figuræ quædam Rethoricæ, sive inopinum Divinæ inspirationis œstrum, quo Author in occulta mysteriorum abripitur, quorum historia in titulo indi-
C cata, figura tantùm habenda est. Igitur titulus literale Psalmi argumentum non pandit; sed à temporali ad spiritualia, à figura ad veritatem transgrediendi, intento in Divina spiritui præbet occasionem.

Persuasum habuisse idem Author *in Psal.* 80. *&* *in Psal.* 93. videtur, inscriptiones, quæ in Septuaginta quidem, non verò in Hebræo leguntur, Judæis *Cabala* sive traditionis mysteria sectatis, tribuendas fuisse. S. Gregorius Nyssenus tract. 2. in Ps. 1. c. 8. omissas credit Inscriptiones, cum Psalmus planior esset, quàm ut adscriptione aliqua explicaretur; si quid verò Ecclesia addendum censuerit, quod in Originali deesset, id illam eo consilio præstitisse, ut latens aliquod my-
D sterium in Psalmis detegeret. Hosce ab Ecclesia adjectos Titulos *Ecclesiasticos*, & *mysticos* appellat. Eosdem non ab Ecclesia, sed à Septuaginta adscriptos S. Hilarius, uti suprà observatum est, autumavit; sed minorem obtinent apud Theodoretum authoritatem, cui temeritate quorundam prophanorum irrepsisse in Scripturam creduntur, & veluti pura hominum inventa abjiciuntur reprobanturque. Nicolaus Lyranus *Prolog. in Pss.* recepta apud Latinos opinione, Esdræ collectionis Psalmorum Authori deputari scribit; ille enim, ait, Præfationem in Psalterium adornavit, cujus locum tenet primus Psalmus, cæteros verò, prout necessitas ferebat, peculiari titulo inscripsit. Quoad titulos ab originali He-
E bræo alienos, hæc idem Lyranus in Ps. 62. *De titulo Psalmi parum est curandum, nisi pro quanto accipiuntur immediatè ab Hebræo, vel translatione Hieronymi juxta Hebræum, quia in aliis multa sunt apposita secundùm phantasias Expositorum* (2). Docet tandem in Prolog. super Pss. *Apud Hebræos authentici sunt* (Tituli) *sicut Psalmi cæteri*.

Nec majori cautione mentem suam produnt ea de re P. Alexander in Dissertatione in Pss. & D. Ferrandus in sua Præfatione ad Psalterium. Ex quibus omnibus illud nobis jure meritoque asserendum, Titulorum authoritatem nunquam tanquam dogma satis certum exploratumque receptam fuisse; ut ejus rei veritas earum loco haberi possit, quas salva Ecclesiæ reverentia diffi-

dium

(1) Vide Ferrand. Præfat. in Pss. c. 7. (2) Vide & Du Pin in Pss. n. 14.

dium Theologorum & Interpretum ingeniis exercendis in medio relinquit.

Recepta apud Judæos traditio, relata pariter & probata ab Origene (1), Eusebio in Ps. 27. S. Hieronymo Ep. ad Cypr. & in Malach. S. Hilario Prolog. in Pss. pag. 34. S. Athanasio Prolog. in Pss. tom. 2. p. 70. tenet Psalmos nullo inscriptos titulo, ad Authores in præcedenti Psalmo expressos referri. Hanc sententiam suspicionis arguunt recentiores Interpretes; & falsam disertè appellat Bellarminus Præfat. in Pss. S. Hilarius tamen ab Esdra derivandam asserit, Collectore Psalmorum post solutam captivitatem, quemadmodum supra innuimus. Fusiùs nos ea de r in Dissert. de Authoribus Psalmorum.

DISSERTATIO
IN GEMINAS ILLAS HEBRÆAS VOCES LAMNAZEACH, ET SELA.

ARTICULUS PRIMUS.

DE LAMNAZEACH.

Frequentissimè in fronte Psalmorum vox illa inscribitur, redditurque à Vulgata: *In finem*. Cum vicissim vox *Sela* sæpiùs recurrat in textu Psalmorum, nunquam tamen in fine versiculi, & post absolutam sententiam.

Porrò *Lamnazeach* (2) redditur à Septuaginta: *In finem*, vel *pro fine*, quod Interpretes plures morali & mystico sensu referunt ad Jesu Christi adventum; venisse enim in fine sæculorum Apostolus illis verbis 1. Cor. 10. 11. insinuat: *In quos fines sæculorum devenerunt*. Spectare etiam ad Messiam, exitum & consummationem Scripturarum, Rabbinorum nonnulli (3) docuerunt. Interpretantur alii de vocatione gentium & reprobatione Judæorum; alii d æternitate vel Judicio postremo, vel de Resurrectione Jesu Christi. Alii usurpara credunt ea verba: *In finem*, pro semper; (4) quasi scilicet designaretur, nunquam à cantando eo Psalmo à viris Dei servitiis addictis cessandum fuisse. Chaldæus vertit: *Pro laudando*, sive *in laudem*; quæ omnia satis probant, de sensu hujus vocis ne inter Judæos quidem convenire.

Interpretes Græci, qui post Septuaginta paruerunt, in ea vertenda discrepant. Aquila reddit: *Victoriam danti*; Theodotion: *In Victoriam*; Symmachus: *Carmen victoriæ* Sed relicto semel titulo, & mente ad examen Psalmi revocata, vix occurrit aliquid titulo illi congruens; tantùm enim abest ut gratiarum actiones, & læta pro victoria carmina pangantur, ut sæpiùs non nisi querelæ luctusque ac tristia, lugubri potiùs titulo quàm læto designanda, occurrant. Sed hanc objectionem (5) occupant reponentes, eo titulo: *Carmen victoriæ*: solum designari, in eo Psalmo decantando ingeminandam esse vocem, ut ad eam tollendam quanta majori contentione Cantores inter se veluti provocari videantur; quemadmodum & in Hymnis ac Prosis Ecclesiasticis nostra etiam ætate quandoque servatur, ut duæ chori partes ad tollendam altissimè vocem se invicem provocent; cujus deinde remissio ac nova insuper elevatio succedit. Designari etiam potuisse credunt, eos Psalmos veluti in præmium Musicis illis datos, pro relata de fratribus suis in cantandi certamine victoria. Sed hæc ad libitum conficta, ultro etiam negarentur.

Sanior recentiorum Interpretum pars post Rabbinos autumat, eam vocem reddendam: *Præfecto Musices*; Levitæ nempe qui canentibus in Templo præerat. Hujus opinionis, quam præ cæteris probamus, hæc sunt moneta. Hebræum *Nazach*, primitivum vocis *Lamnazech*, sonat præesse Operibus (6) vel Operariis; Cantorum, vel Cantatricum, vel tandem musicis instrumentis canentium, seu virorum, vel puellarum (7) turmas deducere. Nulla profectò in titulis Psalmorum difficultas, quæ, postrema hac significatione constituta, non statim facilis solvatur. Veram igitur non immeritò arbitramur; postquàm maximè cæteras literali sensui minus congruere demonstravimus.

Erant in Templo Domini Levitæ sanè frequentes, laudibus Domini celebrandis atque musicis instrumentis canendo destinati. Omnes Levitarum familiæ in eo munere, sive in custodiendis foribus, & excubiis in Templo agendis, vel tandem in obsequium Presbyterorum, dum sacro ministerio vacarent, occupabantur. Singulis illis familiis suus erat Præfectus, vel Princeps, cui Præfecti alii plures parebant. Horum censum fusius deductum legas 1 Par. 6. 31. in hæc verba desinentem: *Isti sunt, quos constituit David super Cantores Domus Domini*. Potissimi inter illos Asaph, Heman, Ethan, & Idithum. Porrò Asaph cæterique similis peritiæ, canendis pangendisque carminibus occupabantur; utrùmque enim in se conjunxerant munus, & Prophetæ nempe & Cantoris. (8) Singulæ Cantorum classes musicorum instrumentorum varietate distinguebantur; & peritissimus quisque Præfectus, quem *Mnazeach* appellabant; constitutus. Laudatur in 1 par. 15. 22. Chonenias, tanquam sonora & eleganti voce insignis. *Chonenias Princeps Levitarum præerat ad præcinendum melodiam*.

In veteri Musica una tantùm melodiæ pars innotuerat; erat enim varietate tonorum, & harmonia ex pluribus vocibus resultante, quæ nostra ætate delectat, destituta. Idem vocibus omnibus & instrumentis in harmonia tonus & tenor; scribere enim parùm norant, notasque musicas penitùs ignorabant. Veteres illi (recentius est enim Stratonici inventum) (9) solo usu & auscultatione Magistri artem discebant, quemadmodum fermè nostra etiam ætate pueri apud Turcas ad cantandum instruuntur. Itaque in publicis cæremoniis Præcentore opus erat, qui classem suam vel chorum valida robustaque voce deduceret; qua tantundem præstabat quantùm hodie musices Præfecti apta ad numeros gesticulatione Non abs re pariter credimus, frequentes fuisse in ea musica repeti-

---

(1) Origen. in Opusculo nuper edito in Hexaplis D. Bernardi de Montfaucon. (2) למנצח 70. Εἰς τὸ τέλος
(3) Kimchi ex Talmud. Rab. Simeon in lib. Jalkut. (4) Saadaias Gaon, & Ferrand. hic & Muis, quasi לנצח non. למנצח
(5) Perez, Forster. (6) 1 Par. 23. 4. & 2. & 2. 2. 1. & 34. 1 2. & 1. Esdr. 3. 8. 9. Dan. 6. 3. (7) 1. Par. 15. 21. Abacuc 19. & 2. Par. 2. 2. Psal. 1. 1. & 45. 1. & 59. 1. & passim. (8) 1. Par. 29. 30. (9) Eustius Phauias apud Casaubon Ath. l. 8. c. 12.

petitas carminum complexiones; nec rarò præeuntis magistri ductum succinenti modulatione chorum sequi consuevisse.

Receptum olim apud Græcos (1), ut qui carmina scriberet Vates, ipse canendi normam, quam sibi carmen exigere videretur, præscriberet, ad cujus deinde leges à Musico sive ab instrumentorum perito mercede ab illo conducto cantabatur. An idem apud Hebræos servatum? Quin potiùs Vates apud illos carmen suum dirigere videbatur ad musicæ peritos, veluti ad Asaph, Heman, & Idithum, ut ad numeros redigerent. Id saltem tenent Interpretes, quorum opinionem nullum satis firmum argumentum falsitatis evincit.

Classes sub singulis Musicæ Præfectis ex ordine, quem inter se tenebant, interdum distinguebantur, ut classis octava, tertia &c. Interdum ex musicis instrumentis. Hinc in Titulis Psalmorum quandoque legitur: (2) *Lamnazeach hal haschminith*, nempè Præfecto musices pro octava; quandoque etiam: *Præfecto in Neginoth*, (3) quod musicum instrumentum fidiculare digitis pulsandum denotat. In solemnibus Religionis cæremoniis, veluti cùm Arca Domini deducebatur &c. sicut & cum pro victoria de hostibus relata triumphus ageretur, solemnem pompam non Levitæ tantum, sed etiam fœminæ cantilenis suis sub Præcentore aliquo docto augebant. Nec me fugit, tradere Rabbinos, cautum fuisse viris, ne cum fœmina in Templo cantarent: cum fœmina enim in loco sancto modulari, inquiunt, crimen est, quo nihil turpius; sed eorum superstitio falsi ab ipsa Scriptura arguitur, quæ in solemni Arcæ Jerosolymam translatione Banajam commemorat choros puellarum sive Cantatricum deducentem (4). Leguntur etiam in Psal. 67. 26. Puellarum chori sub viro perito succinentes. Sed fusius ea de re agendum in Dissertatione de Musica Hebræorum.

Neque musicæ Præcentores illi, sive *Mnazeach* in cœtibus tantùm religiosis choreas & cantilenas præibant; erant enim pariter in Aula Principum choris tam Cantorum, quam Cantatricum Præfecti; neque debito erga Canonicas Scripturas obsequio detractum aliquid credimus, si sacros aliquos Psalmos decantatos quandoque in cæremoniis civilibus suspicemur, ut in triumpho principis, vel cùm lætum illi expeditionis suscipiendæ omen fieret, vel tandem cum nuptiarum illius sive initi Regni pompa celebranda esset; qui deinde Psalmi in eos usus scripti ad sacras cæremonias translati sunt.

Cùm iidem essent plerumque Prophetæ pariter & Poetæ, & populi Regumque studia omnia ad pietatem & religionem tenderent, quæ primum scripta erant carmina in usus civiles & minimè sacros, à suis tamen Authoribus Dei Spiritu afflatis consecrabantur. Nihil enim viri illi sanctissimi æquè intendebant ac Dei laudes & preces. Quare in Templum & usus sacros transferri, quod prohiberet, nihil erat; neque Præfecti musicæ sacræ religione ulla absterrebantur, quin aulicas vel civiles pompas, sacras illas imprimis & religiosas deducerent, præirentque. Suus erat *Mnazeach* in lugubri pompa, in victoria aliqua, sive in Festo aliquo publico celebrando. Inter Psalmos enim musicæ Præfectis inscriptos cum lætis pariter & jucundis lugubres miscentur & tristes. Et nostra etiam ætate vetustissima receptum consuetudine obtinet apud Orientales, ut in lugubri pompa valida præ omnibus præstans voce deducendis seligatur

A choris eorum, qui defuncti laudes prosequuntur, & funera lugent (5). Viri fœminæve arctiori necessitudinis vinculo cum defuncto conjuncti, lamentationibus præibant, quibus deinde adstantium omnium chori succinebant. In claris funeribus lugubri cæremoniæ deducendæ lamentatorum tam virorum quam mulierum turma conducebatur (6). Imitari se dicebat Diogenes Philosophus apud Laertium lib. 6. eos qui choris musicorum præibant, majori semper vocis contentione inclamantes, ut inclinanti per se voci maximè in cantu violento & elato succurrerent.

Scriptum à se carmen David plerumque ad B Asaph notis musicis tradendum, concinendumque à clientibus ipsius in Templo mittebat (7); hinc datum viro in Scriptura nomen: *Prophetans juxta Regem* 1. Par. 25. 2. Ita pariter receptum apud Græcos, ut qui carmina scriberet, cui maximè vellet, Musico ad numeros canenda traderet: accidebat autem non rarò in solemnibus populi concionibus, cùm pretium Musices distribueretur, ut carminis Author indonatus abiret, cùm interim Musicus ad cantandum electus, magnifico præmio & corona donaretur. Ita pariter ait Origines ad Ps. 38. Hom. 1. init. cum in Scriptura legimus: *Victori Idithum* (ita enim vertit cum Græcis Interpretibus vocem *Lamnazeach*) non Idithum Psalmi Author designari credendus C est, sed Musicus artis suæ peritissimus habendus, cui Rex sapientissimus canendi victoriam adjudicavit. Ita sentit Origenes.

Quantum ex inscriptionibus plurium Psalmorum colligimus, David ipse, tantus Rex, à sua dignitate alienum non censuit, si canentibus ipse præiret, & ad musicas notas sacra illa carmina concinenda susciperet. Musicam ille quidem amabat, omniaque norat ejus artis mysteria; nec sanè canendi musicis instrumentis imperitus, ipse pariter divinæ Majestatis gloria adeò totus rapiebatur, ut à majestate sua alienum non censeret, si & ludere instrumentis coram Domino, & præire Cantoribus in quibusdam anni Solemnitatibus videretur. Hanc opinionem insinuat in- D scriptio Psalmi 35. *Servo Domini ipsi David Præfecto musices*; & altera Psalmi 10 *David Præfecto Musices*. Vide etiam Titulos Pss. 13. & 18. & 19. & 20. & 21. &c.

ARTICULUS II.
DE SELA.

VOX Sela septuagies in Textu Hebræo Psalmorum, & ter in Habacuc (8) recurrit. Frequentiùs legerunt Septuaginta in suo Exemplari Hebræo; cum semel apud illos in Ps. 2. 3. & semel pariter in Psal. 3. 6. legatur, quo in loco nihil apud Hebræos (9). Scribunt etiam in E Psal. 9. 17. *Ode Diapsalmatis*, quod respondet Hebræo: *Canticum Sela*; cum tamen in eodem Hebræo nihil tale occurrat. Variant quidem inter se aliquantulum ea in re Editiones & Exemplaria Græca, sed quam innuimus lectionem optimæ quæque Editiones servant. Quærendum modò de vocis usu & significatione.

Septuaginta reddere solent plerumque *Diapsalma* (10), quod *interpositum in canendo silentium significat*, juxta S. Augustinum in Psal. 4. seu vocis inflexionem juxta Suidam (11) & Theodoretum. Malunt alii novum ea voce sensum, sive novi carminis genus designari (12); sive pausationem

(1) Vide Plutar. de Musica & Origen. in Ps. 38. (2) Psal. 11. 1. לנמצח על השמינית

(3) Psal. 3. 1. & 5. 1. למנצח בנגינות

(4) 1. Par. 15. 18. 20. Psal. 9. 1. (5) Bellon. Observ. l. 4. (6) Joseph. lib. 3. cap. 15. de bello in Latin. aut cap. 30. in Græco.

(7) 1. Par. 16. 7. juxta Hebr. (8) Habac. 3. 3. 9. 13. (9) Vide Septuag. apud Euseb. & Hilar. in Psal. 2. 3. *Quamvis nihil legatur neque in Romana, neque in Complutensi Editione. Codex Reg.* 222. *legit Diapsalma* in vers. 2. Psal. 2. Vide nov. Edit. Hexaplor. in Psal. 2. vers. 4.

(10) סלה, 70. Διάψαλμα Ita Sym. & Theodotion, apud Origen. citatum à Hieron. Ep. ad Marcellam.

(11) Suidas. Ita & Theodoret. Præfat. in Ps.

(12) Hieron. ad Marcel. de voce Diapsalma. *Quidam Diapsalma dixerunt esse commutationem metri, alii pausationem spiritus, nonnulli alterius sensus exordium; sunt qui rythmi distinctionem.*

vocum, solis interim ludentibus instrumentis; seu vicissim instrumentorum cessationem, voce cantilenas prosequente; namque authore S. Hieronymo ibid. Psal. *tunc temporis juncta voce ad organum canebantur*. Addit demum idem S. Doctor, *hoc verbum* (Sela) *superiora pariter inferioraque connectere, aut certè docere sempiterna esse* (nempe nunquam è memoria excutienda) *quæ dicta sunt*. Reddit ille plerumque eam vocem *semper*; quod etiam ab Aquila, quinta & sexta Editione, à Symmacho in Habacuc 3. 3. servatum est. Targum pariter in Psalmos vertit: *In perpetuum*.

Quidam apud Theodoretum (1) autumarunt, pausationem esse Spiritus Sancti in Prophetis; alii pausationem potiùs cantus in musica, quod maximè apud Veteres probatum est. Accidit enim non rarò, ait Cosmas Monachus pag. 223. nov. Collect. Græc. PP. tom. 2. ut Psalmus ab alio choro inceptus alteri canendus traderetur. Posterior hæc pars *Diapsalma*, prior *Canticum Diapsalmatis* appellabatur. Sui autem creduntur destinati Cantores, ut pretiosos illos Psalmos cantarent. S. Hilarius Prolog. in Pss. minùs exactè scribit, *Diapsalma* (ita enim reddit vocem Sela) designare immutationem vel Cantorum vel sensuum sive cantus. Gemina fermè habet Cassiodorus Præfat. in Psal. cap. 11. *Diapsalma sermonum rupta continuatio; docens ubicumque fuerit, aut personarum, aut rerum fieri permutationem*.

Eusebius Cæsariensis in Pss. tanta confidentia Diapsalma exponendum suscipit, quanta neque oculatus testis asseveraret. *Non est*, ait, *ita vox suscipienda, quasi à Davide sive S. Spiritu scripta fuisset; cùm tantùm cessationi divinæ inspirationis designandæ apposita sit*. Musicæ Præfecti, quorum medius in Sanctuario David versabatur, eam notam adscribebant. Canebant illi simul laudes Domini, fidicularia unà pariter instrumenta pulsantes, cymbalum, lyram, Psalterium, ductum afflantis Spiritus sequentibus singulis. Qui primus œstro illo Divino afflabatur, Canticum ad numeros canendum suscipiebat, cæteris tantùm Alleluja succinentibus. Cùm inspiratio cessaret, cessantibus pariter instrumentis, *Sela* sive *Diapsalma* in Codice adscribebatur. Magis apposité idem Eusebius in Psal. 4. in eam sententiam concedit, quæ vocem *Diapsalma* pro immutatione sensus, inflexione vocis, metri variatione, & concinna complexione exponit (2). S. Gregorius Nyssenus Præf. in Pss. autumavit, vocem illam *Sela* intimum quemdam & insuetum Divini Spiritus afflatum, & suavem ad pietatem motum in Propheta designare. Cùm autem tota ea fuerit S. Spiritus operatio, pro arbitrio Prophetam agentis, ideo *Sela* interdum in medio, sæpè in fine, frequentiùs aliquando, rariùs interdum in Pss. adscribitur. Hæc Veterum sententia de sensu, & usu vocis *Sela*.

Recentiorum sententiæ nec inter se satis, neque cum Patribus conveniunt. Sunt qui credant, nullum esse alium vocis *Sela* usum, & sensum, quàm vocis *Evovae* in Libris ad usum Chori destinatis; adscribitur enim in fine Antiphonæ, ut Psalmi cantum designet. Porrò *Evovae* usurpatur pro *sæculorum amen*; neque cantatur unquam, sed Præcentori dirigendo servit. Ita *Sela* ex illorum sententia nota est musica veterum Hebræorum, cujus hodie usus ignoratur. Redundat equidem vox illa in Psalmis, neque, si expungatur, sensus usquam vel sermonis series turbatur (3).

Kimchi, De Muis, Grotius, Genebrardus, Mariana, aliique plures notam esse musicam de-
A scendunt, qua vocis elevatio designetur; ut proinde eò deveniens Cantor, vel Lector intendere vocem, vel tristem, vel lætam, juxta Psalmi naturam moneatur. Derivant illi vocem *Sela* (4) à verbo Hebræo *Salal*, quod sonat viam in aggere struere, aggerem elevare. Addunt aliqui (5), insinuari pariter ea voce sensus quosdam admirationis, miserationis, indignationis, & gaudii, juxta Carminis indolem; ut *Sela* loco nostrarum interjectionum adscribatur, veluti ô *Deus*! quale infortunium! qualem dementiam! qualem injustitiam! vel illud: *mirabile dictu*! Buchananus in Ps. 9. ita reddit: *O res pectoris altis condenda in penetralibus*! Calovius plerumque Grotio adversus (6) contendit, notam esse deprimendæ vocis, veluti si auditores invitarentur ad lectionem illam seriò reputandam, ac tranquillâ sedataque mente spectandam.

B Abenezra, quem Recentiorum aliqui ducem in ea re sequuntur (7), confundendum censet *Sela* cum *Amen*, qua posteriori voce preces claudi consueverunt. Epitaphia sua Judæi hac adscripta clausula terminant: *Ejus anima in Cœlo alligetur; Amen, Sela*: vel tantùm: *Amen*. In calce Librorum quatuor hæc compendiariis literis adnotant: *Amen, Nezach, Sela, Vaad*; i. e. *Amen semper*; *amen in perpetuum*; vel *Amen in finem, semper, in perpetuum*; neque enim certa vocis Sela significatio constat. Junius & Tremellius præcedenti verborum contextui vocem illam adjungunt; sed cùm verborum sensus minùs aliquando adjectionem illam patiatur, variare interdum coguntur. Cæterùm illorum opinione Se-
C *la* rei vim, excellentiam, granditatem, & necessitatem designat.

Post fusiorem hanc sententiarum expositionem, reliquum est modò ut nostram etiam proferamus, in cujus potissimùm partem inclinemus indicantes. Profectò si post certum versuum, vel Psalmorum numerum vox illa recurreret, eo indicio stropharum vel Psalmorum distinctionem denotari non immeritò suspicaremur. Sed nihil vagatur incertiùs; observat enim S. Hieronymus ad Marcell. in prolixis quandoque Psalmis ne semel quidem adscribi; cùm interim brevissimi repetitam sæpiùs interdum exhibeant. Si post absolutum aliquem sensum æquè in omnibus Psalmis apposita legeretur, scire aliquid de usu illius &
D significatione daretur; facilesque in sententiam Patrum, clausulam esse sententiæ vel sensus autumantium, concederemus. Verùm si paulò attentiùs Psalmus legatur, apparebit interdum, in ipso argumenti contextu vocem illam mediam adscribi; ut ipsi quandoque Patres præposterè constitutam esse (8) fateri cogantur. Patet etiam quandoque in fine Psalmi, ubi scilicet terminandam esse & melodiam & sententiam frustra moneremur.

Quæ de nota musica voce *Sela* expressa solo verbo asseruntur, verbo pariter negarentur. Nec melior est eorum opinio, qui notam esse tollendæ deprimendæque vocis autumarunt; quo enim jure illi indicium esse flectendæ vocis asseruerunt,
E eo pariter alii continendæ esse vocis sive sustinendæ contenderent. Qui verò reddunt *Sela*, *semper*, seu patheticam aliquam exclamationem designari ea voce suspicantur, illis planè mens adhibenda fuisset, recurrere sæpissimè vocem, quo loco nec *semper*, nec exclamatio aliqua quadraret. Ad hæc, vox certam illam significationem exprimens cur nuspiam alibi, quàm in Psalmis, & in Cantico Habacuc legeretur? Quæ insuper lingua

(1) Theodoret. Præfat. in Psal. Ita Euseb. Præfat. in Psal. pag. 8. (2) Vide & in Ps. 23. & 88. pag. 582.
(3) Vide Gejer. Hammond. Forster. Buxtorf. &c. (4) סלל quasi סללה à מקה
(5) Vatabl. Genebr. (6) Calovius Antigrot. hic.
(7) Vide Calv. Gejer. Fag. Vide & Hieron. ad Marcellam: *Apud Hebræos in fine librorum unum è tribus subnecti solet, aut Amen, aut Sela, aut Salem*. (8) Vide Euseb. in Psal. 2.

lingua una aliqua generali voce exclamationes simul omnes admirationis, gaudii, doloris, & indignationis exprimeret? Notæ sunt apud Hebræos voces variæ variis passionibus designandis; cur ergo variis hisce exprimendis una eademque vox *Sela*, vagæ, incertæ, latentisque significationis adhibita est?

Qui tandem, uti Vulgata, Syriacus, Arabicus, & plurima Exemplaria Septuaginta, sicut & vetera Latina Mss. (1), sæpiùs *Diapsalma* vel *Sela*, tamquam superfluam aliquam redundantemque in Textu vocem, omittunt, æquiùs illi facilè judicasse videntur. Cùm enim verbum sit obscurissimum, cujus interpretatio frustra tentaretur; sit æquè prorsùs in Textu redundans, ut nihil exponendo sensui conferat; neque ratio Psalmorum poetica hodie noscatur; his facilè momentis in eam sententiam duceremur. Origenes, & S. Hieronymus post sedulum ejus rei examen, vererem ambiguitatem exuere nunquam potuerunt. *Cujus* (Origenis) *maluimus in hac disputatione dumtaxat imperitiam sequi, quàm stultam habere scientiam nescientium*, ait S. Hieronymus Ep. ad Marcellam de voce *Diapsalma*. Scitè admodum in eam rem D. de Muis: *Hic sine periculo erratur, cùm ea res nihil aut parum ad sensum pertineat*.

Si semel statuatur, olim Psalterium unica contextus serie continuatum fuisse, variamque tum obtinuisse dividendorum Psalmorum rationem, systema aliquod non inverisimile de *Sela* formandum nobis videtur; nempè ejus vocis adscriptione dirigi sive Lectores, sive Levitas canentes, ut pausentur; quemadmodum in nonnullis vetustis Librorum ad usum Ecclesiæ Græcæ Mss. quo loco exordienda esset Epistolæ, seu Evangelii lectio, vox *Arche* nempè initium; quo verò terminanda, *Telos*, nempè finis, adscribebatur (2). Erat tum temporis maximè necessaria cautio, cùm in Officio Ecclesiæ lectiones ex ipso Bibliorum Co-

A dice, vel è Novo Testamento, nulla capitum divisione distinctò, legerentur. Monendus fuerat Lector, quo loco exordienda, quo loco claudenda lectio fuisset.

Olim, & nunc pariter, Sacri Hebræorum Libri uno Scripturæ tenore absque capitum & versiculorum distinctione continuabantur. Psalterium eandem fortè rationem ac cæteri Libri servabat; quare unde exordienda esset lectio, adscriptione aliqua fuerat demonstrandum. Quòd autem notæ illæ tum pariter, quando eorum nullus erat usus, servarentur, superstitio fecit, vel imperitia. Ipsa Kimchi ætate, sæculo nempè 12. satis certa Psalmorum distributio non adhuc obtinebat.

In nonnullis Exemplaribus Hebraicis Pentateuchi geminæ hæ voces leguntur, *Samech*, & *Phe*;
B quarum prima, juxta Rabbinos, designat spatium aliquod clausum sive principium. Litera *Samech* facilè compendiosa nota est vocis *Sela*, quam Judæi in fine Lucubrationum suarum adscripserunt, veluti si finem operis designaret; litera verò *Phe* compendiosa est nota vocis *Pathach*, aperire, quæ in exordio lectionis adnotaretur. Idem & in Psalterio servatum, cui vox *Sela* in exordio lectionis sive cantus adscribitur. Cùm autem lectionum illa distributio satis vaga fuerit & incerta, & ad arbitrium Præsidum Synagogæ: hinc *Sela* non exactè semper recurrit, seu varias & inæquales lectiones designat. Id planè demonstrant variantia, quæ inter Exemplaria Græca & Hebraica observantur. Eusebius & S. Hilarius in Ps. 2. insinuare videntur, Interpretum Græcorum opera vocem illam *Diapsalma* in Psalterio adscri-
C ptam; maluerim tamen ego Judæis, & Principibus Synagogæ tribuere. Nemo, quantùm scio, ipsis Psalmorum Authoribus vindicat, nisi unus fortè Eusebius in Præfatione suprà à nobis laudata, cujus sanè authoritas ea in re minor est, quàm ut fidem extorqueat.

DISSERTATIO

IN ILLUD PSALMI XXI. ℣. 18.

Foderunt manus meas, & pedes meos.

VEteres Ecclesiæ Patres de sublatis sive corruptis quibusdam Scripturarum sententiis, quos Christianis favere, sibi autem aversas norant, Judæos postularunt (3). Vetus illa accusatio postrema hac ætate ingenti animi ardore & eruditionis nisu restaurata est; sed minori, quàm pro tanto apparatu, successu, quòd documenta deessent necessaria, ut tanti operis accusatio, uti par esset, urgeretur; cùm maximè Originalia Hebraica, quæ nostris in manibus versantur, plura adeò & apertiora exhibeant de Jesu Christo testimonia, quàm quæ suppressisse Judæi accusantur; ut proinde omnium incautissimè egissent Judæi, si semel aggressi arma Scripturarum è manibus nostris tollere, ea tantùm subduxissent, quæ superflua utcumque censebantur, pluribus interim aliis relictis, & maximi præ illis momenti, & apertissimi. Prætereo insuper operis, quod suscipiebant, arduitatem, corrumpendi nempè Libros per omnes latè Judæos, gentem superstitiosissimam, & Scripturarum suarum tenacem, vulgatos. Prætereo tandem super-

A vacaneo illos labore exsudaturos; Versionibus authenticis Textus in nostris manibus servatis, quarum ope detecta fraus & dolus revinceretur.

In eo versu, cujus examen Dissertatione hac nostra suscipimus, quo sanè nihil expressius de Passione, & Crucifixione Jesu Christi, satis variant inter se Hebræus, Septuaginta, & Vulgata; cùm interim nemo ex Antiquis vitium ea in re Judæis verterit. Non satis etiam convenit inter Recentiores; cùm ex Fidelibus nonnulli scri-
B ptis Lucubrationibus contenderint, integrum esse Textus Hebraici locum, omnemque à Judæis infidelitatis suspicionem amoverint. Nobis sanè alia sedet opinio; demonstrare enim suscipimus, mendosum esse Textum Hebraicum, sive Rabbinorum iniquitate, sive malo illorum consilio prava lectione selecta; quæ nullum satis distinctum sensum exprimeret, post habita interim altera meliori & vetustissima, quam ipsi quidem parùm norant. Hæc modò probanda.

Textus Septuaginta & Vulgata fuerunt: *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea*; quæ sanè verba Christia-

(1) Vetera Psalteria Mss. S. Germani, Carthusiæ, Romanum, & Fab. Stapulensis legunt *Diapsalma*. Vetus alterum apud eundem Fabrum & alia plura in Bibliotheca Regis, & Colbertinum omittunt *Semper* & *Diapsalma*. Gallicanus, & Codex D. de Mesmes legunt: *Semper*. (2) Simon Hist. Critic. N. T. c. 33.

(3) Vide, si placet, Justin. in Dial. Irenæ. l. 3. c. 24. & l. 4. c. 25. Orig. contra Celsum & homi. 12. in Jerem. Epiphan. de ponder. & Mensur. c. 15. 16. & alios.

ni Jesu Christo cruci suffixo probè vindicant. In hanc mentem Antiquitas universa sententiam illam interpretata est; nec alterum sensum quærere Evangelistæ permittunt (1). Tam apertum assertumque veritatis testimonium ægrè ferentes Judæi, maluerunt unius literulæ transmutatione, legentes *Caari* pro *Caaru*, veterique punctorum ratione vel distributione versuum turbata corrumpere, ita hanc sententiam reddentes: *Concilium malignantium obsedit me, sicut leo manus & pedes meos;* cum debuissent ita versiculos distinguere (vers. 17.): *Circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me.* (vers. 81.) *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Quam prona sit & aperta secunda hæc distributio præ illa, quam Judæi incongruam & obscuram substituerunt, sola lectione demonstratur.

Confusionem suam satis prodiderunt Rabbini, implexam ejusdem sententiæ expositionem dantes. Kimchi fabellam hanc venditat. Cum leo prædam quæsiturus desertum pererrat, ampliorem quemdam circulum cauda describit, intra cujus ambitum veluti retibus clausæ ejusdem saltus feræ detinentur. Tremere illas nec audere descriptum à leone circulum prætergredi; sed toto contractæ corpore, & pedibus supra ventrem complicatis, sævum immanissimæ feræ dentem immotæ expectant. Ita pariter, ait Rabbinus, res Judæorum post dispersionem habentur; velut enim intra circulum conclusi detinemur, unde egredi nemini permissum, qui sive in manus *Ismaelitarum* nempè Turcarum, sive *Incircumcisorum*, nempè Christianorum incidere noluerit. Timore, veluti compedibus manicisque, vincti hæremus immoti; negant enim officium suum ad fugam pedes, ad defensionem manus. In eandem sententiam locutus Abenezra ait, Davidem illis verbis, *Adversarii circumdederunt manus meas, & pedes meos*, omnem sibi interclusam fugam & defensionem significasse. R. Salomon Jarchi ita dictum illud reddit: *Pedes mei & manus meæ sunt veluti leos* nempè veluti si à leone discerperentur, veluti si præda essem leonis.

Profectò si cujusque arbitrio permittatur, ut versiculorum ordo immutetur, & quidquid maximè placuerit dematur è Textu, quid non posset Scripturæ imputari? Cur leonis similitudo paulò ante superioribus versiculis insinuata, iterum repetatur (1)? Nihil moror futilem ridendamque Kimchi opinionem. Interpretatio Jarchi Textum nimis detorquet. Frustrà verò R. Lipman in suo *Nitzachon* objicit, nunquam receptum apud Veteres Judæos, ut superstites homines cruci suffigerentur clavis, quemadmodum nos de Jesu Christo affirmamus, & satis in eo Psalmorum testimonio demonstrari defendimus. Nunquam, ait ille, commisisset David, ut incognitum gentis suæ morem insinuaret; quis enim alioqui ejus verba assequutus fuisset? Abjicienda est igitur, addit ille, lectio: *Foderunt manus meas & pedes meos;* & retinenda altera, de qua in Hebræo: *Tamquam leo pedes mei, & manus meæ.*

Sed Rabbino tria opponimus: 1. Non Judæos, sed Romanos, Judæis instigantibus, in crucem Jesum Christum egisse. Romanorum autem in moribus positum esse, ut superstites homines in cruce clavis affigerentur, tam certum est quàm quid aliud. 2. Falsum est, nunquam obtinuisse apud Hebræos, ut levatos in crucem reos superstites clavis affigerent supplicio. Crucis supplicium Judæi æquè, ac finitimæ iis gentes, norant; utrimque verò eadem torquendi sontes ratio servabatur; vel si alia erat apud Judæos, hæc manet adversariis demonstranda. Videsis nostram Dissertationem de suppliciis veterum Hebræorum. 3. Quando etiam concederemus, apud Hebræos non nisi

A reorum cadavera in crucem agi consuevisse, poterat nihilominus David supplicium Jesu Christi prophetico Spiritu nosse simul, & prænunciasse. Habuisse enim præ oculis poterat inusitatam quidem gentis suæ in crucem agendi rationem, sed satis cognitam ex recepto apud finitimas gentes Phœnices, Syros, & Ægyptios morem. Tandem Jesum Christum supplicio suo clavis affixum fuisse nemo, ne adversatus quidem refragantibus, dubitat. Davidicum ergo vaticinium eo, quo nos accipimus, sensu ad literam implevit.

Perniciosior est præ Judæis Theodorus Mopsuestenus, Scriptor Christianus Sæculi quarti, quippe cujus interpretatio ingeniosa magis & plausibilior, veritati plurimum officit (2). Agnovit ille veritatem lectionis Vulgatæ, & Septuaginta; B neque enim tum temporis alteram illam à Judæis diu post invectam norant. Sed verbum illud *foderunt*, usurpari quandoque observat pro sedulò & dolosè investigare scrutarique; illud autem, *Pedes meos & manus meas*, omnes hominum actiones & gesta commodè designare. Potuisse ergo Prophetam de se ipso locutum, cum ab Absalomo premeretur, non incongruè queri, ac si à consilio malignantium pedibus manibusque transfoderetur; i.e. adversarios suos iniqua scrutatione omnia vitæ suæ gesta indagasse, ut creata in illum invidia, defectionis illi suæ causam aliquam prætexerent.

Sed audacem illum Criticum provocamus, ut C vel unum Scripturæ locum exhibeat, quo sensum hunc suum defendat. Legitur quidem verbum *fodere* pro inquirere & in examen revocare; sed altera est illius quàm in Psalmo syntaxis. Quæritur Job 6. 27. de amicis suis, qui *subvertere* (Hebr. *fodere*) niterentur amicum suum. Et Salomon in Proverbiis 16. 27.: *Vir impius fodit malum.* Psalmista sæpiùs (3), & Jeremias 18. 20. 22. de impiis habent: *Foderunt foveam, ut caperent me.* Sed hanc loquendi rationem, *foderunt pedes meos & manus meas*, in eo sensu usurpatam, ut gesta omnia sedulò scrutata designet, nunquam legimus. Amant quidem Hebræi figuras & exaggerationes, sed non violentas, & nonnisi communi D usu receptas. Quis autem audivit unquam, *fodere manum hominis*, usurpatum pro *in ejus vitam & mores inquirere*? Nunquam hæc; scimus autem, exploratumque tenemus, propriam & literalem hujus vocis significationem omnem in Jesu Christo impletam fuisse. Frustrà igitur Theodorus Mopsuestenus ad Davidem literam ejus Textus detorquet, qui nihil tale ac Jesus Christus passus fuisse legitur.

Contendunt alii, ejusdem sententiæ literam Davidi, Saulis vel Absalomi persecutione oppresso, tribuendam; qua in re exaggeratione usum Vatem dicunt, ut pro transfossione manuum pedumque labores fugæ cæterorumque malorum designaret, quibus veluti in crucem pedibus manibusque transfixus ageretur. Sed nihil illi contra nos; fas- E si ultro nunquam ejus prophetiæ literam in Davide impletam fuisse. Nec sanè, nisi summa vi Textui illata, in sensu metaphorico & figurato verba illa afflicto Regi tribuerentur. Ecquis enim, rogo, satis aptè loqueretur, cùm hominem itineris laboribus afflictum designaturus diceret, virum illum pedes habere manusque transfossas? Semel ac verò ad Jesum Christum mentis oculos convertimus, prona sunt omnia, verba Textus clara sunt & aperta.

Quæ Judæi aliique nonnulli Interpretes moliuntur, ut alienum à pia fidelium opinione sensum verbis illis appingant, documento sunt apertissimo, eorum omnes interpretationes falsas esse & mendosas. Textus aliquis clarus apertusq; in obvium primò sensum, & simplicem interpretationem Lectorem, natura ipsa agente, ita deducit, ut alterum facilè non admittat.

(1) Matth. 20. 19. & 26. 2. & 27. 31. 35. 38. Ita Marc. Luc. Joan. Act. 2. 36. & 4. 10. Jo. 20. 25. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum &c.* (2) Ps. 21. 14. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens.*
(3) Theodor. Mopsuef. Collat. 4. Concil. 4. Constantinopol.

mittat. Omnes Rabbinorum expositiones patum adhuc prolecerunt; & quamvis summa hodie obtineat in Religione & Interpretatione Scripturarum licentia, nemo tamen hucusque Rabbinorum opinionem defendendam aliqua animi contentione suscepit. Nimis enim distorta est, & à communi sensu aliena.

Sed absurda contrariæ sententiæ & implexa demonstrasse non satis ducimus: ipsa tandem Hebraici Textus lectio novitatis revincenda est; ex quo facilè de falsitate ipsius argumentum capietur. Si enim altera sit nostra ætate Textus lectio, quàm quæ olim in Codicibus extaret, mendosa sine controversia habenda est. Certam quidem hujus corruptionis epocham statui vix posse credimus, quanquam recentiùs invecta nullo negotio demonstretur. Scitum est, Septuaginta legisse *Caaru*, foderunt non *Caari*, velut leo. Aquila, Judæus licèt pervicacissimus, qui Versionem suam, ut invidiam crearet in Christianos, adornavit, eandem lectionem servans, pro eo quòd sensum extenuaret, confirmavit potiùs, vertens: *Deturpaverunt* (i.e. dilaceraverunt) *manus meas, & pedes meos*. Symmachus, Theodotion, & cæteræ antiquæ Versiones satis ad Septuaginta accedebant; nihil enim variasse ea in re à Patribus unquam observatum scimus. S. Justini Martyris ætate, nempe secundo Ecclesiæ sæculo, Textus & Versiones satis conveniebant: cùm idem Pater Tryphoni Judæo opponens sententiam illam (1), *Foderunt manus meas*, & *pedes meos*, nihil Judæis exprobret, quanquam alioqui falsitatis in aliis pluribus arguit. Paria observare licet in Patribus sequentis ætatis (2), apud quos ne vestigium quidem discrepantiæ in lectione Textus occurrit. Sed summo semper consensu verba illa contra Judæos usurparunt, numquam interim imponi sibi Judæis querentibus, numquam Controversiarum Scriptoribus dubitationis aliquid de sinceritate hujus lectionis innuentibus.

Origenes, & S. Hieronymus, in Hebræo æquè ac lectione Librorum Judaicorum versatissimi, impostaram tandem nossent ac detexissent; pluribus lectionem Septuaginta, & Vulgatæ ab Ecclesia receptam confirmaturi, siquid discrepantiæ inter eorum Exemplaria & Hebræorum animadvertissent. Idem S. Hieronymus, qui literas Judaicas sub Hebræo præceptore didicit, & Psalterium ad fidem Originalis Textus exactè adeò expressit, ut ad judicium Judæorum provocare non dubitet (3), expressiùs etiam quàm Septuaginta, legit: *Fixerunt manus meas & pedes meos*.

Paraphrastes Chaldæus (4) in Editione Complutensi sive Philippi II. legit tantùm: *Momorderunt pedes meos, & manus meas* (5); sed in aliis Editionibus (6) additur nomen leonis: *Momorderunt, veluti leo, manus meas*. Hanc paraphrasim adornasse creditur Josephus cæcus, qui sæculo quarto in Academia *Sora* in Transeuphrathæa clarebat. S. Hieronymi silentium falsitatis suspicionem movet in illud: *Sicut leo*, quod in Exemplari editionis Anglicanæ legitur. Nihil enim tale S. Doctor legit in Hebræo; neque pariter legunt in Chaldæo Psalmorum Editiones Complutensis, & Antuerpiensis. Quæ sanè necessitas, ut duæ simul lectiones in eadem paraphrasi jungerentur, verterenturque? *Momorderunt, veluti leones, pedes meos & manus meas?* Satis erat juxta Editionem Complutensem legisse: *Momorderunt pedes meos & manus meas*; sive juxta RR. recentiores, duobus simul versiculus junctis: *Concilium*

A *malignantium circumdedit pedes meos, & manus*. Nec desunt Judaicæ libertatis in recensendis suis Paraphrasibus exempla, quibus etiam imputandam hanc corruptionem non immeritò suspicamur. Quod ad vetustatem hujus Paraphrasis earumque Authores spectat, res est non inexplorata tantùm, sed & viris doctissimis persuasum, ignotam esse hujus generis Operum ætatem, ac multò recentiora quàm à Judæis jactentur, habenda.

Rabbini qui Massoræ allaborarunt, varietatem lectionis in eo Textu, ipso fatente Jacob Ben-chaim (7) agnoverunt. Eorum ætate, nempè sæculo 10. vel 11. legebatur in Textu *Caaru*, & ad oram quorundam Exemplarium *Caari*. (8). Ex ora deinde in Textum, vox illa, utpote quæ Judæorum præjudiciis maximè faveret, irrepsit, quam proinde RR. Kimchi, Salomon Jarchi, Abenezra, aliique Scriptores sæculi posterioris probandam, ac alteri, nempe *Caaru*, præfe-
B rendam censuerunt. Noscunt tamen Kimchi, & Ezra varietatem *Caari*, & *Caaru* in vetustissimis Hebræorum Codicibus; & diù post R. Joannes Isaac, adversùs Lindanum scribens, lib. 2. fatetur: *Idem ego ipsa veritate & conscientia bona testari possum, quòd hujusmodi Psalterium apud Avum meum viderim, ubi in Textu scriptum erat Karu, & in margine Kari*. Buxtorfius *Vindic. lib. 2. cap.* 8. Capito *Institut. Hebr. lib.* 1. *cap.* 13. & Galatinus *de Arcan. Cath. verit. lib.* 8. *cap.* 17. testantur, legisse se Hebraica Mss. quæ sive in Textu, sive in ora codicis vocem *Caaru* præferebant. Andrada in Defensione Concilii Tridentini lib. 4. paria se exemplaria vidisse testatur; si-
C cut & alterum non dissimile versatum sibi in manibus tradit Gerardus Veltuick apud Genebrardum in Ps. 21. 18. in quo *Caaru* legebatur. P. Martianæus *Contra D. Simon. p.* 159. *Gallicè*, candem lectionem offendit in Codice 626. Colbertino. In eo Exemplari primum scriptum legebatur *Caari*; sed ipse Amanuensis scriptum suum correxit, virgula Jod longiùs producta. D. Simon in eam Ms. correctionem insurgens, Christiani alicujus fraude inductam contendit. Cùm verò P. Martianæus Ms. illud judicio duorum peritissimorum Judæorum permisisset, fassi sunt Judæi, correctionem illam Hebræi Amanuensis opus, quemadmodum reliquum ejusdem vocis habendum, qua de re authenticum testimonium exhibuerunt.
D Porrò Ms. illud in usum Judæorum à Judæo Scriptore sæculi decimi tertii adornatum est.

Cum vetera Hebræa Mss. ante Massoram rarissima sint, Judæis parùm vetustati Codicum studentibus; hinc rara admodùm nostra ætate suppetunt veterem genuinamque lectionem servantia: id præstantibus summa cura Judæis, ut Codices suos ad Exemplaria Massoretarum, quæ correctissima habentur, emendent. Cùm Cardinalis Ximenius imprimenda Polyglotta Complutensia omnium prima curavit, genuinam lectionem *Caaru*, *foderunt*, restituit. Bombergius clarissimus Venetus Typographus idem sibi præstandum censuit in Libris Hebraicis, quos imprimendos susceperat. Volentem prohibuit Judæus, speciminibus corrigen-
E dis destinatus; minitatus, si in incæpto persisteret, id commissurum se, ut nemo Judæorum Exemplaria sibi emeret. Hanc historiam ex Drusio sæpiùs audisse se Amana testatur (9).

Versiones Orientales vetustissimæ cum Græcis Latinisque conveniunt. Utramque lectionem conjungere Chaldæum suprà animadvertimus. Versio Syriaca vetustissima, & Apostolorum, uti quidem

(1) Justin. Dialogo cum Tryphon. pag. 325. 332. & Apolog. 2. p. 77. (2) Vide Tertullian. Cyprian. Athanas. Chrysost. Apollinar. alios passim, ubi scribunt contra Judæos. (3) Hieron. Epist. ad Sophron. in capite Psalterii. (4) Chald. in Polyglot. Antuerp. אכתי אירי ורגלי (5) Ganz Tzemach. David. ad 113. sive 353.

(6) Chald. in aliis Exemplar. נכתין כארייא אירי ורגלי

(7) Rab. Benchaim. במקצת ספרים מדויקים מצאתי בכתוב כארו וקרי כארי

(8) Massora Marginal. & in Massora textuali in Num. 24. 9. (9) Amana Biblici Antibarbat lib. 3.

creditur, ætatis, habet: *Foderunt pedes meos & manus meas*. Præterea Arabicas, & Æthiopicas, utpotè è Septuaginta expressas, & nihil ab illis discrepantes. Tertullianus legebat (1): *Exterminaverunt manus meas & pedes meos*. S. Cyprianus lib. 2. Testimon. *Effoderunt*. Ex quibus omnibus, illud nobis statuendum, 1. Lectionem quam servant Septuaginta, & Vulgata, *Foderunt pedes meos, & manus meas*, veterem esse & genuinam Textus Hebraici. 2. Alteram lectionem *Cari*, *quasi leo*, post Massoretas, nempe post sæculum undecimum, præferri cœpisse. 3. Nequidquam in contrarium molientibus Rabbinis, vestigia quædam *Caaru* postremo sæculo mansisse. 4. Tandem fraude & iniquitate Judæorum factum est, ut lectio *Cari*, quæ casu aliquo in Textum irrepsisse potuit, confirmaretur probareturque, genuina altera *Caaru* abolita penitùs & abjecta.

Hæc, solidissimis licèt asserta rationibus, opinio strenuos habet impugnatores, non ex Judæis tantùm, sed quod maximè mireris, etiam ex Christianis; quorum alii Hæbreorum lectionem & interpretationem pronis manibus excipiunt; alii inter nos & Judæos medii conciliare utramque sententiam nituntur; alii tandem in ipsa Massoretarum lectione se invenisse & Christianorum interpretationem & lectionem Septuaginta, ac Vulgatæ sibi blandiuntur.

Inter fautores Judæorum primas tenet Leusdenus (2) lectionem *Caari*, quam omnia vel fermè omnia Hæbreorum Exemplaria præseferunt, genuinam defendens, demonstransque nihil absurdi continere lectionem illam Rabbinorum: *Concilium malignantium circumdedit me; quasi leo, pedes meos, & manus meas*. Immania illa, quæ in Hebræos excutiuntur, virum, omni dispendio paratum defendere Rabbinicam lectionem, non terrent. Nihil in eo Authore desideramus, nisi dociliorem mentem saniorem que. Neque iterum hic repetenda, quæ in expositiones Rabbinicas supra congessimus; & æquissimo animo patimur reprobari nostram sententiam ab iis, quibus talia probantur.

Chaldæus vertens, *Momorderunt quasi leo pedes meos, & manus meas*, in aliam opinionem Scriptores quosdam induxit (3); viros alioqui Hebræi sermonis non imperitos, gnarosque vocem *Caari* simplicem quidem videri, re tamen compositam esse, & ex pluribus aliis constantem. In *Cari*, deprehendunt illi *Caru*, & *Cari*: *Foderunt quasi leo pedes meos, & manus meas*. Verùm desideranda essent exempla, quibus de insueta illa geminæ vocis compositione doceremur. Quæ, rogo, necessitas remedium illud suadet? An fortè conciliare nobiscum sperant Judæos, ut tandem vaticinium Jesu Christi cruci suffixi agnoscant? Nonne causam eos vicisse laterentur, semel abdicata lectione, quam Ecclesiæ Græcæ pariter, & Latinæ, tum & sæculorum omnium interpretatio, ac tandem vaticinium in Jesu Christo ad literam impletum consecrarunt?

Augustinus Pfeifferius Dissert. de voce Kari, alteram solvendæ difficultatis rationem proponit, magis illam Textui & syntaxi Hebraicæ conformem.

A Habet igitur persuasum, *Cari* positum esse loco *Carim*, *fodientes*. Nec sanè novum est, ut in constructione aliquando *M* finalis elidatur: ita pro *anasibim* scribitur *anasibei*. Laudat ille in suam sententiam Geinerum, Pocokium, Altingium, aliosque nonnullos; quam si Judæi pariter probare voluerint, quod inter nos illosque discriminet nihil erit. Nos tamen nihil adversùs Judæos proficiemus, ex quo ultrò illis vox *Cari* deferatur; quin & nostra ea confessione præclarè secum agi putabunt, rationes nostras & interpretationes deridentes. Est itaque vetus lectio *Caru* retinenda; corruptusque ab illis Textus demonstrandus; neque committendum, ut temperamento ullo aliquid detulisse adversariis videamur.

B Profectò in rebus Religionis mediam viam tenere non tutum est consilium, sæpiùsque contingit, ut neutri parti satisfiat. Judæi legendum volunt *Caari*, negant autem vertendum *fodientes*, nec à nomine ipso abhorrent, sed à significatione. Christiani tota animi contentione defendunt, prophetiam de supplicio Jesu Christi eo loci contineri; neque satis in tuto sententiam hanc suam opinantur, nisi simul demonstraverint, veterem probatamque Textus originalis lectionem eam fuisse, quam hodie Textus Latinus & Græcus retinent.

Animadvertisse juvat, Authores, quorum modò propositas sententias refutavimus, è Protestan-

C tium numero esse, veteribus præjudiciis defendendæ Textus Hebraici integritati addictos. Sed illorum in ea re dogma, & quam defendunt Textus integritatem, sicut & eorum interpretationem, tum validè fallitatis revincant rationes, tùm plurima congesta corruptionum in Textu Hebraico exempla. Communis est ea quidem Christianorum omnium cujuscumque communionis causa, ut integritatem Textus originalis defendant, sed ab omni immunem mendo demonstrare nemo cogitur. Plura enim irrepsisse vel ipsa lectione constat; plura etiam ope veterum Græcorum & La-

D tinorum Interpretum deprehenduntur, quæ methodus est Capelli. His autem & nos mendosam esse lectionem *Caari* pro *Caru* demonstravimus.

Neque de industria corruptum à Judæis Textum Originalem ego quidem credendum (4). Nihil frequentiùs occurrit in Hebræo, quàm ut *Jod* pro *Vau* irrepat; quemadmodum sexcentis Scripturæ exemplis, demonstratur (5). Vix autem excusandam credimus eorum pervicaciam, dum lectionem planè mendosam defendendam suscipiunt, apertissima altera & prona rejecta; quòd hæc præ illa veritati de supplicio Jesu Christi testimonium

E ferre deprehendatur. Ex quo verò Authores Massoræ veteres RR. legisse *Caru* profitentur; cur, rogo, veterem hanc lectionem sive in Textu, sive in margine non retinuerunt? Quod verò ad Christianos attinet, potuissene illos sinè prævaricationis nota credimus tam apertum assertumque in priscis Versionibus oraculum deserere, ut novam lectionem sequantur, ab adversariis Jesu Christi productam, quorum semper fides suspiciosa fuit; cùm res est de Textibus, & interpretationibus nostræ Religionis veritati faventibus?

DIS-

(1) Tertull. contra Judæos cap. 1. & 10. & 13. Quasi ab Ἐξώρυξαν Tamen cap. 10. ejusdem. Libri legit: *Foderunt manus meas & pedes meos; quæ propria est atrocitas Crucis*.

(2) Leusden. Philolog. Hebr. Dissert. 7. Edit. secundæ.

[3] Arias Montan. apud Rivet. Avenarii Lexicon. Helvic. Vindic. Locor. V. T. Nicol. Petreus Lexic. Hebraic. Vasmuth. &c.

[4] Vide Genebrar. in hunc locum, & Boc. de Animalibus Sacr. par. 2. l. 3. cap. 6.

[5] Vide Glassium Philol. l. 1. Tract. 1. Avenar. Grammat. l. 3. p. 583. Marin. Brixi. Arca Noe fol. 552.

DISSERTATIO
DE EXCANTATIS SERPENTIBUS
ad Psal. 57. 5.

SOlemne est Scriptoribus Sacris, quamquam alioqui Divino, supernaturali, & infallibili lumine illustratis, ut vulgarem loquendi rationem aliquando sectentur, admissis præjudiciis, atque popularibus erroribus, quò se ad captum & indolem vulgi accommodent. Hinc legimus non raro in Scriptura amorem, odium, iram Dei, ejusque oculos, manus, & pedes; legimus tributas animalibus brutis laudes prudentiæ, intelligentiæ, & grati animi; legimus Cælos, Astra, Solem, Lunam, Stellas veluti sub signis ad nutum Domini stare, ejus jussionibus obsequi, dicto esse audientes, voluntatem ejus venerari, laudes promulgare. Audire Deus legitur voces pulli corvorum ad ipsum clamantis *Psal.* 146. 9. columbæ simplicitas, & anguis prudentia promitur in exemplum *Matth.* 10. 16. Deus fœdus inire dicitur cum Noe ejusque filiis, & brutis omnibus animantibus *Genes.* 9. 9. 10. Quatuor esse super terram scribit Salomon in Prov. 30. 28. quæ minima licèt, sapientia tamen vel ipsos sapientes viros superant; nempe formica, mus quidam amplior nomine schaphan, locusta, & lacerta. In Ps. 57. 5. monemur, furorem impii esse ad similitudinem serpentis, *& sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter*. Hunc igitur Textum modò illustrandum suscipimus, revocantes in examen, 1. an serpentes aliqui surditate laborent; 2. an aures aliquando obstruant, ne excantantium vocem auscultent.

Illud certissimum constituimus, angues, non secus ac cætera bruta omnia, ratione prorsus & intelligentia destitui, ut eorum omnis calliditas ad instinctum & machinam quandam cæca prorsus ratione agentem referatur. Agnoscimus tandem in Magis & Dæmonibus vim certis tantùm limitibus terminatam, & Divinæ voluntati per omnia subjectam. Quæ sanè omnia adeò explorata sunt & aperta, ut eorum examine resecato, ad ea quæ majoris indaginis videntur, Dissertationem hanc nostram cogamus.

Textus Hebraicus hujus loci habet ad literam: *Venenum eorum* (1) sivè furor, *venenum est serpentis*, velut *aspidis surdæ*; sive juxta alios (2): *Basilisci surdi, obdurantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantis, & venefici incantantis sapienter*; ad literam: *Vocem obmurmurantium*, & veluti sibilantis *& cogentis, qui serpentes cogit*. Chaldæus habet: *Venenum eorum venenum serpentis aspidis surdæ, quæ non exaudiet vocem & verba venefici alligantis serpentes*; qui nempe stuporem illis inducit ne mordeant. Septuaginta habent (3): Furor illis veluti aspidis surdæ, obdurantis aures suas, quæ non exaudiat vocem incantantium.

In eo Textu duo animadvertenda, 1. *mussita-*
A *tio* incantantis; 2. Medicamen quo serpens demulcetur. Sed de magica hac offa nihil in Textu Hebraico. Juvat tamen singula adnotasse, ut variæ incantandi serpentis artes apud Veteres usitatæ intelligantur, de quibus etiam infra.

Primùm igitur in examen revocandum est, quid pro surditate serpentis aspidis, obdurantis aures suas designetur. An surditas illa natura indita sit, vel artificio obturatis arte quadam auribus, quomodo de sociis Ulyssis narrat Homerus Odyss. 12., cùm nempe clarissimus ille Heros aures illorum cera obstruxit, ne Sirenum mu-
B sica caperentur; sive quomodo apud Sacerdotes Idolorum receptum erat, ut aures suas thure occuparent, ne in carminum sacrorum recitatione ex sublato circum rumore distraherentur (4). Quidam ex Rabbinis docent (5), vetulam aspidem surditatem una aure contrahere; alteram verò terræ opponere, ne quid unquam de Venefici excantatione audire contingat, eaque demum arte Veneficum eludere. Volunt autem Hebræum *Peten*, quod ibidem legitur, designare vetulam aspidem & alterutra aure surdam. Opinantur alii,
C hebetem esse aurium sensum in aspide; ex quo, inquiunt, surda jure meritoque appellatur (6). Nec frustra illi; cùm genus anguis quoddam memoretur surdi quidem, sed inter aspides perniciosissimi. Verùm si naturali surditate laborat aspis, de qua in Scriptura, quòd aures ad Venefici carmina occluderet nihil erat. Ex peritissimorum etiam Scriptorum de rebus naturalibus testimonio (7) scimus, aspidum genus acerrimo, sicut & cæteri ferè omnes angues, aurium sensu præstare.

Patres & sanior Interpretum pars Textum hunc
D prono & obvio sensu exposuerunt. S. Augustinus, Cassiodorus, Beda, S. Isidorus, aliique plures in ea fuerunt persuasione, aspidem vix ad primum Magicorum carminum sese è latebris evocantium susurrum, alteram aurem terræ applicare, alteram verò caudæ summitate occludere, donec evocatio absolvatur. Patres Græci, uti Eusebius, S. Athanasius, Theodoretus, callida quadam arte surditatem sibi inducere serpentem credunt; sed quam potissimùm non explicant. Bochartus, qui omnes consuetæ eruditionis suæ nervos in hoc argumentum intendit, demonstrat notos fuisse
E apud Veteres angues, qui venefici artem omnem eluderent. Cujus rei duplicem causam potissimùm statuit; 1. cùm Anguis horrenti quodam sibilo elato Incantantis vocem vel superat, vel saltem æquat; seu potiùs serpens sibilatione vel murmure suo evocanti Mago & respondet, & illum rudi quadam imitatione æmulatur, quod à Latinis verbo *recanere* exprimitur (8). Illud equidem animadvertendum, in Hebræo Scripturæ positam esse vocem, quæ murmur & sibilationem designat, cùm de Venefico evocante agitur. 2. Cùm ser-
pens

(1) חמת למו כדמות חמת נחש כמו פתן חרש יאטם אזנו אשר לא ישמע לקול מלחשים חובר חברים מחכם

(2) Syr. Hieron.

(3) August. *Vocem incantantium, & medicamenti medicati à Sapiente*. Edit. Complut. *Vox Incantatoris & stuporem inducentis, & qui à sapiente excantatur*.

(4) Cassiod. in Psal. 57. 4. *Obturare à Sacerdotibus tractum est, qui aures suas thure replebant, ne peregrinis verbis intercedentibus confusa carminum memoria turbaretur*.

(5) R. Salomon. & Kabuenaki.

(6) Bustamant. lib. 3. cap. 2. descript. animal.

(7) Vide Nicandr. Theriac. v. 162. Plin. lib. 8. cap. 23. Mercurial. apud Bochart. de Animal. Sacr. p. 2. lib. 3. cap. 6. (8) Plin. lib. 28. cap. 30. *Non pauci credunt ipsas recanere*.

pens naturali surditate laborat, sive veneni sui malignitate vim Magicorum carminum superat. Sermo est apud Veteres de anguibus frustrà ab Incantatoribus tentandis (1); & apud Arabes, angues surdi genus sunt serpentum (2), quorum venenum insanabile, præsentissimum & lethale; quique vim omnem magici carminis ita eludunt, veluti si occupatas haberent aures. Eo posteriori sensu Kimchi Textum hunc interpretatur, quemadmodum vulgari sermone usurpari solet, impios aures obducere clamoribus pauperum, & æquum aliquem Judicem supplicum vocibus obsurdescere; qua phrasi id innuimus, alterum nulla miseratione tangi, alterum nulla arte labefactari, quin judicii æquitatem tueatur.

Antequam mentem nostram prodamus, sedulo examini rem illam subjiciendam & altiùs repetendam censemus. Extra omnem dubitationem positum est, plures fuisse apud Hebræos incantandi serpentes artes. Interdum adeò demulcebantur, ut mordere ampliùs non possent; sæpè etiam vulnus ipsum à serpente factum magicis carminibus tractabatur: *Mittam vobis serpentes regulos* (Hebr. perniciosos) *quibus non est incantatio*, ait Jerem. 8. 17. & Eccle. 10. 11. *Si mordeat serpens absque Incantatione* (Vulg. in silentio). Hebræum gemini hujus Textus exponi potest seu de veneficio in angues parato, sive de magico medicamine, tractandis vulneribus ab angue inflictis. Apertissimè Jobus excantationum anguiferarum, & anguium vi magicorum carminum necem expressit, cum de Leviathan (Crocodilum intelligimus) agens, ait: 40. 25 *Concident eum amici?* (Hebr. *Disrumpet Veneficus?*) Author Ecclesiastici 12. 13. *Quis miserabitur incantatori à serpente percusso?* Eandem rem non obscurè Psalmista in eo, quem tractamus, Textu designat.

Duplex hæc ratio incantandi serpentes, & vulnera ab illis inflicta, tota antiquitate omnibus fermè populis notissima fuit. Vi carminum Medeæ monstrum illud velleris aurei custodem alligatum fuisse tradit Apollonius Argonaut. lib. 4. Fabellas excantatorum anguium, tum & excantandi rationes plures accumulat Lucanus lib. 9. Interdum sola carminum obmurmuratione res agebatur. *Lucan. lib. 9. vers. 913.*

Primùm quas valli spatium comprendit arenas,
Expurgat cantu verbisque fugantibus angues.

Interdum depulisse angues sat erat; sæpè pariter exterminabantur. *Virgil Eclog.* 8.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et Ovidius Metam. l. 7 v. 203 de Medea.

Vipereas rumpo verbis & carmine fauces.

Solebant etiam vi carminum hebetari vel cicurari angues, ut vel manibus tractari potuissent. *Virg. Æneid 7.*

Spargere qui somnos cantuque manuque solebat.

Et Silius Italicus lib. 1.

.... *Tactuque graves sopire chelydros.*

Magorum sui temporis meminit Origenes Hom. 20. in Josue, qui serpentes è latebris evocatos securi tractabant. Paria narrat Eusebius in Ps. 53. de Palæstina, & finitimis regionibus: *Sunt*, inquit ille, *magica quædam carmina, quæ si quis in reptilia venenata obmurmuravit, tanto illa cogit algere rigore, ut interdum ad mortem etiam inducat.*

Erant, qui verbis suffumigia & medicamina, magica quadam arte & cæremoniis parata, lapides & metalli laminas sub certa quadam constellatione ductas, talismanicas, & superstitiosas alias figuras adderent. His se amuletis vel præsidiis

A in tuto credebant Urbes quædam & loca ab anguium, scorpionum, & venenatæ cujusque belluæ infestatione. Emesam, uti quidem ferunt, securam reddebat à serpentibus & scorpionibus talismannica quædam figura, ut aliunde etiam ad eam Urbem sive juxta mœnia comportata, illa statim interirent (3).

Incantandi serpentes usus adeò frequens olim obtinebat, ut gentes etiam aliquæ secretum illud possidere se gloriarentur. Incantabant belluas, evocabant è latebris, vulnera ab illis inducta sugebant; tractabant insuper angues, enecabant pariter, securi semper, & nihil sibi ab eorum veneno timentes: *Nam & putantur intelligere & audire serpentes verba Marsorum*, ait S. Augustinus
B de Gen. ad lit. l. 11. c. 28. *ut eis incantantibus prosiliant plerumque de latebris*. Id verò idem S. Doctor operationi mali Spiritus tribuendum censet, cui Deus imperium in venenatas omnes belluas sed in angues maximè permiserit: veluti si, ait, insinuaret Deus (4), quam olim Dæmon in anguem exercuerat malo primæ mulieris authoritatem, eandem nunc retinuisse; ut illi quasi supplicio serpens addictus præ omnibus belluis incantatione vim sentire cogeretur.

Quamvis autem nostra ætate ab ea evocandi angues superstitione homines desueverint, non penitùs tamen cessarunt. Testatur Scaliger in lib. Animal. lib. 1 cap. 28. sect. 123. apud Bochart. vidisse se homines, qui magicorum carminum
C obmurmuratione serpentes accirent; & Pomponacius De Incant. cap. 4. pag. 52. viri cujusdam Mutinæ versantis meminit, angues tractantis, veluti gallinæ pullum anus quædam tractaret; sed cum forte semel virtutis suæ in immanem aliquem & virulentiorem anguem dare specimen vellet, subito morsu correptus diros inter cruciatus interiit. D. Bernier Itiner. Cachemiræ to. 4. pag. 162. Gallicè, testimonio discimus, in Regno Cachemiræ non deesse, qui artem illam excantandi belluas venenatas profiteantur. Serpentes vidisse se non raro profitetur Texeira (5) apud Indos, ipso aspectu & immanitate terribiles, qui incantatione cicurati impunè tractantur, heros suos, quà domi, quà foris, tanquam do-
D mesticum quoddam animal sequentes: canunt etiam ad tibiam edocti, variisque corporis & capitis agitationibus spectatores oblectant. Sunt qui crediderint, veneno omni serpentes illos destitui; sed contrarium experimento probatum est, namque percitæ interdum belluæ, omni magica incantatione superata, veneni sui tristia latè exhibent documenta.

Scriptor alius, qui novi Orbis regiones percucurrit (6), narrat, in Regno Peruano occasione cujusdam Festi juvenem spectatum, una manu jaculum tenentem, altera pendentem viperam prætulisse; cùm interim ipse magnificè paludatus, tutus hilarique vultu sederet, nihil ab anguis morsu offensus. Nepos Principis Budomel, authore
E & teste oculato Cadamusto Navigat. cap. 28. detinendi serpentes, ac in certo quodam loco intra lineam à se descriptam coercendi artem norat. Celeberrimi cujusdam Salisburgensis Magi meminit Del Rio Disquisit. Magic. lib. 2. quæst. 13. qui redigendi intra fossam angues omnes unius milliarii spatio circum palantes aggressus, re quidem magno numero coegit; sed virulentioris cujusdam serpentis morsu ictus, miserè eo vulnere interiit.

Veneficas artes sanguini sistendo, obducendis cica-

(1) Ælian. lib 1. cap. 54. Histor. Animal.
(2) Vide Boch. loc. cit.
(3) Geograph. Nub. clymatis 3. parte 5.
(4) August. Respons. ad qu. 55. qu. 44.
(5) Hist. Persicæ lib. 1. c. 19.
(6) De Orbe novo Spitill. in Collectaneis apud Bochart.

cicatricibus, & veneno atque morsibus serpentium A curandis, tota callebat Antiquitas. Recitavimus testimonia Jeremiæ 8. 17. & Ecclesiastici 10. 11. de morsu serpentum omnibus veneficorum artibus contumaci. Chironem Centaurum plures veneficio sanasse morbos refert Pindarus Pythic. Ode 4. Distorsionibus medendis opportuna quædam verba recitat Cato (1); & tabula illa, deductam ex Interis ab Orphæo conjugem Euridicem anguis morsu extinctam narrans, nihili aliud insinuat, quàm quòd excantato medicamine fœmina illa vi... i ope convaluerit (2). Nec alterum adversùs anguium morsus remedium, quàm incantationes, nosse Indos, Nearchus, qui Alexandrum Magnum in suis expeditionibus comitabatur, est B author. Eam artem qui apud illos profiterentur, per regiones discurrentes remedio suo venenatis ictibus mederi consueverant (3).

Psyllorum & Marsorum ars medendi arcendique & sugendo & laminarum amuletis, vulnera ac plagas, celebratur: *Adversùs ictus noxios, & venenatos colubrorum morsus remedia sæpè conquirimus, & protegimus nos laminis, Marsis & Psyllis vendentibus* (4). Cùm aspidis morsu spontè sibi Cleopatra necem molita fuisset, vulneri sugendo statim Psylli ab Augusto acciti (5); serò tamen, & frustra. Nec unum tantùm Marsi remedium in angues norant; parabant enim infandis artibus herbas & alia sexcenta, quibus vel angues ipsi obrigerent, vel eorum dentes hebetarentur; C quæ omnia è Circe fæmina veneficiis celebratissima retulisse, unde & genus repetebant suum, jactabant. Sil. Ital. lib. 8. ver. 497

.... *Marsica pubes*
Et bellare manu, & Chelydris cantare soporem
Vipereumque herbis hebetare & carmine dentem.

Porrò Psyllis insitum esse odorem quendam veneno excantando hebetandoque naturale semperque paratum amuletum Plinius l. 7. cap. 2. autumavit: *Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ut cujus odore sopirent eas.* Nec ab adultis tantùm, sed & infantibus insciis ferebatur gravis ille serpentibus odor (6), ut experimento capiendo, num editus puer genuinus esset Psyllorum, anguibus exponeretur: *Mos verò liberos genitos protinus objiciendi sævissimis earum, eoque genere pudicitiam conjugum experiendi* (7). D Cives urbis *Parium* medendi solo contactu viperarum ictibus periti sunt, apud Strabonem l. 13. Cùm autem, addit ille, excantationibus valeant plurimùm, ipsum in se liventem ægroti colorem, & ipsam vulnerum inflammationem transferunt.

Sed ingenuè fatendum, harum historiarum plerasque fidei esse sublestæ; reliquas verò non mali Spiritus operationi, sed naturalibus artibus deputandas. Quæ verò de Psyllis, & Marsis, tanquam insito quodam odore serpentes depellant, commenta sunt vanissima reputanda. Celsus vir E emunctæ naris, & medicis artibus excultissimus lib. 5. c. 27., nihil illis præter audaciam, & temeritatem tribuit, qua securi venarentur angues, & occiderent. Plagas verò venenatas exsugere tutò potest quisque; neque enim exceptum ore venenum, si statim exspuatur, nocet. Vulnera jam inde ab obsidione Trojæ sugendo curabantur (8); neque hodie remedium illud, nulla turpi arte paratum, deest; præsentissimum est autem medendo ictibus serpentis quacumque tandem temporis circumstantia illatis. Scitum est, optimum pro venenatis morsibus remedium esse, ut sanguis è vulnere trahatur, prohibeaturque, ne infectus jam veneno cruor cor totamque sanguinis massam corrumpat.

Soporandi autem, pellendi, evocandi, excantandi angues & cætera animantia, plures artes sunt naturales & minimè turpes; Musica & instrumentorum sonus mira in homines præstat, movet enim, agitat, compescit, serenat; irritat pariter, commovet passiones pro varia cantus ratione. Persuasum habent Arabes, greges suos plus sono instrumentorum, quàm herbarum pastu pinguescere (9). Capiendis quibusdam piscibus paludis Mœris in Ægypto instrumenta pulsabantur (10). Sylvestres equi in Africa eorumdem instrumentorum sonitu mulcebantur; feruntque (11), ova tunc melius excludi, cùm incubantem gallinam blando instrumentorum sono fovemus. Tibia canentes, apros cervosque alliciunt venatores (12): voce hominis cantantis cicuratur elephas, qui & instrumentis ludentibus saltare discit ad numerum (13). Nec anguibus mulcendis minùs valet harmonia (14); ut proinde feris illis deliniendis cicurandisque, si quis instrumentorum melodia utatur, ille nihil novum, nihil vanum præstiterit. Plures in Italia Matronas innoxios angues fovere tam notum est quàm quid aliud. Virorum gravissimorum asseveratione comperi, visos ab illis aliquando viros, qui serpentes evocarent velut aves ad sibilum, Anguem illi in ferrea quadam cavea clausum in medio agro constituunt, incensisque circum sarmentorum fasciculis, ignis calore offensa bellua sibilum inconditumque stridorem edere cogitur. Eo audito, accurrere serpentes omnes è viciniis, conjicere se in ignem, prompta ope succurrere laboranti colubro tentantes. Si quando igitur sibilum illum serpentis quispiam æmuletur, serpentes illæ velut aves ad sibilum evocabit. Ferunt etiam invitari serpentes audito tibiæ sonitu, ludentibusque mites blandosque adjacere.

Fidem ergo non superat, si evocatos è latebris serpentes omni amoto veneficio & factum olim, & nunc etiam fieri posse credamus. Præter vocem & sonitum instrumentorum, juvant in eam rem odores, suffumigia, & medicamina quædam arte parata. Semel enim comperto quid amare magis belluæ illæ videantur, statim captu faciles sub manum habebimus. Quoad sanitatem vulnerum anguiferorum, non imparata sunt naturæ remedia; norunt enim doctissimi Medici quid adversùs ictus quarumdam venenatarum belluarum instrumenta musica valeant; quibus nullum est etiam pharmacum præsentius phrenesi, melancoliæ & furori compescendo; quemadmodum exemplo Saulis docemur. Ischiadicum & coxendicum morbum musica curabat Ismenias Thebanus; eodemque pharmaco pestem depulsurus Thales Cretensis in Lacedæmoniam venerat. Quod probe noscentes Græci, cùm in obsidione Trojæ inopina lue

(1) Cato de re Rustic. cap. 160. *Luxum si quod est, hac cantione sanum fiet. Arundinem prende tibi viridem p. 4. aut 5. longam, mediam diffinde, & duo homines teneant, ad coxendices; incipe cantare in alio. S. F. motas veta Daries dardaries astararies dissunapiter usque dum coeant.*

(2) Vide Tzetz. Chiliad. 2. hist. 54.

(3) Nearch. apud Strabon. lib 15. (4) Arnob. lib. 2.

(5) Sueton. in August. cap. 17. *Etiam Psyllos admovit, qui venenum ac virus exsugerent, quòd periisse morsu aspidis putabatur.*

(6) Strab. lib. 17. pag. 560. Lucan. lib. 9. v. 894. *Ipse cruor tutus nullumque admittere virus, Vel cantu cessante, potest.*

(7) Plin. loc. citat. (8) Homer. Iliad. 4.

(9) Ælian. l. 7. c. 27. (10) Idem l. 6. c. 32.

(11) Pomponat. de Incantat. c. 6. pag. 92. (12) Ælian. l. 12. c. 46.

(13) Ælian. l. 2. c. 11. & l. 12. c. 44. (14) Plin. l. 8. c. 16.

sue affligerentur, dies integros pulsando lyram in honorem Apollinis traducebant (1). Quos stellio momorderit, illos sonitus instrumentorum juvat. Cùm enim lætos excitet spiritus musica, totumque insuetis motionibus agitet corpus, amplum evaporandis humoribus ostium aperitur, quibuscum simul veneni virus egeritur.

Quod suspicionem falsi in eam, quam jactitant, Magorum in angues virtutem confirmat, illud est, nimirum primùm perniciosæ huic arti nihil esse certi exploratique. Convenit inter omnes, quorumdam anguium virus excantationum malignitatem vincere; & iis pariter, in quos Magi aliquid possunt, sopor quidam ad tempus tantùm, non perpetuus inducitur. Adduximus supra exempla tragica Magorum, quos excantati serpentes vorarunt Alcim. l. 2. de Peccato origin.

Interdum perit incantans, si callida surdus
Adjuratoris contempsit carmina Serpens.

Tentet Incantator furentem anguem carminibus mulcere; frustra ille conabitur; sanguinis enim & spirituum major est agitatio, quàm ut momento compescatur. Dæmon, cujus virtute valere plurimum Magi creduntur, plura sanè non potest; sed causarum secundarum applicatione rem præstare coactus, segniori utitur instrumento, quàm ut in momento rem peragat. Excantatum serpentem fac provoces, statimque excusso sopore sibilantem furentemque, quemadmodum experientia in superioribus demonstratum est, exhorrebis.

Non abs re igitur suspicaremur, Authores Sacros, cum de excantatis anguibus sermonem inducentes, rem illam magicis carminibus tribuisse videntur, ad captum vulgi populariter loquutos fuisse; & cùm pariter Psalmista aspidis meminit, obturantis aures, ne murmur Incantantis audiat, nihil aliud insinuare voluisse, quàm ut vincere venefici malignitatem anguem illum designet. Excusationem ille Veneficorum prætendisse videtur, quippè qui impotentiam artis suæ & imperitiam excusaturi, cur minus incantationes valeant anguem ipsum effecisse, surdas carminibus aures præbentem, spargunt. Non tamen prorsùs negaverim, Magiam omnem & incantationes

A nec intercedere posse unquam, nec in angues veterum quorumdam opera intercessisse; sed rarius illud quàm pro opinione. Profectò plus nimio Diaboli virtuti tribuisse perniciosum est; sed in aliam extremitatem recidisse, ut scilicet omnia ad physicæ & naturæ leges explicentur, non minùs est exitiale. Suis terminatur limitibus Dæmonis potentia, nec quidquam nisi ad nutum Creatoris agere permissus est. Annuente Deo Magi Pharaonis virgas in angues transmutarunt; sed eo renuente nunquam Magorum colubri Mosaicum vorare potuerunt, à quo tamen illi vorati sunt Exod. 7. 11. 12.. Simili prodigio Magi illi aquas in sanguinem verterunt. Ibid. ver. 29. 21.. ebullire terram in ranas jusserunt Ibid. cap. 8. 3.
B 7.; sed in muscis producendis virtus illorum defecit Ibid. vers. 18., coactique tandem & inviti fassi sunt: *Digitus Dei est hic*. Ita planè Deus permittit interdum Dæmoni Magisque, ut angues excantent; simulque præscriptis eorum potestati limitibus, aliqua, quæ maximè vellent, rogantibus non indulget. Accidit etiam non rarò, ut justo Providentiæ consilio idem Magus ipsum perniciosæ artis exercitium exitiale sibi experiatur. Dæmon quippè, qui hominum exitio nunquam non studet, Magorum jussionibus contemptis credulos sæpè decipit, incautosque in foveam præcipitat.

Cæterùm facilè, quantùm assequor, intelligimus, omnia quæ in Scriptura de Magia & incantationibus referri possunt, nihil authoritatis exi-
C tiali illi arti vel Artificibus conciliare. Quod enim re malum est, nunquam licitum efficeretur. Porrò mala esse incantamenta & maleficia, quæ Deus expresso mandato & capitali pœna in Lege prohibuit Deut. 18. 11. quis neget? Nihil justitiæ & æquitati naturali Creatoris magis repugnat. Si res in Scripturis relata, & quodammodo etiam laudata satis daret ad malum agendum facultatis, liberum esset cuique Judicem illum in Scriptura memoratum imitari, qui nec Deum alioqui nec homines reveritus, importunitate tamen rogantium concessit, quod æquitati negaverat Luc. 18.; sive famulum illum infidelem, qui amicos sibi e facultatibus Domini sui concilians, prudentiæ à Domino laudatur Luc. 16. 2..

DISSERTATIO IN AUCTORES PSALMORUM.

Omnium Poeticarum Lucubrationum Collectionem, quam noverimus, vetustissimam esse Psalterium negaverit nemo. Ipsi horum Carminum Authores & carmina, multò carmina & Poetas tota vetustate celebratissimos superant. Vetustissimorum Græcorum carminum argumentum in Theologia quadam & Religione commentitia æquè & stulta, vel saltem in expeditionibus ad arbitrium confictis, aut in chimerica quadam virtute, insanis amoribus, agricultura, ludisque sola vanitate & levitate Græcorum celebratis versatur. Sunt, quas præscribunt, imperfectissimæ moralis regulæ, quibus vitia ipsa suorum Authorum plurimum derogant; super hæc, carmina quædam corruptissimorum Numinum laudes celebrant, quorum vitia flagitium quodcumque humanum superant. Eò potissimùm collimant carmina omnia Paganorum. Quales verò eorum Poetæ? gens interdum obscuris orta natalibus; in eo semper vitiosa, quod nobilissi-
A mum ingenium & calamum fœdis amoribus vitiisque insinuandis deturpaverint; quibus superstitioni cultus conciliabatur, quibus debitæ virtuti laudes crimini tribuerentur, veneri, ambitioni, audaciæ, impietati.

Nihil simile apud Hebræos, quorum Vates Divino Spiritu afflati viri, morum sanctitate, ingenii præstantia, corde puro, integra religione, spectata virtute, & sapientia, natalium etiam claritate commendabantur. Recensentur enim inter Poetas sacros Heroes, Reges, Principes. Quod verò carminum argumentum? Religio, Numen, opera Dei ejusque attributa, laudes, my-
B steria, Leges & moralis disciplinæ regulæ; historia populi Dei servitiis addicti, quam ferè totam Divina hæc Scripta complectuntur. Epinicia sunt relatæ victoriæ, & grati animi à Regibus, Ducibusque religiosissimis posita monumenta. Accedunt vaticinia adventus, Regni, rerum gestarum, mortis, & resurrectionis Jesu Christi hominum Servatoris. Moralis disciplinæ gravis puræque dogmata

(1) Homer. Iliad. 1.

mata sunt, solida pariter & sancta; omnia tandem ad religionem, pietatem, virtutem, sapientiam composita. Hæc Librorum sacrorum carmina; nec alios populum Dei decet Poetas.

Licet autem ad inquirendos singulorum Psalmorum Authores nulla utilitatis necessitate adigamur, quemadmodum Sancti Patres animadvertunt (1), cùm satis superque habeatur, omnia Divino Spiritui afflanti tribuenda: *Cum ejus*, ait S. Gregorius in Job cap. 1. n. 2. *rei Spiritum Sanctum authorem tenemus, quid Scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo percontamur?* non est tamen cur reprehendatur eorum studium, qui ad inquirendum de Authoribus Divino Spiritu afflatis operam suam contulerunt; quorum in ea re labor non ædificationi tantùm nostræ, sed & instructioni conferre plurimùm noscitur. Non enim Deus ad munus Propheticum homines vocat plerumque, nisi quorum vita morum disciplina est; nihilque cum illis intentatum relinquit, quò ad sanctitatis & perfectionis culmen deducat. Viam illis struit per mediam aquam & ignem, deprimit, extollit, vexat, quò magis magisque perficiantur; & in omnibus vitæ statibus viros illos exercens, exemplar omnium hominum conditioni & omni pariter vitæ statui proponit. Amanuensem quidem Epistolæ seu Scripti alicujus, quamvis eximii, cur sedulò quæramus nihil est; nihil pariter de calamo, quem potissimùm Scriptor adhibuit; sed qua occasione, qua de causa, qua temporis circumstantia, quis Author Divino Spiritu afflatus, quem sibi finem scribendo proposuit, intellexisse non modicè confert. Vix enim alioqui verus scripti Operis sensus penetraretur; & liber, quem his omnibus inexploratis legendum suscipimus, veluti liber habendus est sigillo obsignatus, qui literas ignoranti legendus traditur. David, vel quis alius Psalmorum Author, sibi potissimùm scribebat, & quos in se experiebatur, obsequii, amoris, fidei, charitatis erga Deum sensus promebat; ipse se instruit, suæ laborat ædificationi, & in laudibus Creatoris sui se ipsum exercet. Æquè tamen & nobis scribebat, ut ejus mentem nosse ad nos pariter spectet. Quì autem poterimus, dum Scriptorem ignoremus? Perinde ne habebitur seu Levita vel merus Propheta spectetur, qui coram Domino provolutus crimen suum profitetur, ac tantus Rex qui regio fastu abjecto, humilem criminis sui confessionem prosequitur?

In assignandis Psalmorum Authoribus varia est Patrum sententia; aliis uni Davidi omnes tribuentibus; aliis tribuendos negantibus. S. Chrysostomus in Ps. 50. S. Ambrosius Præf. in Ps. 1. S. Augustinus de Civit. lib. 17. cap. 14. Teodoretus Præf. in Pss. Cassiodorus Prolog. in Pss. Euthymius Præf. in Pss. Philastrius Hær. 79. priorem sententiam defendunt; posteriorem S. Hilarius Prolog. Pss. Pseudo-Athanasius in Synopsi, S. Hieronymus Ep. ad Sophron. & Ep. ad Cypr. aliique sexcenti. Utraque hæc opinio Scriptorum turba defenditur; modò singularum rationes expendendæ.

Quæ Davidem totius Psalterii Authorem defendit sententia, illud habet præ alia commodi, quòd nunquam in Novo Testamento ex Psalmis sententiæ laudentur, nisi sub Davidis nomine (2). Ita sanè locutos scimus Jesum Christum & Apostolum Petrum ad Judæos (3), ad carpendum si quid absonum audissent intentissimos. Nec prætereundum est, Apostolum Petrum sub Davidis nomine laudasse sententiam ex secundo Psalmo,

A qui sanè in originali Sancti Regis nomine non inscribitur. Recepta igitur tunc temporis opinio apud Judæos ferebat, totius Psalterii Authorem habendum esse inclytum hunc Vatem & Psaltem Israelis, quo duplici titulo ipse sibi placet 2. Reg. 22. 1: *Dicit David filius Isai, egregius Psaltes Israel: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.*

In solemni Templi Salomonici dedicatione, nullos alios hymnos norant Cantores quàm Davidis: *Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dominum .... Hymnos David canentes per manus suas* (4) Cum Ezechias Divinum in Templo Jerosolymitano cultum restituendum suscepisset, præcepit *Levitis, ut*
B *laudarent Dominum sermonibus David & Asaph Videntis* 2. Par. 29. 30. Porrò Asaph Princeps erat Cantorum sub Davide. Post captivitatem Babylonicam secundi Templi dedicatio laudibus Domini celebratur in Canticis Davidicis, & instrumentorum, quibus Rex ille usus fuerat, harmonia (5). Nehemias inito colligendorum sacrorum Librorum consilio, Psalmos David (6) cum scriptis Prophetarum & Literis Regum collegisse legitur. Davidis studium in constituendis Cantoribus sacrisque Canticis pangendis in usum Altaris Domini, commendat Eccli. 47. 10. *Stare fecit Cantores contra Altare, & in sono eorum dulces fecit modos.*

Perpetuus Ecclesiæ Ecclesiasticorum Authorum
C stilus Psalterium nomine *Psalmorum Davidis* designat, laudatque non semel cum Librum vel singulari *Prophetæ* nomine, vel Davidis (7). Id porrò vetusta adeò & uniformi consuetudine obtinens, non nisi ex recepta apud omnes persuasione repetendum est, quæ totius Psalterii Authorem Davidem tenet. Plus aliquid audet Philastrius Hæres. 79. cui Hæreticum audit, quicumque aliis Authoribus præterquàm uni Davidi Psalmos tribuerit. Theodoretus Præf. in Psalm. post relatam eorum sententiam, qui Core, Ethan, Asaph, aliosque Authores statuunt eorum Carminum, quæ illorum nominibus inscribuntur; post discussa insuper rationum in eam rem momenta, concludit tandem: *Vincat plurium*
D *sententia; plures enim Scriptores Davidis asserunt esse.* Idem nihilominus Theodoretus in Titulum Psalmi 72. eam opinionem non satis assertam habuisse designat; fatetur enim nihil certi definire se, sive quòd Asaph Author ejus Psalmi, sive quòd musicus tantùm credatur. S. Chrysostomus in Psal. 50. observat, Davidem in suis Psalmis non res tantùm à se gestas, non bonam tantùm malamque fortunam suam descripsisse, sed & vices expressisse Judæorum, qui à Nabuchodonosore in captivitatem deducti sunt; sicut &
E vitam, mortem, & resurrectionem Jesu Christi: *Nam*, ait, *omnes quidem Psalmi ab eo* (Davide) *dicti sunt; at non omnes de eo.* S. Ambrosius Præfat. in Psal. 1. *David principaliter ad hoc munus selectus est* (nempe Psalmos scribendi, *ut quod in aliis rarum præeminere aliquo opere videtur, in hoc juge & continuum refulgeret.* S. Augustinum utriusque sententiæ fautores in partes suas trahunt; namque in Annot. in Ps. 1. luculenter asserit: *Non omnes Psalmi à David editi sunt. David solus novem Psalmos ore proprio cecinit; reliquos autem ab illis quatuor Principibus* (Asaph) Eman, Idithum, Ethan) *juxta titulorum inscriptiones sunt dicti.* Verùm hæc è Textu Augustini verba; tanquam aliena manu intrusa, à peritissimis Criticis rejiciuntur. Desunt enim in omnibus

(1) Theodoret. Præfat. in Pss. (2) Matth. 22. 41. Luc. 20 41. Marc. 12. 36.
(3) Act. 2. 25. 35. Vide & Acta 4. 24. 25.
(4) 2. Par. 7. 6. Vide etiam 1. Par. 23. 5.
(5) 1. Esdr. 3. 10. 11. & 2. Esd. 12. 35. 38. (6) 2. Esdr. 2. 13.
(7) Cassiodor. Præf. in Psal. *Usus Ecclesiæ Catholicæ Spiritus S. inspiratione generaliter & immobiliter tenet, ut quicumque Psalmorum cantandus fuerit, Lector aliud prædicare non audeat, nisi Psalmos David.*

nibus Mss. & ipsi etiam S. Doctoris menti repugnant; quippe qui in lib. 17. cap. 14. de Civit. Dei post refutatam eorum opinionem, qui Davidi tantùm tribuendos eos Psalmos arbitrabantur ea inscriptione notatos, *Ipsius David*, suam promit sententiam in hæc verba: *Mihi credibilius videntur existimare, qui omnes illos centum & quinquaginta Psalmos ejus operi tribuunt*. Addit deinde, Davidem eo consilio sacra illa Carmina nomine Prophetarum sua etiam ætate recentiorum inscribi voluisse, quòd in eam rem hortatorem habuisset intimum, quo afflabatur, Spiritum, magna & hominibus ignota molientem. Revelavit Deus Sancto Regi Prophetas post longam ætatem futuros; quemadmodum olim suo Prophetæ nomen Josiæ aperuit, diu antequàm piùs ille Rex in mundum veniret 3. Reg. 13. 2. Cassiodorus Præfat. in Ps. c. 11. opinionum Augustini tenacissimus, ab ejus mente non recedens, alteri, quàm Davidi Psalmos tribuere piaculo dignam opinionem asserit. Tandem Euthymius Præfat. in Ps. sententiam eorum redarguit, qui Psalmum Moysi, iterumque alterum Salomoni, sicut & Asaph, Core, Eman, Ethan, juxta tituli inscriptionem tribuunt; omnium enim unum Davidem authorem habendum esse arbitratur. Gemina habent Cosmas Monachus to. 2. nov. Collect. Græc. PP. pag. 223. & Beda venerabilis.

S. Hieronymus in Præfat. in Ps. non obscurè eandem sententiam præfert: *Quamvis David omnes Psalmos cantasset; tamen omnes Psalmi in persona Christi pertinent*. Sed hujus Scripti authorem alterum esse à S. Doctore jam innuimus, & veram ejus mentem infra aperiemus. Josephum Historicum & Paraphrastem Jonathan cum omnibus priscis Judæis eandem sententiam defendere testatur Perez Comment. in Ps. quamvis, ait, Rabbini deserendam censuerint, ut se ab objectionibus Origenis, ex ipsis Psalterii testimoniis petitis, expedirent. Hæc si vera essent, Origenes ipse inter fautores contrariæ sententiæ haberetur; quod tamen in ejus Operum lectione luculenter non paret. Neque Josephus mentem suam satis exprimit; id solum testatus, Davidem pacatis rebus ad pangenda carmina & hymnos varii metri, alios nempe trimetros, alios pentametros, se totum convertisse. Extra controversiam positum est, Authores Talmud cæterosque Rabbinos non Davidi tantùm, sed aliis etiam pluribus Psalterium tribuere; quam hodie opinionem Hebræos tueri Genebrardus in Psal. 1. est author.

Opinionem tanto Scriptorum suffragio fultam, reiicendam tamen alii nec minori numero & authoritate suscipiunt, contendentes, non Davidi tantùm, sed aliis etiam Sacris Scriptoribus honorem scriptorum Psalmorum tribuendum. Quare si authoritate res agenda esset, ancipites versaremur; sed cùm Textus Scripturæ, Patrum testimonia, & Ecclesiæ traditio nihil in ea re satis certi habeant & constantis; ideo post sedulam discussionem, quæ magis probatur, sententiam tenere singulis permissum.

S. Hilarius Præfat. in Pss. & in Ps. 131. pag. 446. n. 2. Judaicam Psalterii divisionem in quinque Libros reiiciens, simul reprobat positam ab illis Psalterii inscriptionem: *Psalmi David*. Mallet enim inscribi Opus: *Liber Psalmorum*; totidemque illius Authores agnoscendos, quot nomina in fronte Psalmorum leguntur: *Unde absurdum est Psalmos David dicere vel nominare, cum ibi Authores eorum ipsis inscriptionum titulis commendantur*. S. Hieronymus in *Epistola ad Sophron.* 134. disertè scribit: *Psalmos eorum testamur Authorum, qui ponuntur in titulis* Et Ep. 139. ad Cypr. *Sciamus errare omnes, qui omnes Psalmos David arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inscripti sunt*.

Nec minùs cum ea sententia Græci Patres congruunt. Pseudo-Athanasius in Synopsi crisim instituens Psalterii, disertè asserit, Librum illum, quamvis Davidis nomen præseferentem, plures tamen Psalmos complecti aliorum opera scriptos; utì Asaph, Idithum, filiorum Core, Aggæi, Zachariæ, & Eman, quin & plurium Authorum simul, utì omnes *Alleluja* in titulo præferentes. Quod autem Operi titulum *Psalmi David* conciliavit, illud in causa fuisse credit, quòd nempe David omnium primus ejus generis carmina scribere aggressus sit; ordinem pariter, tempora, & munera aliorum quorundam Scriptorum, quorum nomina in iisdem titulis leguntur, digesserit. Eadem fermè legas Præfat in Ps. sub ejus nomine paucis ab hinc annis publici juris facta To. 2. Collect. Græc. PP. pag. 70. in qua opinionem eorum, qui Davidi totum Psalterium vindicant, reiiciendam Author arbitratur; tum & Psalmos, quorum in titulis nullius nomen præfertur, ad præcedentis Psalmi Authorem refert; ac tandem 72. tantùm Davidi tribuit.

Eusebius Cæsariensis (1) tam longè abest ut Psalterium universum Davidi tribuat, ut & Principem illum in medio afflatorum Divino Spiritu Vatum constituat, singulis suo ordine cantantibus, prout Spiritu Sancto animabantur. Canentem autem Vatem alios omnes tacitos & tantùm *Alleluja* respondentes auscultasse, ne David quidem excepto, testatur. Scriptos à Davide memorat tantùm 72. Psalmos, undecim à filiis Core, 12. ab Asaph, 2. à Salomone, unum à Moyse, sicut & alterum ab Ethan Jezraita. Supersunt 19. nullo inscripti titulo; 15. habentes in fronte *Alleluja*; 17. nullum Authoris peculiaris nomen præferentes. S. Isidorus Pelusiota lib. 4 Ep. 182. persuasum habet. Psalmorum Cantores illis pangendis operam non impendisse; sicut qui pangerent, à canendis abstinuisse; interdum tamen utrumq; munus ab uno eodemque præstitum. Cum igitur David carmina sua cantaret, inscripsisse credit: *Ode David*, cum verò tantùm scriberet, *Psalmus David*.

His Patrum authoritatibus accedit recentiorum Scriptorum turba; Rabbini ferè omnes & recentiorum Interpretum utriusque communionis plerique, inter Psalmos plures agnoscunt ætate sanctissimi Regis inferiores; nonnullos etiam Davide ipso vetustiores credunt, uti qui nomine Moysis, & Core inscribuntur. Nec sanè aliter suadent Psalmorum inscriptiones, & quæ in illis leguntur res gestæ, ac temporum notæ, quam quod illis Psalmis scribendis plures Authores ab ætate Davidis remotissimi operam suam contulerint. Idem etiam Scriptura insinuasse visa est, cum pari gradu quo Davidem, Asaph constituat. Legimus enim 2. Par. 29. 30. præcepisse Ezechiam Levitis, ut *laudarent Dominum sermonibus David & Asaph videntis sive Prophetæ*. Heman pariter & Idithum gradum tenent Prophetarum ejusdem Principis (2), non ideo tantum quod scriptos a Davide hymnos cantarent; sed ipsi pariter Divino Spiritu afflati canendos scriberent.

Salomon qui Scriptura teste ad 5000. Psalmos scripsit (3), cur unam vel alteram ingenii sui Lucubrationem in Collectione Psalmorum ad usum Templi destinata habere non potuisset? Nec abs re credimus, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, Esdram, Aggæum, Zachariam carminibus pangendis operam navasse, solandis instruendisque populis, muniendisque adversus utriusque fortunæ conatus, felices tristesque, pro variis temporum vicibus.

Daniel

(1) Euseb. Præfat. in Psal. pag. 7. 8. & Præfat. in inscript. Psal. p. 2. Vide & in Ps. 41. & 60. & 62.
(2) 2. Par. 35. (3) 3. Reg 4. 23.

Daniel & Ezechiel in ipsa captivitate scribere A aliquid potuerunt, quemadmodum Aggæus & Zacharias; ad quæ potissimum tempora spectare legimus plures Psalmos, quorum Authores ignorantur: neque enim fidem habendam credimus inscriptionibus Originali Hebræo præfixis. Psalmos nomina Adam, Melchisedech, Abraham, & Moysis præseferentes horum fœtus esse probandum Authoribus earum Inscriptionum relinquimus. Viderint Rabbini, eorumque clientes, qui decem Psalmorum Authores recensent (1), videlicet Adamum, Melchisedechum, Abrahamum, Moysem, filios Core, Davidem; Salomonem, Asaph, Idithum, Ethan. Filios Core ante Davidem constituunt, rati liberos esse è Core ipso genitos, quos Scriptura teste Divinum prodigium, hiscente ad devorandum ipsorum parentem B terra, servavit. Porro si eos Scriptores audias, Adam Psalmum 91. digessit, Melchisedech 109. Moyses 89. Salomon. 71.

Ut aliquid Authorum contrariæ sententiæ rationibus reponamus, illud asserendum est, vulgares illas denominationes, quibus familiari sermone totum Psalterium designari dicimus: *Psalmi David*; *David* sive *Propheta* ait; minoris esse authoritatis: familiare est enim scitumque, ut nomina ex potissima rerum parte deducantur. Nonne Epistolas Ciceronis appellamus, S. Augustini, S. Bernardi præstantium illorum Virorum collectiones, quamquam alioqui plures complectantur Epistolas, vel ab aliis ad illos scriptas, vel etiam ab illis prorsus alienas, sed argumento servientes? Ita pariter altera pars N. T. qua simul continentur Epistolæ S. Pauli, C aliorumque, *Apostolum* vel *Epistolas S. Pauli* nuncupamus. Possumus etiam authoritatem authoritate, usum usu revincere. Non desunt cum Veteribus quam plurimis (2) sanior Recentiorum pars, qui *Psalterium* solo eo nomine, vel saltem *Libri Psalmorum*, nulla facta Davidis mentione designent. *Psalterium* etiam, Davidis nomine suppresso pluries in N. T. laudatur (3). Ultro quidem fatemur majorem sacrorum Carminum partem, quorum Author innotuerit, ad Davidem spectare; sed omnes eidem Authori tribuendos nullo excepto, vix & ne vix quidem credimus.

Inducenda essent alioqui prodigia, quæ non nisi summa necessitate jubente admittere oportet. Plures etiam Psalmorum inscripiones sive D rejiciendæ, sive ad violentum & minus pronum seosum detorquendæ. Quis credat Davidem Prophetiæ Spiritu abreptum, non ad prædicandam tantum captivitatem Babylonicam se conferre, sed describendam pariter, & veluti in medio captivorum versandum, implorandamque a Deo veniam, quasi scilicet sceleribus suis illum in se turbinem provocasset; pingere etiam Babyloniorum crimina; de injusta eorum oppressione queri; rogare Dominum ut obstrictam olim Davidi fidem suam liberet; illius Principis genus Regno restituat; Israelem in suam regionem reducat; futuram decem Tribuum cum Juda conjunctionem prædicere; Levitarum querelas super eversione Templi, eorumque ad Babylonios, ad canenda carmina Sion invitantes, responsa E narrare? Quis scriptos à Davide Psalmos crederet, ut Domino gratularetur de recepto concessæ a Cyro libertatis nuncio; sicut & alios recreandis in itinere Israelitarum è captivitate redeuntium animis? Quis Davidem Authorem dixerit Carminis pro adventu Israelitarum in Palæstinam, dedicatione Secundi Templi, & reparatione ac dedicatione mœnium Jerusalem? Tanta ne facilè Lectorum animi capient? tanta mens æquo de rebus judicio ferendo assueta patietur? Nihil horum quidem impossibile, fateor; sed plura sunt, quæ fieri cum possint, vix tamen, ac ne vix quidem mentem ad credendum adducerent.

Rarum est enim & fermè inauditum, Deum Prophetis suis exigendam de populo suo ultionem revelasse, antequam populus ille criminibus implicaretur, quorum merito eam in se ultionem provocasset. Cum Isaias annunciandam Judæis captivitatem Babylonicam suscepit, cum eversionem Urbis & Templi prædiceret; cum tandem ad lætiora conversus post ultionem veniam sperandam, soluta captivitate per Liberatorem idest Cyrum a Domino excitandum, edicit, cæperat jam iniquitatis mysterium revelari; crimen, impietas, Idololatria Regum & populi Juda & Israel eo devenerant, ut insignem quandam ultionem a Domino extorquerent; implendæ malorum mensuræ nihil expectabatur reliqui. Scelera Roboami, Abiæ, Athaliæ, & Achaz Dominum in Regnum Juda animaverant. Nihil tale Davidis ætate; ipsum Salomonis lapsum & Israelis a Juda secessionem, quamvis alioqui sub ipsis Sancti Regis oculis complenda mala, ne nosse quidem prophetico lumine sat clarè videtur. Minari contentus Deus ultionem suam in posteros sancti Regis, quos dicto audientes non habuisset, nihil tamen expressum voluit, quo eorum futura prævaricatio designaretur. Alienum igitur a vero censemus, Davidem Psalmos ad captivitatem Babylonicam spectantes scripsisse, nedum eos qui ad solutæ ejus captivitatis tempora pertinent.

Sunt qui nomina Asaph, Core, Eman, Idithum &c. in inscriptionibus Psalmorum, Musicos quibus canendas lucubrationes suas traderet David, designasse crediderint; nec sanè vera illos suspicari quandoque ipse quidem negaverim. Sed hæc omnibus nominibus, quæ forte in titulis leguntur, quadrare minime concesserim. Profecto si inscriptionum nomina nunquam carminis Authorem designant, neque ipse S. Vates eorum Author habendus erit, quorum titulo adscribitur; æquè enim Davidis nomen legitur quemadmodum Asaph, & filiorum Core. Si quid Davidi præ illis faveret, illud esset, nimirum Sanctum Regem Divino Spiritu afflatum fuisse; sed afflatos æquè filios Core, cæterosque elogia *Videntis* & *Prophetæ* a Sacra Scriptura referentes, tum Scriptura ipsa, cum plurium Patrum authoritas ne dubitare quidem permittunt. Quoad nomina Aggæi, Zachariæ, Ezechielis, Jeremiæ, & Moysis, quæ in nonnullis inscriptionibus leguntur, alterius disquisitionis res est, in argumentis Psalmorum tractanda. De titulis eos tantum & non sine prævio examine probamus, quos Hebraica veritas servat retinetque.

Persuasum etiam tenemus, unius tituli indicium minus esse, quam ut judicium ex illo sive de Authore sive de Carminis argumento petatur; nisi fortè respondere titulo ipsæ Textus sententiæ deprehendantur. Plures leguntur Psalmi Davidis nomine inscripti, alterius tamen ab illo Authoris; & plures vicissim alterius vel saltem nullius nomen præferunt, Davidi tribuendi; ut semel admisso eo ordine chronologico, quem nos instituimus, 50. tantum ab eo Principe scripti admittantur, intra illud temporis spatium quod a mota per Saulem persecutione usque ad initum à Salomone Regnum intercedit; non exclusis pariter ab eo numero omnibus fermè Psalmis morales institutiones complexis, qui nulla temporis adscripta nota vagantur. Sancto Regi omnes assignamus, quos ejus ætate, & sub ejus Regno scriptos suspicamur, quamvis non incongruè reputari potue-

(1) Vide Rab. Salom. Lyran. Drus. quæst. Epist. 19.
(2) Origen. Hilar. Gregor. Nazian. Cyril. Jerosolym. Conc. Laodic. Epiph. Hieron. Innoc. I. Damasc. Niceph. &c.
(3) Act. 1. 2. Luc. 24. 44. Ephes. 3. 19. Coloss. 3. 16.

potuerit, Asaph, Eman, Idithum nonnullos pariter edidisse, vel ejus Regis laudibus celebrandis, vel in Epinicium relatæ ab illo de hostibus victoriæ, vel opi à Deo implorandæ.

Psalmi omnes, Asaph, Eman, aliorumque Cantorum, qui sub Davide celebrabantur, nomen præferentes, illis tamen Authoribus tribuere omnes vix possumus; nisi si fortè eorum vita usque post captivitatem producatur; cùm plerique sive ad tempus captivitatis, sive ad eam solutam pertineant. Compertum habemus plures fuisse in Juda Cantores nomine Asaph appellatos, cùm familiare apud Judęos fuisse, quemadmodum apud nos etiam obtinet, credamus, ut ejusdem familiæ plures posteri avorum illustre aliquod nomen perpetuarent. Contigit etiam aliquando, ut nomen illud in familiæ appellationem transiret; quemadmodum de Cęsaribus apud Imperatores constat. Facilè etiam nomen Asaph in titulo positum designat, qui potissimùm Cantorum ordo huic Psalmo canendo destinaretur; notus erat enim ordo Asaph inter Cantores, vel saltem eo titulo scriptum proditur carmen ab aliquo ex genere Asaph, qui illustre in familia sua nomen suæ lucubrationi adscripsit. Illud saltem sine controversia positum judico, plures Psalmos nomen illud præferentes, ætatis esse & ab Asaph, & inter se remotissimæ; neque etiam dubitare permittimur, à Davide usque ad novissimam Hebręorum & Templi eversionem per Romanos, ordinibus Levitarum veterum suorum Authorum nomina mansisse. Qua semel hypothesi constituta, posteris Asaph omnes eos Psalmos tribuendos censemus, Asaph nomen præferentes, qui ad 12. recensentur. Psalmus 77. victoriam canit relatam ab Asa in Regem Israel, sive in decem Tribus. Psal. 72. alteram à Josaphat in Ammonitas & Idumæos. Excidium exercitus Assyrii sub Sennacherib celebratur in Ps. 75. Cæteri verò Psalmi ad captivitatem Babylonicam pertinent. Tandem Psalmus 80. nullum temporis indicium pręfefert; sed facilè sive ante sive captivitatis tempori sive post eam solutam assignandus.

Legimus filiis Core Psalmos inscriptos, quos sanè ab ipsis Core liberis è paterno infortunio Divino prodigio servatis scriptos supra improbavimus. Qui ergo nomine illo designantur, Levitæ ejusdem Core posteri censendi sunt. Omnium primus eo nomine inscriptus occurrit Psalmus 44. ad nuptias Salomonis, utì quidem creditur, pertinens; alii captivitatis Babylonicæ ætatem referunt; nonnulli ut Pss. 45. & 46. & 47. & 86. usque post eandem captivitatem retrahendi. Singulares eorum indoles in solandis, molliendis animis, atque lætitiæ inspirandæ, quod maximè in hisce Psalmis apparet, spectabatur.

Psalmus 89. *Deus refugium factus es nobis*, alterum à Moyse, cujus nomen in titulo præfefert, Authorem flagitat; facilè, utì quidem cum peritissimis Interpretibus opinamur, aliquem ex ejus posteris ordinem Levitarum tenentibus, quorum erat canendorum Domino carminum munus. Novem ordine succedentes nullo Scriptoris nomine inscripti, ad eosdem filios Moysis facilè pertinent, & captivitatis ætatem produnt. Non abs re suspicamur Pss. 95. & 96. & 97. & 98. & 99. simul omnes ad dedicationem secundi Templi sub Zorobabele referendos. Psalmum 90. inter eos rejecimus, quorum nullum apparet ætatis vestigium; sed facilè cum captivitate sive post ipsam componeretur. Porrò scripti à Moysis posteris Psalmi elegantissimi & sublimes, Authoris produnt in res poeticas ingenium.

Idithum, cujus est nomen in fronte Pss. 38. & 51. & 76. clarus habetur in Libris Paralipomenon (1), & peritiæ suæ in canendo insignia exhibuit

A documenta sub Davide & Salomone. Ethan inter filios Merari appellatur 1. Par. 6. 44. Huic canendum dedisse Davidem scriptum à se Psalmum 31. credimus, cujus carminis argumentum versatur in valetudine à Deo imploranda, cùm gravi morbo, de quo tamen nihil in historiis, laboraret. Ps. 61. ad motam Absalomi in Davidem persequutionem spectat. In fronte Psalmi 76. duo nomina Asaph & Idithum leguntur, quamvis ex syntaxis Hebrææ constructione ad Asaph potiùs referendum censeam. Scriptus est captivitatis Babylonicæ tempore.

Ethan Ezraita vir sapientiæ laude sub Davide & Salomone inclytus (2), & primas inter Cantores Templi tenens, apparet in fronte Ps. 78. *Misericordias Domini in æternum &c.* quam-

B vis alioqui ad captivitatem Babylonicam pertineat. Quare ex ejus posteris aliquem carmen adornasse, ejusque nomine inscripsisse opus est. Aggæo, Zachariæ, Ezechieli & Jeremiæ tribuuntur Psalmi nonnulli in Græco & in Vulgata, qua de re vide quid in singulis eorum Psalmorum argumentis contulimus.

Duo nobis in examen revocanda supersunt: 1. An Psalmorum Authores immediati, an potiùs studio ante parata cantarent. 2. An Psalmi nullo titulo inscripti, quorum ętatis nullum superest vestigium, ad pręcedentium Psalmorum Authores & tempus referantur.

Ad primum quod spectat, Eusebius, & S. Athanasius in Psalmos imparatum Psalmos dictare sanctum Regem & immeditatum cantare autumarunt. Eusebius itaque e. g. Psalmum 56. *Mi-*

C *serere mei Deus, miserere mei*, è vestigio scriptum à Davide credit dum in caverna Odollam latitaret; sicut & in altera caverna Engaddi se continente alterum 141. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum*. Fatetur tamen, in novissimo hoc carmine pangendo nec lyram pulsare sanctum Regem, neque Psalmum ipsum cantare permissum, metu ne eo indicio à Saule proderetur. In eadem caverna Odollam suorum armis protectus alterum Psalmum 56. cantavit, postquam ex aula Achis sese subduxisset. Tradit idem Eusebius in Ps. 53. sanctum Regem nunquam in itineribus suis lyram, charum sibi instrumentum, non detulisse, unde in pangendis canendisque Dei sui laudibus afflicto sibi quæreret solatium. Et in Præfat. in

D Pss. tuetur, Davidem, veluti Prophetarum omnium Coryphæum, semper in Tabernaculo versari, lyram pulsantem, & carmina cum cæteris Prophetis & Cantoribus fundentem, audientemque, juxta quòd singulos Divinus Spiritus animaret.

S. Athanasius in Ps. 53. narrat Davidem, cùm Sauli se proditum à Civibus Ziph intelligeret, atque affulgente sibi Spiritus Sancti lumine evasurum se manus persequutoris haberet compertum, lyram pulsantem cecinisse è vestigio Psalmum: *Deus in nomine tuo salvum me fac*. Æqua Patres illi opinantur, in ea qua tenentur persuasione, Prophetas non nisi organa esse Spiritus Sancti; eosque semel divino œstro abreptos totos se illi permisisse, ut ore suo & voce ad arbitrium uteretur.

E Sed hæc ne ultro admittantur facit, 1. Psalmorum Davidis pleroſque sęvientis cujusdam mali occasione dictatos; & in ipso vestibulo Vatem terrorem suum prodere, tum malum illud veluti si oculis spectaret depingere; tandem Dei opem implorare, atque de impetrata à Deo liberatione lætari. Quod nos in plurium Psalmorum Præfatione sedulò animadvertimus (3). Scripta sunt igitur carmina in gratiarum actionem post subductam procellam, & veluti cùm in tuto res essent.

2. Spiritus Prophetiæ otium quærit, & mentem ab affe-

(1) 1. Par. 16. 41. 42. & 25. 1. 3. 6. (2) 3. Reg. 4. 31. & 1. Par. 6.
(3) Vide argum. Pss. 3. & 6. & 17. & 21. & 25.

affectuum tempestate tranquillam; vix enim cum indignatione, dolore, & timore consistit; quemadmodum exemplo Elisæi Prophetæ 4. Regum 3. 15. demonstratur. Acciri enim jussit instrumentis cantorem, ut agitatum spiritum sedaret, atque in tranquillum animus illabenti Spiritui Sancto excipiendo compararetur. Quæ cum ita sint, quomodo David tot malorum turbis agitatus, veluti si in tranquillitate & quiete versaretur, potuit carmina scribere sive cantare? Nonne magis congruè opinaremur, nonnisi post discussam procellam in otio & quiete carmina illa dictasse?

Tertiam aliam rationem addit D. Ferrandus Præfat. in Ps. c. 12. ex ipsa carminum indole petitam. Est enim illud metri genus, studium postulans & vacuam à curis mentem.

Carmina secessum scribentis & otia quærunt.

Divini Spiritus afflatus non ita semper mentibus hominum illabitur, ut studium omne & meditationem prævertat; neque enim destruendis hominum affectionibus atque naturalibus corporis habitudinibus, sed perficiendis, & in usum convertendis descendit. Ipse manum, ipse spiritum vatis deducens, artem ipsius suo operi servire cogit. Quædam ex sacris Carminibus acrostico artificio A concinnata sunt, quod studium flagitat & meditationem. Tandem nunquam à se impetrare valet idem Author, Davidem exulem, proscriptum, inter cavernas pererrantem, & è deserto in deserta dilabentem, tantam pro lyra sua curam habuisse, ut nunquam illam dimitteret; sed paratam semper haberet ad melodiam aliter planè quàm afflictæ ejus res flagitabant.

Ad alteram quæstionem quod spectat, an scilicet Psalmi nullo Authoris nomine inscripti ad præcedentium Authores referendi sint; eam sanè opinionem esse Patrum, & vetusta Judæorum traditione teneri, quæ paria opinatur de scriptis Prophetarum nullo Authoris titulo præfixis, & de Prophetis, quorum missionis certus annus nullus legitur in Operis fronte, alibi animadvertimus (1). B Regulam illam sibi pariter proponendam censent doctissimi Interpretes, & nos etiam plerumque adoptamus; nisi si fortè evidens Textus veritas deserendam quandoque persuaserit. Usi sumus e. g. cùm posteris Moysis tribueremus decem Ps. post Ps. 89. *Domine refugium factus es nobis*, proximè succedentes. Axioma est tamen suis exceptionibus obnoxium, nec tamen minùs verum, cum ibi, sicut in cæteris, exceptio regulam firmet (2).

DISSERTATIO
IN TEXTUM ET VETERES PSALMORUM VERSIONES.

ARTICULUS PRIMUS.

Textus Hebraicus Psalmorum.

QUÆ ad Textus & antiquas Psalmorum Versiones spectant omnia, non ita discutienda suscipimus, ut rem omnem tractemus: id enim non Dissertationem, sed volumen flagitaret. Ideam quandam totius rei utcumque formandi consilium agitamus. Lectores minùs earum rerum instructos, vocum saltem, quas in Commentario adhibemus, significationem doceamus; vocum, inquam, sæpiùs recurrentium, dum crisim Textuum & variantia referimus.

Textum originalem Psalmorum Hebraicum esse negaverit nemo. Eò proinde Versiones omnes referendæ, ut par de singularum merito judicium feratur, pro varia cum eodem Textu congruentia vel difformitate. Nec ideo tamen quòd discrepantia aliqua inter Hebræum & versiones deprehendatur, statim judicium damnationis ferendum est, cùm ex Versionum fide interdum Textus ipse fuerit corrigendus; sed in pari causa & cùm nihil suspicionis in Textus integritatem creari potest, ejus semper fides Versionibus præferenda.

Nullus esset postremæ huic exceptioni locus, siquidem Textus Hebraici in nostris Bibliis integra maneret fides, quam olim, cum ab ipsis Authoribus scriberetur, præseferebat. Omni tunc abjecta mora ad fontem recurrendum esset, atque ex ejus puritate sinceritas Versionum restituenda. Sed cùm intercidentibus jam inde Authographis, descripta ex illis tantùm maneant Exemplaria, quæ eodem ferme ac cæteri Libri omnes fato, per manus hominum longa temporum serie decurrentes, eam fæcem contraxerint, quam ignorantia, præcipitatio, audacia Amanuensium in- A duxit; ideo suspicio aliqua de corruptione Textus admittenda est, sed parcè admodum nec sine cautione sententia proferenda. Quare & Versionum indicio opus est, ut corruptiones illas Textùs deprehendamus corrigamusque; & vicissim Textu reformandis Versionibus juvemur, cum à vero originali sensu deviarint, sive Interpretum oscitantia, sive Amanuensium negligentia.

Inter omnes Scripturæ Libros Psalterium, obscurissimum illud, frequentissimè transcribi contingit; quæ duplex ratio, obscuritatis nempe & exscriptionis in causa fuit, quare miserè præ omnibus ab Amanuensibus fœdaretur, & mendis scateat in Hebræo frequentioribus, quàm reliqui B Scripturæ Libri omnes. Discrepat in omnibus ferè Psalmis aliquid Hebræum inter & Septuaginta; quod scilicet ad aliam, quàm quæ hodie præfertur, legendi Textus Originalis rationem, referendum esse vix dubito. Neque omnium optimam Septuaginta Versionem defendendam suscipimus; sed fateri tamen cogimur, eorum lectionem & pronum magis & naturalem sensum exhibere; sicut & varias fuisse olim Hebræi lectiones apertissimo documento monstratur. Ex quo falsi arguitur Hebræorum jactantia, nunquam non integri- C tatem suorum Librorum crepantium; simulque adversùs illos criticæ usus probandis secernendisque optimis lectionibus defenditur.

Subjicienda sunt modò eorum omnium, quæ diximus, exempla. Luculentum dedimus in Dissertatione ad illud Ps. 21. 18. quo loco Judæi legunt: *Quasi Leo pedes meos, & manus meas;* cùm Septuaginta, Vulgata, & Veteres alii Interpretes habeant: *Foderunt pedes meos, & manus meas*. In Ps. 36. 28. acrostico artificio, sive per alpha-

(1) Dissert. de Titulis Pss. (2) Vide, si places, Comment. in Prophetas minores, in quo sæpiùs ab hac regula recedimus; nec unquam nisi post serium examen admittimus.

betum digesto, litera *Hain* deest in Hebræo; legitur verò in Septuaginta, quorum Textus præfert: *Injusti punientur &c.* Simili mendo in Ps. 144. 14. acrostico deest litera *Nun*, quam servant Septuaginta & Vulgata, legentes: *Fidelis Dominus in omnibus verbis, & Sanctus in omnibus operibus suis*. In Ps. 34. 27. legit Hebræus nostræ ætatis: *Et dicant semper; Magnificetur Dominus, qui vult pacem servi sui*; quo loco Septuaginta & Vulgata reponunt: Et dicant semper: *Magnificetur Dominus qui volunt pacem servi ejus*; quæ sententia alteri ex Psalmo 39. 17. respondet in Hebræo, Septuaginta, & Vulgata his verbis conceptæ: *Dicant semper: Magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum*. Mendosa est igitur prioris Textus in Hebræo lectio.

Nec suspicione vacat illud Ps. 146. 8. *Et herbam servituti hominum*, quod in Hebræo desideratur Amanuensium oscitantia, cum in Septuaginta æquè & Vulgata legatur. Parallela duo loca in Pss. 103. 14. & 41. 7. apertum pariter mendum exhibent, quod maximè apparet, si ambo hi Textus conferantur cum versiculis postremis ejusdem & proximè sequentis Psalmi: habent autem: *Confitebor illi salutare vultus mei*, cum in Hebræo sit; *Confitebor salutare vultus mei*; quod planè alterum sensum reddit. In Psal. 48. 13. Hebræi lectio mendosa pro *Jalin* præfert *Jabin*, ut sit sensus: *Homo in honore non pernoctavit*, cùm potiùs juxta Septuaginta, & Vulgatam reddendum fuisset: *Homo cum in honore esset, non intellexit*. Contextus series in Psal. 48. 12. fert, juxta ac Septuaginta, & Vulgata legunt: *Sepulchra eorum domus illorum in perpetuum*; pro eo quod malè in Hebræo est: *Interiora sua domus suæ in sæculo*; quod absurdam planè sententiam reddit; non minùs ac illa ejusdem Ps. vers. 19. *Laudabunt te cum benefeceris tibi*; cujus loco rectè Septuaginta, & Vulgata: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*.

Nec minùs vitiosus est Hebræus in Psal. 41. 5. cum pro eo quod benè in Vulgata, & Septuaginta redditur: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis*, ferat: *Transibo in numerum, incedam cum eis*. Titulus Psal. 9. habet apud nos: *Pro occultis filii*: In Hebræo verò *pro morte filii*; perperam una voce *Almoth*, quæ sonat ibi *puellas*, in duas voces divisa. In Ps. 2. 12. Hebræus *Osculamini filium*; Septuaginta *Apprehendite disciplinam*: uter mendosus? In Ps. 3. 8. *Dentes peccatorum contrivisti*, legit Hebræus: Septuaginta, *Contrivisti dentes eorum, qui inimicantur mihi frustra*; utriusque sententiæ sensus Textui congruit; sed quæ præferenda? Ex eo sanè argumentum deducitur apertissimum, Textus, quo Septuaginta utebantur, aliam fuisse lectionem à nostræ ætatis Hebræo. Nec ego tamen dissimulaverim, vetustos illos Interpretes corruptiorem aliquando Textum habuisse præ nostro; cùm jam inde ab eorum ætate menda in Textum originalem glíscere cœpissent. Sed purior erat tamen præ Hebræo nostræ ætatis. Apertissimum est etiam mendum in Hebræo Ps. 4. 3. cùm lectionem Septuaginta & Vulgatæ: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem*? ita depravet, *Beth* in *Caph* transmutato: *Filii hominum usquequo inclyti mei ignominiosè diligetis vanitatem*? Parìa observes in Ps. 78. 13. Septuaginta: *Operui in jejunio animam meam*; Hebræus: *Ploravi in jejunio animam meam*.

Uter melius, Hebræusne, an Septuaginta legerint illud Psal. 7. 5. ambigo: Hebræus ita; *Si reddidi amico mala, & dimisi hostes meos vacuos*; id est, tantùm absuit ut proximo nocerem, ut ne hostibus quidem gravis esse sustinuerim. Septuaginta: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ab inimicis meis*, seu potiùs, *Decidam ab inimicis meis inanis*.

Et in eodem Psal. vers. 12. Septuaginta & Vulgatæ hæc lectio: *Deus Judex justus, fortis, & patiens; nunquid irascitur per singulos dies?* Hebræi verò: *Deus Judex justus irascitur per singulos dies*. Ps. 106. 17. Hebræus: *Stulti facti sunt propter vias suas*; Vulg. *humiliati sunt*. In Psal. 11. 7. genuinam crediderim lectionem: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*; cujus loco habet Hebræus & Septuaginta: *Eloquia Domini eloquia munda, argentum conflatum a Domino terræ, purgatum septemplicíter*. In Psal. 143. 12. hanc Vulgatæ sententiam: *Eorum filiæ circumornatæ ut similitudo Templi*, ita exprimit Hebræus: *Nostræ filiæ ornatæ quasi anguli Templi* vel Palatii. Ego verò eandem sententiam reddiderim: *Filiæ nostræ sicut olivæ, ornatæ ut Templi ædificium*. Hæc satis: plura si quis velit, adeat Commentarium, cujus utraque pagina similia præfert exempla.

ARTICULUS II.

Septuaginta Interpretum, & aliæ Græcæ Versiones.

QUÆ Septuaginta vulgari nomine præfertur Versio, omnium sinè controversia vetustissima, appellationem suam debet septuaginta & duobus Hebræis sapientissimis, quos accitos ferunt 300. circiter ante Christum natum annis in Ægyptum à Rege Ptolemæo Philadelpho, Hebraicis Scripturis in Græcum vertendis. Hujus historiæ veritatem, quòd pluribus redarguatur, discutere non est hujus loci; satis enim superque habemus, si ejus Versionis ætas vetustissima præ omnibus habeatur. Hic autem agendi de illa sumpsimus occasionem, quòd Latina Psalmorum vulgata versio ex Græca Septuaginta adornata sit. Hujus igitur Versionis Psalterium modò excutiendum.

Editiones Septuaginta plures etiam apud Veteres ferebantur. Omnium optima habebatur, quam emendatam à se in Hexaplis suis Origenes constituerat. Hanc cæteris corrigendis & maximè Editioni, quam appellant *Communem*, Theodoretus in Pss. sæpiùs. & S. Hieronymus (1) adhibuerunt. Quæ autem loca manca in Editione Septuaginta offendit Origenes, ex Versione Theodotionis ita supplevit, ut obelo seu veru illa notarit, quò facilè à reliquo Septuaginta contextu distinguerentur. Hesychius Episcopus in Ægypto, & Lucianus Presbyter Antiochenus reformandis Græcis Septuaginta Editionibus aliquanto post Originem operam dederunt. Quæ nostra ætate suppetunt Editiones, variant inter se; nulla tamen ita ac Romana cum Complutensi collata. Posterior hæc ferè congruit cum Hebræo, & Vulgata; ut non immeritò suspicemur, eos, qui illam recensendam in se susceperunt, plus operis contulisse ut Latino conformarent, quàm ut ad vetera Mss. Græcorum, quæ in ea ferè neglecta videntur, fidem redigerent. Romana plus consonat cum vetustis Psalteriis Latinis, cæterisque testimoniis laudatis à Patribus Latinis, S. Hieronymo vetustioribus, vel ejus Versione minimè usis. Plus etiam respondet Textui Græcorum Patrum, & Mss. ut proinde non immerito sola genuina & vetus Septuaginta Versio à Viris doctis reputetur; cum interim Complutensem iterum in Polyglottis Antuerpiensibus, & Parisiensibus impressam, tanquam corruptam aliquam Versionem, & rapsodicam quandam lucubrationem nullius authoritatis rejiciant.

Græcam Septuaginta nonnullæ secutæ sunt novæ à Græcis edornatæ versiones, quas omnes editio Aquilæ, ad secundum Ecclesiæ sæculum pertinens,

(1) Epist. ad Suniam, & Fretell. *Ea Editio, quæ habetur in Hexaplis, & quam nos vertimus, ipsa est, quæ in Eruditorum Libris incorrupta & immaculata Septuaginta Interpretum translatio reservatur.*

tinens, nempè ad A. C. 138. & Adriani 12. (1) vetustate superat. Porrò Interpres ille vel ipsas vocum etymologias servat (2) *nec contentiosius, ut quidam putant, sed studiosius verbum interpretatur ad verbum* (3). Post Aquilam prodiit Theodotion, vir Ponticus, qui à Marcionitis ad Judæos deficiens, circumcisione initiatus est. Septuaginta magis quàm Aquila inhæret. (4); mediumque versari inter servilem illius interpretationem & libertatem Septuaginta (qui sensum Authoris retulisse contenti, nihil de verbis curant) S. Hieronymus (5) animadvertit. Post aliquod temporis, nempè sub Severo, novam Bibliorum interpretationem Symmachus aggressus est, præ Aquila & Theodotione liberiorem; plus enim de sensu curat, quàm de verbis Textus. Quanti Versionem illam æstimaret S. Hieronymus, satis demonstrat, cùm eam ducem in sua V. T. interpretatione ferè semper sequatur. Porrò vir ille ex Samaritanis ad Judæorum sacra transierat.

Præter has Versiones, quorum Authorum nomina noscuntur, duæ etiam à Judæis Authoribus, sed ignotis, adornatæ in Hexaplis legebantur. Laudantur illæ sub nomine *Qinta & Sexta Editionis*. Sextam regnante Alexandro filio Mammeæ invenit Origenes in doliis vel in lagenis fictilibus, olim continendis Libris & scriptis destinatis; invenit, inquam, Nicopoli in Macedonia juxta Actium. Simile vas in Jericho Palæstinæ sub Caracalla filio Severi, *Quinta Editionem* Origeni suffecit. Omnium earum Versionum, excepta Septuaginta sola, super sunt fragmenta; ut de eorum methodo dotibusque nihil exacti possit definiri. Fusiùs idem argumentum tractat R. P. D. Bernardus Montfaucon in nova Editione Hexaplorum. Leviùs nos, & quantum scire sat est iis, quos ontes consuluisse non vacat, egisse nonpœnitet.

Porrò Versiones istæ omnes universam Scriptuturam complectuntur; septima alia Versio, Psalterii tantummodo, innotuerat: Omnes collegit Origenes, & in Codice in sex columnas è regione sese spectantes distributas hoc ordine collocavit. 1. Septuaginta legebantur. 2. Aquila. 3. Theodotion. 4. Symmachus. 5. Quinta Editio. 6 Sexta Editio. Hisce constabant Hexapla tota antiquitate celebratissima. Accedebat his omnibus scriptus literis Hebraicis Textus originalis; tum & idem Textus Græcis literis, in gratiam Hebraica elementa ignorantium, expressus. Nec deerat septima Versio Psalterii, sed cum unius tantùm Libri Translationem referret, ideo tanquam parergon aliquod scriptum reputatum est. Quare totum Origenis Opus licèt septem columnas in Psalterio haberet, adhuc tamen Hexaplorum nomen retinuit.

D. Ferrandus Præfat. in Ps. cap. 5. §. 2. defendit, Versionem Latinam Psalmorum ex veteri Septuaginta expressam fuisse, antequam hæc ab Origene, Hesychio, & Luciano recenseretur. Id sanè negare audeat nemo, cùm ante Origenem cæterosque obtineret in Ecclesiis Latinis Versio, ex eo proinde Textu expressa, in quem nihil Viri illi doctissimi contulerant. Sed ea pariter assertione fatendum est, Latinam Psalmorum Versionem, qua utimur, alteram fuisse ab ea, quam Latini PP. adhibuerunt; quemadmodum ex vetustis Psalteriis impressis pariter & Mss. à Vulgata non raro discrepantibus, luce clariùs in Notis ad oram inferiorem nostri Commentarii rejectis demonstramus. Fusiùs ea de re, cùm de Versionibus Latinis agendum est.

Versio Græca Septuaginta magis pronum aliquando, apertum, & naturalem sensum præ Hebræo nostræ ætatis, Versionibus Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis præfefert; quo documento intelligimus, Textum Hebræorum posteriorum illorum Interpretum ætate eundem fermè corruptionis gradum, quem hodie tenet, attigisse. Additamenta quædam, maximè in titulis Psalmorum, Græci sibi adjungenda præter fidem Hebraici Textus, censuerunt; quod alii ipsis Septuaginta deputant; alii ex Hebræo Originali derivata arbitrantur. Sed non abs re suspicamur, mera esse Judæorum Hellenistarum inventa; quos sanè Judæos usos constat Versione Septuaginta, tum ante Jesu Christi ætatem, cùm aliquanto etiam post, tradente Tertulliano Apolog. c. 18. legi illam ætate sua in Synagogis consuevisse. Sunt etiam ex iis inscriptionibus, quæ post inceptam Religionem Christianam manu Christiani alicujus insertæ sunt (6). Quæ autem in ea re variantia inter Exemplaria Septuaginta deprehenduntur, Græcorum libertatem in recensendis Sacris Codicibus satis produnt. Plura enim immutata, plura omissa; capitum & titulorum, quin & Textuum pariter (7) ordo præposterè inversus. Majori religione Latini integritati Sacri Textus studuerunt. Ad Psalmos quod spectat, Septuaginta Editionis Romanæ satis congruunt cum vetustis Patribus Græcis, & Latinis; sed non immeritò suspicamur, S. Hieronymum, tum maximè cùm secundis curis Vulgatam reformavit, ad fidem Hebraicæ veritatis reddidisse, iis ex variis lectionibus Septuaginta retentis, quæ maximè Originali congruerent.

Nec prætereundum, ex variantibus plura non nisi è diversa unius ejusdemque Græcæ vocis lectione resultare. Ita usurpatur interdùm *misericordia* pro unctio, & *oleum*; quòd Græcum *eleos* Misericordia, satis consonet voci *elajon*, oleum (8); quemadmodum oscitantia Amanuensium legitur *gradibus* pro *gravibus* (9). Græcum *bareis* æquè designat & ædem aliquam magnificam & pondus; quare Interpres postremum sensum præposterè sequutus, Latinè reddidit *gravibus*; & cùm nihil ea vox in contextu sonaret, levi mendo, substitutum est *gradibus*. In Ps. 45. quo loco nos legimus: *Compungimini*, ex levi literarum transmutatione S. Augustinus legebat: *Aperite* (10); sicut & in eodem Psalmo ex eadem ratione habet: *A' tempore frumenti*; pro *A' fructu frumenti* (11). Et in Psal. 16. 15. hæc Vulgatæ verba: *A' pautis de terra divide eos*, reddita sunt: *Perdes eos de terra*; alii habent: *Dimittens eos de terra*, Græco *Apolluon*, perdens, sive *Apoluom*, dimittens, substituto alteri Græco *Apo oligon*, à paucis. Ita pariter ubi nos legimus, *Saturati sunt filiis*, Veterum plures habebant: *Saturati sunt porcina*; mendo ex literarum hallucinatione derivato. Alio in loco Græcum *Diakenes*, supervacuè, redditum est *Dienekes* incessanter (12). In Psalmo 38 ubi nos: *In manibus tuis sortes meæ*, habent alii scripturæ mendo decepti: *In manibus tuis tempora mea*. Quid? Illud Psalmi 28. 1. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum*, nonne ex gemina unius & ejusdem vocis in originali positæ significatione factum est illud *filii Dei*, *filios arietum*? una enim Originalis vox reddi potest *filios Dei*, *& filios arietum*.

Legesis Epistolam S. Hieronymi ad Suniam & Fretellam, in qua plura variantium ejusmodi exempla, tum & criticæ quædam animadversiones in Textum Septuaginta & Vulgatæ. Ex ea Epistola axioma illud derivamus, quo claudendum hunc nostrum articulum arbitramur. *Sic omnino psallendum, ut sit in Ecclesia; & tamen*

(1) Epiph. de Ponder. & Mensur. (2) Hieron. lib. 2. adver Rufin. ad finem, & Epist. ad Pammach. de optimo genere interpretandi. (3) Hieron. ad Damas. t. 2. nov. Edit. pag. 567. (4) Epiph. de Ponder. & Mensur.
(5) In Rufin. l. 2. Præf. in Evangg. ad Damasum. (6) Ps. 66. *Canticum Psalmi Resurrectionis*.
(7) Confer inversiones in Libris Regum, Proverbiis Salomonis, & Versionibus Isajæ & Jobi.
(8) Ps. 91. 11. Ἐλέῳ πίονι Eleo pioni: *Misericordia pingui*. Ἐλαίῳ πίονι *oleo pingui*.
(9) Ps. 44. 9. *A domibus eburneis*. Legunt Veterum plures *à gradibus eburneis*. Septuag. Ἀπὸ βάρεων ἐλεφαντίνων.
(10) Aug. in Ps. 4. Aperite. Legebat ille Κατασύγετε, pro Κατανύγητε, Compungimini.
(11) Legebat: Ἀπὸ καίρυ, pro ἀπὸ κάρπυ. (12) Ps. 24. 3.

sciendum quid Hebrbica veritas babeat : atque aliud esse propter vetustatem in Ecclesia decantandum , aliud sciendum propter eruditionem Scripturarum .

ARTICULUS III.

Versione Latina Psalmorum.

QUamquam frequentissimi ante Jesu Christi ætatem in Italia pariter & in Urbe versarentur Judæi, nullam tamen Latinam Bibliorum Versionem habuisse ante constitutam Ecclesiam Christianam videntur. Lectionem illi audiebant Sacrarum Scripturarum ex Codicibus Hebraicis vel saltem Græcis, quo sermone nullus magis familiaris tum Romæ, cùm Judæis, qui omnes ex Orientalibus & Græciæ maximè regionibus illuc transmigraverant, habebatur . Prima Latina Psalterii Versio à Christiano adornata creditur in gratiam eorum, qui Hebraicas Græcasque literas ignorabant; quæ sanè Versio caliginosam adeò vetustatem præsefert, ut neque de Authore quidquam, neque de ætate innotescat . Expressam tantùm constat ex Græco, ab ipso Apostolorum sæculo, & in Ecclesia Latina usque ad Versionem S. Hieronymi obtinuisse. Nec alteram norat in publico Officio Ecclesia Romana , usque ad S. Pium V. qui Veteris Italicæ usu Romæ abolito, (ea tamen nonnullis in locis, ubi hodie etiam manet relicta) Vulgatam substituit .

Frustrà ad invidiam in ejus vetustatem creandam, barbariem Versionis illus opponunt; ultrò enim concedimus, voces quasdam occurrere non defœcatæ Latinitatis ; neque repugnamus Neronis, Vespasiani, Domitiani, & Trajani ætate viros ingenuos & politioris literaturæ, sicut & Latinam originem referentes, ac tandem Latinis literis excultos, puriori Latinitatis eloquio usos , quàm quo Author in vertendis Scripturis . Sed Apostoli eorumque Discipuli parum de stilo & eloquii puritate curabant; eo solùm contenti, si veritatis vim totam exprimerent ; quin & dignitati mysteriorum congruere arbitrabantur, ut sola majestate sua, non adscititiis humanæ eloquentiæ ornamentis niterent : *Loquimur non in doctis bumanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus .* 1. Cor. 2. 13. Hanc igitur stili elegantiam perinde ratus ac nihil Scripturarum Interpres ille , censuit abjiciendam; nec abs re etiam suspicaremur, Interpretem illum , cùm originem Latinam non referret, plus literas Græcas, quàm Latinas calluisse . Non sanè aliud stabat illi consilium, quàm ut integra fide exactèque Textum redderet, quam in rem periodorum artificium, vocum elegantia, eloquii puritas nihil contulisset. Hanc fidelissimi Interpretis ideam noster explevit omnem, & alio quocumque facilè perfectiùs, qui seligendis collocandisque verbis majori religione studuisset . Intentus ille verbis verbo reddendis nec ingenium suum elegantiamque commendare cogitavit unquam, quem singularem esse Sacrorum Authorum characterem cæterorumque priorum Latinorum Scripturæ Interpretum constat . Dei verbum præ omni elegantia cultuque elegantius est & comptius. Quid? priores illi Græci V. T. Interpretes, quamquam ad auream literarum Græcarum ætatem spectantes , elegantiam ne proinde puritatemque sermonis affectarunt? Non arbitror; sed vim illi totam Originalis sui reddere studuerunt .

Sunt qui quærant , an Psalterium , cujus est hodie in Officio Ecclesiæ Latinæ familaris usus , idem sit ac Apostolicum; quibusque gradibus ad eam authoritatis dignitatem ascenderit , in qua collocat Tridentinum, ipsam eandem Editionem esse insinuans, quæ *longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est*. Quorum interrogationi ut fiat satis, operæ pretium est animadvertisse, S. Hieronymum , cùm Romam venisset circa A. 382. hortatorem habuisse Damasum Pontificem corrigendæ Editionis Latinæ Psalmorum ad fidem Græci Septuaginta , à quo non semel discrepabat . Paruit Vir Sanctus, sed tumultuario opere . *Licèt cursim magna illud ex parte correxi*, 1). Eo Codice usa primùm Ecclesia Romana ; deinde ad alias Ecclesias sed minori successu delatus est . Populi enim longo usu antiquæ assueti Versioni Sancti Doctoris correctiones negligebant, ut non multo post tempore totum Opus mendis scateret . *Quod quia rursus videtis*, scribit ille ad Paulam & Eustochium, *Scriptorum vitio depravatum , plusque antiquum errorem , quàm novam emendationem valere*. Quare à duabus hisce Matronis rogatus , circa A. 384. novam ipse Versionem Latinam cùm Bethleem versaretur , è Textu Septuaginta expressam suscepit Nihil eo Opere accuratius ; namque inter obelum aut veru (÷) & duo puncta (:! totum illud clausit, quod in Septuaginta redundabat ; ac vicissim quidquid ex Hebræo & Versione Theodotionis addiderat , intra asteriscum *) & duo puncta complexus est . De editione hac sua scribit ille ad Sophronium : *Quoniam* (Septuaginta) *translationem diligentissimè emendatam olim mea linguæ bominibus dedi .*

Tandem aliquot elapsis annis, eodem Sophronio hortante, totum Psalterium ex Hebræa veritate exprimendum aggressus est ; experimento enim norat idem Sophronius, sibi cum Judæo quodam disputanti plura Psalmorum testimonia è Septuaginta deducta à Judæo negari, contendente aliter legi in Hebræo . Hanc igitur provinciam aggressus S. Hieronymus ita confecit , quemadmodum hodie etiam apparet in veteribus Mss. & Impressis ejusdem Sancti Doctoris. Altera ab ista Versione censenda est illa, quæ hodie sub Vulgatæ nomine obtinet; multumque ab illa abludit; quare cum alterutra confundi oportet , sive nempè cum priori Romæ, sive cum altera in Bethleem adornata .

Sed & emendatum Romæ Psalterium diversum esse à Vulgata constat; illud enim in eadem Ecclesia pluribus sæculis obtinuisse, & modò etiam in Ecclesia Vaticana receptum scimus . Legitur etiam in pluribus Impressis & Mss. ut ipso oculorum testimonio diversum esse à Vulgata liqueat Itaque statuendum est, Vulgatum , & Concilii Tridentini definitione probatum Psalterium cum secunda Versione S. Hieronymi confundendum . Scribit quidem vir Sanctus ad Paulam & Eustochium se veterem editionem correxisse, quòd scilicet veteris ejusdem Editionis verba , quantum res patiebatur , servasset . Sed in Epistola ad Suniam & Fretellam idem opus apertè *novam Versionem* appellat ; quòd nempè adeo priorem reformaverat, ut nova jure meritoque dici potuisset, expressa è Textu Hexaplorum , ea ætate probatissimo .

Cùm tamen maximi ea res momenti habeatur, & opiniones de illa varient plurimùm , fusius in præsentia discutienda est . Ac in ipso inquirendi limine animadvertendum est, menda quædam in postremam hanc Versionem post S. Hieronymi ætatem lapsu sæculorum irrepsisse ; unde factum, ut sententiæ ex illa laudatæ cum primæva illa Translatione ab ipso adornatà non satis congruere deprehendantur . Quod P. Martianæo Proleg. in t. 1. nov. Edit. Hieron. persuasit, nostram Psalterii Vulgatam aliam planè esse à Veteri Italica , ante S. Hieronymum obtinente , & à nova Translatione Latina ab ipso S. Doctore in Bethleem adornata, quippe quæ ex utriusque admixtione constet . Arduum erat equidem & operosum

(1) Hieron. Ep. ad Paulam in capite Psalterii, Vide & Præfat. ad Sophron.

rosum ex hominum manu totam simul abripuisse Scripturam, cui longo sæculorum usu assueverat; quòd autem in ejus generis Opere parum aliquid reformaretur, pro nihilo habebatur(1). Nobis idem esse Opus sat est; nihilque moramur variantia quædam in Translationibus Scripturæ nunquam evitanda.

Valfridus Strabo De Reb. Ecclesiast. c. 25. disertè asserit, ætate sua (sæculo decimo) Ecclesiam Romanam Psalterium legisse *secundùm Septuaginta Interpretes; Galli, & Germani*, addit, *aliqui secundùm emendationem, quam Hieronymus Pater de Septuaginta editione composuit, Psalterium cantant*. Subiungit demum, S. Gregorium Turonensem ex Urbe in Gallias contulisse Psalterium è Græco Septuaginta à S. Hieronymo expressum. En igitur Psalteria planè diversa, alterum in usum Ecclesiæ Romanæ, alterum Gallicanæ; utrumque ad normam Septuaginta; sed primum tantummodo emendatum, alterum verò de integro translatum: *Quam Hieronymus Pater de Septuaginta Editione composuit*.

Berno Abbas Augiensis (2), sæculi undecimi Scriptor, tradit pariter, S. Hieronymum translatum opera sua è Græco in Latinum Psalterium Ecclesiis Galliæ & nonnullis Germaniæ cantandum tradidisse; unde huic Translationi nomen, *Psalterium Gallicanum*. *Romanis verò*, addit ille, *adhuc ex corrupta Vulgata Editione Psalterium canentibus*. Porrò ipsa eadem est Versio, quam S. Hieronymus jussu Damasi Pontificis reformandam susceperat; in qua deinde successu temporis idem S. Doctor falsus est, *Plus antiquum errorem quam novam emendationem valere*. Narrat insuper idem Berno, Romanos Psalmorum cantandorum morem in Gallias invexisse; ex quo factum, ut in Divinis Officiis ex Veteri Vulgata Romana quædam in Psalterium Gallicanum irrepserint, quæ nec facilè distingui possint, addit ille, & eam varietatem ignorantibus non parum negotii facessant.

Idem planè in nostro Ecclesiastico Officio animadvertere licet; in quo Ps. *Venite exultemus* e. g. integer legitur juxta Psalterium Romanum; quod scilicet olim Psalmus iste velut Hymnus quidam habitus semper cantaretur. Antiphonæ Vesperarum, Matutini, & Laudum maximè in Officiis Sanctorum ex Romano Breviario desumptis, Introitus Missarum, & potissimum Antiphonæ & Responsoria tridui postremi Hebdomadæ sanctæ, cum Gradualibus & Tractibus eorundem dierum, satis a nostra Vulgata discrepant, quod ex Psalterio Romano, integro 15. sæculorum spatio Romæ obtinente, derivati sint.

Aliud pariter nec minoris momenti idem Berno animadvertit; inde nimirum factum esse, quod in nonnullis Bibliis Psalmi in tres columnas digererentur; quarum primam occupabat Psalterium Gallicanum; alteram Romanum; tertiam Hebræum. Id equidem spectatur in veteribus nonnullis Mss. quorum duo sunt in Abbatia S. Petri Carnotensis, & alterum in Bibliotheca Sorbonica. Manuscripta etiam quædam duabus columnis descripta habent Psalterium Romanum & Gallicanum; Hebræo ex Versione S. Hieronymi neglecto. In duplici illo Mss. Carnotensi, prioris columnæ frons titulum præfefert: *Secundum Hebr.* Alterius: *Secundum LXX.*: Tertiæ: *Secundum Græc.* Mediæ columnæ titulus: *Secundum Septuaginta* indicat Vulgatam vel psalterium Gallicanum cum suis obelis & asteriscis, quos S. Hieronymus adscripserat. Tertiæ columnæ Textus sine obelis & asteriscis Psalterium Romanum præfert satis consonum Veteri Vulgatæ ante S. Hieronymum obtinenti; idemque Opus, quod S. Doctor Romæ versans infelici successu correxerat.

A In Codice Sorbonico præfixa Psalterio trium columnarum hæc in rem præsentem leguntur apud Martianæum tom. 1. nov. Edit S. Hieron. p. 1222. *Psalterium quod secundum Septuaginta Interpretes in omnibus Ecclesiis cantabatur, Hieronymus correxit; quo iterum vitiato Psalterium novum composuit, quod a Septuaginta Interpretum editione non multum discordaret, & cum Hebraico multum concordaret. Hoc Psalterium*, addit, *Damasus Papa rogatu Hieronymi in Gallicanis Ecclesiis cantari instituit; & propter hoc Gallicanum vocatur: Romanis Psalterium secundùm Septuaginta retinentibus sibi, propter quod Romanum vocatur*.

Bruno Signiensis Exposit. Psalter. initio, alio nomine Astensis, qui diem clausit A. 1125. cùm B Psalterium ex alia Versione quàm Romana juvenis adhuc exposuisset; Romani Psalterii deinde Commentarium novum instituit, professus scilicet plures quidem fuisse in prius illud Commentatores, neminem tamen, quem sciret, in Romanum. En igitur duo Psalteria luculenter planèque varia inter se ac distincta. Romanum à Commentatoribus ad id usque intentatum; & alterum, quod varios exercuerat. Quid hoc nisi Psalterium Gallicanum seu Vulgata nostræ ætatis, ab omnibus fermè Commentatoribus S. Hieronymo recentioribus, tanquam perspicuum magis & Hebraicæ veritati conformius, illustratum? Cum vicissim Romanum nullum ad id usque nactum fuisset Commentatorem, nisi fortè inter ejus Interpretes habeamus Scriptores S. Hieronymo vetustiores, qui in antiquam Vulgatam toto Occidente receptam labo- C rarunt.

His ita se habentibus, facilè convincimur, Vulgatam Concilii Tridentini authoritate probatam, tum & in publico Latinæ Ecclesiæ Officio receptam, alteram planè esse à veteri Vulgata sive Italica ante S. Hieronymum recepta, & cum ea denique Translatione confundendam, quam S. Doctor in Bethleem versans precibus Paulæ & Eustochii correxit. Tandem unum idemque cum illa reputandum Psalterium Gallicanum, ante 8. vel 9. sæcula in Ecclesiis ejus provinciæ receptum. Nihil enim certi definire audemus, quo potissimùm tempore Psalterium illud in Galliis cæperit obtinere. Ejus invecti authorem Gregorium Turonensem statuit Valfridus Strabo, ipsum S. Hieronymum Berno, Dama- D sum Author annotationis Psalterio Sorbonico præfixæ. Quæ Authorum discrepantia & rem esse ea ætate ambiguam, & vetustam adeò, ut originem haberet obscuram, satis demonstrat. R. P. Mabillon Disquis. de cursu Gallic. §. 12. pag. 297. post improbatam illorum sententiam, qui invectum in Gallias hoc Psalterium à Gregorio Turonensi autumant, cum ipse ex Veteri Romano Psalterio plerumque laudet testimonia, tandem demonstrat, receptum illud eo temporis intervallo, quod Gregorium Turonensem inter & Valfridum Strabonem continetur; nec alterum facilè in eas Provincias, sicut & in Germaniam, detulisse, quàm S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum.

Porrò S. Bonifacius obiit A. 754. Psalterium E Gallicanum vulgatum fuisse constat in Galliis ætate Theodulphi Episcopi Aurelianensis, qui in suis Operibus ex Psalmis testimonia, quemadmodum in nostris Bibliis legimus, nunquam non laudat. Antiphonas & Responsoria ex Romana accepit Ecclesia Gallicana sub Pipino Rege & Paulo Pontifice, circa octavi sæculi dimidium; ut proinde novum Psalterium novumque Antiphonarium eodem ferme tempore in Galliam venerint. Psalterium Romanum Romæ à Paulo V. suppressum, manet tamen in Ecclesia Vaticana, S. Mar-

(1) Vide Præfat. ad tom. 4. nov. Edit. S. Hier.

(2) Epist. inedita ad Meginfrid. & Bennonem, apud Mabillon. disquis. de Cursu Gallic. §. 2. pag. 396.

S. Marci Venetiarum, & diſcrepans licet aliquanto, **A** in Eccleſia Mediolanenſi. His inſignibus Eccleſiis exceptis, alibi ubique obtinet Vulgata; quanquam & in Toletana Eccleſia ritum Moſarabicum retinente recitari Pſalterium Romanum fertur.

Si quis roget quid factum ſit de Veteri Translatione Latina Pſalmorum, Apoſtolorum ætate & in tota Eccleſia Occidentali uſque ad S. Hieronymum vulgata; reſpondebimus, 1. Non ita reputandum, quaſi ante S. Doctorem unum eſſet idemque in Eccleſiis Pſalterium; adeò enim variabant inter ſe vetera Exemplaria, ut vix duo convenirent; nemine non adjiciendi aliquid immutandique in ſuo Pſalterio, quin & vertendi iterum ex Græco, ſibi poteſtatem arrogante (1). Neque enim certa erat conſtituta Textus regula; **B** quemadmodum ex Scriptis Patrum eandem ſententiam variè laudantium ſatis intelligimus. Ita ſæpè Tertullianus, S. Cyprianus, S. Auguſtinus, Africani omnes in ejuſdem ſententiæ verbis referendis diſcrepabant. Nec magis conſtant inter ſe S. Hilarius, S. Ambroſius, & vetuſta Pſalteria.

2. Veterem illam Verſionem S. Hieronymo vetuſtiorem facilè in priſtinam integritatem reſtitui poſſe credimus ope ſententiarum & fragmentorum Patrum, de quibus nos in ſuperioribus, ſicut & Pſalteriorum veterum, quæ alicubi ſervantur; uti illius, quo olim uſum credunt S. Germanum Epiſcopum Pariſienſem, in ejus Abbatia viſendi, argenteis characteribus in membrana **C** purpurea deſcripti, & Pſalteriorum Romanorum, quæ variis temporibus impreſſa ſunt. Nec ita tamen ſatis certo perſuaderemur, manere nobis priſcam Verſionem adeò puram, quemadmodum olim in ſua origine ſub ipſis Eccleſiæ crepundiis; cùm ſtatim, utì jam animadvertimus, variari inter ſe Exemplaria, & novas Translationes inundare contigerit. Adde, Patres memoria ſuggerente quandoque eaſdem ſententias referre; ſenſus potiùs quàm verba promere; ut proindè poſt collectam ex eorum Operibus magnam ſententiarum ſeriem, genuina Bibliorum lectio vix ac ne vix quidem diſcerneretur.

3. Tandem non immeritò ſtatuendum credimus, ſaniorem antiquæ Vulgatæ partem manere **D** adhuc in Pſalterio Romano, cujus plures ſuppetunt, ſed non ſatis uniformes, Editiones. Unam adornavit Jacobus Faber Stapulenſis A. 1508. in Abbatia S. Germani Pratenſis. Altera Mediolani prodiit A. 1555. altera Romæ 1663 nequid illam memorem, quæ in Textu Septuaginta Pariſiis 1628. excuſo ad Romanæ Editionis normam legitur. Mſs. etiam plura ſuperſunt. Porrò Exemplaria iſta omnia frequenter diſcrepant inter ſe; quemadmodum etiam variare deprehenduntur ſententiæ ex eodem Pſalterio petitæ, quas in noſtris Antiphonis, & Reſponſoriis legas. Cujus diſcriminis in cauſa fuiſſe judico Exemplarium diſcrepantiam, quæ varia erat in variis Eccleſiis. Mediolani etenim aliud legebatur ac Romæ; & poſt **E** S. Hieronymum erant pariter qui plures, erant qui minori numero ex ejus correctionibus ſervaſſent. Hic Vetus Italica Verſio ferè intacta. illic minùs pura manebat; quemadmodum in Opere, cujus correctio ſingulis permitteretur, contingere potuiſſe facilè intelligimus. Profectò niſi ſuprema & recepta in Eccleſia Catholica authoritate huic malo occurſum fuiſſet, certa rataque Vulgatæ Editione conſtituta, hæc lectionum varietas noſtras pariter Editiones inundaſſet.

Cæterùm hæc noſtra de Pſalterio Gallicano ſententia ſedit pariter Jacobo Fabro Stapulenſi in Epiſt. Dedicat. ad Card. Briconnetum, ſapientiſſimis Editoribus novæ Edit. S. Auguſtini in Præf. ad tom. 4. R. P. Mabillonio in ſuo Opere de *Curſu Gallicano*, aliiſque pluribus.

D. Pithæus de Latin. Bib. Interpp. p. 6. & D. Ferrandus Præf. in Pſ. c. 6 pag. 70. 71. Vulgatam noſtræ ætatis cum veteri Italica ante S. Hieronymum toto Occidente recepta componendam cenſuerunt. Ejus opinionis potiſſimum argumentum ducit D. Ferrandus ex illis Concilii Tridentini verbis: *Hæc ipſa vetus* (eſt) *& Vulgata Editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt*. Sed hæc à Concilio de univerſa Scriptura, non de uno tantùm Pſalterio dicta eſſe conſtat. Scitum eſt tamen, non omnes Sacræ Scripturæ Libros ad veterem illam Vulgatam ante S. Hieronymum notam pertinuiſſe; cùm maximam noſtræ Vulgatæ partem ex Translatione S. Doctoris habere nos conſtet. Quare ſi Tridentini verba de omnibus aliis ſimul Scripturæ Libris non convincunt, nullum ex illis certum de Pſalterio argumentum deducitur.

Quamquam autem Pſalterium Gallicanum ex Interpretum confeſſione ab omnibus æquè mendis immune habendum non ſit; inter omnes tamen optimam eſſe translationem abſque controverſia poſitum cenſeo. Recedit illud quidem ſæpè ab Hebræo; ſed ideò quòd corruptum ſit Originale. Quò Verſionem hanc ſuam omnibus numeris abſolutam redderet S. Hieronymus, nihil fecit reliqui, ut proinde elogia tam Veterum, quàm Recentiorum Opus illud promeruerit. Nec ſatis mirari poſſumus Proteſtantium occupatam præjudiciis mentem, qui genio Eccleſiæ Catholicæ averſandi, invidiam in Vulgatam creare ſatagunt, paſſim commendata Textus Hebraici lectione, tunc etiam cum corruptionis ſuæ non levem præbet ſuſpicionem. Profectò ſi Pſalterium noſtrum cum Hebraico uſquequaque non congruit, hujus rei in cauſa eſſe potuit, quòd non ex Hebræo, ſed è Græco Septuaginta fuerit adornatum; ut ſiquid habeat mendi, & variantium, hæc omnia in Græcos, non in Latinum Interpretem transfundenda ſint. Altera recepta eſt in Eccleſia Latina Verſio ex Hebræo; cui eadem Eccleſia plurimum ſemper detulit. Authorem habuit S. Hieronymum, qui hortante Sophronio inſigne Opus ſuſcepit; non canonicum illud quidem, ſed exactum adeò, ut ceteris poſſit diligentię & ſeduſitatis normam præſcribere. Ceterùm non eſt, cur invidia in Eccleſiam creetur; quaſi ſcilicet fontibus neglectis rivos tenuerit. Aſſuetus enim longo uſu populus uni Pſalterio, vix ac ne vix quidem deſuevìſſet. Nec parvi fuiſſe negotii credimus ipſum eò adigere, ut altero abjecto Pſalterium Gallicanum reciperet; quanquam alioqui ſolers ille, & ſapientiſſimus Interpres phraſes omnes, & voces veteris Translationis ab Apoſtolis, eorumque Diſcipulis probatas ſervare pro viribus ſtuduerit.

ARTICULUS IV.

De Verſionibus Syriacis, Arabicis, Æthiopicis, & Paraphraſi Chaldaica.

§. I.

Verſio Syriaca.

SUA eſt apud Syrios Verſio univerſę Scripturæ, quæ vetuſtiſſima Orientalium omnium creditur. Prodiit illa primùm in Polyglottis Pariſienſibus, deindè in Anglicanis recuſa. Altera eſt etiam apud eas gentes ex Gręco adornata, quamquam non in omnes Scripturę Libros (2). Prior illa per univerſam Syriam maximè in uſus publicos regnat. Narrant Maronitæ, ex recepta patrum ſuorum traditione, maximam ejus Operis partem ad Salomonis ætatem, alteram verò ad Abgari Regis Edeſſæ ſpectare (3). Hiram Rex

(1) Aug. Epiſt. 71. Hieronymo, p. 161. n. 6. nov. Edit. *Plurimùm profueris ſi Græcam Scripturam Latinæ veritati reddideris; quæ in diverſis Codicibus ita varia eſt, ut tolerari non poſſit*. Idem de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 11. *Qui Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt, numerari poſſunt, Latini autem Interpretes nullo modo*. (2) Vide Biblioth. Sacram Jacobi le Long. p. 141. (3) Gabr. Sionit. Præf. in Pſalter. Syri. & Arab. Echell. in Not. ad Lib. Chald. Hebed. Jeſu.

A Rex Tyri amicus Salomonis, inquiunt illi, Regem Salomonem postulavit, ut Syris literarum & characterum usum concedens, adderet pariter Syriacis literis traditos Libros Scripturæ tunc temporis vulgatos, scilicet Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth, Libros Samuelis, sive primum, & secundum Regum, Psalmos, Proverbia, Ecclesiastem, Canticum Canticorum, & Job. Post Salomonem adusque Evangelium Versio Syriaca intra eos limites mansit; sed cum Apostoli S. Thaddæi prædicatione, quem missum dicunt statim post Ascensionem J. C. ad Christiana sacra transisset Rex Abgarus, quem novisse dicunt J. C. ante passionem suam, ejus jussu reliquorum Scripturæ Librorum Versio Syriaca suscepta est.

B Sed ea de Versione Syriaca ab Hirami ætate a Salomone, sive aliquo Judæorum Doctore ejusdem Salomonis jussu suscepta historiola ad fabellas jure meritoque amandatur. Neque meliori fide creduntur ea, quæ de altera Versionis parte ex Abgari ætate repetita narrant. Fatendum tamen, eam Versionem omnium esse vetustissimam; cum Syriacam quandam Versionem laudent sæpè Patres Græci, veluti S. Chrysostomus, Theodoretus, aliique, quorum in Catenis fragmenta servantur. Eam quidem alterum esse Opus a Versione nostra ætate vulgata, Vossius in Dissert. de Septuag. Interpp. c. 27 autumavit; nec desunt qui Translationem illam a SS. Patribus laudatam Græcam esse ex Syriaco expressam suspicentur. Constat insuper, non semper cum illa congruere quæ in nostris Polyglottis legitur; quamquam, ut vera

C fateamur, non satis ex eo demonstratur, duo esse planè diversa Opera; cum rara sint utrinque variantia, & minoris momenti, ut facilè ex diversitate Exemplarium, vel etiam ex varia ratione unam eandemque vocem Græcè reddendi, derivari potuerint. Vix etiam credimus, Ecclesias Syriacas tam longam ætatem sine ulla Veteris Testamenti Translatione egisse; neque ea destitutas ab ipso Ecclesiæ Catholicæ exordio fuisse persuaderemur, quanquam certum ejus tempus & Author ignoratur.

Contendit insuper Vossius Syriacas hasce Versiones nostra ætate vulgatas 5. vel 6. retro sæculis vetustiores non esse. Autumat insuper plures fuisse variis temporibus apud Syros, nullamque penes ipsos fuisse unquam receptam & ab omnibus æque probatam Translationem. Sed Viri docti

D ea in re authoritas nullius momenti habenda est, cum & Syriacas literas ignoraverit, nec commercii quicquam cum Scriptoribus ejus gentis habuerit (1). Versionem quandam Thomæ Heracleensis, Authoris nomine tantum sibi cogniti, Pocokius Præfat. gen. in Job laudat; fatetur tamen vetustiorem alteram apud eas gentes obtinuisse. Abbas Renaudot tradit (2) hunc Thomam ad Jacobitarum, sive Dioscoritarum sectam pertinuisse, quem tamen Versioni Syriacæ operam navasse, nullo argumento convinci; narrari tantum de illo, in Ægyptum venisse, ibique ad veteres Cœnobii S. Antonii Codices Syriaca Exemplaria recensuisse, ut ab ea ætate omnes fermè Bibliorum Syriacorum Editiones, maximè Novi Testamenti, ex recensione ejusdem Thomæ constent.

E Sermo est etiam apud Marium in Prooem. Comment. in Barcepha de Paradiso de Translatione alia Syriaca, a Theodoro quodam, viro per universam latè Syriam inclyto, adornata, quam Ecclesiæ omnes Syriacæ probant retinentque: sed Theodorus iste idem est ac Theodorus Mopsuestenus, qui excellentiæ gratia apud Syros Interpres appellatur; Interpres, inquam, non quod Libros Sacros verterit, sed quod Commentario illustraverit, quos quidem a Nestorianis Syriacis literis traditos Liberatus Brev. cap. 10. est author. Tandem altera laudatur Syriaca Versio per *Mar. abba*; (3). Sed ex Græco adornatam constat.

Multò vetustiorem alteram, itidem ex Græco adornatam, Masius Prooem. Comment. in Barcepha de Paradiso, & Ep. Nuncupat. Comment. in Josue, & in Præfat. Annot. obtinuisse dicit, additque visos sibi Libros Josue, Judicum, Regum, Paralipomenon, Esdræ, Judith, Tobiæ & Deuteronomii, Syriacis literis ex Græco traditos A. J. C. 615. expressosque ex Codicibus ab Origene emendatis; in quibus Libris, inquit ille, nihil desideratum ex obelis & asteriscis ab eodem Authore adscriptis. Cum verò diu conquisitis Exemplaribus iis, ne unum quidem repertse contigerit, suspicio ex ea re quædam in Masii fidem creatur. Arduum est etiam obelos & asteriscos ex Græco in Syriacum, adeò inter se discrepantes linguas, transisse. Porro hoc Masii, viri alioqui ingenui & eruditi, testimonium viris in linguis Orientalibus doctissimis negocium facit.

Inter Textum Hebraicum & Syriacam Translationem variantia plurima deprehenduntur, è varia legendi eundem Textum ratione omnia fermè derivata, ut argumento sint apertissimo, Opus illud ante constitutam lectionem Hebræi per vocalia puncta, adornatum fuisse; quare sanctæ vetustatis venerabile Exemplar reputandum est. Sed modò quædam ex hisce variantibus delibanda.

In Psal. 2. 11. legit Hebræus & Septuaginta: *Exultate ei cum tremore*; Syriacus verò: *Tenete eum cum tremore*. In Ps. 4. 3. quo loco habent Septuaginta: *Usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* & Hebræus, *Filii hominis quosqui gloriam meam afficietis probro, levitatem amabitis?* Syriacus legit: *Usquequo gloriam meam cealabitis, diligetis vanitatem?* In Psalmo 7. 5. Septuaginta, *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ab inimicis meis inanis*: Hebræus, *Dimisi hostes meos vacuos*; Syriacus: *Si oppressi adversarios meos sine causa*. In eodem Psal. vers. 12. Septuaginta; *Nunquid irascitur Deus per singulos dies? Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*: Hebræus: *Comminans tota die. Non convertenti Dominus gladium suum acuet*; Syriacus, *Non irascitur singulis diebus, sed convertitur, gladium suum expolit*. In Psal. 9. 7. Septuaginta; *Inimici defecerunt frameæ in finem*; Hebræus; *Inimici completi sunt gladii*, vel *solitudines*; Syriacus; *Hostes mei defecerunt gladio*. In Psal. 10. 10. Vulgata & Septuaginta; *Cadet cum dominatus fuerit pauperum*; Hebræus; *Et confractum subjiciet, & irruet viribus suis valenter*; Syriacus: *Ipse humiliabitur & cadet; & in ossibus ejus morbi doloresque*. Ps. 11. 9. *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*; Hebræus; *Cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum*; Syriacus; *Ambulant quasi altitudo obscœna filiorum hominum*. Ps. 15. 2. *Bonorum meorum non eges*: Hebræus, *Bonum meum ad te non pervenit*; Syriacus, *Bonum meum non procedit nisi a te*. Psal. 67. 19. Septuaginta, & Hebr. *Accepisti dona in hominibus*; Syriacus; *Dedisti dona filiis hominum*; quam etiam lectionem sequitur Apostolus Eph. 4. 8. Possent alia plurima nec levioris momenti congeri, cum vel in singulis Psalmis quædam occurrant; sed hæc ad speciem sufficiant.

Inscriptiones Psalmorum, quæ in Hebræo & Septuaginta leguntur, desunt fermè omnes in Syriaco, aliis planè diversis subrogatis. Nullius tamen sunt authoritatis; nec nisi post invectam fidem Christianam adjectas ex eo intelligimus; quod Psalmos plures Jesu Christo ejusque Ecclesiæ

(1) Vide Addit. ad Biblioth. Sacr. P. Le Long. pag. 659.
(2) Vide Adden. ad Biblioth. Sacr. pag. 659.
(3) Vide Hebd Jesu, in Catalog. Libb. Chaldæorum.

clesiæ vindicent. In numero versiculorum à dividendi Textus ratione Syriaca Exemplaria sæpissimè ab Hebræo variant; quemadmodum Septuaginta pariter & Vulgata ab Hebræo & Syriaco non semel discrepant. Et meritò id quidem, cùm & Textus Hebræus varios patiatur sensus, nec ulla unquam ratione ad certam aliquam lectionem & punctationem determinatus fuerit.

§. II.

Paraphrases Chaldaicæ.

IN assignanda Paraphrasum Chaldaicarum ætate, varia est Criticorum sententia; sunt qui ante Jesum Christum; qui à Jesu Christo, vel à secundo Ecclesiæ sæculo repetant. Nullum certum terminum alii statuentes, obtinuisse defendunt post S. Hieronymum & post Talmudem (1). Constat equidem neque Origenem, neque S. Epiphanium, ac S. Hieronymum illius meminisse unquam, nec nosse; sermonem in illis haberi de Turcis & Urbe Constantinopoli, quorum nomina Jesu Christi ætate ne audiri quidem adhuc contigerat. Nec magis ea de re inter Judæos convenit (2). Optimæ omnium & vetustissimæ sunt Paraphrases Onkelos in Pentateuchum, & Jonathan filii Uziel in majores Prophetas. Puriori fluunt stilo & magis ad Chaldæi idiomatis indolem, qui in Daniele & Esdra paret; breviores sunt etiam & exactiores quàm Paraphrases in alios Libros (3): quod majoris præ illis vetustatis argumentum est apertissimum.

Paraphrasis in Psalmos Author creditur Josephus Cæcus, quod ab aliis tamen negatur (4); atque inferioris notæ & minùs exacta censenda est, quàm quæ sive in Pentateuchum sive in majores Prophetas leguntur. Porro Joseph Cæcus (5) professor fuisse in Academia *Sora* trans Euphratem fertur. Visu carebat, at sapientia affluebat plurimùm, ut à Judæis glorioso titulo *Sabinabar*, magnum lumen, donaretur; dictus etiam *Sinai*; quòd scilicet Traditiones omnes nosset Moysi in Monte Sinai commissas.

Paraphrasis in Psalmos, cujuscumque tandem Authoris Opus habenda sit, tota Rabbinorum interpretationibus & dogmatibus scatet; eorum Traditiones sequitur, & eas maximè quæ tempus scripti Psalmi, quale à Rabbinis constituitur, designant. Credit e. g. Author, Psalmum 90. juxta Hebræos vel 89. juxta Vulgatam Moysis in Originali inscriptum, genuinum esse ejusdem Legislatoris; sicut & alios nomina filiorum Core præferentes in titulo, ab iisdem è patris infortunio servatis scriptos. Tandem nullam rejicit ex fabellis & deliramentis Judæorum.

In illud Psalmi 21. 17. *Foderunt manus meas*, variant Exemplaria Chaldæa. In Complutensi tantùm legitur: *Momorderunt manus meas & pedes meos*. In Anglicana: *Momorderunt quasi leo pedes meos & manus meas*. Et in Psalm. 49. 11. 12. Editio Complutensis ita legit. *Mea sunt omnia animalia terrestria nemorum, & præparavi justis in horto deliciarum animalia munda & bovem sylvestrem, qui pascitur quotidie montes mille; cognovi omnia volatilia agri, & gallus sylvester cantat coram me*. Plus aliquid addit Paraphrastes in Anglicana: *Gallus sylvester, cujus pedes quiescunt in terra, & cujus caput attingit Cælum &c.* Spectat autem ad fabellam in Thalmud decantatam de convivio à Domino justis in altera vita para-

A to, dapibus ex eo tauro instructis, qui singulis diebus mille montium herbis pascitur, & Phasiano, cujus procerum caput ad Cœlum usque porrigitur.

§. III.

Versiones Arabicæ, & Æthiopicæ.

GEminas obtinere apud Christianos Orientales Arabicas Versiones V. T. alteram ad usum Ecclesiæ Antiochenæ, alteram Alexandrinæ, Valtonius Proleg. 14. §. 18. testatur. Utraque è Septuaginta expressa Christianos habet Authores. Illarum Exemplaria reperisse se in Bibliotheca M. Ducis Etruriæ autumavit Cornelius à Lapide
B in argum. Comment. ad Proph. Min. sed D. Abbas Renaudot apud P. Le Long Bibl. Sac. c. 2. sect. 5. pag. 176. in publico Ecclesiæ Alexandrinæ Officio receptam esse asserit linguam Græcam, & Versionem Septnaginta; extra usum verò Ecclesiæ alteram illis suppetere Versionem Arabicam, ex ipsis Septuaginta expressam. Addit insuper, Græcos Antiochenos vel Syros Melchitas publicis usibus habere Syriacam Versionem, privatis verò Arabicam, ex Syriaco; quam proinde Arabicam Versionem multum ad Hebræum, unde Syriaca Versio repetitur, accedere necesse est. Biblia Arabica publici juris facta in universam Scripturam, nec unius Authoris, nec unius Operis sunt; Amanuenses enim sive Impressores ex plurium ramentis unam procuderunt, interpolatam etiam à se quandoque & corruptam; nihil
C morati an unius esset vel plurium, an ex Originali Textus expressum Opus, vel secùs. Factum inde, ait Pokokius Præfat in Polyglotta Londin. Tom. 6. occurrere subinde Librum ex Græco, & alterum deinde ex Syriaco sive Hebræo expressum.

Habere etiam Judæos suis usibus Translationem aliquam Arabicam Simonius testatur (6). Verùm neque Christianorum, neque Judæorum opera, nec vetustate ac proinde nec authoritate plurimùm præstat. Ex quo enim obtinere desiit lingua Syriaca, & populi Saracenicæ dominationis jugum subeuntes victoris populi idiomati assueverunt, Versionibus illis operam navatam constat. Tradit etiam Hottingerus Dissert. 3. de translat. Biblior. in Linguas Vernac. pag. 110.,
D Translationes Judæorum recentissimas esse, & non nisi post Abulfedam, qui sæculo 13. vel 14. Ecclesiæ florebat, obtinuisse. Scriptor enim ille de Libris Hebræorum sermonem habens, testatur, nullum adhuc sua ætate Arabicis literis traditum fuisse; sed Scriptoris Judæi mentem Hottingerus planè non assequitur; id enim tantùm ejus verbis insinuatum est: nimirum Judæos Translationes suas Arabicas non Arabicis, sed Hebraicis characteribus scripsisse. Qua tamen in re falli Judæum constat, cum in Bibliothecis Exemplaria quædam Bibliorum Arabica ipso Abulfeda vetustiora serventur.

Vasæus Hispan. Chron. ad 717. pag. 698. Hisp. illustratæ, & Mariana De Rebus Hispan. ad an. 737. adornatam narrant à Joanne Episcopo
E Hispalensi circa A. J. C. 717. Arabicam Bibliorum Versionem ex Hebræo, cujus plura Exemplaria suppetere adhuc in Hispaniis idem Mariana testatur. Sed hæc omnia uno innituntur testimonio Roderici Ximenii Archiepiscopi Toletani, defuncti A. 1208. qui illustratas Catholicis Commenta-

(1) Morin. Exercit. Bibl. exerc. 8. c. 2.
(2) Elias Levita Præfat. in Meturgamin, in Adden. ad Biblioth. Sacr. P. Le Long. p. 6. 57.
(3) Huet. de Claris Interpretibus §. 6.
(4) Hottinger. l. 1. Thesau. Philolog. c. 3. sect. 1.
(5) Ganz Tzemach David ad an. 113. vel 354. Vide Basnag. Hist. Judæor. Gallicè.
(6) Hist. Critic. V. T. Gallicè.

mentariis Arabicè scriptis Sacras Scripturas à Joanne narrat: *Sacras Scripturas Catholicis expositionibus declaravit, quas ad informationem posterorum Arabicè conscriptas reliquit*. Quid hæc ad Translationem Arabicam?

Tradit Erpenius, Præfat. in Pentat. Arabicum, R. Saadiam Gaon vertisse ex Hebræo in Arabicum universos S. Scripturæ Libros in gratiam gentilium suorum per varias Imperii Saracenici Asiæ & Africæ provincias dispersorum, cujus viri testimonium suo confirmant suffragio Abenezra, Pocockius, & Guido Fabricius Boderianus (1). D. Abbas Renaudot loc. cit. testatur, vetustissimam æquè & probatissimam inter Versiones Arabicas Scripturæ adornatam fuisse ex Septuaginta, opera *Hareth filii Senan*. Legitur in Ecclesiis Christianis Orientalibus, nec alia uti solent plerumque Theologi; sed variant adeò ejus Exemplaria, ut vix duo inter se congruere deprehendantur. Aliæ plures, sed minùs celebres Versiones Arabicæ feruntur; quamquam geminæ illæ, de quibus jam egimus, communiori usu & præstantia probantur, illa quidem apud Judæos, hæc apud Christianos. Fusiùs hoc argumentum prosequi nostri non est instituti; id solùm annotasse contenti quod Lectori ideam aliquam harum Versionum exhibuerit. Psalterium in Polyglottis Parisiensibus & Londinensibus excusum opus est *Hareth* è Septuaginta expressum.

Versio Æthiopica è Septuaginta pariter adornata est, utì ex Codicum Græcorum, & potissimùm ex Ms. Alexandrini (2) collatione constat; nec minùs obscurè idem produnt capita & Psalmorum inscriptiones, eædem planè quæ in Græco servatæ. De tempore ac de Authore hujus Translationis ambigitur. *Salama* qui confundendus creditur cum *Frumentio* Apostolo Æthiopiæ à S. Athanasio misso, tribuendam Æthiopes arbitrantur; eidemque pariter vindicat Martyrologium Abyssinorum, in quo Æthiopicis literis traditas ab ipso Scripturas legimus. Malunt alii (3) novem primis gentis illius Apostolis deputare; manentque in Libris Æthiopicis versus eam Versionem Æthiopicam ex Arabico indicantes. Sed Ludolpho ea sedet opinio, nimirum nomine *Librorum Sacrorum* designari tantùm Constitutiones, & Canones Apostolorum, quas ex Arabicis Exemplaribus desumptas constat. Profectò si de Libris Scripturæ nomen illud usurparetur, testimonium Martyrologii deferendum credimus, cùm S. Athanasii & Frumentii ætate nulli adhuc Arabici Bibliorum Codices noscerentur. Consultum est igitur, si cum D. Abbate Renaudot apud P. Le Long. in Adden. Biblio. Sac. pag. 666., & D. Simone Hist. Critic. V. T. Gallicè versionem Æthiopicam nostræ ætatis derivatam statuamus ex Cophtica; quam cùm ex Septuaginta desumptam constet, cur Græco respondeat Æthiopica nemo jure mirabitur. Scitum est sanè post subjectam jugo Mahometanico Ægyptum, Ecclesiam Æthiopicam in jus Ecclesiæ Cophtorum in Ægypto concessisse, & ab illa pariter Sacros Libros recepisse. Versio Æthiopica Psalmorum, cujus interdum sententias in medium adduximus, nihil habet observatione aliqua majoris momenti dignum; neque alia de causa à nobis laudatur, quàm ut certam statuamus quorundam locorum Septuaginta lectionem, simulque demonstremus, ita pariter lectum in Exemplaribus, è quibus expressa Versio Cophtica sive Ægyptia, ex qua Æthiopica derivata est.

EXERCITATIO
IN POESIM UNIVERSAM, ET HEBRÆORUM POTISSIMUM
D. ABBATIS FLEURY.

D. Abbas Fleury hanc Exercitationem pluribus ab hinc annis scripserat, inserendam Operi, quod meditabatur, de Poesi Veterum. Eandem nobis, pro ea qua est comitate, participans opera nostra publico tradendam concessit.

Nostram Sententiam de Poesi Hebræorum exposuimus in peculiari Dissertatione Exodi fronti affixa.

Quemadmodum in rerum quibusdam articulis ad motus minime simplices facilesque, saltandi, cantandi, clamandi, natura urgente impelli solemus; ita pariter magnis quandoque passionibus agitati ad ea ciemur, quæ sedato mentis oculo intuentibus audacia in figuris & similitudinibus, insueta in sermone & exaggerata videntur. Quo verò impetu ad cantum movemur, eo pariter ad servandas certas in sermonibus rationes ducimur; ut scilicet observata dimensione syllabarum, harmoniæ & musicæ numeris facilior cantus fluat & commodior. Hinc versus, & cantilenarum rythmi, sicut & grandiora illa verba, audacioresque figuræ, quæ maximè in carminibus spectantur. Non est igitur cur vehementer miremur, si nulla unquam tempora, nullæ per Orbem gentes poeseos ignaræ, quemadmodum nec cantandi & saltandi, reperiantur. Nec ipsi omnium confessione barbaricis moribus incultissimi populi, eum à se cultum duxerunt alienum; quemadmodum olim in Gallis & Germanis Musicam & Poesim amantibus à Priscis observatum, & hodie pariter in Nigris, Caribus & Iroquis scitum est.

Cum Orientales omnium primi vitæ cultui expoliendo studuerint semper, & acri polleant ingenio, tum & passionibus agitentur plurimùm, omnium primi insitam hanc naturæ propensionem ad artis regulas redigendam curarunt. Ægyptiorum & Syrorum memoriam maximè in scriptis suis ea in re servandam Græci censuerunt. Extat etiam inter Poetarum Græcorum carmen in obitu Adonidis (4), quod ab eo videtur expressum, cujus est in Ezechiele 8. 14. mentio; & Syram habet,

---

(1) Vide P. Le Long, Biblioth. Sacra c. 2. Sect. 5. pag. 180. (2) Ludol. Hist. Æthiop. c. 4.
(3) Epist. PP. Societ. de ann. 1607. 1608. c. 15. pag. 28.
(4) Theocrit. & Bion.

habet, quemadmodum & tota illa fabella, originem. Regnasse autem pariter apud eas gentes musicam, satis indicant Dei per eundem Prophetam cap. 26. 13. in Tyrios oracula, minitantis scilicet, omnia se & cantica & citharas suppressurum. Huc etiam spectat illud Isajæ 23. 16. Tyrias meretrices citharam pulsantes canentesque ad vias Urbis percurrendas invitantis.

Ad Ægyptios quod attinet, Musicam, quo nomine etiam Poesis designatur, jam inde à vetustissima ætate apud eas gentes obtinuisse, summoque semper studio cultam, veluti Religionis avitæ Legumque portionem, ex Platone de Legibus lib. 2. docemur. Tradit insuper, singula musicæ & chorearum genera numinibus quibusdam ab illis assignata fuisse, certis constitutis diebus & cæremoniis, quibus singula illa exercerentur; quod B apud illos inviolatum erat, & sanctum adeò, ut si quis innovare aliquid tentaret, à Sacerdotibus tam viris quàm mulieribus implorata Magistratuum ope prohiberetur, impietatisque nota reliquo vitæ spatio inureretur, siquidem pervicaciùs obsisteret.

Veterum omnium Orientalium scripta, unde aliquid de Poesi doceremur, omnia præterquam Hebræorum interciderunt; quare veteris apud eosdem Orientales Poesis unum restat Sacræ Scripturæ specimen. Ejus lectione intelligimus consecratam ab illis poesim usibus Religionis: & quamquam prophana apud illos carmina non deessent, colligendum tamen nobis arbitramur, eandem obtinuisse penès hosce populos, quæ apud Ægyptos, leges, sive illæ in Ægyptum ex Hebræis derivatæ fuerint, sive ad utrosque ex eodem C fonte deductæ. Paria philosophari licet de cæteris gentibus vetustissimæ originis; Græcorum enim Poesis maximum erat Religionis ejusdem gentis momentum, & in ipso sui exordio tamquam sacrum aliquid & Divinum suspiciebatur.

Quidquid Poeticum habetur in Sacra Scriptura, sive Cantica sunt, quibus variæ animi affectiones exprimuntur, vel sententiarum Collectiones, quibus instruimur. Prolixum vetustissimumque Carmen exhibet Liber Job, utriusque generis Poesim complectens, cùm eò potissimùm collimet, ut insinuet, viros quandoque probos exercere Deum, non ut puniat, sed ut probet probatosque coronet. Itaque fusiùs in eo constituuntur dogmata ad justitiam, & providentiam Divinam pertinentia, tum ad præmium virtutis & crimi- D num pœnam, ac tandem ad debitam jussionibus Divinis submissionem præstandam, & bonæ conscientiæ securitatem tuendam; neque hæc tantùm, sed & vivida etiam tùm malorum Job cùm indignationis amicorum ipsius pictura exhibetur.

Salomonis Proverbia, sicuti & Psalmorum plures solas tantùm moralis disciplinæ regulas præscribunt; cùm vicissim sanior pars Psalmorum & Cantica omnia passim in Scriptura occurrentia intimos animi affectus vel erga Deum vel erga homines præseferant. Ad Deum pertinet majestatis ipsius admiratio, laudes, obsequium, pro acceptis beneficiis gratiarum relatio, implorata criminum venia, postulata quædam sive spiritus sive corporis commoda: quæ scilicet quatuor omnium fermè illorum sacrorum carminum argumentum E complectuntur. Pingitur etiam dolor, gaudium, indignatio, ira, & aliæ quædam passiones, sive ad ipsum qui loquitur, sive ad alios homines sive pios sive impios pertinentes.

Porrò tam pathetica poeseos ratio vividas plurimas figuras & expressiones exhibuisse credenda est; siquidem figurarum vis & stili non ampullosa granditas passionibus debetur. In eo igitur maxima spectatur Poesis Hebraicæ gravitas, & decor, ut nihil sit ejus generis, quod Lucubrationes illas vel æquet vel superet. Nihil in illis nisi figuratum, & crebrò raptimque aliam alia

A figuram excipit; nec minùs crebrò raptimque loquentium personæ aliæ aliis substituuntur.

Modo Propheta loquitur, statim Deus, dein vir justus, vel impius, sæpè pariter inanimata, veluti montes & flumina, vocem simul & sermonem usurpant. Quàm expressis coloribus Deus majestatis depingitur, Cherubinis assidens, & nubibus vectus, qui uno oculorum suorum ictu terram concutit, cujus furore ipsa montium fundamenta quatiuntur, qui profundum abyssi intuetur. Crebras adhibent Sacri Vates similitudines, ex rebus maximè familiaribus iis, ad quos directa carmina, deductas. Quid enim, maximè in Palæstina, familiariùs, quam palmæ, cedri, leones, aquilæ? Non est igitur, cur nostris ideis comparationes illas metiamur, quò certum de B earum dignitate judicium feratur; neque id constituendum, quasi singula verba ad similitudinem referantur. Plerumque enim tota comparationis ratio ad unum tantùm restringitur, reliquis, quæ adjiciuntur, omnibus non comparationi servientibus, sed rei, unde deducta similitudo, sub oculis exhibendæ. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas*, i. e. dentes tui albo sunt decore micantes, æquales & ordine continuato.

Stilus adeo à prosa oratione abhorret, ut idioma planè diversum videatur. Quare siquis fortè tantum Hebraicas literas calluerit quantum ad historiam satis, post evolutam Genesim, eùm benedictiones Jacob legerit, nihil prorsus assequitur; nihilque ex libro Job, præter exordium & C exitum, tenet.

Hujus rei in causa sunt voces aliæ planè in soluta, aliæ in adstricta oratione familiares, sicut & frequens metaphoræ atque audacior usus; Syntaxis etiam irregularitas, qua verba plurima à legentibus supplenda resecantur. Est etiam stilus repetitionibus redundans, ut eadem geminata & diversa verborum circumlocutione repetantur. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam; & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*. Ps 50. In reliquis etiam ejusdem Psalmi eadem spectes. Id autem sibi præstandum ducebant, quò singuli conceptus commodiùs degustarentur, sive quòd Cantica duplici choro alternarentur, sive alia quadam ex causa.

D Quidquid tamen sit, repetitiones illæ apertissimum & familiarem stili poetici characterem exhibent. Eo indicio sermonem Lamech cum utraque Uxore sua de occiso à se Cain poeticum agnosco; quod planè, siquidem vera opiner, omnium, quæ noverimus, carmen vetustissimum habendum est. Qui eo verborum & figurarum apparatu panduntur conceptus, non ad veritatem tantùm, gravitatem, & utilitatem compositi sunt, utpotè Spiritu Sancto afflante inspirati, sed nihil faciunt reliqui interdum ad elegantiam, & nitorem, sublimius nihil & exquisitius.

Illustre hujus exemplum præfert Ps. 138. scientiam Dei, quam nihil latet unquam, veluti sub oculis exhibens. In Ps. 18. Vir justus intimos animæ suæ aliorumque ad se attinentium recessus scrutans, in medium adducitur. In 103. ma- E gnifica simul & jucunda de Natura, &, quæ illam gubernat, Providentia Divina. Longus essem si cæteros hujus saporis omnes percurrerem. Nec temerè sacros Vates conceptus suos effutiisse credas; cùm potiùs maximo singula artificio disposita sint. Psalmus, & Carmen quodcumque lucubrationem exhibet absolutissimam, in qua suus partibus ordo, & naturalis contextus series. Interdum alter altero continuatur, ut Pss. 102. 103. 104. 105. 106. unius ejusdemque Carminis in gratiarum actionem concinnati portiones. Namque Ps. 102. Deum laudat pro bonis gratiæ acceptis,

103. pro

103. pro bonis naturæ; 104. pro impetratis à Deo beneficiis; 105 implorat criminum suorum veniam, & ambo hi Psalmi unam historiæ seriem continuant; 106. grates Deo rependit omnium mortalium nomine pro collata ipsis ope in quatuor summis vitæ humanæ casibus, fame, captivitate, morbo, & naufragio. Speciale argumentum maximè prosequuntur Pss. 17. & 18. & 21. & 77. & 88. & 90. duo item Cantica Moysis, alterum nempè in Exodo post transfretationem Erythræi, alterum in Deuteronomio paulò antè obitum ipsius.

In carminibus, quorum nullus nisi ad arbitrium ordo, utpotè quæ sivè intimos passionum motus exprimerent, sivè quæ morales aliquas regulas nullo inter se necessario vinculo connexas referrent; acrostichum artificium, nempè juxta seriem literarum alphabeti, juvandæ facilè memoriæ gratia, servatum est. Hujus sunt generis Lamentationes Jeremiæ, Pss. 33. & 98. aliique nonnulli, ac tandem Mulier illa fortis in exitum Libri Proverbiorum.

Nec prætereundum est, in Libro proverbiorum, cæterisque Carminibus ad moralem facultatem pertinentibus, veluti in Pss. 1. & 14. & 36. aliisque pluribus, sicut & in maxima Libri Jobi parte parum quidem de pathetico, multum autem vicissim de metaphoris, similitudinibus, vividisque descriptionibus, unde nomen Parabolæ, Proverbia, Ænigmata, derivatum est. Ejus stili obscuritas exercendis grata occupatione ingeniis tantummodo servit; sed altiùs penetrandæ sunt magnæ illæ veritates vividis simplicibusque imaginibus expressæ. Ita ego quidem de re tota judicaverim: Moysis poesim robustiorem esse, & virilem, Salomonis verò dulcem, & comptam. Videat, si cui libuerit, quomodo variis Præfationis suæ in Proverbia locis varia muliercularum artificia, capiendis incautis adolescentibus, dipingat. Nihil ibi desideratum, non igniculi amoris, non vincula, non spicula, quibus corda sauciëntur, non alæ, quibus uti volatu quodam incauti amatores in retia ferantur; nihilque quod in profana poesi molles spirat amores prætermissum est; eo tamen discrimine, quòd in illa turpes amores insinuantur, apud Salomonem verò absterrendis adolescentulis exprimuntur. Hæc argumenta, consilia, ideæ, figuræ, elocutio in Poesi Hebræorum spectantur. Quanquam ad elocutionem quod attinet, ejus judicium vix alius quàm qui Hebraicæ linguæ mysteria omnia habet explorata, ferre potuerit; cum alii non nisi per oppansum Translationis velamen respicientes, totam ejus elegantiam spectare oculis non possint; maximè in Psalmis duplici velamine obtectis. Vulgata enim illorum Versio ex altera Græca Septuaginta expressa est. Periculum ejusdem rei fiat in literali aliqua Translatione locorum quorumlibet elegantissimorum, quæ apud Latinos Poetas occurrunt. Et quò melius comparatio deducatur, literis Gallicis tradantur Interpretationes Latinæ Poetarum Græcorum; statimque quàm differat ab Originali translatio illa, intelligemus; eodemque pariter judicio æstimanda erit elegantia Poesis Hebraicæ, cujus saporem aliquem libant illi pariter, qui nonnisi Latinis literis traditam degustant.

Plures adhuc erant olim nec minoris momenti in ea Poesi gratiæ, quas nemo nostra ætate, ne Judæi quidem rerum suarum peritissimi, norunt. Cùm enim, ut in cæteris linguis, quarum desiit usus, contigit, ita pariter Hebraicæ linguę vetus pronunciandi ratio interciderit, omnis quoque in verbis harmonia, in syllabis numerus, unde maxima carminibus gratia manet, inexplorata est. Desiderantur etiam regulæ, ut, sicut & in Græco & in Latino, certa syllabarum quantitas, nomina, & numerus pedum, versuum Syntaxis teneatur, quamquam omnia hæc servata fuisse ab Hebræis ignoraverit nemo. Spectantur enim

A in eorum carminibus adjectæ literæ vel resecatæ in fine dictionis, quibus mensuræ syllabarum serviretur; recurrit etiam sæpe vox *Sela*, quam vacuo cuidam spatio replendo positam crediderim. Tandem S. Hieronymus, veluti si explorato nosset, de versibus Hebraicis ita loquitur, ut Libri Job versus hexametris comparet, Psalmorum, Lamentationum, Canticorum carminibus Horatii, Pindari, cæterisque Lyricorum Græcorum. Verùm post S. Doctoris ætatem vetus metrica apud Judæos ars penitùs interciiit, locusque novæ alteri, ex Arabibus desumptæ, datus est.

Nec minùs latent, quæ ad Musicam & choreas, à carminibus Hebræorum nunquam divisas, pertinent. Non enim nisi ad cantandum versus pangebantur; quemadmodum ex ipso nomine *Sir* vel B Cantica, & *Mizmor* sive Psalmi, exprimitur. Ipsa pariter Ecclesiastica historia decantata quandoque carmina narrat, ut in transitu Maris rubri docemur; ac tandem idem planè demonstrant Psalmorum inscriptiones, nomina quorundam musicæ Præfectorum præferentes. De ejus musicæ harmonia ex ipsa carminum elegantia, cæterisque quæ huc usque deduximus, non iniquum judicium ferendum est.

Junctas etiam cantilenis choreas quis nesciat? cùm illi, quorum sæpè in Scriptura mentio, chori ex mulieribus virisque saltandi peritis constarent. Sermo est etiam in eadem Scriptura de choreis in publica aliqua solemnitate, ut puta pro relata victoria ipsisque etiam Religionis cæremoniis, veluti in solemni Arcæ Fœderis in Sion tra- C ductione sub Davide, in dedicatione Jerusalem sub Nehemia, cùm scilicet duo canentium chori alternatis modulis in mœnibus Urbis canentes, juncto deinde simul cœtu, in Templo cantarunt. Multa sunt igitur nobis de Poesi Hebræorum incognita, cùm nudam tantùm literam omnibus extrinsecis ornamentis destitutam spectemus. Alia profectò erat species carminis in ore Musicorum in ipsa solemnitatum pompa. In medio Templi Salomonici & inter populorum turbas, aulas omnes & Templum opplentes, versari oporteret; statuendaque coram oculis Ara victimis onusta, candida Sacerdotum corona cincta, & paulò remotiùs Levitas in plures choros distributos, alios instrumentis, alios cantilenis, alios ad modestiam & gravitatem compositis choreis ludentes, aspicere: horum, inquam, medium versari oporteret, quò D decora illius Poesis omnia explorata haberentur.

Nunquam apud Hebræos, quantum scimus, obtinuerunt Comœdiæ, Tragœdiæ, carmina Epica, neque aliud ejus Poesis genus, quod Plato imitationis appellat. Canticum Salomonis, Dramatici carminis genus est, in quo variæ eloquentes personæ inducuntur. Idem & in Psalmis aliisque Poeticis Scripturæ Operibus, nullo excepto, spectatur. Ad hæc, Cantica non seriem quandam rerum, sed intimos animi sensus exprimunt; quod omnibus imitationis carminibus peculiare credimus: nihil poeticum in Scriptura, quod non Cantica sint, Psalmi, Odæ; quæ omnia jam inde à pristinis sæculis sola obtinuisse Plato testatur. Nec aliunde quidem accepisse Græci Dramatica carmina videntur; omnesque ejus generis E Vates captivitate Babylonica recentiores sunt.

Psalterium Collectio est 150 Carminum variorum Scriptorum, & argumenti, quæ si quis animo minùs advertens percurrerit, eadem semper se legisse crediderit; quò verò accuratior seriaque magis lectio, eo plura deprehenduntur & varia, novisque figuris ornata. Hæc porrò varietas in optimis quibusque vetustis carminibus regnat; rarior est apud Recentiores, quorum plerumque Lucubrationes poeticæ morositatis habent plurimùm. Figuræ autem illæ vividæ quidem sunt, sed naturales: interrogationes, apostrophæ, exclamationes.

Psalmi in quibus unum regnat Scriptoris consilium,

lium, certam habent connexamque rerum ideam. Ita Psal. 17. quo gratiarum actiones Deo pro depulso hostium metu à Davide persolvuntur, primùm omnium Vatis ærumnas exhibet; continuò ad preces convertitur; tum exauditum se à Deo profitetur; provisumque cælitùs dicit, ut imminens sibi malum depelleretur. Potestatem hic Dei, quæ naturam omnem concutit, poeticis coloribus depingit. Actos deinde in fugam à Deo hostes, seque à metu liberatum cantat. Cur verò hæc omnia? quò justitia & virtus David suo præmio donaretur. Verso tunc stilo, florentem rerum suarum statum, & super adversarios suos in ultimas calamitates redactos prostratosque victoriam Deo refert acceptam. Plura etiam deinceps sperat; ac tandem pristinas laudes resumens, similem exordio orationi epilogum imponit. Porrò hæc omnia, eodemque ordine Psalmus complectitur; qua nulla aptior methodus, ut scilicet primò omnium oppressio exponatur, dein preces, tum impetratæ opis confessio: quænam illa? Nimirum devicti hostes, innocens relevatus, ipse non ab eorum oppressione tantùm, sed & supra illos evectus; paria mala in hostes ipsos conversa.

In Psalmis historicis narrationis series alia planè quam in vulgatis historiis texitur. Illustria tantùm facta & majoris momenti in medium adducuntur; & si quid occurrat ad genium Carminis, in eo sanè Poetæ ingenium exercetur.

Josephi historia in Ps. 104. ita describitur. *Deus vocavit famem super terram, omne firmamentum panis contrivit; misit ante eos* (filios Jacob de quibus egerat in superioribus) *virum. In servum venundatus est Joseph.* Grande hic Scriptoris ingenium, ipsum Dei consilium attingens, & nobili figuræ proprietate exponens, in ipso narrationis limine licet spectare. Fami præcipit, & tanquam mortalium aliquem alloquitur Deus. Quæ de *firmamento panis* expressa sunt, nulla vernaculi sermonis voce satis exæquaremus. Hic enim Scriptura, sicut & alibi, panem i. e. cibum comparat scipioni, cui senex innixus lassata membra sustentat; ut panem homini subducere perindè habeatur, ac senem, quo sustinetur, scipione privare. Quas verborum circumlocutiones relecans Scriptura, concisè & ad genium linguæ ait, famem omne panis firmamentum (scipionem) conterere.

Exhibens deindè Psalmus Josephum ferro onustum, ejus in carcere moram pingit; tum versus ad Deum stilus, qui verbo & sapientia sua donatum virum illum libertati restituit: *Misit*, ait, *Rex & liberavit eum, Princeps populorum, & dimisit eum; constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ: ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, & senes ejus* (viros Reipublicæ amplissimos) *prudentiam doceret*. En tota Josephi historia, captivitas, liberatio, potentia data à Deo, omnia sub oculis exposita. Hujus generis narrationes apud Virgilium spectantur, qui illustrissima Romanæ historiæ monumenta in descriptione clypei Æneæ sub uno veluti conspectu exhibet.

Sublimes æquè & delicatos conceptus si quis velit, illud animadvertat: *Domine probasti me, & cognovisti me; tu cognovisti sessionem meam & resurrectionem meam*. Porrò *sessionis* nomine quies designatur; *resurrectionis* verò, actio, juxta illud: *Surge Domine in requiem tuam* (Hebr. *post requiem*) id est, post requiem ad agendum surge. Deus igitur externos actus habet exploratos; neque eos tantùm, sed *Intellexisti cogitationes meas de longe; semitam meam & funiculum meum investigasti*. Ad hæc: *Et omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea* (me etiam silente). *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua*, (futura & præterita) & ex communibus ad singularia descendens; *Tu formasti me, & po-*

A *suisti super me manum tuam*, ut me servares pariter, & deduceres: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*; immensa est adeò ut cogitatione illam assequi non possim. Tum novo raptus œstro repentè exclamat: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Omnesque latè Mundi dimensiones complexus: *Si ascendero in Cœlùm, tu illic es; si descendero in Infernum, ades*. Tum & figura etiam splendidiori usus: *Si sumpsero pennas meas diluculo; & habitavero in extremis maris*, (in extremis Orbis qui pelago terminatur) sive juxta Hebræum, *Si sumpsero pennas Auroræ*.

Quid verò tunc, cum ad extrema Orbis Vates recessisset? Non hìc tantùm quemadmodum in superioribus, inventurum se Deum dicit; sed de-
B licata magis, & docta phrasi mentem suam ita exprimit, quasi si à viro aliquo temeritatis & stultitiæ accusaretur, quippè qui latebras ab obtutu Dei quæreret; tantùm enim abest, ut à Deo sese subduceret, quin potiùs *Illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Quantum enim cogitatione assequi possim, nunquam tamen eo pervenerim, ut absque Deo me aliquid præstitutum credam. Quando etiam alis instructus, uti jam innui, volarem, tu me deduceres, ac supposita dextera sustineres. Nihil his addendum supererat; sed novam statim penitiorem prodit ideam, latebris quærendis: *Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis*
C *meis* (nocte oblector, ut alii luce). Sed stulta reputavi; *Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ ejus* (nocti); *ita & lumen ejus* (diei).

Exerant nunc censoriam virgam quicumque nostræ ætatis sibi de ingenio plaudunt, & bonos illos Palæstinæ agricolas ruditatis damnent; quin ex Authoribus prophanis sublimius aliquid & magis limatum depromant; ne quid memorem abditas illas Theologiæ speculationes, & solidæ pietatis sensus, qui verbis illis insinuantur. Reliqua ejus Psalmi non vulgaria pandunt de fœtu hominis in utero matris, & prædestinatione; exinde vates ad exhibendas obsequii sui in Justos, & contemptus in impios significationes excurrit.

Figurarum varietas per omnes æquè Divinos
D hosce Psalmos, sed maximè in Canticis, ad instructionem & ad preces factis, plusquam in historiis regnat. In Ps. 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, nobis, si quis alius, familiarissimo, Vates primò argumentum suum pandit, Divinas nempè erga homines curas aggreditur exponendas, suamque illam ideam binis assumptis phrasibus, quarum sibi invicem verba justissimè respondent, exequitur. Namque duplici proximè succedente versiculo, hominem eo beneficio donatum loquentem inducit; & ita inducit, ut gemina usus figura in secundo versiculo hominem exhibeat ad Deum verba facientem; in altero verò vates ipse, veluti tertius aliquis ea de re loquatur. In quinto Va-
E tes suis verbis hominem Dei protectione munitum affatur, novas semper promens metaphoras & similitudines, variaque decurrens opis præstitæ à Deo genera. Sed in nono versiculo vir Justus loquentem intercipiens, veluti eorum quæ dicta sunt rationem assignaturus, exclamat: *Tu es Domine spes mea*; statimque excipiens Poeta: *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum &c.* Pergensque per quatuor succedentes versiculos, majora semper de protectione Divina apud virum Justum prædicat. Inter hæc, Dei ope protectum nec Angelorum auxilio destitui; nihil cum Dæmones, bestias illas venenatas lædere. Tandem tribus novissimis versiculis ipse Deus verbis suis illum confirmat, rata simul habens quæcumque toto eo Psalmo disputata sunt; alia simul de protectione sua pandit, totamque demùm orationem facta vitæ æternæ & visionis beatificæ promissione claudit. Qui de

Poetis

Poetis aliquid legerunt, norunt quid sit, cur ex altera ad alteram personam, ne dato quidem Lectori animadvertendi spatio, transitus fiat; nihil enim frequentius apud Horatium non in Odis tantum, sed in Epistolis & Satyris; ut proinde minimè necessarium sit eum Psalmum 90. inter Dramaticos censeri; plerique enim alioqui ejus generis haberentur.

Pauca ista sufficient, ut ad alia ejus generis cognoscenda deducamur; passim enim recurrunt non in Psalmis tantum, sed & in Job, cujus carminis genus vividius est magisque splendidum cæteris Lucubrationibus Poeticis in Scriptura legendis. Consule, si placet, Canticum in calce Deuteronomii, & Canticum Barach & Deboræ.

Quamquam hæc ita se habent, non tota tamen Operum nobis spectata pulchritudo; ne quid memorem morum, & idearum ejusdem rei inter nos & Hebræos discrepantiam. Profectò consilium tantummodo, conceptus, & figuræ solæ nobis ex omnibus in Poesi illa panduntur; eloquutio viris tantum Hebræis peritis dijudicanda; reliqua, harmoniam nempè verborum, carminis, & musicæ numeros, ne uni quidem ex omnibus in toto Orbe cognita defendo. Quanti autem hæc omnia sint ad Poesim momenti, neminem ignorare arbitror.

Genuina Hebraicæ linguæ pronunciatio, quemadmodum & Græcæ, Latinæ, cæterarumque, quarum usus jam desiit, prorsus ignoratur. Intercidisse vero jam inde a pluribus sæculis ex eo discimus, quod Septuaginta, S. Hieronymus, aliique Veteres easdem voces variè Latinis Græcisque literis expresserint. Quod in Græcis Latinisque carminibus manet, versuum scilicet numerus & syllabarum mensura, in Hebræis desideratur. Nec pariter de musico eorundem carminum numero non apud Hebræos tantum, sed & Græcos Latinosque, quidquam exploratum; cum tamen alioqui ad musicam destinarentur, quemadmodum ex Historia & Psalmorum Inscriptionibus discimus.

Plato enim, quod sanctum erat bonæ illius Antiquitatis dogma, constituit, nunquam committendum, ut carmen a musica sejungeretur; neque carmina ad alios, quam ad cantandum, usus scribere, sive musicam sine carminibus solis instrumentis canere, citra piaculum licere arbitrabatur. Sed quis musicus eorum carminum numerus? elegans oppidò, ut ex hisce potissimum argumentis deducitur. 1. Elegantia verborum & Carminum artificium paria sibi cætera fuisse significant. 2. Instrumentorum varietas variis in S. Scriptura occurrentibus nominibus proditur. 3. Chori Musicorum refertissimi, qui a parentibus suis, uti credimus, instructi facultatem illam maximum professionis suæ momentum habebant, multum ad eam rem contulisse credendi sunt; cum de tam multis saltem aliquos peritissimos evasisse vix dubitemus.

Porrò si de re obscura judicium ferre permittimur, Musicam illam simplicem maximè suspicor, ut harmoniam omnem non musicus aliquis numerus, sed apta exprimendis animi sensibus, emovendis cordibus, insinuandisque Poetæ conceptibus verba conficerent. Deerat proinde illa ex variis musicæ partibus consonantia leposque, qualis in musica nostræ ætatis sentitur: divinans tamen hæc dissero, non explorati quidquam affirmo.

De verborum elegantia unde judicium feramus nihil est; cum, uti supra insinuavimus, simplicissimæ nimisque literæ servientes suppetant Translationes. Porrò si quis vernacula lingua Odas Horatii ad literam reddiderit, lepos aberit omnis. *L'argent n'a point de couleur, Crispe Saluste, ennemi de la lame cachée dans les terres avares, s'il n'est éclairci par un usage moderé* (1). Stropham hanc quòd fortuito occurrerit, in medium adduxi; sed omnium primam inter ejus Opera afferamus: *Mecenas descendu d'ayeuls Rois, o mon appui, & mon doux ornement. Il y en a qui se plaisent d'avoir amassé en courant la poussiere Olympique, & que la borne irritée par le roues, & la palme illustre éleve aux Dieux des terres* (2). Cum hæc duo fortuitò elegerim, in cæteris idem facilè observari potuisse autumo. Cæterum Latinam verborum collocationem, quam Gallica lingua vix patitur, perverti: nonnulla etiam magis ad literam reddere potuissem, uti illud: *Il n'y a nulle couleur a l'argent* (2; verti, *L'argent n'a point de couleur*; & illud *Ma garnison* (3), reddidi: *Mon appui*. Debuit profectò plus aliquid convenisse inter Gallicum & Latinum, quorum ille ab altero derivatus est, quam inter Græcum sive Latinum & Hebraicum, qui nullo affinitatis, quantum scimus, vinculo conjunguntur. Nostra pariter translatio ex Latino in Gallicum facta est; quare Psalmorum Versionem melius exhibet carmen aliquod Pindari ex Latina interpretatione Gallicis literis traditum. En aliquod, nec sanè arduum.

Hymnes regnans sur le Luth, quel Dieu, quel Héros, quel homme louerons nous? Certainement Pise est a Jupiter, & Hercule à institue le combat Olympique, le premices du butin de la guerre. Mais c'est Theron, qui il faut chanter de la voix, a cause de sa course dans un char a quatre chevaux vainqueur. Ce juste hoté appui d'Agrigente, fleur d'Ancetres illustres, Gouverneur des Villes. (3). Plura hujus saporis in Pindaro legas, quæ sine paraphrasi reddita nullum aptum sensum referunt.

Quæ huc usque a nobis de Originalis elegantia disputata sunt, debitum erga Vulgatam obsequium nostrum non minuunt. Fatum est planè inevitabile, quemadmodum ex adductis huc usque exemplis plane demonstratur; nimirum Lucubrationes Poeticas, si in alteram linguam vertantur, plurimum ingenui leporis citra vitium Interpretis demittere.

Septuaginta, Græcè Scripturam tradentes, literæ pro viribus serviendum duxerunt; veriti ne paraphrasis aliquid Textus integritati officeret. Profectò nisi idem in Psalmis consilium servassent, nihil in illis de figuris & phrasibus Originalis agnosceretur; nec abs re prorsus ambigeremus, ne fortè pro sensu Prophetiæ, Interpretis sensus legenti subreperet. Cum verò primi illi Fideles Romæ cæterisque in regionibus Latinè loquentibus literas Hebraicas ignorarent; Scripturarum Translationem è Græco Septuaginta adornandam susceperunt; quam illorum Versionem toto eo spatio, quoadusque scilicet Versio S. Hieronymi non reciperetur, 600. scilicet annis circiter, in Ecclesia obtinuisse constat. Quare cum universus Christianus populus tam longa ætate recitandis ex ea Translatione Psalmis assuevisset; & ab omni, etiam exteriorum rerum, mutatione semper abhorreret Ecclesia Catholica, Versionem ipsam è

(1(Italice sic: *L'argento non ha alcun colore, Crispo Salustio inimico della lama nascosta nelle terre avare, se non splende per un'uso moderato.*

(2) *Mecenate disceso da Avi Regi, O mio appoggio, e mio dolce ornamento. Vi è chi si diletta di aver raccolto correndo la polvere Olimpica, e che la meta irritata dalle ruote, e la palma illustre eleva a' Dei padroni delle terre.*

(3) Italice: *Nessun colore è all'argento. L'argento non ha alcun colore.*

(4) *Mia difesa. Mio appogio.*

(5) Italicè: *Inni regnanti sopra il Liuto, qual Dio qual Eroe, qual uomo loderemo noi! Certo Pisa è di Giove, Ercole ha istituito il combattimento Olimpico, le primizie della preda della guerra. Ma è Therone quello di cui bisogna cantare colla voce, a causa del suo corso in un carro a quatro cavalli vincitore. Questo giusto ospite, appoggio di Agrigento, fiore di Antichi illustri, Governator di Città.*

Græco expressam retinendam judicavit. Dissidet illa quidem sæpius à Textu Hebraico, qualis hodie, & qualis etiam S. Hieronymi ætate legebatur; nonnulla etiam obscuriora, & magis ardua continet; sed vicissim in pluribus etiam meliora Exemplaria sive meliorem lectionem secutos Septuaginta constat. Nunquam Versio hæc nostra nisi Catholicum sanumque sensum præsefert; quod satis habendum arbitror. Neque eidem Versioni admittendæ difficiliores nos præbere par est præ tot Viris Sanctissimis, qui jam inde ab ipsis Ecclesiæ crepundiis ex ipsa eadem Versione & precum & instructionum suarum ad populum argumenta deduxerunt.

Neque ingratum accidit Ecclesiæ, si quis è suis filiis ad varios consulendos Textus se conferat, quò scilicet sensus omnes atque totum Psalmorum leporem sub oculis ponat, quemadmodum inter cæteros Cardinalem Bellarminium præstitisse constat. Cæteras Poeticas Scripturæ Lucubrationes ex Versione S. Hieronymi ex Hebræo expressas habemus.

Non est autem cur vehementer miremur, si in rebus Poeticis alius planè sit nostræ ætatis, ac veterum genius. Ut enim assentatio omnis abeat, fatendum est, Poesim hanc nostram multò vetustæ illi concedere; quamquam enim cultiori utamur eloquio, & naturæ magis studeamus, quàm veteres illi, & elapsi sæculi Poetæ; in rebus tamen multum illis deferimus. Potissima enim Poetarum occupatio sunt blandi quidam, & molliusculi amores, crapula, & alia hujus generis, ut non nisi voluptatem carmina spirent; atque id tandem commissum est, invito licèt antiquitatis, quam imitatione exprimendam suscipiunt, genio, ut infames illæ cupidines cum toto vitiorum sese comitantium satellitio in Tragœdiam & Heroica carmina irrumpant; quæque ad gravitatem componenda erant carmina, hæc adolescentulorum animis lasciviam instillarent; nihil morantes variorum Poeticorum characterum adeò religiosè à Priscis servatam distinctionem.

Ego quidem nunquam in animum induxerim, dignam hanc esse nobilium ingeniorum occupationem. Quis credat Deum ad hoc potissimùm homines quosdam instruxisse acri quadam imaginandi facultate, vividis rerum ideis, gratia, in seligendis verbis felicitate, ac tandem cæteris omnibus, quibus Poeta formatur, quò præclaris hisce animi dotibus jucundè nugari, & criminosas quasdam voluptates dulciùs insinuare permittantur? Crediderim potiùs tot simul veluti lenimentis severioris veritatis dogmata mulceri voluisse, quò faciliùs sorberentur; & veluti cibus sapimentis, ita pariter utilissima ad mores instruendos dogmata carminis blandimentis condirentur.

Ut quid tandem utile separetur à dulci? Ut quid doctrina salutis, & pietatis, stili inelegantia & prolixitate, in medicamina quædam ingrata vel in cibos insuaves & tristes paretur; quos cùm gustare cogaris, valida mentis rationisque intentione te præmuniri necesse sit? Cum interim genius, studium, politiores artes impendantur sapimentis pharmacisque componendis, quorum illecebris pellecta juventus exsorbet? Sive igitur Poeticas artes omnes damnare oportet, quod sapientium nemini probabitur; sive digniori argumento reddere, & cum genuina illa probataq; Philosophia, nempè cum morali doctrina & solida pietate, componere. Novum illud quidem esset scribendi nostris literis genus, neque enim vulgata sunt hactenus Opera satis digna, quorum esset Christianum argumentum; satisque scio sæculi hujus corruptionem atque nimiam ingeniorum licentiam totum undique Orbem pervagantem, magni adversùs Lucubrationes illas futuras momenti: sed facilè etiam ea in re nonnihil ab Authoribus peccatum est. Neminem ego quidem offendi, qui Cantica ejusdem characteris ac in Scriptura pangerent, & in ipsis, quorum Translatio adornata est, Psalmis non satis provisum est, ut figuræ omnes, quæ potissima est elegantia hujus generis Operum, servarentur. Quidquid Translatio appellatur, illud paraphrasum adeò prolixarum genus est, ut sensus Prophetæ non nisi aliis plurimis intermixtus oppressusque tradatur. Quare facilè præstaret imitatione illos potiùs, quàm vertendo exprimere; & cùm ejus generis carminibus plura contineantur à nostris usibus moribusque abhorrentia, laborandum esset proinde, ut paria ad nostros mores conderentur. Nimirum in mysteria novæ Legis, ejus constitutionem, & successum, in gesta Sanctorum; in beneficia, quæ genti nostræ, regioni, Urbi Divinitùs collata sunt; in axiomata doctrinæ moralis, in felicitatem justorum, in contemptum divitiarum &c.

In suscipiendis ejus generis Operibus an arduum aliquid occursurum sit, me penitùs fugit. Consilium tamen illud optimum fuisse quis negaverit? Et si quis de suis viribus ea in re desperet, non est tamen cur liventi oculo meliori successu in idem argumentum laborantes suspiciat. Plurimi igitur æstimanda est Poesis Hebræorum, quando etiam de ejus imitatione desperaretur.

DISSERTATIO
IN MUSICAM VETERUM, & POTISSIMUM HEBRÆORUM.

CUm de musica Veterum ac potissimùm Hebræorum agendum cogitamus, simplex statim aliquid ac rude succurrit: semel enim falsa illa persuasione occupati, mortalium res omnes perfici in dies, & sæculum nostrum politiorum artium cultu rerumque cognitione omnibus retro sæculis præstare; ita pariter de Musica phisophamur, rati nostris in eam rem inventis Veterum harmoniam & ruditatem multùm concedere. Ex quo tamen ipsum vetustatis limen attingitur, statim hæc omnia è mente facessunt, & præjudicatis opinionibus ipsa rei veritate derogatur. Neque enim bona illa vetustas ingenio nobis quicquam ac rerum inventione cedebat. Vincebant etiam studio in musicam suo nostros in illam amores. Plus erat pariter ea ætate Musicis concessum quà honoris, quà divitiarum, quàm hodie ejus generis hominibus tribuatur. Illud denique constat, admiranda & prodigiosa fermè de veterum musica referri, quæ frustra à nostra quæras. Est itaque ambigendi locus, an musica nostrorum temporum ejusdem sit cum veteri perfectionis.

Veteris musicæ simplicitatem, tanquam rudioris adhuc facultatis defectum, plures quidem reputarunt: nos tamen jam perfectæ dotem illam fuisse defendimus. Quò enim ad naturam ars aliqua magis accesserit, eò perfectior habenda est: simplicem autem musicam ad naturam magis accedere, & hominis vocem ejusque passiones meliùs imitari quis neget? Labitur illa faciliùs in intima cordis, movendisque affectibus nihil aptius, uno verbo, singulares musicæ effectus blandiendi nempè cordisque emovendi, tutiùs assequitur. Fallimur etiam in ea, quam Musicæ Veterum tribuimus, simplicitatis notione. Simplicissima enim erat unàque pariter numerosissima.

Quàm

Quàm multa enim norant Veteres instrumenta hodie nobis incognita, cùm interim neque simphoniæ ratio, neque vocis harmonia illos lateret (1)? Illud etiam commodi Musicæ illi præ nostræ accidebat, quod instrumentorum sonus verba non obrueret, sed adjuvaret; unaque simul melodia aures mulceret, & cor pariter blanda titillatione emoveretur, cùm interim spiritus carminis elegantia, suavitate, & granditate caperetur. Impressæ à carminibus ideæ menti spectaculo erant, ac symphonia interim aures, & corda oblectabatur. Nihil est proinde cur miremur, si de musicæ veteris effectibus mira ferantur; juncta enim simul habebat, quæ in nostris theatris non nisi divisa delectant.

Nec minùs falluntur, qui musicam tanquam recens inventum suspicientes, perfici semper ulteriùs credunt, ut quò magis in dies adolescit, eò majores gratias acquirat. Vetustissima est enim musicæ facultas, & sæpiùs è culmine suo excidit; ut proinde in præsentia magis pristino statui recipiendo, quàm novo alicui acquirendo laboret. Noti erant ante Diluvium & Musici, & musica instrumenta, cujus ætatis fragmenta quædam Poetica, canenda sane à Musicis (cùm olim carmina omnia musicis usibus destinarentur) supersunt. Jubal (2) *fuit pater* (docuit nempe) *canentium cithara, & organo*, Hebr. *Kinnor*, quod facilè lyram designat, & *Huggab*, nempe vetus organum, de quo infra. Porrò Jubal sextum à Cain parentem habuit Lamechum, ejusque ætate nonam jam generationem, si Adam & Jubal computentur, Mundus a creatione sua numerabat. Est igitur musicæ epocha ante Diluvium constituenda, vetustissima oppidò & nunquam longiùs repetenda. Quod sanè mirari subit de musica facultate, vitæ usibus prorsus non necessaria. Patet ejusdem artis vetustas etiam ex historia Jacob, qui socero suo Labano clam relicto aufugerat; hunc enim Labanus deinde prosecutus, cum in montibus Galaad tenuisset, his verbis Jacob objurgavit Genes. 31. 27.: *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer tecum gaudio & canticis, & tympanis, & citharis?* De singulis hisce instrumentis peculiari Dissertatione agemus.

Aliud de vetustate Musicæ argumentum deducitur ex ipsa Poesis antiquitate; altera enim ab altera olim non sejungebatur (3). Nullum enim erat carmen, quod musicæ usibus non destinaretur, idemque habebatur carmen cantare ac recitare. Porrò nullis sæculis nullisque gentibus ignotam fuisse Poesim satis constat. Illud Lamechi ad geminas uxores suas Adam, & Sellam Genes. 4. 23.: *Audite voces meas, uxores Lamech; auscultate sermonem meum: Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum, septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech verò septuagies septies*: verba, inquam, hæc vetustum carmen referunt, quemadmodum & benedictiones, quas Noe in Semum, Japhetum, & maledicta, quæ ille in Chanaan (4) imprecatus est. Carmen pariter reddunt postrema Jacobi morituri verba Genes. 49.. Carmen magis elimatum magisque ad regulas musicæ prompsit Moyses in Cantico, quod occasione transfretationis Erythræi cecinit.

Vetustissimi omnium Græciæ Scriptores Poetæ sunt (5), ut scripta prosa oratione Opera nonnisi post carmina obtinerent. Quin & primi illi solutæ orationis Scriptores poeticum gustum & A phrasim, eandemque in tractandis argumentis rationem servarunt, ut solo numero, & sono eorum Lucubrationes à Poeticis distinguerentur. Cæterùm eadem erat utrinque, in ornamentis scilicet & poeticis fabellis admiscendis, licentia. Hinc Herodotus e. g. omnium primus, quorum historia ad nos transierit, Opus suum novem Musis inscripsit, & plurima, quæ fabellam sapiunt, Opus illud inseruit. Cadmus Milesius primus legitur, qui historiam prosa oratione scripserit (6). *Pherecides Syro Insula oriundus, qui primus versuum nexu repudiato, conscribere ausus est passis versibus soluto loquutu, prosa oratione*, ait Apulejus, B in Flor.

Porrò vetus hoc Poesis genus nihil habebat cum posteriori Græcorum, & Romanorum commune; neque enim fabularum quodam contextu fluens oratio otiosorum animos detinebat, sed philosophicum quiddam spirans unà simul delectabat pariter & docebat (7). Quare scitè admodum veteres Græci studiorum exordium filiis suis Poesim statuebant (8). Musici, cæterique canendo instrumentis periti aptissimi etiam puerorum institutores habebantur, cùm artem excolerent quàm opportunam continendis in ordinem passionibus, & animis ad moderationem & sapientiam for- C mandis; quod solemne erat Pythagoricorum axioma. Porrò Philosophus ille tanquam Divinum aliquid & Cæleste musicam suspiciebat, sedandis mulcendisque animi passionibus linimentum; inde auspicari diem mandabat, inde meditationem & precem, ut spiritus in tranquillo constitutus inde se turbis negotiorum daret. Argumenta carminum non fabulosæ tantùm origines Deorum, & Heroum, & laudes præbebant, sed facta etiam historica, leges populorum (9) & Triumphatorum præclarè atque insigniter gesta, triumphi, funera, & nuptiæ. Tandem Poesis & musicæ studium post militares exercitationes maximè seria reputabatur, & virorum insignium dignissima D apud veteres occupatio (10).

Heroes illi, quorum apud Veteres memoria, Musicam colebant omnes, ut artem illam ignorasse probro apud eos duceretur. Chiron, Hercules, Achilles instrumentis ludere docti erant. Themistocles oblatam sibi in convivio lyram recusans, illiberalis educationis suspicionem præbuit; eò usque animos hominum tenuerat persuasio, musicam formandis hominibus necessariam esse. Optimè constituta urbium politia habebatur, quæ plus studii in musicam contulisset, ait Plutarchus lib de musica. Suus erat Musicæ usus in bellis, in cœtibus religiosis, in festis; & suus pariter in studio Politices, Moralis, E & Legisprudentiæ. Musicus enim perinde habebatur ac sapiens (11), sicut & imperitus aliquis rudisque eo nomine exprimebatur: *Amousos*. Is Græcorum gustus.

Apud Ægyptios minor erat musicæ honor, cùm juxta Diodorum Biblioth. lib. 1. pag. 51. Ægyptiis interdicta esset, studiumque illud non tanquam inutile tantùm, sed etiam perniciosum haberetur. Inclinasse tamen in illam Ægyptiorum animos, maximè in cæremoniis Religionis, S. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. insinuans, supplicationem quandam Sacerdotum Ægypti describit, cui Musicus, Symbolum facultatis suæ ferens, quique memoria duos libros Mercurii teneret (primum nempè hymnorum in laudem Numinum, alterum institutionum Regum) præibat.

(1) Senec. epist. 48. *Nonne vides quàm multorum vocibus chorus constet? Unus tamen ex omnibus sonus redditur. Aliqua illi acuta est, aliqua gravis, aliqua media. Accedunt viris fœminæ, interponuntur tibiæ. Singulorum ibi latent voces, omnium apparent.*. (2) Genes. 4. 21. (3) Plutarch. Libello de Musica.
(4) Genes. 9. 25. 26. 27. (5) Strabo Geograph. lib. 1.
(6) Plin. lib. 7. *Prosam orationem condere Pherecides Syrius instituit; Cyri Regis ætate Historiam Cadmus Milesius.*
(7) Plato lib. 2. de legibus. (8) Strab. lib. 1. pag. 2. (9) Vide Aristot. problem. n. 19. 59. Cicero Tuscul. l. 4.
(10) Cicero Tuscul. lib. 1. *Themistocles in epulis cum recusasset lyram, habitus est indoctior.*
(11) Quintilian. lib. 1. Gellius lib. 20. cap. 11.

præibat. Quare non inviti credimus, Diodori **A** testimonium referendum esse ad Musicam, qualis ætate sua obtinebat, non ad veterem illam; cùm teste Platone de Leg. lib. 2. summo studio incumberent Ægyptii servandæ Musicæ à Patribus suis Numinibus consecratæ, in qua non minima Religionis & Politiæ portio. Job, qui apud Idumæos Moysis ætate florebat, non solum musicæ & cantus, sed & instrumentorum pariter meminit (1). Urbs Tyri musicam amavit, quemadmodum ex Isaia 23. 16. & Ezechiele 26. 13. intelligimus.

Barbaræ gentes nihil, quidem literis mandabant, sed historias suas, genealogias, & Religionem carminibus complexæ, servandas memoriæ tradebant, ut de Druidis apud Gallos, & Bardis apud Germanos & Britones relatum est; **B** eorumque Sacerdotes instrumento non absimili lyræ usos Diodorus Siculus est author. Cæterum Græcorum veterum musica nihil theatris serviebat; nec magis apta mollibus quibusdam passionibus excitandis habebatur; sed masculo vigore pollens, infrænabat passiones, mores formabat, animum confirmabat, ac tandem in Deum & sancta quæcumque reverentiam inspirabat. Molle illud & perniciosum Musicæ genus recens obtinuisse, Plutarchus lib. de Musica animadvertit; observans Platonem ideò potissimùm musicam è Republica sua eliminasse, quòd additionibus pluribus & transmutationibus depravatam nosset; i. e. abusu musicæ ætatis suæ deterritum.

Modò ad musicam Hebræorum, quos sanè in studio musices nulli gentium cessisse satis con- **C** stat. Paulò post relatum ex Ægypto pedem, Moyses Canticum digessit, de prodigiosa transfretatione Erythræi gratias acturus; illud autem in cœtu Virorum concinit, cùm interim Maria ejus soror tympanum, quale apud Veteres obtinebat, pulsans, idem Canticum psallens, choreas pariter cum sono instrumentorum misceret (2). Post impensum aureo vitulo cultum, *Populus sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, uti legimus Exod. 32. 6.

Animadversione dignum est, Moysem nihil in Legibus de musica, in Sacrificiis & solemniis Religionis adhibenda edixisse; jussit tantùm, itinere per desertum penè absoluto, tubas (3) fabricari, tribus diversis usibus destinatas: 1. Ut sacrificiorum solemnium & religiosorum convi- **D** viorum pompam augerent: 2. Ut exordium anni Jubilæi, Sabbatici, & mensium annunciarent: 3. In bellis adhibebantur, quò militibus pugnandi ardor augeretur, eo veluti signo Divinæ præsentiæ opisque ab eo præstandæ exhibito. Hos tantùm religiosos musicæ usus in Libris Moysis invenimus. Nihil autem ea de re Levitis à Legislatore injunctum, quibus unicè mandatum est, ut ad nutum Sacerdotum Tabernaculo Domini servirent. Nihil illis de tubis permissum, quibus canere soli Sacerdotes jussi sunt; nec sanè id muneris ab aliis præstitum tum in bello adversùs Madianitas, cùm in circumducendis copiis Jericho, & alibi sæpiùs. Is **E** rerum status adusque Davidis ætatem mansit.

Rex ille pietate insignis, cùm maximè in musicam inclinaret, & instrumentis peritissimè luderet, ejusdem musicæ usum in Tabernaculum Domini invehere constituit. Reputabat enim multùm ea re ad pompam & majestatem divini cultus tum & leniendos populi mores collaturum. Ad hæc, aucto in immensum Levitarum numero, è re esse videbatur, ut singulis aptas ministerio suo, quo Domini obsequiis destinabantur, occupationes traderet. Cantica igitur scripsit, instrumenta etiam musica construenda curavit, quæ Levitis pulsanda tradens, jussit insuper carmina illa canere ante Dominum, in ejus Tabernaculo, cæterisque Religionis cæremoniis. Post ædificatum Templum res meliori ordine & pompa processit, atque intermissus in captivitate Babylonica usus, ea soluta restitutus est, mansitque tandiu, quoadusque universa Judæorum Respublica à Romanis non excinderetur.

Quò autem justa concipiatur idea tum Hebræorum in musicam æstimationis, cùm usus illius in rebus sacris & Templi; in medium proferenda censemus ea, quæ à Davide de ordine, numero, & distributione Cantorum sancita sunt. Inter duodecim Tribus Levitica Domini servitiis & cultui tota & unicè destinata erat. Ex omnibus verò ejusdem Tribus familiis Aaronica tantùm Sacerdotio ejusque muneribus addicta; cæteræ secundaria ministeria ad nutum Sacerdotum præstabant. Ex illis alii præ foribus Templi excubabant; alii verò occupabantur, quà laudibus Domini, quà instrumentis canendo. Erant qui victimas ad Sacrificium pararent, hostias deglubentes, lavantes, concidentes, decoquentes, ac tandem ligna in usum Altaris parantes.

Frequens semper Cantorum turba Templi servitiis aderat; nec rarò inter Cantores nomen suum addebant Levitæ foribus Templi præsidentes; uti de Levitis è familia Core janitorum munus gerentibus memoriæ proditum legimus 1. Par. 26. 1. cantasse nimirum illos, sicut etiam dictasse plures Psalmos, eorum nomine inscriptos. Leguntur etiam Coritæ inter Cantores sub Josaphat Rege 2. Par. 20. 19.. Obsequiis Templi addicti erant 4000 Janitores, totidem Cantores, & præterea 24000. Levitæ, variis gerendis ministeriis occupati. Singuli alterno ordine ministrabant; sed Præcentorum, & Janitorum perpetuum erat munus. Porrò serviebant in Templo 24. classes tam Sacerdotum, quàm Levitarum, quibus singuli 12. viri præerant, ut totus Præfectorum numerus impleret 288. Præfectos Sacerdotum, Cantorum, Janitorum cæterorumque Ministrorum Templi 1. Par. 25. 7. Ex eo Principum numero certum deduci potest argumentum de numero cæterorum Sacerdotum, & Levitarum, ex quo maximè labente Davidis Regno scribi cœpti sunt viri ab anno ætatis vigesimo.

Rebus musicis in Templo præerant sub Davide, & Salomone Asaph, Heman, Idithum; ex quibus Asaph quatuor erant liberi; Idithum sex; Heman 14. omnes verò illi 24. numero, totidem musicorum classibus singuli singulis præfecti sunt. Parebant cuilibet undecim alii Præfecti secundarii, vulgares Musicos regentes simul & erudientes. Non abs re credimus, classes illas variorum instrumentorum ludendi peritia (3), simul & diverso Templi, quem tenebant, loco distingui. Medium occupabant Caathitæ: lævam Meraritæ: dexteram Gersonitæ (5). Filii Idithum canebant *Kinnor*; filii Asaph *Nabal*, vel *Psalterio*; filii Heman *Mezilothaim*, quod tintinnabuli cujusdam genus credimus. Ita uni tantùm instrumento occupati, curas omnes suas eò intendentes, nec ad alia distracti, commodiùs perficiebantur. Certis proventibus eorum sustentationi à Domino provisum; & cùm autem illam velut avitam in familia sua haberent, ejusque specimen coram universo populo tribus vicibus quotannis ad Templum ventitantes exhibere cogerentur, his veluti stimulis ad perfectionem artis incitatos fuisse credimus.

Pro-

(1) Job. 21. 11. 12. (2) Exod. 15. 1. 20. (3) Num. 10. 2.
(4) Vide 1. Par. 25. 1. 3. (5) 1. Par. 4. 33. 34. 39.

Profectò publica Græciæ certamina, quæ totius Orbis ſpectatores evocabant, in quibus decreti victoribus honores & præmia, tantum ad perficiendas artes & gymnaſtica excitamenta valebant; quis credat parum ad perficiendos Muſicos Templi contuliſſe, quòd ludere cogerentur coram univerſæ gentis concione; cùm maximè peritiæ ſuæ hoc ſibi præmium ſpondere potuiſſent, potiundi nempè totius claſſis ſuæ præfectura, quod non infimum habebatur familiæ decus & ornamentum? Erat etiam Levitarum Hebræorum nomen inter externos Muſicos inclytum. Plurimam illorum turbam transferendam curavit in Transeuphrathæa Nabuchodonoſor, poſt everſam Jeroſolymam; eos verò Babylonii non incurioſè rogabant, ut Pſalmos Sion cantarent. Sed Viri illi ſervitutem lugentes ſuam, muſica inſtrumenta, quæ ſecum detulerant, ſalicibus in ſignum deſertæ proteſſionis ſuſpenderant; flagitantibuſque reponebant. *Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* Pſ. 136. Cantabant illi quidem interdum, ſed ſoli inter ſe vices regionis ſuæ, & Templi everſionem deplorantes; pangebant carmina lugentibus mœſtiſque fratribus relevandis; Domini opem implorabant, ſub ejus oculis exhibentes veterum promiſſionum fidem, quarum tandem memor afflictis parceret. Fatebantur tamen, humilem depoſcentes veniam, criminum ſuorum granditatem; rogabant ut ſoluta tandem captivitate, tot malis finem imponeret. Hæc argumenta carminum, quæ in captivitate Babylonica ſcripſerunt Hebræi, triſtia illa plerumque & lugubria.

Nondum conſtat inter Commentatores, an Templi obſequiis vel ſaltem extraordinaria aliqua occaſione fœminæ Cantatrices, vel inſtrumentis ludere doctæ ſervierint. Id enim indecorum maximè Rabbinis videtur; neque indecorum tantùm, ſed rem plenam periculi rebantur, ſi Miniſtrorum ſanctitas fœminarum conſuetudine in diſcrimen poneretur. Quare non niſi extraordinaria quadam occaſione, adhibitas fuiſſe fœminas Cantatrices in cæremoniis Religionis, & non niſi cùm illæ extra Templum agerent, Sanctius, Cornelius à Lapide, & Interpretes plerique autumarunt. Ita luſiſſe fœminas legimus poſt transfretationem Erythræi, poſt relatam à Davide de Goliath victoriam, cùm Arca Jeroſolymam deduceretur, in triſti Regis Joſiæ funere, dum ſcilicet Cantores omnes & Cantatrices Hebræas Jeremiæ Lamentationes ea de re ſcriptas cantantes luxiſſe ſcriptum eſt 2. Par. 35. 25.

Contraria tamen nobis unà cum doctiſſimis aliis Interpretibus ſedet opinio; nimirum in magnis per annum Solemnitatibus adhiberi conſuevisse fœminas Cantatrices, ſub Præfectis, Hebræo nomine *Mnazeach* appellatis, ſervientes; de quibus Præfectis nos alibi fuſiùs (1). Porrò his viris tanquam Præcentoribus fœminæ illæ utebantur; nec plerumque earum puellarum choros niſi fœminæ Levitarum implebant. Summa tamen cautione & modeſtia, ea quæ ad fœminas pertinebant, agebantur; ab aliis enim Muſicis diſcretæ, diviſam à viris claſſem conſtituebant. Singularis in ſpeciem ſententia optimis Scripturæ documentis demonſtratur. In cenſu filiorum Heman, viri inter tres primores muſicæ Templi Præfectos, 12. filii, & tres filiæ numerantur 1. Par. 25. 5. Ut quid, rogo, recenſerentur præter Scripturæ morem fœminæ, niſi quòd illæ idem

A cum fratribus, canendi munus coram Domino præſtarent? Cùm Arca è Cariath-Jarim inſigni pompa Jeroſolymam deduceretur Pſal. 67. 26., puellarum chori ſub Præcentoribus ſolemnitatem augebant. In cenſu eorum, quos Eſdras è captivitate Babylonica reduxit, 200. inter viros fœminaſque Muſicæ peritos numerantur, quos ſanè Templi ſervitiis deſtinatos fuiſſe nullus dubito 1. Eſdr. 2. 66. 67. &c. 2. Eſdr. 7. 67. Hanc ſententiam tuetur Lyranus ad 1. Eſd. 2. 66. laudans teſtimonium ex Paralipomenis à nobis ſupra deductum de tribus puellis Heman.

Paraphraſtes Chaldæus in Eccl. 2. 8. disertè tradit, conſtitutos à Salomone in Templo Cantores pariter & Cantatrices. Gemina cenſent Toſtatus, & Menochius (2); quemadmodum
B & Grotius, & Caſtalio in 1. Par. 15. 20. quo in loco Hebræus legit Zachariam, Ozielem, Semiramoth, alioſque ſeptimæ claſſi muſicorum ex puellis conſtanti præfuiſſe (3). Pſal. 9. inſcribitur *Ben* ſive *Benajæ Præfecto Muſices in Choro puellarum* (4). Porrò Templum Domini veluti Aula Domini Iſraelis habitum, plures in obſequium ſui, tanquam Domino præſente, miniſtros exigebat. Nihil ibi deſideratum pro more Regum Orientalium, non menſa, non aromata, thronus, conclavia, Præfecti, Chori Muſicorum tam virorum quàm puellarum.

Philo de Vita contempl. narrans choreas & cantilenas, quibus Therapeutæ ſolemnium dierum pompam celebrabant, in duos diviſos choros cantaſſe illos tradit. Omnibus præcinebat totamque ducebat muſicam vir aliquis ad id con-
C ſtitutus, ac poſt cantum, viri fœminæque, ſeorſùm tamen, choreas ſparſim hic & illic inſtituebant; ſubitoque veluti repentino œſtro divinitùs abrepti & voces ſimul & choreas jungebant, mixtumque ex viris fœminiſque, melos gratum harmoniæ genus auribus præbebat. Potuit itaque non abſimili cæremonia in Templo rebuſque ſacris ſervari, quam Therapeutæ, viri in primis graves ſapienteſque, à cœtu ſuo non ducebant alienam. Narrat pariter idem Philo, ſervari apud Judæos omnis generis & metri carmina, quæ coram Altare, aliis ſtantibus immotis, aliis choreas ducentibus, cantarentur.

Præter muſicam Templi ſuus erat chorus Muſicorum, Regiæ Aulæ ſervitiis deſtinatus: *Numquid audire poſſum ultra vocem Cantatorum, at-*
D *que Cantatricum?* ait Berzellai ad Davidem, ſe in Aulam invitantem 2. Reg. 19. 35. Salomon, qui cùm nihil ſibi ad voluptatem reliquum feciſſet, muſicam pariter amavit, *feciſſe ſibi* ſcribit *Cantores & Cantatrices* Eccleſ. 2. 8. Regiæ huic muſicæ ſub Davide præfuiſſe Aſaph crediderim; quippe qui 1. Par. 25. 2. de illo ſcriptum legitur: *Prophetantis juxta Regem*; Hebr. *Ad manum Regis*. Porrò Regiæ erat magnificentiæ apud Orientales, ſi puellis canendi peritis ad ſolatium in quiete noctis & in conviviis inſtructiſſimam Aulam haberent. Tono vocis & ſuavitate cæteris præſtans puella præcinebat, reliquis ſuccinentibus (5). Has fœminas Perſæ appellabant *Zarba*, vel *Barza*, (6). Parmenio de capta à ſe Damaſco Alexandrum per literas faciens certiorem, ſimul nunciavit, recepiſſe inter
E captivas 329. puellas ex Aula Darii muſicæ peritas (7). Porrò aliæ ludendi inſtrumentis, aliæ canendi, ac tandem aliæ canendi ſimul & voce & inſtrumentis doctæ habebantur (8). Hunc luxum & pompam Aulæ Perſarum adoptarunt

Parthi;

(1) Vide Diſſertationem in Lamnazeach.
(2) Toſtat. quæſ. 14. in 1. Paral. 25. Menoch. ibidem.
(3) 1. Par. 15. 20. Binſalim al almoth. בנבלים על עלמות
(4) Vide Comment. in Pſ. 8. 1. in Argum.
(5) Athen. lib. 3. & 12. (6) Suidas, in Mouſourgos.
(7) Apud Athen. l. 13. c. 9. (8) Suidas Ibid.

Parthi (1); & referente Herodoto lib. 1. cap. 17. legimus Haliattem Regem Lydiæ in expeditione adversus Milesios habuisse in exercitu suo viros pariter & mulieres instrumentis canendis doctas. Strabo Rex Sidoniorum voluptuosissimus si quis alius in historia Princeps, inter frequentissimos semper choros fœminarum musicarum, quæ instrumentis canere & choreas ducere norant, medius versabatur (2).

Notum fuisse apud Hebræos usum musicæ in theatris atque spectaculis, nuspiam in Scriptura apparet; neque enim id genus voluptatis norant, cum apud Græcos pariter recens habeatur inventum. Cæterùm alterius cujuscumque generis carmina, adeoque & musicam, gentem illam non latuisse constat. Leguntur in Scriptura Epinicia, carmina, invectivæ, actiones gratiarum, epithalamia, cantica mœroris & gaudii, tum & moralia & deprecatoria. Dramaticum genus refert Canticum Canticorum, quamquam non ex illis, quæ spectaculum præbere possint audientibus; cujus pariter artificii sunt Psalmi, in quibus Deus & Psalmista sive Justus in Dialogi morem loquentes inducuntur. Liber Justorum interdum apud Josue 10. 13., & Reges 1. 2. c. 1. 18. laudatus, historia carmine scripta creditur, carmine, inquam, veteri, cujus generis fragmenta quædam supersunt in sententiis veterum Philosophorum (3). De vindemialibus cantilenis (4), sicut etiam iis, quæ vinum potantes effundebant, sermo est in Scriptura: *In me psallebant qui bibebant vinum* Ps. 68. 13. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia & vinum in conviviis vestris*, ait Isai. 5. 12. *& opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis*. Et Amos 6. 5. *Qui canitis ad vocem Psalterii, sicut David, putaverunt se habere vasa cantici* (peritiam nempe instrumentis canendi) *bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph*. Non nisi per abusum musica ad eum statum devenerat in Israele; sed maximum fuisse ejusdem Musicæ usum apud Judæos eo apertissimo argumento demonstratur. Disertè etiam idem mos exprimitur in Ecclesiastico pluries. Vide Eccl. 32. 5. 6. 7. & 40. 20. & 49. 2.

Poesis, musica, & instrumenta in funeribus Hebræorum obtinebant. Omnium vetustissimum funebre carmen illud legitur, quo David funus Saulis & Jonathæ luxit 2. Reg. 1. 19.; altero idem Rex funus Abner prosecutus est 2. Reg. 3. 33.; cantico pariter celebratissimo funus Regis Josiæ Jeremias ingemuit, 2. Par. 35. 25.; eodem funeris genere Judæ Macchabæo Hebræi parentarunt. Isaias prophetico lumine lapsum Imperii Babylonici & funestum Regis illius obitum intuens, funebrem quamdam orationem instruxit, his verbis: *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum! Contrivit Dominus virgam Dominantium, baculum impiorum .... Quomodo cecidisti de Cœlo lucifer qui mane oriebaris &c.* Isai. 14. 4. 5. 12.. Porrò solemni apparatu Cantica illa recitabantur sive à necessariis defuncti viris fœminisque, sive à lamentatricibus & lamentatoribus mercede conductis Jerem. 9. 17. Amos 16. 17. Si funebris aliqua pompa alicui fortè occurrisset, negociis suis omnibus relictis, addere se cæteris, atque communi se dolore miscere tenebatur, quò spectat illud Evangelii Luc. 7. 32. Matth. 11. 17. *Lamentavimus & non plorastis*. Jesu Christi ætate addebantur in claris funeribus ad pompam augendam tibicines Matt. 9. 23.. Sed ea de re fusiùs in dissertatione de luctu Hebræorum.

Quæ de musicæ effectibus mira apud Hebræos referuntur, cæteris à Scriptoribus prophanis traditis ea de re fidem astruunt. Convaluisse quosdam ab infirmitate solo musicorum instrumentorum sono; viris quibusdam emotæ mentis sive spiritu conturbatis salubrem fuisse musicam legimus: sopitus aliquando furor, seditiosæ interdum factiones compositæ; mitigatæ violentissimæ alioqui passiones. Nihil eorum supra fidem reputandum est, postquam in Scriptura legimus, Saulem tetra quadam melancholia agitatum, cui pariter Dæmon stimulos torquendo misero adjiciebat, lyræ à Davide pulsatæ sonitum præsentissimum à morbo suo remedium expertum fuisse 1. Reg. 16. 23.. Quare si de Alexandro Magno legimus, modò arripientem arma, modò assumpta deponentem, prout Artigenides Musicus vario ludendi instrumenti sui artificio mite aliquid sive martiale inspiraret (5); si furentes insania & libidine juvenes, atque ad effringendas fores ad honestæque cuidam fœminæ vim inferendam procurrentes, Pythagoras sistere gradum & arma ponere coegit, seria tantùm canere instrumento suo Musicum quendam jubens, vix erit ut hæc omnia incredulos Lectores nanciscantur; quippe qui norint Saulem in cœtu Prophetarum varii generis instrumentis ludentium exceptum (6), divino quodam Spiritu subito animatum in alium virum transiisse, cæterisque Prophetis comitem se cantando & prophetando adjecisse. Idem pariter Rex certior factus, Davidem apud Samuelem in Najoth Ramathæ (7) divertisse, manum suorum misit, qui concentu Propheticorum instrumentorum simul & vocum audito, divino repentè œstro abrepti, canentibus sese adjunxerunt. Manum alteram submisit Saul, qua pariter ad similia studia conversa, ipse tandem Rex venit, nec tamen aliter cum illo ac cum cæteris factum est; Divino enim insiliente Spiritu agitatus, antequam ad cœtum Prophetarum veniret, in Prophetam qua gestu corporis, quà motibus, quà etiam prophetica loquendi ratione transmutatus est. Vix autem ad Prophetas illos pervenit, vestibus positis, in prophetando i. e. in cantando atque propheticis motibus sese agitando diem integram noctemque traduxit.

Monstri loco habenda sunt ea, quæ contigisse narrantur in exercitu Joram Regis Israel, Josaphat Regis Juda, & Regis Idumææ. Cum tres illi Principes per deserta Moab exercitum ducentes, extrema & inevitabili aquarum penuria laborarent; Josaphat omnium sociorum Regum religiosissimus quæsivit, num Propheta aliquis Domini in exercitu occurreret. Adesse Eliseum renunciatum est, quem convenientibus tribus simul Regibus, vir sanctus viso Rege Israelis, nihil habere se cum illo negocii dixit; iret, & maternos Prophetas consuleret: Respondit Joram, numquid id fieri potuisset, ut Deus tres simul Reges in manus Moabitarum tradendos eo deduxisset? Tunc statim Propheta revereri se dixit Josaphat Regem Juda, cæteros alioquin se ne aspectu quidem dignaturum. Nunc verò, ait, adducatur ad me vir canendi instrumentis peritus. Cùm venisset, atque instrumento suo luderet, statim Spiritu Sancto in Prophetam insiliente, vir sanctus in propheticas voces effusus est 4. Reg. 3. 15.. Porrò aspectus Regis Israelis ejusque voces Prophetam aliquantò commoverant; sed in pristinum mentis statum sono instrumenti restitutus, Divini Spiritus impressionibus excipiendis sese comparavit.

En alterius generis exemplum, quo bellicos spiritus militibus Josaphat excitatos, atque terrorem hostibus incussum discimus. Cum Ammonitæ, Moabitæ, aliique Arabiæ populi junctis simul

(1) Plutarch. in Crasso. Vide Brisson. de Rgno Persar. lib. 1. (2) Theopomp. Hist. lib. 15. apud Athen. lib. 12. cap. 8. (3) Laert. l. 1. (4) Isai. 16. 3. 10. & 42. 7. 8. (5) Plutar. de Fortuna Alexandr. l. 2. Senec. l. 1. de ira c. 2. Alexandrum ajunt *Xenophante canente* (ita Musicum hunc appellat) *manum ad arma misisse*. (6) 1. Reg. 10. 6. (7) 1. Reg. 19. 23. 24.

simul armis in ditionem Josaphat irrupissent, Rex ille Domini opem imploratum se contulit, Deique verbis Propheta Jahaziel victoriam roganti spopondit. Ea spe plenus, exercitu in hostes ducto, aciem ita instruxit, ut Cantores Domini eundem, quem in Templo, ordinem tenentes, & musicis instrumentis canentes, primi in exercitu procederent. Vix ad primum instrumentorum concentum hostes subito terrore perculsi sunt, & versis inter se armis mutuis vulneribus conciderunt; Moab, & Ammon in Idumæos procurrerunt; quibus deletis ipsi tandem inter se commissi sunt. Quare omnibus occisis, hostium arma omnia & præda ultiò Hebræis cessere.

Simile exemplum occurrit in bello Abiæ Regis Juda in Jeroboamum Regem Israel 2. Par. 13. 12. Regis Juda exercitum sequebantur juxta Moysis præceptum (1) Sacerdotes cum sacris tubis, quo indicio Domini præsentia designabatur: *Ergo in exercitu nostro Dux Deus est, & Sacerdotes ejus, qui clangunt tubis, & resonant contra vos.* Vix sacrorum instrumentorum sono, & clamore populi Juda ab hostibus audito, tantus illorum animos terror incessit, ut in fugam omnes dilaberentur. Præterea quæ in obsidione Jericho contigisse leguntur, cùm sacrarum buccinarum clangore & clamoribus Hebræorum mœnia Urbis concussa corruerint (2); res est enim potiùs inter prodigia quàm inter peculiares musicæ effectus censenda.

Quæ de Saule narrantur sono instrumenti & vocis Davidicæ relevato, nihil habent supra naturam; sicut etiam nonnisi juxta naturæ leges contingisse poterat, ut Saul, cæterique ab eo missi ad capiendum Davidem, inter Prophetas statim Prophetæ redderentur; quemadmodum & illud Elisei, quo se ad illapsum Sancti Spiritus excipiendum comparavit: influit enim musica in sanguinem & spiritus, quos leni quadam & dulci agitatione molliens, noxios ideò humores & melancholiam, quin & pigrioris sanguinis hebetudinem dissipat. Omnis ætatis remedium fuit, ut melancholia, phrenesis, furor, cæteraque ejus generis, lætis & jucundis curarentur; est etiam naturæ consonum maximè, ut in cœtu ludentium & cantantium ad ludum & cantum excitemur. Ita enim natura comparatum habemus, ut aliorum, quos ante oculos intuemur, motus atque instrumentorum impressiones sequamur. Porrò *prophetare* Scripturæ stilo usurpatur non raro pro subita quadam excitatione, qua ad imitandos motus & agitationes Prophetarum inducimur. Tandem animi emotio atque conturbatio, ira, & cætera ejus generis vix pati potuissent Divini Spiritus tranquillum illapsum, nisi priùs instrumentorum sono compescerentur; ex quo factum ut Eliseus ad Divinum Spiritum recipiendum se comparans, virum ludendi instrumentis peritum accerseret. Balaam, ut se colligeret, atque dispersos dissipatosque in cœtu hominum spiritus reduceret (3), in privatum secedens, aliquo temporis spatio solitarius mansit.

Atqui nulli spectantur pares in musica nostrorum temporum effectus. Cujusne vitio ea res deputanda; an musicæ, Musicisve, vel instrumentis? An potiùs nos blandis minùs tangimur, minùsque præ Veteribus illis movemur; vel fortè passionum nostrarum motibus cautiores invigilamus; aut tandem longa quædam habitudo Stoicum nescio quem stuporem in naturam transmutavit. Fieri quidem potest, ut nos animum habeamus præ illis firmiorem, & habitudine atque educatione aliquid in passionibus & sensibus nostris sive immutatum sive dissimulatum fuisse; re tamen iisdem semper nobis iidem pariter spiritus

A & passiones manent. Sit esto aliquis, qui seria mentis intentione passionum quarumdam motibus resistat; quot verò liberos se illis permittunt; id unicè quærentes, ut animis emoveantur; nec musicam morosam sæpè alia de causa auscultant, nisi ut se leni quodam blandoque motu mulceri sentiant? Alia est igitur causa hujus rei in musica ipsa quærenda. Vetus est ante mille annos cæpta querela, miram illam musicæ vim desiisse, ejusque rei invidia jam inde ab ea ætate musicam ipsam onerabant. Dolebat peritus quisque res musicas corruptas, turbatas, nihil de genuina illa nobilitate ampliùs servare.

Vossius in suo Opere de *Poematum cantu, & viribus Rythmi*, fusiùs demonstrat, & sæpiùs inculcat hanc rei Musicalis ruinam, habetatamque illam, qua olim pollebat, virtutem contemptui

B optimæ Poesis, quantitatis syllabarum, numeri & ejus, quæ verba inter & cantum servanda est, proportionis imputandam. Defecit etiam, addit, vis illa verborum, qua maximè spiritus moveretur, periit scilicet genuina illa pronunciandi ratio & carminum aptissimum metrum; musicis notis traduntur strophæ, quarum ne verba quidem assequimur. Quare blanda licèt & suavissima carmina, cum ne audiri quidem possint, nihil movendis cordibus valent. Dum aures melodiæ suavitate mulcentur, errare in incertum spiritus cogitur; quippe qui nihil satis certum & distinctum assequatur. Hinc nulla satis plena voluptas, & cor in duas partes distrahitur; cùm melodia quidem, non verò sensu carminis afficiatur. Profectò si unà simul vox, harmonia, & sensus patens verborum in spiritum influeret, aliter sanè

C quàm quòd nostra ætate soleat, moveretur; quemadmodum virtus unita plus valet, quàm divisa. Id in primis spectabant Veteres, ne quid unquam de carmine, quod canebatur, excideret: quod perquàm commodè contingebat, cum multiplex ille vocum numerus in eadem verba consonaret, omnesque simul Cantores à validiori Præcentoris voce ducerentur. Respondebat apta verbis & sensui harmonia; id agentibus peritissimis illis viris, ut quàm pollent maximè, naturam & vocem hominis in iis rerum circumstantiis, quas carmina exprimebant, imitarentur. Chori in Comœdiis & Tragœdiis Veterum nunquam supra naturalem loquendi modum vocem elevabant. Porrò quantum ratio illa cantandi animis capiendis valeret, satis demonstrat elo-

D quentissimi alicujus Declamatoris oratio, qui naturam imitari, & aptum verbis gestum jungere norit. Quis, rogo, vim ejus orationis non sentit? Ita pariter reputandum est de Musica naturali & in ipsa simplicitate sua numerosissima.

Addenda modò essent quædam de musicis Hebræorum instrumentis, variis cantandi rationibus, totoque demum musicæ artificio. At de instrumentis quidem in proximè succedenti Dissertatione tractabimus; de reliquis vix est in tanto Sacrorum Librorum silentio, ut certi aliquid & explorati afferatur. Verùm si musicæ elegantiam majestati & numero carminum congruere opor-

E teat; illud nobis jure meritoque affirmandum, nihil grandius, nihil gravius, nihil augustius Templi musica unquam auditum.

Servant hodie usque Judæi in Synagogis suis quoddam Musicæ genus, patrum facilè traditione receptum. Si tamen res eorum Musicas tantum prosterni quantum nostras contigit, cur ex ista recentiori certi aliquid pro veteri deducatur, nihil est; longissimo enim distant intervallo. Simplicissimam quidem Musicam hodie pariter servant Hebræi, quæ in re veteri satis respondet; sed tot inter miseræ gentis vices, tot rerum & tempo-

(1) Num. 10. 9. *Si exieretis ad bellum de terra vestra, contra hostes, qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro.* (2) Josue 9. 5. 20.

(3) Num. 23. 3. 16. & 26. 1. 2.

temporum circumvolutiones, intactam illam mansisse quis credat? Recentiori Hebræorum Musicæ P. Kircherius exponendæ laboravit; sed illam cum Musica Templi Salomonis conferre ne cogitavit quidem.

Licèt autem confusa nobis maneat idea plurium Musicæ instrumentorum, quorum in Templo usus; varietas tamen & variam fuisse Musicam illam satis demonstrat. Et quidem variam fuisse oportet, cum Psalmi, qui nostra supersunt ætate, tam varii sint argumenti; sicut & variæ adeò solemnitates peculiarem singulæ exegerint apparatum. In Paschate Deo grates agebantur pro recepta è servitute Ægyptiaca libertate. In Pentecoste traditæ à Deo in monte Sina Legis solemnis memoria recolebatur. In Festo Expiationis jejunio pariter, & animi supplicis humilitate venia de commissis criminibus poscebatur.

A In Festo Tabernaculorum iter per Desertum velut sub oculos revocatum est; gratesque Deo pro messe recepta impensæ.

S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 6., antiquitatis inprimis veterumque morum instructissimus, tradit, sacram Hebræorum Musicam in Templo plerumque Doricum retulisse, quod gravissimum est, & vetustissimum musicæ genus, totum fermè in spondæis, & productioribus syllabis versans: Dominum proinde maximè decebat, B cui in timore servire jubemur: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Is Veterum gustus, quorum Musica, cùm maximè in rebus sacris impenderetur, nonnisi gravitatem, & majestatem spirabat; cùm interim nostra ætate Ecclesias non rarò theatralibus harmoniis obstrepere contingat.

DISSERTATIO
IN MUSICA INSTRUMENTA HEBRÆORUM.

Genio tantùm indulgendi populo suo permisisse Deum in Templo Musicam & instrumenta S. Chrysostomus & Theodoretus in Psal. 150. autumarunt. Nihil ea de re in Lege constitutum, longoque temporis spatio musica in Tabernaculo siluit. David omnium primus novam in ea re disciplinam invexit, & Cantores voce pariter & instrumentis Domino censuit consecrandos; qua in re genio rudioris populi consultum est, quò in Religionem resque sacras pelliceretur, magisque ab Idololatria, & superstitione removeretur. In Ecclesia Christiana primorum sæculorum, & cùm res pietatis maximè florerent, nihil auditum in cœtibus religionis de musica musicisve instrumentis; nihilque ea in re de pristino disciplinæ tenore remissum fuisset, nisi imbecillitati Fidelium (quorum pietas externis hisce fulcienda erat, & cor in Deum resque Divinas erigendum) consulendum fuisset.

Quò verò totus iste musicæ, & instrumentorum apparatus à cultu omnibus numeris absoluto, atque eximia illa, quam Deus à suis reposcit, animi sanctitate distat, eò reliquis cæremoniis legalibus, cruentisque Sacrificiis supereminet. Tam piam atque utilem disciplinam curas suas omnes reposcere sapientissimi quique, & sanctissimi Veteris Legis Heroes arbitrati sunt: atque inter præcipuas reformati divini cultus leges, musicæ in Templo restitutionem nunquam non reputarunt. Quàm sæpè Deus ipse Sacra Cantica, & laudis sacrificia cruentis victimis prætulit? *Sacrificium laudis honorificabit me* Psal. 49. 23. Quàm sæpè Prophetæ populum hortabantur, ut loco victimarum, & pinguissimorum arietum pura laudum holocausta, & Sacrificia gratiarum actionis offerrent? Monebant tamen non segniter, eas laudes, & musicas cantilenas jungi oportere cum justitia, & pietate, ut concinnum auribus Dei melos exhiberent; siquidem tædio sunt Deo cantilenæ, & harmonia, quas vitæ Sanctitas & innocentia non animat: *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & Cantica lyræ tuæ non audiam*; Amos 5. 23.

Post discussum in præcedenti dissertatione de Musica Veterum Hebræorum argumentum, nonnulla modò de musicis illorum instrumentis afferenda sunt. Quod sanè argumentum curiosum alioqui, & maximè utile, satis hucusque neglectum miramur pariter, & dolemus. Interpretum enim plerique seria rei discussione omissa, satis habent insinuare, hanc de musicis instrumentis Hebræorum cognitionem in oblivionis tenebris altè defossam, conatus omnes laborantium fallere. Sed oportebat pariter demonstrare, voces illas, quibus plerumque instrumenta designata creduntur, re tamen aliud præter instrumenta significasse; cùm interim quæ musica illa instrumenta verè designant, minùs lateant, quàm vulgo creB datur. Si quid tandem nos fugit in nominibus Hebraicis, nunquid ne sanè non assequimur ea, quæ apud Septuaginta & Vulgatam posita sunt? Nec ingratum accidit sedulo Lectori didicisse, quid maximè fuerit *Psalterium*, *Tympanum*. *Nablum*, *Sistrum*, *Cythara*, & *Lyra* Veterum. Profectò si omnia Hebræorum instrumenta describere non obvenit nobis, illud saltem præmii loco habebimus, quòd de nonnullis non inverosimiles conjecturas afferre contigerit; plura simul obscura Sacræ Scripturæ loca nostris hisce observationibus de Veterum instrumentis pandentes.

Atque in ipso disputationis limine animadvertere juvat, Musica instrumenta in Græcos Latinosque nonnisi ab Orientalibus venisse, ut proC indè plurimùm ad Hebraica accessisse credenda sint. Hebraica verò eadem reputanda cum instrumentis musicis Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum, & Syrorum. Non est igitur, cur animis despondeamus, fontem in rivis quærentes, atque sedulò investigantes tandem fiet, ut figuram & usum instrumentorum, quibus Judæi, & Orientales utebantur, apud Græcos, & Romanos saltem adumbratam deprehendamus. Vani semper, & propriæ gloriæ unicè studentes Græci, sparserunt in vulgus, recepta apud ipsos instrumenta nonnisi Diis, sive vetustis eorum Vatibus deberi. Nunquam fermè Apollinem, Minervam, Mercurium, Pana, nisi Musica aliqua instrumenta gestanD tes exprimunt. Sed jactabundæ gentis ambitionem Scriptura ipsa revincit. Religio, Numina, Musica, Poesis non in Græcia nata, sed aliunde in eam Regionem venerunt. Majori fide Latini fassi sunt, musica se instrumenta ex Oriente recepisse. Juvenalis Sat. 3.

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,

Et

Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum Vexit.

Titus Livius narrat, nonnisi post bellum Romanum eum Antiocho Magno receptas in Urbe turbas fœminarum instrumentis ludentium, & in conviviis adjecta symphoniarum oblectamenta (1).

Græci pariter, repugnante licèt insito gentis studio mentiendi, & in majus sese efferendi, quò veram plurium suorum musicorum instrumentorum originem scrutentur, aliunde illa repetiisse coguntur. Itaque à Phrygia interdum sive è Lydia, sæpe è Syria vel Ægypto, sive Perside derivant. Quod ad Judæos spectat, recepisse illos musica instrumenta constat ex Chaldæis, quibus originem suam debent, & ex Ægyptiis, apud quos diutiùs commorati sunt, ac tandem ex Phœnicibus cæterisque Arabiæ & Syriæ populis, quorum media eorum regio continebatur. Nunquam illi rei inventæ honorem sibi vindicandum susceperunt; quanquam perfectæ, atque in sacros, & laudabiles usus, Dei nempe laudes celebrandi, traductæ illis jure meritoque tribuatur. Quæ sanè gentis prærogativa illam à cæteris omnibus distinguit, quæ in usus quidem Religionis musicam adhibuerunt, sed non eà assiduitate, pompa, & cura, qua semper Judæi.

Si qua fides Rabbinis atque Interpretum plerisque, major vindicanda esset Hebræis instrumentorum copia, quàm quæ apud alias gentes innotescat. Recensent illi non minùs quàm 34. quo de numero nos uno pene ductu 14. subducimus. Hæc nomina.

1. *Negbinoth*, quam vocem Septuaginta reddunt *Hymni*, Vulgata *Canticum*. Hebræus ad literam sonat, Instrumentis ludentes, sivè carmina ad musica instrumenta cantanda. Collatis autem simul omnibus textibus, in quibus vox illa recurrit, has tantùm geminas significationes reperio, e.g. Job 30.9. *Nunc in eorum Canticum (Negbinot) versus sum*; Psal. 68. 13. *In me psallebant, qui bibebant vinum*; & in pluribus titulis Psalmorum (2) *Ad musica moderatorem, qui instrumentis fidicularibus, praest*.

2. *Hannechiloth* apud Septuaginta, & Vulgatam redditur, *Qua hereditatem consequitur* Psal. 5. 1. Recentiores Interpretes plerique musicum aliquod instrumentum eo nomine designatum malunt, quòd scilicet ex radice derivetur exprimente perforare, tibia ludere; ut proinde, *Nechiloth* sonet tibiam, seu simile quodcumque instrumentum. Nos tamen reddendum autumamus choreas & muliercularum saltantium choros; in quem sensum etiam reddimus vocem *Machaloth* in titulis Psalmorum 52. & 77. occurrentem; & ex eodem verbo derivanda est. Ita pariter vertit Chaldæus, & genuina vocis *Chalal* significatio sonat choreas ducere.

3. *Haschеminith*, octava (3), quo designatum credunt instrumentum octo fidibus instructum; sed in Paralipomenis occurrit octava classis Musicorum Templi (4), quam facilè hoc in loco designatam credimus nomine *Scheminith*. *Mathathias & Eliphalu &c. in citharis pro octava canebant* (Hebr. *Al-Haschiminith*.)

4. *Siggaion*, quod Septuaginta vertunt tantùm *Psalmus David*; alii, *Pro ignoratione:* (nempe crimine ex ignorantia commisso) sonat potius *Canticum solaminis in luctu*, ac si diceretur *Tristia* vel *Elegia*. Vide nostrum argumentum in Psal. 7. &

A titulum tertii capitis Habacuc, in quo vox *Siggaionoth* ex eadem radice ac *Siggaion*. Notæ sunt apud Turcas nostra etiam ætate fœminæ instrumentis ludentes & saltatrices, quas appellant *Tschingenes* (5)

5. *Gittith* (6) Septuaginta *pro torculari*, quasi scilicet pro *Gittith* legerint *Gittoh*. Porrò *Gittith* sonat *Gethæam*, qua voce musicum aliquod instrumentum designari nullo argumento probatur; & Syntaxis Hebraica insinuare videtur Psalmos ita inscriptos ad Præfectum Chori Gethæarum dirigi, sivè quòd Gethæas Cantatrices David in Aula detineret; quemadmodum ex eadem gente corB poris custodes habebat; sive quòd Cantatrices Israeliticæ ignota aliqua de causa eo nomine appellarentur. Porrò fœminas Cantatrices usibus Aulæ non secus ac Templi addictas fuisse in Dissertatione de musica Hebræorum demonstravimus.

6. *Almoth* sive *Alamoth* vel *Hal-moth*. Septuaginta *Pro occultis*. Chaldæus, S. Hieronymus, & Symmachus: *In mortem filii*. In Psal. 9. redditur ea vox, *Puella*, quo eodem sensu usurpatur in 1. Par. 15. 18. 20. De musico instrumento exponendam nihil suadet.

7. *Michtham* Septuaginta, & Vulgata reddunt, *Tituli inscriptio* (7): Aquila, Symmachus, & S. Hieronymus, *Psalmus humili, & simplicis David*; sonat: *Psalmus nomine David inscriptus* (8).
C Quicumque musicum instrumentum reddunt, illi ignorantiæ & incuriositatis suæ causationem quærunt.

8. *Ajeleth Haschachar* (9), redditur à Septuaginta, *Auxilium matutinum*; à plerisque ex Recentioribus, *Serpens matutinus*. Nomen est etiam classis Cantorum, vel Cantatricum, quemadmodum syntaxis Textùs satis demonstrat; quamvis alioqui ejus nominis ratio penitùs ignoretur.

9. *Schoschanim* Vulgata & Septuaginta reddunt (10), *Pro iis qui commutabuntur*. S. Hieronymus & Aquila, *Pro liliis*; Symmachus, *Pro floribus*; recentiores Interpretes plerique Instrumentum sex fidibus instructum. Porrò Textus Hebraicus Tituli Psalmi 44. in quo vox illa legitur, reddi poD test: *Psalmus didascalicus ad Præfectum musica filiorum Core, ad instrumentum sex fidibus instructum decantandus. Canticum dilectorum*, vel potiùs. *Psalmus didascalicus ad Præcentorem filiorum Core, qui gaudiis præest*. Est equidem nuptiale carmen, gaudii & tripudii. Quemadmodum & ejusdem sunt argumenti cæteri Psalmi eodem titulo inscripti, & nonnisi vi quadam verbis illata *Schosanim* à *Schesch*, sex, derivaretur. Sonat autem, nemine ambigente, tripudium; & Hebraica Syntaxis obvio sensu exprimit Chorum adolescentulorum, qui festum aliquod veluti nuptiale celebrant, vel saltem similis festi occasione cantant. Disertè etiam Textus exprimit *Canticum dilectorum*, nempe epithalamium à puellis nuptiarum die cantatum.

E 10. *Machalat*, sive *Maeleth*, ut habent Septuaginta & Vulgata, sonat *Chorea*. Est igitur inscriptus Psalmus musicæ Præfecto, choreas illas religiosas, de quibus sæpe in Scriptura, curante. Choreas ductas legimus post transfretationem Erythræi; *Exod.* 15. 20. choreas habebant puellæ ad Tabernaculum Silo venientes; *Judic.*21.21. choreis itidem celebrarunt relatam à Davide de Goliath victoriam; 1. *Reg.* 18.6 cùm Regnum à Salomone iniretur; 3. *Reg.*1.40. ac tandem cum in translatione Arcæ Jerosolymam puellæ festas choreas egerunt. *Ps.*67.26.

11. Jo-

(1) Livius l. 39. *Tunc Psaltriæ, Sambucistriæ, & convivialia ludorum oblectamenta addita epulis.*
(2) Psal. 60.1. למנצח על נגינות (3) Psal. 6.1. & 11.1.
(4) 1. Par. 15. 21. בכנורות על השמינית
(5) Thevenoth. Vide c. 41. & 25. (6) Psal. 8. 1. על גיתית 70. ὑπὲρ τῶν ληνῶν. Vide Psal. 80. & 83.
(7) Psal. 15. 1. (8 Vide Argumm. Pss. 15. & 56. & 57. & 58. & 59. & 60.
(9) Psal. 21. 1. על אילת השחר 70. ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς. Vulgat. pro susceptione matutina.
(10) Psal. 44. 1. למנצח על ששנים לבני קרח 70. ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων.

11. *Jonath-Elem rechokim* redditur à Septuaginta Psal. 55. 1., *Pro populo qui à Sanctis longè factus est*; & à cæteris ferè omnibus, *In columbam mutam elongationum*. Pluribus nostræ ætatis Interpretibus est musicum instrumentum, cujus tamen nullam mentionem aut vestigium reperio neque in Textu originali, neque in cæteris Scripturæ locis, ubi de instrumentis sermo. Crediderim potiùs nomen esse certæ musicorum classis, cujus appellationis causa prorsus ignoratur.

12. *Higgaion* legitur Ps. 21. 17. & Ps. 19. 15. & Ps. 91. 4. Plerique tam recentiores quàm veteres Interpretes exponunt de meditatione sive Cantico; nec aliam ego magis genuinam vocis interpretationem quæsiverim, quippe quæ ex radice derivetur sonante meditari, sive meditata loqui. In Psalmo 91. 4. jungitur *Kinnor*, quod nomen est musici instrumenti, & synonymum videtur instrumenti decachordi: *In decachordo Psalterio (Hasur Nebel) cum Cantico (Higgaion) & Cithara* (Kinnor). Is unus Textus favere potest sententiæ, quæ vocem illam de musico instrumento interpretatur.

13. *Maschchil* (1) sonat ad literam, *qui docet*; quare voci Mismor junctam reddi posse credimus, *Psalmus didascalicus*. Legitur is titulus in fronte duodecim Psalmorum (2); in Psalmo 56. 8. designare videtur peritum Cantorem: *Psallite sapienter* (Psallite *Maschchil*, ut periti scilicet doctique Cantores).

14. *Al-taschchet*, *Ne disperdas*; legitur in inscriptionibus quatuor Psalmorum (3), eoque facilè præcavemur sedulò carmen illud servare, neque immutari quidquam permittere. Instrumentum aliquod musicum designare Interpretes quidem nonnulli opinantur, sed temerè, quantùm capio.

Nullum huc usque satis certum musici instrumenti nomen deprehendimus. Ita ex 34. quot à pluribus recensentur, 14. subductis, remanent viginti nobis jam discutienda. Ex quo numero quædam fortè occurrent nomina synonyma, & ad eandem cathegoriam reducenda, ut variorum instrumentorum numerus adhuc extenuetur. Omnia vero nos in tres classes distribuimus. Primam tenent fidicularia instrumenta. 2. Pneumatica. 3. Tympana, & Crepitacula.

Fidicularia instrumenta 8. recensentur: 1. *Nablum*; 2. *Kinnor*; 3. *Hasur*, sivè instrumentum decachordum; 4. *Cythara*; 5. *Psalterium*; 6. *Symphonia*; 7. *Sambuca*; 8. *Minnim* sive *Mnaim*. Sed decachordum instrumentum & *cytharam* confundenda censemus, quemadmodum & *Nebel* cum *Psalterio* sive *Psanteron*, ut proinde ex 8. sex reddantur.

Tibiarum tubarumque septem sunt genera. 1. *Chazozeroth*; 2. *Schophar* Buccina; 3. *Keren* Cornu; 4. *Huggab* Organum; 5. *Masrokitha* Tibia; 6. *Machalat* Chorus, Tibiam utricularem interpretantur; 7. *Chalil* Tibia. Addunt nonnulli *Jobel* sive *Jubal*, quod de buccina quadam usurpant; sed hanc opinionem alibi refutavimus (4). Non abs re suspicamur, *Chalil* & *Masrokitha* unum idemque significare; atque postremum illud confundendum cum *Syringe* Græcorum, quæ Tibiam sonat. Itaque sola supersunt hujus generis sex varia instrumenta.

Sunt tandem quatuor alia omnino à prioribus illis diversa; 1. *Tuph* Tympanum; 2. *Zazelim* Sistrum; 3. *Schalischim*, quod facilè Trigonum designat; 4. *Mezilotaim*, fortè crepitaculum.

In Scriptis Mosaicis septem tantummodo instrumenta leguntur; *Kinnor*, *Huggab*, *Tuph*, *Machalat*, *Chazazeroth*, *Schophar* & *Jobel*. In Libris A Regum, Prophetarum, & Paralipomenon, præter hæc, parent *Nebelim*, *Mezilothaim*, *Manaim*, & *Zalzelim*. Daniel tibias addit sive *Masrakitha*, *Cytharam*, *Sambucam*, *Psalterion*, & *Symphoniam*, nomina frustra alibi quærenda. Tandem omnia fermè reccurrunt in Psalmis, exceptis iis, quæ apud unum Danielem parent, & quorum nomina è Græco derivantur. Modò de singulis aliqua.

Fidicularia Instrumenta.

Nablum sive *Nabel* instrumentum est ligneum (5), quod plerumque in Scriptura jungitur *Kinnor*, tympano (*), & *Mezilothaim* (6). Ejus usus in pompis & cæremoniis Religionis. Ex tribus Psalmorum locis (7) harmoniam fecisse plerumque apparet cum *Asur* sive instrumento decachordo; & unum idemque reputari potuissent *Nebel* & *Asur*, nisi in Psal. 91. disertè distinguerentur: *In Psalterio decachordo* (*In Asur & Nebel*). Hæc in Scriptura de *Nebel*, quam vocem Septuaginta sæpiùs reddunt *Psalterion*, raro *Naulum* sive *Nablum*.

Porrò *Nablum* Veterum instrumentum erat fidiculare, teste Sopatro apud Athenæum lib. 4. cap. 23. pag. 175., dictum etiam, *Sidonium*, quòd Phœnicium inventum crederetur. Constitisse tradit Author ille ex cavo quodam ligno, ad latera & è regione tenlarum cordarum defixo, quo harmonicus quidam sonus reddebatur. *Nablum* fidiculare esse instrumentum, sicut cytharam, Eusebius in Ps. 80. est author. Utraque manu pulsari tradit Ovidius de Arte lib. 3.


Disce etiam duplici genialia Nablia palma
Plectere: conveniunt dulcibus illa modis.

Tandem Septuaginta reddere amant hanc vocem *Psalterion*, quo nomine fidiculare instrumentum in lyræ modum intelligimus. Psalterium, ait S. Hieronymus (8), Cassiodorus Præfat. in Psal. & S. Isidorus, delta Græcorum exprimens, cavum habet in superioribus ventrem; fides ex inferioribus ad superiora protensæ, inferiùs pulsatæ superiùs resonant: cùm cytharam in superioribus pulsari, in inferioribus resonare notum sit. Ità S. Augustinus in Psal 32., S. Basilius in Pss. 149. & 150. S. Hieronymus Prol. in Pss. Cassiodorus Præf. in Pls. & S. Hilarius Prol. in Pss. Plectro pulsari Psalterium tradit Cassiodorus, quod testimonio supra ex Ovidio laudato de Nablo utraque manu pulsato nihil repugnat; cùm eius generis instrumenta sive penna, sive virgula, sive digitis æquè plecterentur.

Nablum Templi Jerosolymitani ex *electro*, metallo, si quod aliud, pretiosissimo conflatum narrat Josephus Antiquit. lib. 8. cap. 2. pag. 262. Potuit id quidem ejus ætate; cæterùm à Salomone in usum Templi fabricatum Nablum ex ligno *Almugim*, testimonio 3. Regum 10 12., & 2. Paralipomenon 9. 12., docemur. Idem Josephus Antiq. l. 7. c. 10. pag. 243. duodecim fidibus instructum idem instrumentum digitis pulsari testatur. Psalterium plurimis fidibus instructum Græci modulabantur; cujus generis instrumentum fidibus numerosissimum ut nobilissimum inventionis suæ monumentum staret, Alexander Cytheræus in Templo Ephesino dedicavit, teste Juba apud Athenæum lib. 4. cap. 25. Meminit idem Athenæus ibid. alterius Psalterii, cui nomen *Lyrophœnix*, sive Epigonicum è nomine Inventoris, quod deinde instrumentum transmutatum fuit in *Psalterium rectum*, apud Varronem *Orthopsallicum*, quod facilè ex inferioribus ad superiora ascendendo, ut vetus Nebel, pulsaretur.

Nostræ

(1) Psal. 31. 1. (2) Psal. 41. & 42. & 43. & 44. & 52. & 73. & 77. & 87. & 88. & 141. 1.
(3) Psal. 56. & 57. & 58. & 74. (4) Vide Commenr. in Levit. 25. 10.
[5] 3. Reg. 10. 12. & 2. Par. 9 11. [*] 2. Reg. 6. 5. & 1. Par. 13. 8.
(6) 1. Par. 15. 16. & 25. 1. 6. & 2. Par. 5. 12. & 2. Esdr. 12. 17.
(7) Psal. 32. 2. בנבל עשור זמרו לו & Psal. 143 9. (8) Hieronymiaster in Psal. 31.



INSTRUMENTA MUSICA.
quorum in Scriptura mentio.

Nostræ ætatis Psalterium plectro pulsatur, nempè virgula quadam ferrea, seu recurvo quodam ligno. Instrumentum est planum, figuram exhibens trianguli sive trapezii. Instruitur 13. ordinibus fidium è ferro sive auricalcho, ad unisonum sive ad octavam tensis, & fulcro ad duo instrumenti latera commissis, ut proinde fides ad utrumque latus protendantur. Quare aliud planè est instrumentum à veteri Psalterio, cujus fides è superioribus ad inferiora tendebantur.

Cythara vetus, cujus sæpè in Scriptura mentio, apud Danielem 3. 5. 7. 10. *Kitros*, ita pluribus referentibus Patribus depingitur. Instrumentum erat triangulare, fidibus ex superioribus ad inferiora tensis, ventre cavo inferiùs reboantique instructum; in superioribus manu sive plectro, uti supra innuimus, tangebatur. Instrumentum decacordum Hebræorum, quod illi vernaculo sermone *Asur*, i. e. *decimus*, appellabant, idem fuisse credimus cum veteri cythara. Ejus imago plures fides exhibet, harpæ nostrati, recentiori planè instrumento, non absimiles. Pseudo Hieronymus in Ps. sex fidibus instructam cytharam perhibet; 24. tribuit Author Epistolæ ad Dardanum, inter Opera ejusdem Patris, & digitis pulsari instrumentum illud testatur. Profectò fidium numerus nunquam satis certus constitutus est, & digitis interdum, quemadmodum & plectro quodam, sæpè pulsabantur.

Kinnor redditur à Septuaginta *Kynir*, *Psalterion*, & *Cythara*. Ejus usus jam inde ante diluvium Gen. 4. 21.; eodemque coram Saule Davidem lusisse legimus 1. Reg. 16. 16. 23. Ligneum erat instrumentum, quemadmodum & *Nebel* (1), de quo supra. *Kinnor* salicibus in ripa Jordanis suspendisse sese captivi Babyloniæ profitentur Psal. 136. 2. Eo fœminæ utebantur Isai. 23. 16., & vulgatissimum erat apud Tyrios instrumentum Ezechiel. 26. 13. Isai. loc. citat.; quemadmodum & peculiare octavæ classis Musicorum in Tabernaculo sub Davide 1. Par. 15. 21.. Tristem & reboantem sonum edidisse Isaias significare visus est illis verbis 16. 11. *Venter meus quasi Cythara* (Hebr. Kinnor) *sonabit*. Et *kinnyros* in Græco triste aliquid & lamentabile sonare Hesychius testatur. Horatius lib. 3. Od. 11.

Non loquax olim, neque grata: nunc &
Divitum mensis, & amica Templis.

Cynnaram Templi decacordum fuisse, & plectro pulsari Josephus Antiq. lib. 7. cap. 10 pag. 243. est author. Alibi verò nempè lib. 8. cap. 2. narrat, ex *Electro* quamplurima ejus generis instrumenta Salomonem comparasse; quod Scripturæ testimonio repugnat, ubi legimus *Cynnaras* Salomonis ex ligno, non metallo constitisse. Porrò duo esse planè diversa instrumenta *Cynnaram*, & *Cytharam* ex eo intelligimus, quòd 2. Macchab. 4. 54. & 13. 51. ambo illa eodem in loco recenseantur.

Sed operæ pretium est hic adnotare cum Euphorione apud Athenæum lib. 14. cap. 4. vetera fidibus ditissima instrumenta confundi sæpè, soloque nomine non raiò distingui. Cùm enim longa jam obtinuerint ætate, accidit non raiò, ut variè immutata varias etiam denominationes obtinuerint; quamvis re quidem eadem semper, & parum diversa manserint. Ita si quando apud aliquos tribus fidibus instructa legimus, apud alios septem, 10. 12. 24. si ab aliquibus pulsari digitis perhibeantur, ab aliis plectro; si quidam describunt chordis è superiori ad inferiora protensis, alii verò per transversum & in plano; non continuò tamen plura inter se diversa instrumenta reputanda sunt; quanquam alioqui, cum adeò inter se varient, diversum etiam nomen obtinere debuerint. Accidit non raiò, ut sæpè vel uno generali nomine plura inter se non dissimilia significentur, sicut & peculiari singula designentur. Conferat, si quis vult, vetera monumenta, & varias discet Lyræ vel Cytharæ Veterum picturas, varia etiam nomina deprehendet. Scimus profectò, Septuaginta Hebræorum *kinnor* reddidisse *Cynyram*, *Cytharam*, *Psalterion*, idemque instrumentum apud Græcos æquè appellatum constat *Kinnyram*, *Lyram*, *Formingem*, *Cytharam*, *Chelym*, *Pectinem*, *Barbiton*; quibus nominibus Romani addiderunt *Testudinem*. Idem ipsum instrumentum Gallicè exprimere solemus: *Lira vetus*.

Inventæ Lyræ honor tribuitur Mercurio, sive Apollini, sive Orpheo. Vel fortè dicatam à Mercurio Lyram suam Apollini (2), ejus Numini consecrari, eique deinde vindicari contigit. Primò tribus fidibus instructa, deinde septem (3); interdum plectro, sæpè digito pulsabatur. Ovid. ad Pisones.

Sive chelyn digitis, & eburno verbere pulsas.

Vetus Lyra Mercurii inventum (4), è squamma testudinis constabat. Mercurius enim super inventam fortè testam hujusmodi subtilem aliquam pellem extendit; adjecit deinde duo porrecta ad utramque extremitatem brachia, superiùs transverso aliquo ligno instar furcæ conjuncta. Supra pellem jacebat arundo in duas partes scissa, cui septem fides è superioribus ad inferiora protensæ commendabantur. Hæc vetus *Chelys* sive *Lyra* Mercurii, inter astra deinde in Cœlo collocata, à testudinis figura non absimilis. Ex informi hoc rudique instrumento Lyram descendisse ferunt, quam expressam cernimus in manibus Apollinis, Herculis, Arionis &c. in marmoribus & nummis antiquis. Duplici frustulo instar duplicis SS. in superioribus & inferioribus junctis constat. Porrò superiora non nisi lignum exhibent; inferioribus cavum refert ventrem reboantem. Quare ejus forma scarabæo non absimilis statueretur, cujus cornua referunt utraque instrumenti latera manubrium, cui junctæ fides, sustinentia; corpus scarabæi ipse est cavus instrumenti venter. Nullus est ejus nostra ætate usus.

Pulsabantur sive plectro sive digitis fides vellicantibus. Apollini cythara ludenti plectrum tribuit Homerus (5). Hercules eo instrumento canendi artem sub Lino præceptore discens, plectri ictu magistrum suum transfodisse fertur (6). In vetustis marmoribus idem Apollo Lyram vellicans, quemadmodum nos harpam, exhibetur interdum, sæpè verò plectrum tenens. Lyra primùm tribus fidibus constabat (7), deinde quatuor, tandem septem. Timotheus Lacedæmonem veniens, 600. circiter annis ante Christum natum, tres adjecit, quod piaculare viro fuit; decreta est enim in illum multa ab Ephoris seu Magistratibus Spartanis, coactusque tres illas subducere in plena populi concione; neque id satis, sed suspensa in loco publico lyra Timotheum Sparta exulare publico decreto sancitum est. Hæc decreti verba animadversione digna (8). *Cum Timotheus Melesius in Urbem nostram veniens, contra veterem canendi musicis instrumentis consuetudinem, receptumque Lyræ septicordis morem, majori fidium invecto numero novitate hac sua juvenum aures corruperit, formam & naturam musicæ immutaverit, ex simplici & gravi variam nimis & intercisam reddens; cum insuper accusetur de sparsa perniciosa*

(1) 3. Reg. 10. 12. &c. & 2. Par. 9. 11.
(2) Serv. Æneid. 4. (3) Diodor. Sicul. lib. 1. p. 10.
(4) Hymnus in honorem Mercurii inter opera Homeri.
(5) Homer. hymn. in Mercur. (6) Ælian. lib. 3. (7) Diodori lib. 1.
(8) Extant Græcè in fin. l. 1. Boethii de Musica, & apud Casaubon. in Athen. l. 8. c. 11.

quadam doctrina in Ludis Cereris Eleusinæ, ac de exlibito indecorè coram adolescentulis Semelis, dum eniteretur, angore; visum est Regi Ephorisque, ut Timotheus abscindere cæteras, septem tantummodo relictis in Lyra fidibus damnetur, ut animadversionis hujus exemplo discant Juvenes, ne pravum aliquem morem Lacedæmonem invehant, ac suus maneat Ludis honor.

Paria statuerunt in Terpandrum, & Phrynidem instrumentis Cantores; quare Lacædemones semel, iterum & tertiò servatam à se musicam gloriabantur. Ea populi severitas, & veteris consuetudinis servandæ studium. Pindaro nonnisi septicorde instrumentum est, sicut & Horatio lib. 3. Od. 11.

Tuque testudo resonare septem
Callida nervis.

Octavam addidisse Simonides fertur, sicut & Timotheus tenuem (1). Cæterùm non ignoratione quidem & ruditate Veteres illi plure addere fides instrumentis renuebant; delicato enim aurium sensu mentisque gustu præstantes viri, norant id maximè ad harmoniam contulisse, ait Plutarchus de musica; sed musicæ genus robustum & grave amabant, aptum in veritatem, & Religionem amorem & obsequium inspirando.

Hæc maximè de musica Græcorum dicta accipienda sunt; quod enim ad Hebræos attinet, musica illorum instrumenta sub Davide & Salomone cæterisque post ipsum Regibus perfectionem suam in dies obtinuisse, neque utilia in eam rem inventa apud alias gentes obtinentia neglecta ab illis fuisse constat.

In veteribus nummis ad ætatem Simonis Summi Sacerdotis spectantibus, cusa spectabatur Lyra vetus, ejusdem formæ ac instrumentum in Apollinis manu expressum. Sed certum fidium numerum in iis distinguere vix possumus. Ex Lyra veteri sive *Kinnor*, accepto referenda sunt fidicularia ferè omnia instrumenta nobis non incognita, sive quæ digitis, sive quæ plectro pulsantur; sive quæ fidibus in transversum tensis, sive quæ ex superioribus ad inferiora extensis constant, uti *Luth* (2), instrumenti genus, cavum habens ventrem, cui singulare manubrium jungitur, unde ex recurva extremitate fides demittuntur, claviculis in eo infixis intendendæ ad arbitrium & remittendæ. Fortunatianus Lyram tribuit Romanis, Barbaris harpam, postremum hoc instrumentum barbarum esse inventum insinuans.

Romanusque lyra plaudat tibi, Barbarus harpa.

Instrumenta illa, quæ vocant *violon*, *vielle*, *la basse viole* (3), ex eadem origine derivantur. Variæ etiam Lyræ apud Turcas nostra ætate noscuntur (4), octo fidibus ut maximè instructæ; aliæ septem; omnium minimæ tribus. Porrò trium fidium instrumenta simplicissima sunt, cùm unico manubrio duobus cubitis oblongo constet; eorum figuram non male compares coclear, manubrio longiori, quadrato, ampliori. Porrò eo instrumento canentes sive digito, sivè pluma fides vellicant. Cavus instrumenti resonans venter pelle piscis, quem *Glanion* recentiores Græci appellant, obducitur. Cythara Gallicè *Guitarre* (5), sicut & *Luth* (6) ex Hispania a Mauris, sive Arabibus originem referunt. Illa quatuor olim fidibus constabat, hodie ad decem creverunt: nominis etymon facile è cythara derivatur.

Symphonia musici instrumenti nomen est, quod nuspiam in Textu Hebræo, sed tantum in Chaldæo Danielis cap. 3. 15. legitur, Designare Lyram illam, quam *Vielle* (7), ferunt, quod sane instrumentum minimi nostra ætate æstimatur. S. Isidorus Orig. l. 3. c. 31. interpretatur vocem illam tympanum quoddam, quod utroque latere pulsatum, sonum edebat gravem, & acutum, gratam auribus harmoniam referens. Verum cum nomen *symphonia* apud Danielem è Græco derivetur, non aliunde ejus significationem repetendam credimus. Est autem *Symphonia* apud Græcos plurium vocum, sive instrumentorum concentus (8), vel saltem unum instrumentum plures reddens tonos, cujus generis sunt omnia pluribus fidium ordinibus instructa, uti *la Vielle* (9), de qua supra.

Sambuca legitur apud Danielem, & ad instrumenta fidicularia referenda, quanquam alioqui S. Isidorus Orig. l. 3. nomen illud deducat ex *Sambuco*, quo ligni genere instrumentum fabricari arbitratur. Athenæus lib. 14. cap. 3. p. 633. ex Ephorione de Isthmis, Vitruvius l. 6. c. 1., & Festus fidiculare instrumentum describunt, acutum sonans: & quatuor fidibus armatum. A fœminis potissimum pulsabatur. Inventum illud S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. 307. Troglodytis vindicat; Juba Phœnicibus (10); Neanthus Cyzicenus Ibico cuidam Rhegiensi; alii Sambuco (11). Quantum ex Athenæo colligimus, idem esse creditur instrumentum cum *Magadi*, *Pecti*, & *Trigono*, quæ fidicularia sunt instrumenta, figuræ non satis cognitæ, sed facilè non abludentis à Psalterio nostræ ætatis, quanquam minori fidium numero. Est etiam *Sambuca* genus bellicæ machinæ, in obsidionibus Urbium, & navalibus præliis adhibendæ: sed hæc nostri non sunt instituti.

Minnim, sive *Mnanaim* genus tibiæ sunt aliquibus; re tamen potius instrumenta sunt fidicularia, de quibus infra, cum de tibiis agemus, sermo recurret.

PNEUMATICA INSTRUMENTA

Tuba.

MOdò ad varia tubarum, & tibiarum genera sermo vertendus. Id generis organa uno generali nomine Hebræi designant, appellantes *Schophar*. Eorum duo erant apud illos genera; hæc nuncupabatur *Chazozeroth*; illa *Cornua*; quod scilicet materiam, & formam ex cornibùs referrent. Moyses sermonem habens de sono illo, instar tonitru, quo adventus Domini in Sinai ad ferendam Legem descendentis signum datum est (12) scribit, auditum clangorem *Schophar*, sive buccinæ sensim in majus crescentem. Eodem nomine designat instrumentum, quo signum edebatur ineuntis anni remissionis seu Jubilæi, i. e. anni quinquagesimi. Porrò *Schophar* in publicis cæremoniis ludere Sacerdotibus tantum reservabatur. In castris ad Jericho septem *Schophar* clangebant, iisdemque insonantibus mœnia Urbis corruerunt Josue 6. 3. 4. 5.

Vulgare fuisse in ea regione instrumenti genus ideò credimus, quod Gedeon 300. Viris selectissimis ad inferendum Madianitis prælium assumptis suum singulis assignavit Judic. 7. 18. 19. *Schophar* ad cogendos milites, incitando, in hostes, & receptum indicandum, canere ad Imperatorem spectabat. Ita cecinisse leguntur Aod Judic. 3. 27. Saul 1. Reg. 13. 3. Joab 1. Reg. 2. 28. & 18. 16. Cum Salamon 3. Reg. 1. 34. 39. & Jehu 4. Reg. 9. 13. Regnum inirent, Regis solio clangentibus *Schophar*

(1) Plin. lib. 7. cap. 56. (2) Italicè Liuto. (3) Italis Violone, Viola, Violoncello.
(4) Bellon. Observat. lib. 3. cap. 48. (5) Italis Chitarra. (6) Liuto.
(7) La Viola. [8] Ælian. Platonic. Comment. in Timæum. (9) La Viola.
(10) Juba lib. 4. Histor. Theatri apud Athen. lib. 4. cap. 23. pag. 175.
[11] Apud Athen. Ibid. (12) Exod. 19. 16. 19. & 20. 18.

phar primò assederunt. Nihil tandem eo frequentius in Scriptura sive cum de præliis agitur, cœtibusque publicis, sive cum de Festis, sive in Templo, sive in Fœdere. De ejus tamen forma & materia nihil.

Tubas illas, quas Moyses in deserto conflandas curavit, *Chazozeroth* appellat Scriptura Num. 10. 2. 8. 9. 10. Duo erant è solido argento; totidem ex ære. Earum usus in cogendo ad concionem jussu Domini populo, in bellis, diebus, quibus solemnis aliqua cæremonia præstanda, uti diebus Neomeniæ, & cum publicum aliquod & solemne Sacrificium offerendum erat. Porro frequentissimè eo organo usos Hebræos, maximè in Templo, ex Scriptura constat. Sive rectæ erant tubæ illæ, sive recurvæ; nihil tamen de illis in Scriptura: & quæ apud alias gentes obtinebant tubæ, ab Authoribus descriptæ, neque satis hisce, de quibus agimus, affines sunt, neque satis inter se uniformes habentur. Crediderim ego, *Chazozeroth* oblongas fuisse rectasque, quo à cornibus recurvis planè distinguerentur.

Sermo est apud Rabbinos de *Jobel*, nempè juxtà quod illi interpretantur, *cornu arietis*. Sed hanc eorum interpretationem refutavimus in Levit. 25. 10. Annus *Jobel* significat annum remissionis, quod scilicet avitæ possessiones Dominis suis remitterentur, servi item manumitterentur.

Varia Tibiarum Genera.

VAriæ apud Hebræos obtinuerunt tibiæ, quarum aliæ simplices, aliæ compositæ: illas appellant Chalil (1), veluti si dicerent perforatas vel saltatrices; radix enim *Chalil* æquè sonat perforare & saltare. Legitur etiam in Hebræo Exod. 15. 20. & passim, *Machalath*, quod reddi solet *chorus*, & designasse creditur interdum tibiam utricularem, Gallicè *corne-muse*. Nullus tamen in Scriptura textus, in quo ea vox recurrat, non commodè de choro puellarum Cantantium sive saltantium usurparetur. Notissimæ siquidem erant apud Hebræos & in cæremoniis etiam Religionis (2), ac facilè etiam in Templo saltationes istæ muliercularum. Levitas & Israelitas simul omnes invitat Psalmista ad cantandas laudes Domini in Templo in *tympano*, *choro*. Vide Psal. 149. 3. & 150. 4.

Masrokithe apud Danielem 3. 5. aliud est tibiæ nomen, derivatum ex radice sonante, sibilare. Idem facilè est cum instrumento musico Græcorum *Syrigmon* (3) ex *syrizein* sibilare, sive tibia ludere. Salmasius in Solinum observat, antiquas illas tibias nonnisi uno vel duplici foramine instructas fuisse; unde duplici instrumento plerumque ludebant Veteres, alterum nempe dextro, aliud sinistro oris lateri admoventes. Tibia dextera uno foramine instructa grave sonabat, sinistra duplici, magis acutum. Porrò disparibus hisce instrumentis canentes, *ludere tibiis imparibus* dicebantur; sicut vicissim *paribus*, qui ambas tibias vel unico foramine, vel duplici instructas ori admoverent. Porrò cùm utrique unicum esset foramen, sonus ille *modus Doricus*, gravior planè & severus, dicebatur; cùm duplex, *modus Phrygius*. Contraria quàm Salmasio sententia Vossio sedet; arbitratur enim, tibias illas quæ junctim ori admovebantur tribus vel quatuor foraminibus instructas fuisse; sed cùm longitudine quidem æquales, altera tamen altera crassior esset, quæque minor

A graviorem ederet sonum, quæ major tenuiorem, indè diversorum nominum inducta varietas. Paradoxa quidem ista videntur; sed non ineptè demonstranda suscipit idem Vossius in suo Libro de *Poematum cantu & viribus rythmi* pag 108. &c. Porrò tibias dextrum oris latus tenentes tenuiores fuisse, idem Author ex Plinio l. 16 c. 36. & Theophrasto de Plantis l. 4. demonstrat; ex quo sibi inferendum arbitratur, Tibias dextras graviorem edidisse sonum, quam sinistras.

Huggab reddi solet in Vulgata, *Organum*. Septuaginta variant; modò enim vertunt *Cythara* (4) vel *Psalmus*; modò *Organum*; quam posteriorem lectionem Interpretes ferè omnes sequuntur. Sed
B non ita reputandum, quasi nostræ ætatis organa designata sint. Instrumentum enim erat pluribus fistulis simul glutine quodam hærentibus constans, quæ singulæ ordine ludentium ori applicatæ sonum edebant, quemadmodum Vagi quidam per compita Urbium discurrentes nostra ætate ludere instrumento solent. Porrò *Huggab* jam inde ante diluvium obtinuisse Moyses Gen. 4. 21. testatur. Ejusdem instrumenti bis meminit Job 21. 12. & 31. 31., semel in ultimo Psalmo recurrit. Nihil ultra in Scriptura. Vox illa ex radice derivatur sonante, *Deperire*; unde etiam Græcum *agapan*, amare.

Variant Prophani in assignando Organorum Au-
C thore; alii enim Deum Pana arbitrantur. (5)

Pan primum calamos cera conjungere plures
Instituit . . . .

Alii (*) Marsiam; Pindarus Minervam prætulisse visus est (6). Sed hæc opinionum varietas ad ignorantiam veræ historiæ, & vetustatis huius instrumenti referenda est, quod Græci ex Orientalibus retulerunt.

Fistulæ Organi cera conjungebantur, longitudine quidem impares, pares verò crassitudine. Labro per singulas discurrente sonum edebant. (7)

Unco sæpè labro calamos percurrit biantes.

Solent Organa illa in manibus Satyrorum expressa in vetustis marmoribus spectari. Pastores collo appensa plerumque ferebant. Virgilius de
D Polyphemo Æneid. 3.

Solamenque mali de collo fistula pendet.

Plerumque septem calamis constabat. (8)

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula . . .

In vetustis tamen marmoribus ad decem etiam junctæ spectantur; & Pastor quidam apud Theocritum Idyl. 8. habere se dicit syringem novem foraminum, Ferunt (9), apud Turcas modò etiam obtinere Organa 14. & 15. fistulis compacta, quæ illi vernaculo sermone *Muscal*, Græci verò *Muscagli* appellant. In fistulis olim nulla patebant foramina, ut tota soni varietas ex fistulis disparibus proveniret; adjecta dein varia. Acutum stridere organorum calamos ex Horatio lib. 1. Od.
E 12. intelligimus.

Qem virum aut heroa, lyra vel acri
Tibia sumes celebrare Clio?

Primo ex arundine constabant, in quam rem maximè celebrantur arundines Lacus Orchomenii in Græcia (10); dein substituta metalia, quod scilicet arundines tonorum minus tenaces, sollicitum semper Musicum exigerent. Tandem cum tibia pluribus foraminibus instructa idem & minori negotio ac organa præstare intelligeretur, fistularum varietas tibiæ cessit. E' tibiis verò hisce originem suam debent organa, quæ maximum sunt præ &

(1) חליל Isai. 5. 12. וחליל תוף Vide & If. 30. 29. Jerem. 48. 36.
(2) Exod 32. 19. Judic. 21. 21. Psal. 86. 7. & 149. 3. & 150. 4.
(3) Athen. lib, 14. cap. 9. pag. 638.
(4) Gen. 6. 4. 21. Vulg. Organum. Job. 21. 12. Septuag. Psalmus, Vulg. Organum. Ps. 150. 4. Sept. & Vulg. Organum.
(5) Virgil. Eclog. 2. (*) Vide Athen. lib. 4. pag. 184.
(6) Pindar. Pyth. Ode 12. de Pallade. (7) Lucret. lib. 4.
(8) Virg. Eclog. 2. (9) Put. de Valle Epist. pag. 6. Italice.
(10) Plin. l. 16. c. 36.

omnibus harmonicum è musicis instrumentis, cujus A
ferè omnis usus Ecclesiæ reservatus est.

Portò Organorum vetustior est quam ut vulgo
credatur, origo. Ejus inventi honor tribui solet
Ctesibio inclyto Alexandriæ Mathematico sub Pto-
lemæo Physcone 120. annis circiter ante Christum
natum. Tertullianus ad Archimedem, virum il-
lum omnium sermone celebrem, refert in l. de Ani-
ma. Totam machinam exactè describunt Hero,
& Vitruvius lib. 10. cap. 13.; quamquam apud il-
los, sicut & cæteros, sermo sit tantum de orga-
nis Hydraulicis, aliis planè à nostris, quæ non
aqua sed vento inflantur. Lucretius Lib. 5. ita de
organo agit, quasi ætate sua primum obtinere
cœpisset. In dies, inquit ille, artes perficiuntur, B

Modo organici melicos peperere sonore

Sed falli virum ex supra deductis sat constat.

*Diei partem reliquam Nero per Organa hydrauli-
ca novi ignotique operis circumduxit*, ait Svetonius
in Nerone. Ejusdem instrumenti non meminit
tantùm, sed etiam prolixam ejus descriptionem
adornat Porphyrius in Panegyri Constantini; sed
nonnisi de organis hydraulicis sermonem esse apud
illum constat.

Sub quibus unda latens properantibus incita ventis,
Quos vicibus crebris juvenum labor haud sibi discors
Hinc, atque hinc animaque agitant.

Julianus Imperator epigramma in laudem orga-
ni scripsit. Eandem machinam describit Claudia- C
nus veluti artificio & sono ingenti.

Vel qui magna levi detrudens murmura tactu
Innumeras voces segetis modulatur ahenæ;
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes, in carmina concitat undas.

Sponius vidisse se Constantinopoli (1) anaglypti-
cum quoddam opus asserit, exhibens hydraulicum
quoddam velut organum supra columnam, cui
figura quædam Imperatoris Theodosii imposita spe-
ctabatur.

Organa hæc hydraulica, quorum fistulæ vento
à lapsu & pondere aquæ producto inflabantur,
tandiu obtinuerunt, quandiù Romanorum Impe-
rium in Italia mansit. Pereuntibus enim tunc op- D
timis quibusque artibus, Barbaris universum latè
Imperium totamque Europam vastantibus simul
& inundantibus, nihil de pristina gloria relictum
est (2). Illis restituendis laboratum est aliquan-
do, sed frustrà; quare organa follibus inflanda,
qualia hodie in nostris Ecclesiis, retinere necessi-
tas jussit. Nulla, præter hæc, notat S. Augusti-
nus in Ps. 56. & 150, *Non solùm illud organum
dicitur, quod grande est & inflatur follibus &c.*
Cassiodorus in Ps. 150. organum instar turris
magnam fistularum varietatem, & copiam refe-
rentem describit; *quibus*, ait, *flatu follium vox co-
piosissima destinatur &c.* S. Hieronymus (3), memi-
nit cujusdam organi duodecim follium, ligulam E
habentium è duplicato Elephantum corio. Huic ma-
chinæ 15. erant fistulæ æreæ, ingentemque latè so-
num ad mille passus edebat. Fama est, delata
primùm organa in Gallias anno 757 (4), & ob-
lata eodem anno Pipino tunc temporis Compen-
dii versanti. A. 826. jussu Ludovici Pii Impera-
toris fabricatum est organum hydraulicum Aquis-
grani. Sed hæc alia planè sunt instrumenta ab
Nuggab Scripturæ.

Porrò vox ista à Chaldæo redditur *abuba*, quod
confunditur cum *ambubaja* apud Horatium (5),
& Svetonium (6). Erant autem *ambubajæ* tibia-
rum quoddam sive Organorum genus è Syria de-
ductum; unde etiam nomen in Viros ejus luden-
di instrumenti peritos derivabatur (7).

Minnim & *Mnanaim* duo sunt varia instrumenta
incertæ significationis, ab aliis inter fidicularia, ab
aliis inter pneumatica relata. Primum occurrit in Ps.
150.4. alterum 2. Reg 6 5. Septuaginta, & Vulgata
cum Interpretum plerisque reddunt *Minnim* fides,
idemque significare sentiunt Chaldæum *bardeblin*.
Versio Tigurina & Junius reddunt, *organa*. Malunt
alii designari ea voce quodcumque fidiculare, a-
lii verò statuunt quodcumque tandem pneumati-
cum instrumentum. *Mnanaim* redditur à S. Hie-
ronymo *sistra*, à Septuagintà *cymbala*.

Crediderim ego, ambo hæc nomina idem si-
gnificare, confundenda verò cum *Magadi* Græco-
rum, vel si mavis Syrorum, ex quibus in Græ-
cia innotuerunt (8). Congruunt enim inter se
ista duo nomina; & si *hain* veluti *g* pronuncie-
tur, quod sæpè Hebræi consueverunt, dicunt enim
Gaza & *Segor*, pro *Haza & Sebor*, pro *Mnanaim*
erit *Minganim*. Ex *Minganim* facilè reddetur *Ma-
gadis* vel *mingadis*. Est autem *Magadis* instrumen-
tum tota antiquitate celebratissimum, cujus duo
fuisse genera videntur, alterum nempe tibiam re-
ferens, alterum instrumentum aliquod fidiculare.

Primum, juxta Athenæum, acutum & gravem
sonum reddebat (9), alteri Anacreon 20. fides
tribuisse visus est (10). Ex Magadi expressam re-
fert Euphorianus serò tandem sambucam, quæ ta-
men jam inde ab ætate Nabuchodonosoris in
Chaldæa obtinebat. Magadim, & pectinem idem
esse contendit Menæchmus; & utrumque instru-
mentum plectro pulsari tradit Aristoxenes. In eo
tantùm ambo illa variare observat Phillis Delius,
quòd pectine jambica tantùm carmina cantaren-
tur; Magadis verò omnibus tonis, & symphoniis
quadraret. Instrumentum illud, cui fides Timo-
theus adjecit, Magadim fuisse Artemon arbitra-
tur. Quinque fidibus instructum perhibet Tele-
stus, tangique digitis ab una ad alteram extremi-
tatem decurrentibus, testatur. Utroque latere pul-
sari, adeoque & fides habere è superioribus ad in-
feriora protensas Diogenes Tragicus insinuat, quod
etiam ex Apollodoro confirmatur, asserente in-
strumentum illud à veteri Psalterio non abludisse.
Hæc omnia apud Athenæum l. 14. c 9. p. 63.
leges. Undè sententia illorum facilè conciliatur,
qui vocem *Minnim* reddunt fides; & eorum pari-
ter, qui *Mnanaim* cum Magadi confundunt; utrun-
que enim fidiculare est instrumentum. Quan-
quam tanta ista non sunt, ut certum aliquod ju-
dicium ferendum suadeant de forma hujus musi-
ci instrumenti.

Tympanorum, Cymbalorum, & Sistrorum &c. varia genera.

TYmpana æquè omnia uno generali nomine
apud Hebræos *Tuph* appellantur; undè Græ-
cum, & Latinum *Tympanum*. Vetustissimum esse
instrumentum verba Labani ad Jacob Gen. 31.
27. demonstrant: *Cur ignorante me fugere volui-
sti, nec indicare mihi; ut prosequerer te cum gau-
dio & canticis, & tympanis, & cithara &c.*
Filia Jephte reduci è victoria patri occurrit cum
tympanis aliisque musicis instrumentis Judic. 11.
34. Maria soror Moysis transfretationem Ery-
thræi canticis, tympani pulsatione, & cho-
reis

(1) Spon Iter Constantinop. pag. 234.
(2) Vide Voss. de Poematum cantu & Rythmi viribus pag. 105.
(3) Hieron. seu alius epist. ad Dardan. tom. 9. p. 156.
(4) Annal. Francorum. (5) Horat. lib. 1. Satyr. 2. Ambubajarum collegia.
(6) Sueton. in Nerone cap. 27. Inter Scortorum totius urbis, Ambubajarumque ministeria.
(7) Vide si lubet Interpp. Horat. & Casaub. in Sueton.
(8) Strab. lib. 10. pag. 324.
(9) Athen. lib. 4. cap. 25. p. 182. ex Alexandride. Oplomach. Vide & lib. 14. cap. 3. p. 634. ex Thio. Omphale.
(10) Idem ibid ex Anacreonte.

reis una cum aliis gentilibus puellis celebravit Exod. 15. 20. . Ejuſdem inſtrumenti meminit etiam Job 17 6. & 21. 11. ; nec deeſt in omnibus ſolemnibus Religionis cæremoniis ; non rarò à puellis, & fœminis pulſatur : nulla ejus in prælıis mentio. Undè facilis conjectura, aliud fuiſſe à tympano noſtræ ætatis, ut potiùs lætis quibuſque feſtis, choreis, & religionis cæremoniis congrueret. Hæc omnia ſatis quadrant tympano veteri, æquè & cymbalis noſtræ ætatis, quæ nimirum in cribri modum ſubjectam habent faſciæ cuidam ligneæ pellem. Ita pariter deſcribunt tympanum S. Iſidorus (1), & Papias, ejuſdemque generis tympanum Cybele mater Deorum tenens inducitur.

Tympana habet Cybele; ſunt & mihi tympana cribri.

Sed vetus *tympanum*, cujus in bellis publiciſque ſolemniis maximè Bacchi uſus erat, ad noſtra tympana magis referebatur, niſi quòd formæ eſſet minoris. Non abs re ſuſpicor, *tupb* ſivè *tympanum* vetus Hebræorum ad parva illa tympana acceſſiſſe, modò etiam apud Turcas & Arabes in bellis, & publicis ſolemniis obtinentia. Fœminæ apud Phrygas Feſtum Matrum Deorum agebant, tympana & manu & virgulis æreis pulſantes; ita enim moris erat ludere inſtrumento. Catullus de Nuptiis Pelei & Tethidis

Plangebant alii proceris tympana palmis.
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.

Eadem inſinuat Lucretius, ſimul deſignans undique, & per circuitum tympana pulſari.

Tympana tenta ſonant palmis, & cymbala circum
Concava &c.

S. Clemens Alexandrinus Stro. lib. 2. pag. 164. author eſt, Ægyptios tympano uſos fuiſſe in bello; Arabes verò cymbalo; cujus figura ad noſtra accedebat, quanquam minus eſſet mole, uti ſupra inſinuavimus. Uniones illæ, *quibus una tantum eſt facies, & ab ea rotunditas, averſis planities, ob id tympania appellantur,* ait Plinius lib. 9. cap. 35.

Tympana, quorum nunc in bellis uſus, recentiſſima quidem in Europa, vetuſtiſſima in Oriente ferebantur. Salmoneus, de quo in tabulis (2), tonitru Jovis exprimere artificio aliquo molitus, poſt currum ſuum tympana trahebat, quorum ſupra cavum ventrem extenta pellis porrigebatur. Plutarchus tympana Perſarum in Vita Craſſi depingit, quos populos neque cornibus, neque tubis claſſicum cecinîſſe teſtis eſt Arrianus De bello Civili Rom., tradens ejus loco uſos lancibus quibuſdam amplioribus cavîſque, extenta ſupra pelle æneiſque clavibus defixa contectis. Percuſſæ undique lances illæ ſurdum quemdam horribilemque ſonum inſtar tonitru reddebant. Ampliora illa tympana in Hiſpanias Arabes attulerunt. Cùm Ladislaus Rex Poloniæ Legationem quandam in Galliam miſiſſet A. 1457. ejus Legatos ſubſtitiſſe Nancii refert Author Chronici Lorenenſis, ibique admiratos ampliora illa tympana quæ impoſita equis veherentur. *On n'avoit ni mi onques vu des tambourains comme des gros chauderons, qui ils faiſoient porter ſur des chevaux* (3).

Zalzelim à Septuaginta, & Vulgata redduntur *cymbala*; & quæcumque tandem illa eſſent inſtrumenta, validum plane ſonum longius auditum edidiſſe, ſatis in Scriptura inſinuatur Pſalm. 40. 5. Erant in Ægypto quædam, aliſquibuſdam inſtructa Iſai 18. 1 Nomen illud ex radice derivatur ſonante acutum aliquem ſonum, quo aures tinnitu pulſentur 1. Reg. 3. 2. Vide & 4. Reg. 21. 12. & Jerem. 19. 3. Hæc de *Zalzelim* Scriptura. Recentiores Interpretes plerique reddunt *Siſtrum*, quam controverſiam nos in medio relinquentes, an ſcilicet vox illa *cymbala* potius vel *ſiſtrum* ſignificet, utrumque inſtrumentum deſcribemus.

Cymbalum vetus æneum eſt inſtrumentum inſtar pileoli acutiſſimè ſtridens. Porrò duo cymbala, alterum dextera, alterum ſiniſtra manu apprehenſa contra ſe agebantur; *Cymbala dant flictu ſonitum*, ait Auſonius Ep. 25. Quò verò commodè apprehenderentur, faciebat ſive annulus pollici vel anſula ſummæ manui inſerendæ, vel prominens aliquid in vertice inſtrumenti inſtar cuſpidis. Celebris eorum uſus potiſſimum in ſolemniis Bacchi, & Cybeles, quemadmodum in Tabulis pompas illas exhibentibus adhuc ſpectatur, & Horatius lib. 1. Od. 16.

. . . . . . Non acuta
Sic geminant Corybantes æra.

Ita pariter noſtram hanc ſententiam S. Iſidorus Orig. l. 2. c. 21. confirmant. *Cymbala acetabula quædam ſunt, quæ percuſſa invicem ſe tangunt, & ſonum faciunt.* Obtinent hodie pariter apud Armenos in eorum Liturgiis; cymbala enim cantantes affricant, & ſimul invicem agunt (4). Siſtrum familiare Ægyptiis inſtrumentum figura ovali, ſive arcuatum inſtar hemicycli habens verticem, utroque latere longius deſcendens ad modum balthei; tranſverſum autem ſecant æreæ quædam virgulæ ita lateralibus inſtrumenti parietibus utraque extremitate inſertæ, ut ſimul virgulis quibuſdam metalli agitatæ gyrarent & gyrando ſonum acutum ederent ſtridentemque.

Iſiacos agitant Mareotica ſiſtra tumultus.

Idem inſtrumentum deſignaſſe creditur Iſaias voce illa *zalzel*, *alatum*. Siſtrum aureum in pompa Cybeles delatum ita deſcribit Apulejus Metam. l. 11.: *Dextera quidem gerebat aureum crepitaculum, cujus per anguſtam laminam in modum balthei recurvatam, trajecta media pauca virgulæ, criſpante brachio trigeminos jactus, reddebant acutum ſonum.* Plura ejus generis inſtrumenta inter cymmelia Eruditorum ſervantur. Siſtri inventi honor Iſidi tribuitur, cujus Sacerdotes in ſacris Numinis cæremoniis ſiſtra detuliſſe legimus apud Ovid. de Ponto.

Jactantem Pharia tinnula ſiſtra manu.

Schaliſchim aliud eſt muſicum inſtrumentum, quod Septuaginta reddunt *cymbala*, S. Hieronymus *ſiſtra*. Semel tantum occurrit in Sacra Scriptura, occaſione triumphi Davidici pro relata è Gigante Goliath victoria 1. Reg. 18. 6 Fœminæ venientibus Sauli, & Davidi occurrerunt cum tympanis & *ſchaliſchim*. Porrò vox illa derivatur è radice, quæ tres ſonat. Sunt verò qui de fidiculari inſtrumento nomen illud interpretentur; alii triagonale quoddam inſtrumentum malunt; alii ſiſtrum. Qui noſtra ætate eo lyræ genere, quod Galli *Vielle* (5), ludunt, ſolebant ad harmoniam jungere triagonale quoddam è filo calybis inſtrumentum, cui inſerti quinque annuli virgula quadam ferreâ agitantur. Simul enim & annuli & inſtrumentum, quod annulum habens in vertice, dextra manu ſuſtentatum in aere pendet liberum, agitati ſonum edunt. Ejuſdem inſtrumenti figuram quamdam non triagonalem, ſed in vertice ovalem, exhibet Pignorius de Servis pag. 88. cui plures annuli virgulâ metalli jactandi inſerti ſunt. Num eò ſpectant *ſchaliſchim* Scripturæ?

De *Trigono* Muſico quodam inſtrumento ſermo eſt apud Veteres, quod è Syris Juba derivat apud Athen. lib. 4. c. 23. p. 175.; alii epithetum illi addunt Phrygii, vel Perſici. Vide eundem lib. 14. cap. 19. pag. 636. Novem fidibus inſtructum, ple-

(1) Iſidor. Orig. lib. 2. cap. 21. *Tympanum eſt pellis vel corium ligno ex una parte extenſum; eſt enim pars media in ſimilitudinem cribri.* (2) Apollodor lib. 1. Biblioth.
(3) *Nullibi gentium ſpectarant tympana ad ingentis aheni modum quibus ſarcinis equi onerarentur.*
(4) Roger. Terr. Sanct. lib. 2. cap. 7. pag. 393. & 418. & D. Bernard. de Montfaucon not. in tract. Therapeut. Gallicè. (5) Itali *Viola*.

ctro à puellis ut plurimum pulsabatur. Diogenes Tragicus apud Athenæum author est, Bactrianas & Phrygias puellas Dianæ Numen in atris nemoribus venerari consuevisse, pectine & trigono Persarum inter sacra ludentes. Josepposapud Thom. Galle not. ad Jamblic. Græcus Author tradit Sacerdotes Ægyptios eodem instrumento uti in conviviis & festis. Trigonum verò Plato è Republica sua exulare jusserat. Mihi tamen ea stat sententia, quæ Hebræum *schalischim* de sistro, seu de veteri illo instrumento triagonali, de quo in superioribus, interpretatur; meliusenim cum illo quadrant omnia, quæ in Scripturis de *schalischim* leguntur.

Superest ut de *Mezilothaim* aliquid afferamus, cujus instrumenti frequens est in Sacra Scriptura mentio; & sonum accessisse credimus ad *Zalzelim* sive cymbala, supra à nobis descripta; utrumque enim nomen ex eadem radice derivatur. Porrò sonum edebat acutum & stridentem adeò, ut longissimè pervaderet Par. 15. 19.. Æreum erat; usus ejus in Templo publicisque solemniis. Reddi solet plerumque nomen illud, *Cymbala*; ut proinde quæcumque de cymbalis diximus, huc etiam referenda sint. Narrat Josephus Antiq. lib. 7. cap. 10. plura à Davide ex ære cymbala amplissima & latissima conflata.

Alii verò eandem vocem, reddunt. *Tintinnabula*, quà voce cave ut tintinnabula nostri moris designata credas recentiora sunt enim; sed potius lances sunt quædam, quæ percussæ tinnitu suo aerem longè potius lateque commovent. Narrant Musicum quemdam olim in Insula Isso coram frequenti populo cantasse, cum subito dato signo vendendorum piscium tintinnabuli pulsu, facessere confestim omnes, Cantore solitario relicto, perseverante uno tantum surdastro, qui melos ægris licet auribus captabat. Rei indignitate permotus Cantor, plura in populum iactare, auditorem verò, qui unus, cæteris ad pisces dilapsis, manserat, pluribus gratiis cumulare. Interrogavit ille, num vendendi piscis signum tintinnabulo datum esset. Affirmante Musico, ille statim terga vertens ad pisces convolavit. Hanc sivè fabellam malueris vel historiam, apud Strabonem lib. 14. 253. legas; quod tamen ab eodem Authore tanquam vetus aliqua historia relatum, instrumenti hujus vetustatem probat. Narrat idem Strabo lib. 16. tintinnabulum jumentorum collo suspendere, in moribus apud Troglodytas positum fuisse, cujus sono carnivoræ belluæ, ne quid nocerent, arcerentur Solebat alicubi tintinnabulum vigilanti super excubias tradi, quo scilicet experrectas illas haberet. Vide, si lubet, Henric. Steph. Thesaur. in Codonophoros, & Aristoph. in Avibus. Porrò de tintinnabulis sermo est apud Dionem, Polybium, Plutarchum, & Josephum.

Ut quid verò aliena pro vetustate tintinnabulorum quærantur, cum apud Moysem suppetant, cujus jussu extremus tunicæ Summi Sacerdotis Judæorum limbus tintinnabulis ornabatur (1)? Addebantur pariter & phaleris equorum, qui belli usibus parabantur, ut scilicet fragori assuescerent (2). Zacharias 14. 20. morem hunc designare visus est, futurum prænuncians, ut clamari contingat super *Mizloth* equis, clamari, inquam, hæc verba: *Sanctum Domino*; i. e. aurum omne argentumque, quo phaleræ equorum ornantur, eorumque *mizsloth* sive *mizlothaim* præ cæteris Deo consecrabuntur. Equus qui tintinnabulum non audisset, dicebatur apud Græcos equus belli usibus ineptus, quippe qui tintinnabulo aures non attemperaverat, quo scilicet equi ad sustinendos belli tumultus fragoresque formabantur (3). Probatur itaque mihi ea vocis *mizlothaim* interpretatio, quæ de tintinnabulo magnos cœtus populi indicente dictam usurpat. De forma ejus instrumenti nihil in Scriptura.

Hæc suppetebant, quæ de hoc argumento scriberemus, pauca sanè; sed argumentum tractamus, in quo solas attulisse non inverosimiles conjecturas satis reputandum est. Peritioribus interim, quæ libavimus tantùm, relinquimus perficienda.

(1) Exod. 28.
(2) Vide Scholiast. Aristoph. in Ranis & Henric. Steph. Thesaur. in Codonophalarotolos & in Codonizo.
(3) Etymolog.

SERIES

Dissertationem in Psalmos Graduales vide in capite Psalmi CXIX.

SERIES CHRONOLOGICA PSALMORUM

Psalmi nullo temporis charactere distincti.

PSal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*. Totius Psalterii veluti præfationem instituit. Authorem habuisse creditur vel Davidem, vel Esdram, quem Psalmorum Collectorem autumant.

Ps. 5. *Verba mea auribus percipe*. Piæ animæ in medio corrupti sæculi suspiria. Preces vespertinæ.

Ps. 8. *Domine Dominus noster*. Hominis decora, Jesu Christi gloria.

Ps. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*. Divinæ Legis elogium. Laudes Creatoris ex inspectis rebus creatis, Cœlis, & Astris.

Ps. 80. *Exultate Deo adjutori nostro*. Psalmus iste olim cantabatur in Templo in Festo Buccinarum, anni ineuntis, & Tabernaculorum. Asaph Authori tribuitur.

Ps. 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi*. Morale hoc carmen scripserunt Filii Moysis, felicitatem illorum prosequentes, qui spem suam omnem in Domino collocassent. Certum ejus tempus definiri potest sive post, sive in ipsa captivitate.

Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo*. Adventus, Regnum, Sacerdotium, Generatio Messiæ. Scriptus à David.

Ps. 138. *Domine probasti me, & cognovisti me*. Moralis instructio de providentia & sapientia Dei.

Ps. 144. *Exaltabo te Deus meus Rex*. Canticum laudis & gratiarum actionis pro beneficiis simul omnibus à Deo collatis.

Psalmi à Davide scripti in ipsa Saulis persecutione.

PS. 10. *In Domino confido &c.* Cum in ipsa Saulis aula adhuc moraretur David, sollicitatus ab amicis ut prompta secessione saluti suæ consuleret, totam spem suam in Domino reponere se profitetur.

Ps. 30. *In te Domine speravi, non confundar in æternum*. David proscriptus ex aula Regis secedere cogitur.

Ps. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*. David in aula Achis agnitus, stultitiam simulans, liberatur.

Ps. 55. *Miserere mei Deus, quia conculcavit me homo*. David ex aula Achis aufugiens, in speluncam Odollam sese recipit.

Ps. 15. *Conserva me Domine, quoniam speravi in te*. Insequentem Saulem David declinaturus, ad Moabitas, & Philistæos divertit.

Ps. 13. *Deus in nomine tuo salvum me fac*. Saul fugienti Davidi in deserto Ziph imminens, ad repellenda Philisthæorum arma pedem vertere cogitur. Actio gratiarum Davidis. 1. Reg. 23. &c.

Ps. 51. *Quid gloriaris in malitia*. Ita David cantabat, de Urbis Nobe direptione & excidio Sacerdotum certior factus. 1. Reg. 22. 1. &c.

Ps. 108. *Deus laudem meam ne tacueris*. Invehitur David in Doeg, cæterosque adversarios.

Ps. 16. *Exaudi Domine justitiam meam*. Preces Davidis, cùm maxime persequutionis Saulis æstus ferveret.

Ps. 21. *Deus Deus meus respice in me*. Prementes

A te Saule David, ipsam in se exprimit imaginem Jesu Christi Judæorum furore neci traditi.

Ps. 34. *Judica Domine nocentes me*. In eadem persequutione.

Ps. 56. *Miserere mei Deus, miserere mei &c.* David in spelunca Engaddi delitescens. 1. Reg. 24.

Ps. 57. *Si verè utique justitiam loquimini*. Continuatio præcedentis. In malos Saulis consiliarios querelæ.

Ps. 141. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum &c.* David in spelunca Engaddi 1. Reg. 24.

Ps. 139. *Eripe me Domine ab homine malo*. Da-
B vid iis urgentibus persequutionibus, Dei opem implorat.

Ps. 140. *Domine clamavi ad te, exaudi me &c.* Continuatio præcedentis.

Ps. 7. *Domine Deus meus in te speravi*. Cùm David infestissimum haberet adversarium Saulem.

Psalmi post initum à Davide Regnum, & post Saulis obitum.

PSalm. 2. *Quare fremuerunt gentes &c.* David frementibus adversariis, Regni sui sedem Jerosolymis constituit. De Regno Jesu Christi oraculum.

C Ps. 9. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua &c.* Cùm David solemni pompa Arcam è domo Obededom in Sion transferret.

Ps. 23. *Domini est terra & plenitudo ejus*. Eadem occasione.

Ps. 67. *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus*. Cùm Arca, è Cariath-jarim Jerosolymam deduceretur.

Ps. 100. *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*. Exponit David quantùm sibi in Regni administratione æquitas & justitia curæ essent.

Ps. 28. *Afferte Domino filii Dei &c.* Actio gratiarum Davidis pro imbre tunc dilapso, cùm ille
D ultionem è stirpe Saul pro Gabaonitis ab eodem Rege injuria affectis exegisset. 2. Reg. 21. 1. &c.

Ps. 19. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*. David ad expeditionem profecturus in duos fœderatos populos, Ammonitas scilicet & Syros. 2. Reg. 10. 16.

Ps. 20. *Domine in virtute tua lætabitur Rex*. Gratiarum actio pro victoria de Ammonitis. Continuatio præcedentis.

Ps. 37. *Domine ne in furore tuo arguas me . . . quoniam sagittæ*. Cùm David ægrotaret, & post crimen cum Bethsabee. De hoc morbo nihil in historia Regum; sed ab omnibus fermè Interpre-
E tibus admittitur.

Ps. 38 *Dixi: Custodiam vias meas &c.* Continuatio præcedentis. Psalmus ab Idithum cantandus.

Ps. 39. *Expectans expectavi Dominum*. Gratiarum actio pro recepta valetudine.

Ps. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*. Continuatio præcedentis.

Ps. 6. *Domine ne in furore tuo . . . . Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*. David post com-

commissum cum Bethsabee crimen ægrotans. A
Ps. 50 *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*. Hunc Psalmum scripsit David, postquam de commisso à se crimine à Nathano acrioribus verbis castigatus fuit. 2. Reg. 12.
Ps. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*. Ejusdem temporis, & argumenti.
Ps. 32. *Exultate justi in Domino*. Continuatio præcedentis.

Psalmi in defectione Absalomi.

PSalm. 3. *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me?* David ex Urbe Metropoli ab B Absalomo pulsus.
Ps. 4. *Cum invocarem &c.* Ejusdem temporis, & argumenti.
Ps. 54. *Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam*. David venientem Jerosolymam Absalomum fugiens.
Ps. 61. *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Furente Absalomo, David sese ad patientiam hortatur. Psalmus nomine Idithun inscriptus.
Ps. 69. *Deus in adjutorium meum incende*. Oratio David cùm ab Absalomo urgeretur. Præfatio est succedentis Psalmi.
Ps. 70 *In te Domine speravi, non confundar in æternum*. Continuatio præcedentis. C
Ps. 142. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam*. Premente bello Absalomi.
Ps. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui, docet manus meas ad &c.* Actio gratiarum pro victoria de Absalomo, Seba filio Bochri, aliisque perduellibus.

Psalmi post defectionem Absalomi adusque captivitatem Babylonicam.

PSalm. 67. *Diligam te Domine fortitudo mea*. Solemnis gratiarum actio Davidis pro omni- D bus à Deo receptis beneficiis. 2. Reg. 22.
Ps. 29. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*. In dedicatione Areæ Ornan. 2. Reg. 24. 25.
Ps. 71. *Deus judicium tuum Regi da*. Cum de filio suo Salomone ad Regnum evecto David secum ipse gratularetur.
Ps. 44 *Eructavit cor meum verbum bonum*. Psalmus filiorum Core in pompa nuptiarum Salomonis.
Ps. 77. *Attendite popule meus Legem meam*. Chorus Asaph epinicium canit victoriæ ab Asà de Rege Israel relatæ. 2. Par. 14. 4. 6.
Ps. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum*. Ad Judices sub Josaphat Rege Juda admonitio.
Ps. 82. *Deus quis similis erit tibi?* Epinicium pro victoriis Josaphat Regis Juda de Ammonitis, Idu- E mæis, aliisque 2. Par. 20. 1. &c. Psalmus Asaph.
Ps. 75. *Notus in Judæa Deus*. Scriptus vel saltem canendus à classe Asaph, post deletum exercitum Sennacheribi.
Ps. 73. *Ut quid Deus repulisti in finem?* Gemit Asaph Templi Jerosolymitani desolationem ab armis Nabuchodonosoris. Ipsa facilè premente captivitate scriptus est.
Ps. 78. *Deus venerunt gentes &c.* Ejusdem argumenti.

Psalmi premente captivitate scripti.

PSalm. 22. vel 10. 1. juxta Hebræos. *Ut quid Domine recessisti longè?* Gemitus captivorum.
Ps. 11. *Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus*. Scriptus à Judæis in captivitate, qui Babyloniorum impietatem sub oculos exhibent. Confer hunc Psalmum cum Ps. 13.
Ps. 12. *Usquequo Domine oblivisceris me in finem*. Prosequitur captivorum querelas.

Ps. 13. *Dixit insipiens in corde suo*. Vota captivorum. Scelera Babyloniorum.
Ps. 52. *Dixit insipiens in corde suo &c.* Scelera Babyloniorum veluti sub oculos exhibentur. Idem est ac præcedens 13.
Ps. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Quid ab illis exigatur, quibus & reditus è captivitate & ingressus in Templum concedendus est.
Ps. 24. *Ad te Domine levavi animam meam*. Oratio captivorum pro libertate impetranda.
Ps. 25 *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia &c.* Continuatio præcedentis.
Ps. 26 *Dominus illuminatio mea, & salus mea*. Fiducia Captivorum.
Ps. 27. *Ad te Domine clamabo*. Vota & actiones gratiarum in captivitate.
Ps. 35. *Dixit injustus ut delinquat in semetipso*. Querelæ captivorum de Babyloniis.
Ps. 36. *Noli æmulari in malignantibus*. Canticum solaminis pro captivis.
Ps. 41. *Quemadmodum desiderat cervus*. Canticum filiorum Core in captivitate.
Ps. 42. *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta*. Ejusdem argumenti.
Ps. 43 *Deus auribus nostris audivimus*. Ejusdem argumenti continuatio.
Ps. 48. *Audite hæc omnes gentes*. Filiorum Core. Solamen captivorum.
Ps. 49. *Deus Deorum Dominus loquutus est*. Deus captivum populum suum judicat; docens insuper veram cultus Divini rationem. Psalmus Asaph, vel potius alicujus ex ejus posteris.
Ps. 59. *Deus repulisti nos & destruxisti nos*. Captivi Judæi prompta libertatis spe sibi blandiuntur.
Ps. 63. *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor*. Captivi duros dominos Babylonios experti lugent.
Ps. 68. *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ*. Levitarum ea de re querelæ.
Ps. 72. *Quam bonus Israel Deus*. Asaph fratres suos consolatur, optimis simul institutionibus muniens adversus prava malorum exempla, ne quid scandali patiantur impiorum felicitatem spectantes. Vide Ps. 36.
Ps. 74. *Confitebimur tibi Deus*. Asaph populi libertatem efflagitat.
Ps. 76. *Voce mea ad Dominum clamavi*. Asaph de captivitatis prolixitate conqueritur. Inscribitur etiam Psalmus nomine *Idithum*.
Ps. 79. *Qui Regis Israel, intende*. Asaph, ut suum populum visitet, à Deo postulat, & de captivitate educat.
Ps. 83. *Quam dilecta tabernacula tua*. Vota Filiorum Core pro captivitatis reditu.
Ps. 85. *Inclina Domine aurem tuam*. Idem.
Ps. 87. *Domine Deus salutis meæ*. Idem.
Ps. 88. *Misericordias Domini*. Ethan Esraites Deum rogat pro libertate populi in servitute positi.
Ps. 89 *Domine refugium factus es nobis*. Levitæ è posteris Moysis reditum è captivitate flagitant.
Ps. 91. *Bonum est confiteri Domino*. Idem.
Ps. 92. *Dominus regnavit, decorem indutus est*. Idem.
Ps. 93. *Deus ultionum Dominus*, Idem.
Ps. 94 *Venite exultemus &c.* Idem.
Ps. 118. *Beati immaculati*. Oratio Danielis vel alterius Prophetæ ad populi institutionem.
Ps. 119. *Ad Dominum cum tribularer*. Captivi liberationem petunt.
Ps. 120 *Levavi oculos meos*. Idem.
Ps. 122. *Ad te levavi oculos meos*. Idem.
Ps. 129. *De profundis clamavi*. Idem.
Ps. 130 *Domine, non est exaltatum cor meum:* Captivi Judæorum proceres pro reditu orant.
Ps. 131. *Memento, Domine, David*. Oratio Judæorum captivorum pro familia David.

Psalmi post Edictum Cyri pro reditu de captivitate.

PS. 121. *Lætatus sum in his*. Canticum lætitiæ Judæorum captivorum audita libertate per Cyrum concessa.

Ps. 60. *Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi*. Gratiarum actio Judæorum, cum iter Jerusalem suscepturi essent.

Ps. 62. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo*. Captivi in itinere Jerosolymam, ardorem videndæ patriæ ac Templi Domini testantur.

Ps. 123. *Nisi quia Dominus erat in nobis*. Canticum Judæorum captivorum dum iter inirent.

Ps. 32. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*. Gratiarum actio Judæorum captivitate soluta.

Ps. 86. *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*. Elogium Jerosolymæ per filios Core paulò post regressum in patriam.

Ps. 84. *Benedixisti, Domine, terram tuam*. Gratiarum actio pro reditu in patriam.

Ps. 45. *Deus noster refugium & virtus*. Ita canebant filii Core in secundi Templi dedicatione.

Ps. 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*. Continuatio præcedentis. Gratiarum actio de pace Israeli concessa.

Ps. 95. *Cantante Domino canticum novum .... omnis terra*. Ita in dedicatione secundi Templi filii Moysis cantabant.

Ps. 96. *Dominus regnavit, exultet terra*. Gratiarum actio pro Judæorum libertate. Continuatio præcedentis.

Ps. 97. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia*. In dedicatione secundi Templi filii Moysis cantabant. Continuatio præcedentis.

Ps. 96. *Dominus regnavit, irascantur populi*. Eidem cæremoniæ per eosdem Authores.

Ps. 99. *Jubilate Deo omnis terra, servite Domino*. Idem in eadem dedicatione.

Ps. 101. *Domine exaudi orationem meam .... non avertas faciem tuam*. Babylonicæ captivitatis narratio. Gratiarum actiones Judæorum pro libertate.

Ps. 102. *Benedic anima mea Domino*. Continuatio præcedentis.

Ps. 103. *Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus*. Idem.

Ps. 194. *Confitemini Domino & invocate nomen ejus*. Gratiarum actio in reditu è captivitate.

Ps. 105. *Confitemini Domino, quoniam bonus .... Quis loquetur potentias Domini?* Idem. Quæ pro Israele tam in Ægypto quam in Deserto Deus operatus est.

Ps. 106. *Confitemini Domino, quoniam bonus .... Dicant qui redempti sunt a Domino &c.* Descriptio poetica malorum, quæ in captivitate tolerata sunt. Continuatio præcedentis.

Ps. 107 *Paratum cor meum, Deus*. Judæi è captivitate soluti pro fratribus orant adhuc trans Euphratem manentibus.

Ps. 110. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo in consilio justorum*. Gratiarum actio Judæorum paulò post liberationem.

Ps. 111. *Beatus vir qui timet Dominum*. Continuatio præcedentis.

Ps. 112. *Laudate pueri Dominum*. Gratiarum actio pro reditu è captivitate.

Ps. 113. *In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro* Idem.

Ps. 114. *Dilexi quoniam exaudiet Dominus*. Continuatio præcedentis.

A Ps. 115. *Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis*. Idem.

Ps. 116. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi*. Idem.

Ps. 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion*. Judæi, captivitate solutâ, ut reducat fratres qui in dispersione erant, Deum rogant.

Ps. 132. *Ecce quam bonum, & quam jucundum*. Concordia Sacerdotum & Levitarum in Templo, paulo post reditum è captivitate.

Ps. 133. *Ecce nunc benedicite Dominum*. Exhortatio vigilandi & in Templo orandi, Sacerdotibus, & Levitis post solutam captivitatem. Continuatio præcedentis.

Ps. 134. *Laudate nomen Domini: laudate servi*
B *Dominum*. Eiusdem argumenti.

Ps. 135. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum*. Continuatio Ejusdem.

Psal. 136. *Super flumina Babylonis*. Levitæ è Babylone reduces narrant, rogatos se à Babyloniis, ut musicam Templi cantarent.

Ps. 148. *Laudate Dominum de Cœlis*. Gratiarum actio Judæorum post solutam captivitatem.

Ps. 149. *Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia Sanctorum*. Idem. Omnes populi laudibus persolvendis Deo convocantur.

Ps. 150. *Laudate Dominum in Sanctis ejus*. Continuatio præcedentis.

Ps. 145. *Lauda anima mea Dominum*. Canticum Aggæi, & Zachariæ post Edicti Cyri revocatio-
C nem, quo ædificandi Templum, & mœnia Jerusalem copia facta erat. Psalmus consolationis.

Ps. 146. *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus*. Gratiarum actio illorum Prophetarum post longam sterilitatem, de qua Aggæus.

Ps. 147. *Lauda Jerusalem Dominum*. Continuatio præcedentis pro dedicatione mœnium Jerusalem.

Ps. 58. *Eripe me de inimicis meis, Deus meus*. Eadem facilè occasione. 2. Esdr. 4. &c.

Ps. 64. *Te decet hymnus, Deus, in Sion*. Canticum Aggæi, & Zachariæ, postquam Dominus pluviam per Aggæum prænunciatam misit, &
D cùm reparationis Templi opus primò susciperetur. Vide Ps. 146

Ps. 65. *Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini*. Continuatio Psalmi præcedentis.

Ps. 66. *Deus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet*. Idem.

Ps. 117. *Confitemini Domino quoniam bonus ..... Dicat nunc Israel*. Canticum victoriæ post obitum Cambysis, sive in dedicatione mœnium Jerusalem per Nehemiam.

Ps. 124. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion*. Judæi se invicem hortantur ut fortiter resistant Sanaballat, Tobiæ, Ammonitis, cæterisque adversariis.

Ps. 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum*. Populum
E confirmat, ut strenuam operam ædificandis mœnibus Jerusalem impendant; se verò totos Domino committant.

Ps. 127. *Beati omnes qui timent Dominum*. Exhortatio ad timorem Dei. Continuatio præcedentis.

Ps. 128. *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea*. Narratio pacis, felicitatis & gaudii Judæorum post captivitatem sub Dario filio Hystaspis.

Ps. 137. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo ..... in conspectu Angelorum &c.* Ejusdem argumenti. Gratiarum actio pro ea, qua fruuntur, pace.

Tabulæ Chronologicæ Psalmorum Finis.

SERIES ALPHABETICA
PSALMORUM.

A

B

C

D

C.

COMMENTARIUM LITERALE IN PSALMOS.

PSALMUS PRIMUS.

Felicitas Justorum, eorumque officia, & præmia. Infelicitas impiorum, eorumque pœnæ.

ARGUMENTUM.

Primo huic Psalmo nullus præfixus est titulus in Hebraico texta, & in Septuaginta [1]; est autem velut Psalterii totius prooemium [2]. Græci Patres, ac Latini, eum vulgo Davidi attribuunt: aliqui vero Esdræ [3]. Jeremias hunc vel citavit, vel imitatus est [4]. Eum Judæi ad Josiam referunt [5], qui unus est Regibus Juda, cui hæc merito laus tribui queat, non abiisse, nempe, in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetisse, neque sedisse in Cathedra pestilentiæ. Nonnulli Patres [6] eum Josepho ab Arimathæa applicant, qui Judæis adhærere noluit in nequissimo Dominum perdendi consilio. Explicatur quoque de JESU CHRISTO Homine [7]; qui nullum, ne levissimum quidem errorem admisit, nulla umquam peccati sorde pollutus fuit, neque partem umquam habuit cum impiis. Psalmus hic est veluti compendium totius doctrinæ Psalterii; & continet omnem morum hominisque officiorum doctrinam.

1. BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non
stetit: & in cathedra pestilentiæ non sedit. 2 Sed in lege Domini voluntas e-
jus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte. 3 Et erit tamquam lignum,
quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore
suo. 4 Et folium ejus non defluet: & omnia, quæcumque faciet, prosperabun-
tur. 5 Non sic impii, non sic: sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a fa-
cie terræ. 6 Ideo non resurgent impii in judicio: neque peccatores in concilio
justorum. 7 Quoniam novit Dominus viam justorum: & iter impiorum peribit.

℣. 1. BEATUS VIR [8], QUI NON ABIIT IN CONSILIO IMPIORUM, & IN VIA PECCATORUM NON STETIT.] Psalmista hic tria improborum genera describit, quos vir bonus imitari non debet, & cum quibus nullo debet esse vinculo conjunctus; *impios, peccatores, pestilentes*; atque tres cum illis commercii, vel consuetudinis gradus distinguit [9]: in eorum vias non abire, in illis nequaquam consistere, neque ibidem sedere. Damnat cogitationem, actionem, perseverantiam in malo. Donec inter viros degimus, difficillimum est quandoque in vias impiorum non deflectere [10]. Omnis homo peccator est, *& si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est* 1. Joan. 1. 8. Justus vir in ea via non consistit; neque ibi perseverat; sed celeriter per pœnitentiam ad Domini viam reverti festinat.

Impius isthic, juxta vim vocis Hebraicæ [11], significat potius hominem mobilem, turbidum, inquietum [12]; qui neque constanter bonum diligit, neque vit-

1 Edit. Complut. Ψαλμὸς τῷ Δαυΐδ, ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις. Theodoretus tantum, Ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις. Alii nullum titulum legunt. 2 Hieronym. hic.
3 Incognit. in Psal. 4 Jerem. 17. 7. 8. collat. cum Psal. 1. vers. 3.
5 Hebræi apud Hieron. hic. 6 Athanas. hic ad vers. 1. Tertull. lib. de Spectaculis, apud Hieron. hic.
7 Hieronym. hic. 8 אשרי האיש 70. μακάριος ἀνὴρ Th. 5. & 6. Edit. τέλειος ὁ νεώτερος, *adolescens perfectus*. Alius, ἄμεμπτος ὁ ἄνθρωπος, *vir irreprehensibilis*.
9 Theodoret. Οὐχ ἁπλῶς δὲ πρῶτον ὁδὸν, εἶτα στάσιν, εἶτα καθέδρας ἐμνημόνευσε, &c.
10 Hieron. *Non dixit: Et in via peccatorum non ambulavit; hoc quippe impossibile est, quia nullus absque peccato &c.*
11 אשרי האיש אשר לא הלך בעצת רשעים Aqu. ἐν συνελεύσει ἀσεβῶν, *in cœtu impiorum*. 70. ἐν βουλῇ ἀσεβῶν, *in consilio impiorum*. Th. 5. & 6. Edit. ἐν βουλῇ ἀλλοτρίων, *in consilio extraneorum*. Alius; ἐν συνεδρίῳ παρανόμων, *in Senatu prævaricatorum Legis*. 12 Vide Muis hic. & Isai. 56. 20. & Prov. 4. 16.

virtutis, ac veritatis flagrat amore; hominem, qui inconsulto graditur, neque viis suis invigilat, sed fortuito operatur, ac abit post studia sua, & voluptates cordis; modo probus, modo improbus pro ratione vel comitum, vel circumstantiarum. *Peccator* [1] magis iniquus est, ac perniciosus, eo, quem descripsimus. *Peccator* eum isthic designat, qui in malo pertinax est, eique mordicus adhærescit, ac nequissimos scelerum habitus efficit. Denique *pestilentes* viri, pestes illæ Reipublicæ, ut Septuaginta reddunt [2], vel cum Hebræo [3] *irrisores* ii sunt, qui Religionis sacra irrident, & eos, qui virtutem, ac pietatem exercent, contemnunt. Hi sunt insolentes illi, ac perniciosi, qui Religionis odium, & nequitiæ amorem insinuant irrisionibus suis, atque cachinnis. Salomon de his sæpe loquitur in Proverbiis [4], & sedulam navat operam, ut Discipulum suum adversus hoc pestis genus præmuniat. Ii autem crebri erant apud Judæos; & Prophetæ [5] satis aperte narrant, quibus contumeliis ab illis peterentur. Symmachus nomen hoc reddit, *Sicophantam*. Quinta, & sexta Editio Hexaplorum Origenis habet, *transgressorem*, nefarium.

S. Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. putat, *consilium impiorum* Ethnicos denotare; *viam peccatorum*, Judæos; *cathedram pestilentiæ*, hæreses. Sanctus Hieronymus hic haud procul abludit; Beatus, inquit ille, qui neque cogitavit, neque fecit, neque docuit malum: qui neque Judæus est, neque Ethnicus, neque Hæreticus. Cathedra pestilentiæ, vel corruptionis est, ut S. Athanasius in hunc Psalm. docet, improba doctrina, scelesti doctores, impiorum, Hæreticorum sententiæ; ut S. Gregorius mavult, pravum exemplum, & affectata malitia; ut denique S. Hilarius in hunc locum explicat sæcularia negotia, in quibus sæpe corrumpitur anima, licet integerrima mente suscipiantur. *Abire cum aliquo* in Scripturæ stylo [6] voluntati ejus adhærere significat, illi obtemperare, in eadem sententia versari. *Sedere cum illo*, vel eodem uti contubernio (Hebraicum enim verbum utrumque significat) aliquid amplius innuit; atque consuetudinem, necessitudinemque designat.

℣. 2. SED IN LEGE DOMINI VOLUNTAS EJUS, & IN LEGE EJUS MEDITABITUR DIE, AC NOCTE.] David primum nos docuit, quid homini fugiendum sit, nunc quid illi faciendum, tradit. A mali fuga ordiendum est, hoc primum est Ethicæ documentum [7]; deinde vero ad bonum exercendum progressus patet. Horatius Ep. l. 1. ep. 1.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse.

Non satis est Dei Legem nosse, verum eam amare opus est, illam ediscere, exercere, interdiu, ac noctu meditari [8], eadem spiritum, animumque replere, illi indesinenter hærere, jugi vigilantia gressus nostros scrutari. Nox, & dies in morali sensu adversa, & prospera queunt significare [9]. Moyses Israelitis præcipit Deut. 6. 6. ut in corde suo Legis verba conservent, eaque filiis suis narrent, illa domi, foris, cubilum adeuntes: e cubili surgentes meditentur; illa super manus suas gestent, frontibus suis adnectant, januis suis inscribant. Josephus contra Appion. l. 2. ait, Judæos Moysis Legem, ac avorum suorum Historiam a teneris usque unguiculis edoceri, easque probe adeo callere, ut semper interrogantibus respondere parati sint, easque eadem facilitate, qua proprium nomen recitent; alte adeo eas memoria tenent. Nonne pudet, Christianos negligenter adeo, atque oscitanter divinis studere Bibliis, ac Evangelio præsertim; ut plurimi illud numquam lectitarint, & perpauci vix illius sensum mediocriter norint? Per hæc verba: *In lege Domini voluntas ejus*, Propheta verum justum, & Christianum a Judæo, & Hypocrita secernit [10]. Hic legem propter metum dumtaxat, & invitus observat: *Qui timet, invitus observat*, Sanctus Ambrosius inquit: sed Christianus illam observat sponte, atque tota voluntate sua.

℣. 3. ET ERIT TAMQUAM LIGNUM, QUOD PLANTATUM EST [11] SECUS DECURSUS AQUARUM &c.] Justus comparatur arbori semper virenti, ac fructibus prægravi, quæ consita est secus decursus aquarum. Virorem suum illa servat, dum acerrimi æstus desæviunt, & fructus ejus ad felicem pervenit maturitatem. Fidei consonum est, hanc arborem, cui justus similis dicitur, esse palmam, quæ semper virescit; & aquas diligit. Hæc arbos in Palæstina est vulgatissima, & Scriptura sæpius palmæ usurpat similitudinem [12], ut vitæ diuturnitatem, felicissimum, florentissimumque statum significet. Nonnulli [13] ex Patribus putant, Regium Psaltem isthic ob oculos habuisse JESUM CHRISTUM. In Apocalypsis 22. 1. 2. fluvius aquæ vivæ exhibetur ex imo Dei Agnique throno emanans, ad cujus ripas consita est arbos vitæ, quæ duodecies in annum fructum suum parit, & cujus frondes ad Nationum salutem inserviunt. JESUS CHRISTUS fons est omnis sapientiæ; & ipse nobis testatur Luc. 21. 33. nullum ex verbis illius effectu suo cariturum, atque asserit Joan. 4. 14. se esse fontem aquæ salientis in vitam æternam, & futurum, ut quicumque in ipsum crediderit, & ex ea aqua biberit, non sitiat in æternum, Ioan. 4. 13.

FRUCTUM SUUM DABIT IN TEMPORE SUO.] Arbos bona neque præcoces ferre debet fructus, neque serotinos. Si enim præcoqui fructus erunt, & acerbi; sin tardi, & insipidi. Primi nimio plerumque calore maturescunt, alteri vero humore nimio. Ut autem boni sint, tempore suo debent maturos fieri. Quædam arbores adsunt, inquit S. Bernardus in serm. de S. Benedicto, quæ nullos fructus edunt; edunt aliæ fructus, at non suos; aliæ denique suos fructus pariunt, at tempore non suo. Primi sunt hujus sæculi homines, qui flagitiis, atque sceleribus, se ingurgitant: arbores pravæ, atque infructuosæ similes sylvestribus truncis, qui ad comburendum sunt dumtaxat idonei. Secundi sunt hypocritæ, qui propter jactantiam, humanasque rationes, bonum operantur. Tertii ii sunt, qui præcipiti nimis celeritate fructus suos edere festinant, & insipienti, inconditoque ardore succensi se se in periculum objiciunt amittendi ea, quæ habent, nimis properantes, ut illud aliis communicent, atque exterius producant. Nonnulli hoc intelligunt [14] de felici morte, ac provectiori ætate, cum justus vie expleto vitæ curriculo decidit, veluti fructus æternitati maturus. Patres plurimi [15] explicant de præmio, quod justus in resurrectione, vel in futura vita recipiet: *In tempore suo*.

℣. 5. NON SIC IMPII, NON SIC; SED TAMQUAM PULVIS, QUEM PROJICIT VENTUS A FACIE TERRÆ.] Hebræus brevior est [16]: *Non ita de impiis fiet; erunt, veluti minutæ paleæ, quas dissipat ventus.* Non loquitur de simplici pulvere arescentis, atque contriti soli; sed

1 ובדרך חטאים לא עמד 2 Καὶ ἐπὶ καθέδρᾳ λοιμῶν οὐκ ἐκάθισεν, Aqu. Χλευαστῶν. Sym. Ἐπιθετῶν 5. 7. Edit. Παρανόμων. 3 ובמושב לצים לא ישב

4 Vide Prov. 1. 22. 3. 34. 9. 12. 7. 8. 13. 1. 14. 6. 15. 12. 19. 25. 29. 20. 1. &c.

5 Vide Isai. 28. 10. 34. 13. Amos 2. 12. Mich. 2. 6. Jerem. 17. 15. Ezech. sæpius.

6 Vide Genes. 5. 22. & Jerem. 15. 17. 7 Psalm. 36. 27. *Declina a malo, & fac bonum.* Ambros. hic. *Nobis initium bonorum, abstinentia peccatorum est.* 8 Vide Hieronym.

9 Augustinus hic. 10 Euseb. Cæsar. Hilar. Ambros. hic.

11 Aquil. Μεταφυτευμένον. 70. Πεφυτευμένον. Hebr. שתול 12 Psal. 91. 13. Job. 28. 18. Eccli. 24. 18.

13 Hilar. Cassiodor. Greg. Alii. 14 Abenezra, Genebr.

15 Euseb. Cæsar. Ambros. Hilar. hic. 16 לא כן הרשעים כי אם כמוץ אשר תדפנו רוח 70. Οὐχ οὕτως οἱ ἀσεβεῖς, οὐχ οὕτως, ἀλλ' ἢ ὡσεὶ χνοῦς ὃν ἐκρίπτει ὁ ἄνεμος ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς. Scholion. Τὸ δεύτερον οὐχ οὕτως παρ' Ἑβραίοις κεῖται ἐν τῷ ἑξαπλῷ.

li; sed de eo, quod in area, post tritutatum triticum remanet. Triticum quidem ad ventum projicitur, sed triticum in aream recidit, palea vero dissipatur. Hoc ipsum de impio fiet. Nomen ejus, memoria, posteritas, bona, veluti exiguæ paleæ dispetdentur. Job persimili utitur comparatione c. 21. 18. *Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut favilla, quam turbo dispergit*. Peccator *nihil habet solidum*, D. Hieronymus hic inquit, *sed quod habet, ad pœnam habet: huc illucque dispergitur, numquam in uno loco est, quocumque illum aura Diaboli traxerit, illuc errore perducitur*. Vide & Theodoretum.

℣. 6. IDEO NON RESURGENT [1] IMPII IN JUDICIO, NEQUE PECCATORES IN CONSILIO JUSTORUM.] Non negat equidem, impios quoque resuscitaturos; sed ipsos in judicio, & concilio justorum resuscitaturos negat; statuentur enim veluti hædi ad lævam, dum Justi dexteram Judicis partem obtinebunt: Vel potius; *non resurgent in judicio*, scilicet, ut judicentur, sed ut damnentur [2], nam manifesta nequitia nullo indiget judicio. Ipsi certatim se se præcipites dabunt in æterna supplicia: sicuti interemptores, Theodoretus ait, in ipsa cæde deprehensi ante Judicem rapiuntur, non ut ibi eorum examinetur iniquitas, sed ut damnationis suæ sententiam recipiant. Scriptura ait, duplex dumtaxat hominum genus nequaquam esse judicandum; Justi scilicet, quia credunt in JESUM CHRISTUM: *Qui credit in eum, non judicabitur*; Joan. 3. 18. immo illi non solum judicium effugient Matth. 19. 28. verum ipsi Judices erunt hominum, & Angelorum, ut Apostolus inquit 1. Cor. 6. 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Alterius vero generis sunt impii, & infideles, eo quod jam judicati sunt: Joan. 3. 18. *Qui non credit, jam judicatus est*. Primi immunes a judicio sunt, alii ab eodem exclusi, uti ait S. Hilarius. Unus ex septem fratribus Macchabæis ad Regem Antiochum loquens dicebat 2. Macch. 7. 14. *Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit*.

Rabbini quidam docent [3], impiorum animas una cum corporibus suis interire, & Israelitas dumtaxat esse resuscitandos: Impios vero, Infideles, Christianos, imo malos etiam Israelitas resurrectionis participes nequaquam fore. Verum hæc sententia longissime abhorret a veritate, & a veterum Judæorum opinione. Resurrectionem illi expectabant, ac vitæ æternæ spe tenebantur [4]: *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione resuscitabit*, ajebat unus e fratribus Macchabæis. Illis persuasum erat, impios æternis torqueri cruciatibus; ideoque animas eorum adhuc subsistere non secus ac animas Justorum. Martyr Eleazarus autem in Opere apertissime loquitur de Judicio, quod impiis post mortem est subeundum: *Non enim sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas cum Judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat*. Et capite 6. vers. 26. Licet hominibus immundis vesci carnibus simulans os subliniam, tamen *manum Omnipotentis, nec vivus, nec defunctus effugiam*. Hoc videtur etiam pluribus in locis libri illius, qui Josepho inscribitur, cujus titulus est: *De Rationis imperio*: ubi auctor de igne æterno aperte differit. Denique auctor Sapientiæ cap. 5. ℣. 1. & 2. ac seq. palam damnatorum cruciatus designat: ita ut nequeam satis Ferrandi temeritatem mirari, qui audet asserere, vel numquam, vel perquam raro in veteri Testamento mentionem fieri æternæ vitæ, ac Cœlestis Regni; & præsertim in Psalmis de illis ne verbum quidem inveniri [5]. At Patres ibi de iisdem sermonem esse invenerunt; & quidem pari saltem diligentia, ac recentiores Critici Scripturas perlegerunt. Præmia, & pœnæ vitæ alterius in Job etiam perspicue indigitantur; non secus ac in Psalmis, ac in libris omnibus Sapientialibus, & in Prophetis.

Hebræus hujus versiculi textus hoc reddi pacto potest [6]: *Ideo non subsistent improbi in judicio, neque impii in concilio Justorum*. Scelesti causa excident, cum prodibunt in jus coram Domino; damnabuntur in concilio Justorum [7]. Prosternentur, neque consurgent; in nullam spem reditus interibunt. Aliter: Impii (vers. 5.) veluti inutiles paleæ abripientur, (vers. 6.) neque admittentur amplius in numerum Judicum in concilio Justorum. Intercluſa erit illis porta, ubi jus dicitur, & ubi in Judicum albo amplissimus, ac præstantissimus quisque adlegitur. Ne audebunt quidem prodire causam suam dicturi. Hebraicæ vocis significatio [8] isthic legendum vellet *in concilio*, non *in consilio*. Sed cum posteriori huic lectioni Septuaginta faveant, ex Vulgata, quæ ad illorum Versionem est concinnata, nequaquam est expungenda.

℣. 7. QUONIAM NOVIT DOMINUS VIAM JUSTORUM, & ITER IMPIORUM PERIBIT.] Via plerumque pro vitæ ratione, atque pro actionibus usurpatur. Dominus videt, approbat, atque oblectatur, videns viam, & actiones Justorum. Vel videt, noscit, sortem, finem, felicitatem justi, ac impii infortunium. Omnem illorum vitam novit, quidquid egerunt, exploratum habet, eosque juxta ipsorum opera judicabit. Dicet impiis in terribili judicii sui die: *Quia numquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem*: Justis vero dicet. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* Matth. 7. 23. & seq. Denique Dominus novit viam justi, apertos habet oculos super illum, Providentia ejus vigilat ad conservationem illius; at impiorum viæ, conatus, consilia, nequitia, interibunt: Deus oculos suos ab illis avertet.

1 August. Ambros. Hilar. Antiqua Psalt. manuscripta, *Non resurgunt*.
2 Theodoret. Ambros. Hilar. Cæsar. Euseb. Cæsar.
3 Rabb. D. Kimchi, & alii Hebr. Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 1. Muis. hic.
4 2. Macc. 7. 9. Vide & vers. 14. 23. & 36.
5 Ferrand. In Psal. 1. pag. 117.
6 על כן לא יקמו רשעים במשפט וחטאים בעדת צדיקים
7 Ita Muis. Genebr. Chald. alii.
8 בעדת 70. Εἰς βουλῇ; *in consilio*. Melius Aquil. Εἰς συναγωγῇ. *in concilio*. Th. Εἰς συλλόγῳ. Sym. Εἰς συνεδρίῳ, *in conventu*.

PSALMUS II.

Inutiles conatus inimicorum Messiæ adversus illum, & Ecclesiam ejus. Ipsius Victoria, generatio, & regnum.

ARGUMENTUM.

Psalmus hic est Opus David, quemadmodum discipuli J. C. atque Apost. in Act. 4. 25. testantur. Nullum hic præsefert titulum, in plerisque Editionibus Septuaginta, & in Vulgata: sed in exemplaribus aliis

tum Latinis, cum Græcis [1] inscribitur *Psalmus David*. In aliquibus veluti *Psalmus primus* [2] citatur; in aliis, veluti *Secundus*. In Apostolorum Actibus cap. 13. 33. exemplaria quędam Græca, & Latina legunt, *Psalmus primus*; in aliis, *secundus* [3]. S. Hieronymus nullum legebat titulum; immo in Præfatione in Psalter. ait, hunc cum superiori unum tantummodo psalmum fuisse, quoniam juxta illud Hebræorum axioma: *Qui prætitulati non habentur, apud Hebræos pro uno Psalmo habentur*. S. Gregorius Nyssenus, S. Hilarius, Cassiodorus, & alii quidam psalmo huic titulum præfixum fuisse dicunt: Theodorus e contra inficiatur. Hine aperte colligitur, prioribus sæculis Exemplaria Græca, & Latina inter se discrepantia fuisse. Quoad Hebraica, Origenes in fragm. edito in nova edit. Hexap. t. 1. p. 473. se vidisse testatur duo ex illis, quorum alterum Psalmum hunc priori subnectebat, alterum vero, qui utrumque separabat. Kimchi suis quoque temporibus fuisse ait, quædam Hebraica Exemplaria, & complures Rabbinos, qui hunc cum superiori conjungebant. Agellius ait, se Gręca quædam vidisse Exemplaria, in quibus hic a primo nequaquam sejungebatur. Origenes generatim ait, in Hebraico Textu nullam adesse notam, ex qua numerus, vel ordo Psalmorum valeat dignosci: quod ipsum ævo illius adhuc in Hebraicis Bibliis videbatur; ast hodie hæc longe diversa sunt.

Apostoli in Novo Testamento [4], veteres Græci, Latinique Patres [5], prisci Rabbini [6], ac Interpretes Christiani docent, Psalmum hunc ad Messiam referri, hoc tamen discrimine, quod Patres, veteresque Interpretes illum ad unum Jesum Christum coarctant, alium quemlibet sensum excludentes, dum complures recentiores Interpretes [7] credunt, ipsum secundum aliquas partes de David intelligi posse, in reliquis vero de Jesu Christo dumtaxat; ita tamen, ut loci iidem, qui de David explicantur, melius adhuc intelligantur de Jesu Christo. Rabbini recentes ad David unum referunt; sed ut hæc sententia probetur, manifesta vis Textui est inferenda, quemadmodum ex Commentariis innotescet. Recentiores quidam Critici [8] putant in historico sensu, & litterali ad David, in mystico vero, ac spirituali dumtaxat ad Jesum Christum spectare: Quam sententiam optimus quilibet Christianus perhorrescere debet; hæc enim explicatio omne Prophetiæ robur enervat. Nos autem Patrum methodo hærebimus, quin tamen nigrum theta eorum sententiæ præfigamus, qui quosdam Psalmi hujus locos Davidi adaptant.

Conjectatur autem Psalmista hunc elucubratus fuisse, cum de Jebusæis Jerusalem capta, ibi Regni sedem constituit 2. Reg. 5. 7. 9. quod cum Philisthinis nuntiatum esset, castra posuerunt in valle Raphaim satis prope Jerusalem. Joseph. Ant. l. 7. c. 4. asserit, Syriam omnem, Phœniciam, aliasque bellis deditas gentes vires suas cum Philisthiim contulisse, ut Davidem opprimerent, antequam in recenti ditione convalesceret. David Domino consulto 2. Reg. 5. 17. hostes fudit, ac refertissimam de illis gloriam victor reportavit. David igitur, cum ad totius Israel Regnum evectus Jerusalem cepit, ac de finitimis populis, qui in ipsum intulerant arma, victoriam retulit, tunc Psalmum hunc cecinit, in quo Messiæ, cujus ipse erat imago, prælia, victoriam, ac regnum celebrat.

1. QUare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? 2 Astiterunt reges
terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus
Christum ejus. 3 Dirumpamus vincula eorum: & projiciamus a nobis ju-
gum ipsorum. 4 Qui habitat in cœlis, irridebit eos: & Dominus subsannabit eos. 5
Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. 6 Ego autem con-
stitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: prædicans præceptum ejus.
7 Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. 8 Postula a me, &
dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ. 9 Reges eos
in virga ferrea: & tamquam vas figuli confringes eos. 10 Et nunc reges intelligite:
erudimini, qui judicatis terram. 11 Servite Domino in timore: & exultate ei cum
tremore. 12 Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de
via justa. 13 Cum exarserit in brevi ira ejus: beati omnes, qui confidunt in eo.

℣. 1. QUARE FREMUERUNT GENTES, & POPULI MEDITATI SUNT INANIA?] Quare Philisthæi, Syri, ac Phœnices tumultuarie, ac magno fremitu [9] adversus Davidem convenere, veluti exercitus, qui præcipiti agmine, atque magno impetu in hostem irrumpit? Quare *Populi meditati sunt inania*? Congregati sunt, ut me bello lacesserent, consilium inierunt me de solio deturbandi; verum irriti conatus erunt, suaque eos frustrabuntur consilia. *Qui habitat in Cœlis, irridebit eos* vers. 4. En autem cortex, sub qua delitescit vera explicatio, quæ respicit Jesum Christum. Frustra concilium vestrum cogitis [10], o cæci Sacerdotes, ut Jesum Christum de A medio auferatis, eumque capiatis. Illi gloriam conflatis, dum eum perdere quæritis; eique gloriosam victoriam sterneritis, eidem necem inferendo. Tunc solum, cum voluerit, capietur; atque ob id morietur, ut resurgat. Judæi Jesum Christum Romanis tradunt, Romani eum crucifigunt; utrique nascentem persequuntur Ecclesiam. Verum quid illis prodest? Jesus Christus, Ecclesia, Martyres de persecutoribus suis amplissimum agunt triumphum. *Meditati sunt inania*, significare potest, *inania ipsi iniere consilia*, vel mendacium protulere. Falsos adversus Jesum Christum comparavere testes; vel cum S. Athanasio, Eusebio, ac S. Hilario in hunc locum inani cura se se abdiderunt in studia, ac meditationem

1 Vide nov. Edit. S. August. ubi citantur Psalt. Rom. Carnot. Colbert. In Psalterio S. German. & Gallican. legitur: *In finem Psalmus ipsi David*. Vide & Corder. not. in Caten. 2 Ita Græci codices nonnulli, apud Ferrand. hic. 3 In Vulg. Græcis, & Latinis, legunt: Ἐν τῷ Ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ. In secundo Psalmo. Alii legunt: in primo Psalmo. Ita Justin. Apolog. 2. Tertull. contra Marcion. Hilar. Hieronym. Cassiodor. hic, &c. 4 Act. 4. 25. & sequ. & 13. 33. & Hebr. 1. 5. & 5. 5. 5 Basil. l. 2. contra Eunom. lib. 2. Greg. Nyssen. Item contra Eunom. orat. 3. Athanas. contra Arian. orat. 3. & alibi sæpius, & hic. Ita & Theodoret. & alii passim. 6 Saadias Gaon. in Dan. 7. 13. Rab. Mos. Hadarsan. in Genes. 37. Talmud. Suca cap. 5. Jarchi in hunc Psal. non negant Kimchi, Abenezra. Vide Cattvigt. Mellific. cap. 5.
7 Jans. Gand. Clar. Burg. Muis. Bossuet. 8 Lyran. Grot. Hamond. 9 למה רגשו גוים: 70. Ἱνατί ἐφρύαξαν ἔθνη. Aq. ἐθορυβήθησαν, turbata sunt. Sym. εἰς τί ἔθνη ..., quare insurrexerunt.
10 Matth. 26. 4.

nem Legis, & Scripturarum ; eo quod minime agnoverunt Legis finem, atque objectum omnium Librorum sanctorum. Postremus hic sensus est moralis.

℣. 2. ASTITERUNT REGES TERRÆ, & PRINCIPES CONVENERUNT IN UNUM, ADVERSUS DOMINUM, & ADVERSUS CHRISTUM EJUS.] David conspexit omnes Philisthinorum Principes, finitimosque Reges adversus ipsum iniro fœdus non multo post, quam Regali unctione fuerat delibutus. Externi hi Principes Davidem lacessentes, quodammodo Deum ipsum petere videbantur, qui illum elegerat, atque in solio regni Juda constituerat. David nonnumquam in Scriptura *Unctus Domini* [1] appellatur. Tot Regum adversum se conjuratione non commovetur ; ac Domini fretus auxilio cum illis congressus, eos fundit, fugatque. Jesus Christus Unctus Domini per antonomasiam, Filius Dei, & ipse quoque Deus in persona sua lacessitur ab Herode Magno, qui illum vix natum de medio tollere studet, ab Herode Tetrarcha, qui illum passionis ejus tempore illudit, a Principibus Sacerdotum, qui illum capiunt, judicant, condemnant, & a Pilato mortis ejus sententiam extorquent. Ecclesiam quoque illius Romani Imperatores, Ethnici Reges, Judaicæ Nationis Principes persequuntur ; at Deus eorum conatus, & nequitiam eludit. *Audacis est*, inquit S. Hieronymus in hunc Psalm. vers. 1. *hunc Psalmum interpretari velle post Petrum, imo de eo sentire aliud, quam in Actis Apostolorum dixerit Petrus* ; atque infidelis est, ac dementis hoc in loco Salvatorem non dignoscere, ubi ipsi veteres Judæi Messiam agnovere. Vide Chrysostomum, & Theodoretum hic. Chald. *Surrexerunt Reges terræ, & Potentes convenerunt in unum, ut deficiant a Domino, & certent cum Messia ejus.*

℣. 3. DIRUMPAMUS VINCULA EORUM, & PROJICIAMUS A NOBIS JUGUM IPSORUM.] Philisthæi præsaglenres mala, quæ ipsis strenui adeo Ducis, Davidis nempe, virtus erat inflictura, mutuo se adhortantur ad jugum Israel excutiendum, vel potius cavendum, ne subditi fiant, ac in servitutem redigantur. Principes terræ, Ethnicique populi vicissim se se cohortantur, ut Christianæ Religionis cultum procul dimoveant, quod illis Apostoli imponere adnitebantur [2]. Scribæ, Pharisæi, Judæi Sacerdotes mutuis adhortationibus ineunt consilia, Jesum Christum de medio tollendi, quoniam severus nimis morum, cultusque eorum Censor ipsis videbatur. Divinus hic Magister eorum detegebat hypocrisim, eos pudore suffundebat, avaritiæ ipsorum turpitudinem aperiebat, ostendebatque, ipsos falso, ac perperam Legem interpretari. Hæc illos ad desperationem adigebant. Perdendus est, ajebant illi, vir iste: Nequaquam ferendi sunt, dicebant alii, hi novorum Deorum, novæque Religionis Præcones. Quidam e Patribus [3] id intelligunt de Apostolis, & Fidelibus, qui ritualium Legum jugum excutere conabantur. Hebræus [4] : *Dirumpamus*, vel divellamus *vincula* eorum, *& projiciamus funes illorum*, quibus nos vincire adnituntur.

℣. 4. QUI HABITAT IN COELIS, IRRIDEBIT EOS ; & DOMINUS SUBSANNABIT ILLOS.] David 1. Reg. 5. 17. 19. se innumero hostium exercitu circumseptum videns, ad Dominum se se convertit, & sciscitatur, an Deus ipsi de hostibus victoriam permittet. Deus autem Oraculo suo illi respondet, ipsum Philisthinos deleturum. Hoc fretus auxilio David audacter ait, Dominum subsannaturum esse inimicis suis, & omnia illorum consilia subversurum : Cum dicitur Deus hominum illudere infirmitati, hæ locutiones nequaquam pressius sunt intelligendæ ; simpliciter enim significant homines agere digna contemptu, atque irrisione : *Non quod ille quemquam derideat*, Sanctus Hieronymus in hunc locum inquit, *sed quod nos derisu digna faciamus.*

Jesus Christus in gloriam suam hostium suorum vertit nequitiam. Hi ipsum Cruci affigunt, ejus sepulchro custodes ponunt ; hæc tamen ad id unum tantummodo prosunt, ut ejus Resurrectio certissima habeatur, neque ullus dubitandi locus relinquatur. Nisi mortuum omnes eum conspexissent, & illius tumulus haud fuisset obsignatus, & custodibus ab hostibus ipsis diligenter munitus, dixissent, vel mortuum non fuisse, vel e tumulo fuisse ablatum. Ecclesia gloriæ suæ fructum, vim, fœcunditatem, ac felicitatem ex ipsis persecutionibus accipit, quas ipsius conflant inimici ; qui certissimum veritatis, & Divinitatis ejus suppeditant argumentum, cum fieri nequaquam potuerit, ut nisi Deo auctore, atque patrono, ex tot desævientium persecutionum procellis incolumis semper evaserit.

℣. 5. TUNC LOQUETUR AD EOS IN IRA SUA, & IN FURORE SUO CONTURBABIT EOS.] Legimus, David post relatam de Philisthæis victoriam in gratiarum actionis formam dixisse 1. Reg. 5. 20. *Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ.* Et in altero bello, quod paulo post primum contigit, & fuit veluti prioris effectus, Dominus consulenti David respondit ibid. vers. 24. *Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine Bochim, tunc inibis prælium ; quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim.* Hinc videretur Deus illis per tonitrua, ac vocem suam terrorem, atque ingentem incussisse formidinem, quæ illos in cæcam fugam conjecerit.

Verum locus iste longe melius quadrat victoriæ Jesu Christi de hostibus suis cum visibilibus, tum invisibilibus, peccato, dæmone, morte, Judæis, Principibus, Nationum Regibus, Romanis, ac universo ipsorum Imperio. Potuerunt quidem Judæi eo nequitiæ provehi, ut Jesum Christum Romanis traderent, atque adniti, ut turpissimæ cruci affigeretur. Se victorem jactitavit Satanas, ratus justum dumtaxat virum, atque imperio suo infestissimum oppressisse. Ast cum Divinus Redemptor ad inferos descendit inde Sanctorum, ac Patriarcharum animas educturus, fortem armatum alligaturus, ejusque manubias, & vasa direpturus [5] ; tunc agnovit se vitę Auctori immisisse necem, & summo terrore, ac metu correptus est. Neque diu improbitatis suæ, & crudelitatis impunitate gavisi sunt Judæi [6] : Romani iidem, qui præter voluntatem manus suas humani generis Redemptori injecerant, cœlestis iræ instrumenta fuere, ad Templi Jerusalem, ac universę pervicacissimæ illius Nationis excidium. Numquam fortasse terribilior in terras divina ultio desævit, sicuti neque majora umquam grassata fuere flagitia. Persecutores Ecclesiæ, postquam iram suam in Sanctos aliquandiu evomuerunt, tandem insigni affecti supplicio sævissimas pœnas luerunt. Dominus, postquam ad tempus conticuisset, tandem terribilem in ira sua elevavit vocem, eosque tumultu, ac dolore replevit.

℣. 6. EGO AUTEM CONSTITUTUS SUM REX AB EO SUPER SION MONTEM SANCTUM EJUS.] Cum David Psalmum hunc elucubratus est, erat jam totius Israel Rex, ac Jerusalem captam jam possidebat. Sed pressius loquendo, asseri nequaquam potest ipsum constitutum fuisse Regem in Sion ; nemo enim unus ignorat in *Hebron* id contigisse 2. Reg. 5. 1. Præterea Sion nondum erat *mons sanctus*, quoniam Tabernaculum, & Arca illuc allata fuere dumtaxat post bellum adversus Philisthæos, & Templum a Salomone tandem ibi ædificatum est. Itaque ut hoc de Davide explicetur, isthic prolepsis temporis est admittenda, dicendumqoe, Psalmum hunc a Davide aliquando post memoratum bellum fuisse compositum ; vel

1 Vide Psalm. 19. 7. 83. 10. 2 Athanas. August. hic. 3 Hilar. Theodoret.
4 נגתקה את מוסרותימו ונשליכה ממנו עבות ימו 5 Matth. 12. 29.
6 Hilar. Athanas. Euseb.

ipsum loqui de Sion juxta initum consilium, illuc, A cum primum per tempus licuerit, Arcam Domini transferendi.

Sed & potest, & debet ad litteram, ac in proprio sensu intelligi de Jesu Christo, qui constitutus est Rex super Sion montem sanctum, super Ecclesiam suam [1], super vivos, & mortuos: *In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur* ad Rom. 14. 9. Theodoretus hoc pacto legit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*. Deus Pater Filio dedit Omnipotentiam in Cœlo, ac in terra Matth. 28. 18. *Prædico præceptum Domini super montem sanctum Sion*. Re quidem vera Salvator præcipue prædicavit in Templo, ut Prophetias adimpleret, quæ portendebant, Legem egressuram de Sion, & verbum, vel vocem Domini de B Jerusalem [2]; & Isai 37. 32. *De Jerusalem exibunt reliquiæ, & salvatio de monte Sion*. Plurimi Patres id explicant de regno J. C. in cœlo; Eusebius Cæsareensis, S. Hilarius &c. Vide Ephes. 1. vers. 20. 21.

Hebræus Textus, uti hodie extat, hæc habet [3]: *Consecravi* (inunxi) *Regem meum super Sion, montem sanctum meum*. Chaldæus, Aquila [4], Symmachus, quinta, & sexta Editio, ab Origene, & S. Hieronymo traditæ, ipsæ quoque prima in persona legebant, licet cum quadam varietate pro ratione vertendi. Septuaginta e contra in tertia legunt persona; at re ipsa, parvi momenti discrimen est, quoad sententiam. Seu dicat Pater se Regalem Filio suo unctionem tribuisse; seu dicat Filius se a Patre inunctum super Sion, montem sanctum, nihil C differt; quoniam fatemur, Salvatorem esse unctum Domini, atque imperium ejus in Cœlum, & terram, in angelos, homines, dæmonesque veneremur [5]. Vide etiam Psal. 109. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*.

PRÆDICANS PRÆCEPTUM DOMINI. (vers. 7.) DOMINUS DIXIT AD ME: FILIUS MEUS ES TU; EGO HODIE GENUI TE.] Priora hujus Textus verba passim superiori versiculo adnectuntur. *Dominus constituit me Regem super Sion, ut ibi annuntiem præceptum ejus*. Ast Hebræus novam isthic incipit sententiam [6]: *Prædicavi*, vel prædicavi *Præceptum; Dominus dixit ad me: Filius meus es tu*. Perinde ac diceret Jesus Christus: Ex quo a Patre inunctus, ac missus sum, numquam cessavi, quin præcepta, ac veritates illius D annuntiarem. Tunc dixit mihi: Filius meus es tu. Profecto die, qua a S. Johanne baptismate ablutus fuit, Pater de Cœlo emisit vocem suam, dicens Matth. 3. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*; quod ipsum in monte Thabor auditum est. Matth. 17. 5. 2. Pet. 1. 17.

Omnes Patres verba hæc: *Filius meus es tu; ego hodie genui te*, de Filii generatione per Patrem, interpretantur. Verum non omnes eodem pacto. Quidam [7] intelligunt de æterna Verbi generatione, existimantes *hodie* significare æternitatem, quæ nullum habet præteritum, futurum nullum, sed est præsens perpetuum: *Jesus Christus heri, & hodie, ipse, & in sæcula* Heb. 13. 8. Alii [8] de illius baptismate; nam tunc profecto Pater illum, universo E audiente populo, suum Filium appellavit. Alii [9] cum S. Paulo Act. 13. 33. de gloriosa explicant resurrectione, quæ illius erat, veluti iterata nativitas. Alii denique plures [10] de temporali nativitate censent explicandum. Vox *hodie*, huic favet explicationi; præsens enim tempus designat; & S. Paulus hunc innuere sensum videtur in Epistola ad Hebræos cap. 5. vers. 5.

Qui hoc de Davide explicare conantur, ad figuratos sensus, violentasque explicationes confugere coguntur; ac volunt cum Chaldæo Paraphraste ita esse intelligendum: *Amo te, veluti Filium meum; ego te eadem voluptate intueor, ac si te hodie creassem*; vel putant, diem, quo David ad thronum evectus est, pro natali ipsius die esse accipiendum. Reges eadem celebritate diem illam colebant, qua natalium suorum memoriam celebrabant [11]. Denique diem victoriæ suæ de Philistinis relatæ, censere poterat, velut diem Regni sibi confirmati, ac suæ ad imperium nativitatis. David ipse in simili occasione, post relatam de Absalone victoriam, ajebat 2. Reg. 19. 22. *An ignoro hodie me factum Regem super Israel?* Reges in Scripturis nonnumquam velut dilecti Filii Domini exhibentur. Deus ait, exempli gratia, de Salomone loquens Psal. 88. 27. *Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ: & ego primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terræ*. Potuit igitur dicere David in improprio, & accommodatitio sensu, Deum sibi dixisse: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. At ad litteram, & proprie hoc referri debet ad Jesum Christum, unum verum Dei Patris Filium.

℣. 8. POSTULA A ME, & DABO TIBI GENTES HÆREDITATEM TUAM, & POSSESSIONEM TUAM TERMINOS TERRÆ.] Licet latius patuerit Davidis imperium, ac plurimi populi ipsius ditioni paruerint, C numquam tamen citra hyperbolicam exaggerationem dicet quispiam, ipsum possedisse Gentes, & Regnum ejus ad extremos usque terminos terræ patuisse [12]. Scriptura 1. Par. 14. 17. de hoc rege ait, nominis ejus celebritatem in omnes terras percrebuisse, & Dominum effudisse terrorem Davidici nominis in omnes gentes: De Salomone quoque loquens, inquit Psal. 71. 8. *dominabitur a mari usque ad mare; & a flumine* Euphrate, *usque ad terminos orbis terrarum*. Salomon nullas retulit victorias, neque majorem possedit regionem, quam quæ ipsius Patri paruerat. Itaque nemo inficiari potest, omnes has loquendi rationes coarctandas esse, ac longe minus significare, quam quod videntur innuere. Sed si de Jesu Christo intellexeris, juxta omnem illarum vim, atque extensionem accipi possunt. *Pater* D *diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus* Joan. 3. 35. *Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum* ad Philip. 2. 9. Pater dicit illi: Quoniam Judæorum natio a te defecit, longe locupletissimam hæreditatem, atque maximum Imperium tibi deferam. Omnis terra erit imperium tuum, & omnes Gentes tibi erunt subjectæ; quod revera in Evangelii prædicatione postea cognitum est. Jesu Christi Ecclesia se se in omnes terrarum plagas diffudit; Dominus habet Electos suos in medio omnium Populorum: veritatis lumen quocumque pervasit, Apostolorum, apostolicorumque virorum vox ubique gentium personuit. Eunomiani hoc abutebantur loco ad Jesu Christi divinitatem explodendam, perin- E de ac naturæ, ac potentiæ inferiorem quamdam vim significaret; sed Patres illum de Jesu Christo secundum humanitatem intellexere.

℣. 9. REGES EOS IN VIRGA FERREA, & TAMQUAM VAS FIGULI CONFRINGES EOS.] Jesus Christus terribilem

---

1 Hilar. hic, Hieronym. alii. 2 Isai. 2. 3. Vide & 40. 9.

3 ואני נסכתי מלכי על ציון הר קדשי 4 Aquil. & 5. Edit. Καὶ ἐγὼ ἐδιχοχάμην Βασιλέα μου; *Auctor fui, ut Rex meus regnaret*. Aliter, διεσωσάμην, *incolumem præstiti regem meum*. Syr. Κἀγὼ ἔχρισα τὸν Βασιλέα μου. 6. Edit. Κἀγὼ διέσωσα τὸν Βασιλέα μου. *Salvavi Regem meum*. 5 Ephes. 1. 20. 21. *Constituens ad dexteram suam in cælestibus super omnem potestatem . . . & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro*. 6 אספרה אל חק יהוה אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך

7 Aug. hic, Cassiodor. Ita & Muis. & Paul. Hebr. 1. 5. & alii plures, apud le Blanc. hic.

8 Justin. Dialog. cum Tryphone. Method. orat. 8. de Virginit. Hilar. in Matth.

9 Hilar. in Matth. Ambros. lib. 3. de Sacramentis. Chrysost. Theodor. Antioch. Fulgent. alii.

10 Cyprian. lib. 2. contra Judæos c. 8. Ambros. lib. 5. cap. 1. de Fide. Chrysost. homil. de Fide in Christ. Theodoret. hic, August. alii plures. 11 Vide Matth. 14. 6. Genes. 40. 20. Spartian. de Adriano. Natalis adoptionis 5. Idus Aug. & Natalis Imperii III. 12 Vide Euseb. & Theodoret. hic.

bilem exercuit [1] adversus Judæos ultionem, qui illius præcepta contempserant, & qui mortem illius a Pilato expetentes ironice dixerant Matth. 27. 25. *sanguis ejus super nos, & super filios nostros*. Confregit eos, veluti fictile vas gladio Romanorum, qui urbem Jerusalem cepere, Templum succendere, ac tantam Judæorum vim obtruncavere, ut Historia fidem videatur excedere. Verum si conterit Judæos impios, atque incredulos, elevat Judæos fideles, ac ex illis novum priori longe perfectius vas fingit, iisque Gentiles populos adjungit, qui cum Judæis ad novam conversis fidem unam tantum Ecclesiam componunt [2]. Hoc demonstratum fuerat Jeremiæ Prophetæ in figulo illo, qui, cum e manibus ejus elapsum fuisset vas, quod effingebat, statim ex eo recens vas elaboravit. *Dissipatum est vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis, conversusque fecit* B *vas alterum sic, ut placuerat in oculis ejus, ut faceret*. Jerem. 18. 4.

Alii de novissimo judicio explicant, in quo Dominus apparebit, uti in Apocalypsi 19. 11. & seq. describitur, flammeos habens oculos, caput multiplici diademate redimitus, cruenta indutus veste, cœlesti exercitu stipatus, & ore ancipitem gerens ensem, eo Nationes percussurus. Reget eos in virga ferrea, & calcabit torcular vini iræ Omnipotentis. Hæc virga ferrea esse quoque potest Justitiæ inflexibilis rigor, ac invariabilis Legum Jesu Christi rectitudo [3]. Angelus Apocalypsis cap. 2. 26. Victori pollicetur auctoritatem in gentes, & potestatem regendi eas in virga ferrea, & tamquam fictitium vas confringendi. Regimen, ac leges, & mores Ecclesiæ sunt, aliquo in sensu, virgæ ferreę, non propter duritiem, ac severitatem, sed propter vim, atque constantiam. Si quando testacea vasa confringunt, ac in pulverem redigunt, ob id tantummodo faciunt, ut ea instaurent, atque speciosiora, melioraque effingant. Hebręus verti potest [4]; *Reges eos veluti pastor pila ferrea, confringet eos tamquam vas figuli*. At reddere mallem [5]: *Confringes eos in virga ferrea* &c. Patet enim hic agi de ultione, quam Filius exercet. *Pater non judicat quemquam: sed omnem judicium dedit Filio*. Joan. 5. 22.

Si hoc de Davide explicare velis, ac de victoriis, quas ipse de finitimis populis retulit, haud operosum erit, id ex Scripturis ostendere. Inaudita severitate in Moabitas 2. Reg. 8. 2. Ammonitas 12. 31. Idumęos 2. Reg. 8. 13. ille deseviit, atque durissimo ditionis suæ jugo Syros, aliosque populos omnes, quos subegit, continuit 2. Reg. 8. 3. 4. 5. & 10. 17. 18.

℣. 10. ET NUNC, REGES, INTELLIGITE: ERUDIMINI, QUI JUDICATIS TERRAM.] Hoc triplici ratione varie explicatur. Primo, illud, veluti generale monitum ad Principes terræ intelligendo [6]: Discite, jus dicere, & exercere æquitatem: Scitote, super vos justum adesse judicem, qui summa severitate in vos animadvertet, si illum injustitia vestra ad iracundiam provocaverit. Secundo, applicando illud Regibus, Principibus, potentibusque viris, quos jam in ipso Psalmi initio allocutus est; iis, qui Jesum Christum persecuti sunt, qui eum Romanis tradidere, qui eum necavere. Convertimini ad Dominum, si itæ suæ effectus optatis effugere. Tertio denique S. Hieronymus hoc ad Apostolos refert, ac eos, qui illorum munere funguntur in terris. Discite Ecclesiam regere, atque in veritate, ac justitia credito vobis gregi præesse. Id autem si ad David ipsum referamus, illius

A monitum est ad Ministros suos, ut populum Domini in æquitate, ac sapientia gubernent.

℣. 11. SERVITE DOMINO IN TIMORE, & EXULTATE EI CUM TREMORE.] Magnitudo, ac Majestas Dei naturaliter metum, ac terrorem in illis cient, qui serviunt ipsi. Qui non reverentur illum, ii neque noverunt eum. Animæ, quæ magis perfectæ, ac mundæ sunt, atque majori succensæ sunt charitate, coram ipso contremiscunt; Angeli faciem suam vertunt coram illo [7]; atque, ut verbo me expediam, genuinus laudis Dei character metus est, ac reverentia, ut inquit Job c. 37. 22. *Ad Deum formidolosa laudatio*. Non loquor autem de servili metu, qui ad vilissima tantum pertinet mancipia: Licet ipse quoque utilitate non careat, eo quod exteriorem cultum dirigit, atque ad amorem disponit; attamen Deus non hunc ab amicis suis expetit; sed filialem metum requirit, qui jactantiam restingat, ut ait Sanctus Augustinus hic; atque, ut Sanctus Hilarius in hunc locum ait, lætitiam nostram moderetur: *Ut servitutem timor detineret, timorem exultatio moderaretur, & exultationem tremor consequens contineret*.

℣. 12. APPREHENDITE DISCIPLINAM, NEQUANDO IRASCATUR DOMINUS, & PEREATIS DE VIA JUSTA.] Judæos alloquitur, & illos, qui Ecclesiam persecuti sunt: Convertimini ad Dominum, illius disciplinam amplectimini, illius Legem sectamini, credite in JESUM CHRISTUM [8], si Domini furorem evitare vultis, ac prævertere ultionem, quæ jam jam in vestrum caput erumpet. Hebræus vertitur [9]: *Osculamini filium,* C *ne irritetur, & vos pereatis de via*. Amplectimini JESUM CHRISTUM, illius dominationem agnoscite, ejus Imperio vosmet subdite, ne ira illius in vos exardescat, & pereatis in via, qua insistitis, atque de mundo, ac vita eliminemini. *Perire de via* idem est ac illud, quod dictum est Psalmo 1. vers. 7. *iter impiorum peribit*. Osculum nota erat non amicitiæ solum, & consensus, verum & adorationis, observantiæ, ac submissionis apud Orientis populos. Cum Joseph constitutus fuit Ægypti Procurator a Pharaone, Rex præcepit, *ut populus omnis oscularetur ad os* [10], vel ad imperium oris illius. Indorum Regibus manum adhuc subditi deosculantur, cum illi regni possessionem accipiunt [11]. Samuel Saulem osculatus est, ubi illum Regem inunxit 1. Reg. 10. 1. Elisæus D 3. Reg. 19. 18. facultatem ab Elia petiit, patrem, matremque suam amplectendi, antequam ab illis secederet, veluti illis extremam hanc observantiæ, ac benevolentiæ notam exhibiturus [12]. Dicitur Mahumettes osculatus fuisse Aly, cum ipsum successorem suum, hæredemque constituit [13]. Hodie quoque in Ecclesia reverentiæ osculum tribuitur Cruci, sacris Aris, sacrisque Libris, ac Reliquiis Sanctorum: *Qui adorant*, inquit S. Hieronymus contra Rufin. l. 1. *solent deosculari manum, & capita submittere*; & addit, quod *Hebræi juxta linguæ suæ proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt*.

Septuaginta vertunt [14]. *Apprehendite instructionem*, vel correctionem. Chaldæus pariter [15]: *Apprehendite doctrinam*, vel eruditionem. S. Hieronymus Symmachum sequitur [16]: E *Adorate pure corde*, quamvis [17] non respuat priorem versionem, quam dedimus, & quam plerique hodie sequuntur; licet fortasse melior non sit: nomen enim *Bar*, Hebraice nequaquam, sed Chaldaice *filium* significat. Sed in Psalmis nullam ex his

1 Euseb. Theodor. alii plures. 2 Vide Hilar. hic, & Theodor. & Euseb. Cæsar.
3 Ita fere Hilar. & Cassiod. hic. 4 תרעם בשבט ברזל ככלי יצר תנפצם 70. *Ποιμανεῖς αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, ὡς σκεῦος κεραμέως συντρίψεις αὐτούς*. Ita Syr. Arab. & author Apocalyps. Ex. 70.
5 Ita Chald. Muis. Pagn. Monr. Vatab. alii plerique. 6 Euseb. Cæsar. hic, & Hieronym.
7 Ezech. 1. 23. Isai. 6. 2. 8 Athanas. hic. 9 נשקו בר פן יאנף ותאבדו דרך
10 Genes. 41. 40. על פיך ישק כל עמי 11 Abenezra, Muis. 12 Cicero in Verr. 6.
13 Vide versionem Gallicam nonnullorum carminum Persicorum in Chardin. Voyage de Perse, pag. 336.
14 70. Δράξασθε παιδείας, perinde ac legerent, נשקו, non vero, נשקי 15 קבלו אלפנא
16 Sym. Προσκυνήσατε καθαρῶς. Aquil. Καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς, *osculamini electe*.
17 Hieron. in Apolog. contra Rufin. *Qui in commentariolis dixeram, adorate filium, in ipso corpore, ne violentus viderer interpres, dixerim, adorate pure, sive electe*, &c.

his exoticis vocibus repereris, præferrem igitur: *O-scultamini*, obedite, adorate *pure*, recto corde &c.

℣. 13. CUM EXARSERIT IN BREVI IRA EJUS, BEATI OMNES, QUI CONFIDUNT IN EO.] Cum advenerit dies iræ, atque ultionis, beatus erit ille, qui ea ratione vitam suam instituerit, ut spem in Deo collocare possit, & qui nullis conscientiæ stimulis agitabitur, atque prodire queat coram Deo cum humili confidentia, quam vitæ rectitudo, atque jugis officiorum suorum exercitatio parere consuevit. Fiducia hæc est veluti præcox remuneratio, atque quædam veluti prægustatio bonorum, quæ Deus præparat justis: *Confidere de eo, jam præmium est* [1]. Sancti Hieronymus, ac Hilarius in ea verba: *in brevi*, animadvertunt, statim post mortem hominem vel subire pœnam, vel accipere præmium eorum, B quæ mala, vel bona fuerit operatus. Verba hæc intelligi quoque possunt, perinde ac si diceres; Repente, præter omnium expectationem ira Domini e- A rumpet. Ad se nos accerset; vel ad vivos, mortuosque judicandos tunc veniet, cum homines tranquilla, ac diutina pace se frui posse sperabunt [2]. Nomine iræ Dei nequaquam intelligenda est animi perturbatio, atque ægritudo illi similis, qua nos corripimur, cum rei alicujus pertæsi succensemus. In Deo ait D. Hieronymus in vers. 5. *non tam iram esse, quam necessariam correptionem, ut patris in filium, medici in ægrotum, magistri in discipulum. Ira autem patientibus videri potest, non quod Deus emendet iratus*. Satis constat, versiculum hunc, non secus ac septimum, ac duodecimum intelligi nequaquam posse de David, quin vis textui inferatur. E contra vero per quam apte explicatur de ultione, qua Deus Judæos Romanorum armis persecutus est, quam Christiani nonnisi divinitus evaserunt, cum permisisset Dominus, ut hi se se Pellam reciperent trans Jordanem, paulo antequam Jerusalem obsideretur.

1 Cassiodorus hic. 2 1. Thessal. 5. 2. 3. *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet: cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.*

PSALMUS III.

David Absalonis defectione lacessitus spem omnem in Domino collocat Victoriæ certus, ac fatetur se Deo suam salutem debere.

Psalmus David cum fugeret a facie Absalom filii sui.

ARGUMENTUM.

Certo certius est, Psalmos in Psalterio nequaquam fuisse digestos habita ratione temporum [1]; cujus rei hic ipse est argumento. Defectio Absalonis contigit multo postquam Saul Davidem est persecutus, quo tempore plures elucubratus est psalmos, quos infra videbimus. Hic autem juxta veterum Hebræorum traditionem [2] a Davide compositus fuit, eo tempore, quo a filio suo de Jerusalem ejectus, nudis pedibus, & coopetto capite Olivatum montem ascendit, ut Jordanem versus sese reciperet [3]. Theodoretus censet, hunc a Davide fuisse conscriptum paulo antequam de Absalone victoriam referret, cum Dominus tunc ipsi sanctum Spiritum suum reddidisset propter illius humilitatem, ac pœnitentiam. Ego vero cum Muis asserere mallem, Sanctum hunc Prophetam præsentem psalmum fuisse elucubratum per temporis opportunitatem, postquam Jerusalem reversus est, ac omne periculum evasit. Et profecto illum audivimus Deo gratias agentem, quod hostes suos dissipasset, testantem, se a Deo voti fuisse damnatum; atque fatentem, Deum unum potuisse ipsum de tanto periculo eruere. Hoc igitur Canticum est ab eodem compositum, cum jam in Metropolim suam victor fuisset reversus, ibique eos exprimit sensus, quos & tumultus initio, ac in ipso periculo, & post victoriam concepit. Hæc animadversio non parum prodest ad plurimorum Psalmorum explicationem, ubi simul sensus, & solicitudinis pro futuro periculo, & metus pro discrimine præsenti, & lætitiæ propter exactam calamitatem deprehendimus.

Venerabilis Beda putat, Psalmum hunc cum nonnullis eorum, qui consequuntur, explicari posse de Ezechia ab Assyriis exagitato. At plane titulum, quem hodie psalmo huic præfixum intuemur, ipse nequaquam legebat, vel saltem parvi faciebat. Illud vero in dubium vocari posset, utrum hic sit Psalmus David; quod nempe hic sermo est de *sancto monte* Sion; quo honoris nomine mons ille tandem post Templi extructionem fuit insignitus. Verum hoc ipsum nomen occurrit jam in Psalmo secundo, quem tamen Davidis esse nemo unus inficiatur. Oportet igitur ex ipsis Regis hujus temporibus *Sion montem sanctum* appellatum fuisse, seu quod ibi voluit Abraham immolare Isaac filium suum, vel quod ibi David domi Obededom primum, deinde vero in ædibus suis arcam constituit; vel simpliciter, quod Dominus revelaverat Davidi, se montem illum elegisse, ut ibi nomini suo Templum ædificaretur.

Patres [4] in figura David, quem Absalom persequitur, adoritur, ejicit, intuentur JESUM CHRISTUM a Juda proditum, cum de Jerusalem egrederetur, ut ad Olivarum hortum se conferret, a satellitibus jussu Principum, & Sacerdotum immissis, comprehensum, Pilato traditum, morte affectum, ac tandem resuscitatum. De Resurrectione illius, præ ceteris, Versiculus quintus explicatur: *Ego dormivi & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me*. Sed figuram hanc perspicuam magis, atque apertam reddunt hinc Judæ mors, inde Absalonis, & Achitophel interitus.

Hebræus [5], & Septuaginta ad litteram habent: *Psalmus Davidi*; perinde quasi Davidi dedicatus, inscriptusque fuisset; vel *Psalmus compositus* in occasione, qua *David* ab Absalone ejectus fugiebat; vel denique *Psalmus compositus a David*; nam Hebraice hæc ratio loquendi nonnumquam possessionem significat [6]. Hoc autem certum est nomen David plerisque Psalmis inscriptum nequaquam invictum esse argumentum, ut David eorum auctor fuisse probetur.

1 Hieronym. hic. 2 Antiqui Rabb. apud Kimchi, Muis, Ferrand. 3 2 Reg. 15. 19. 17. & seq.
4 Arnob. Theodoret, Beda, Hieronym. Augustr. Didym. apud Athanas. Cassiodor alii.
5 מזמור לדוד 70. Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ. 6 Vide Muis in hunc locum.

1. DOmine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adver-
sum me. 2 Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.
3 Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput
meum. 4 Voce mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte sancto suo.
5 Ego dormivi, & soporatus sum: & exurrexi, quia Dominus suscepit me. 6
Non timebo millia populi circumdantis me, exurge, Domine, salvum me fac, Deus
meus. 7 Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes pecca-
torum contrivisti. 8 Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

℣. 1. DOMINE, QUID MULTIPLICATI SUNT, QUI TRIBULANT ME.] Hebræus [1]: *Domine, proh quantus est inimicorum meorum numerus!* David stupore captus eo quod se ab universo ferme populo suo derelictum vidit, Absalonis vero partes adeo convaluisse, nam *toto corde*, ait Scriptura 2. Reg. 15. 13. *universus Israel sequebatur Absalom*, ad Deum se convertit, & ab eo sciscitatur, unde nam hæc tam repentina extiterit immutatio; vel potius altitudinem judiciorum Dei admiratur, qui tam cito, palam, atque extraordinarie ultionem sumere noverat, sceleris, quod ipse clanculum patrarat, adulterii scilicet cum Bethsabee, ac necis Uriæ. Insignem enim sibi ultionem imminere jugiter credidit, timuitque, post eas a Nathan sibi intentatas minas: *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, . . . Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua . . . . tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis*. 1. Reg. 12. 10. 11. 12.

JESUS CHRISTUS] Patri ostendit ingentem numerum persequentium se, eorum vim, improbitatem, ac odium; Sacerdotum scilicet, Pharisæorum, Scribarum, ante omnes vero proditoris Judæ nequitiam. Christiana ecclesia in primordiis suis, ipsa quoque coram Deo easdem poterat preces effundere, tot hostibus teterrimis circumundique circumsepta, Judæis, Ethnicis, Hæreticis, Dæmone, Mundo, Principibus sæculi.

℣. 2. MULTI DICUNT ANIMÆ MEÆ: NON EST SALUS IPSI IN DEO EJUS.] Produci posset superius instituta interrogatio. Quot sunt Domine, qui dicunt, me a te esse derelictum? Hoc me majori afficit dolore, quod nempe inimici mei de me loquentes dicunt: Deus non tuebitur illum, nimis aggravata est manus illius super eum. *Dicunt animæ meæ*; mihi met ipsi dicunt; vel de me dicunt; iram Dei jam erupisse, scelera mea ad summum usque evasisse, & misericordiam tuam, o Deus, a me penitus recessisse [2]. Hoc est hominum ingenium; cum aliquem calamitatibus obrutum vident, ipsum noxium esse putant; neque advertunt, temporalia supplicia sæpius esse divinæ effectus misericordiæ, quam iræ. Hoc satis aperte compertum est, exempli gratia, in persona Job, qui ab amicis suis, veluti improbus damnabatur; ob unum id, quod a Deo affictabatur. Cum David de Jerusalem egrederetur, Semei illudebat illum, lapidesque jaciebat clamitans: *Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial: reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul: quoniam invasisti regnum pro eo . . . . ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es* 2. Reg. 16. 7. 8. Cum Judæi viderunt JESUM CHRISTUM Cruci suffixum, sexcentas in ipsum evomuere blasphemias: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere* Matth. 27. 42. *Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salva temetipsum* Matth. 27. 40. *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei*. Matth. 27. 42.

A

Isthic in Hebraico textu occurrit vox *Selah* [3], quam Septuaginta plerumque vertunt *Diapsalma*, & quam Vulgata neglexit; at illius significatio, & usus in peculiari Dissertatione ad examen vocabitur.

℣. 3 TU AUTEM DOMINE SUSCEPTOR MEUS ES, GLORIA MEA, & EXALTANS CAPUT MEUM.] Hebræus [4]: *Tu autem Domine es*, veluti *clypeus super me, gloria mea, & exaltans caput meum*. In Bibliis passim Deo tribuitur nomen clypei [5], patroni, Salvatoris, atque Psalm. 61. 8. & 106. 2. vocatur *gloria* populi sui famulorumque suorum objectum confidentiæ virtutis, & felicitatis eorum. S. Paulus in Epistola ad Corinthios [6] jurat *per gloriam Fidelium*, per Dominum, qui eorum gloria, & spes est. *Exaltans caput meum*, me replens animo, fiducia, libertate. In scriptura

B

exaltare caput alicujus, significat, vel eum in dignitate constituere, vel ejus gloriam provehere, vel illius postulatis subscribere, vel illum fiducia, ac animo replere. Vide Job 10. 15. Psal. 109. 8. Jerem. 52. 31.

℣. 4. VOCE MEA AD DOMINUM CLAMAVI, & EXAUDIVIT ME DE MONTE SANCTO SUO.] David ex imo cordis sui ad Dominum clamat. Hi muti sunt clamores, qui Cœlos ipsos pervadunt [7]. Moyses, prementibus illum Ægyptiis, qui eum persequebantur, in penitiori animæ suæ penetrali Dominum deprecabatur; Deus tamen inquit illi Exod. 14. 15. *quid clamas ad me?* Silentium hoc longe magis ascendit, quam effusissimus clamor. *Mons sanctus* est Sion, ubi David Arcam posuit, in civitate David 2. Reg. 6. 16. Ait autem, sibi Dominum aures præbuisse de monte

C

sancto, juxta communem vulgi rationem loquendi; namque Deum concipiebant veluti Arcæ in Tabernaculo suo insidentem, ibi populi sui preces auditurum.

℣. 5. EGO DORMIVI, & SOPORATUS SUM, & EXURREXI, QUIA DOMINUS SUSCEPIT ME.] Cubavi, ac tranquillo sopore captus dormivi, postquam Deo infirmitatem, egestatemque meam exposuissem; deinde surrexi usquequaque fiducia repletus, ac divino fretus auxilio. Davidis tranquillitas tempore hoc aleæ plenissimo, cum undique hostibus circumseptus esset, jamjam, & regni, & vitæ jacturam subiturus, maximum constantissimæ fidei, atque confidentiæ illius, quod ex Scriptura proferri possit, est argumentum. Verti etiam potest textus Hebraicus [8] per futurum: *dormiam*; placide dormiam, eo quod Dominus mihi

D

protectionem suam promiserit. Quiete dormire fiduciæ [9] argumentum est. Patres [10] hoc ad mortem Salvatoris referunt, ejusque resurrectionem. Intuetur mortem, cruciatus, opprobria, Apostolorum suorum perfidiam, aliorum fugam, populi inconstantiam, inimicorum furorem; tamen nil horum deterrere eum potest, quo minus Patris sui voluntatem exequatur. Si Deum obtestatur, ut ab ipso Passionis suæ calicem amoveat, hoc nos potius orandi rationem edocturus efficit, quam ut se a mortis discrimine expediat. Crucem ascendit, ibique dormit; hinc ponitur in tumulo, ac reviviscit; semper animæ suæ dominus, ac certissima in Deum suum confidentia repletus.

Nonnulli

1 יהוה מה רבו צרי 2 Athanas. Chrysost. Euthym. 3 Selah סלה: 70. Διάψαλμα. Divisio Psalmi. 4 ואתה יהוה מגן בעדי כבודי ומרים ראשי 5 Genes. 15. 1. Deut. 33. 29. Psal. 7. 2. 18. 3. 31. & passim. 6 1. Cor. 15. 31. Νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν. Vide S. August. Sermone 180. de Verbis Apost. Jacob. 5. n. 5. nov. Edit. 7 Theodoret. hic. 8 אני שכבתי ואישנה הקיצותי כי יהוה יסמכני 9 Levit. 26. 6. *Dormient & non erit qui exterreat*. Ose. 11. 18. *Dormire eos faciam fiducialiter*. Ezech. 34. 25. *Securi dormient in saltibus*. Vide & Psal. 4. 9. 10 Euseb. Cæsar. August. Theodoret.

Nonnulli id quoque intelligunt de carnis resurrectione, quam David per fidem præstolabatur. Latina quædam exemplaria legunt [1]: *suscipiet me* pro *suscepit*. S. Athanasius hunc somnum David de illius in peccatum lapsu interpretatur.

℣. 6. NON TIMEBO MILLIA POPULI CIRCUMDANTIS ME.] David, relicta Deo salutis suæ cura, nihil amplius formidat. Licet Israel omnis deficiat, ac in ipsum enses distringat, quamvis hostes ejus majori adhuc essent in numero, ne minimum quidem verebitur, eo quod Dominus illi auxilium suum pollicitus est. JESUS CHRISTUS inter inimicos suos, qui simul actores illius erant, ac Judices, coram Pilato, cujus ignaviam, atque injustitiam noverat, sediriosa militum stipatus manu, qui ingentibus clamoribus urgebant, ut crucifigeretur; ne tantillum quidem de se- B reno oris habitu, pace, ac libertate amittit, sine solicitudine, sine cura, sine metu. De ipsa Cruce dependens veluti libertati suæ integerrime compos videtur: plenissima in Deum Patrem suum confidentia suffultus, ac probe sciens, quousque pervenire poterat Principis tenebrarum potestas.

Hebræus ita reddi potest [2]: *Minimum verebor decem millia e populo, qui castra posuerunt circum me*, vel *qui tetenderunt laqueos suos*, qui retibus me circumdederunt, veluti venatores *circum me*. Septuaginta [3]: *Non timebo millia*, vel decem millia, myriadem, *populorum, qui castra metati sunt circum me*, vel qui itruunt in me.

EXURGE DOMINE, SALVUM ME FAC ℣. 7. QUONIAM TU PERCUSSISTI OMNES ADVERSANTES MIHI C SINE CAUSA; DENTES PECCATORUM CONTRIVISTI.] Videtur ita potius esse vertendum: Consurge, Domine, mihi fer opem; quoniam percutere debes, & in fugam convertere eos omnes, qui mihi adversan- A tur. Ad te fidenter clamo, o Domine; certus; te non permissurum, ut ego hostium meorum conatibus vincar. Hebræus [4]: *Exurge, Domine, salvum me fac, quoniam percutis*, vel percuties *maxillam omnium inimicorum meorum, & dentes improborum confringes*. Maxillam percutere, verberibus afficere, dentes conterere, locutiones sunt, quarum vis satis per se patet. Hæ vulgatissimæ in Scriptura sunt [5], ac significant, contemptu, ac probro aliquem excipere, hostem prosternere, ac ita affligere, ut nocere, & resistere amplius nequeat. Hæc est Prophetia de cæde Absalonis.

℣. 8. DOMINI EST SALUS; & SUPER POPULUM TUUM BENEDICTIO TUA.] Ex uno te, Domine mi, liberationem, ac salutem meam spero; tu benedices Israel, & populo huic, qui mihi fidelis adhæsit, victoriam permittes. Vel id subnectendo vers. 7. juxta Vulgatæ sensum: Exurge Domine, erue me ex hoc periculo, quemadmodum sæpe liberasti me de manu inimicorum meorum, Philisthinorum, Ammonitarum, Syrorum, Idumæorum, Saulis: Reminiscere, Domine, quid alias pro me feceris [6], neque cesses mihi protectionis tuæ argumenta præbere. Fateor, Domine mi, a Te uno mihi expectandam esse salutem,& neminem præter te posse ex hoc me periculo eripere, & saluti populi hujus consulere. Aliter [7] perinde hæc esset Psalmi conclusio: Domino laus sit propter gratiam, quam mihi impertitus est, ac victoriam, quam nobis concessit. Perge, Domine, benedicere, ac tueri populum tuum, tam eum, qui mihi adhæsit, quam illum, qui per errorem in Absalonis partes concessit. Satis exploratum est, quænam hac in occasione fuerit Davidis clementia, & quæ illius solicitudines pro Absalonis filii sui, atque aliorum, qui eum secuti fuerant, incolumitate. Vide 2. Reg. 18. 5. 12. 16. 33. & 19. 6.

1 Ita August. hic. Edit. Complut. Κύριος ἀντιλήψεταί με.   2 לא אירא מרבבות עם אשר סביב שתו עלי
3 Οὐ φοβηθήσομαι ἀπὸ μυριάδων λαοῦ τῶν κύκλῳ συνεπιτιθεμένων μοι.
4 קומה יהוה הושיעני אלהי כי הכית את כל איבי לחי שני רשעים שברת 70. . . . Ὅτι σὺ ἐπάταξας τοὺς ἐχθραίνοντάς μοι ματαίως. Legerunt לחנם, pro לחי Conjiciunt alii, hos interpretes posuisse μαθίας, vel μαθυίας, *maxillas*, pro ματαίως, frustra. Aquila, Συμπάταξας ἐχθρῶν με σιαγόνα. Symmachus, Κατὰ σιαγόνος. E recentibus Interpretibus plerique post S. Hieron. legunt: *percussisti maxillam inimicorum meorum*; & hæc genuina est textus sententia; Vide Euseb. Cæsar. in hunc locum. & novam Hexaplorum editionem.   5 Vide Job. 16. 10. Thren. 3. 30. Mich. 5. 1. &c.   6 Vide Theodoret. hic, Flamin. Grot.   7 ליהוה הישועה על עמך ברכתך

PSALMUS IV.

David Domini opem, quam toties est expertus, implorat. Hostes suos ad pacem invitat, utque resipiscant, hortatur. In Dei auxilio penitus conquiescit.

In Finem in carminibus, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Hebraicum titulum ita vertimus [1]: *Canticum David inscriptum musices moderatori super psalterias constituto*. Videri potest Dissertatio nostra de *Lamnaseah*. Recentiorum Interpretum plerique putant, Psalmum hunc ad idem spectare argumentum, ac superiorem, videlicet, ad bellum Absalonis contra Davidem. Eusebius, ac Theodoretus eum esse putant veluti epinicion post ejusdem belli victoriam. Alii hunc ad Saulis persecutiones referunt. Quidam e patribus [3] de JESU CHRISTO explicant, & præsertim de illius Resurrectione: alii [4] nonnulli putant, hunc moralem esse Psalmum, cui peculiariter propositum est Dei Providentiam probare, & ad patientiam, atque pœnitentiam hortari. Denique hæc Tituli verba: *in finem*, plerosque coegit, ut illud de æternitate, vel Mundi fine, vel Messiæ adventu, vel Gentilium vocatione, vel Judæorum conversione intelligerent. Dei filius, *ubi venit plenitudo temporis* [5], tunc apparuit; & Judæorum conversio sub sæculorum finem contingere debet, & cum Ethnici populi Ecclesiæ sacris fuerint initiati Rom. 11. 20. 26. In litterali explicatione eos sequimur, qui hunc ad idem referunt tempus, ac superiorem, videlicet ad bellum Absalon.

1 Cum

1 למנצח בנגינות מזמור לדוד 70. Εἰς τὸ τέλος ἐν ὕμνοις ψαλμὸς τῷ Δαυίδ. Sym. ἐπινίκιος διὰ ψαλτηρίων. &c. *Canticum triumphi pro Psalteriis*.   2 Ita Muis, Euseb. Cæsar. Ferrand. Bossuet. Kimchi.
3 August. Hieronym. Athanas. Cassiodor. Theodoret.   4 Theodoret, Titelm Eugub.
5 Galat. 4. 4.

1. CUm invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mi-
hi. 2 Miserere mei, & exaudi orationem meam. 3 Filii hominum, usque-
quo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? 4
Et scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum: Dominus exaudiet me,
cum clamavero ad eum. 5 Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus
vestris, in cubilibus vestris compungimini. 6 Sacrificate sacrificium justitiæ,
& sperate in Domino: multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? 7 Signatum est
super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti lætitiam in corde meo. 8 A fru-
ctu frumenti, vini, & olei sui, multiplicati sunt. 9 In pace in idipsum dor-
miam, & requiescam. 10 Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.

℣. 1. CUM INVOCAREM, EXAUDIVIT ME DEUS JUSTITIÆ MEÆ.] Domine, cujus toties clementiam, atque misericordiam expertus sum, qui exaudisti me, cum sævissimis calamitatibus exagitarer, ad te preces meas hodierna luce converto, cum me filius meus urgeat hostis, ac persecutor: *miserere mei, & exaudi me, Deus justitiæ meæ*. Deus testis, Judex, arbiter, ultor justitiæ, & innocentiæ meæ; Deus justitiæ meæ auctor[1] audi justam petitionem meam. Fateor, me coram te ex me ipso nullum habere meritum, vel justitiam; immo sævissima quæque meritum fuisse supplicia; at saltem rebelli, inhumanoque filio, ac perfido, seditiosoque populo collatus, possum, Domine, tibi causæ meæ jactare justitiam. Si noxius sum; coram te, & contra te sum: *Tibi soli peccavi*. Psal. 50. 6. Hebræus verti hoc pacto potest[2]: *Cum invocoте, exaudi me, Deus justitiæ meæ: tu in latitudinem deduxisti me tempore afflictionis meæ*. Deus justitiæ meæ testis, vel juste Domine mi, quæso, celeriter audi me iis obrutum calamitatibus, inter quas invoco te. Cum undique me urgeant inimici mei, expedita, ac valida ope indigeo: Memento antiquarum misericordiarum tuarum. Complura antiqua Psalteria legunt[3]: *Cum invocarem te, exaudisti me*.

IN TRIBULATIONE DILATASTI MIHI.] Deus, qui me cumulatissimis affecisti favoribus, ac beneficiis inter eas, quibus angor, calamitates, neque permisisti, ut tentatio meas vires excederet[4]: aptare nosti opem, atque consolationem tuam periculi, & afflictionis meæ magnitudini; ne hoc tempore derelinquas me. Deus lætitia amicos suos afficit etiam inter sævissimas calamitatum procellas. Hebræus[5] ad litteram: Eduxisti me de clauso loco, de itinere angusto, ut in patentem, commodumque locum me collocares. Ex maximis, quibus affligebar, ærumnis eripuisti me. Mihi adversus filium meum victoriam tribuisti[6].

℣. 2. MISERERE MEI, & EXAUDI ORATIONEM MEAM.] Nonne versiculo primo dixerat, se a Deo voti compotem effectum: *Cum invocarem exaudivit me?* Cur igitur petit iterum, ut exaudiatur? Postulat, ut Deus hac in occasione suis auscultet precibus, quemadmodum sæpe alias fecerat. Licet frequentia illi Deus tulisset auxilia, se divina semper indigere gratia fatetur[7]. Quamvis justi simus, semper Dei misericordia indigemus, ait S. Chrysostomus; demum Justus numquam orando defatigatur, Theodoretus hic inquit; & cum voti damnatus precum suarum effectus consecutus est, pergit tamen in pia, ac salubri exercitatione, probe sciens, quanti referat, repulsam non pati. Salvator ipse opus esse, in Evangelio Lucæ 18. 1. docet: *Semper orare, & non deficere*, & S. Paulus 1. Thessal. 5. 16. hortatur: *Sine intermissione orate*.

℣. 3. FILII HOMINUM, USQUEQUO GRAVI CORDE? UT QUID DILIGITIS VANITATEM?] Orationem ad populum convertit, quem Absalon in suas partes pellexerat. Popule pervicax, atque indocilis, usquequo in errorem impelli sines, inanibus ambitiosi adolescentis promissis? Usquequo injusta hac seditione grassaberis? Cur ad officium non redis causæ meæ veritate, ac æquitate perspecta? Vanitas, & mendacium hic opponuntur constanti obsequio, ac intemeratæ fidei, quam subditi Regi suo præstare tenentur. Hebræus[8]: *Filii viri*, nobilis, *quousque* vos qui estis *gloria mea, vestra cum ignominia, diligitis nihilum, & mendacium requiritis?* David alloquitur Principes Israel, qui in Absalonis partes concesserant. Nonne pudet viros, & genere, & honore spectabiles, quos veluti imperii mei lumina, & Aulæ meæ gloriam duco, leviter adeo a legitimo Rege defecisse, ut post seditiosum filium cæci abiretis? Cur deest in vobis fides, ac veritas, quam Regi vestro debetis? Cur inanes quæritis causas, quibus defectionem vestram fuco veluti oblinire studeatis? Creditur, *filios viri* Hebraice, opponi *filiis hominum*[9]. Primum enim significat filios virorum vel genere, vel dignitate præstantium, alterum vero inertium *hominum filios*.

℣. 4. ET SCITOTE, QUONIAM MIRIFICAVIT DOMINUS SANCTUM SUUM: DOMINUS EXAUDIET ME &c.] Sequitur sermo ad Principes Israel, qui Absaloni adhæserant. Scitote, me a Domino electum fuisse, constitutum, atque ad hunc gloriæ apicem evectum; & mihi adversantes vos Deo ipsi resistere. Se *Dei sanctum* appellat, electum virum, a vulgo secretum, ac distinctum, ut super Israel constitueretur, atque populo Sancto Domini regundo præficeretur. Hebræus[10]: *Scitote, Dominum elegisse sibi virum misericordem: Dominus exaudit me, cum ad ipsum clamo*. *Misericordis* nomen isthic Regem significat, non secus ac alibi nomen *liberalis*. Clementia Regalis est virtus, uti etiam liberalitas, ac magnificentia. Nemo umquam melius, quam David hanc misericordiæ, lenitatis, & clementiæ laudem promeruit[11]; immo asseri potest, virtutes has verum illius characterem efficere. In Scriptura misericordum, piorum, clementium nomen justis, Sacerdotibus, piisque viris defertur. *Assidæi* post reditum de captivitate celebrati, veluti præ cæteris Nationis suæ religiosissimi, justissimique, nomen suum hauserunt a *Chasid*, quod misericordes significat; & hoc nomen sæpius isto sensu usurpatur in Psalmis. Reges Israel apud exteros, clementium Principum famam sibi comparaverant[12]. Benadad Regi Syriæ ab Achab victo, servi illius suasere, ut ad

1 August. in hunc loc. 2 בקראי ענני אלהי צדקי בצר הרחבת לי חנני וגו Aq. & reliqui, εἰσάκουσόν μου. *Exaudi me*. 3 Psalter. Carnot. Mediolan. Rom. S. Germani. Vide nov. Edit. S. August. in Psalmos.
4 1. Cor. 10. 13. 5 בצר הרחבת לי 70. Ἐν θλίψει ἐπλάτυνάς μου. 6 Euseb. Cæsar.
7 Hieronym. hic. *Licet auxiliatus fueris, tamen ego tua misericordia semper egeo*. Ita Euseb. Cæsar.
8 בני איש עד מה כבודי לכלמה תאהבון ריק תבקשו כזב 70. Υἱοὶ ἀνθρώπων ἕως πότε βαρυκάρδιοι. Legunt עד מה כבדי לכ למה תאהבון וגו Quod melius videtur lectione recentium Judæorum. Aquila: Ἔνδοξοί μου: *Gloriosi mei*. Sym. Δόξα μου, *Gloria mea*. 9 Vide Psalmum 48. 2. Prov. 8. 4. Psal. 61. 10. Vat. Geneb. Muis, alios.
10 ודעו כי הפלה יהוה חסיד לו יהוה ישמע בקראי אליו 11 1. Par. 6. 42. *Memento misericordiarum David servi tui*. Psal. 131. 1. *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus*. 12 3. Reg. 20. 31. כי מלכי חסד הם

ut ad victoris clementiam confugeret; *audivimus* enim, ajebant illi, quod *Reges domus Israel clementes sunt*. Sapiens ait Prov. 20. 28. *Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus*; hoc ipsum Isajas testatur [1]; & David ipse [2], se *misericordem* appellat. Explicatur quoque locus hic de Redemptoris Resurrectione [3], qui per excellentiam Sanctus est; cumque Deus mirabilem effecit in ipsius Resurrectione, cumque de Cruce pendentem exaudivit. Exemplaria nonnulla [4] legunt *magnificavit*, pro *mirificavit*. Hebræus [5] significat separare, eligere, insignem, gloriosum, admirabilem reddere.

℣. 5. IRASCIMINI, & NOLITE PECCARE. QUÆ DICITIS IN CORDIBUS VESTRIS, IN CUBILIBUS VESTRIS COMPUNGIMINI.] S. Paulus ad Ephes. 4 26. hunc locum intellexit, veluti Ethicæ præceptum complectentem: *Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram*. Si ira abripimini, in vosmet, in peccata, in iram vestram irasciminor [6]. Si ad iram exardescis, ne assentiaris, ait S. Augustinus; ira tua decidat momento eodem, quo exardescere vellet. Cave, ne illa opere compleas, quæ tibi ira suggesserit: *venialis est ira, quæ ad effectum suæ indignationis non pervenit* [7].

Recentiores quidam Interpretes hanc esse putant Davidis adhortationem ad inimicos suos, ad principes partium Absalonis. Si quo indignationis motu contra me agitamini; si vobis causam esse censetis, cur meo regimini nequaquam acquiescatis, ne ad defectionem usque vos ira corripiat. Hoc maximum est omnium scelerum, quæ subditus in Regem, Remque publicam patrare queat. Vosmet recipite, in cubiculorum, cubiliumque vestrorum secretiori parte sapientiora, æquioraque consilia inite; & ad frugem redeuntes eas deserito partes, in quas, vel insanus amor, vel inanis indignatio vos impulit. Alii id explicant, perinde ac David milites suos, atque exercitum alloqueretur. Si iracundia flagratis adversus filium meum, & eos, qui illius defectioni faverunt, cavete, ne peccetis, dicentes, nullam esse Providentiam [8], & Deum ea quæ ad hanc vitam pertinent, non considerare. Ne obliviscimini clementiæ, ac lenitatis: animum, iramque vestram compescite [9]; vel [10]: *Quod in die cogitando peccatis, noctu expiate per lacrymas*.

Hebræus ad litteram [11]: *Irascimini*, vel fremite, vel contremiscite, terror vobis incedat, *& non peccetis. Loquimini in cordibus vestris, super cubilia vestra, ac tacete*; quiescite. Chaldæus ita intelligit; & hanc quoque Græci textus sententiam esse autumo [12]. Contremiscite coram Deo, & non peccate. Ore preces effundite, & petitiones vestræ ex imo corde prodeant. Precamini in cubilibus vestris, & mortis mementote. Alii: Absalonis perfidiam horrentes fremite, verum ne peccetis. Timete Deum, neque excedite fines illius observantiæ, quam Deo, ac Regi vestro debetis. Ingredimini ædium vestrarum penetralia, & diligenter, atque coram Deo, belli hujus effectus perpendite. Quiescite, ac relinquite, ut Deus causam nostram dijudicet. Vel potius hæc ad hostes referendo: Cavete, ne indignationis vestræ impetum sequamini, & contra Deum, ac Unctum ipsius peccetis. Vosmet colligite, & conquiescite. Improbum consilium deserite.

℣. 6. SACRIFICATE SACRIFICIUM JUSTITIÆ, & A SPERATE IN DOMINO.] Pergit populum suum alloquens [13]: Vos met Divino dignos auxilio præbete actionum vestrarum justitia, morum innocentia, ac vitæ sanctitate. Hoc superiori ℣. dicta consequitur. Vel isthic ad hostes suos sermonem convertit: Sacrificate sacrificium justitiæ, si Deo esse vultis accepti. Ne speretis, ipsum excepturum victimas vestras, donec Regi vestro rebelles eritis. Ad eum revertimini cum dolore, pœnitentia, atque justorum operum exercitatione. Propheta carnalibus Judæis egregium tradit documentum; quoniam illi devotionem suam extrinsecis Religionis officiis terminabant: Eos ad verum cultum revocat, cordis scilicet religionem, justitiæ sacrificium, vitæ innocentiam, atque integritatem. Vide Chrysostomum, Theodoretum, Augustinum B hic, & Psal. 49. 14. & 50. 18. 19.

℣. 7. MULTI DICUNT: QUIS OSTENDIT NOBIS BONA? SIGNATUM EST SUPER NOS LUMEN VULTUS TUI, DOMINE, &c.] Propheta id, quod sibi objici posse videbat, prævertit [14]. Nos ad patientiam, pacem, atque justitiam adhortaris; verum quod nobis præmium polliceris? Quid nobis proderit, Deo, Regi, ac Religioni nostræ fideliter adhærere, si profugi sumus, palatique, ac inimicorum nostrorum arbitrio traditi, rerum omnium egeni? *Quis ostendit nobis bona?* Quis nos remunerabitur? Quid expectare debemus? David respondet: triplicia Deus nobis bona largitur: *lumen vultus sui*, benignum oculorum suorum adspectum: 2. lætitiam intimam, ac rectæ conscientiæ testimonium; 3. temporalium bonorum affluentiam. C Hoc est præmium eorum, qui fideles Domino adhærent, & eorum præsertim, qui a Davide non recesserunt. Quamprimum hi gavisi sunt harum promissionum effectu, cum Berzellai ad David cumulatissima attulit munera [15]. Vel id explicando de pertinacibus hominibus, de David hostibus, de quibus sermo fuit vers. 3. *Filii hominum usquequo gravi corde?* ajunt illi: Quis educet nos ex his turbis? Quandonam hoc bellum desinet, quis nobis pacem, felicitatem, copiam restituet? Malis, quæ civile parit bellum, illi fatigantur. Tu vero, Domine, benigno nos dignaris obtutu, interiori nos afficis lætitia, nos bonis affluentissime reples.

Ego vero malim in hunc sensum intelligere juxta Hebraicam legendi rationem [16]: *Multi dicunt: Quis* D *cumulabit nos bonis? Domine fac, ut effulgeat super nos lumen vultus tui* (vers. 8.) *Replesti gaudio ima cordis mei. Vinum, atque triticum eorum multiplicata sunt.* (vers. 9.) *Ego autem in pace quiescam.* Mihi dicunt quotidie; mala semper ingruunt recentia: Omnia calamitatibus, atque infortuniis referta sunt; Numquam ne aliquo bono, vel secundis rebus fruemur? Ego autem, Domine, hoc unum abs te peto: Tu me benignis oculis intuere, & cor meum lætitia replebitur. Repleantur alii temporalibus bonis, vinum, ac fruges eorum centuplo multiplicentur; cellæ eorum, atque horrea bonis diffluant; nihil horum me movet. Pace, atque tranquillitate fruar, dummodo hoc sciam, me tibi haud displicere. Hebraicus quoque textus ita reddi potest: *Tu me refertissimo affecisti gaudio, ubi eo-* E *rum vinum, ac triticum multiplicasti*. Eis hæreditatem tribuisti copiam bonorum terræ, mihi vero cordis lætitiam. Aliter: *Tu me lætitia majori replesti, quam ea soleat esse, qua messis uberrima cernitur.*

Septuaginta, Arabs, Syrus, & Æthiops isthic frumento,

---

1 Isai. 16. 5. *Præparabitur in misericordia solium.* 2 Psal. 85. 2. *Custodi animam meam, quoniam misericors ego.* 3 Arnob. August. Euseb. 4 Cassiodor. Psalter. Roman. Carnot. S. Germ.
5 הפלה 70. Ἐθαυμάστωσε. 6 August. in Psal. 25. enarr. 2. *Si propterea irasceris servo tuo quia peccavit, ne & ipse pecces, irascere tibi.* 7 Cassiodor. hic. Vide Athanas. 8 Theodoret. hic.
9 Euseb. Cæsar. hic. 10 Hieronym. Vide & Chrysost. hic.
11 רגזו ואל תחטאו אמרו בלבבכם על משכבכם ודמו סלה 70. Ὀργίζεσθε. Aquil. Κλονεῖσθε. *Turbamini.* רגזו 70. Κατανύγητε. Hebr. דמו August. hic legebat κατανύγητε, *aperimini.* Aquila, Ἡσυχάσατε. *Quiescite* Th. σιωπᾶτε. *Tacete.* 12 Græcum κατανύσσω proprie significat *pungere*; & passive *animi dolore affici*. At 70. illud passim accipiunt veluti synonymum νυστάζω, *sopitum esse*. Vide Psal. 59. 3. & 75. 6. Isai. 29. 10.
13 Euseb. Cæsar. hic. 14 Chrysost. & Theodoret.
15 Vide Asterium apud Euseb. in hunc locum. Et 2. Reg. 17. 27. 28.
16 רבים אמרים מי יראנו טוב נסה עלינו אור פניך יהוה (8.) נתת שמחה בלבי מעת דגנם ותירושם רבו

mentò; ac vino *oleum* addunt, quod in Hebraico textu non extat: & S. Hieronymus testatur, a se consulto Exemplari Græco Origenis manu castigato, nuspiam vel in Hebraico textu, vel in Septuaginta, vel in aliis Græcis Editionibus nomen hoc inventum fuisse. *Ostendere bonum* [1] in authographo textu bonis cumulare significat: *Elevare lumen vultus sui super aliquem* [2] idem est ac eum benigne intueri. S. Hilarius in Psal. 122. vers. 6. S. Augustinus, & Cassiodorus in Textu suo legebant [3]: *A tempore frumenti*, uti in Hebraico est, pro, *a fructu frumenti*.

℣. 9. IN PACE, IN IDIPSUM DORMIAM, & REQUIESCAM; QUONIAM TU, DOMINE, SINGULARITER IN A SPE CONSTITUISTI ME.] Vidimus jam superiori versiculo, quinam sensus huic possit attribui. Tranquille dormiam, dummodo queam oculis tuis placere. Hæc certitudo apud me bonorum omnium obtinet locum. Hæc vox; *in idipsum* negotium Interpretibus facessit. Alii *Deum ipsum* intelligunt, vel in æternitatis gloria, vel etiam inter hostes meos. Hebræus [4]: *Dormiam simul in pace*, dormiam, ita dixerim, in sinu pacis; *& quiescam*; *quoniam tu solus, Domine mi, fecisti, ut tuto habitarem*. Vel: ero in pace, perfecta fruar tranquillitate; & ideo quiescam, & dormiam; quoniam hanc mihi certitudinem tribuisti, me acceptum esse in oculis tuis.

---

1 Psal. 15. 11. 4. 1. 12. Job. 29. 24. Eccle. 11. 1. 5. 13. &c. 2 Psal. 66. 1. & 88. 16. Num. 6. 25.
3 Ἀπὸ καιροῦ, pro ἀπὸ καρποῦ, quod hodie in 70. legitur. Origenes legebat ἀπὸ καιροῦ, & hæc est genuina 70. lectio, ut ipse notat. Eodem pacto legebant alii Interpretes Græci. Vide novam Hexaplorum editionem.
4 בשלום יחדו אשכבה ואישן כי אתה יהוה לבדד לבטח תושיבני

PSALMUS V.

Fervens oratio Prophetæ. Impii non prodibunt coram Deo. Cuicumque infelicitatum generi addicentur. Justi vero felicitate, & gloria cumulabuntur.

In finem pro ea, quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

PRO EA, QUÆ HÆREDITATEM CONSEQUITUR. Pro Ecclesia scilicet, quæ Jesu Christi promissionum est hæres; uti Patres, ac Interpretum plerique explicant. Alii Psalmum intelligunt de David, quem Saul persecutus est, & Doeg prodidit; vel de eodem David, quem Absalon adortus est, ac plerique Principes Israel deseruere [1]. Beda hunc ad Ezechiæ tempora refert; & Ferrandus ad Judæos in Babylonis captivitate. Haberi autem potest simpliciter, veluti oratio matutina, atque specimen cogitationum, quas fovere debet anima inter mundi flagitia, atque impotentiam. Nos autem postremum hunc sensum amplectemur.

Hebraicus titulus [2] longe aliter vertitur, & explicatur: *Psalmus David ad Principem* musices super *Nehiloth*, quæ postrema vox omnem loci hujus parit difficultatem. Alii vertunt [3]: pro *hæreditatibus*, vel *hæredibus*. Alii *super tibias*. Authographi nomen fluit ab origine [4], quæ *foramina*, veluti fistulæ musicæ significat. Aliqui [5] putant, nomine hoc instrumentum musicum designari, quod imitatur apum susurrum, non longe ab Germanica tuba, vel cythara absimile. Sunt, qui vertant; *Psalmus pro conciliis* [6]: Chaldæus [7]: *Canticum pro choreis*. Alii opinantur *Nehiloth* esse initium numerorum, ad quos Psalmus hic canebatur. Ast credimus vertendum esse: *Psalmus David moderatori musices inscriptus, qui saltatricibus præest*, vel Chorearum moderatori; vel denique Musices Magistro, qui præest instrumentis, quæ Hebraice vocantur *Nehiloth*, vel *Mehaloth*. Novissimum hoc nomen fronti Psalmorum 52. & 87. appingitur, & *Nehilos* instrumentum musicum in Isaia significat 5. 12. & 1. Reg. 10. 3. Satis liquet in omnibus supplicationibus, & quavis Religionis, triumphi, & lætitiæ pompa, semper saltatrices adfuisse, quæ canebant, & instrumenta pulsabant; quarum agmina vidimus, post Davidis victoriam de Goliath relatam 1. Reg. 18. 6. & in celebritate adventus Arcæ in Jerusalem 2. Reg. 6. 12. Videri potest Dissertatio nostra de Hebraicis musices instrumentis.

1. VErba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum. 2 Intende
voci orationis meæ, rex meus, & Deus meus. 3 Quoniam ad te orabo:
Domine, mane exaudies vocem meam. 4 Mane astabo tibi, & videbo:
quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. 5 Neque habitabit juxta te malignus:
neque permanebunt injusti ante oculos tuos. 6 Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium. 7 Virum sanguinum, & dolosum a-
bominabitur Dominus: ego autem in multitudine misericordiæ tuæ. 8 Introibo in domum
tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. 9 Domine, deduc me in
justitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam. 10 Quoniam non
est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est. 11 Sepulchrum patens est guttur
eorum, linguis suis dolose agebant, judica illos Deus. 12 Decidant a cogitationibus suis,

---

1 Ita Rabb. Veteres, apud Kimchi Muis. Bossuet, alii. 2 למנצח על הנחילות מזמור לדוד
3 70. Aquil. Sym. Theodoret. Ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης. 4 נחילות a חול foramen.
5 Ita Rab. Hai, Munst. Muis. Cast. Tir. a נחל Arab. *Apes*. 6 נחיל *Conventus* Psal. 17. 5. & 1. Regum 22. 5. 7 Chal. על חינגין quasi id deduceret a חלל *choreas ducere* כחול *choreas*.

secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine. 13 Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt: & habitabis in eis. 14 Et gloriabuntur in te, omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo. 15 Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos.

℣. 2. VERBA MEA AURIBUS PERCIPE, DOMINE, INTELLIGE CLAMOREM MEUM.] Hæc est vox cordis, quam Deus auscultat [1]: Hi sunt ineffabiles gemitus, quos Deus Spiritus in cordibus nostris gignit [2]: hoc fervens desiderium ostendendi illi nostras necessitates, atque opem illius expetiendi. Qui non amat, non cupit, neque clamat quidem [3]: *Charitas ipsa gemit, ipsa orat: contra hanc aures claudere non novit, qui dedit illam*. Hebræus [4]: *aperi aurem verbis meis, Domine, attende ad gemitus meos*, vel cogitationes meas, meditationes, preces, vota, quæ ex penitiori cordis parte effundo. Deus nos semper audit, verum non semper audivisse demonstrat; neque semper nostrarum precum effecta intuemur, eo quod petere ignoramus: *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*, Jacob. 4. 3. A B

℣. 3. QUONIAM AD TE ORABO, DOMINE, MANE EXAUDIES VOCEM MEAM.] Ubi preces meas effudero, statim exaudies. Hebræis tres erant horæ, quibus orabant, quod ex veteri Patrum suorum more perceperant. Oratio matutina, meridiana, ac vespertina; cujus sanctissimæ consuetudinis Daniel religiosus erat observator [5]: *Tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat*. Oratio matutina palam isthic exprimitur, uti & in Psalmis 62. 1. 87. 14. 118. vers. 147. 148. vespertina vero Psalmis 4. 9. & 54. 19. & Act. 3. 1. Meridiana tandem in Actis cap. 10. 15. ubi S. Petrus oraturus hora sexta domus solarium ascendit. Syriaca versio Psalmum hunc veluti matutinam orationem considerat. Hebraicus textus verti potest [6]: Exaudi me, *cum mane effundo preces meas, audi orationem meam*. C

℣. 5. MANE ASTABO TIBI, & VIDEBO, QUONIAM NON DEUS VOLENS INIQUITATEM TU ES.] Quotidie mane me tibi offeram, te deprecaturus, atque infinitam justitiam tuam admiraturus; meditabor effectus ultionis tuæ in peccatores, atque intelligam, neminem oculis tuis placere posse, nisi ab omni iniquitate recesserit. Hebræus [7]: *Adstabo mane coram te*, militis instar, qui armatus ante Imperatorem suum illius jussa percepturus adsistit; vel statuam, disponam, præparabo orationem meam coram te, elevabo ad te vocem meam, *& fatebor, te non esse Deum, qui diligat iniquitatem*. Posterior hæc locutio figura est, quæ *Lytotis*, vel *imminutio*, vocatur, ubi minus dicitur, quam significetur. Deus non solum iniquitatem non diligit, verum infensissime horret, ac sævissime punit. Septuaginta [8]: *Astabo mane coram te, & videbo*; Editiones aliæ: *astabo coram te, & videbis me*. D

℣. 5. NEQUE PERMANEBUNT INJUSTI ANTE OCULOS TUOS.] Hebræus [9]: *fatui non subsistent*, non prodibunt *coram oculis tuis*. Impii a Dei lumine, atque veritate aufugere quærunt: *Qui male agit, odit lucem* Joan. 3. 20. Eam interdum vident: sed cum in ea suam damnationem perspiciant, statim ab illa oculos avertunt [10]. Deus impios ad certum usque limitem patitur; expectat pœnitentiam eorum: verum si in flagitiis perstiterint, eos rejicit, atque abominatur [11].

℣. 6. PERDES OMNES, QUI LOQUUNTUR MENDACIUM.] Mendacium, astum, malas artes, dolos, perfidiam, & quidquid justitiæ, veritati, ac rectitudini adversatur, Deus perhorrescit. S. Hieronymus hoc de Hæreticis explicat [12]; quos viros sanguinum, & deceptores vocat, quibus cum satis nequaquam sit animas proprias perdere, eos quoque, qui ipsos audiunt, atque sectantur, in interitum vocant: *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus*. Præstat tamen simpliciter de sicariis, hominibusque crudelibus, & violentis, explicare, qui proximi vitam, bona, honorem, atque existimationem lædere gestiunt; quique simplices viros in errorem adigunt, nequissima illis consilia suggerunt, illis blandiuntur, ultionis amorem inspirant &c. Dolosi eadem severitate plectentur, atque homicidæ, inquit Eusebius.

℣. 7. EGO AUTEM IN MULTITUDINE MISERICORDIÆ TUÆ, INTROIBO IN DOMUM TUAM.] Si in me dumtaxat animum advetterem, Domine, nequaquam auderem coram te prodire. Accedo enim humili dumtaxat confidentia suffultus, atque misericordia tua fretus, ulla tamen absque audacia; sed humili cum reverentia, ac religioso timore me tibi offero: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*. Interpretes quidam dubitarunt, an hic Psalmus esset Davidis, quod hic palam sermo fit de *Domo Domini*, & *Templo*, quæ Sancti Regis illius ævo nondum substiterant. At ex iisdem libris ante David conscriptis, & ex primo Regum liquet, his iisdem nominibus Domini Tabernaculum fuisse vocatum. Exempli gratia 1. Reg. 1. 7. dicitur Elcana quotannis eum duabus uxoribus suis Anna, & Phenenna in Templum ire consuevisse: *Cum redeunte tempore, ascenderent in Templum Domini*; & ibid. vers. 24. dicitur Anna adduxisse filium suum Samuelem ad Domum Dei: *Adduxit eum ad Domum Dei in Silo*. Et in libro eodem 3. 3. Samuel cubasse in Templo Domini: *Samuel dormiebat in Templo Domini*. Hæc igitur ratio nequaquam sufficit, ut hic Psalmus denegetur Prophetæ, cujus nomen præsefert.

℣. 9. DOMINE, DEDUC ME IN JUSTITIA TUA: PROPTER INIMICOS MEOS DIRIGE IN CONSPECTU TUO VIAM MEAM.] Amove, Domine, gressus meos ab injustitia, atque iniquitate; ac prohibe, ne inimici mei, qui omnia scrutantur vestigia mea, nequaquam lætari possint, me in flagitia ruentem perspicientes. Dirige me in æquitatis via, a qua si vel latum unguem recesserim, me correptum in rectum tramitem coge. Hebræus [13]: *Domine, deduc me in justitia tua, propter eos, qui observant me, & incessus meos explorant; planas* fac, vel rectas, *ante me vias tuas*. Apprehende me manu tua, Pater mi, & fac, ut in viis justitiæ tuæ ambulem: explana ante me, quidquid difficile, atque præruptum esse potest in via, quam secuturus sum. Effice mihi mites leges tuas, atque jugum tuum suave. Septuaginta similiter legunt in optimis Editionibus [14]; in aliis vero Vulgatæ similes sunt.

Quo-

---

1 Theodoret. Chrysost. August. 2 Rom. 8. 26. 3 August. in Ep. ad Joan.
4 אמרי האזינה יהוה בינה הגיגי 5 Dan. 6. 10. 13. Vide S. Hieronymum in hunc Danielis locum.
6 כי אליך אתפלל יהוה בקר תשמע קולי
7 בקר אערך לך ואצפה כי לא אל חפץ רשע אתה 8 Τὸ πρωῒ παραστήσομαι, καὶ ἐπόψει με. Ita legit Theodoret. Euseb. Complut. Paris. sed Rom. Edit. Τὸ πρωῒ παραστήσομαί σοι, καὶ ἐπόψομαι. Ita Athanas. Origen. Euseb. Dydim. Chrysost. At Hieronym. utramque lectionem agnoscit, posteriorem præfert.
9 לא יתיצבו הוללים לנגד עיניך 10 August. hic. 11 Hieron.
12 Ita Hieron. & Euseb. & Athanas. hic. 13 יהוה נחני בצדקתך למען שוררי הישר לפני דרכך
14 70. Κύριε, ὁδήγησόν με ἐν τῇ δικαιοσύνῃ σου ἕνεκα τῶν ἐχθρῶν μου, κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου. Hoc nec 70. habent, nec Aquila, nec Symmach. nec Theodotion, sed sola Κοινὴ Editio. Hieronym. ad Suniam, &c. Reliquæ habent; Κατεύθυνον ἐνώπιόν μου τὴν ὁδόν σου. Utramque lectionem agnovit Theodoret. Aquil. Διὰ τοὺς ἐφοδεύοντάς με κατεύθυνον εἰς πρόσωπόν μου ὁδόν σου. Sym. Διὰ τοὺς ἐπιθλίβοντάς με, ὁμάλισον ἔμπροσθέν μου τὴν ὁδόν σου.

℣. 10. QUONIAM NON EST IN ORE EORUM VERITAS: COR EORUM VANUM EST.] Vanitas hoc in loco, uti alibi passim, pro mendacio usurpatur. Hebræus [1]: *non est æquitas*, constantia, soliditas *in ore eorum: exta eorum nihil aliud sunt, quam fraudes*, improbitates, corruptiones, nequitiæ.

℣. 11. SEPULCHRUM PATENS EST GUTTUR EORUM: LINGUIS SUIS DOLOSE AGEBANT.] Guttur eorum est veluti sepulchrum, semper patens, & semper avidum; numquam saturatur, neque dicit umquam, satis [2]. Veloces sunt ad vorandum, effundendum sanguinem, proximi sui bona deglutienda. Lingua eorum est veluti acutus ensis, qui cædit, quidquid probris, calumniis, conviciisque illa adsperserit. Hebræus [3]: *Guttur eorum est veluti sepulchrum patens: acuunt linguam suam*, vel eam lævigant, leniunt. Guttur illorum semper ad devorandum, ac degluciendum, paratum est: vel est tamquam sepulchrum apertum, ac tabo, & fœtore repletum, unde teterrimi emanant odores. Lingua eorum est veluti ferrum, quod acuitur, & oleo inungitur, ut facilius perfodiat, atque ulterius pervadat. De hæreticis potest intelligi [4].

JUDICA ILLOS, DEUS: ℣. 12. DECIDANT A COGITATIONIBUS SUIS.] Judica, & condemna eorum iniquitatem, neque permitte, ut voti compotes facti justum, & innocentem opprimant, perdant, confundant. Hebræus multifariam verti potest [5]: *Domine judica eos veluti noxios*; condemna illos, redargue, perde. Frustrabuntur in consiliis suis. Ne permiseris, eos nequissima consilia sua posse adimplere; constitues limites eorum improbitate, atque amicorum tuorum ærumnis. Id potest intelligi veluti Prophetia eorum, quæ illis sunt eventura [6]; aut veluti oratio, ad prohibendum perniciosorum consiliorum eventum, ac improbæ voluntatis eorum complementum; ne ipsi semet perdant, susceptum facinus exequentes [7]. Hæc autem imprecatio esse non potest; imprecari enim nefas est; & Spiritus Sanctus, cujus afflatu Propheta percitus erat, non poterat illi acrimoniæ, ac inimicitiæ sensus infundere. At David cupere poterat, ut Deus severe in eos judicium suum exerceret, ad illos ab iniquitatis via deterrendos.

EXPELLE EOS, QUONIAM IRRITAVERUNT TE, DOMINE.] Eos in fugam conjice, eos confusione suffunde, ne permittas, ut coram te prodeant, quandoquidem a te defecerunt. Hæc textus Hebraici est sententia [8]: Deprime illos, & fac, ut se se colligant, ut ad te Domine revertantur, ac tandem scelus suum confiteantur. Minori me dolore afficit, quæ illata mihi fuit injuria, quam quæ tibi, Domine mi; deprime eos, quoniam recesserunt a te. Sed veniam illis concede, si quæ mihi mala intulerunt.

℣. 13. EXULTABUNT, & HABITABIS IN EIS.] Hebræus reddi potest: *Jugiter recinent* laudes tuas, *tu vero illis eris umbra*, ac protectio. Tueberis eos sub umbra tua. Gaudebunt intuiti nomen tuum gloriosum nitescere, peccatorem vero ad pœnitentiam redactum [9].

℣. 15. UT SCUTO BONÆ VOLUNTATIS TUÆ CORONASTI NOS.] Benignitas, & clementia tua nos veluti clypeus tuebitur. Si nos protegere volueris, bona hæc voluntas nos a quovis hostium impetu salvos faciet. Hebræus ad litteram [10]: *Coronabis nos*, involves nos *bona voluntate, veluti clypeo*. Hi clypei, qui *Zinnah* dicuntur, ingentes erant plane, atque totum hominem obtegebant. S. Hieronymus vertit: *Domine, ut scuto placabilitatis coronabis eum*. Coronabis eum veluti clypeo gratiæ. Aquila eodem pacto reddiderat [11]. Confer Jerem. lam. 3. 65. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum*. Opprimes illos malis, circumdabis eos pœnis, veluti scuto. Hic sensus omnino oppositus est.

---

1 פי אין בפיהו נכונה קרבם הוות
2 Prov. 30. 15. 27. 20.
3 קבר פתוח גרונם לשונם יחליקון
4 Athanas. Hieron. Chrysost.
5 האשימם אלהים יפלו ממעצותיהם
6 August. hic.
7 Hieronym. ad hunc vers. Et ad sequ. Ita Chrysost. & fere Euseb.
8 הריחמו כי מרו בך
9 Chrysost. hic.
10 כצנה רצון תעטרנו
11 Aquil. Στεφανώσεις αὐτόν.

PSALMUS VI.

David gravi afflictatus morbo, a Deo petit, ut misericors, non severus secum esse velit. Ab uno Deo medelam sperat, & inimicorum convicia contemnit.

In Finem, in hymnis pro Octava, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Prisci, qui vocem *pro octava* intellexere, perinde ac significaret *octavam*, vel *octavam diem*; omnes ferme in sensu mystico acceperunt. Alii quidem [1] pro Resurrectione Domini, quæ contigit postridie Sabbathi, vel octava die; alii [2] pro virtutum omnium congerie, pro virtutibus omnibus Christianis: Theodoretus pro æternitate, quæ est finis temporum, ac veluti extra hebdomadam, quæ præsentem exhibet vitam. Alii id de Circumcisione intelligunt, quæ die octava inurebatur [3]; alii de octavo tono, qui omnium acutissimus est [4]; alii vero de tono maxime humili, & gravi [5]: Et quidem Psalmi hujus argumentum lugubre potius est, ac poscit potius flebilem sonum, humilemque, quam hilares, sublimesque numeros. Verum ea pluribus arridet sententia, quæ de instrumento octonis fidibus instructo intelligit [6], quod cythara esse existimatur. Bellonius Observ. l. 3. c. 48. quamdam cytharæ speciem describit, quæ hodie in Oriente apud Turcas in more est posita, & quæ octo fides habet satis crassas, cum manubrio oblongo, & recto, super quo toni inscripti sunt. Credimus autem, nomen hoc octavam Musicorum classem in Templo celeberrimam innuere. De hac sermo fuit in primo Paralipomenon libro cap. 15. 21. ubi consulere potes Commentarios nostros. Plures huic octavæ classi dicati sunt Psalmi. Illius instrumentum erat *Cinnor*, vel cythara vetus, de qua sermo erit in Dissertatione de Musicis instrumentis.

Psalmi hujus argumentum, atque occasio, qua compositus fuerit, Interpretes distinet. Plerique [7], neque im merito

---

1 Athanas. Euseb. Cæsar.
2 Ambros. in Luc. lib. 5. n. 49. & lib. 7. num. 6. Hieron. hic. Vatab. Est.
3 Derasch. Kimchi.
4 Vatab. Ferrand.
5 Gejer. Munst. Mar. &c.
6 Chald. Munst. Grot. Muis, Pagn. Mont. Castal. alii.
7 Ita Rabb. Muis, Bossuet, alii.

merito, putant, a David compositum fuisse, dum post patratum cum Bethsabee facinus, gravi morbo laboravit: Vel potius, more suo, illum post periculum, receptamque salutem esse per otium elucubratum [1]. Hinc fit, quod ipsius doloris sensus, ac vota pro valetudine nuncupata, tristem ægritudinis suæ descriptionem, & pro recepta valetudine gratiarum actiones isthic deprehendimus. Ecclesia, & Patres hunc arbitrati sunt esse, veluti exemplar status illius, in quo versatur anima, quam peccatorum suorum, ac spiritualium ægritudinum dolor exagitat, cum inter pœnitentiæ psalmos adnumerantes, & Davidis postulata explicantes, veluti ad peccati ipsius veniam spectantia. Beda hunc Ezechiæ refert, cujus ægritudinem, ac miraculosam curationem Scriptura nos docet. Abenezra credit, intelligi posse de Israelitis in Babylonis captivitate. Nos vero ad litteram de corporali David morbo explicabimus, quin tamen spiritualem explicationem de animæ ægritudine negligamus.

1. DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. 2
Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quo-
niam conturbata sunt ossa mea. 3 Et anima mea turbata est valde: sed
tu, Domine, usquequo? 4 Convertere, Domine, & eripe animam meam: salvum
me fac propter misericordiam tuam. 5 Quoniam non est in morte, qui memor sit
tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? 6 Laboravi in gemitu meo, lavabo
per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo. 7 Turba-
tus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos. 8 Discedite
a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus
mei. 9 Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam susce-
pit. 10 Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertan-
tur, & erubescant valde velociter.

℣. 1. DOMINE NE IN FURORE TUO ARGUAS ME, NEQUE IN IRA TUA CORRIPIAS ME. [Ne metiaris ultiones tuas ex scelerum meorum immanitate; scio equidem, Domine, me sontem esse, atque supplicia mereri. Verum ne districta severitate in me animadvertas [2]. Si effundis contra me omne lacertorum tuorum robur, quomodo illud sustinere potero? *Corripe me, Domine*, Jeremias 10. 24. ajebat: *verumtamen in judicio, & non in furore tuo: ne forte ad nihilum redigas me*: & 46. 28. *Castigabo te in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi*, dicit Dominus. In terris divina ira semper suavitate quadam, & clementia temperatur, ut ait S. Gregorius Magnus in Ezech. l. 2. hom. 6. sed novissimi Judicii die, furor ejus sine ulla misericordiæ commixtione adversus peccatores erumpet.

℣. 2. MISERERE MEI DOMINE, QUONIAM INFIRMUS SUM &c.] Hebræus [3]: *Miserere mei, Domine, quoniam æger sum: Medere, quoniam ossa mea turbata sunt*, contremiscunt. Per ima usque cucurrit ossa tremor; vel dolor usque intra solidissimas corporis mei partes pervasit. Haud ultra stare queo, & membris meis uti; tanta est infirmitas mea. Penitus confectus sum, langueo, contremisco, corporis, & animæ simul dolore confossus. Loquitur de vero morbo. Morbus animæ peccatum est; infirmitas ejus est pravum illius ingenium, atque improba habitudo [4]. Deus unus est medicus ejus; ossa, virtutes sunt; vires, ratio. Peccatum hæc omnia corrumpit, turbat, delet.

℣. 3. ANIMA MEA TURBATA EST VALDE: SED TU DOMINE, USQUEQUO?] Usquequo irasceris Domine? Usquequo derelinques me? Usquequo deseres me in doloribus, in angustiis, in tentationibus, in turbis? Animæ, quæ ad Deum convertuntur, nonnumquam in obscuritate versantur, languent, arentque, intelligant altitudinem vulnerum, quæ sibi inflixerunt, ut virtutem suam confirment, & sentiant, quænam ea sint tormenta, quæ Deus præparat impiis, ac perfrictæ frontis peccatoribus, quandoquidem tanta severitate in eos animadvertit, qui revertuntur ad ipsum [5].

A

℣. 4. CONVERTERE DOMINE, & ERIPE ANIMAM MEAM.] Benigno saltem me intuitu identidem dignare. Cur longe permanes a me, & avertis oculos a servo tuo? Respice me, & sanabor: Redde mihi gratiam tuam, & satis mihi erit. Discessi procul a te, Deus meus, propter scelera mea, & coegi te, ut a me recederes, & gratiam tuam a me dimoveres [6]: at redi, converte ad ipsum te cor meum inconstans, ac rebelle. Sine te, Domine, gradum ad te proferre nequeo. Permitte mihi, ut tandem aliquando sincere convertar.

℣. 5. QUONIAM NON EST IN MORTE, QUI MEMOR SIT TUI. IN INFERNO AUTEM QUIS CONFITEBITUR TIBI?] Non mortui aperient os suum ad laudandum te, neque damnati annuntiabunt magnitudinem tuam.

B

Illi quidem æterno in silentio versantur, hi desperationis dumtaxat verba, atque blasphemias evomunt. At isthic *Inferni* nomen de sepulchro intelligere præstat. Non mortui, neque cadavera, quæ in tumulis delitescunt, consurgent ad celebrandas laudes tuas; sed viventes, uti nos, laudabunt te. David Deum humanitus alloquitur ea audacia, quam doloris, & periculi magnitudo extorquent. Quid tibi proderit interitus meus? si viventium laudibus oblectaris, & agitur gloria tua in illorum incolumitate; hominis vitam serva, jam illam in jugibus laudationibus suis omnino impendere exoptantis. Num resurgent mortui, ut laudes tuas concinant? Sin autem summa severitate acriter in nos desævias; quis poterit illius pondus sustinere? Scriptura sæpius hanc adfert causam. Exempli gratia Psalm. 29.

C

10. *Ad te Domine clamabo: quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Audivit Dominus, & misertus est mei*. Et Psal. 113. 17. *Non mortui laudabunt te Domine; neque omnes, qui descendunt in infernum. Sed nos, qui vivimus, benedicimus Dominum*. Ezechias in insigni suo morbo, Dominum eodem pacto, quo David isthic, deprecabatur. Isai. 38. 18. *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te . . . Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie &c.* Videntur autem Judæi considerasse Deum veluti in reliqua terrarum parte in ob-

1 Abenezra, Munst. Varab. 2 Hieronym. hic.
3 חנני יהוה כי אמלל אני רפאני יהוה כי נבהלו עצמי 4 Theodoret. Hieronym. Euseb.
5 August. in hunc locum, Euseb. Cæsar. 6 August. hic. *Ut eum amitteremus non ejus absentia, qui ubique est, sed nostra fecit aversio*, &c. Vide & Athanas. hic.

in oblivione positum, atque in Judæa dumtaxat cognitum. Si mihi vitam ademeris, Domine, imminues numerum eorum, qui noverunt te, ac laudant te super terram. Minus salutis meæ, quam gloriæ tuæ me urget sollicitudo. Post mortem, nulla est amplius spes pœnitentiæ, ait S. Augustinus [1]. In Inferno nullæ amplius Domini resonant laudes; sed desperationis dumtaxat voces audiuntur. In peccati morte, Deus ignoratur, oblivione ipsius Lex obruitur. In peccati obstinatione, quæ est veluti infernus illius, Deus ipse contemnitur, mandata ejus pedibus conteruntur.

℣.6 LABORAVI IN GEMITU MEO: LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM &c.] Hæ omnes loquendi rationes innuunt flagrantissimum desiderium, quo Propheta Deum valetudinem suam efflagitabat. Ostendunt etiam doloris acerbissimi magnitudinem. S. Hieronymus Hebraicum textum ita reddit [2]: *ego fatigatus sum gemendo: Faciam, ut per totam noctem innatet cubile meum* in fletibus: *lacrymis meis stratum meum rigabo*. Alii vertunt: *Præ gemitibus morior: rigabo tota nocte lacrymis stratum meum; faciam, ut cubile meum* quodammodo *fletibus meis liquescat*: vel lacrymarum vi illud in aquas redigam. Chaldæus: *Delassatus sum suspirando: versabor in dolore meo super lectum meum tota nocte: lacrymis meis stratum meum rigabo*.

Isthic varii animæ ad Deum revertentis gradus deprehenduntur [3]. Gemit, suspirando fatigatur; nullam quietem capit; a lacrymis effundendis non cessat, eas affluenter adeo effundit, ut ipsum irriget cubile, immo ut in illius effusissimis gemitibus ipsum cubile innatare videatur. David a se criminis sui cogitationem amovere nequit; neque animum ad adulterium suum valet convertere [4], quin lacrymarum torrentes emittat.

℣.7. TURBATUS EST A FURORE OCULUS MEUS: INVETERAVI INTER OMNES INIMICOS MEOS.] Furor tuus, Domine, cujus terribiles effectus expavesco, perturbat me [5]; vel furor hostium meorum, qui excidium, interitumque meum exoptant; vel denique indignatio mea animæ meæ oculos perturbabit [6]. Postremus hic sensus magis naturalis videtur. David hostibus suis circumseptus, qui illum morbo confectum videbant, sperabantque illum efferendum, cohibere nequit, iræ, atque indignationis sensus, quos hæc illi obtrudit cogitatio. Hoc animæ illius oculum turbat, rationi tenebras offundit, tranquillitatem adimit, animique ægritudines ciet. Ira est veluti colore imbuta crystallus, per quam res numquam, quales re ipsa sunt, prospiciuntur; vel sicuti dolosæ ex vitreæ lentes, quæ vel augent, vel imminuunt, vel admovent, vel dimovent, susquedeque vertunt, multiplicia reddunt, vel dispergunt objecta.

A Hebræus [7]: *Oculus meus ira obumbratus est, & senex est in medio inimicorum meorum*. Dolor, quo afficior, tenebras offundit oculis meis, eosque senio conficit: Jam jam visus jacturam subiturus sum, veluti capularis senex, cujus obœtam ætatem obumbrantur, & vitiantur oculi. Aliter: *oculi mei sunt veluti corrosi*, corrupti, turbati *propter tristitiam*, dolorem, indignationem, iram. *Oculi mei consenuerunt*, infirmati sunt, in medio affligentium me. Nonnulli [8] oculum de facie explicant. Facies mea immutata est, confecta, consenuit propter livorem, qui rodit me in medio inimicorum meorum. Aquila [9]: *Oculus meus* quodammodo propter iram *exaruit: translatus* quodammodo *fui a vincientibus me*, vel a quærentibus me comprehendere. Symmachus [10]:
B *Oculus meus plorans fuit*, ulcere corruptus, velut qui fistulam habent lacrymalem. *Confossus fui* [11], vel confractus *ab inimicis meis*. Novissimi vox proprie significat duos lapides, vel duo ligna, quæ vicissim atteruntur, ut eliciatur ignis. Perinde ac innuere vellet, adspectu in hostium suorum oculos ipsius inflammasse.

℣. 8. DISCEDITE A ME OMNES, QUI OPERAMINI INIQUITATEM &c.] David vel intrinsecus Dei voce, vel extrinsecus Prophetæ alicujus verbis, futuræ valetudinis certior effectus, repellit procul a se improbos omnes, qui circum ipsum aderant, ejusque interitum peroptabant. Recedite a me, iniquitatum opifices; nolo, ullam amplius mihi partem esse vobiscum. Hoc in discrimine intellexi, quinam boni
C essent, verique amici, & e contra qui meum dumtaxat excidium in optatis haberent. Hebræus [12]: *Recedite a me omnes, qui operamini iniquitatem* [13], vanitatem, mendacium, *inutilitatem* [14].

℣. 10. ERUBESCANT, & CONTURBENTUR &c.] Hæc prophetia est, inquit S. Augustinus. Propheta prædicit, illos demum salubri pudore suffusos tandem ad Deum redituros. Vel hæc est oratio, ut sanctus Hieronymus mavult. Precatur, ut inimici sui ocyus convertantur, atque ob peccata sua erubescant: *Erubescant non leviter, sed vehementer; non procrastinato tempore, sed cito*. Deo gratias agit, Eusebius inquit, quod hostium suorum conatus inutiles effecerit; eumque rogat, ut illos a se dimoveat, atque conturbet. Judicii die [15] *tunc sentient peccatores,*
D *quam non sit longa omnis vita, quæ transit*. Celeriter nimis rubore suffundentur. *Erubescant valde velociter*.

Hebræus [16]: *Omnes inimici mei præ pudore fugiant ac in maxima agitatione versentur, abeant, ac momento cooperiantur confusione*. Vel; pudore, ac perturbatione agitentur, quamprimum recedant, neque prodire audeant. Aquila [17]; in confusione permaneant, & *accelerentur*; ne cunctetur Deus in illos animadvertere.

1 Aug. in hunc locum. Vide pariter Theodoret. & S. Chrysost. Athanas. Euseb.
2 יגעתי באנחתי אשחה בכל לילה מטתי בדמעתי ערשי אמסה 3 August. hic.
4 Euseb. Athanas. Theodoret. Flamin. 5 Chrysost. Theodoret. in hunc locum.
6 Ira fere Patres. 7 עששה מכעס עיני עתקה בכל צוררי 8 Gejer. Grot. Pisc. Vat. Tigur.
9 Aquil. Ἀυχμώθη ἀπὸ θυμοῦ ὁ ὀφθαλμός μου, μετήρθην ἐν πᾶσι τοῖς δεσμοῦσί με.
10 Ἐφλέγμανεν . . . ἐτρυχώθη διὰ τοὺς θλίβοντάς με. 11 עתקה Aqu. μετήρθην, *translatus sum*. Sym. ἐτρυχώθη, *consumptus sum*. 12 סורו ממני כל פעלי און 13 70. Οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν.
14 Aquil. Ἀνωφελές. 15 August. hic. 16 יבשו ויבהלו מאד כל איבי ישבו יבשו רגע
17 Aquila, Κατὰ σπευσθήσονται ὀξέως.

PSALMUS VII.

David a Saule exagitatus Divinam opem implorat. Hostibus suis Divinam ultionem intentat, ac infelicem eorum exitum portendit.

Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi, filii Jemini.

ARGUMENTUM.

Psalmus David, quem cantavit Domino, pro verbis Chusi, filii Jemini.] Vel Benjamin, de tribu *Benjamin*; Benjamin enim *Jemini* quoque appellabatur. Plura adsunt, quæ in hoc Psalmo pariunt difficultatem r. Hebraicum nomen [1] *Siggajon*, quod Septuaginta, & Vulgata reddidere *Psalmum*, in veteribus Græcis Interpretibus redditur [2] *Psalmus pro ignorantia*; perinde ac David pro peccatis ignorantiæ, vel suis, vel hostium, ac persecutorum suorum deprecaretur, quos quodammodo hoc pacto excusar, ostendere cupiens, illos ignorantia tantummodo ipsum fuisse persecutos, ita ferme, uti Salvator de Cruce pro crucifigentibus se deprecabatur, eo quod ipsum non noverant: *Non enim sciunt, quod faciunt*. Luc. 23 34.

Rabbini quidam [3] putant, *Siggajon* nomen esse musici instrumenti; alii [4] hoc esse initium vulgatæ cantionis, ad cujus numeros Psalmus hic canebatur: alii [5] hoc esse nomen, cujusdam musici moduli, arbitrantur. Nonnulli ex Hebræis reddunt [6]: *Error David*, quod non abludit a versione, quæ habet *pro ignorantia*, veluti si diceres, Davidem errasse, & peccasse, hostibus suis hoc in Psalmo mala imprecantem. Alii denique [7]: *Ode*, vel *Psalmus erroris*, vel diversitatis, perinde ac inæqualibus versibus constaret, ac metro, & rythmo diversis. Verum hæc omnia gratis asseruntur, neque aliud evincunt, nisi maximam esse hac in re hominum ignorantiam.

Vatablus vertit: *Secretum David*; Castalion: *Defensio David*; Genebrardus cum Rabbinorum nonnullis: *Deliciæ David*, Ego vero mallem reddere: *Solicitudo David*, vel Psalmus, quem composuit David, cum a Chus filio Jemini exagitatus in dolore, ac solicitudine versaretur. Arabica vox *Sagah*, a qua fluit *Siggajon*, significat, dolore, angustia, perplexitate confici. Verbum *Sar*, cecinit, ostendit *Siggajon* esse Canticum; & David isthic vere omnes afflictæ, ac solicitæ animæ sensus exprimit.

Quæ sequuntur, haud minoribus sunt obnoxia difficultatibus, *pro verbis Chusi filii Jemini*. Prisci non pauci [8] crediderunt, Chusi eum esse amicum David, de quo in 2. Regum 16. est sermo, qui illi fideliter semper adhæsit, & qui de ipso perquam bene meritus fuit, evertens perniciosissimum illud consilium, quod Achitophel dederat Absaloni, & quod certissimum David intulisset interitum. S. Johannes Chrysostomus putat, hunc a Davide fuisse compositum, cum nunciatum illi fuit consilium, quod Chusi dederat Absaloni, exploso Achitophel, qui censebat, quamprimum adversus David arma esse movenda. Novit quidem S. Augustinus, hoc ad litteram nequaquam intelligi posse de Chusi amico David; sed ad Jesu Christi persecutores refert. S. Hieronymus palam negat, Canticum hoc spectare ad Chusi filium Arach, de quo modo locuti sumus; & animadvertit, illius nomen aliter scribi ab eo, quod legitur isthic; prius illud per *Samech*, hoc vero per *Schin* efferri [9]. Verum hoc esse poterat in exemplaribus S. Hieronymi, sed hodie utrumque nomen cum *Schin* in fine legitur. Aliud tamen haud spernendum deprehenditur discrimen, quod ipse non advertit, amicum scilicet David appellari *Chusi Arachitem*, vel de Arach, quæ urbs erat in tribu Benjamin; hunc vero vocari *Chus*, *filium Jemini*, vel de Benjamin tribu [10]; & illud initio scribi cum *Chet*, alterum vero cum *Caph* [11]. Denique nequaquam credibile est, David de amico suo loqui voluisse eo modo, quo isthic loquitur de Chusi; & licet errasset, primum existimans futurum, ut a Chusi proderetur, ac desereretur David profecto amico suo melius consuluisset; atque delesset monumentum, quod viro de se optime merito turpissimam ignominiæ notam adsperserat.

Rationes hæ cum iis, quæ in hoc Psalmo leguntur, plerosque Interpretes impulere [12], ut crederent, Psalmi titulum ad Saulem ipsum spectare, cujus nomen de industria David immutavit, vel observantiæ causa erga dignitatem, vel illius furorem veritus. Psalmi verba ad unguem illi congruunt; nonnullæ tantum adsunt locutiones, quæ duriusculæ videri possunt. Exempli gratia vers. 15. & 16. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem: lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit: Convertetur dolor ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet*. Verum ut Psalmistam tueantur, ajunt, hæc mera esse vaticinia calamitatum Saul, non autem adversus illum imprecationes.

Alii [13] hunc esse Semei censuerunt, satis insignem in Davidis historia, ob eas contumelias, quas in hunc Sanctum Regem Jerusolyma effugientem, evomit 2. Reg. 16. 15. Alii [14] hunc aliquem Saulis ducem fuisse nomine *Chus*, cui Davidem persequendi provincia fuerat demandata, vel unum ex illius calumniatoribus fuisse opinantur [15]. Plerique Psalmorum tituli, iique præsertim, qui ad aliquam Historiæ circumstantiam alludunt, adeo obscuri sunt, & sæpius cognitæ Historiæ, & nominibus, quæ in ea referuntur, adversantur adeo, ut de illis nulla suboriri suspicio non possit. Crederem a Librario aliquo additos fuisse, qui nec satis doctrina præstaret, neque accurata diligentia uteretur. Videri possunt hæc de re dicta in Præfatione

---

1 שגיון לדוד 70. Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ. 2 Ψαλμὸς ὑπὲρ ἀγνοίας, τῷ Δαυὶδ. Alius Ἀγνόημα τῷ Δαυὶδ. Aquil. apud Hieron. hic, *Pro ignoratione David, qui cecinit Domino, pro verbis Æthiopis*. Symm. *Pro ignoratione David quod cecinit Domino, pro verbis Chus, filii Jemini*, Theodor. Ἐκουσιασμῶν, *de peccatis voluntariis*. 3 Rabb. Manahen.

4 Abenezra. Ita Ferrand. Muis, Grot. Vatab. Hammond. &c. 5 Kimchi, Munster, Cocc. &c.

6 Midras Thillim. Rab. Sal. Ainsvert. 7 Jun. Tremel. Pisc. Gejer, Calak.

8 Ita Basil. Chrysost. Theodoret. August. Cassiodor. Euthym. Euseb. Athanas.

9 Chusi cum Samech, לוסי: Chusi cum Schia, קושי 10 Vide Josue 16. 1. 2.

11 2. Reg. 16. 16. חושי הארכי Psal. 12. 1. כוש בן ימיני 12 Ita Rabb. fere omnes, Chald: Muis, Geier. Mar. Cocc. Vatab. alii plerique. 13 Arnob. & alii nonnulli.

14 Abenezra, Grot. Bossuet. 15 Geier. Hammond. Rab. Obad. du Pin.

fatione: Mihi persuasum est, Psalmum hunc nequaquam referri ad Absalonis persecutionem; sed non abhorrer a fide, illum, qui Titulum Psalmo affixit, id credidisse; & equidem hoc primum in mentem occurrit cuicumque Psalmum legenti, quin singula ad examen vocet; quamobrem in eam sententiam omnes ferme veteres Patres concessere. Nos autem de David explicabimus; quem Saul persecutus est.

1. DOmine Deus meus, in te speravi: salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. 2 Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum
non est qui redimat, neque qui salvum faciat. 3 Domine Deus meus,
si feci istud, si est iniquitas in manibus meis: 4 Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. 5 Persequatur inimicus animam meam,
& comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat. 6 Exurge, Domine, in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.
7 Et exurge, Domine Deus meus, in præcepto, quod mandasti: & synagoga populorum circumdabit te. 8 Et propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos. 9 Judica me, Domine, secundum justitiam meam, & secundum innocentiam
meam super me. 10 Consumetur nequitia peccatorum, & diriges justum, scrutans
corda, & renes, Deus. 11 Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos
corde. 12 Deus judex justus, fortis, & patiens: numquid irascitur per singulos
dies? 13 Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, &
paravit illum. 14 Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.
15 Ecce parturiit injustitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem. 16 Lacum
aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit: 17 Convertetur dolor
ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet. 18 Confitebor Domino secundum justitiam ejus: & psallam nomini Domini altissimi.

℣. 1. DOMINE DEUS MEUS IN TE SPERAVI: SALVUM ME FAC &c.] In te dumtaxat, Domine, confido; non autem in virtute mea, armis, copiis, arcibusque. Ego solus sum, ac simplex privatus, sine bonis, sine oppidis, sine exercitibus, ac inimicum habeo Regem potentem, ira succensum, & in me Regnum universum excitantem. Ego errans, atque profugus sum, extorris a patria mea, coactusque de monte in montem, de rupe in rupem aufugere cum parvula sociorum manu, qui propter suam erga me benevolentiam me sectantur, scientes, mihi non aliam esse in ipsos auctoritatem, præter illam, quam ipsorum in me studia contulere. Itaque Domine salvum me fac. Tu unica es virtus, ac fortitudo mea. Si me deseris, innocentia mea succumbet, & licet juste operatus fuerim, vi opprimar. Adnotandum est hoc in Psalmo David modo loqui de hostibus suis, veluti magno in numero, & modo de uno dumtaxat, quem leoni comparat. Leo hic est Saul, uti visuri sumus.

℣. 2. NEQUANDO RAPIAT UT LEO ANIMAM MEAM, DUM NON EST, QUI REDIMAT, NEQUE QUI SALVUM FACIAT.] Saul acerrime, velut Leo, qui prædæ instat, me persequitur. Licet omnes exeram conatus, atque summa utar vigilantia, me tandem aliquando deprehendet, mihique necem inferet, nisi quam primum eduxeris me de hoc periculo, vel ejus sententiam immutans, vel potenti manu tua adversus illius persecutiones me protegens. Reges crebro Leonibus conferuntur in Bibliis. Prov. 19. 12. *Sicut fremitus Leonis, ita & ira regis*, ait Salomon; & Prov. 20. 2. *Sicut rugitus Leonis, ita & terror Regis*. S. Petrus Apostolus in 1. Epist. 1. 5. 8. Dæmonem famelico leoni, quod devoret, quærenti comparat. Patres hoc in loco ea, quæ ad litteram David de Saule asserit, in morali sensu de Dæmone interpretantur. Ecclesiasticus non semel confert excidium, quod peccatum in anima parit, leonis in prædam irruentis crudelitati [1]. Hebræus verti potest [2]: *ne rapiat animam meam, veluti Leo*, qui prædam aufert, *eamque discerpit, quin aliquis illam ex illius ore divellat*. Vel: *ne mihi adimat vitam, tamquam Leo, qui prædam rapit; ne eam dilaniet, quin aliquis me illius furori surripiat*. Verba hæc: *neque qui salvum faciat*, in explanationis formam accessere.

℣. 3. DOMINE DEUS MEUS SI FECI ISTUD &c.... (℣. 4.) SI REDDIDI RETRIBUENTIBUS MIHI MALA, DECIDAM MERITO AB INIMICIS MEIS INANIS.] Non deerant Sauli causæ, quas speciose prætexeret, ut Davidi bellum inferret. Eum perduellionis, defectionis, ambitionis nomine, ac velut regni appetentem, & Regi ipsi insidias struentem insimulabat [3]. David haud ita modicæ militum manui præerat, munitos natura locos obtinebat, eos velut in asylum, recipiebat qui & criminibus erant obstricti, ac ære alieno gravati. Querebatur Saul, quod omnes subditi sui, imo & filius ipse in se conjurassent, & cum filio Isai fœdus iniissent; Davidem veluti *fugitivum servum* existimabat [4]. Hæ in vulgus editæ Davidis criminationes, apud plerosque, hominem in suspicionem vocabant. David autem isthic Deum innocentiæ suæ testem vocat. Nosti, Domine, quomodo se res habeat; scis, utrum adversus Saulem conjuraverim, ab eo defecerim, militum horum imperium acceperim, consilio Rempublicam perturbandi, Regnique invadendi. Haud latet, quousque patientia mea, observantia, atque reverentia erga Saulem processerit. Non ne tu me elegisti, ut Rex populo tuo præessem? Nonne ob id unice Saulis in me internecinum odium exarsit? Ego vero, tantum abest, ut illi vitam, vel diadema eripere velim, ut non semel illum in manu mea tradideris, quin ne cogitarim quidem in ipsum manum inferre. Si illi malum pro malo retribui, & iis obnoxius sum sceleribus, quæ mihi obtruduntur, ne audias preces meas, Domine, spesque meas frustrare, ac me inimicorum meorum faucibus desere. Scio quidem me coram te, Domine, haud culpa vacare; quis enim gloriari potest, se justum esse in oculis tuis? sed erga Saulem me integerrimum, scelerisque purum esse profiteor.

Hebræus

1 Eccli. 21. 3. *Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum*. Et Eccli. 27. 11. *Leo venationi insidiatur semper, sic peccata operantibus iniquitates*. 2 פן יטרף כאריה נפשי פרק ואין מציל

3 1. Reg. 22. 1. 2. 7. 8. *Eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me insidiantem mihi usque hodie*. Et 24. 10: *Quare, Saul, audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te?*

4 Vide 1. Reg. 22. 8. & 25. 10. *Hodie increverunt servi qui fugiunt Dominos suos*.

Hebræus ad litteram [1]: *Domine Deus meus*, vel Judex meus, *an hoc fecerim; an iniquitas sit in manibus meis; an reddiderim malum amico meo*, illi, qui pacifice vivebat mecum, *an hostes meos abire passus fuerim manibus vacuis;* & benefactis, cum occasio aderat, eos non cumulaverim. Vel: *an reddiderim malum inferenti injuriam*, an ultionem ceperim propter illata mihi mala: E contra, *utrum eos eripuerim* [2], vitam servarim eorum, *qui me injuste persequebantur;* Tu scis, Deus meus. Quin Sauli malum pro malo retribuerem [3], illius vitam servavi, cohibui milites meos, ne illum occiderent, & ego ipse temperavi, quominus illum percuterem, cum se mihi pulcherrima obtulisset occasio. Verti quoque potest: Domine Deus meus, *si reddidi malum* pro bono *mecum in pace viventi*, nullum detrecto supplicium. At quinam id fecisse coarguat, *quandoquidem illum tutatus sum, qui sine causa me persequebatur.*

℣. 5. Persequebatur inimicus animam meam &c.] Persequitur Leonis allegoriam prædæ suæ inhiantis. Persequatur, comprehendat me Saul, prosternat, discerpat me, mihi vitam auferat, meque minutatim concidat, si eorum noxius sum delictorum, quæ mihi ingeruntur. *Conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat;* turpissimam inferat mihi necem [4], & nomini, gloriæque meæ æterna insidat hujus perfidiæ macula. Vel potius: anima, vita, gloria mea, ego ipse in pulverem redigamur, ac tumuli oblivione involvamur. *Gloria mea* hoc in loco idem est ac *anima mea* [5]. Vide quoque Hebraicum textum Psal. 29. 13. & 15. 9. ubi *gloria* pro *anima*, vita, ac persona usurpatur.

℣. 6. Exurge, Domine, in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum.] Quoniam, licet innocens, ac justus sim, non cessant tamen inimici mei, quin me persequantur, consurge Domine, ac deprome in illos ultionem tuam. Regio omnis testis sit justæ severitatis, quam exercebis in illos: *in finibus inimicorum*. Aliter: Exurge Domine, nimium diu patientia tua eos expectat, eorumque spectat injustitiam; tempus est, ut in illos acerrime animadvertas [6]. Exurge, ascende tribunal tuum, ac appare veluti Judex inter hostes suos, damna, plecte, cuique pro meritis retribue. Vel [7]: Exurge, ejaculare in illos fulmina, & sagittas tuas. Acer isthic in Davide spiritus deprehenditur; & arbitrari quis posset, quominus ipse furore correptus, ultionisque cupidus loquatur? verum clementiæ illius, atque summæ erga Saulem, quam semper testatus est, observantiæ magis consonum est credere, ipsum orare Deum, ut causæ suæ justitiam insigni adeo ratione ostendat, ut Saul, & qui Saulem in ipsum excitabant, tandem arma deponant; & ut verbo me expediam, ut malis suis, atque persecutionibus finem imponat ea ratione, quæ ejus justitiam, sapientiamque maxime deceat.

Hebræus [8]: *Exurge, Domine, in ira tua, exurge in indignatione inimicorum meorum.* Sume, Domine, in ira tua ultionem de indignatione inimicorum meorum. Reprime injustam impotentiam eorum, ne patiaris, in me furorem illorum erumpere. Vel: *Exurge, Domine, in furore tuo; exurge in ira, quam adversus inimicos meos concepisti.* Usquequo cunctaberis,

A quin insurgas in furentes, injustosque inimicos meos? Exurge, & videam te in eorum capita dominantem.

℣. 8. Et exurge, Domine, in præcepto, quod mandasti; & synagoga populorum circumdabit te.] Veni in adjutorium meum, Domine, exolve fidem eorum, quæ mihi pollicitus es, ac permitte, ut ea valeam adimplere mandata, quæ mihi tradidisti, præcipiens, ut populo tuo præessem [9]. Nemo unus ignorat, Davidem jam a Samuele Regem inunctum fuisse, atque hac de causa primum, ac præsertim Saulis odium in ipsum exarsisse. Aliter [10]: Exurge, Domine, ne deneges auxilium tuum innocenter oppresso, quemadmodum tu ipse Lege tua nobis imperas, ut illis opitulemur, ac præsidio simus, qui in gemitu, & squalore versantur. Vel [11]: Pro-B tege me, uti spopondisti. Adimple in me ea, quæ toties pollicitus es, te semper fore infirmorum præsidium. Hebraicus textus [12] optime in hunc sensum reddi potest: *Excita in gratiam meam judicium, quod præscripsisti.* Eas tandem sume pœnas, quas decrevisti; hostium meorum iniquitas ad cumulum usque pervasit; tempus est, Domine, ut exequaris ultionis decreta, quæ in ipsos protulisti; & tunc populi passim magnitudinem tuam agnoscent, tua jussa facessent, humillime tibi gratiarum actiones profitebuntur. Sententia hæc, quæ est Chaldæi Paraphrastis, mihi magis ad litteram videtur accedere.

℣. 8. Et propter hanc in altum regredere. Dominus judicat populos.] Videtur hic David Saulem in jus coram Domino vocare. Hæc est senten-C tia versiculorum 7. 8. 9. Domine, exurge in ira tua, tempus est, ut finis disceptationi huic imponatur, quæ tandiu inter me, ac Saulem obtinuit. Tribus omnes expectant, donec tu hanc litem dijudices. Revertere in templum tuum, *in altum*, in Tabernaculum tuum, in Tribunal Justitiæ tuæ, de partium jure discepta [13]. Tu jus hoc in mandatis tuis constituisti: *Exurge in præcepto, quod mandasti:* Vel cum Hebraico Textu: *in judicio, quod mandasti.* Mihi summum præjudicium tuum suffragatur in iis, quæ jam pro me per Prophetam tuum declarasti. Veni igitur, sede medius in hoc cœtu, qui decisionem tuam præstolatur; judica populos. Hebræus ad litteram [14]: *populi frequentia circumdat te; revertere ad illam in altum;* perinde ac judicem alloqueretur, qui de subselliis D injudicata lite decederet. Revertere in altum, tribunal tuum iterum conscende, & hoc certamen dirime. Populi sententiam tuam dumtaxat expectant.

Dominus judicat populos.] Septuaginta [15], & Græci Patres in futuro legunt: *Dominus judicabit* &c. Antiqua Psalteria quædam [16] per vocandi casum efferunt: *Domine judica populos.* Verba hæc, *& propter hanc in altum regredere*, Patres [17] de Ascensione, & Resurrectione Jesu Christi interpretantur. Ad Cœlum ascendit, unde novissimo die venturus est, populos judicaturus. *Dominus judicat populos.*

℣. 9. Judica me, Domine, secundum justitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.] Loquitur de innocentia, atque justitia sua respective dumtaxat; de justitia causæ suæ adver-E sus Saulem, non de justitia sua erga Deum [18]. Hebræus ad litteram [19]: *Judica me, Domine, secundum justitiam meam, & secundum perfectionem, quæ est in me;* vel

---

1 יהוה אלהי אם עשיתי זאת אם יש עול בכפי (4) אם גמלתי שלמי רע ואחלצה צוררי ריקם Septuaginta legerunt אחלצה מצוררי *aufugiam ex inimicis meis.* Ἀποφύγοιμι ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μου.
2 אחלצה Aq. Ἀνέρυσα, *eripui.* Hieron. *Dimisi hostes meos.* 3 Theodoret. Hieronym.
4 Theodoret. 5 Ita Kimchi, Abenezra, Muis, Mar. & alii. 6 Theodoret. Basil. & Chrysost.
7 Vide Muis hic. Geier, Ferrand. alii. 8 קומה יהוה באפך הנשא בעברות צוררי Complut. & Chrysost. 70. Ὑψώθητι ἐν τοῖς πέρασι τῶν ἐχθρῶν σου. *Exaltare in finibus inimicorum vestrorum.* בעברות צורריך. Alia Exemplaria legunt: Τῶν ἐχθρῶν μου, *inimicorum meorum.* Ita Edit. Rom. Arab. Æthiop. Theodoret. alii. Symmach. Ἐν χόλῳ, *in ira.* Th. Ἐν θυμῷ. Aquil. Ἐν ἀποτομῇ, *in celeritate.* 9 Kimchi, Muis, Mariana, Vat. Munst. 10 Theod. Chrysost. Geneb. Ferrand. 11 Geier. 12 עורה אלי משפט צוית.
13 Geneb. Bossuet. 14 ועדת לאמים תסובבך ועליה למרום שובה
15 Κύριος κρινεῖ λαούς. Ita PP. Græci. Edit. Complut. *Judicabit.* 16 Psalter. Rom. Carnot. Arab.
17 S. August. Theodoret. 18 Theodoret. Chrysost. Muis, alii.
19 שפטני יהוה כצדקי וכתמי עלי Symmach. Κατὰ τὴν ἁπλότητά μου τὴν ἐπ᾽ ἐμοί. *Secundum simplicitatem meam.* 70. Κατὰ τὴν ἀκακίαν μου ἐπ᾽ ἐμοί.

vel *secundum simplicitatem meam*, integritatem, puritatem, irreprehensibilem vivendi rationem.

℣. 10. CONSUMETUR NEQUITIA PECCATORUM, & DIRIGES JUSTUM &c.] Perfectissimam, Domine mi, confidentiam in tua justitia constituo; non enim patieris umquam justum semper in squalore versari, & peccatoris improbitatem semper lætari. Tu vero limites malis meis, atque hostium meorum persecutionibus statues. Aliter cum Septuaginta, pluribusque Latinis Editionibus [1]: *Perficiatur malitia impiorum*, ad apicem usque perveniat, *hoc minimum obtris Domine, quin justos ad beatum finem deducas*. Hebræus in ferme simili sensu potest intelligi. Quamvis ea omnia, quæ improbi contra justum conentur, illis e voto cesserint; eorum tamen successus ad tempus erunt dumtaxat; tueberis enim justum, eumque contra nefarios eorum conatus proteges. Vel potius: *Supplicium, quod impio destinas, primo quoque tempore contingat*, Deus meus, *& justum confirma*. Hic verus est hujus loci sensus; confer 1. Reg. 20. 7. *Scio, quia completa est malitia ejus*: Scito, ipsum decrevisse excidium meum; & 1. Reg. 25. 17. *Completa est malitia adversus virum tuum*. Statutus est viri tui interitus; & Esther 7. 7. Aman intellexit, a Rege malum suum esse completum, & decretum. Prædicit David Saulis quidem excidium, suam vero incolumitatem [2]. Vel Deum orat, ut hostium suorum nequitiam constringat, in eos immittens supplicia [3].

SCRUTANS CORDA, & RENES DEUS.] Deus non scrutatur quidem renes, & corda, perinde ac illa ignoraret; facile enim omnes illorum latebras detegit, omnia eorum consilia cognoscit [4]: Scriptura vero ait, Deum scrutari corda, ut innuat, nihil divinum obtutum effugere posse. Renes in Scripturæ stylo, affectus, animi ægritudines, ac motus significat. *Prope es tu ori eorum, & longe a renibus eorum*, Jeremias 12. 2. ajebat. Nomen tuum enuntiant, seque populum tuum dictitant: at procul es a cordibus eorum. Studia ipsorum alio vergunt.

℣. 11. JUSTUM ADJUTORIUM MEUM A DOMINO, QUI SALVOS FACIT RECTOS CORDE.] Potiori jure, tamquam ærumnis afflictatus, & justus Divinam opem exposco. Ipse protector est eorum, qui justitiam diligunt, atque in ipso spem suam constituunt. Nonne igitur merito illius præsidium expecto, & æquum est, ut illud mihi permittat [5]? Ipse, qui etiam lacessitus nos sua gratia cumulat, possetne opem suam denegare eam petenti, quin a recto justitiæ tramite deflectat? Nonne ipsius interest, opus suum perficere, atque absolvere [6]?

Græca, & Latina Exemplaria hoc in loco nequaquam sibi constant. Alia quippe [7] habent: *Scrutans corda, & renes Deus juste. Adjutorium meum a Domino*. Alia vero [8]: *Dominus justus rimatur renes, & corda. Ipse est clypeus meus*: vel protector meus. Hebræus commode in hunc sensum potest intelligi [9]: *Dominus justus scrutans corda, & renes. Clypeus meus est in Domine, qui salvos facit cor rectum habentes*. Neque aliter

A explicant Judæi. Hæc tamen varietas re ipsa parvi est momenti.

℣. 12. DEUS JUDEX JUSTUS, FORTIS, ET PATIENS, NUMQUID IRASCITUR PER SINGULOS DIES?] Si Deus ad iracundiam exardesceret, atque severe animadverteret, statim ac ab hominibus lacessitus est, nonne actum esset de nobis? Si Jupiter fulmina in homines, quoties peccant, ejacularetur, ajebat quidam, quamprimum ad solitudinem redigeretur, & mundus desertum fieret. Hebræus habet [10]: *Dominus est justus judex, & Deus, qui irascitur quotidie*; quod toto cœlo a Vulgata, & Septuaginta recedit [11]. David isthic hostibus suis Divinam iram intentat. Dominus apertis oculis flagitia vestra intuetur, ea judicat, vos autem thesaurizatis iram, quæ dato tempore erumpet. Deus quo-

B tidie irascitur, cum injustitiis vestris ad iram provocatis. Modo tacet, verum tempus erit, cum terribili ratione loquetur. Silentium perniciosissimum est iræ illius argumentum; tunc maxime a venia abhorret, cum magis scelerum nostrorum videtur oblitus. Alii reddunt [12]. *Comminans tota die*; sed supplicium differt, donec mensura scelerum completa fuerit, usque ad judicii sui diem [13]. Septuaginta, & Patres veteres sine interrogatione legunt. *Dominus est Judex justus, fortis, & patiens, non punis per singulos dies*, non irascitur &c.[14]

℣. 13. NISI CONVERSI FUERITIS, GLADIUM SUUM VIBRABIT &c.[15]] Dominus quodammodo gladium suum vagina conditum ad tempus tenet; expectat, ut ad se redeat peccator: sin autem de gladio ensem educit; antequam feriat, minitatur [16]. Sed cum misericordiam

C suam contemni cognoscit, tunc acerrime percutit. Sententia hæc optima quidem est, eamque plurimi tum veteres, cum recentiores Interpretes amplectuntur. Alii aliter cum Hebraico textu intelligunt [17]: *Si peccator non convertitur*, & e contra *gladium suum acuit, & tendit arcum suum, & præparat illum* (vers. 15.) *ecce concipis iniquitatem* [18]. Prior sensus magis simplex videtur. Syrus: Deus est justus Judex, qui non quotidie iram suam ostentat: sed ejus effectus cohibet, gladium suum acuit, arcumque tendit. Hebræus verti quoque potest: *Deus est justus Index, Deus, qui quotidie irascitur*. (vers. 13.) Si peccator *non convertetur*, Deus hic ultor *acuet gladium*, *& parabit arcum*; qui genuinus est sensus. Videtur David Saulis mortem vaticinari, qui confossus, vel saltem vulneratus fuit Phi-

D listhinorum sagittis, & qui proprio sibi gladio necem conscivit [19].

℣. 14. ET IN EO PARAVIT VASA MORTIS; SAGITTAS SUAS ARDENTIBUS EFFECIT.] Tetendit in arcu suo lethales, flammivomasque sagittas; nam Prisci aliquando id genus ignitis missilibus utebantur, quæ quocumque immittebantur, necem, ignemque inferebant. Herodotus lib. 8. ait, Persas, cum oppugnarent Athenas, contra civitatis vallum ejaculatos tela, quæ accensa stupa erant involuta. Romani hoc telorum genus *Falaricas* appellabant, quas in ligneas turres, quibus oppugnatores utebantur, contorquebant. Virgil. Æneid. 9.

Sed

---

1 Hebr. יגמר נא רע רשעים ותכונן צדיק 70. Συντελεσθήτω δὴ πονηρία ἁμαρτωλῶν, καὶ κατευθυνεῖς δίκαιον. August. & Psalter. Rom. Mediolan. Carnot. S. Germani. *Consumetur nequitia*. Symmach. Α᾽παρτισθήτω κακωσις τῶν ἀσεβῶν. *Perficiatur malitia impiorum* 2 Euthym. Genebr. 3 Chrysost. Theodor. Basil. Adnotandum est hæc scholia D. Basilio falso adscripta, S. Chrysostomi compendium esse.

4 Didym. in Catena Græc. Chrysost. 5 Chrysost. Theodoret. 6 August. hic.

7 Edit. Complut. Ε᾽τάζων καρδίας καὶ νεφροὺς ὁ Θεὸς δικαίως. Η᾽ βοήθειά μου παρὰ τοῦ Θεοῦ. Ita & Latina Edit. *Scrutans corda, & renes Deus juste. Adjutorium &c.* Ita decem Manuscripta, apud Ferrand.

8 Ο᾽ ἐτάζων καρδίας καὶ νεφροὺς ὁ Θεὸς δίκαιος. ὁ ὑπερασπιστής μου. Ita Euseb. Basil. & alii duo Interpp. apud Chrysost. 9 בחן לבות וכליות אלהים צדיק (11) מגני על אלהים מושיע ישרי לב

10 אלהים שפט צדיק ואל זעם בכל יום 11 Ο᾽ Θεὸς κριτὴς δίκαιος, καὶ ἰσχυρὸς, καὶ μακρόθυμος, καὶ μὴ ὀργὴν ἐπάγων καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν. Legerunt אל *al*, pro אל *el*: 12 Aquil. apud Chrysost. Ε᾽μβριμώμενος καθ᾽ ὅλην ἡμέραν. Alius: Α᾽πειλούμενος. Ita Hieronym. *Deus judex, justus, & fortis, comminans tota die*. Legit אל pro forti. *Deum* plerumque significat. 13 Vide Theodoretum, & S. Augustinum.

14 Vetera Psalteria Romæ, Carnuti, & S. Germani a Pratis legunt, *Irascetur* in futuro.

15 70. Τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ στιλβώσει. S. Aug. *Rompheam suam splendificabit*. Sym. Τὴν μάχαιραν αὐτοῦ ἀκονήσει. *Gladium suum acuet*. 16 Theodoret. Chrysost. Athanas.

17 אם לא ישוב חרבו ילטוש קשתו דרך ויכוננה (14) הנה יחבל און 18 Vide Vatab. Gejer. Castal. Glass. alios. 19 1. Reg. 31. 3. *Consecuti sunt eum viri sagittarii, & vulneratus est vehementer a sagittariis* .... *arripuit itaque gladium, & irruit super eum*.

Sed magnum stridens contorta Falarica venit
Fulminis acta modo.

Philo lib. 3. de Vita Mos. loquitur quoque de accensis missilibus, quæ in civitates injiciebantur: ad quæ S. Paulus alludit de Dæmone loquens ad Ephes. 6. 16. *ut possitis tela nequissimi ignea extinguere*. At de his sodibit sermo in ea Psalmi 119. verba; *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis*. Hebræus ita reddi posset [1]. *Tetendit arcum suum, & paravit illum; elegit sibi arma mortifera, & ignita fecit jacula sua*. Ea in igne posuit, donec rubescerent, fortissima elegit, acutissima, majoremque perniciem inferentia. In Scriptura [2] arma, ac tela Domini, sunt fulmina, & fulgura. Psalmista igitur innuit, Dominum jam jam in proximo esse, ut in impios sua fulmina jaculetur. Profani nonnumquam locutionem hanc imitati sunt, Jovis sui fulmina vocantes *jacula, ignitaque tela* [3].

Hæc autem loquendi ratio: *Sagittas suas ardentibus effecit*, Hebraismum sapit. Dicunt Hebræi: *Facere in animam viventem: fieri in Satban, fieri in laqueum, facere in sagittas ardentes*, ut innuant viventem reddere, inflammare, occasionem esse lapsus, & scandali. Latina quædam antiqua exemplaria habent [4]: *sagittae suae ardentes operatae est*. Symmachus [5]; *fecit sagittas suas ad comburendum*. Qui Vulgatæ versionis litteræ adhærent, referunt eam vocem *ardentibus* ad inimicos David. Deus præparavit sagittas suas in eos, qui me acerrime persequuntur, in ardentes persecutores meos [6].

ỳ. 15. ECCE PARTURIIT INJUSTITIAM, CONCEPIT DOLOREM, ET PEPERIT INIQUITATEM.] Inimicus meus est veluti parturiens; fœtus vero, quem est editurus, est iniquitas. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*. Saul *concepit dolorem* propter invidiam, quæ illum torquet, propterea quod Dominus elegit me, & populus me benevolentia prosequitur. *Parturiit* quodammodo, *ut pareret injustitiam*, cum nihil intentatum relinqueret, ut perderet me. Denique, *peperit mendacium*, me, injustas prætexens causas, persecutus. Tunc cordis ejus improbitas, quæ hactenus delituerat, erupit, atque se omnibus hominibus pro-

A didit. Hebræus verti potest [7]: *Parturit; ut pariat iniquitatem; concepit dolorem, pariet mendacium* [8], vel vanitatem, nihilum. Scriptura sæpe hanc ipsam loquendi rationem usurpat [9], quæ apud Hebræos in adagium veluti abierat, ut dicerent, improbos justas nequitiæ suæ pœnas pati, vel conatus omnes in irritum abituros, ac nemini, sed sibimet dumtaxat obfuturos. Concepit iniquitatem; conatus exerit, ut pariat; verum quid pariet? mendacium, nihilum.

ỳ. 16. LACUM APERUIT, & EFFODIT EUM, & INCIDIT IN FOVEAM, QUAM FECIT.] Hæc quoque locutio adagium redolet [10]. Impius decidit in foveam, quam effodit. Alludit ad vetus stratagema, quo in venatibus, aut bellis utebantur, effodiendi scilicet foveas, quas mox ramis, ac humo pauca ingesta te-

B gebant; ut feræ, vel homines ibi prolaberentur. Saul per summum nefas persecutus est me, undequaque mihi insidias tetendit. Verum Deus, qui ex illius dolis me eripuit, permittet, ut inimicus meus laqueis suis capiatur, & postquam necquicquam adlaboraverit, ut manus suas meo sanguine imbueret, se suis armis confodiat, neque alium præter se habeat interemptorem. Hoc equidem contigit Sauli in funesto Gelboe prælio 1. Reg. ult. vers.

ỳ. 17. CONVERTETUR DOLOR EJUS IN CAPUT EJUS.] Veluti sagitta, quæ in aerem emissa in sagittarii caput relabitur. Hebraicus textus ita reddi potest [11]: *Labor illius*, conatus, pœna, quam mihi inferre studet, *in caput ejus revertetur*. Semper Saulis prædicit calamitatem.

C ỳ. 18. CONFITEBOR DOMINO SECUNDUM JUSTITIAM EJUS.] Celebrabo justitiam ejus, cujus toties effecta expertus sum; vel *laudabo Dominum secundum justitiam ejus*. Laudabo illum pro magnitudine justitiæ, quam pro me adversus meum inimicum exercuit. Laudabo illum non propter illatam necem hostibus meis, sed propter justitiam [12], quam contra nefarios exercet. *Vere Domine justus es*, ait S. Augustinus, *quando & justos sic protegis, ut per teipsum eos illumines, & peccatores sic ordinas, ut non tua, sed sua malitia puniantur*.

1 קשתו דרך ויכוננו ולו הכין כלי מות חציו לדלקים יפעל 2 Vide Psal. 17. 9. 13. 15. Psal. 65. 4. & Psal. 76. 18. & passim. 3 Homer. Διὸς βέλος, vel φολόεν βέλος. Ovid. *Hei mihi quam celeri micuerunt nubila flamma*. 4 Quidam Libri apud August. hic. Psalter. Carnot.
5 Sym. Εἰς τὸ καίειν. 6 Chald. Geneb. Muis. Jun. Pisc. Vide Genes. 31. 36. *Quam ob culpam meam exarsisti post me?* Virgil. *Ardet in arma magis*. 7 הנה יחבל און והרה עמל וילד שקר
8 70. Ἔτεκεν ἀνομίαν. Aq. ψεῦδος. 9 Vide adnotata in Michæam 2. 1. Isai. 59. 4. Job. 4. 8. & 15. 35. 10 Vide Prov. 26. 27. Eccle. 10. 8. 11 ישוב עמל בראשו 12 Chrysost. hic.

PSALMUS VIII.

Opera mirabilia Dei. Infinita ejus in nos clementia, & misericordia. Creatæ res omnes homini subjectæ.

In finem pro Torcularibus, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Apud Interpretes nonnisi conjecturas, easque plerumque infirmissimas, incertissimasque repereris, quoad hanc vocem *pro Torcularibus*. Putant, hoc vindemiæ canticum esse [1], quod præcipue in Tabernaculorum festivitate canebatur, post messem, atque vindemiam, ut Deo pro Mundi creatione, quæ tunc temporis contigit, gratiæ agerentur. Patres [2] in spirituali sensu explicuere de Jesu Christi Ecclesia, quæ Mystica est vinea, in qua positum est hoc torcular, juxta Salvatoris ejusdem descriptionem [3].

Judæi longe alia nobis venditant de voce *Gittith*, quæ in authographo invenitur. Oportet autem, Septuaginta, & qui reddunt pro Torcularibus, legisse *Gittoth* non *Gittith* [4]. Novissima vox hæc fluit a nomine urbis *Geth*, ac proprie *Gethæum* significat. Hoc autem posito plurimæ, eæque diversæ hypotheses exti-

1 Ita Rabb. quid. Grot. Boss. 2 Ita Athanas. Euseb. Didym. Theodoret. Hesych. Nicephor. August. Hieron. 3 Matth. 21. 33. *Fodit in ea torcular*. 4 למנצח על הגתית 70. ὑπὲρ τῶν ληνῶν. Legerunt גתות

titere. Alii censent, hoc esse victoriæ canticum a Davide compositum devicto gigante Goliath, qui Gethæus erat; vel Principem hunc illud cecinisse, cum in Geth apud Achis Regem motaretur; vel eum fuisse elucubratum, cum Arca in domum Obededom Gethæi fuit translata. Demum satis est, aliquo in loco vocem Geth inveniri, ut statim ad illum Psalmi hujus referendi libido suboriatur. Rabbini quidam putarunt, *Gittith* esse nomen musici instrumenti, vel moduli, ad quem Psalmus hic canebatur.

Verum cum in eo res posita sit, ut conjecturæ afferantur, num dici posset, Canticum hoc inscriptum fuisse *Musices moderatori, qui præerat choro, in quo aderant Psaltriæ Gethææ*. Filiæ Geth cantu suo erant insignes [1]. Davidis in aula Gethæi plurimi versabantur. Jampridem civitatem Geth ceperat [2]. Cum, insequente Absalone, David aufugit, sexcenti strenui de Geth, qui Regis merebant stipendia, ipsum secuti sunt [3]. Poterant quoque adesse chori psallentium virginum ex eadem civitate. Invictissimis ostendimus argumentis, adfuisse cantantium puellarum choros in Templo, ac in ædibus Regis. Vide generalem Præfationem in Psalmos. Tres e Psalterio Psalmi eumdem præseferunt titulum, *Præsidi classi Gethææ*; psalmus videlicet hic, 80. & 83. cum hoc tamen discrimine, quod primus Davidis est, alter Asaph, tertius filiorum Chore. Sunt [4], qui putent, hunc noctu fuisse conscriptum; hic enim nulla solis mentio fit, sed Luna tantum, ac stellæ memorantur.

Patres Psalmum hunc de Jesu Christi persona explicuere, neque amplius integrum est, hoc non fateri, cum ille ipse hunc sibi applicuerit, cum Jerusalem triumphans ingressus est [5]. S. Paulus Apostolus 1. Cor. 3. 26. supremum Filii Dei in omnia dominium per hæc ostendit verba vers. 7. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*: & in Epistola ad Hebræos [6], qui in Incarnatione, & Morte sua infra angelos se se exinanivit, in Resurrectione, atque gloriosa Ascensione sua supra creata quælibet evectum, & gloria, ac honore fuisse coronatum. Denique Rabbini ipsi fatentur, Psalmum hunc ad Messiam referri [7]. In Commentariis autem eum prius de naturalibus hominis prærogativis, mox vero de Salvatoris persona explicabimus.

1. DOmine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa ter-
ra. 2 Quoniam elevata est magnificentia tua super Cœlos. 3 Ex ore in-
fantium, & lactentium, perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimi-
cum, & ultorem. 4 Quoniam videbo Cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lu-
nam, & stellas, quæ tu fundasti; 5 Quid est homo, quod memor es ejus; aut
filius hominis, quoniam visitas eum? 6 Minuisti eum paulo minus ab Angelis:
gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.
7 Omnia subjecisti sub pedibus ejus; oves, & boves universas, insuper & pecora
campi: 8 Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. 9 Do-
mine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

℣. 1. DOMINE, DOMINUS NOSTER, QUAM ADMIRABILE EST NOMEN TUUM IN UNIVERSA TERRA!] Prior vox, quæ reddita est, *Domine*, Hebraice est *Jehovah* [8], vel *Jaho*, nomen illud incommunicabile, & ineffabile, quod Hebræi reverentiæ ergo proferre non audent [9]. Secunda est *Adonai*, quæ vulgo a Judæis usurpatur, quam etiam hominibus nonnumquam heris, & illustribus viris tribuunt. Hebraicus textus verti quoque potest: *Domine Deus noster, quam magnificum*, gloriosum, illustre, *est nomen tuum, in universa terra?* Incarnatio, nativitas, humilis vita, obscura, doloribus afflictata Jesu Christi, quam gloriosa est hodie in universa terra [10]! Qua reverentia, atque observantia, doctrina, ac nomen illius excipiuntur! Hoc maximum est opus potentiæ, sapientiæ, ac benevolentiæ Dei, ut Deus adeo exinanitus sit, natura humana ad sublimem dignitatis apicem evecta, Christiana Religio egregie adeo constituta.

℣. 2. QUONIAM ELEVATA EST MAGNIFICENTIA TUA SUPER COELOS.] Magnus es Domine, & magnitudo tua cœlos exsuperat. Nihil par est, aut secundum, infinitæ magnitudini tuæ. Cum Hebræi exaggerare volebant, dicebant exempli gratia: Magnificentia, misericordia, majestas tua est cœlis ipsis sublimior. *Domine in cœlo misericordia tua* Psal. 35. 6. *Usque ad Cælos gloria tua* Psal. 56. 2. *In Cœlo præparabitur veritas tua* Psal. 88. *Magna est super cœlos misericor-*
A *dia tua, & usque ad nubes veritas tua*. Psal. 107. 5. Hebraicus textus verti potest [11]: *Posuisti gloriam tuam in Cœlo*. In immanibus illis corporibus, fulgentibusque syderibus, magnitudo, ac magnificentia tua præsertim effulgent, quod ipsum præ cæteris magis in hoc Psalmo David commendat. Nihil sublimiorem adstruere nobis Creatoris speciem, & majorem hominibus reverentiam, atque terrorem immittere potest, quam operum tantorum, & adeo perfectorum intuitus. Resurrectio, & Ascensio Jesu Christi sunt veluti sigillum gloriæ suæ, perfectio missionis suæ, & posttema præcedentium omnium miraculorum probatio.

℣. 3. EX ORE INFANTIUM, & LACTENTIUM PERFECISTI LAUDEM PROPTER INIMICOS TUOS, UT DE-
B STRUAS INIMICUM, & ULTOREM.] Si Athei, impii, qui Providentiam negant, minime fatentur magnitudinem tuam ad tantorum objectorum obtutum, lactentes adhue pueri os aperiunt, ut illos erudiant. Naturalis impressio, quam isthæc in hominum mentibus gignunt, adeo valida, invictaque est; magnitudo, decor, miracula harum rerum tanta sunt, ac adeo efficacia, ut, nisi homines laudibus ea celebrarent, pueri ipsi vocem extollerent, eadem annuntiaturi. Vel simplicius: Posuisti laudem tuam in ore infantium, simplicium, ignorantium, ut confunderes impios, & eos, qui inanis scientiæ, ac variæ eruditionis laude gloriantur.

Scriptura ea ratione loquitur, quæ nos ad credendum

1 2. Reg. 1. 20. *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in Ascalon, ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ Incircumcisorum.* 2 2. Reg. 8. 1. & 1. Par. 18. 1.
3 2. Reg. 15. 18. 4 Rabb. quid. Est. Muis. 5 Matth. 21. 16. *Utique numquam legistis: quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.* 6 Hebr. 2. 8. 9. collat. Psal. 8. 8. 9. &c.
7 Vide Lib. Caphtor, & Midrasch Coheleth c. 1. vers. 9. Ferrand. & Grot. hic.
8 יהוה אדנינו מה אדיר שמך בכל הארץ 9 Vide, si lubet, Philon. l. 3. de Vita Mosis. Talmud. tract. Kiddaschim, c. 4. Tract. Joma, c. 6. Tract. Tamid. c. ult. Hieron. hic. Quod proprie Dei vocabulum sonat, & legi potest Jaho. Et Hebræi ἄῤῥητον, id est, ineffabile, opinantur. 10 Hieron. Chrysost. Athanas. Euseb. 11 אשר תנה הודך על השמים Quid. apud Chrysost. Ὃς ἔταξας τὸν ἔπαινόν σου, &c.

flendum inducit, Deum libenter lactentium puerorum preces audire. In Michæa cap. 2. 9. de illorum duritie conqueritur, qui uxores suas repudiabant, & qui *a parvulis earum laudem* suam auferebant, filios una cum matribus eorum abdicantes. Joel cap. 2. 16. jubet in Templum adduci, & coram altare prosterni, etiam adhuc lactentes pueros, ad iram Domini flectendam. Cum Holofernes in Judæam venit, Hebræi aram cilicio induerunt, & parvulos suos præ Templi foribus prostraverunt Judith 4. 9. Psalmista Psal. 112. 1. parvulos pueros ad laudes Domino recinendas invitat. Jesus Christus hunc locum citat, cum [1] Hebræorum filii laudes sibi in triumphi speciem Jerusalem ingredienti cecinere.

Alii ex ipso puerorum statu educunt has Dominum laudandi rationes. In homine a teneris usque unguiculis jugiter gratia tua, atque potentia refulget. In infantibus rationis emicant scintillæ, quas animæ illorum inseruisti. Ipsis mirabile insitum est studium, ac perennis attentio ad ea omnia, quæ circa ipsos accidunt perquirenda. Summum in ipsis deprehenditur ingenium, omnia imitantibus, omnia discentibus. Quonam stupore cernitur tenello illo corpusculo extricari mens illa, ac nascens ratio, quæ ætatis beneficio perficitur? Hæc omnia, Domine, nos ad te revocant, & vel infensissimos hostes tuos cogunt, ut sapientiam, ac infinitam Providentiam tuam fateantur.

Nonnulli [2] præcipue in infantibus admirantur promptitudinem, ac facilitatem, qua vix nati matris pupillas exsugunt. Id enim celerius, ac facilius ediscunt, ut nulla ipsis videatur esse difficultas ad habitum hunc contrahendum. Attamen id non adeo facile factu est. Omnes celerrime hanc amittunt consuetudinem, & nemo est, qui cum aliquandiu usum hunc intermiserit, eumdem rursus postea recipiat, eadem facilitate, qua recens natus, & qui numquam id fecerit filius edisceit. Quamobrem Hippocrati [3], aliisque haud sequioris notæ Medicis, persuasum fuit, pueros jam ab utero matris suæ sugendo assuevisse; nam alioquin minime potuissent, repente, & sine cunctatione, celeriter adeo lac ex ubere admoto haurire. Hæc dicitur esse isthic causa admirationis David, qui putat, hoc vel unum Creatoris Sapientiam, ac Potentiam ostendere. Et equidem nimis rudi, ac obtusa esse, necesse est, mente, qui credat, hæc omnia fortuito posse contingere, quin Sapientiæ Creatoris opus intersit.

Hebræus [4]: *Fundasti vim per os infantium, & lactentium propter inimicos tuos, ut cessares hostis, & ultor.* Confudisti inimicos tuos vi rationum ex ore lactentium prodeuntium. Puerorum os aperuisti, ut inimicorum tuorum impotentiam confringeres. Reor, hanc loquendi rationem figuratam esse, non secus ac illam Libri Sapientiæ cap. 10. 21. quæ ait post miraculosum rubri maris transitum, justos decantasse nomen sanctum Domini, & victricem manum ejus: *quoniam Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.* Ita hoc in loco Propheta innuere vult, Deum fecisse, ut infantes, videlicet Prophetæ [5], simplices homines, atque apud hujus Mundi viros, rudes loquerentur, ut Sapientes Ægyptios, ac Babylonios confunderent, & omnem vanam Religionem, ac Mundi Sapientiam everterent. Hoc equidem ante ipsum Jesum Christum, & magis adhuc perspicue post ipsius Resurrectionem apparuit in Apostolis [6], rudibus, illiteratis, nulla præditis eloquentia; atque ut omnia verbo

A complectar, magis simplicibus; magisque mutis, quam pueri lactentes. Illi Dæmonis, ac Idololatriæ subverterunt imperium, quod sapientiæ, eloquentiæ, potestati, vi, ingenio, scientiæ dæmonis, & mundi innitebatur. S. Augustinus hic Dei admiratur sapientiam, quæ divinas Scripturas suas ad simplicium virorum, & quodammodo infantium ipsorum captum accommodavit. *Inclinavit Scripturas Deus usque ad infantium, & lactentium capacitatem.*

Complura Latina Exemplaria olim legebant [7]: *Ut destruas inimicum, & defensorem*, pro *ultorem*. Re quidem vera in corruptæ latinitatis stylo, ubi *defensor* pro *ultore* passim usurpabatur, nihil interest. Immo contendunt, apud ipsos notæ melioris Interpretes *defendere* nonnumquam *ulcisci* significare [8]. Græcæ veteres
B Editiones non longe ab hac abludunt sententia [9]. Patres, *ultoris*, & hostis nomine intelligunt dæmones, & Hæreticos [10], vel ut S. Johannes Chrysostomus mavult, populum Judaicum.

℣. 4. QUONIAM VIDEBO COELOS TUOS OPERA DIGITORUM TUORUM &c.] Septuaginta, & veteres nonnulli MSS. simpliciter legunt: *Quando videbo Cælos*, non autem *Cælos tuos* [11]: at Hebræus habet *Cælos tuos*. Captus sum admiratione considerans magnitudinem, splendorem, decorem Cœlorum tuorum. Verum, Domine, quin ex me ipso egrediar, aliquid mirabilius intueor, cum animadverto, te haud dedignari, oculos tuos in humilem hominem, qualis ego sum, conjicere, & per summam dignitatem me tua prosequi benevolentia. Quo magis perpendo, quantum inter te,
C ac me discrimen intersit, eo magis pudore suffundor, magisque tuam clementiam admiror. Abenezra decem Cœlos esse pro digitorum numero docet: *Opera digitorum tuorum*. Animadversio auctore suo profecto digna. Alii [12] dicunt Dominum quodammodo lusisse, Cœlos, & Sydera perficientem. Hæc sunt opera dumtaxat digitorum ejus. At Incarnatio, salus hominis, opus est brachii illius, atque omnipotentiæ ejus.

℣. 5. QUID EST HOMO, QUOD MEMOR ES EJUS, AUT FILIUS HOMINIS, QUONIAM VISITAS EUM?] Quis est homo, ut ad illum animum advertas, cum beneficiis cumules, cum tua memoria digneris? *Filius hominis* eo modo, quo in Textu scribitur [13], significat hominem e Vulgo, filium *Adam*, ad distinctionem *filii hominis*, aliqua dignitate, atque amplitudine
D spectabilis [14]. Homo quidem parvus est adeo, ut intelligi minime queat, quomodo potuerit Deus ad illum usque se se demittere; cumque universa Judaicæ primum, & mox Christianæ Religionis œconomia ad examen vocatur, & ea perpenduntur, quæ Deus a temporum primordio ad hanc usque diem pro hominibus operatus est, mens veluti submergitur, ac in eas voces erumpit: Fieri ne potuit, ut pro vili adeo, corrupta, infirma, ingrataque creatura, fecerit Deus, quæ fecit? Ipse carnem hanc induerit, passus fuerit, mortem subierit, inter homines omnibus nostris, citra peccatum, infirmitatibus fuerit circumdatus? Hoc enim præcipue ante Prophetæ oculos obversabatur [15]. Verum si infinitæ hæ Dei erga hominem misericordiæ nefariis, impiisque viris scandalum ingerunt, &
E licet hi hominem quidem deprimentes, Deum vero extollentes abrumpere student vinculum hoc, & commercium amoris Deum inter, ac hominem; animæ tamen cœlesti lumine, ac Spiritu Sancto afflatæ majoris semper observantiæ, grati animi, & amoris sensu exardescent erga Deum adeo misericordia, & clementia refer-

1 Matth. 21. 15. Vide S. Chrysostomum in hunc locum, & Tertull. de Anima.
2 Vide Ferrand. in argum. hujus Psal. 3 Hippocrat. lib. de Carnib. sect. 3.
4 מפי עוללים ויונקים יסדת עז למען צורריך להשבית אויב ומתנקם Aquil. & 6. Edit. Ἐθεμελίωσας κράτος.
5 Hieron. hic. 6 Theodoret. & alii plures. Muis. 7 Ita quædam Exemplaria, apud Aug. & Psalter. Rom. Mediol. Carnut. S. Germani. 8 Vide dicta in Judith 1. 12. 9 70. Καταλῦσαι ἐχθρὸν καὶ ἐκδικητήν. 6. Edit. Ὥστε παῦσαι ἐχθρὸν καὶ τιμωροῦντα ἑαυτῷ. 10 Hieronym. Theodoret. August. Euseb. 11 70. Ὅτι ὄψομαι τοὺς οὐρανούς, ἔργα τῶν δακτύλων σου. Ita & 6. Edit. & Manuscripta decem S. Augustini, & Psalter. Rom. Mediol. Carnot. S. Germ. & Editio Complut. Illud *tuos*, de editione Theodotionis, in 70. Interp. additum sub Asterisco. Hieronym. ad Suniam, & Fretel. Hebr. שמיך *Cælos tuos*.
12 Euseb. in hunc locum. 13 מה אנוש כי תזכרנו ובן אדם כי תפקדנו
14 בן איש *Filius viri*. Vide Psal. 4. 3. 15 Hieron.

refertum. Vetus quidam Græcus Interpres apud sanctum Chrysostomum [1]: *Quid est in homine, ut reminiscaris illius?* Philosophi satis perspicue exteriores hominis agnovere infirmitates, at intima illius mala, quæ longe majora sunt, non cognovere. Vide Senec. de Consolat. ad. Marcell. c. 11.

℣. 6. MINUISTI EUM PAULO MINUS AB ANGELIS; GLORIA, & HONORE CORONASTI EUM &c.] Angeli sunt veluti primitiæ creaturarum Dei, post illos, homines; neque post angelos ullam homine nobiliorem novimus creaturam. Sydera, Elementa, animantia maxime hominis dignitate decedunt [2]. Angelus, & homo ad eumdem finem creati sunt; eumdem Creatorem habent, idem adorationis objectum; verum angelus incorporea substantia est, perfectior, purior, subtilior, & homine perspicacior. Hoc inter ipsos discrimen adest. Patres quidam [3] credunt, David isthic considerare hominem ante ipsius peccatum, atque in statu innocentiæ, in quo quodammodo angelo similis erat; quam similitudinem propter peccatum amisit, quo mortalis factus est, antea immortalis. At S. Paulus ad Hebr. 2. 6. 7. docet, locum hunc præcipue ad Jesum Christum referri, qui eum per Incarnationem angelis minor factus fuisset, promeruit gloria in Resurrectione sua coronari, atque super angelos, omniaque creata constitui per ascensionem suam ad Patris gloriam ingressus: *Eum autem, qui modico, quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter Passionem mortis, gloria, & honore coronatum.*

Hebræus duplicem sensum potest admittere [4]: *Minuisti eum paulo minus a Deo*, vel: *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Æquivocum nominis *Elohim* hanc parit varietatem. S. Hieronymus, Theodotion, quinta Editio in Hexaplis Origenis, & recentiores quidam Interpretes [5] priorem amplectuntur versionem. Posuisti hominem super terram, veluti parvulum Deum; eum quodammodo æquasti Deo per eam potestatem, quam illi super creatas res tribuisti. Septuaginta, Patrum plerique, Rabbini quidam [6], & nonnulli recentiores Interpretes [7] eam versionem præferunt, in qua de angelis explicatur: Neque aliter intellexit S. Paulus ad Hebr. 2. 7. ubi hunc locum citat, eumque ad Jesum Christum transfert.

GLORIA, & HONORE CORONASTI EUM, & CONSTITUISTI EUM SUPER OPERA MANUUM TUARUM.] Homo in creatione sua gloria, & honore coronatus est, quandoquidem ad Creatoris sui imaginem, & similitudinem factus [8], & ab eodem animantium omnium Dominus constitutus [9]: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Homo nonnumquam *gloria sua* nuncupatur, uti superius vidimus [10]. Deus coronavit hominem gloria, & honore, illi animam rationalem, justitiam originalem, ac immortalitatem tribuens. At hæc omnia longe perfectius in JESU CHRISTI persona adimplentur, qui honore, & gloria in Cœlo coronatus fuit, in humiliationum suarum, ac mortis præmium [11]; & qui absoluta auctoritate præcepit morti, elementis, & morbis; qui denique in Cœlum elatus fuit super omnia [12], super Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, & quidquid in hoc, alteroque sæculo magnum est. Demum ipse ait, omnem sibi datam fuisse in Cœlo, ac in terra potestatem: Matth. 28. 18.

℣. 7. OMNIA SUBJECISTI SUB PEDIBUS EJUS, OVES, & BOVES UNIVERSAS.] Hoc satis patet, si de homine in ipsius creatione intellexeris. Deus illi absolutam contulit potestatem in omnia animantia, in eorum corpora, & vitam; sed in spirituali sensu de potestate explicatur, quam JESUS CHRISTUS in varias hominum species exercet, quæ horum animantium nomine designantur. *Oves, & boves*, illos e Judæis significant, qui in Dominum crediderc. Feræ, & *pecora campi* significant Ethnicos, qui ad fidem conversi sunt. *Volucres cæli* superbos denotant, *pisces* vero flagitiosos homines, inconstantes, & affectibus, & voluptati deditos [13]. S. Hieronymus hic *boum* nomine animas sanctas saluti suæ invigilantes intelligit. *Pecora campi* eorum symbolum sunt, quorum anima terræ magis obnoxia est, atque humillima. *Aves* superbi sunt, qui in Deum insurgunt. *Pisces* illi, qui nimia cura hæc terrena scrutantur, neque oculos umquam ad Cœlum extollunt. S. Augustinus eodem ferme pacto explicat. Hesychius pro *avibus* sublimia ingenia, quæ Theologiæ arcanis evolvendis insudant; pro *piscibus*, homines hujus mundi, negotiorum fluctibus agitatos; pro *ovibus*, innocentes; pro *bovibus* præceptorum fideli observantiæ tenaciter adhærentes; pro *pecoribus campi* peccatores intelligit.

---

1 Τί ὁ κατ' εἰκόνα, ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ. 2 Vide S. Chrysostomum.
3 Theodoret. Vide & Chrysost. 4 ותחסרהו מעט מאלהים Aq. Sym. Th. 5. Edit. βραχύ τι παρὰ Θεόν. 6. Edit. ὀλίγον παρὰ Θεοῖς. al. βραχύ τι Θεοῦ. 5 Vatab. Cocc. Castal. Faber, Stapul.
6 Abenezra, R. Salom. Kimchi, Chald. 7 Pagn. Mont. Jun. Pisc. Muis.
8 Genes. 1. 26. 27. Vide S. Chrysostomum, S. Athanasium, & Eusebium Cæsar.
9 Genes. 1. 26. & 9. 2. 10 Psalm. 7. 5. *Gloriam meam in pulverem deducat.* 11 Vide Hebr. 2. 9. 1. Cor. 15. 27. 12 Ephes. 1. 19. & seq. 13 Ita Athanas.

PSALMUS IX.

Psalmus gratiarum actionis pro Dei benefactis erga Israel generatim, speciatim erga David. In altera Psalmi parte Auctor describit, conatus, dolos, nequitiam improborum, & pauperis patientiam. Dominum rogat, ut afflictum exaudiat, & se in illius misericordia confidere testatur.

In Finem pro occultis Filii, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Patres, qui adhæserunt litterali hujus Psalmi titulo, eum de Mysteriis Filii Dei explicuerunt. Alii quidem de illius Incarnatione [1]; Mysterio transactis sæculis, ac generationibus abscondito [2], & quod in sæculorum fine

1 Euseb. Athanas. August. 2 Coloss. 1. 26. *Mysterium, quod absconditum fuit a sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus.*

fine nobis manifestatum fuit [1]; vel de Mysterio Crucis, & Passionis JESU CHRISTI, ipsis etiam Discipulis usque ad Salvatoris Resurrectionem [2] ignoto; quod *Judæis quidem scandalum* fuit, *Gentibus autem stultitia* 1. Cor. 1. 23. Vel denique de postremo Judicio, quod densissimis tenebris involutum nobis Deus relinquere voluit [3]. *Filius*, de quo hic sermo, uti antiqui Patres autumant, est JESUS CHRISTUS, cujus de morte, ac Dæmone, victoria hic celebratur. Chaldæus, Symmachus, & S. Hieronymus, Hebræum titulum reddidere [4]: *Psalmus in mortem Filii*; quod intelligitur etiam de morte JESU CHRISTI, vel Absalonis. Sed Psalmi textus nullo pacto adolescenti huic Principi convenit; & licet felici satis successu, Salvatoris morti queat applicari, satis intelligetur ob Prophetæ animum obversatum fuisse reale aliquod factum, ac tempori suo præsens, ad quod Canticum in litterali, & historico sensu refertur. Ast quodnam factum est isthoc? id sane, non nisi Andabatarum more, asserri potest. Nec desunt Interpretes, qui a Davidis sæculo recedant, idque ad Ezechiam [5], & alii ad Babylonis captivitatem referant [6].

Nonnulli longe alia in hoc titulo mysteria scrutati sunt. Simul autem conjunxerunt duas voces [7], quas Septuaginta, Chaldæus, S. Hieronymus, & Symmachus seorsim acceperant: & pro, *in mortem filii*, reddidere: *ad Moderatorem musices Virginum pro filio*; vel [8] *Victori juventutis filii*. Alii Textus nomina servavere. Psalmus David ad Caput musices super *Almoth Laben*; perinde ac *Almoth* musicum esset instrumentum; vel melos, ad quod Canticum hoc esset occinendum. Alii quidam [9] censuere, *Laben* esse anagramma *Nabal*, viri Abigail; quod felix sane esset inventum, ni major soliditas desideraretur. Sed cum Auctor Psalmi isthic de Domino loquatur, veluti super montem Sion insidente, id ad tempora Nabal referri nequit, namque David tandem post aliquot annos ab illius decessu, Jerusalem potitus est. Alii censuere (cum enim conjecturis fræna laxentur, nuspiam finis inveniri potest) *Laben* nomen esse alicujus Philisthinorum Ducis, quin etiam ipsius Goliath, eo quod novissimus hic prodiit inter utrumque exercitum Israel, & Philisthinorum [10], *Laben* vero aliquam habet similitudinem cum Hebraica voce [11], quæ *inter utrumque* significat. At invitus ægre pueriles has nugas in medium profero.

Mihi vero persuasum est, Psalmum hunc dicatum esse *Ben*, vel *Banajæ* celebri in Templo Cantori, cujus Paralipomenon libri meminerunt [12] ea in occasione, qua Arca in Jerusalem translata fuit. *Ben* cum fratribus suis Zacharia, & Jaziele, præerant septimo choro, qui psallentium erat puellarum, *Alamoth*, quæ ea in celebritate canebant. En autem Paralipomenon textum (℣. 18.) *In secundo ordine Zachariam, & Ben, & Jaziel, & Semiramoth*, aliique (℣. 20.). *Zacharias autem, & Oziel, & Semiramoth & Jahiel . . . . & Banajas in nablis cantabant cum puellis*, vel præsides puellarum, *Alamoth*. En, ni fallor, difficilis hujus nodi solutio. Itaque titulus hic ita reddi potest: *Psalmus David, Ben Moderatori chori Puellarum* Musicarum. Paratus immo essem, ut crederem, nunum hunc Psalmum compositum fuisse propter solemnitatem translationis Arcæ in Sion. Propheta hic loquitur de victoriis, quas Dominus ab hostibus retulit; at neminem speciatim nominat; se met, & populum suum exhibet, primum quidem egenum, humilem, oppressum, mox vero gloria, & lætitia exultantem. Huic autem systemati insistemus, Psalmum explicantes.

Psalmus hic in duobus Hebræis Exemplaribus, Chaldæis, Græcis, ac in Versionibus ad Textus hos concinnatis, bifariam divisus est; ac pars altera a ℣. 22. orditur. Verum illic omnino recens Psalmus incipit, in quo nihil cum priori est commune. Hic est gratiarum actio ob victorias ab Israel de hostibus suis relatas; alter vero, videlicet pars altera a ℣. 22. efficacissima ad misericordiam ciendam est oratio animæ, quæ in dolore, & squalore oppressa versatur. Psalmista patheticè exprimit mala, quibus pauperes ab improbis obruuntur, impiorum obstinatum animum, afflictorum vota; desinit vero plenissimis confidentiæ sensibus in Domini misericordia. Alterius partis stylus longe alius est a prima: ibique ter occurrit vox *Chalechah*, egenus, homo infirmitate circumdatus, quæ alibi nuspiam invenitur. Videntur porro Veteres secundam hanc partem a ℣. 18. incœpisse, nam in Hebraico textu ad calcem ℣. 17. legitur *Higgaion Selah*, quod a Græcis, Latinisque redditur: *Canticum diapsalmatis* [13]: Canticum divisionis Psalmi. Nos vero de Babylonis captivitate partem illam interpretabimur.

1. CONfitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.
2 Lætabor & exultabo in te: psallam nomini tuo, Altissime. 3 In con-
vertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur, & peribunt a facie tua.
4 Quoniam fecisti judicium meum, & causam meam: sedisti super thronum, qui ju-
dicas justitiam. 5 Increpasti gentes, & periit impius: nomen eorum delesti in æter-
num, & in sæculum sæculi. 6 Inimici defecerunt frameæ in finem: & civitates eo-
rum destruxisti. 7 Periit memoria eorum cum sonitu: & Dominus in æternum per-
manet. 8 Paravit in judicio thronum suum: & ipse judicabit orbem terræ in æ-
quitate, judicabit populos in justitia. 9 Et factus est Dominus refugium pauperi:
adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. 10 Et sperent in te, qui noverunt
nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. 11 Psallite Domi-
no, qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes studia ejus. 12 Quoniam requi-
rens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum. 13
Miserere mei, Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis. 14 Qui exaltas
me de

---

1 1. Cor. 10. 11. *In quos fines sæculorum devenerunt.* 2 Luc. 18. 34. *Et ipsi nihil eorum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis.* Vide Theodoret. 3 Vide Hieronym. hic.
4 למנצח על מות לבן 70. Ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ. Symmach. Ἐπινίκιος ὑπὲρ θανάτου υἱοῦ.
5 Beda in hunc Psal. 6 Ferrand. hic. 7 עלמות לבן pro על מות לבן
8 Aquil. Τῷ νικοποιῷ νεανιότητος τοῦ υἱοῦ. Theodot. & 5. Editio: Τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ ἀκμῆς. 6. Edit. Εἰς τὸ τέλος νεανιότητος. 9 Arias Montan. in Commen. de Varia Hebr. Libb. lect. Grot. hic.
10 1. Reg. 17. 4. 11 לאשר בין לבן quasi Vide Chald. Kimchi, Jun. Geier. Muis, alios.
12 1. Par. 15. 18. 20. בנבלים על עלמות *In nablis, præsides puellarum.*
13 Hebr. הגיון סלה Higgaion Sela. 70. Edit. Rom. Ὠδὴ διαψάλματος. Aquil. Ὠδὴ ἀεί. Sym. Μέλος διαψάλματος. Aug. & alia antiqua Psalteria: *Canticum diapsalmatis.*

me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. 15
Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt. 16 In la-
queo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. 17 Cognoscetur
Dominus judicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.
18 Convertantur peccatores in infernum: omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum.
19 Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in
finem. 20 Exurge, Domine, non confortetur homo: judicentur gentes in conspe-
ctu tuo. 21 Constitue, Domine, legislatorem super eos: ut sciant gentes, quo-
niam homines sunt. 22 Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportuni-
tatibus, in tribulatione? 23 Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehen-
duntur in consiliis quibus cogitant. 24 Quoniam laudatur peccator in desideriis
animæ suæ, & iniquus benedicitur. 25 Exacerbavit Dominum peccator, secundum
multitudinem iræ suæ non quæret. 26 Non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ
sunt viæ illius in omni tempore. 27 Auferuntur judicia tua a facie ejus: omnium
inimicorum suorum dominabitur. 28 Dixit enim in corde suo: Non movebor a
generatione in generationem, sine malo. 29 Cujus maledictione os plenum est, &
amaritudine, & dolo: sub lingua ejus labor, & dolor. 30 Sedet in insidiis cum di-
vitibus in occultis, ut interficiat innocentem. 31 Oculi ejus in pauperem respiciunt:
insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. 32 Insidiatur, ut rapiat paupe
rem: rapere pauperem dum attrahit eum. 33 In laqueo suo humiliabit eum, inclina-
bit se, & cadet, cum dominatus fuerit pauperum. 34 Dixit enim in corde suo: Ob-
litus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem. 35 Exurge, Domine Deus,
exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperum. 36 Propter quid irritavit impius
Deum? dixit enim in corde suo: Non requiret. 37 Vides, quoniam tu laborem, &
dolorem consideras: ut tradas eos in manus tuas. 38 Tibi derelictus est pauper: or-
phano tu eris adjutor. 39 Contere brachium peccatoris, & maligni: quæretur pec-
catum illius, & non invenietur. 40 Dominus regnabit in æternum, & in sæculum
sæculi: peribitis gentes de terra illius. 41 Desiderium pauperum exaudivit Dominus:
præparationem cordis eorum audivit auris tua. 42 Judicare pupillo, & humili ut
non apponat ultra magnificare se homo super terram.

℣. 1. CONFITEBOR TIBI, DOMINE, IN TOTO CORDE MEO [1].] Vel, omni cordis affectu. Nemo umquam majoribus privilegiis a Deo donatus fuit, majoribusque gratiis cumulatus, quam David: sed vicissim nemo umquam majores se Deo gratias debere professus est, neque grati animi sui insignius, & perennius monumentum reliquit. Non satis est illi, Deum semel laudare, verum illum cunctis diebus vitæ suæ benedixit [2]; neque illum primoribus dumtaxat labiis commendat, sed in corde, atque in toto corde suo confitetur illi. Sacrificium laudis, quod immolamus Deo, proficisci debet ex amore, quo animamur: cumque teneamur Deum ex tota anima, & toto corde, ac mente diligere, similiter quoque eum laudare debemus. David nobis hic suppeditat exemplar, ad quod compositi Deum, uti opus est, laudibus celebremus. Vide S. Hieronymum, & Theodoretum in hunc locum.

NARRABO OMNIA MIRABILIA TUA.] Propheta isthic ad ea alludit, quæ Deus pro ipso, ac populo suo fecerat. Circumstantia, in qua Psalmum hunc cecinere, apte argumento huic congruebat. Incipiebat Israel pace frui, omnesque hostes suos attritos videbat. Philisthiim, Jebusæi, Chananæi, Phœnices non audebant amplius ad arma confugere. Populus convenerat, Arcam deducturus in Jerusalem, quam David Regni sui Caput constituerat, eamque super montem Sion collocaturus, ubi Dominus suam sedem elegerat.

℣. 2. LÆTABOR, & EXULTABO IN TE.] Lætitiam meam extrinsecus ostendam, & musicorum instrumentorum sono, & hilaritatis vocibus. Justus inter adversa lætatur, ait S. Johannes Chrysostomus, in secundis vero temperans est. Gaudium illius nequaquam simile est mundi hujus hominum lætitiæ inani, vacuæ, fluxæ, & nefariæ. Sed vera, & constans hilaritas, Domini promissionibus innixa, ex consolationum suavitate, Divini spiritus effusione, ac bonæ conscientiæ testimonio profecta.

℣. 3. IN CONVERTENDO INIMICUM MEUM RETRORSUM, INFIRMABUNTUR, &c.] David loquitur de inimicis suis, modo multitudinis, modo unitatis numero; ac in versiculo eodem crebro ab uno ad aliud tempus migrat. Hic ait, hostes suos, cum a Domino subversi fuerint, magno terrore, atque consternatione obrutum iri. Post Saulis, domusque illius excidium, nemo amplius in Davidem insurgere ausus est; ac universus Israel intellexit, Deum certissime in illius gratiam executurum ea, quæ ipsi spoponderat. Primum quidem populi pars eum Regem inauguravit, mox vero post Isboseth interitum totus Israel in ejus partes concessit: *In convertendo retrorsum*, ex meliorum Interpretum sententia [3] isthic retrorsum decidere significat. In toto hoc Psalmo Patres hunc inimicum in spirituali sensu, vel de dæmone [4], vel de peccato, vel de Antichristo [5] interpretantur.

℣. 4. FECISTI JUDICIUM MEUM.] Hebr. [6] *Fecisti judicium meum, o Judex justitiæ*. Antiquus Græcus Interpres [7]; *mihi litem adjudicasti*. Ultus es innocentiam meam, quam invidi lacessebant, & Saul persequebatur.

℣. 5. INCREPASTI GENTES, & PERIIT IMPIUS: NOMEN EORUM DELESTI.] Intelligi potest de Ægy-

1 אודה יהוה בכל לבי 2 Psal. 33. 2. *Benedicam Dominum in omni tempore.* 3 בשוב איבי אחור 70. Ἐν τῷ ἀποστραφῆναι τὸν ἐχθρόν μου εἰς τὰ ὀπίσω. Sym. ἀναστραφέντων τῶν ἐχθρῶν μου εἰς τὰ ὀπίσω. S. Hieron. *Cum ceciderint inimici mei retrorsum, &c.* 4 Theodoret. Euthym. 5 Hieron. 6 עשית משפטי . . . שופט צדק
7 Antiqu. Interp. apud Chrysost. Τὴν δίκην μου.

ptiis, qui Israelitas persecuti sunt, & qui in rubro mari interierunt, vel de Chananæis, quos, advenientibus Hebræis, Deus cœco terrore perterruit, & qui a Populo Dei profligati fuere. In spirituali sensu, JESUS CHRISTUS acriter Nationes per os Apostolorum, Apostolicorumque virorum redarguit [1]: ostendit, quam ridicula res esset idololatria; Idolorum vanitatem, doctrinæ hujus Mundi, quin & ipsius Philosophiæ, falsitatem corripuit; & Religionem suam in collabentis Ethnicæ pravitatis veluti ruderibus ædificavit. Inanium Deorum, ac turpissimorum Ethnicæ Religionis mysteriorum memoria, penitus adeo obsoleverat, ut quinto sæculo pluribus in locis penitus ignoraretur [2].

℣. 6. INIMICI DEFECERUNT FRAMEÆ IN FINEM.] Loquitur facile de Chananæis, qui ab Israelitis deleti fuere, præsertim vero de Jerusalem, quam ipse jam ceperat de Jebusæis. Nomen *framea*, quod frequenter invenitur in Psalmis, a veteribus Germanis profectum est; telumque erat ferreo mucrone perquam exiguo: *Hastas, vel ipsorum vocabulo frameas, gerunt angusto, & brevi ferro*, Tacitus ait de Germanis loquens. Eo vero, seu cominus, seu præliarentur eminus, pro necessitate utebantur; illud ejaculantes, vel eo punctim ferientes. In Psalmis vero pro gladio usurpatur, quo in sensu apud veteres etiam invenitur [3]. Hebræus [4]: *Gladii inimici mei tandem aliquando defecere*. Ille armis caruit, quibuscum vim posset inferre. Tela illi defuere, veluti bellatori, qui omnia jam exhausit spicula, gladiumque confregit. Demum ad deditionem coactus fuit. Veteres quidam [5] vertunt: *deserta*, vel *rudera inimici mei* derelicta sunt; regio illius in solitudinem redacta est, atque in rudera corruit, & civitates ejus dirutæ sunt. Verti quoque posset cum Syriaca Versione: *Inimici mei perierunt gladio; civitates illorum destruxisti*; vel in ironico sensu [6]: *num desiere populationes vestræ? urbes nostræ deletæ ut sunt in perpetuum?*

CIVITATES EORUM DESTRUXISTI.] Hebræus, Septuaginta, & antiqua Psalteria simplicius habent [7]: *Civitates destruxisti*. Hæc omnia levi negotio applicari possunt ad imperium dæmonis a JESU CHRISTO labefactatum.

℣. 7. PERIIT MEMORIA EORUM CUM SONITU; & DOMINUS IN ÆTERNUM PERMANET.] Memoria inimicorum populi mei tandem aliquando interiit; eumque in terris magnum ediderint rumorem, nunc oblivione obruuntur. Feroces hi Chananæi, terribiles Gigantes, potentes Populi, qui ferebantur invicti, victi fuere tandem, exterminatique, neque memorantur amplius. Periit memoria eorum cum sonitu, ad instar colossi, qui prosternitur, & qui decidens magnum edit strepitum, verum lapsu suo confringitur ac redigitur in pulverem. Aliter: *memoria eorum periit cum sonitu*, eadem facilitate, ac celeritate ac sonitus, qui momento pertransit.

Hebraicus Textus ita quoque intelligi potest [8]: *Memoria eorum periit cum illis* [9]. Delesti illos, neque amplius memorabuntur. Vel; memoria eorum periit cum civitatibus suis. Vel denique *memoria eorum periit*; Ipsi exterminati sunt. Vel superioribus subnectendo: *Populationes vestræ desierunt, o hostes* Israel! *Urbes, quas evertistis, & quorum memoria veluti in ruderibus earum sepulta jacebat, iterum excitatæ sunt* [10].

℣. 8. PARAVIT IN JUDICIO THRONUM SUUM.] Exercuit judicia sua in omnem terram: mensura iniquitatum vestrarum erat completa. Flagitiorum vestrorum clamor ad Cœlum usque pervaserat. Justus Judex descendit, posuit thronum suum, exercuit justitiam; cumque inter vos neminem innoxium invenerit, pepercit nemini. David Chananæos alloquitur, cujus ipse reliquias deleverat.

℣. 9. FACTUS EST DOMINUS REFUGIUM PAUPERI; ADJUTOR IN OPPORTUNITATIBUS, IN TRIBULATIONE.] Cum Israel oppressus fuit plurimorum Populorum jugo, qui illum identidem Judicum ævo vexabant; Dominus illi suppetias tulit, simulac ad ipsum concursum est; suscitavitque ipsi liberatores, Othonielem, Gedeonem, Aod, Sampsonem, aliosque. David a potenti Principe exagitatus, miraculose penitus divinam clementiam, ac potentiam expertus est; Deus iste Justitiæ opem suam, atque præsidium pauperi concessit, afflicto, ac squalore confecto, id vero, cum summa urgeret necessitas [11]: *In opportunitatibus, in tribulatione*, eo præcipue tempore, cum maxime instabat periculum, & quo vis, & industria humana nullam poterat opem reperire [12]. Infinita suppetunt exempla hujus agendi rationis in Deo, vel erga Hebræum Populum generatim, vel erga David specialiter. Exempli gratia in rubri maris transitu, ac in deserto, cum Dominus de petra aquas elicuit, ac populo suo mannam demisit; nec non sub Judicibus; cum suscitavit Othonielem, Aod, Baruc, Gedeonem &c. Denique cum David in specu delitescens, vel ad radices montis hostibus undique circumseptus, repente de Saulis manu fuit liberatus ad nuntium irruptionis Philisthinorum [13].

Septuaginta reddi possunt [14]: *Dominus fuit protector pauperis in prosperitate, & adversitate* [15]. Sed prior sensus pluribus arridet. Deus suos audit, neque illis auxilium denegat, verum id opportune facit; prout ejus sapientia, & clementia efflagitant. Non semper audit festinationes nostras, nec sequitur desideria, ac sollicitudines nostras, quoniam plerumque nescimus, quid petamus. *Sæpe in tribulatione constringimur; & tamen opportunum nondum est, ut desiderio ereptionis adjuvemur*, inquit Gregorius Magnus. Salvator Mundi venit, ut homines salvos faceret tempore præscripto, eo tempore, quo maxime salutis indigebant [16].

℣. 10. SPERENT IN TE, QUI NOVERUNT NOMEN TUUM.] Qui cognoscunt, amant, & quærunt Deum, sed uti necesse est, quærunt, & eum solum quærunt; jus habent in ipsum sperandi, ac illius opem petendi. Nequaquam fieri potest, ut illum hoc pacto quærentes non inveniant, & ipse non occurrat invocantibus se. Vide S. Chrysostomum, & Augustinum in hunc locum. Qui nihil agunt in Dei gratiam, qui æternum rebelles sunt voci illius, qui eum contemnunt, & fugiunt, mirari ne debent, si Deus ab illis recedit, iisque in necessitatibus terga vertit? Plurimi Hebraicum textum in tempus futurum vertunt [17]: *In te confident, qui noverunt nomen tuum*.

℣. 11. PSALLITE DOMINO, QUI HABITAT IN SION: ANNUNCIATE INTER GENTES STUDIA EJUS.] David populum suum invitat ad laudes Domini recinendas, qui elegit Sion, ut ibi Arca sua inhabitet; eumque adhortatur, ut inter Gentes mirabilia opera Domini

---

1 Vide August. in hunc loc. 2 Hieron. Theodoret. hic. 3 Juvenal. satyr. 13.
Et Martis frameam, & Cirrhæi spicula vatis.
Isidor. *Framea, gladius ex utraque parte acutus.*
4 האיב תמו חרבות לנצח 5 Aquil. Ἔρημα *Deserta*. Symm. Ἐρείπια. *Parietina*. Hieronym. *Inimici completæ sunt solitudines*. 6 Varab. Jun. Castal. 7 ערים נחשת 70. Καὶ πόλεις καθεῖλες. Augustr. Psalter. S. German. Carnot. Edit. Complut. *Civitates destruxisti*. 8 אבד זכרם המה
9 Hieronym. Chald. Vatab. Pagn. Interp. Græc. apud Chrysost. Σὺν αὐτοῖς.
10 Boot. Animadv. lib. 3. cap. 20. 11 ויהי יהוה משגב לדך משגב לעתות בצרה
12 Chrysost. hic. 13 1. Reg. 23. 26.
14 Ἐγένετο Κύριος καταφυγὴ τῷ πένητι, βοηθὸς ἐν εὐκαιρίαις, ἐν θλίψει. Alius .... τῷ ἐπιτρίπτῳ; alius τῷ τεθλασμένῳ. Hebr. לדך Aquil. Εἰς καιροὺς *In tempore*. Symmac. Ἐπικαίρως *Opportune*. Hebr. לעתות
15 Ita Euthym. 16 Theodoret hic. Vide Galat. 4. 4.
17 ויבטחו בך יודעי שמך Aquila, Symmach. Πεποιθέτωσαν. S. Hieronym. *In te confident*. Ita Chald. Syr. alii.

mini prædicet. Hebræus [1] verti potest: *annunciate inter Gentes cogitationes ejus*, consilia ejus, altitudinem Sapientiæ illius, vel *actiones*, mirabilia ejus, & misericordias erga vos. Confitemini hodie ea, quæ pro vobis Dominus operatus est, & prædicate illa inter Populos, ut illi vobis se se comites addant ad eum laudibus celebrandum. Patres hoc de Apostolis explicant, qui veritates, consilia, legesque Dei in omnem terram annunciaverunt [2]. A

℣. 12. QUONIAM REQUIRENS SANGUINEM EORUM RECORDATUS EST.] Deum *sanguinis ultorem* vocat, quod Dominus Genes. 9. 5. dixerat Noe, se ultionem sumpturum propter humanum cruorem alterius hominis effusum manu: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis &c.* Deus irritatus flagitiis, atque crudelitate, qua in servos suos desævitum fuerat, eorum clamoribus aures præbuit, eorumque sanguinem ultus est. Philisthiim, Moabitæ, Madianitæ, cum diutius populum Israel oppressissent, manu Domini percussi fuerunt; qui sanguinem ultus est sanguine, & cædem cæde. Ita quoque David hostes, ac persecutores suos vidit facinus suum proprio sanguine expiare, quin ipse manum admoveret. Deus recordatus est sanguinis Apostolorum, & Martyrum injuste effusi; & contra persecutores Ecclesiæ insignem ultionem exercuit. Si Herodis, Neronis, Domitiani, Diocletiani, Maximini, Licini nomina in Ecclesiastica historia insignia sunt propter eorum sævitiam in Christi Fideles, nequaquam minorem famam obtinuere propter supplicia, quibus illos Deus viventes adhuc mulctavit. B

℣. 13. VIDE HUMILITATEM MEAM DE INIMICIS MEIS.] Si hostes populi tui, Domine, nequaquam impotenter adeo, atque crudeliter potestate sua fuissent abusi, si eorum dominatio non fuisset adeo diuturna, neque jugum eorum adeo grave, Israel minime in miserrimum eum statum prolapsus fuisset, in quo diutius versatus est, a Philisthiim oppressus; & hodie solemnitatem hanc in tui honorem longe frequentiores, atque majori lætitia, bonisque repleti celebraremus. C

℣. 14. QUI EXALTAS ME DE PORTIS MORTIS, UT ANNUNTIEM OMNES LAUDATIONES TUAS IN PORTIS FILIÆ SION.] Ad portas sepulchri redacti eramus; & esse videbamur tamquam victimæ iræ tuæ, jam jam ab hostibus nostris jugulandæ, & in æternum silentium amandandæ. Per Philisthiim vix spiritum ducere poteramus; illi namque servitute æque, ac morte ipsa, acerba nos obruebant. At potentia tua nos, Domine, liberasti; vindicasti nos in libertatem, ac in eum statum adduxisti, ut prædicare possemus laudes tuas in portis filiæ Sion, in Jerusalem, super montem sanctum tuum, coram Arca tua, quam hodie veluti in triumphum gestamus. D

Per *portas mortis*, Theodoretus Infernum intelligit, ubi damnati exquisitissimis jugiter suppliciis torquentur, & ubi quotidie moriuntur, quin mori queant. Alii peccatum interpretantur, quod ad æternam mortem deducit [3]. S. Hieronymus explicat de pravis parentum & præceptis, & exemplis, quæ filios illorum ad mortem, scelus, idololatriam, hæresim impellunt, eosque una cum patribus præcipites in excidium trahunt. E

℣. 15. INFIXÆ SUNT GENTES IN INTERITU, QUEM FECERUNT.] Gentes ceciderunt in foveam [4], quam mihi effoderant. Inimici nostri, Domine, sibi conflarunt vincula, quæ nobis nectere arbitrabantur. Utimur armis, quæ illi collegerant, arcibus, quas muniverant, annona, quam comparaverant; & quod nos injuste oppresserunt, integrum fecere nobis, ut vicissim pari severitate in illos animadverteremus. Cum Philisthæi, Idumæi, Amalecitæ, Ammonitæ, Moabitæ nos superarunt, potestate sua abusi sunt; & ipsi timere debent, ut aliquando in eos simili feritate debacchemur.

℣. 17. COGNOSCETUR DOMINUS JUDICIA FACIENS.] Dominus tandem se æquum esse ostendit. Gentes nunc certo sciunt, in Mundo esse justum Judicem: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator*. In ipso facto, & crimine deprehensus est. Videbatur Deus illius oblitus, & injustitiis ejus connivere. At ostendit illi, sibi ejus crimina neque ignota fuisse, neque abscondita. Hebræus per tempora præsens, præteritum, & futurum effertur [5]. *Dominus cognoscitur*, vel *cognoscetur*, vel *cognitus fuit*; quod postremum huic loco magis congruere videtur, ubi David commendat justam ultionem, quam Dominus sumpsit de hostibus populi sui, postquam diutius eorum injustitiam, ac scelera dissimulasset. Hæc omnia mirifice conveniunt initio Regni David, eique celebritati, ad quam hunc Psalmum referimus. Tunc Philisthini attriti erant, Saul obierat, cognatio ejus ferme interciderat, partes illius corruerant, David victor erat, Israel pace fruebatur.

IN OPERIBUS MANUUM SUARUM COMPREHENSUS EST PECCATOR.] Comprehensus est in scelere suo, decidit in insidias, quas posuerat, & foveam, quam effoderat, justam peccatorum suorum patitur pœnam. Ad hujus versiculi finem legimus in Hebræo [6]: *Higgaion Selah*, quod Septuaginta reddidere [7]: *Canticum Diapsalmi*, vel Psalmi divisionem. Chaldæus: *Justi æterna fruentur lætitia*. S. Hieronymus: *perpetuum meditationis argumentum*. Symmachus [8]: *Canticum divisionis Psalmi*. Aquila [9]: *Ode semper*. S. Augustinus, Cassiodorus, & quædam antiqua Psalteria [10]: *Canticum diapsalmatis*. At hæc verba nihil addunt sententiæ Psalmi.

℣. 18. CONVERTANTUR PECCATORES IN INFERNUM.] Præcipites dimittantur in infernum impii: vel potius id veluti infortunii impiorum prædictionem intelligendo: Præcipites dabuntur in Infernum [11], vel in sepulchrum [12]. Deus eos morte percutiet. Loquitur contra Populos hostes Israel; & in clariori sensu, contra Infideles, qui vitæ verbum, quod illis annuntiatur, audire detrectant.

℣. 19. PATIENTIA PAUPERUM NON PERIBIT IN FINEM.] Eorum expectatio [13] illos non frustrabitur. Deus tandem illos benedictionibus, favoribusque cumulabit. Prosternet inimicos eorum, atque infelicitatibus obruet.

℣. 20. NON CONFORTETUR HOMO.] Ne permittas, hominibus his, qui in viribus, ingenio, ac sapientia sua, spem constituunt, conatus suos e voto cedere. Servi tui nequaquam opprimantur, & improbi haud nequiores evadant. S. Augustinus, & Psalteria quædam antiqua: *non prævaleat homo*; vel *superbia minime tumescas* [14].

℣. 21. CONSTITUE, DOMINE, LEGISLATOREM SUPER EOS, UT SCIANT GENTES, QUONIAM HOMINES SUNT.] Feroces hi populi numquam externæ dominationis jugum experti, qui gloriantur in viribus suis, & robore, armisque suis ad finitimos vexandos abutuntur; Phœnices, Philisthæi, & Idumæi

1 הגידו בעמים עלילותיו 70. Τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ. S. Hieronym. *Cogitationes ejus*. Symmach. Μηχανὰς. *Inventiones ejus*. Aqu. Ἐναλλαγὰς. *Mutationes ejus*. August. Cassiod. Bruno Ast. Psalteria antiqua legunt; *Mirabilia ejus*. 2 Hieronym. August. Theodoret. 3 Origen. Cyrill. August. Greg.
4 Hebr. טבעו גוים בשחת עשו Ita Vat. Syr. Jun. Trem. Pisc. alii.
5 נודע יהוה משפט עשה 70. Γινώσκεται Κύριος κρίματα ποιῶν. *Cognoscitur Dominus, &c.* Ita August. Psalt. S. German. Mediol. Carnot. Edit. Complut. *Agnitus est Dominus*. Ita Hieron. Sym. Chald. alii.
6 הגיון סלה 7 Ὠδὴ διαψάλματος. 8 Symmach. Μέλος διαψάλματος.
9 Ὠδὴ ἀεὶ *Ode semper*. 10 Psalter. S. German. & duo Carnot. & alia non pauca, ut Chrysost. Didym. Et Codices Reg. 222. & Colbert. 1. & 1339. 11 Theodoret. Chrysost. alii. Et sic passim alias.
12 Ita plerique recentiores. 13 70. Ἡ ὑπομονὴ. Alii. Ἡ προσδοκία. Hebr. תקות ענוים
14 70. Μὴ κραταιούσθω. Hebr. אל יעז אנוש Quid. apud Chrysost. Μὴ θρασυνέσθω.

dumæi experientia, se quoque homines esse, uti A cæteros, edoceantur. Subjice eos, Domine, impotentibus Tyrannis, a quibus ediscant, ipsos per se nihil esse, & nihil habere præter ea, quæ abs te consecuti sunt. Nonnulli ita Hebraicum textum reddunt [1]: *Pone, Domine, timorem* tuum *super illos, & intelligant, se homines esse*. Immitte in eos salutarem Judiciorum tuorum timorem, ne tumidi efferantur, perinde ac Dii essent super terra. Doce eos, ut te cognoscant, ac sciant, se nihil esse aliud, quam infirmissimos mortales. Homo, qui satis intellexerit, quidnam ipse sit, næ meherele haud superbiet, alios minime contemnet, nec Dei sui obliviscetur. Simonides a Pausania Lacedæmonum Rege quondam rogatus, ut serium, ac sapiens aliquid ipsum edoceret; *memento*, ait, *te hominem esse*. Hebræus verti potest: *Da illis hoc documen-* B *tum, ut sciant, se homines esse* [2]; Symmachus [3]: *Da illis legem, & se homines norint*.

Patres, qui Septuaginta, & Vulgatæ adhæserunt legentes, *Legislatorem*, id explicant, alii [4] quidem de JESU CHRISTO, qui veluti Legislator sapientissimus humilitatem homines docuit verbo, & exemplo; alii vero [5] de Antichristo, quibus impii, ac superbi juste subjicientur; eo quod se se JESU CHRISTI jugo submittere noluerunt: *Ut sciant Gentes*. Particula *ne*, neque in Græco legitur, neque in S. Augustino, neque in pluribus antiquis Psalteriis [6].

℣. 22. UT QUID, DOMINE, RECESSISTI LONGE; DESPICIS IN OPPORTUNITATIBUS, IN TRIBULATIONE?] Hic in Hebraico textu Psalmus decimus ordi- C tur. In nostris autem Bibliis ob id dumtaxat superiori conjunctus est, quod nullum titulum præsefert: cæterum argumentum omnino aliud est a superiori. Hic autem ad aliquam peculiarem vitæ David circumstantiam certò nequit applicari; sed Justum isthic virum intuemur cum Domino conquerentem, quod pauperes oppressi ad incitas redigantur, atque enixe efflagitantem, ut liberentur. Commode autem referri potest ad Babylonicam captivitatem, non secus ac Psalmi 11. 13. 35. & 52., ubi eædem occurrunt querelæ, sententiæ eædem, ac vocabula ferme eadem.

Hebræus habet [7]: *Cur, Domine, recedis, & absconderis in tempore, in afflictione?* Cur seorsim moraris, eminus nostram calamitatem considerans, perinde ac ad te minimum spectaret? Cur faciem, vel manum D tuam deflectis? Vel: cur te abscondis, quin nobis opem feras, dum sævissimis calamitatibus, acerrimisque afflictionibus urgemur? Videtur aliquando Deus amicos suos deserere; verum ut eorum magis augeatur desiderium, & magis se divina ope indigere cognoscant: *Opportune despicis, & facis tribulationes, ad inflammandos animos desiderio adventus tui* [8].

℣. 23. DUM SUPERBIT IMPIUS, INCENDITUR PAUPER.] Obruitur scilicet impii persecutionibus, ac malis. Vel: Pauperem zelus, & indignatio rodit, superbiam, ac impotentiam impii perspiciens [9]. Fastidio capitur; animos despondet. Prior explicatio magis ad Hebraicum textum accedit [10]. Babylonii intumescunt, cum interim ea omnia subeamus mala, quæ in egestate, atque captivitate miserrima inveniuntur. E

COMPREHENDUNTUR IN CONSILIIS, QUIBUS COGITANT.] Crudeles Populos, qui pauperum affligunt, sua spes frustrabitur. Perniciosa eorum consi- A lia peribunt. Ad statum usque finem eorum procedet audacia, sed tandem in laqueos suos decident. Vide supra Psal. 9. vers. 16. 17. Hebraicus textus reddi potest [11]: *Comprehendentur in flagitiis, quæ meditantur*. Hoc est vaticinium Babylonici excidii, ac interitus Chaldæorum Imperii.

℣. 24. QUONIAM LAUDATUR PECCATOR IN DESIDERIIS ANIMÆ SUÆ, & INIQUUS BENEDICITUR.] Hoc superiori versiculo subnectendum est. Decipitur impius in consiliis suis; plena fruitur securitate, voti sui compos inter scelera sua, quoniam assidunt illi undique assentatores, qui eum in errorem inducunt, & vilissima mancipia, qui eum fictitiis laudibus obtundunt. Non dignatur ille Dominum quærere, & Dominus ejus oblitus esse videtur. Ast hoc Dei silen- B tium maximum est ipsius iræ argumentum [12]: *Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in via sua; cujus peccatis deest ultor, adest adulator: Maior hæc ira Dei*, inquit S. Augustinus; atque ut S. Gregorius ait l. 4. Moral. c. 25. *Difficile emendatur peccatum, quod linguis pravorum nutritur*.

Hebræus multifariam vertitur [13]. Hæc est S. Hieronymi sententia: *Impius laudat desiderium animæ suæ, & avarus sibi plaudit, & in Deum blasphemat* [14]. Verti quoque potest: *Impius laudat desideria cordis sui: benedicit avarum*, vel sordidum lucrum, *& Dominum contemnit*. Aliter: *Impius sibi plaudit, & avarus in Deum blasphemias evomit, eumque irritat*. Textus ad litteram: *Avarus benedicit Dominum*: Sed plures Interpretes post S. Hieronymum id in opposito sensu C interpretantur, *blasphemare*, execrari, imprecari &c. uti alibi quoque in Scriptura explicatur [15]. In omnibus Versionibus huic versiculo accrescit id, quod in Vulgata legimus sequentis versiculi initio.

℣. 25. EXACERBAVIT DOMINUM PECCATOR; SECUNDUM MULTITUDINEM IRÆ SUÆ NON QUÆRET.] Superbia tumidus, ac ira succensus ne dignatur quidem impius ad Deum confugere; illius enim adeo oblitus est, effervescente animi affectu, ut de illo ne cogitet quidem. Vel: peccator irritavit Deum, & Deus in ira sua peccatorem deseruit: *Multum irascitur, dum non exquirit*, ait S. Augustinus, *dum quasi obliviscitur, & non attendit peccata*. Vel denique: *irritavit impius Deum sui furoris excessu*, dicens, *non quæret* scelera mea [16]. Postremus hic sensus optimus D est, nam in Psalmi decursu Propheta, ut ostendat, quid impulerit Deum, ut impium puniret, hanc rationem adfert: (℣. 36.) *Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo non requiret*; & paulo post: *Contere brachium peccatoris, & maligni; quæretur peccatum illius, & non invenietur*. Vide etiam Psalmum 35. 5.

Hebræus eo pacto, quo in Bibliis nostris extat, has non patitur explicationes. En autem illum: (℣. 24.) *Impius laudat desiderium animæ suæ, & avarus benedicit* (vel maledicit) *& irritat Dominum* (℣. 25.) [17] *Impius in altitudine iræ suæ* (vel faciei suæ) *non requiret; Deus non est in cogitationibus eorum*. Impius ambitione elatus non cogitat, ut ad Deum confugiat; immo pro virili in se Dei cogitationem, & memoriam jugu- E lat. Timor Dei minimum illi negotium facessit. At superiores explicationes præferimus propter ℣. 34. & 35. in quibus aperta se se prodit ad isthæc allusio.

℣. 26. INQUINATÆ SUNT VIÆ ILLIUS IN OMNI TEM-

1 שיתה יהוה מורה להם ידעו גוים אנוש המה 2 Castal.
3 Sym. Τάξον Κύριε νόμον αὐτοῖς. 4 Theodoret. Euseb. Euthym. Athanas.
5 Hieronym. August. Bruno. Ast. Odo. &c.
6 Psalter. Gallican. S. German. Carnot. & alia non pauca, apud Ferrand. hic.
7 למה יהוה תעמד ברחוק תעליב לעתות בצרה 70. Ἐν εὐκαιρίαις ἐν θλίψεσι. Symmach. Ἐν καιροῖς θλίψεως. Vide supra Psal. 9. 10. 8 August. hic.
9 Theodoret. 10 בגאות רשע ידלק עני 11 יתפשו במזמות זו חשבו
12 August. hic. Vide & Chrysost. 13 כי הלל רשע על תאות נפשו ובצע ברך נאץ יהוה
14 Ita fere Incip. Græc. apud Chrysost. Ὅτι ὑμνεῖται ἐπὶ πόθῳ ψυχῆς αὐτοῦ, καὶ πλεονέκτης εὐλογεῖται διέσυρε τὸν Κύριον. Alius ibidem. Ὅτι ᾔνεσεν ὁ παράνομος κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν, καὶ πλεονέκτης εὐλογήσας παρώξυνε τὸν Κύριον.
15 Vide 3. Reg. 21. 10. 13. Job. I. 11. II. 5. 16 Ita Theodoret. hic.
17 רשע כגבה אפו בל ידרש אין אלהים כל מזמותיו

TEMPORE.] Omnes illius gressus totidem sunt flagitia. Desideria, & motus illius omnes pessum abeunt. Hic est hominis status, quem cordis ipsius corruptioni tradidit Deus, & a quo ille oculos suos deflexit. De abysso in abyssum præceps ruit, atque in id dumtaxat incumbit, ut flagitiosa, ac nefaria sua consilia exequatur.

Hebræus aliter verti potest [1]: *Viæ illius sunt veluti dolores parturientis in omni tempore*. Septuaginta [2] locutionem hanc intellexere, perinde pollutionem aliquam significaret; nam juxta Legem Levit. 12. 2. & mentem Judæorum puerperę recens enixæ censebantur immundæ. Alii id intelligunt de pœnis, quas impius patitur, & per ipsum alii patiuntur, Deo permittente, ut inter eas voluptates, quas tanta quæsivit sollicitudine, spinas, atque curas inveniat. Dolores parturientium scite exhibent statum animæ violentis affectibus traditæ, & quæ in id unum vacat, ut flagitiosis voluptatibus suis obsequatur. Nescit illa, ignoratque pacem, rectæque conscientiæ dulcedinem, atque cordis ab omni perturbatorum affectuum tumultu sepositi tranquillitatem.

Recentiores plurimi Interpretes [3] cum Chaldæo Paraphraste vertunt: *Viæ illius e voto cedunt*. Impius prospera, atque constanti felicitate lætatur, super omnes inimicos suos dominatur &c. Hæc sententia optime convenit sermonis decursui. Nonnulli reddunt [4] *viæ illius stratæ sunt*, certæ, tutæ. Tuto incedit. Impius hic est Rex, vel populus Babylonis.

℣. 27. OMNIUM INIMICORUM SUORUM DOMINABITUR.] Inceptis impii fortuna non aberit, & ille in eos omnes dominabitur, qui sibi obsistere voluerint. Hebræus [5]: *flabit adversus omnes inimicos suos*; contemnet eos, disperdet, veluti pennas in ventum projiciet, oris sui flatu. Vel: flabit, comburet, ac in cinerem rediget eos, veluti ignis, qui flando excitatur, ac lignum, quod accenditur. Nonnulli vertunt; *Cepit inimicos in laqueis suis*.

℣. 28. DIXIT ENIM IN CORDE SUO: NON MOVEBOR A GENERATIONE IN GENERATIONEM SINE MALO.] Hæc est Hebraici textus sententia [6], qui ad litteram habet: *Dixit in corde suo: non movebor; numquam in aliquo malo versabor* [7]. Impius constanti semper felicitate frui posse putat; neque credit, Deum velle in ira sua in ipsum animadvertere. Hoc nihil ipsi est curæ; quapropter magis magisque in illum Dominus succenset. Chaldæus id aliter explicat: Impius *dixit in corde suo*; *numquam cessabo, quin malum agam*. Syrus; *dixit*; *non movebor*; *ad unum hoc incumbo, ut malum agam*. Hæc applicari possunt Nabuchodonosor, cujus superbia, atque impotentia egregie in Daniele exhibentur 4. ℣. 19. 27. & seq.

℣. 29. CUJUS MALEDICTIONE OS PLENUM EST, & AMARITUDINE, & DOLO.] Os illius blasphemias dumtaxat in Deum, & convicia in homines evomit; in unum id vacat, ut alios fallat, alios opprimat. Hebræus verti potest [8]: *Os illius plenum est perjuriis*, vel juramentis, execrationibus, *dolo*, & fraude; S. Hieronymus, *dolo*, *& avaritia*. Impii vita est criminum, pravarum cupiditatum, & improbarum actionum congeries.

SUB LINGUA EJUS LABOR, & DOLOR.] Studet, quomodo affligere, vexare, perturbare fratres suos possit. Vel: ipse quoque semper in doloribus, angustiisque versatus; Numquam cura, & cruciatu vacuus

A est. Nihil acerbius, nihil inanius, quam impii vita: *Non solum sine fructu, sed etiam ad perniciem laboratur*, ait S. Augustinus. Impius suimetipsius carnifex est; ardentes conscientiæ suæ tædas extinguere, & affectuum suorum tumultum temperare non valet; in se met funes, catenas, & cruciatus suos gestat [9]: *Ab aliis non est necesse præparari, unde torqueatur, cum ipse sibi præparet, quæ ad pœnam pertinent*. Hebræus [10]: *Habet sub lingua sua laborem, iniquitatem, vel afflictionem, & vanitatem*. Inutilem laborem trahit, eaque init consilia, quæ dolorem ipsi parient.

℣. 30. SEDET IN INSIDIIS CUM DIVITIBUS IN OCCULTIS.] In Autographo textu nulla *divitum* mentio fit [11]. En autem quo pacto S. Hieronymus post Symmachum hunc locum reddat [12]. *Sedet in insidiis prope
B vestibula, in locis occultis, ut interficiat innocentem*. Aliter: *sedet in insidiis in pagis, in occultis*. Intelligi potest de insidiis, quas impius innoxiis viris in agro, vel in urbe struit, & de injusta ratione, qua Babylonii Hebræis omnia diripiebant.

℣. 31. QUASI LEO IN SPELUNCA SUA.] in recessu, *in cubili suo*, uti legit S. Augustinus [13]: *in claustro suo*, uti alii malunt. Nabuchodonosor non semel in Prophetis leoni comparatur.

℣. 32. RAPERE PAUPEREM, DUM ATTRAHIT EUM. (℣. 33.) IN LAQUEO SUO HUMILIABIT EUM &c.] Impius est veluti venator, qui prædam suam scrutatur; pauperem laqueis suis capit, captumque jugulat, & occidit. At vicissim ipse quoque peribit, atque evertetur. Totus hic versiculus juxta Hebraicum
C textum ita reddi potest [14]: *Sedes in insidiis, ut rapias pauperem, rapies eum, cum adduxeris illum in laqueos suos, confringet, ac deprimet illum*, vel cum impetu super illum cadet; *dolor est in ossibus illius*. Vel *Conteret eum, & decidet super illum, & caterva egenorum sub illo succumbet*. Aliter: adducet illos in laqueos suos, & devorabit eos; *ægrotare simulabit, atque infirmis esse viribus*; ut omnem illis metum adimat, eosque facilius in laqueos suos alliciat, uti ferme in fabulis Leo se ægrotare simulavit, cum per effœtam ætatem amplius prædam suam insectari non potuit. Ea omnia animantia, quæ adeo stupida fuere, ut illi adhiberent fidem, & quæ officii ergo inviserunt illum, pabulum ejusdem facta sunt [15]. Posset quoque Textus ita verti [16]. *Sedes in insidiis, ut rapias paupe-
D rem*, veluti venator, qui retibus utitur; *rapies eum in septo suo, in plagis suis*, vel in septo, quod plagis suis circumdedit; *prosternet eum, & conteret*; atque pauper *decidet in insidias illius*. Sed nequaquam recedendum est a versione Septuaginta [17], & Vulgata, quæ habent: *Impius prosternet pauperem; at ipse quoque decidet, & prosternetur, cum dominatus fuerit pauperi*. Cum illum everterit, atque deleverit, ipse quoque interibit. Postremus hic sensus omnium optimus est, ac melius cohæret sequentibus, ubi Propheta loqui incipit de lapsu, ac pœna impii.

℣. 34. DIXIT ENIM IN CORDE SUO: OBLITUS EST DEUS.] Corruet tandem impius, & sub Dei manu succumbet, eo quod dixerit, se a Deo non videri. Vide ℣. 27. Hic miserrimus est humanæ cæcitatis effe-
E ctus, arbitrari, Deum scelera punire nolle, quod eorum differt supplicium. Hæc mora, quin argumentum esse queat oblivionis in Deo, aut veniæ, certissima est illius furoris nota, ac præsagium acerrimæ ultionis ejus. His in terris parcit dumtaxat, at impios

1 יהכלו דרכו בכל עת 2 Βεβηλοῦνται αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ ἐν παντὶ καιρῷ. 3 Chald. מצלחין אורחתיה Ita Muis, Mont. Marian. alii. 4 Jun. Tremel. 5 כל צורריו יפיח בהם Aquil. *Flatu dejicis*. Symmach. *Ventilat*. Τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ ἐκφυσῷ. 6 אמר בלבו בל אמוט לדור ודור אשר לא ברע

7 Ita Sym. Οὐ περιτραπήσομαι εἰς γενεὰς, καὶ γενεὰς, ὅτε ἔσομαι ἐν κακώσει. Hieron. Chrysost. Athanas. alii plerique.

8 אלה פיהו מלא ומרמות ותוך 9 Hieronym. ad vers. 17. 10 תחת לשונו עמל ואון

11 ישב במארב חצרים במסתרים יהרג נקי 12 Sym. Ἐγκάθηται ἐνεδρεύων περὶ τὰς αὐλὰς, ἐν ἀποκρύφοις ἀποκτεῖναι ἀναίτιον. 13 Hebr. כאריה בסכה 70. Ὡς λέων ἐν τῇ μάνδρᾳ αὐτοῦ Alius, Ἐν τῷ περιφράγματι αὐτοῦ. Hieronym. *in Cubili ejus*. Ita August. Greg. Bruno. alii. 14 יארב לחטוף עני יחטוף עני במשכו ברשתו ידכה ישוח ונפל בעצומיו חלכאים 15 Horat. Epist. 16 Accipio משך pro *tractus*, non secus ac Syriaca versio, & pro חלכאים lego חכלאים *carceres*, seu *vivaria*, ubi clauduntur feræ.

17 Ταπεινώσει αὐτὸν, κύψει, καὶ πεσεῖται ἐν τῷ αὐτὸν κατακυριεῦσαι τῶν πενήτων. Interpretes hi vulgo reddunt עצים per ἰσχύω, κατισχύω, ὑπερισχύω κατακυριεύω, κρατέω.

pios ad æterna supplicia reservet. Deus aliquandiu scelera Nabuchodonosor, Evilmerodach, & Balthasar tulit; sed illius tandem ultio detonuit.

℣. 35. Exurge, Domine Deus; exaltetur manus tua.] Tempus est impii errorem auferendi, & justos de calamitate eripiendi. Exurge, & extolle manum tuam, ut in illos iræ tuæ ictus expromas; ostende, te numquam pauperum oblivisci. Septuaginta, & Latina quædam Exemplaria [1] legunt: *Ne obliviscaris pauperum tuorum in finem;* cùm Vulgata simpliciter habeat: *Ne obliviscaris pauperum*.

℣. 36. Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo: non requiret.] David Deum impellere vult, ut proposita gloriæ suæ cogitatione pauperum præsidium suscipiat. Impius te lacessivit, nomen sanctum tuum blasphemavit, de justitia, ac Providentia tua dubitavit; credidit, a te non videri, ac speravit futurum, ut illum impunem abire patereris. Alludit ad ℣. 27. ubi impius Dominum irritat, ambitione tumidus in furore suo dicens, Dominum ipsius peccata nequaquam expiscaturum. In Hebræo textu isthic eædem occurrunt voces, ac in ℣. 27. [2]: *Cur impius blasphemat*, vel contemnit *Dominum? eo quod dixit in corde suo; non requiret*.

℣. 37. Vides, quoniam tu laborem, & dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.] Si cunctaris injuriam persequi, justo viro illatam, non ideo questibus illius aures, vel impiorum improbitati oculos claudis; immo omnia diligenter scrutaris, cumquo ultionis tempus advenerit, eos terribili manus tuæ pondere obrues. Hebræus ita per paraphrasim reddi posset [3]: impius ait, te scelera illius minime inquisiturum, ac a te non videri; sed fallitur: vides enim omnes illius calumnias, ac flagitia; & apertissimis oculis ejus impietatem, atque injustitiam intueris; (ad litteram; *laborem, & irritationes ejus*, labor sæpius pro iniquitate usurpatur.) Vides ea quæ patrat facinora in te met, ac in Populum tuum; vides impietatem, quæ jampridem tuam indignationem irritat. Nosti, quod malum meretur, & supplicia, quæ ipsi præparantur. Hæc verba, *Tu laborem, & dolorem consideras*, hunc sensum possunt admittere. Supplicium differs, ut in eos tandem justissima ultio desæviat, eosque æternis suppliciis addicas.

Syriaca versio: *Vides erlmen, & furorem illius; expectas ne ipsum in manus tuas tradi?* Expectas ne, donec alius quidam illum ad te adducat? Scelera ejus nondum satis immania sunt, atque comperta? Deus impium considerat, atque præstolatur, donec ejus scelera ad cumulum usque pervaserint, ut summa in eum severitate animadvertat, uti ait S. Johannes Chrysostomus. S. Augustinus putat, Prophetam ad Deum se se convertere, veluti dicentem: Crederet aliquis videns, quam lento gradu scelestos punis, tibi, Deus, molestum esse, atque difficile, pœnas de peccatoribus sumere. Satis quidem patet, te severa hæc odisse supplicia &c.

℣. 38. Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor.] Non inter postrema Dei attributa in Scripturis, illud est protectoris pauperum, & orphanorum. Ubique se illorum causam suscepturum, eorum clamoribus aures præbiturum, ac quidquid boni, vel mali ipsis fiet, veluti sibi factum existimaturum esse profitetur. Hebræus [4]: *Pauper*, impotens, *relinquit tibi* causam, defensionem, personam suam: *Orphano tu eris adjutor*.

℣. 39. Contere brachium peccatoris, & maligni; quæretur peccatum illius, & non invenietur.] Contere illum, in pulverem redige, ipsius, & flagitiorum ejus memoriam funditus dele, ita ut non memoretur amplius. Vel: Confringe brachium Nabuchodonosor, insignem adeo, publicamque ultionem ab eo reposce, ut non audeat amplius sua se ostentare iniquitas impia. S. Augustinus: Contere brachium peccatoris; adime illi iniquitatum ejus instrumenta; & postmodum illum justum reperies [5]. Ast malim veluti ironice dictum intelligere: Contere brachium peccatoris; severa ultione illius scelera, ac flagitia persequere; & videbimus, utrum invenietur amplius, qualem se superbe ferebat. Vel: Et videbit, utrum ultionem exposcas, uti dixit: *Dixit enim in corde suo: non requiret*. Symmachus [6]: *illius impietas requiretur, ita ut ille non inveniatur amplius*. Si districte eum judicaveris, propter scelera sua peribit; primo quoque tempore ad nihilum redigetur; non videbitur amplius [7].

℣. 40. Dominus regnabit in æternum.... peribitis, Gentes, de terra illius.] Si Deus maturato vobis pœnas minime infligit, hæc est causa, quod est Æternus; illius ultionem evitare non poteritis. Si vobis parcit in tempore, in æternitate vos puniet. Si impunem vitam degitis, post mortem pœna vos manet. Vos autem infideles Populi, gentes Israelitis infensæ, quæ injuste illorum diripuistis hæreditatem; Babylonii, qui ea estis potiti; Philisthiim, Idumæi, qui illam veluti derelictam terram, atque primi occupantis, invasistis; nequaquam oblitus est Deus scelerum vestrorum; vos exterminabit de regione, quam Patriarchis promisit; peribitis de terra, quam sibi Dominus reservavit.

℣. 41. Desiderium pauperum exaudivit Dominus. Præparationem cordis eorum audivit auris tua.] Non expectat Deus, donec pauperes ad ipsum clamores emittant, atque ultionem poscant contra improborum impotentiam; hi enim satis habent virium, atque tantum sui terrorem possunt egenis, atque afflictis incutere, ut illi ne vocem quidem audeant proferre; sed videt Dominus tristitiam cordis eorum; secretiores eorum gemitus, atque desideria scrutatur, eosque audit, antequam clament [8], eorumque necessitatem, ac vota prævertit. Spiritus ejus ex imo cordis *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* [9], & in nobis parit ea desideria, & vota, quæ illi nuncupamus. At vocem hanc efficacem adeo, ac validam, quomodonam posset non audire? Hebræus [10]: *Domine audis desiderium pauperum*, vel eorum, qui mites sunt corde; *præparasti*, direxisti, confirmasti *cor eorum; & auris tua exaudivit* illos. Vel: *Desiderium pauperum exaudisti; audivit auris tua, quid ad te eorum corda dirigerent;* quod magis ad litteram videtur accedere. Symmachus [11]: Audisti desiderium pauperum: *audiat auris tua consilium cordis eorum*. S. Hieronymus: Domine, audisti desiderium pauperum: præparasti corda eorum: auris tua audiat illos. *Animarum verba sunt ipsa desideria*, inquit S. Gregorius l. 2. Moral. c. 1. Cordis clamor est ipsa charitas, ut ait S. Augustinus de Morib. Eccles. *Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur; amore denique in eo, quod revelatum est, permanetur.*

℣. 42. Judicare pupillo, & humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.] Hæc fini præcedentis Versiculi sunt subnectenda. Audiat auris tua preces, & gemitus captivi po-

---

1 70. Μὴ ἐπιλάθῃ τῶν πενήτων σου εἰς τέλος: Ita Aug. Psalter. Rom. Mediolan. Carnot. S. Germ.
2 על מה נאץ רשע אלהים אמר בלבו לא תדרוש vers. 34. Confer. cum vers. 27. Vulg. vel vers. 4. in Hebr.
3 ראתה כי אתה עמל וכעס תביט לתת בידך 70. Βλέπεις ὅτι σὺ πόνον, καὶ θυμὸν κατανοεῖς, τοῦ παραδοῦναι αὐτοὺς εἰς χεῖράς σου. Aquil. Ὁρᾷς ὅτι σὺ μόχθον, καὶ παροργισμὸν ἐπιβλέπεις. Symm. Εἶδες ὅτι σὺ πόνον, καὶ παροργισμὸν ἐπιβλέπεις. 4 עליך יעזב חלכה יתום אתה היית עוזר 5 Ita Chrysost. Confer. Isai. 28. 19. *Vexatio dabit intellectum auditui.* 6 Sym. Ἐκζητείσεται ἡ ἀσέβεια αὐτοῦ, ἵνα μὴ εὑρεθῇ αὐτός.
7 Ita Chrysost. Theodoret. Origen. Nicephor. Athanas. Vide Catenam. Et ita August. hic. *Judicatur & de peccato suo, & ipse peries propter peccatum suum.* 8 Isai. 65. 24. *Antequam clament ego exaudiam.*
9 Rom. 8. 26. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*
10 תאות ענוים שמעת יהוה תכין לבם תקשיב אזנך 11 Τὴν πρόθεσιν τῆς καρδίας αὐτῶν προσέχει τὸ οὖς σου.

vi populi tui, ut misericordia commotus injurias illius ulcifcaris, & Babylonios, qui infirmos opprimunt, confringas. Hebræus [1]. Aurem tuam attentam præbe, *ut litem orphano, & afflicto adjudices, neque ille persistat opprimere hominem super terram*. Cesset impius, per impotentiam in infirmos sævire, neque disperdat eos de terra [2]: Non opprimat illos amplius

A vi sua, neque ejiciat eos de hæreditate; regione, ac domo eorum. Alii reddunt [3]: *Ne homo e terra*, mortalis scilicet, amplius potestate sua abutatur *adversus infirmos*: Vel [4]: Ne homo opprimat amplius pauperes terræ, popellum regionis suæ. Discant Babyloniorum Reges potentem Domini manum metuere.

1 לשפט יתום ודך בל יוסיף עוד לערץ אנוש מן הארץ 2 Ita Syr. Mont. Pagn.
3 Muis, Varab. Geier. Mari. Tig. Munst. 4 Abenezra, R. Salom.

PSALMUS X.

Amici David eum adhortantur, ut in montes se se recipiat, ad Saulis persecutionem vitandam: at ille respondet, quod omni spe in Domino suo posita, nihil sub illius patrocinio veretur.

In finem Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Hebraicus titulus verti potest [1]: *Psalmus David ad musices moderatorem*. Vel simpliciter; *ad David musices magistrum*. Patres [2] & omnes ferme Interpretes hunc Psalmum rejiciunt in primum tempus, quod Saul Davidem est persecutus; cujus amici explorato infenso Regis animo, qui iram in illum conceptam deponere minime poterat, eum adhortantur, ut in montes aufugiat, ne tandem in ejus manus prolabatur. David restatur confidentiam suam in Deum, & excusat se, nisi illorum monitis pareat.

Judæi quidam allegoristæ id explicant de Ezechia a Sennacherib lacessito, quem omnes hortabantur, ut se reciperet, ne Regis Assyriorum armis opprimeretur. Complures e Patribus [3] in mystico sensu de Hæreticis explicant, qui fidelibus persuadere conantur, ut ab Ecclesia secedant, ut ab aliis sepositi in majori vitæ perfectione degant, & majorem doctrinæ puritatem percipiant.

1. IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem si-
cut passer? 2 Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sa-
gittas suas in pharetra: ut sagittent in obscuro rectos corde. 3 Quoniam
quæ perfecisti, destruxerunt: justus autem quid fecit? 4 Dominus in templo san-
cto suo, Dominus in cœlo sedes ejus. 5 Oculi ejus in pauperem respiciunt: pal-
pebræ ejus interrogant filios hominum. 6 Dominus interrogat justum, & impium:
qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. 7 Pluet super peccatores la-
queos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. 8 Quoniam
justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

℣. 1. IN DOMINO CONFIDO: QUOMODO DICITIS ANIMÆ MEÆ: TRANSMIGRA IN MONTEM SICUT PASSER?] Vel simpliciter [4]: *uti aviculа*: eadem pernicitate, atque promptitudine, ac avis parvula. Nequicquam conamini mihi suasuri, ut me recipiam. Dominus est virtus mea, & testis innocentiæ meæ; noverit ille me tueri adversus hostes meos. Hebræus habet [5]: *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ*, mihi ipsi; *fuge in montes suos*, tamquam *avicula*. Perinde quasi viri e Tribu Juda illum adhortarentur, ut in montes suos se reciperet, ubi revera David deinceps satis diu permansit. Sed veteres Interpretes [6] non legerunt vocem illam *suos*; at simpliciter: *transmigra in montem*.

Alii in sensu penitus opposito vertunt [7]: In Domino confido: *cur dicitis mihi: aufuge*, transmigra *de monte tuo*, A *sicut avis*? Perinde ac illum adhortarentur, ut a ditione Saul in alias terras migraret. Denique verti potest: *In Domino confido: quare me adhortamini?* (Procul estote: *tamquam* timidæ *aviculæ in montes vestros avolate*; consiliis vestris aures non admoveo:) Cur dicitis mihi vers. 2. *peccatores arcus suos tetendisse &c.* Hæc omnia ex duplici errore proficiscuntur [8], qui post Septuaginta, ac S. Hieronymum in Hebraicum textum obrepsere. Minime recedendum est a sensu Vulgatæ, qui est perfacilis. Plerique Interpretum hoc esse putant monitum amicorum David; at Muis, Vatablus, Mariana, aliique ad illius inimicos referunt, qui eum cogere volebant, ut apud externum quempiam concederet: perinde dixissent: Perge, egredere de Judæa, desere patriam, ac Religionem tuam: aliter te Sauli trademus. David in Regum libris [9] eo-

1 למנצח לדוד 2 Chrysost. Theodoret. Euthym. Beda, &c.
3 Hieron. Aug. Greg. Magn. Cassiodor. 4 Hebræum צפור & Græcum Στρουθίον, sæpe pro ave usurpantur.
5 ביהוה חסיתי איך תאמרו לנפשי נודי הרכם צפור 6 70. Chald. Hieronym. Syr. Interp. Græci. Legerunt הרכם צפור pro הר כמו ספור 7 Vide Vatab. Jun. Munst. Tig. Pisc. Gejer.
8 Hæc duo menda sunt נודו pro נודי & הרכם־צפור pro הר כמו צפור
9 1. Reg. 26. 19. *Maledicti sunt in conspectu Domini, qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, & servi Diis alienis.*

coram ipso Saule conqueritur de illis, qui, quantum in ipsis erat, eum ejiciebant de Domini hæreditate, dicentes: *Vade, & servi Diis alienis*. Ego vero hoc amicorum David consilium fuisse reor, metuentium, ne Saul per fas ac nefas illum perdere adniteretur. Nihilominus David eorum consiliis non cessit, nisi cum ibi amplius permanere non potuit, & cum Dominus, Summi Sacerdotis oraculo, edixit illi, ut se reciperet 1. Reg. 22. 13. 15.

℣. 2. QUONIAM ECCE PECCATORES INTENDERUNT ARCUM; PARAVERUNT SAGITTAS SUAS IN PHARETRA, UT SAGITTENT IN OBSCURO RECTOS CORDE.] Hebræus ait [1]: *tetenderunt arcus suos, & posuerunt sagittas suas super funem arcus, ut* in obscuro *ejacularentur adversus rectos corde*. Sagittæ illorum nervo jam aptatæ sunt [2]: arcus paratus est; ipsique præsto sunt, in te jacula emissuri. Nequam palam irruent in te, sed clam, proditorie, noctu [3]. Inimici tui, & qui tuæ invident gloriæ, conantur te apud Saulem funditus perdere, secreto, & clanculum alentes, atque augentes diffidentis, & crudelis hujus Regis suspiciones.

℣. 3. QUONIAM QUÆ TU PERFECISTI, DESTRUXERUNT; JUSTUS AUTEM QUID FECIT?] Saulis fautores, & Saul ipse pro virili diruunt ea, quæ in mei gratiam perfecisti, atque decresti, o Domine! Me perdere adnituntur, ac inanes, vacuasque efficere promissiones, & electionem tuam [4]: Quid enim feci? Num scelera mea, ac male præstita officia, & ambitio mea hanc mihi apud Regem, aulicosque illius conflarunt invidiam? Tu testis es innocentiæ meæ. At non mea isthic, sed tua agitur gloria.

Hebræus habet [5]: *Destruxerunt fundamenta, Justus autem quid fecit?* Vel: *quid faciet?* Inimici mei omnes Leges tuas subverterunt [6]; humanum, divinumque jus conculcarunt: quid autem Justus facere potest in statu hoc tot vitiis, ac sceleribus affluenti? Sed prior versio; *Justus autem quid fecit?* est melior. Si secundam legendi rationem præferre malles; inferendum esset; Ego aufugere debeo, ac alibi asylum mihi perquirere; quod hoc in loco Davidis menti contrarium est. Reddunt quidam: *fundamenta*, consilia, conatus *impiorum subvertentur; Justus enim quid fecit?* Non permittet Deus, ut inimici mei voti damnentur: quid enim feci? potest; ne Domini justitia eorum me furori tradere, in rectitudine cordis mei? Aliter [7]: *retia* inimicorum meorum *disrupta sunt: quid autem justus fecit?* Dicitis inimicos meos jam arcum tetendisse, paratos esse, ut in me sua tela contorqueant: at retia eorum fracta sunt, eorum laquei detecti; quid inde mihi metuendum est? Quid feci?

℣. 4. DOMINUS IN TEMPLO SANCTO SUO; DOMINUS IN COELO SEDES EJUS (℣. 5.) OCULI EJUS IN PAUPEREM RESPICIUNT.] Hæc est vera confidentiæ meæ ratio, propter quam nihil expavesco; primum quidem innocentia mea; mox vero præsentia Domini in Templo suo, vel in Tabernaculo suo, & in Cœlo, unde ea omnia, quæ hic transiguntur, prospectat; tertio denique, quod ipse protector est pauperis, atque oppressi. Innocentia, & infirmitas mea me divini præsidii certum efficiunt. Deus manuum mearum, meique cordis puritatem agnoscit. Certus sum, ipsum minime permissurum, ut meis inimicis succumbam. Si *Templi* nomen in rigorosa significatione intelligere velis, Psalmus hic Davidi tribui non poterit, Templum enim post illius obitum tandem ædificatum est. Verum ostendimus alibi [8], Tabernaculum, & locum, ubi Arca aderat, vel etiam ante Davidem ipsum, Domum Dei, ac Templum illius nuncupatum fuisse.

Hebræus [9]: *Dominus*, cujus *sedes est in Palatio sanctitatis suæ*, vel in Sanctuario, & cujus *thronus est in Cœlo, oculis suis considerat, palpebris suis scrutatur filios Adam*. Textus hic non loquitur *de paupere*, quem Septuaginta, Vulgata, & Arabica versio legerunt. Theodoretus legit [10]: *Oculi Domini in terram considerant; palpebræ illius examinant filios hominum*. Licet maxime elatus sit super nos Dominus, non negligit tamen filios hominum; omnia illorum vestigia scrutatur, & omnes illorum actiones ad examen vocat. Itaque confido, justitiam meam nequaquam semper oppressum iri; sed Dominum inimicorum meorum nequitiæ, ac impotentiæ limites constituturum. Eliphaz in Job hanc veritatem agnoscit, Deum scilicet omnes hominum incessus explorare [11]: *An non cogitas, quod Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur? Et dicis: Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat*. Hanc veluti impii sententiam proponit.

℣. 6. DOMINUS INTERROGAT JUSTUM, & IMPIUM. QUI AUTEM DILIGIT INIQUITATEM, ODIT ANIMAM SUAM.] Dominus est Judex justus bonorum, atque malorum; eos juridice interrogat, & quæstionem habet; eos punit, & probat [12]. *Interrogare* nonnumquam in hoc sensu usurpatur. Ita quicumque vult salvam facere animam suam, eamque a novissimis eruere infortuniis, effugere debet iniquitatem; qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Qui peccat, inimicus est sui ipsius, vitæ suæ, atque felicitatis.

Hebræus aliter explicatur [13]: *Dominus probat Justum, & anima ejus odit impium, & eum, qui diligit injustitiam* [14]. Si permittit Deus, ut justus mala ab impio illata patiatur, id finit, ut illius innocentiæ, ac virtutis periculum faciat; at si impium affligit, eum in flagitiorum illius odium exagitat. Nonnulli reddunt [15]: *Dominus est justus examinator* hominis; *at odit impium &c.*

℣. 7. PLUET SUPER PECCATORES LAQUEOS: IGNIS, & SULPHUR, & SPIRITUS PROCELLARUM PARS CALICIS EORUM.] David alludit ad Sodomorum excidium [16]; memoratque insigne hoc divinæ ultionis in impios exemplum, ut Dei ultricem justitiam confirmet. Sodomæ incendium figura est ignis æterni, teste S. Juda Apostolo [17]: Hæ loquendi rationes: *pluet super peccatores laqueos*, mirifice ostendunt promptum, repentinum, violentum, ac inevitabile impiorum supplicium. Tunc repentinus, ac vehemens malorum omnium imber in illos ingruet, cum longius eorum aberit expectatio. Ignis, sulphur, tempestas, fulmina, fulgura, tonitrua, ignis de Cœlo, grando, turbines; hæc inquam omnia eas pœnas designant, quibus nonnumquam Deus nefarios homines in terris punit, & eas, quas in Inferno ad Æternitatem reservat.

He-

---

1 ידרכון קשת כננו חצם על יתר לירות במו אפל לישרי לב 2 Aquil. Sym. Ἡτοίμασαν βέλος αὐτῶν ἐπὶ τὴν νευράν. 3 70. Ἐν σκοτομήνῃ. August. *In obscura Luna. Nocte illuni*. Symmac. Ὡς ἐν ζόφῳ. 6. Edit. Ἐν τῷ ἐπιδεῖξαι τὸ σκότος. 4 Theodoret. 5 כי השתות יהרסון צדיק מה פעל

6 Ita Sym. Οἱ θεσμοί. Alius: Αἱ διδασκαλίαι. *Documenta*. Aquil. Ὡς θεμέλιοι. *Fundamenta*. 6. Edit. Αἱ διαδοχαί. *Traditiones*. 7 Pagn. Vatab. Cocc. 8 Vide Comment. in Psal. 5. 7.

9 יהוה בהיכל קדשו יהוה בשמים כסאו עיניו יחזו עפעפיו יבחנו בני אדם

10 Οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ εἰς τὴν οἰκουμένην ἐπιβλέπουσι, τὰ βλέφαρα αὐτοῦ ἐξετάζει τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων 70. Εἰς τὸν πένητα ἐπιβλέπουσι. Ita Origen. & Basil. Chrysost. Euseb. Athanas. 11 Job. 22. 12. 13.

12 Sap. 2. 19. *Tormento interrogemus eum*. Et 6. 4. *Interrogabit opera vestra*. 11. 11. *Hoc quidem tamquam pater monens probasti, illos autem tamquam durus Rex interrogans condemnasti*.

13 יהוה צדיק יבחן ורשע ואהב חמס שנאה נפשו 14 Ita Hieron. Chald. Syr. Interp. Græc apud Chrysost. Κύριος δίκαιον δοκιμάζει. Ita plerique recentiorum.

15 Quid. apud Chrysost. Κύριος δίκαιος ἐξετάζει. 16 Ita Theodoret. Genes. 19. 4.

17 Judæ vers. 7. *Facta sunt in exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes*.

Hebræus [1]: *Pluet super peccatores laqueos*, vel prunas [2]; *ignis, sulphur, & impetuosus ventus non fine grandine*, vel terroris spiritus [3], vel ventus adurens [4], *hæc erunt pars calicis eorum*. In conviviis singulis portio sua & vini in poculo, & carnis in quadra distribuebatur. *Calix* ponitur pro malorum hujus vitæ parte, quæ nostrum cuilibet sunt subeunda. At non parva impiis pars cedit. Prunæ, ignis, sulphur, grando, hæc omnia erunt in calice eorum: hæc illorum pars erit. Similitudo calicis sæpe hoc in sensu a Scriptura usurpatur [5].

℣. 8. QUONIAM JUSTUS DOMINUS, & JUSTITIAM DILEXIT: ÆQUITATEM VIDIT VULTUS EJUS.] Dominus eo, quem vidimus, modo in impios desæviet, quoniam justus, & æquus est, & patentibus oculis æquitatem cernit, eam amat, ac probat. Justum præmiis, iniquitatem vero suppliciis prosequitur.

Hebræus [6]: *Nam Dominus est justus, & diligit justitiam: Vultus ejus intuebitur* æquitatem [7]. Vel justus est, justitiam diligit; *Justi illius faciem videbunt* [8]: Audebunt coram illo prodire; fidenter ante illius faciem apparebunt. Vel: Dominus Justis quidem se se prodet, Injustis vero se abscondet. JESUS CHRISTUS in Evangelio Matth. 5. 8. pollicetur fore, ut qui recto sunt corde, Dominum Deum videant.

1 ימטר על רשעים פחים אש וגפרית ורוח זלעפות מנת כוסם
2 Interp. apud Chrysost. Ὕσει ἐπὶ παγίδας ἀνθρακας. Ita & Vatab. Jun. Muis, Geier.
3 Vatab. Abnezr. Kimchi. 4 Rab. Sal. Muis, Vatab.
5 Psal. 74. 9. Isai. 51. 17. 22. Jerem. 25. 15. 49. 12. Thren. 4. 21. Matt. 20. 22. 26. 39. 42. Johan. 18. 11.
6 כי צדיק יהוה צדקות אהב ישר יחזו פנימו 7 Ita Hieron. Ludov. de Dieu.
8 Chald. Arab. Vatab.

PSALMUS XI.

Descriptio corruptionis sæculi, & infidelitatis hominum. Psalmista Dei opem implorat, ac inimicorum suorum interitum vaticinatur.

In finem pro Octava, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

IN FINEM PRO OCTAVA, PSALMUS DAVID. Vel *Psalmus David inscriptus Moderatori musices, qui octavæ Musicorum classi præest* [1]. Vide titulum Psalmi 6. & primum Paralipomenon cap. 15. 21. & 25. 15. ubi quænam sit hæc octava, aperte ostenditur. Veteres, qui ad moralem sensum traduxere hæc verba, *Pro Octava*, vel de Incarnatione, vel de Salvatoris passione, vel de extremo Judicio intellexerunt [2]. Qui vero litterali Psalmi hujus explicationi adhæserunt, quin titulum animadverterent, in diversa abierunt. Plerique eum referunt ad tempus persecutionum Saul [3]; alii ad Absalonis ævum [4]; alii ad Babylonicam captivitatem [5]; & alii eum moralem simpliciter Psalmum esse putant, qui flagitia, & morum corruptelam, quæ tunc grassabatur, describit: præcipue vero bonæ fidei, atque rectitudinis defectum. Eorum sententia, quæ hunc in Saulis tempora rejicit, satis sibi constat. David coram Domino queritur de improba fide, ac dolis Aulicorum, qui Saulis animum in ipsum Davidem exasperabant, atque hujus fidem apud Regem in suspicionem vocare adnitebantur. Invehitur in illos, qui prava assentatione iniquum Regis affectum ipsi quoque induebant, & qui illius improbitati, atque crudelitati veluti instrumenta deserviebant. Tales illi fuerunt, qui Davidi dixerunt 1. Reg. 18. 22. *Ecce places Regi, & omnes servi ejus diligunt te: Nunc ergo esto gener Regis*: quod ipsi dicebant, ut illum in apertum mortis periculum adducerent, eumque de medio tollerent. Peculiariter quoque referri potest ad tempus proditionis Doeg, & Ziphæorum, quorum prior Regi indicavit, quæ facta fuissent in Nobe, inter Davidem, & Achimelech [6], alii vero Regem certiorem fecere, inimicum ejus in ipsorum terra versari [7]. At ratio, quam Psalmus hic habet cum Psalmis 13. 15. & 52. qui Babylonicam respiciunt captivitatem, nos cogit, ut in novissimam hanc sententiam concedamus.

1. SAlvum me fac, Domine; quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. 2 Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde, & corde locuti sunt. 3 Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam. 4 Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est? 5 Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. 6 Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo. 7 Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. 8 Tu, Domine, servabis nos: & custodies nos a generatione hac in æternum. 9 In circuitu impii ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

SAL-

1 למנצח על השמינית מזמור לדוד 2 Theodoret. August. 3 Muis, Bossuet.
4 Grotius. 5 Ferrand. 6 1. Reg. 22. 9. 7 1. Reg. 23. 19.

℣. 1. SALVUM ME FAC DOMINE, QUONIAM DEFECIT SANCTUS; QUONIAM DIMINUTÆ SUNT VERITATES A FILIIS HOMINUM.] Omnibus semper sæculis verum fuit, eritque temporibus omnibus, Sanctorum, justorum, piorumque virorum infrequentem esse numerum, & veritates, Ethicæ præsertim, ac Religionis imminutas, obscuratas, parum cognitas, & minus adhuc opere esse completas. Cum animum advertimus ad eas descriptiones, quas nobis exhibent Prophetæ, eorum scelerum, quæ apud Hebræos grassabantur; cumque ea perpendimus flagitia, quæ Patres, atque Ecclesiastici sæculorum omnium auctores in Christianis ipsis exprobrarunt, hodie quoque cum Psalmista asserere tenemur: *Defecit Sanctus, diminutæ sunt veritates a filiis hominum*. Vel cum veteri quodam Sapienti viro [1]: *omnia scelestis referta sunt*. Babylon erat civitas una Orientalium omnium maxime vitiis diffluens, sedes impietatis, superstitionis, idololatriæ, maximorumque flagitiorum; quorum intuitu hujus Psalmi auctor exclamat: *Defecit Sanctus*.

Hebræus [2]: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus*, justus, pius, misericors [3], *quoniam veri*, fideles, sinceri, recti, *non inveniuntur amplius inter homines*. Nulla amplius in terris pietas est, fides, æquitas. Hi questus sunt captivorum Babylonis, qui a Babyloniis civibus oppressi miserrimæ servitutis durissimum jugum ferre tenentur.

℣. 2. VANA LOCUTI SUNT UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM: LABIA DOLOSA IN CORDE, & CORDE LOCUTI SUNT.] Hæc verba satis perspicua sunt. En textum Hebraicum [4]: *protulerunt mendacium alii, cum aliis: labia adulantia*, dolosa (ad litteram fluentia, lubrica) *locuta sunt in corde, & corde*. Babylonii in id unum incumbunt, ut invicem se se decipiant, ac in errorem impellant: perpetuis utuntur dolis, fucatisque vocibus, & duplici corde os sublinire adnituntur; *Tamquam infernum odi illum, qui aliud in corde suo celat, quam quod ore pronuntiat*, Homerus Iliad. I. ait. Hoc est cor duplex. *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis*, inquit S. Jacobus 1. 8. Nulla haberi potest fides viro duplici, atque mendoso.

℣. 3. DISPERDAT DOMINUS UNIVERSA LABIA DOLOSA, & LINGUAM MAGNILOQUAM.] Prædicit interitum mendacium, & eorum, qui insolenter superbi se jactant. Non optat eorum calamitatem, sed illorum correctionem petit; neque illis mala imprecatur, sed vaticinatur dumtaxat [5]: *Numquid maledicendo dicis? Non; quia non est mos Sanctorum maledicere: sed pronuntiando, quod futurum est, dixit; non optando, sed prophetando*. Linguæ magniloquæ, de quibus loquitur, eæ sunt, quæ ea dictitant, quæ versiculo sequ. visuri sumus: *Labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est?* Hi blasphemi sunt, non secus ac Pharao, qui ajebat Exod. 5. 2. *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam*; vel insolentes, uti Rabsaces, qui dicebat 4. Reg. 18. 19. 33. Sperasne, a Deo tuo te liberatum iri de manu Regis Assyriæ? Dii gentium potueruntne earum tueri regiones ab hujus Monarchæ potentia? Vel denique superbi, uti Nabuchodonosor, qui Deus haberi volebat, dicebatque Danieli [6], & sociis illius; nisi adoraveritis statuam, quam posui, in fornacem ignis ardentis projiciemini: *& quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Hebræus hic habet ad litteram [7]: *Dominus evellet*, exterminabit, *omnia labia adulantia*, lubrica, *& linguam magniloquam*. Vide 1. Reg. 2. 3. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes*.

℣. 4. QUI DIXERUNT: LINGUAM NOSTRAM MAGNIFICABIMUS; LABIA NOSTRA A NOBIS SUNT: QUIS NOSTER DOMINUS EST?] Vel Herus, non enim hic nomen Dei reperitur, sed *Adon*, quod simpliciter herum significat. Superbe, atque insolenter loquemur; Nonne nobis integrum est? Quis vetabit? Queritur de Babyloniis, qui impotenter in Judæos captivos, pauperes, egenosque sæviebant. Opprimamus eos calumniis. Quem vereri debemus? Quis nobis resistet? Hebræus [8]: dixerunt: *Communiemus nosmet*, nosmet confirmabimus *lingua nostra*, vel sedulo probabimus ea, quæ dixerimus, perfricta fronte eas calumnias, quæ in illo evomuerimus, asseremus; *linguæ nostræ sunt coram nobis*: nos earum domini sumus. *Quis est herus noster?* Quid facere poterunt, miseri hi alienigenæ contra nos? Quomodonam se ipsos tuebuntur? Ea equidem persuadere noverimus, quæ optabimus. Quis nos mendacii redarguet? *Habemus labia* [9], eloquentiam.

℣. 5. PROPTER MISERIAM INOPUM, ET GEMITUM PAUPERUM, NUNC EXURGAM.] Deus pauperis infelicitate ad misericordiam actus, & impiorum insolentia succensus, exurgit, ut ultionem sumat, velut Heros, qui consurgit, ac in aciem descendit, hostes suos profligaturus. Hebræus [10]: *exurgam, dicit Dominus, propter desolationem*, direptionem, vexationes, quas exercuero *adversus pauperes, & propter gemitus*, suspiria, ploratus *egenorum*. Patres quidam [11] hæc omnia in spiritali sensu intelligunt de humanæ naturæ gemitu, ac veterum Patriarcharum votis, quibus Deus Filii sui adventum concedit. At omnino commode explicari possunt de liberatione e Babylonis captivitate.

℣. 6. PONAM IN SALUTARI; FIDUCIALITER AGAM IN EO.] Verba hæc plerumque Deo tribuuntur. Consurgam, educam de captivitate populum meum, ejusque jugum proscindam; tribuam illi salutem, statam, perennemque felicitatem in regione sua, idque liberrime, audenterque efficiam, quin aliquis ne prodire quidem audeat, ut mihi adversetur. Ad Hebræum populum quoque referri possunt, hoc sensu: *Constituam* spem meam *in salute ejus, & refertissimam in ipso fiduciam habebo*. Isaias in simillimo sensu hæc habet c. 12. 2. *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo*. Hic sensus melior videtur, & melius cum iis, quæ sequuntur, congruit. Spei meæ causa sunt promissiones, & voces Domini: *Eloquia Domini, eloquia casta* &c. Mihi post certum tempus libertatem, ac harum omnium calamitatum finem spopondit. Hæ promissiones sunt meæ confidentiæ argumentum.

Septuaginta, atque antiqui Interpretes in Hebraicis Exemplaribus suis longe aliter ab iis, quæ nunc extant, legerunt. En Hebræum [12]: *Ponam in salute, flabo adversus illum*. Pauperem, & afflictum salvum faciam: nequicquam impius flabit adversus illum, velut serpens, qui sibilat, atque mininatur, quin mordere queat. Alii reddunt: *Ponam illum in loco tuto; flet hostis*, quoad volet, *adversus illum*. Aliter: Eruam pauperem, justum de manu impii, justus flabit adversus impium; illudet illi, contemnet eum. Vel denique: Salvum faciam pauperem injuste oppressum; tue-

1 Bias, apud Laert. Οἱ πλεῖστοι κακοί. Vel ut est apud Clem. Alexand. lib. 1. Strom. Πάντες ἄνθρωποι κακοί.
2 הושיע יהוה כי גמר חסיד כי פסו אמונים מבני ארם 3 70 Ἐκλέλοιπεν ὅσιος. Aquil. Ἅγιος. Castus.
4 שוב ידברו איש את רעהו שפת חלקות בלב ולב ידברו Symmach. Χείλη δόλια ἐν καρδίᾳ ἄλλῃ, καὶ ἄλλῃ λαλεῖ.
5 Hieronym. hic. Vide & Chrysost. & Theodoret. 6 Dan. 3. 15.
7 יכרת יהוה כל שפתי חלקות לשון מדברת גרלות 8 אשר אמרו ללשננו נגביר שפתינו אתנו מי ארון לנו
9 Symmach. Χείλη παρ᾽ ἑαυτοῖς ἡμῶν, τίς δεσπότης ἡμῶν; alius: Τίς κυριεύει ἡμῶν.
10 משד ענים מאנקת אביונים עתה אקום יאמר יהוה. Aquil. Ἀπὸ προνομῆς πενήτων, ἀπὸ οἰμωγῆς πτωχῶν. Propter expilationem, vastationem, &c. Symmachus: Διὰ κακοπάθειαν πτωχῶν, διὰ οἰμωγὴν πενήτων. Propter male habitos pauperes &c. 11 Hieronym. Theodoret.
12 אשית בישע יפיח לו

tuebor illum ab affligentibus, atque flantibus in eum. Alii Hebraicum textum in aliam significationem detorquent. *Dominus salvum faciet pauperem*, impius *illi insidias struet*, vel struat illi insidias; vel Deus educet illum ex insidiis, quas impius illi constituit. At Septuaginta lectionem præferimus [1]: *statuam* spem meam *in salute* ejus; *in illo confidam*. S. Hieronymus: *Ponam in salutari auxilium eorum*: tribuam illis auxilium, quod eos salvos faciet. Quod longe distat ab iis, quæ hodie in Hebræo textu leguntur, qui hoc in loco corruptus fuisse videtur.

ỳ. 7. ELOQUIA DOMINI, ELOQUIA CASTA; ARGENTUM IGNE EXAMINATUM, PROBATUM TERRÆ, PURGATUM SEPTUPLUM.] Domini promissiones certissimæ sunt. Nihil ab hostibus formido. Norit ille adimplere promissiones suas in me, licet isti adversentur. Verba Domini sunt *casta*, pura, sine ulla falsitatis, mendacii, doli immixtione; longissime seposita a dolosis virorum, qui duplici sunt corde, sermonibus, de quibus primum sermo fuit. Sunt autem velut argentum defæcatum, quod per ignem probatum est, & quod positum est *in terra*, vel in fornacula fusoria [2], probatum terræ, vel ab terrestribus [3], atque eterogeneis, quæ immixtæ esse poterant, purgatum particulis. Hoc est metallum *septies* depuratum, videlicet pluries [4], atque ad majorem, qui fingi queat, puritatis gradum evectum. Alii hæc verba, *probatum terræ* explicant de argento ea *in regione approbato*, argento scilicet perfectioris notæ, & qualitatis; alii *de argento a Regionis Domino*, Rege, Principe, *approbato*.

Ego vero Hebræum ita reddere mallem [5]: *Verba Domini sunt verba purgata, argentum igni probatum sedulo*, cum arte, *aurum depuratum septies*. Lego *haruts* aurum, pro *harets* terram. Vox *halil*, vel *halilah*, quæ sine ulla ratione *fornaculam fusoriam* significare supponitur, certe significat [6] laborem, diligentiam, curam, artem; quæ ad metallum hoc rite probandum maxime requiruntur. Hebræi propriam habent vocem ad significandum *vas fusorium* [7], neque ipsos uspiam voce *halilah* in hoc sensu uti repereris; at frequentissime quidem pro labore, cura, diligentia eandem usurpatam invenies.

ỳ. 8. TU QUIDEM, DOMINE, SERVABIS NOS A GENERATIONE HAC IN ÆTERNUM.] Educes nos de nequissima hac civitate, & liberabis nos de manu crudelium, atque sævissimorum Dominorum, populique perversi. Aliter. Erues nos ab omni periculo & in hoc præsertim tempore, & in æternitate: *a generatione hac in æternum*. Liberabis nos de impotentium virorum manu in hac vita, in altera vero a suppliciis æternis. Septuaginta, & vetera quædam Psalteria legunt [8]: servabis nos in hac generatione, & in æ-

A ternum. Hebræus [9]: *Et tu, Domine, serva illos, salvos fac servos tuos, tuere eos ab hac generatione usque in æternum*. Vel potius: *Et tu Domine servabis nobis*, eas promissiones, de quibus modo locutus est; *custodies*, exequeris *eas in tempore, ac in futuris sæculis*. Sensus hic magis naturalis videtur [10]. Ea, quæ pollicitus nobis fuisti, perfectissime adimplebuntur, & in præsens tempus, & in futurum.

ỳ. 9. IN CIRCUITU IMPII AMBULANT. SECUNDUM ALTITUDINEM TUAM MULTIPLICASTI FILIOS HOMINUM.] Impii irritum laborem trahunt; se se movent, quin progrediantur, absque mora circum eunt, & semper unde discesserant, revertuntur. Vita eorum jugis est orbis lapsus, atque relapsus, de sceleribus in scelera, de præcipiti provolvuntur in præceps.
B Vel potius: Impii jugiter circum justos ambulant, ut eos deprehendant, atque in laqueos suos alliciant [11]. Si permittit Deus, ut hæ labes, ac pestes humanæ societatis persistant, atque magno in numero convalescant, ob id permittit, ut sua potestas, atque magnitudo effulgeant [12]: *secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*. Asseri potest, Magnitudinem, & Sapientiam Dei in impiorum, ac nefariorum virorum persona præsertim nitescere. Eos quoque licet invitos consiliis suis præsto esse cogit, atque per eos gloriæ suæ, & Electorum suorum consulit saluti, quem ad finem quidquid his in terris fit, atque contigit, necessario refertur.

Hebraico textui difficultas non deest [13]: *impii circumundique currunt, donec indignissimus quisque e filiis Israel elevatur*.
C Impii nos circumundique ambiunt, veluti famelici canes, nosmet voraturi, dum hominum flagitiosissimi, atque nequissimi, gloria, & prosperitate fruuntur. Aliter: *Impii circum nos ambulant*, ut nos incautos deprehendant; *& dum illi in elevatione*, & in honore *versantur*, alii *homines in contemptu*, atque opprobrio jacent [14]. Chaldæus: *Impii circum* nos *undique ambiunt, velut hirudo, quæ humanum cruorem exsugit*. Reddere mallem: Justi *circum impios ambulabunt*, eos involvent [15], *dum illi qui hodie sunt opprobrium hominum, elevabuntur*. Ad litteram: *circum impios ambulabunt, cum humilitas elevata fuerit pro filiis hominis*. Domine, cum eorum fidem præstiteris, quæ in gratiam Populi tui, pauperum horum captivorum, qui oppressi, atque contempti miserrimam trahunt servitutem, pollicitus es: tunc Babylonii eorum
D hostes contiescent, atque superabuntur a populis magis potentibus, ac justis, a Persis scilicet, & a Cyro. Vel: cum illi, qui hodie ab omnibus per summum dedecus contemnuntur, tandem elevabuntur, impii ad desperationem redigentur, & semper circum illos gradientur, quin ad eos audeant accedere [16]. Postremæ hæ duæ explicationes veræ sunt.

---

1 70. Θήσομαι ἐν σωτηρίῳ παῤῥησιάσομαι ἐν αὐτῷ Sym. τάξω σωτήριον ἐμφανῶς. *Ponam salutare evidens; eum salvabo in conspectu omnium*. S. Hieron. legit. *In salutari meo*, idque explicat de J. Christo. Arnob. & Psalt. Rom. *In salutare meum*. Psalt. Mediol. *In salutari suo*. Vetus quidam Intecpres Græcus: Ἐν σωτηρίῳ σε. *in vestro salutari*.
2 Ita Chald. Pagn. Mont. Geier. Muis, Genebr. Cocc. alii passim. 3 Ita Aquil. Χωρῶν τῇ γῇ
4 Vide Genes. 4. 15. Levit. 26. 24. Psal. 118. 64. Prov. 24. 16. ubi septem ponitur pro ingenti numero, & indefinito. 5 אמרות יהוה אמרות טהורות כסף צרוף בעלי לארץ מזקק שבעתים Lego מוקק שבעתים. S. Chrysostomus ait, Hebræum Legere *Laaros*. 6 Vide Psal. 13. 1. 65. 5. 76. 13. 77. 11. & passim. 7 כור vas fusorium Prov. 17. 7. Isai. 48. 10. 8 70. Διατηρήσεις ἡμᾶς ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα. Ita Psalt. Mediol. & S. Germ. & Edit. Complut. Vide & Theodoret.
9 אתה יהוה תשמרם תצרנו מן הדור זו לעולם 10 Ita Hieronym. Abenezra, Mariana, Hammond. alii. Quid. Intecp. apud Chrysost. Φυλάξεις αὐτά. 11 Theodoret. Kimchi, Muis, Vatab.
12 Genebr. Tirin. alii. 13 סביב רשעים יתהלכון כרם זלות לבני אדם
14 Kimchi, Vatab. Muis, Munst. &c. 15 Quid. apud Chryst. Κύκλῳ ἀσεβῶν ἐμπεριπατήσουσι, ὅταν ὑψωθῶσιν εἰς ἀτελεῖ τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων. Alius: κατὰ τὸ ὕψος ἀνιστάμενοι τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων.
16 Vide Hammond. hic. Rab. Salom. Abenezra, Muis.

PSALMUS XII.

Sensus animæ afflictæ, & enixe Divinum auxilium poscentis.

In finem Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Psalmi hujus titulus nihil habet peculiare. Interpretes non satis consentiunt, quoad tempus, quo compositus fuit; alii in tempus persecutionis Saul rejiciunt [1]; in Absalonis defectionem alii [2]; alii [3] ad Ezechiam referunt, a Sennacherib lacessitum; alii ad Babylonis captivitatem [4]; & denique alii, quin tempus aliquod statuant, generatim explicant, veluti sensus animæ afflictæ [5], & cum quadam impatientiæ specie Divinam opem expectantis; licet sub finem perfectam testetur fidem, atque lætitiam, quod ea jam, quæ poposcerat, impetrarit. Postremam hanc sequimur sententiam.

1. USquequo, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me? 2 Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? 3 Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice, & exaudi me, Domine Deus meus. 4 Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. 5 Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi. 6 Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini Altissimi.

℣. 1. USQUEQUO, DOMINE, OBLIVISCERIS ME IN FINEM? USQUEQUO AVERTIS FACIEM TUAM A ME.] Animæ, quæ in dolore, ac luctu versatur, diuturnum est quodlibet momentum. Credit, Deum sui oblitum fuisse, nisi prospere illi opituletur, neque votorum ejus solicitudinem exaudiat. Verum si Deus diutius nos clamores effundere patitur, sæpe clementiæ potius, quam sævitiæ est adscribendum, uti D. Chrysostomus ait. Avertit oculos suos ab illis, quorum intepuit charitas, & qui per negligentiam ab illo recedunt, ut eorum ardorem rursus accendat, atque confirmet infirmitatem. Sæpe a nobis oculos deflectit, nos inter tenebras deserit, ac eas, quas poscimus, denegat cognitiones, quod oculus animæ nostræ, uti S. Augustinus ait, nequaquam satis est mundus.

Hebraicus textus verti potest [6]: *Usquequo Domine? semper ne oblivisceris mei? Quousque abscondes mihi faciem tuam?* Satis liquet, has loquendi rationes ad Deum referri non posse, nisi in sensu figurato [7]. Faciem suam ab aliquo avertere, irati, indignantisque animi est [8]. Legendum est *oblivisceris* tempore futuro, uti est in Hebræo, Septuaginta, omnibusque Interpretibus [9]: legendum esset quoque *avertes* pro *avertis*; nam in Autographo, & in plerisque Versionibus in futuro tempore invenitur. Attamen Septuaginta in potiori Exemplarium suorum parte legunt in tempore præsenti; ex quibus Vulgata desumpsit; at in aliis futurum tempus exprimitur.

℣. 2. QUAMDIU PONAM CONSILIA IN ANIMA MEA, DOLOREM IN CORDE MEO PER DIEM.] Usquequo fluctuans ero, inquietus, solicitus, incertus, animoque semper recentia volutabo consilia, novasque vias inquiram, ut ex hostium meorum manu elabi possim, eorumque conatus irritos reddam? Semper ne sexcentis morosis cogitationibus distrahar, quæ animum meum jugi solicitudine exagitent? Septuaginta [10] in quibusdam Exemplaribus; S. Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius legunt: *Νυκτὸς, & interdiu*. At Hebræus, & Græcæ aliæ Editiones, non secus ac Vulgata, simpliciter habent *per diem*.

℣. 3. USQUEQUO EXALTABITUR INIMICUS MEUS SUPER ME?] Quo usque dominabitur mei, meque superabit? Quilibet pro modulo suo, ac juxta hypothesim suam *hunc inimicum* intelligit. Alii de Saule; alii de Absalone; alii [11] de Dæmone communi humani generis hoste interpretantur.

RESPICE, & EXAUDI ME.] Benigno oculo me intuere. *Respicere* in Scripturis passim pro favere usurpatur, ni aliqua accedat vox, qua determinetur in alium sensum. Apud ipsos profanos auctores, *respicere* hoc ipsum significat [12]: *nisi quis nos respexerit Deus*: & Juvenalis Satyr. 7.

Solus enim tristes hac tempestate Camænas
Respexit.

℣. 4. ILLUMINA OCULOS MEOS NE UMQUAM OBDORMIAM IN MORTE; NEQUANDO DICAT INIMICUS MEUS PRÆVALUI ADVERSUS EUM.] Ne permittas, me ab hostibus meis superari, ipsosque meæ illudere calamitati; postquam me prostraverint. Patres id de dæmone intelligunt, animarum nostrarum hoste, qui nobis illudit, postquam in scelus pellexerit. Habere inimicos malum est; sed longe majus malum ab iisdem vinci; hoc vero maximus censendus est infelicitatis cumulus, si victis victor adversarius impotenter illuserit [13]. *Obdormire in morte* significat, tristitiæ confectum occumbere; *illuminare oculos*, recentem innuit

1 Thom. Jans. Gandav. Cajet. alii. 2 Theodoret. Euthym. Nicephor. 3 Beda Venerab.
4 Ferrand. hic. 5 Hieronym. Muis, alii plures 6 עד אנה יהוה תשכחני נצח עד אנה תסתיר את פניך ממני
7 Chrysost. Theodoret. 8 Virgil. Æneid. IV.
Talia dicentem jam dudum aversa tuetur.
9 70. Ἕως πότε Κύριε ἐπιλήσῃ μου, ἕως πότε, ἀποστρέψεις τὸ πρόσωπόν σου ἀπ' ἐμοῦ. Quidam libri, ἀποστρέψεις. Aquil. Sym. Th. κρύψεις. *Abscondes.* Ita Chald. Syr. Interpp. omnes. 10 יגון בלבבי יומם 70. Ὀδύνας ἐν καρδίᾳ μου ἡμέρας, καὶ νυκτός. Ita Chrysost. Theod. Euthym. sed Edit. Rom. non habet. Καὶ νυκτὸς Sym. Μεριμνῶν ἐν τῇ διανοίᾳ μου καθημέραν. 11 August. Hieronym. Theodoret. Euseb. Athanas.
12 Cicer. ad Attic. lib. 1. 13 Theodoret. hic.

innuit prosperitatem. Lumen in Scripturæ stylo, felicitatem, lætitiam, secundamque sortem designat, non secus ac tenebræ, dolorem, tristitiam, adversitatem. Hebr. ad litteram [1]: *Respice, miserere mei, Domine Deus meus*: vel, Domine Judex meus, *illumina oculos meos, ne dormiam mortem*, vel ne somno mortis arripiar. Vetera quædam exemplaria legunt: *Ne unquam obdormiam in mortem* [2]; neque aliter Septuaginta. Jeremias 51. 39. hac eadem utitur loquendi ratione: *In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum*.

℣. 5. QUI TRIBULANT ME, EXULTABUNT, SI MOTUS FUERO. EGO AUTEM IN MISERICORDIA TUA SPERAVI.] Fieri ne posset, ut qui omnem in te spem collocarit, inimicis suis tradatur? Hanc illis voluptatem tribuere velles, ut epinicion canerent, quod te ipsum quodammodo vicerint, de me triumphum agentes? Superioribus subnecti potest hoc pacto, juxta Hebraicum textum: *Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte, & ne lætentur inimici mei, cum me commotum videriut*, vel in insidias suas, in scelera, lapsum; vel simpliciter de spe, qua in te confido, deturbatum [3]. Si hostium meorum impetum propulsare valeo, fateor equidem, hunc esse tuæ effectum misericordiæ: *Ego autem in misericordia tua speravi*. Si quid mihi laudis vendico, ait S. Augustinus hic, eo ipso me superbia victum ostendo: *Ne cum se gloriatur non esse motum, ipsa superbia moveatur*. Vetera quædam Psalteria legunt [4]: *Ego autem in misericordia tua sperabo*.

℣. 6. EXULTABIT COR MEUM IN SALUTARI TUO: CANTABO DOMINO, QUI BONA TRIBUIT MIHI; & PSALLAM NOMINI DOMINI ALTISSIMI.] Propheta vereri desinit; e gravibus solicitudinibus suis emergit. Interius enim promissionem celeris auxilii perceperat: addit etiam: *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini Altissimi*. Certus præsidii, atque misericordia Dei mei fretus, admirar, ut in summam lætitiam effusus gratum animum quolibet Canticorum, laudumque genere tester. Verba hæc: *psallam nomini Domini altissimi*, vel ut in veteribus Psalteriis legimus [5]: *Psallam nomini tuo. Altissime*, non extant in textibus Hebræo, Chaldæo, & Syro. Sed Septuaginta, Arabs, veteresque Patres tum Græci, cum Latini ea in textibus Græcis, Latinisque legerunt. En porro, quid Hebraicus textus habeat [6]: *Cor meum gaudio exultabit in salute tua*, in salute scilicet, ac liberatione, quam mihi procurabis [7]. *Laudabo Dominum*, psallam illi Cantica, *quoniam par pari reddidit mihi*. Mecum egit pro mea fiducia, juxta innocentiam, jus meum. Quemadmodum memet omnino in illius manum contuli; ita me sua protectione dignatus est.

1 הביטה ענני יהוה אלהי האירה עיני פן אישן המות 2 Psalt. S. Germ. & Carnot. 70. Ε'ις θάνατον. 3 Euthymius. 4 Psalter. Rom. Mediolan. Carnot. Bruno Ast. 5 Psalter. Roman. Carnot. S. Germ. 6 יגל לבי בישועתך אשירה ליהוה בי גמל עלי 7 Chrysost.

PSALMUS XIII.

Sensus Atheorum, Impiorumque, Dei Providentiam negantium. Dominus eos terrore replebit, pauperi patrocinabitur, populumque suum de captivitate revocabit.

In finem Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Quoad Psalmi hujus Auctorem, atque argumentum, in diversa abeunt Interpretes. Alii [1] ad Saulis persecutionem referunt, ac putant a Davide fuisse conscriptum, cum intellexit, se a Ceylanis Sauli fuisse detectum. Alii [2] ab eodem elaboratum fuisse ucedunt, cum trans Jordanem immorabatur cum parte eorum, qui sibi fideles adhæserant, dum reliqui e populo in Absalonis partes concesserant. Theodoretus, Euthymius, Nicephorus, Venerabilis Beda hunc differunt in tempus Jerusalem a Senoacherib obsidione vallatæ, vel potius ad Rabsacis minas, Sennacherib ad Ezechiam Regem Legati; & arbitrantur, Psalmi Auctorem intra psalmum ipsum exprimere blasphemias Imperatoris Assyriorum [3]. Alii [4] Babylonicæ captivitatis tempore compositum dicunt: alii denique credunt, David isthic exprimere sensus Atheorum ævi sui, eosque repellere iis rationibus, quibus Dei Providentiam probat. Patres [5], qui moralem sensum secuti sunt, hoc vaticinium esse autumant incredulitatis Judæorum, qui JESUM CHRISTUM in ipsius, ac discipulorum ejus persona persecuti sunt, & qui in dubio vocarunt illius qualitatem, non Dei solum, verum etiam hominis justi, ac Prophetæ. Alii tandem [6] in latiori sensu interpretati sunt, perinde ac exhiberetur humani generis corruptela, ac adventus Redemptoris necessitas.

Qui contendunt, hic sermonem esse de reditu e Babylonis captivitate, Psalmum hunc Aggæo, Danieli, vel alii cuidam Prophetæ Hebræo trans Euphratem incolenti acceptum referendum esse putant. Non desunt, qui Davidem ipsum citissimo correptum Enthusiasmo isthic prædixisse putent Babylonis captivitatem, cum de temporum suorum nequissimis moribus loqueretur. Alii autem Regem hunc de suo reditu in Jerosalem locutum volunt, post mortem, & cædem Absalonis sub nomine liberationis de Captivitate.

Ego vero simplicissime de Captivitate Babylonica intelligere malim. Propheta, quicumque ille fuerit, trans Euphratem degebat. Isthic Babyloniorum flagitia describit, eorum terrorem, excidiumque portendit. Lætatur fretus fore, ut quam primum de hoc exilio revertatur, videatque Juda, ac Israel in unum Populum iterum conjunctos. Psalmus 52. huic simillimus est, minimumque interest discrimen.

1 Cornel. Jansen. Gandav. le Blanc. Vat. Marian. Pisc. 2 Grot. Bossuet. 3 4. Reg. 18. 32. 4 Muis, Ferrand. 5 August. Hieron. Cassiodor. Remig. Bruno. Ast. alii Vide & Genebr. & Calov. Antigrot. 6 Hilar. Athanas. Euseb.

1. DIxit insipiens in corde suo: Non est Deus. 2 Corrupti sunt, & abomina-
biles facti sunt in studiis suis: non est, qui faciat bonum, non est usque
ad unum: 3 Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est
intelligens, aut requirens Deum. 4 Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt:
non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. 5 Sepulchrum patens est
guttur eorum: linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum:
6 Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad
effundendum sanguinem. 7 Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis
non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum. 8 Nonne cognoscent o-
mnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?
9 Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. 10
Quoniam Dominus in generatione justa est, consilium inopis confudistis: quoniam
Dominus spes ejus est. 11 Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum averterit Domi-
nus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, & lætabitur Israel.

℣. 1. DIXIT INSIPIENS IN CORDE SUO: NON EST DEUS.] Paucissimum novimus Philosophorum numerum, qui se atheos fuerint professi, ac Dei existentiam negaverint. Alii adfuere, qui, quin absolute Divinitatem auferrent, illius Providentiam inficiabantur; quod re ipsa unum, & idem est; si enim Providentia desit, deest quoque Deus [1]. Demum alii adsunt, iique in maxima copia, qui ore suo & Providentiam, & Divinitatem fatentes, utramque corde negant, ac ita vivunt, perinde penitus persuasum esset sibi, nullum adesse Deum, qui judicet, ac iniquitates suppliciis persequatur. Adversus hoc Atheorum genus hic loquitur Psalmista, ut ait S. Augustinus [2]. Babylonii inania numina venerabantur: extrinsecus quidem certam Religionem profitebantur: sed intrinsecus in corde suo dicebant; non est Deus. Deum vero Israel veluti impotentem Deum illudebant, qui populum suum de Captivitate, ac hostium manu, tueri non poterat. Ut verbo me expediam, nec Dei timorem, nec veram Religionem habebant.

INSIPIENS] non significat hic hominem mente captum, & naturali, & acquisito cognitionis lumine carentem; sed peccatorem, hominem animi ægritudine ad excitatem usque laborantem, impium, qui Deum non veretur, ac minas illius aspernatur. Hoc Scripturæ familiare est, ut *stultitiam* peccatum, & *insipientes* impios appellet. David sæpe crimen suum dementiam vocat [3]. Hebraica vox *Elohim*, quæ isthic ad Deum innuendum usurpatur, præcipue illius Judicis, Ultoris, Dominatoris qualitatem designat. Impius, *insipiens dixit in corde suo: non est Deus*, judicans homines, scelera ulciscens, ac res hujus mundi gubernans [4].

℣. 2. CORRUPTI SUNT, & ABOMINABILES FACTI SUNT IN STUDIIS SUIS: NON EST QUI FACIAT BONUM, NON EST USQUE AD UNUM.] Verba hæc: *Non est usque ad unum* in Hebræo textu non extant, uti neque in quibusdam Editionibus Septuaginta hoc in loco [5], sed dumtaxat in sequenti Versiculo. Patres quidam, & plurima antiqua Psalteria [6] legunt: *in voluntatibus suis*, pro *in studiis suis*. Cordis, ac voluntatis corruptio initium est impietatis, scite ait Theodoretus hic. Attende hos omnes impios; atheos, ac hos sine ulla religione; homines perpende; invenies sane mentis errorem a cordis nequitia profectum, atque in ipsis licentiæ libidinem, vel superbiam dominari. Inceperunt illi conscientiæ suæ vocem opprimere, ac in ea ruere flagitia, propter quæ oborta illis est cupiditas, ut se a Deo ignorari, ac illius manus effugere posse, in votis haberent. Postea convaluerunt, utque sibi integram compararent licentiam in flagitiis suis persistendi, docuere, nullum esse Deum, Religionem humanum esse commentum; Providentiam, ac Judicia Dei debilium esse terriculamenta. Verum ita loquuntur, non quod hæc vere sentiant, sed quod hæc illis prolunt; omneque eorum robur in eo positum est, ut negent audacter, ac sine ulla ratione judicium ferant.

Hebræus [7]: *Corruperunt vias suas*, suam vivendi rationem, cordis sui sensus; *se se abominabiles effecere*, & invisos, veluti carnem tabo fluentem, corruptamque: digni sunt horrore *in actionibus suis*, vel in studiis suis; aut, *se se abominationis objectum præbuere cum affectatione* [8], cum consilio, ac deliberatione. *Non est, qui faciat bonum*. Hæc est Ethnicorum populorum descriptio, ac præsertim Babyloniorum, quorum summa corruptela ad cumulum fere pervenerat. Ita Psalmi auctor infra illis eam minitatur calamitatem, cujus non multo post terribiles effectus experti sunt. Vide vers. 5. Septuaginta [9]: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt propter studia sua. Ne unus quidem operatur bonum*.

℣. 4. OMNES DECLINAVERUNT, SIMUL INUTILES FACTI SUNT, NON EST, QUI FACIAT BONUM, NON EST USQUE AD UNUM.] Hæc dixit Dominus, de summo Cœlo perspiciens hominum filios, quos universos in scelerum, flagitiorumque colluvie submersos intuitus est. Deus de Majestatis suæ solio Babylonem visitavit, eamque usquequaque criminibus pollutam adspexit. Si Justos, Sanctos, atque Prophetas invenit, eos duro servitutis jugo obrutos vidit, ac in servitutis squalore jacentes conspexit; quod Babyloniorum culpam nequiorem adhuc efficit: *Devorant plebem meam, sicut escam panis*. Patres universalem hanc corruptionem eam fuisse putant, quæ in omnibus terris ante Salvatoris adventum grassabatur; Eam vero Sanctus Paulus ad Rom. 3. 11. de originali explicat culpa, cujus labe omnes homines fuerant adspersi, & qua nemo præter unum Dei Filium immunis evasit: *Non est usque ad unum*. *Non potest quisquam hominum*, ait Sanctus Augustinus, *facere bonitatem, nisi ipse monstraverit*. Omnes homines generatim ægri sunt, Sanctus Johannes Chrysostomus inquit; omnibus aliquid deest; Deus nihil in nobis invenit præter inane, infirmitatem, corruptionem;

1 Vide Clemen. Alexand. lib. 6. Strom. Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. 24. Lactant. contra Epicur. &c.
2 August. hic. Vide & Chrysost.
3 Psal. 37. 6. 68. 8. 1. Par. 21. 8. &c.
4 Chald. *Non est potestas Dei in terra*,
5 Ea neque editio Complutensis, neque S. Hieronymus, neque Theodoretus legunt: At editio Romana, S. Chrysostomus, & S. Augustinus ea legunt.
6 Hilar. Hieronym. Bruno Ast. Psalter. Rom. Sancti Germ. Mediolan. Carnot.
7 השחיתו התעיבו עלילה אין עשה טוב
8 Hieronym. *Abominabiles facti sunt studiose*.
9 Διεφθάρησαν, καὶ ἐβδελύχθησαν ἐν ἐπιτηδεύμασιν· οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα. In quibusdam Libb. Διέφθειραν. *Corruperunt*. Ita edit. Rom.

nem; neque aliquid boni in nobis est, nisi quod A ipse in nos contulit. Non loquor autem de Sancta Virgine, de qua neque se loqui profitebatur Sanctus Augustinus [1], cum de peccato differeret. *Excepta itaque S. Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem.*

Hebræus aliter vertitur [2]: *Omnes conversi sunt*, omnes declinaverunt ab itinere, contra Deum defecerunt. *Corrupti sunt*, pravum odorem afflant [3]; veluti corrupta caro. Vel [4] *Omnes siderati sunt*; S. Hieronymus; *simul conglutinati sunt*; omnes unanimi consensu in malum conjurarunt. *Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Geminus huic locus Psalmi 52. 4 ita legit: *corrupti sunt*, rubiginem contraxerunt; *depravati sunt*, & putrefacti &c. B

℣. 5. SEPULCHRUM PATENS EST GUTTUR EORUM.] Ex quo lues dumtaxat, ac tabum diffluit. Vel potius: Os eorum est sanguinis sitiens, ac cædis; vorare tantum, & deglutire quærunt innocentem [5]; numquam dicunt; satis est; non secus ac sepulchrum [6]; *Tria sunt insaturabilia*, Sapiens ait Prov. 30. 15. *infernus* (sepulchrum), *& os vulvæ, & terra*. Versiculus hic cum sequentibus duobus ad ea usque verba: *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem?* non legitur in Exemplaribus Hebræis in hoc, neque in huic gemino loco Psalmi 52. neque in Chaldæo, neque in Syro, neque in S. Hieronymi versione ex Hebræo textu concinnata; complura immo adsunt Exemplaria Septuaginta [7], ubi non extat: neque in Complutensi Editione invenitur, neque illud legere S. Chrysostomus, Euthymius, Arnobius, Apollinaris. Auctores Catenæ C Græcæ, quam Latinam fecit Daniel Barbarus, & Eusebius Cæsaræensis illum nequaquam sunt interpretati. *Denique*, S. Hieronymus Præfat. in l. 16. in Isai. ait, *omnes Græciæ tractatores, qui nobis eruditionis suæ in Psalmos Commentarios reliquerunt, hos versiculos veru annotant, atque prætereunt, liquido confitentes in Hebraico non haberi, nec esse in Septuaginta Interpretibus, sed in Editione Vulgata, quæ Græcis Κοινὴ dicitur, & in toto orbe diversa est*. Fatetur tamen ibidem, ab omnibus Ecclesiis hos versiculos legi, ac in veteribus Mss. Latinis reperiri, quorum accuratissimi eos obelisco præfignant, veluti huic loco additos. Sanctus Justinus in [8] Dialog. D cum Tryphone, & Sanctus Augustinus eos legunt, non secus ac plurima Græca Exemplaria, & antiqua Latina Psalteria.

Nonnulli dubitarunt, utrum tres hi versiculi ex hujus Psalmi corpore essent; asseruerunt depromptos fuisse ex cap. 3. vers. 11. 12. 13. Epistolæ ad Romanos, atque isthic insertos, unde, sine ullo examine credidere, a Sancto Paulo fuisse desumptos, propterea quod eos refert statim post hæc verba: *Omnes declinaverunt: simul inutiles facti sunt. Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*; quæ tertium Psalmi hujus versiculum constituunt. Verum Sanctus Hieronymus [9] palam ostendit, Apostolum eo in loco varios Scripturæ textus congessisse, eosque simul assuisse, velut Auctoris unius: verba hæc, *Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant* ex Psalmo 5. 10. E esse decerpta; ea vero, *Venenum aspidum sub labiis eorum* ex Psalmo 139. 4. deprompta; alia, *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est*, ex Psalmo 11. 7. desumpta; *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*, vel ex Proverbiis cap. 1. vers. 16. vel ex Isaia 49. 7. accepta; ea denique, *Contritio, & infelicitas in viis eorum; & viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei ante oculos eorum*, in eodem Isaiæ loco, vel in Psalmo 35. 1. inveniri. Fidei autem consonum est, antiquos Librarios isthic non legentes hæc verba, quemadmodum ea in Sancto Paulo videbant, credidisse hic deesse, eaque hunc in locum retulisse, ut commentitio defectui supplerent.

Alii [10] hunc esse horum verborum locum tenent, hinc ea Apostolum fuisse mutuatum; & a Judæis isthinc vel de industria, vel fortuito expuncta fuisse; illis vero adhæsisse Christianos quosdam, quibus religiosum fuit ne latum quidem unguem ab Hebræo textu, & ab Exemplaribus Septuaginta, ubi inveniuntur, secedere. Latina Biblia castigatius servata fuere; in his omnibus, quæ supersunt, leguntur. Gullielmus Lindanus apud Marianam se ea in quodam Hebraico Bibliorum Manuscripto vidisse testatur: At eruditi viri, qui Manuscriptum hunc ad examen vocavere, hoc in loco barbarum Hebraice dicendi genus, & locutiones quasdam deprehenderunt, quæ nequaquam redolent puram putam Hebraice loquendi consuetudinem; unde conjicere licet, recens ea addita fuisse, fortasse ab aliquo auctore Christiano. Et Matthæus Polus, qui eumdem Manuscriptum vidit, testatur, palam deprehendi, verba hæc, quæ in illum obrepsere, in aliis Hebraicis Exemplaribus deesse. Profecto quænam causa Judæos potuisset impellere, ut de hoc loco ea verba abraderent, cum ea in aliis Hebraici textus locis relinquerent? Quidnam obesse poterat iis in controversiis, quæ inter illos, ac nos versantur; ut ipsorum ea delere interesset? Præterea autem fieri nequaquam potuisse, ut illi ex omnibus Bibliis Hebraicis expungerentur, quin hoc innotesceret.

LINGUIS SUIS DOLOSE AGEBANT: VENENUM ASPIDUM SUB LABIIS EORUM.] Lingua eorum ad assentationem est composita, dolosa, subdola: eodem tempore, quo illecebris suis adulantur, virus effundunt. Gestant venenum in lingua sua. Verborum suorum suavitas lethalis est audientibus illa; mentem, animumque corrumpit; iis vero, de quibus loquitur, teterrimum vulnus infligit. Eorum existimationem discerpit; atque calumniis eorum honorem adspergit.

℣. 6. QUORUM OS MALEDICTIONE, & AMARITUDINE REPLETUM EST.] Maledicta dumtaxat, atque contumeliosa verba in proximum suum jaculantur. Minaces sunt, contentiosi, calumniatores, maledici. Vel os eorum repletum est maledictionibus, perjuriis, blasphemiis in Deum, & amaris convitiis, injuriis, contumeliis, & calumniis in proximum suum.

VELOCES PEDES EORUM AD EFFUNDENDUM SANGUINEM.] Velocitas hæc eorum summam in hac re peritiam designat, ait Sanctus Augustinus. Innuere quoque potest ipsorum solicitudinem, ardensque studium ad malum patrandum.

℣. 7. CONTRITIO, & INFELICITAS IN VIIS EORUM.] Omnes eorum conatus in eo positi sunt, ut alios affligant, destruant, perdant, infelices efficiant. Aliter: semper laborant, agitantur, inquieti, soliciti, nulla umquam pace, nulla tranquillitate fruuntur [11]: *Viam pacis non cognoverunt*. Talis est impiorum via, molesta, laboribus referta, solicitudinibus præpedita. *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus*. Sap. 5. 7.

℣. 8. NONNE COGNOSCENT OMNES, QUI OPERANTUR INIQUITATEM, QUI DEVORANT PLEBEM MEAM SICUT ESCAM PANIS?] Versiculus hic subnectendus est versiculis secundo, ac tertio, quos immediate sequitur in textu Hebræo: dixit impius in corde suo: non est Deus: at Dominus omnia illius intuetur flagitia;

1 Aug. de Nat. & grat. contra Pelag. cap. 37. num. 44. p. 144. 9.
2 הכל סר יחדו נאלחו אין עשה טוב אין גם אחד 3 Pagn. Vatab. Munst. Pisc. Jun. Gejer. Mont. alii.
4 Psal. 52. 4. כלו סג יחדו נאלחו 5 Hilar. hic; *Eorum guttura innocentium sepulchra sunt*.
6 Vide supra Psalm. 5. 10. 7 Vide Nobilium in hoc cap. Edit. Rom. & Ferrand. hic.
8 Vide Eugubinum, & novam S. Hieronymi editionem, & Ferrandum hic.
9 Hieronym. hic, & Præfat. in lib. 16. Commentar. in Isai. & Origen. ad Rom. 3. Ita & Beda in Act. 1. Cassiod. Haymo, & alii in Brugens. Muis. Genebr. 10 Vide Ferrand. hic.
11 Hieronym. hic, & August.

gitia ; eaque de summo Cœli vertice serutatur. Insipientes, numquam ne ad id animum advertetis, vos, qui Dei populum, veluti panem devoratis ? Babylonii, crudeles, atque impotentes domini, itane populum meum opprimere, eumque inhumaniter perdere persistetis, quin vobis ulla suboriatur religio ? Josue, ut Hebræos ad Chananitidis bellum ineundum adhortaretur, dicebat illis Num. 24. 9. *ne timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem, ita eos possumus devorare* ; levissimo scilicet negotio, quin, ne minimum quidem, viribus nostris obsistant. *Generatio* est, Sapiens inquit Prov. 30. 14. *quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis*. Hi pauperes, egenosque consumunt. Et Michæas c. 3. 2. in Principes Israel invectus eos exprobrat, quod violenter oves degluberent, earum ossa confringerent, carnem devorarent, & tamquam in lebete excoquerent.

Tales erant Babylonii erga Populum captivum ; sine ulla miseratione, & clementia in eos desæviebant ; perinde quasi non fuisset Deus, qui ulcisceretur. Ad illum ne animum quidem advertebant. Per hæc verba ; *qui devorant plebem meam sicut escam panis*, Sanctus Augustinus intelligit, quasi ex illis communem sibi escam, & quotidianum veluti panem efficerent. Aliter vivere nescirent ; alienis malis tantummodo saturarentur. Nonnulli [1] Hebraicum textum ita reddunt [2]: *Omnes, qui operantur iniquitatem, non advertent ad eam* ; qui vivunt, *qui comedunt panem*, quibus Deus vitam servat, *quamquam devorent plebem meam* ? Sed hæc est paulum violenta explicatio.

℣. 9. DOMINUM NON INVOCAVERUNT ; ILLIC TREPIDAVERUNT TIMORE, UBI NON ERAT TIMOR.] Babylonii non invocaverunt Dominum, non confugerunt ad eum, cum necessitatibus urgerentur ; animis defecerunt, & caruerunt præsidio, cum in illos periculum irruit. Psalmista vel imminens minitatur malum, vel præsens describit, fortasse Babylonis a Cyro obsessæ ruinam. Docent Historici [3], primum quidem Babylonios ad Cyri conatum irrisisse, cum vallo civitatem claudi viderunt ; sed eum inopinato Regem cum exercitu intra muros ingressum viderunt, tunc summo tumultu agitati, magnoque terrore correpti trepidavere.

Quod hic legimus ; *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, iis, quæ dicta sunt, videtur oppositum, nam cum Cyrus intra Babylonem fuit cum exercitu victore, periculum & maximum erat, & præsentissimum. Sed hæc verba, *ubi non erat timor*, neque in Hebræo, neque in Chaldæo, neque in Syro loci hujus textu inveniuntur. Verum quidem est, ea legi in Psalmo 52. vers. 6. qui de verbo fere ad verbum huic est simillimus ; & ea vox *illic*, quam isthic legimus, naturaliter refertur ad *ubi*, quæ est in Vulgata, & in Hebræo

A textu non adest : *Illic trepidaverunt timore ; ubi non erat timor*. Ita locum hunc explicare mallem de iis, quæ contigerunt, cum Cyrus Babylonem oppugnaturus accessit. Berosus [4] refert, Nabonidem civitatis hujus Tyrannum adversus Cyrum eruptione facta in prœlio victum, fugisse non Babylonem, sed Borsippum. Qua in re Princeps ille victus, sine causa pertimuit, quandoquidem deseruit Metropolim suam, ubi per aliquot annos facilius Cyri vim sustinere potuisset ; & quadam mentis stupiditate captus se se eam in urbem recepit, quæ haud capi non poterat, simul ac Babylon, quam ut ita dicam hosti prodiderat, capta fuisset. Apud Prophetas videri possunt Babyloniorum terrores, atque eorum calamitatis descriptio [5].

℣. 10. QUONIAM DOMINUS IN GENERATIONE JU-
B STA EST, CONSILIUM INOPIS CONFUDISTIS : QUONIAM DOMINUS SPES EJUS EST.] Dominus in vos tumultum, terroremque injecit, eo quod afflixistis, & oppressistis pauperem, qui in Dominum spem suam contulerat, & cujus Dominus causam susceperat. Vel id veluti Prophetiam intelligendo : Babylonii calamitatibus obruemini, eo quod crudeliter in populum Domini sæviistis. Scitote, Supremum hunc judicem medium esse in generatione justorum, ipsum se se certissimum Israel patronum futurum recepisse, ac exauditurum clamores, & preces pauperum, quorum *consilia*, & conatus *evertistis*. Confusione replestis populum Domini ; omnibus incœptis illius adversati estis ; eos dejicere contendistis de constanti consilio Domini inserviendi. In ignem projecistis [6], ac leonibus objeci-
C stis [7] eos, qui a Dei sui fide non passi sunt dimoveri. Sed experiemini aliquando pondus manus Dei, quæ in vos severissime animadvertet.

℣. 11. QUIS DABIT EX SION SALUTARE ISRAEL ? CUM AVERTERIT DOMINUS CAPTIVITATEM PLEBIS SUÆ, EXULTABIT JACOB, & LÆTABITUR ISRAEL.] Domine Deus Sion, qui montem hunc sanctum pro habitaculo tuo elegisti, quem mittes, nos liberaturum ? Vel : quandonam tu ipse de Sion venies, ut de acerbissima hac servitute nos eruas, ac reddes Jacob lætitiam, ac pacem ? Psalmista innuere videtur reditum Juda, & Israel, ac ominari futurum ut decem tribus cum Juda rursus conjungantur, quod Prophetæ frequenter adeo prædixere, & quod re ipsa adimpletum est post reditum de captivitate, quemadmodum
D in Dissertatione de reditu decem Tribuum ostendimus. Patres [8] locum hunc de humani generis Redemptione sunt interpretati, quam nobis Jesus Christus de Sion egressus procuravit. Admirabilis hæc liberatio Jacob, & Israel summa affecit lætitia, & æque in Ethnicos, atque Judæos, qui conversi fuere, maximum gaudium effudit.

---

1 Quid. Hebr. apud Muis. Castal. 2 הלא ידעו כל פעלי און אכלי עמי אכלו לחם
3 Herodot. l. 1. cap. 90. & Xenoph. lib. 7. Cyropæd. 4 Apud Joseph. l. 1. contra Appion. pag. 104.
5 Isai. 13. 14. 21. &c. 6 Dan. 3. 20. 21. & seq. 7 Idem cap. 6. 16.
8 Theodoret. Hieronym. Hilar. August. Euseb. Athanas.

PSALMUS XIV.

Virtutes eorum, qui in Civitate Domini, ac in monte Sion permanere debent. Malum, calumnia, fœnora evitanda. Justitia exercenda, promissorum fides præstanda &c.

In finem Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Græca quædam, & Latina exemplaria habent, *In finem Psalmus David*. Sed Hebræus, Chaldæus, S. Hieronymus, ac plurima Exemplaria Græca non legunt hæc verba : *In finem*, vel Musices Moderatori. Et S. Johan-

Johannes Chrysostomus morales etiam attulit causas, ut ea nequaquam esse legenda probaret: sed Complurensis Editio, Euthymius, & Hesychius illa in exemplaribus suis invenerunt, ac horum postremus vicissim affert argumenta, quibus ea in Textu asservanda esse suadeat. Sed hæ duo voculæ parum adeo prodesse possunt ad Psalmi hujus explanationem, ut nos hic tempus terere, minime mereantur.

Quoad Psalmi hujus argumentum non satis convenit inter Patres. Beda illum exhibere censet Judæorum sensus, qui in captivitatem redacti, ex eadem emergere cupiunt. Eusebius, S. Basilius, S. Hieronymus hanc esse putant hominis perfecti imaginem, qui quondam habitaturus est æterna tabernacula; in monte Sion, in cœlesti Jerusalem, in Dei viventis civitate. Alii putant, Prophetam isthic describere, quinam esse debeant verorum Israelitarum, ac Sacerdotum Altissimi mores. Alii vetam Christianorum, ac Sacerdotum Jesu Christi graphidem isthic expressam admirantur. Alii *montem sanctum a Tabernaculo* distinguunt. *Tabernaculum* est corpus illud, in quo vivimus, vel Ecclesia, cujus membra sumus, & *mons sanctus* æternitatis est domicilium. Quæ omnis varietas parvi est momenti, ac in unum ferme scopum semper collimat.

Plurimi tenent, Psalmum hunc moralem esse dumtaxat, ac Prophetam isthic veri Israelitæ virtutes describere. Ferrandus autumat compositum fuisse, cum Arca in Jerusalem transferretur: at ego reor, hanc esse superioris Psalmi continuationem. Psalmista, postquam Deum rogavit, ut salutem mitteret in Israel, & populum captivitatis jugo liberaret, ab eo hic percontatur: Domine, quisnam adeo felix erit, ut in monte sancto tuo permaneat, ac se se offerat ante Sanctum Tabernaculum tuum? Quis frui poterit libertate, quam Judæ redditurus es, cum in patriam reducens? Quisnam erit populus recens, cui Jerusalem incolendam concesseris? Non erit sane populus impius, nequam, sine fide, sine humanitate, quales in præcedenti Psalmo Babylonios descripsi; verum populus sanctus, justus, fidelis, sincerus, rectus &c. Hic, mea quidem sententia, genuinus est Psalmi hujus sensus. Auctor futuram incolentium Jerusalem sanctitatem post captivitatem, opponit flagitiis, quæ passim Babylone grassari intuebatur.

1. DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Aut quis requiescet in monte
sancto tuo? 2 Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam: 3 Qui
loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua: 4 Nec
fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos. 5 Ad
nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.
6 Qui jurat proximo suo, & non decipit; qui pecuniam suam non dedit ad usuram,
& munera super innocentem non accepit. 7 Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

℣. 1. DOMINE, QUIS HABITABIT IN TABERNACULO TUO, AUT QUIS REQUIESCET IN MONTE SANCTO TUO?] Suavior consolatio, qua Judæi Babylone alebantur, erat spes quondam videndi Templum Domini, ac in atrium ejus introeundi: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem. Jerusalem, quæ ædificatur, ut civitas* &c. Psal. 121. 1. Prophetæ, qui loquuntur de incolis, qui habitaturi erant Jerusalem post captivitatem, eos nobis exhibent veluti populum sanctum, perfectum, justum, fidelem, non secus ac hic a Psalmista describuntur. *Aperite portas*, inquit Isajas 26. 23. *& ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit: servabis pacem; pacem, quia in te speravimus &c.* Et c. 1. 26. post diuturnam hanc absentiam, *restituam judices tuos, ut fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis.* Propheta idem cap. 60. 17. *Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos justitiam: non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas, & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio . . . Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram.* Et Sophonias 3. 13. *Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua dolosa &c.* Hæ omnes descripriones belle respondent iis, quas in hoc Psalmo legimus.

℣. 2. QUI INGREDITUR SINE MACULA, & OPERATUR JUSTITIAM.] Qui veri Israelitæ munera explet, malum evitans, bonum, veritatem, & justitiam exercens [1]. Hebræus [2] illum proprie significat, qui irreprehensibilem vitam ducit, & qui erga proximum suum misericordiam exercet, & æquitatem; quod ipsum fusius infra explicatur.

℣. 3. QUI LOQUITUR VERITATEM IN CORDE SUO: QUI NON EGIT DOLUM IN LINGUA SUA.] Unum ex præcipuis societatis officiis est sinceritas, veritas, atque rectitudo in verbis suis. Psalmistæ non sufficit, expetere, ut veritas ore proferatur, postulat etiam, ut in corde servetur [3], atque amore summo diligatur. Cum in corde viget, fieri nequit, ut in verbis haud emicet. Mendaces ipsi nonnumquam veritatem dicunt, & virtutem hanc in aliis positam amant, eam vero in se oderunt. Falli nollunt, sed hoc sibi privilegium alios fallendi reservant. Qui sinceri sunt, semper loquuntur, ut cogitant. Eorum erga alios numquam deficit æquitas, ac veritas. Hebr. [4] *qui dicit veritatem in corde suo*, qui veritatem dicit, uti eam novit in corde suo, *& qui non est explorator super lingua sua*, vel, *qui non festinat super lingua sua*. Vox authographi festinare significat, iter facere, exploratorem agere. Sed exploratores, ac viatores semper in periculo versantur veritatem celandi, ac fingendi; ideo eadem vox pro maledicere, accusare, laqueos tendere usurpatur.

℣. 4. NEC FECIT PROXIMO SUO MALUM, & OPPROBRIUM NON ACCEPIT ADVERSUS PROXIMOS SUOS.] Qui *non libenter, aut temere credidit accusatori*, ait S. Augustinus. Qui *opprobrium detractionis de fratre nunc non accepit, si prius non credit illa, antequam probet*, S. Hieronymus inquit. Qui non illudit illis, qui in aliquam decidunt calamitatem, ait Theodoretus; qui illis vitio non vertit ipsorum infortunium; sed potius ad eorum misericordiam flectitur. *Ne sit admonitio contumelia, ne sit emendatio opprobrium, ne sit doctrina convitium.* S. Hilarius.

Nonnulli sensum hunc Hebraico, & Græco textui appingunt [5]: *Qui non fecit malum proximo suo, neque a propinquis suis injuria fuit affectus.* Qui moderate cum omnibus versari novit; qui nullam intulit alienis contumeliam, & qui familiæ suæ sapienter adeo præfuit, ut nemo de ipso queri, vel ipsum objurgare potuerit [6]. Prior explicatio a S. Augustino, Sanctoque Hieronymo tradita melior videtur. Confer Exod. 23. 1. *Non suscipies vocem mendacii.* Ne audias mendacem, ne faveas illi.

℣. 5. AD NIHILUM DEDUCTUS EST IN CONSPECTU EJUS

1 Vide Hieronym. & Theodoret.
2 הלך תמים ופעל צדק
3 Vide Hilar. hic.
4 דבר אמת בלבבו לא רגל על לשונו
5 לא עשה לרעהו רעה וחרפה לא נשא על קרבו
6 Vide Basil. Agell. Remig. Menoch.

EJUS MALIGNUS, TIMENTES AUTEM DOMINUM GLORIFICAT.] Justus rebus, hominibusque verum assignare pretium didicit. Impios horret, ac velut nihilum contemnit; verum eos, qui Dominum verentur, summo habet in pretio [1]. Aspernantur quidem viros nequam, non autem ambitione ducti eos aspernantur, neque propter malum eorum, sed quod peccatoris indignitatem, humillimasque sordes cognoscunt; & eodem tempore quo calamitatis illius miserentur, abominantur, horrent, atque contemnunt illum propter ejus nequissima flagitia: & quin ad fortunæ, ac dignitatis ipsius fulgorem hallucinentur, eumque putant esse veluti mortis instrumentum in furentis manu, veluti venenum in ægri poculo positum. Ita Samuel Saulem a Deo reprobatum aspernatus est 1. Reg. 15. 16. ita Elisæus impium Joram Regem Israel despexit 4. Reg. 3. 14. ita Mardochæus Amanum Esth. 3. 2. & JESUS CHRISTUS Herodem, quem neque responsione sua dignatus est. Luc. 23. 9.

Aliter: Sapiens non patitur coram se impium; Hic coram illo prodire non audet; sed Justus apud illum in honore habetur. Ego vero explicare vellem de Principe, vel Judice, æquitatis, & Sapientiæ laude florenti, qui solo adspectu suo impios dissipat, ac ab se dimovet; dum interim protegit Justum, eumque omni bonorum genere cumulat. Talis erat David, ut ipse de se refert Psal. 100. 2. 3. 4. *Perambulabam in innocentia cordis mei; in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem injustam: facientes prævaricationes odivi: non adhæsit mihi cor pravum; declinantem a me malignum non cognoscebam. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* &c.

Hebræus textus a recentioribus Interpretibus, qui Rabbinos sectantur, hoc redditur pacto [2]: *Humilitatis, atque contemptus sui ipsius sensus alit, & Dominum timentes honorat* [3]. Justus est sui met parcissimus æstimator, aliorum vero magnificus. Sensus hic egregius equidem est, sed in eo, quem Septuaginta, & Vulgata exhibent, antithesis inter utrumque Versiculi membrum melius effulget. Hebraicus textus commode etiam cum S. Hieronymo verti posset: *Despicitur in oculis ejus, Justi, improbus, timentes autem dominum glorificabit.*

℣. 6. QUI JURAT PROXIMO SUO, & NON DECIPIT.] Antiqua Lex non prohibebat jusjurandum; sed præcipiebat dumtaxat, ut per nomen Dei [4], non autem per nomen alienorum Deorum juramentum fieret. Perjurium vetabat, ac imperabat, ut vota, ac promissa summa fide adimplerentur. Hujus Psalmi auctor eum commendat, qui per Dei nomen jurat, ac votorum suorum fidem exolvit. Jusjurandum simplex in se met nihil habet laude dignum. Nemo diffitetur, melius fore, numquam juramenti fidem interponere, ac ita rationem vitæ instituere, ut verbum dumtaxat mutuis officiis satis valeret ad confirmandam promissionum nostrarum veritatem [5]. Optandum esset, ut ad litteram observari illud posset, quod in Evangelio Matth. 5. 34. præcipitur: *Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Sed cum homines simplicibus assertionibus non acquiescunt, ac per Dei nomen jurare, nosque obligare tenemur, tunc integerrima fide, quod promisimus, adimplere debemus.

Recentiores Interpretes post S. Hieronymum, Chaldæum, ac Rabbinos Hebraicum textum ita reddunt [6]: *qui se afflicturum jurat, & non mutat*: Justus Deo pollicetur per jejunia se se afflictaturum, pœnitentiæ opera facturum, neque promissa retractat, sed ea fideliter explet [7]. Videri potest Caput 30. 3. Numerorum, & Deut. 23. 21. ubi Lex suadet, ut id genus vota integerrime persolvantur, ac severissima illis, qui defecerint, minitatur supplicia. Alii reddunt [8]: *Jurat se facturum ea, quæ suæ opponantur utilitati, neque promissi fidem infringit.* Religiosus est adeo promissorum suorum observator, ut numquam iisdem desit, licet promissa res cum illius incommodo, ac detrimento cohæreat. Versionem hanc ii præcipue probant, qui vota rejiciunt, eorumque usum vellent antiquare. Symmachus [9] reddit: *jurat amicitiam, & non recedit ab ea.* Ainsvortius: *Jurat, se malum operaturum, sed promissionem minime adimplet.* Non explet ea quæ temere promisit, & jusjurandum, quod inconsulto cum alterius jactura protulit; quemadmodum David nequaquam executus est ea, quæ in Nabal fuerat minitatus 1. Reg. 25. 22. Genebrardus putat Hebraicum textum cum Vulgatæ sensu, qui idem est ac Septuaginta, posse conciliari [10], levissime Massorethårum puncta immutando. Confer Psalmum 23. 4. [11]. Hic sensus speciosior est, ac huic loco magis congruus, quam quem Recentiores Interpretes, ac Rabbini attulere.

QUI PECUNIAM SUAM NON DEDIT AD USURAM, & MUNERA SUPER INNOCENTEM NON ACCEPIT.] Fœnus semper maximum habitum est malum apud Hebræos. Psalmista illud apertissime hic damnat, & Ezechiel 18. 8. illud inter ea scelera, & flagitia adnumerat, quæ ab Israelitis erant evitanda. Si Moyses in Hebræis passus est fœnora adversus Chananæos, & alienigenas [12], simplex ea fuit indulgentia propter duritiam cordis eorum permissa, ac justissime ab Evangelio Luc. 6. 35. abrogata, quod omnia usuræ genera igni & aqua interdicit: *Fallax hoc beneficium fenerantis scilicet*, ait S. Hilarius hic, *& humanitas fraudulenta, & damnosa hæc benevolentia docetur. Quid enim tam intolerabile, quam ut indigenti beneficium tribuas, ut magis egeat, & miseriam inopis, opem laturus accumules?* Si vere Christianus es, prosequitur ille, quomodonam expectare potes præmium beneficii, quod verum infert fratri tuo detrimentum? *Majores nostri*, ajebat Cato de re Rust. lib. 1. *sic habuerunt, & ita legibus posuerunt, furem dupliei condemnari, feneratorem quadruplici.* Usura semper veluti unum e maximis Reipublicæ malis, habita est [13]: *etiam his invisa, quibus succurrere videtur.*

Justus *munera super innocentem non accepit*, hoc est *adversus innocentem* [14], vel ut innocentem opprimeret, ut plurimi reddunt Interpretes. Æquus Judex sine personarum acceptione judicium fert, & *manus suas excutit ab omni munere*, ut ait Isajas 33. 15. Nulla recipit dona, vel ut sontem absolvat, vel ut innocentem damnet. Non vendit justitiam, sed gratuito, ac sine ulla utilitate reddit. Si innocens Judicibus aliquid elargitur, ut jus suum servet, redimit, quod suum est, ac tribuit id, quod non debet. Si vir nequam Judicis justitiam corrumpere adnititur, ut innocentem opprimat, hæc nequior adhuc est injustitia; emit enim, quod ad se spectare non potest; efficitque, ut Justus amittat, quod suum est. Præcepta hæc ad testes etiam possunt extendi. Non debent munera accipere, vel ut dicant, vel ut taceant, quod verum est; vel ut innocentem accusent, vel ut illi in causa ipsius minime opitulentur. Romanæ Leges vetabant, ne qui in Republica dignitatem ullam obtineret,

1 Theodoret. Hilarius, Hieronym. 2 נבזה בעיניו נמאס ואת יראי יהוה יכבר
3 Ita Chald. Kimchi, Abenezra, Munst. Vatab. 4 Vide Matth. 5. 33. Levit. 19. 12. Num. 30. 3. Exod. 23. 13. 5 Philo lib. de Decalogo. 6 נשבע להרע ולא ימר
7 Chald. Hieronym. Kimchi, Abenezra, Muis, Grot. 8 Jun. Tremel Vatab. Tig. Hammon.
9 Ὤμνυεν ἑταίρῳ εἶναι, καὶ μὴ ἀπαλλάττειν. Aquil. Τοῦ κακῶσαι. *Jurat se malum operaturum.*
10 70. Ὁ ὀμνύων τῷ πλησίον αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἀθετῶν. 11 Vide & Ferrand. hic, & du Pin.
12 Deut. 23. 19. *Non fænerabis fratri tuo ad usuram . . . sed alieno*, &c.
13 Columell. Præfat. in lib. 1. de Re Rust. 14 ושחד על נקי לא לקח

ret, mûnera acciperet [1]; Judices vero, qui muneribus fuissent corrupti, severissimis pœnis damnabant [2].

℣. 7. QUI FACIT HÆC, NON MOVEBITUR IN ÆTERNUM.] Cum pace in Jerusalem permanebit, neque inde unquam, vel in exilium ejicietur, vel abducetur in captivitatem. Isajas 33. 15. felicitatem Jerusalem post deletum Sennacherib exercitum describens, iisdem ferme utitur verbis, ac Psalmi hujus Auctor: *Qui ambulat in justitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem & claudit oculos suos ne videat malum; iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus . . . oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit &c.* Psalmi hujus Scriptor, cum esset Babylone, ob oculos habuisse videtur verba Isajæ ad exprimendum statum Jerusalem post reditum de captivitate. Hæc omnia referri possunt ad pios viros novi Testamenti, qui fideliter Christianas virtutes exercent, ac in illis ad finem usque persistunt, quin tentationes ne tantillum quidem eos valeant dimovere [3], & qui tandem ad felicissimam Cœli beatitudinem perveniunt, ubi vicissitudo nulla, nulla immutatio &c.

---

1 Lex. Cincia de Donis ac muneribus. 2 Cod. leg. *Omnes cognitores*, & seq. ad Legem Juliam. scpet. & novell. 8. Vide & Tull. lib. 2. de Oratore, & lib. 1. ad Attic.
3 August. hic. Vide & Theodoret.

PSALMUS XV.

David inter alienigenas nationes, ubi degebat, Dei opem implorat, profitetur se nullam habere velle in sacrificiis, ac idolorum cultu cum illis partem; sed omnem suam felicitatem in Domini cultu collocare. Deo gratias agit, propter auxilium, quo ipsum dignatus est, ac in illius benignitate se sperare testatur. Tandem Domini Resurrectionem prædicit.

Tituli inscriptio, ipsi David.

ARGUMENTUM.

Inscriptio in columna incisa a David, vel *pro David*. Ita Psalmi hujus titulum Septuaginta intellexere [1]; neque aliter explicant Chaldæus [2], & alii nonnulli; perinde ac ad illius perennem memoriam David hunc columnæ incidi jussisset. Aquila, Symmachus, ac post ipsum S. Hieronymus aliter explicuerunt; ac in Hebræo textu legerunt *mac-tam*, perinde quasi voces essent duæ [3]. Psalmus *David humilis, & simplicis*, vel humilis corde, ac irreprehensibilis. Recentiores quidam Interpretes [4]: *Canticum auratum David*, vel Canticum insigne, eximium, aureum, non secus ac quædam Pythagoræ carmina aurea dicuntur; & diserta lingua, & egregius liber, *lingua aurea*, *liber aureus* dicuntur. Aliter: *Ornamentum aureum*; & alii Hebraicam vocem servant: *Michtam David*. Non loquor autem de illis, qui hoc vocabulo musicum instrumentum, vel rythmum, vel cantionis initium, ad cujus modulos Psalmus iste canebatur, intelligunt. Ego redderem: *Psalmus inscriptus David*, vel qui David nomen præsefert. Titulum hunc illi appinxerunt, qui Psalmos collegere, quod ipsum cum hac epigraphe invenerant; *Davidis*. Psalmi 16. 57. 58. 59. & 60. eamdem inscriptionem in Hebraico textu præseferunt. *Katam* [5] significat signare, inscribere, notare. Aurum defæcatissimum *Ketem* appellabatur [6], quasi diceres aurum clausum, signatum; aurum pretiosum, dignum quod in Regis thesauro condatur.

Quoad Psalmi argumentum, plerique Patrum [7] prophetiam esse putant Mortis, ac Resurrectionis JESU CHRISTI, atque orationem, qua secundum humanitatem suam, Dei opem, ac præsidium exposcit, eumque petit, ne corpus suum corrumpi permittat in sepulchro. Sancti Apostoli Petrus, & Paulus Act. 2. 25. & 13. 35. ostenderunt hoc ad litteram nequaquam intelligi posse de David, qui non resurrexerat, & cujus monumentum ea in regione conspiciebatur adhuc; sed de Christo esse explicandum, cujus caro in tumulum collocata est, ut illinc paulo post incolumis, gloriosa, ac immortalis rediret. Dubitare nequaquam licet, utrum verus iste sit Psalmi sensus, quin Sanctorum Apostolorum auctoritas respuatur, atque totius Christianæ Antiquitatis doctrina rejiciatur. Quod nihilominus nequaquam obest, quo minus Davidi applicari queat reliqua Psalmi pars, atque hæc eadem verba, quæ Apostoli de JESU CHRISTO explicuerunt; verumtamen in sensu penitus diverso [8], hoc est in figurato sensu, mortem ac sepulchrum, de calamitate, ac humiliatione; resurrectionem vero de libertate, de restitutione in statum feliciorem, ac de reditu in patriam interpretando. Censeri potest, veluti oratio David, qui tenetur vitam traducere inter Philisthinos, Moabitas, aliosque externos populos, dum in ipsum Saulis persecutio desæviret [9], eo tempore, quo [10] illum de hæreditate Domini ejicientes dicebant illi: *Vade, servi Diis alienis*. Profitetur isthic se nullam habiturum umquam in Idololatrarum abominationibus partem, neque cessaturum, quin in Domino speret. Beda psalmum hunc de Ezechia intelligit, qui dolore confectus Divinam opem efflagitat, ac gratias agit suo liberatori. Commode quoque explicari posset, velut Oratio Judæorum in Babylonis captivitate; quæ forte hypothesis facilius probari potest. Nos tamen sententiam eorum sectabimur, qui de David a Saule exagitato ad litteram explicant ad eum usque locum, qui litteraliter respicit JESU CHRISTI Resurrectionem.

1 Conserva

---

1 70. Στηλογραφία τῷ Δαυὶδ. 2 גליפא תריצתא לדוד 3 Hebr. מכתם לדוד Aquil. Ταπεινόφρονος καὶ ἁπλοῦ Sym. Ταπεινόφρονος καὶ ἀμώμου. Hieron. *Humilis & simplicis David*. 4 Vatab. Jun. Pisc. Ludov. de Dieu, alii. 5 Vide Jerem. 2. 22. נכתם עונך לפני perinde idem esset ac חתם *Obsignavit*.
6 Job. 28. 16. 19. 31. 24. Psal. 44. 10. Prov. 25. 12. Isai. 53. 12. &c. 7 Euseb. Cæsar. Theodoret. Hieronym. Aug. Athanas. 8 Muis, Bossuet, Cocc. du Pin. 9 Grot. Jans. Gand. Rabb. alii.
10 1. Reg 26. 19. *Qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, servi Diis alienis.*

1. Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino: Deus meus
es tu, quoniam bonorum meorum non eges. 2 Sanctis, qui sunt in ter-
ra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis. 3 Multiplicatæ sunt
infirmitates eorum; postea acceleraverunt. 4 Non congregabo conventicula eorum
de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea. 5 Dominus pars
hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. 6
Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. 7
Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper & usque ad noctem in-
crepuerunt me renes mei. 8 Providebam Dominum in conspectu meo semper:
quoniam a dextris est mihi, ne commovear. 9 Propter hoc lætatum est cor meum,
& exultavit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. 10 Quoniam non
derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptio-
nem. 11 Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: de-
lectationes in dextera tua usque in finem.

℣. 1. CONSERVA ME, DOMINE, QUONIAM SPERAVI IN TE. DIXI DOMINO, DEUS MEUS ES TU, QUONIAM BONORUM MEORUM NON EGES.] David orationem suam orditur ex humilis infirmitatis, paupertatis, submissionis suæ, & supremi Dei dominii in se confessione: hic perfectus est actus adorationis. *Conserva me, Domine*, sine auxilio tuo nihil valeo, tu nosti, quo in periculo verser, vides infirmitatem meam, omnem confidentiam meam in te colloco, ex sincerissima cordis mei sententia dico tibi: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Nihil gloriæ tuæ, Domine, addere me posse reor, cum ad te meas preces convertam; neque tibi assentor, infinitam tuam prædicans potestatem. Nihil tibi prosunt laudes meæ, B vel mea confessio: si quid tibi gratum, jucundumque feci, non sine divinæ gratiæ tuæ ope illud feci; & si quid boni est in me, ideo est, quod tu illud mihi es elargitus; si quid egi, quod tuam mereatur approbationem, ego unus inde fructum percipio [1]: *In omni, quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Deum juvamus*. Cum nos edoces, quo pacto coli velis, id sine aliqua tuæ utilitatis spe facis, sed unice, ut nobis majora bona procures: *Nobis enim prodest*, ait S. Augustinus Ep. 102. q. 3. n. 17. *colere Deum, non ipsi Deo: Cum ergo inspirat, & docet quomodo colendus sit, non solum sua nulla indigentia facit, sed nostra maxima utilitate*. Confer Job 22. 2. 3. & 35. vers. 7. 8.

Hebræus [2] cum aliqua varietate vertitur: *Dixisti, Deus mi, Domino: Tu es Deus meus, nullum habeo bonum, quam illud, quod accepi a te* [3]. Vel cum Sym- C macho, & S. Hieronymo: *Bene mihi non est sine te*. Non possum bonus esse, nec felix absque te. Aquila [4] parum differt a Septuaginta: *Bonum meum*, bona vita mea, *nihil tibi prodest*. *Bonum meum nihil ad te*, Vatablus ait. Verti quoque potest: *bonum meum non est super te*; nulla tibi est obligatio, quare mihi bonum conferas. Sed priores explicationes meliores sunt.

℣. 2. SANCTIS, QUI SUNT IN TERRA EJUS, MIRIFICAVIT OMNES VOLUNTATES MEAS IN EIS.] Deus mihi inspiravit obsequium, observantiam, admirabilem amorem erga Sanctos, ac servos suos, qui sunt in terra. David se summo flagrare desiderio testatur quamprimum in patriam suam revertendi, se se cum famulis Dei conjuncturus, qui ea fruuntur felicitate, qua ipsis integrum est, Religionis cœtibus interesse, D ac Domini Tabernaculum invisere. In elatiori sensu intelligi potest de ardore illo, quem Deus animabus A sanctis immittit, se se cum illis conjungendi, quæ tristia hæc domicilia deseruere, ut æterna ingrederentur Tabernacula, ibique coram Deo suo, in terra viventium suprema felicitate gauderent.

Hebræus ad litteram [5]: *omne studium meum est pro magnificis, qui sunt in terra*, quod intelligi potest in eo, quem proposuimus, sensu. Ob id tantum respiro, ut beatissimo illo tempore cum tuis Sanctis conjungar, atque societate fruar amicorum tuorum eximiorum Altissimi famulorum eorum, qui pacatam vitam in patria sua degunt, vel qui in Cœlis beatitudine æterna fruuntur. Vel potius; Deus mi, tu unica es felicitas mea, nullo, præter te, gaudere umquam bono possum. Omnia vota mea in id unum collimant, ut *Sanctuarium tuum*, Tabernaculum tuum sanctas cæ- B remonias tuas videam: & *Magnificos tuos*, Sacerdotes, amicos, Prophetas, Principes Tribuum tuarum &c. *Magnificorum* nomen designat Optimates, Principes potentes in Populo, ac Sacerdotes [6]; immo Deus ipse Magnificus appellatur [7]. Postremus hic sensus litteræ magis adhærere mihi videtur. Passim in Psalmis suis David [8] ardentissimum, quo flagrabat, testatur desiderium revertendi in patriam suam, Domini sacris interfuturus. Sanctæ hujus voluptatis privatio, atque a sacris solemnitatibus absentia non mediocre illi negotium facessebat, cum in exilio a patria extorris versaretur.

℣. 3. MULTIPLICATÆ SUNT INFIRMITATES EORUM: POSTEA ACCELERAVERUNT.] Sancti, Servi Dei, de quibus præcedenti vers. sermo fuit, malis C obruti fuerant, atque persecutionibus fatigati; verum hæc omnia eorum pietatem in dies auxerunt [9]: *Et illi quidem* (Apostoli) *ibant gaudentes a conspectu concilii* (Sacerdotum, postquam conviriis, & verberibus fuerant affecti,) *quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati* Actor. 5. 41. *Cum infirmor, tunc potens sum*, ajebat S. Paulus 2. Cor. 12. 10. qui libenter gloriabatur in doloribus suis, & ex ipsa infirmitate sua vires sumebat [10]. Justi quoque se infirmos cognovere; quandoque etiam lapsi sunt, sed citius consurrexerunt, & lapsus eorum profuit, ut cautiores fierent, humiliores, ac vehementiori arderent desiderio medici illius, a quo salutem erant recepturi: *Non ad perniciem, sed ut Medicum desiderarent*, ait S. Augustinus: *postea acceleraverunt, ut sana-* D *rentur*. S. Petrus Deum suum negavit; S. Paulus Salvatorem suum persecutus est; S. Thomas de Resurrectionis veritate dubitavit; verum scelera hæc nonne satis

1 Gregor. Magn. lib. 16. Moral. cap. 1. Ita & Theodoret hic. Vide & Euseb.
2 אמרת ליהוה אדני אתה טובתי בל עליך 3 Ita Chald. Syr.
4 Symmac. Ἀγαθόν μοι οὐκ ἔστιν ἐκτός σου. Hieron. *Bene mihi non est sine te*.
5 Aquil. Ἀγαθωσύνη μου οὐ μὴ ἐπὶ σε. 70. Τῶν ἀγαθῶν μου οὐ χρείαν ἔχεις.
6 לקדושים אשר בארץ המה ואדירי כל חפצי בם Theod. Θαυμαστά μοι πάντα τὰ θελήματά μου ἐν αὐτοῖς. *Mira est in eos mea propensio*. 7 Judic. 5. 13. 25. 2. Paralip. 23. 20. 2. Esdr. 3. 5. Jerem. 14. 3. & 30. 21. Nahum. 3. 18. Zacch. 11. 2. Aquil. Τοῖς μεγαλυνθεῖσί μου πᾶν θέλημά μου ἐν αὐτοῖς. Symmac. Εἰς τοὺς μεγάλους πᾶν τὸ θέλημά μου ἐν αὐτοῖς. 8 Exod. 15. 11. Psal. 7. 2. 10. 75. 5. 9 Psal. 42. 2. 83. 4.
10 2. Cor. 12. 10. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis &c.*

satis superque zelo suo, ardore, erga Deum charitate reparaverunt? Vel id de impiis, ac persecutoribus David explicando: Eos coegisti, ut protectionis tuæ potentiam cognoscerent, atque ad te confugerent, propter ea, quæ in illos mala intulisti, veluti Hebræi in deserto, de quibus alibi loquitur Psalmista: *Cum occideres eos, quærebant eum: & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum*. Psal. 77. 34. At prior sensus est melior.

Hebræus textus [1] aliquas patitur difficultates. Hi autem præcipui sunt sensus, qui illi attribuantur: *Qui currunt post* Deum *alienum, augent pœnas suas*: (vers. 4.) *Ego vero nullam habeo partem in cruentis libationibus eorum; neque dignabor etiam eorum nomen proferre*. Impii, alienigenæ populi, inter quos vivere cogor, abeunt post idola sua. Verum absit, quod illos imiter, nefariis eorum sacrificiis communicem, atque cum ipsis victimarum cruorem effundam. Vel aliter: Impii Ethnici *multiplicent idola sua, abeant post Deum alienum*: (vers. 4.) *ego nullum umquam illi cruentum offeram sacrificium, nullam sanguinis libationem; immo neque hunc illi honorem conferam, ut ex nomine ipsius ipsum appellem*. Sensus hic maxime omnium simplex est, ac optimus [2]. David quotidie in periculo versabatur veniendi in partem sacrificiorum, & conviviorum, quæ in Deorum inanium honorem sternebantur. Nullum celebrabatur convivium, ubi aliqua saltem non esset libatio. Sanctus hic vir se coram Deo profitetur semper perhorruisse, atque futurum ut semper perhorrescat hujus generis nequissima sacra; neque se umquam sacrificia, thura, vel libationes oblaturum idolis, quæ, Hebræorum more, *dolores*, & afflictiones appellat [3]: denique nec ipsorum nomina prolaturum, quod ipsum alia erat contemptus, vel horroris nota apud Judæos passim usurpata, & Sanctorum Bibliorum auctoritate probata [4]. S. Hieronymus, Chaldæus, Theodotion [5], & magnus Interpretum numerus *dolorum* nomen isthic de idolis interpretantur.

℣. 4. NON CONGREGABO CONVENTICULA EORUM DE SANGUINIBUS, NEC MEMOR ERO NOMINUM EORUM PER LABIA MEA.] Id intelligi potest, perinde quasi David loqueretur: Non intererо in eorum cœtu, ut victimarum sanguinem effundam; neque eorum nomen in sermonibus meis proferre dignabor. Idola, idolorumque cultores abominor, perhorresco. In superioris versiculi explicatione verum, ac litteralem Hebraici textus sensum vidimus. Patres [6] id explicant, veluti JESU CHRISTI sermonem. Non congregabo servos, ac fideles meos in cœtibus carnalibus, ut ibi sanguinem victimarum effundant; idolorum cultum delebo, ne fictis Numinibus animantium offerantur sacrificia, imo & Judæorum religionem reformabo, qui in Omnipotentis honorem pecora mactant. Nullus amplius erit sermo de cruentis sacrificiis, de Idolis, de legalibus cæremoniis. Novum mihi populum constituam, Baptismatis unda regeneratum, ac efficiam, ut vetus nomen, falsa Religio, ac prisci errores illius penitus obsoleti intercidant. Pro filiis tenebrarum, & hominum, filii lucis, ac filii Dei vocabuntur.

℣. 5. DOMINUS PARS HÆREDITATIS MEÆ, & CALICIS MEI: TU ES, QUI RESTITUES HÆREDITATEM MEAM MIHI.] Audi, Domine; Idola, ac idololatras detestor, nulla mihi pars erit, nullaque communicatio, nisi cum amicis, ac famulis tuis: tu es pars mea, tu hæreditas mea, tu lætitia mea, spes mea, consolatio mea. Tu Domine de hoc exilio educes me, tu reduces me in patriam meam, ac Patrum meorum hæreditatem, de qua per injustissimum dedecus ejectus fui: eligant sibi quidem homines terrenam, fluxamque hæreditatem; tu Domine pars hæreditatis meæ: Se se alii impurissimis, nequissimisque flagitiis ingurgitent; Dominus est calix meus, poculum meum. Alludit ad veterem consuetudinem singulis convivis seorsim epulas, potumque distribuendi. Quilibet bibebat eam partem, quæ sibi in cratere afferebatur, seu multum, seu parum, pro personarum dignitate: nam dignissimo cuivis major, majorque pars tradebatur.

Verti potest Hebræus [7]: *Dominus distributio partis meæ, & calicis mei: Tu sustines sortem meam*, vel partem, quæ mihi sorte contigit. Nullam habere volo partem in sacrificiis, libationibus, conviviis Ethnicorum, assideo tantum mensæ Dei mei. Ipse tribuit mihi partem escæ meæ, & vini: ipse mihi distribuit partem, quæ sorte mihi evenit. Domus, & convivii dominus epulas dividebat, easque singillatim ad convivas mittebat, qui fere seorsim mensam habebant. Videri potest Homerus, & quid dictum sit in primum Regum c. 1. vers. 4. & 9. vers. 23. 24. Aliter: multiplicent impii idola sua, ipsis offerant libationes sanguinis, & sacrificia; mihi vero non alius Deus est præter Dominum; ipsi uni meas offero libationes, & sacra, ipsum unum sortis meæ, bonorumque meorum auctorem existimo. Sed priorem sensum præferre mallem.

Patres hæc omnia de JESU CHRISTO secundum humanitatem explicant [8]. Deus Pater tribuit illi in hæreditatem Judæos, & Gentes [9], atque sub Mundi finem utrorumque plenitudo Ecclesiam ingredi debet. Salvator post Resurrectionem suam hæc Patri ait: Tu es hæreditas mea Deus mi! A te excipere debeo fidelem populum, ac bonorum operum sectatorem [10]; ex quo sanctam, integerrimamque Religionem efformare debeo, eosque veros in spiritu, ac veritate adoratores efficere: Johan. 4. 24.

℣. 6. FUNES CECIDERUNT MIHI IN PRÆCLARIS; ETENIM HÆREDITAS MEA PRÆCLARA EST MIHI.] Eo quod Dominus est pars mea, eo quod ipse partes distribuit, atque Dominus est sortis meæ, summa fruor felicitate. Hæreditas sane in uberrimo, ac pulcherrimo solo mihi contigit. Poterat quidem hæc verissime David asserere; quandoquidem ipsum de medio Israel elegerat Deus, ut ipsum populo suo præficeret; & quantumvis inter Saulis persecutiones maxime affligeretur, non dubitabat tamen, quin Deus ea, quæ spoponderat, exequeretur, ac in illo inceptum opus perficeret.

Heb. [11] *Funes meæ ceciderunt in delitiosis locis; & omnium pulcherrimam hæreditatem possideo*. Ægyptii, & Hebræi longitudines funiculis metiebantur; & in hæreditatum distributione inter fratres, sortes adhibebantur, quemadmodum his etiam temporibus assolet. Quandoquidem ergo Dominus est pars, ac hæreditas ejus, se nihil præterea in optatis habere dicit; sortem suam beatissimam esse, & hæreditatem in amænissimo, pulcherrimoque regionis loco esse constitutam. Septuaginta [12]: *Funes* hæreditatis meæ *contigerunt mihi in fortissimis*; nam *pars mea est fortissima*. Sum e numero eorum, quibus meliores contigere partes hæreditatis; pars

1 ירבו עצבותם אחר מהרו בל אסיך נסכיהם מדם ובל אשא את שמותם על שפתי Aquil. apud Euseb. hic. Οὐ μὴ σπείσω σπονδὰς αὐτῶν ἐξ αἱμάτων, &c. 2 Vide Eusebium in hunc locum.
3 Vide 1. Reg. 31. 9. 2. Reg. 5. 21. 10. 9. 1. Par. 10. 9. Psal. 105. 36. 38. 114. 4. & passim.
4 Exod. 23. 13. *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro*. Hebr. ושם אלהים אחרים לא תזכירו Ita & Josue 23. 7.
5 Theodot. Ἐπληθύνθησαν τὰ εἴδωλα αὐτῶν, εἰς ὀπίσω ἐτάχυναν. Symmach. Πολλαὶ αἱ κακοπάθειαι αὐτῶν ἀκολουθοῦσαι ταχέως. *Opprimuntur malis, quæ eos cito sequuntur*. Aquila: Πληθυνθήσονται διαπονήματα αὐτῶν. *Eorum mala multiplicabuntur*. 70. Ἐπληθύνθησαν αἱ ἀσθένειαι αὐτῶν. 6 Hieronym. August. Euseb. & Athanas.
7 יהוה מנת חלקי וכוסי אתה תומיך גורלי 8 Hieronym. August. Euthym. Euseb. Athanas.
9 Psal. 2. 8. 10 Tit. 2. 14. 11 חבלים נפלו לי בנעימים אף נחלת שפרה עלי
12 70. Σχοινία ἐπέπεσάν μοι ἐν τοῖς κρατίστοις μου, καὶ γὰρ ἡ κληρονομία μου κρατίστη μοί ἐστι.

pars mea fortissima, ac optima est inter eas, quæ aliis hæredibus evenerunt. Salvator mundi hæreditatem suam habet Christianam Ecclesiam. Synagoga, saltem majori ex parte, ab eo recessit; verum detrimentum hoc reparavit earum acquisitione Gentium, quæ ipsi cesserunt in hæreditatem. Vide Hieronymum hic.

℣. 7. BENEDICAM DOMINUM, QUI TRIBUIT MIHI INTELLECTUM: INSUPER & USQUE AD NOCTEM INCREPUERUNT ME RENES MEI.] David gratias agit Deo, eo quod sibi impertitus fuisset prudentiam, ac vires, quibus sustinere ea mala posset, quæ in ipsum irruerunt; ac præsertim, quod ipsum ab idololatriæ periculo tutatus esset, eique sapientiam, atque intellectum tribuisset, quo eam posset beatissimam electionem præferre, de quo modo locutus est, dicens, Dominum suam esse partem, atque hæreditatem. Ardenti flagro cupiditate, me tecum conjungendi; & nocte ipsa tui nequeo oblivisci. Si enim me tui capit oblivio, ac infelix in scelus aliquod labor, renes mei me corripiunt, atque conscientiæ stimulis, jugibusque curis exagitor. Aliter: inter tot pœnas, ac in hoc exilio nequeo oblivisci tui; tu unica mihi es consolatio, & lætitia; & cum noctu mecum tacitus reputo ea mala, & pericula, quibus obnoxius sum; renes mei quodammodo meam mihi exprobrant infirmitatem, ac diffidentiam.

Hebræus verti potest [1] *Benedicam Dominum, qui mihi consilium dedit. Renes mei noctu etiam corripuerunt me.* Tu Domine edocuisti me, tu mihi præbuisti consilium; ac in me consilii, ac sapientiæ spiritum inseruisti. Spiritus hic me erudit, me alloquitur, me interius redarguit etiam noctu. Si caute sermones instituo, si idololatriam, ac scelera evito, si mihi ipsi attentus invigilo, tu Domine opem attulisti mihi, consilio, spiritu, & gratia tua. Renes intellectum significant. Hæc genuina est hujus loci sententia.

Patres [2] id de JESU CHRISTO intelligunt, qui secundum humanitatem a Deo intellectum accepit, *& qui proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines* Luc. 2. 40. Nox Passionis ejus tempus innuit, quo humana infirmitas, ac natura Divinitatis ope suffulta fuit: *In diebus carnis suæ*, ait S. Paulus ad Hebr. 5. 7. *preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam; & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

℣. 8. PROVIDEBAM DOMINUM IN CONSPECTU MEO SEMPER, QUONIAM A DEXTRIS EST MIHI, NE COMMOVEAR.] David divino repletus spiritu, consilii, ac sapientiæ munere afflatus, Dominum semper ob oculos habet, numquam illius obliviscitur, seu noctu, seu interdiu; eum semper veluti lateri suo proximum, ac opem ferendo, sibique protegendo accinctum putat; quamobrem lætitia, fiducia, ac viribus repletus exultat (vers. 9.) *Propter hoc Lætatum est cor meum &c.* S. Petrus Apostolus Act. 2. 25. docet, David hæc dicentem ob oculos habuisse JESUM CHRISTUM; & ad hunc ea Patres retulere dicentes; Salvatorem singulis vitæ, ac passionis suæ momentis numquam ab intuitu mentis Dei Patris sui memoriam amovisse; sed ejus gloriam, ac voluntatem semper explorasse: *Quæ placita sunt ei, facio semper*: Joan. 8. 29. Suimet ipsius Patri juge obtulit sacrificium ad illud usque tempus, quo holocaustum explevit, vitæ, & sanguinis sui effusione. Deus Pater semper ad filii sui dexteram adfuit, ut illi opem ferret, gloriam tribueret, voces audiret; & post Resurrectionem tandem Filius ad Patris dexteram ascendit, a qua secundum Divinitatem numquam recesserat.

℣. 9. PROPTER HOC LÆTATUM EST COR MEUM, & EXULTAVIT LINGUA MEA, INSUPER & CARO MEA REQUIESCET IN SPE.] David hæc omnia dicere potuit in exilio suo, ac inter persecutores, quibus exagitabatur. Afflatus, quos illi Deus impertiebatur, jugis protectio, quam experiebatur, eum summa lætitia afficiebant. *Lingua*, vel anima, vel *gloria* ejus juxta Hebræum [3] lætabantur in Domino, fidenter promissionum Dei sui præstolabantur effectum, & sperabat etiam futurum, ut in morte stabilem quietem inveniret. Hæc præcipua illius erat spes: non ambigebat, quin caro sua esset aliquando resurrectura: *insuper & caro mea requiescet in spe.*

Verum hæc omnia longe melius de JESU CHRISTO explicantur, cujus David erat figura. Cor, & anima, vel *gloria* illius numquam destitere frui lætitia, ac felicitate infinita; nisi cum alio mirabili potentiæ suæ effectu suspendere voluit in humanitate sua sensum lætitiæ suæ, ac hujus voluptatis, ut Patris justitiæ satis faceret, semet sævissimis tradens suppliciis, scelera nostra, turpes voluptates nostras, injustissima gaudia nostra expiaturus. Mortuus est in cruce certissima Resurrectionis suæ spe, mors ejus nihil aliud fuit, quam somnus, & caro ejus in tumulo condita est, veluti in quietis cubili: *Caro mea requiescet in spe.*

℣. 10. QUONIAM NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO, NEC DABIS SANCTUM TUUM VIDERE CORRUPTIONEM.] Nonnisi in figurato hyberbolicoque sensu de David hoc intelligi potest. Non permittes, me ab hostibus meis superari, ac interire; & licet in sepulchrum, & pulverem redactus essem, tu me inde per potentiam tuam educes, ut gloriosum de hostibus meis referam triumphum. In Scriptura [4] ægritudo, calamitas, exilium, captivitas, servitus sæpius mortis nomine designantur; curatio vero, sanitas, libertas, resurrectionis, & recentis vitæ nomine appellantur [5].

Sed cum Apostolis, ac Patribus de JESU CHRISTO hoc explicantes, nequaquam tenemur ad allegoriam, ac hyperbolem confugere, sed omnia simpliciter, naturaliterque intelliguntur. Salvatoris caro quodammodo cum lætitia in tumulum ingressa est: non enim ingrediebatur, nisi ut quamprimum vivens, & gloriosa egrederetur. Non permisit Deus, ut illa, quemadmodum aliorum Justorum caro ad novissimum usque diem ibi permaneret; non passus est, ipsam corrumpi; neque voluit opobalsamis, aromatibusque condiri, quemadmodum sanctæ mulieres decreverant [6], ne diceretur, vel crederetur adorabilis hæc caro hac arte eguisse, ut a corruptione præservaretur. Eam autem fulgentibus adeo, certis, mirabilibusque circumstantiis resuscitavit, ut nullam mentibus iis etiam, quæ ægrius persuaderi possunt, rationabilem dubitationem reliquerit. Rex David, licet sanctus, tamen corruptionem vidit, quemadmodum S. Petrus Apostolus animadvertit Act. 2. 29. sepulchrum illius cognoscebatur; neque dubitabatur, quin ejus corpus eodem, ac reliqua, tabo fuerit confectum. Salvatoris caro nihil tale est experta. Neque enim, Domine, permisisti, ut sacrum illud corpus, per quod reliqua sanctificanda, atque vivificanda erant, corruptioni esset obnoxium: *Neque sanctificatum corpus, per quod & alii sanctificandi sunt, corrumpi patiens*, ait Sanctus Augustinus.

Verba hæc: *non derelinques animam meam in inferno*; nequaquam significant JESUM CHRISTUM in inferno fuisse, nisi dixeris, illuc animam ejus descendisse, ut Patriarcharum, Justorumque animas, quæ ibi detinebantur, inviseret, consolaretur, ac de obscuris locis illis educeret: quo in sensu vulgo ea Symboli verba explicantur: *Descendit ad inferos*. Non enim illuc descendit vel ut pateretur, vel ut permaneret, vel aliquam ob necessitatem; ita ut hoc gloriosum ipsius

---

1 אברך את יהוה אשר יעצני אף לילות יסרוני כליותי 2 Hieronym. Theodoret.
3 לכן שמח לבי ויגל כבודי אף בשרי ישכן לבטח Vide Psal. 7. 6. & 57. 9. *ubi gloria mea*, ponitur pro *anima mea*. 4 Vide Ezech. 37. 4. Baruch. 3. 4. 11. Thren. 3. 6. Dan. 12. 2. & passim.
5 Vide, si lubet, Ezech. 32. 5. Judic. 15. 19. 2. Reg. 12. 3. & 3. Reg. 20. 7. Psal. 40. 20. 84. 7. & passim.
6 Luc. 23. 56. & 24. 1. Marc. 16. 1.

sius, privilegium censeatur, quod illic cum aliis minime relictus fuerit, quemadmodum Prophetæ sermo videtur innuere: *Non derelinques animam meam in inferno*. Illuc veluti triumphaturus pervasit, ac mortis, dæmonisque victor descendit [1]. Vel simpliciter: *Anima ejus*, ille ipse, corpus illius, quod illum integrum repræsentabat, & quod vocabatur adhuc JESUS CHRISTUS, licet non esset, uti antea, animatum, positum fuit in inferno, in tumulo, neque illic Deus reliquit, sed inde per Resurrectionem illud eduxit. Sensus hic magis accedit ad litteram. Hebraice *anima* dicitur non solum de homine vivente, sed etiam de mortuo. In Genesi [2] Deus profitetur, se ulturum mortem hominis; ad litteram *animam hominis*. Et alibi [3]; *sanguis expiabit animam*, vel hominem, qui cæsus fuerit. Et item [4]: Summus Sacerdos *non ingredietur apud animam mortui*, in domum scilicet, ubi aderit mortuus homo: & in Numeris [5]: *Quicumque polluetur in anima hominis mortui*; hoc est, qui ingressus fuerit domum, vel qui interfuerit funeri hominis mortui &c.

℣. 11. NOTAS MIHI FECISTI VIAS VITÆ: ADIMPLEBIS ME LÆTITIA CUM VULTU TUO: DELECTATIONES IN DEXTERA TUA USQUE IN FINEM.] JESUS CHRISTUS post Resurrectionem suam loquitur: Ostendisti mihi viam hominibus ignotam, viam scilicet, quæ de morte ducit ad vitam, de sepulchro ad Resurrectionem [6]. Vel cum S. Augustino: exemplo meo hominibus ostendisti novam viam, qua redirent ad te, viam nempe humilitatis, atque patientiæ; *Via vitæ*, inquit S. Hieronymus, *mandata Christi sunt*; Deus illum cumulavit lætitia, ostendens ei vultum suum. JESUS CHRISTUS post Passionem suam adiit possessionem gloriæ suæ. Humanitas ipsius glorificata est, ac elevata super omnes Cœli, ac terræ creaturas, ubi in æternum gloriam, & faciem Patris contemplatur, sed ratione præ cæteris Sanctis longissime perfectiori. Denique cum infinita plenitudine percipit *delectationes, quas Altissimi dextera in ipsam effundit*. Hebræus ad litteram [7]: *Tu docuisti me viam vitæ: facies tua exsaturavit me lætitia, manus dextera tua æternis est repleta deliciis*.

Qui hoc de David in improprio sensu intelligunt [8], ajunt, Sanctum hunc Prophetam prosequi institutam gratiarum actionem ob ea lumina, quæ Deus illi est impertitus. Versiculo septimo dixit, Deum suum fuisse consilium, atque intellectum; hoc ipsum isthic sed apertius ait, Dominum sibi ostendisse vias vitæ, justitiæ, veritatis, præceptorum suorum, quas opponit viis mortis, injustitiæ, peccati: Deum ipsi gaudii cumulum summamque fiduciam concessisse, cum benigno intuitu ipsum dignatus est, se se ipsius patronum spondens, ipsius lateri adhærens, ut eum sustineret, atque tueretur. Vel: se gaudio fuisse repletum, cum semper ob oculos, & coram Domino suo graderetur, eumque dexteræ suæ jugiter proximum esse intelligeret, qui subinde vires augeret, egentique opitularetur. (vers. 28.) *Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi, ne commovear*. Versiculus hic 11. palam ad vers. 7. & 8. refertur.

1 Hieronym. *Illuc descendit ut electos suos exinde ejiceret, & Diabolum ligaret*. Vide & Genebr.
2 Genes. 9. 5. אדרש את נפש האדם 3 Levit. 17. 11. כי הדם הוא בנפש יכפר
4 Levit. 21. 11. על כל נפשת מת לא יבא Ita & Num. 6. 6. & 9. 6. 7.
5 Num. 19. 13. בנפש האדם אשר ימות 6 Euthym. Bellar. Genebr. Varab.
7 תודיעני ארח חיים שבע שמחות את פניך נעמות בימינך נצח Symmach. Ἐπτὰ ἀφροσύναι παρὰ τῷ προσώπῳ σου. *Septem lætitiæ insunt in vultu tuo*. Accepit שבע pro *septem*. Alii id acceperunt pro *satietate*. *Repletus est delitiis æternis*. Aquil. Th. Πλησμονὴ ἀφροσυνῶν. 8 Muis, Bossuet, Hammond. Grot.

PSALMUS XVI.

Psalmista Dei opem adversus inimicos exposcit. Deo innocentiam suam repræsentat, & describit nequitiam, ac impotentiam eorum, qui se persequuntur.

ORATIO DAVID.

ARGUMENTUM.

Psalmo huic appositus fuit titulus *Oratio David* per antonomasiam; perfectum est enim orationis exemplar [1], vel quod hic Propheta summo ardore, ac singulari affectu Deum obtestatur. Etiam atque etiam conqueritur de iniquitate judiciorum, quæ adversus se fiebant, atque de furore persecutorum suorum. Ad supremum Judicem provocat, eumque testem innocentiæ suæ adfert. Rabbini veteres, S. Hieronymo teste, dicunt, cum David nimium se meritis suis confidere hoc in Psalmo ostendisset, Deum, ut illum humiliaret, atque illi verecundiam immitteret, permisisse, ut in scelus illud cum Bethsabee, & adversus Uriam prolaberetur. Recentiores Rabbini quidam [2], Psalmum hunc a David conscriptum fuisse putant aliquandiu post Uriæ necem, & cum Rabbath obsideretur; tunc vero veritum, ne Deus ob sua flagitia irritatus, exercitus internecione ulcisceretur, eas fudisse preces, quas isthic legimus. Verum quænam veritatis species post nefaria adeo scelera, David ausum ea fiducia, ac libertate, quæ isthic deprehenditur, Deum obtestari? Theodoretus, S. Athanasius, S. Basilius, ac melioris notæ Interpretes [3], David Psalmum hunc scripsisse arbitrantur, cum maxime a Saule urgeretur: quem sensum & ipsi amplectemur. Psalmus hic ad Justos omnes, qui exagitantur injustis persecutionibus, potest referri. Sanctus Hieronymus, Sanctus Augustinus, aliique hanc veluti JESU CHRISTI, & Ecclesiæ illius orationem respiciunt. JESUS CHRISTUS de Judæis, Ecclesia vero de infidelibus conqueritur, qui eam persequuntur, & de hæreticis, qui eam discerpunt. Psalmus hic difficillima, obscurissimaque loca habet.

1 Jansen. Gandav. hic. 2 Rabb. Salom. Kimchi, Kabvenachi, apud Muis, post vers. 15.
3 Muis, Bossuet, Ferrand.

1. EXaudi, Domine, justitiam meam: intende deprecationem meam. 2 Auri-
bus percipe orationem meam, non in labiis dolosis. 3 De vultu tuo ju-
dicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates. 4 Probasti cor meum,
& visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. 5 Ut
non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego cu-
stodivi vias duras. 6 Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur
vestigia mea. 7 Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam
mihi, & exaudi verba mea. 8 Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis spe-
rantes in te. 9 A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.
10 Sub umbra alarum tuarum protege me: a facie impiorum, qui me afflixe-
runt. 11 Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt:
os eorum locutum est superbiam. 12 Projicientes me nunc circumdederunt me:
oculos suos statuerunt declinare in terram. 13 Susceperunt me sicut leo paratus
ad prædam: & sicut catulus leonis habitans in abditis. 14 Exurge, Domine, præ-
veni eum, & supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab ini-
micis manus tuæ. 15 Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum: de
absconditis tuis adimpletus est venter eorum. 16 Saturati sunt filiis, & dimise-
runt reliquias suas parvulis suis. 17 Ego autem in justitia apparebo conspectui
tuo; satiabor, cum apparuerit gloria tua.

℣. 1. EXAUDI, DOMINE, JUSTITIAM MEAM: A INTENDE DEPRECATIONEM MEAM .... NON IN LABIIS DOLOSIS.] Scio, Domine, te perhorrescere impietatem, injustitiam, mendacium; ac ipsas preces impii, ac viri cor duplex habentis, donec inde omnem peccati affectum minime evellit, tibi nequaquam acceptas esse. Ad tuos pedes, Domine, accedo fretus innocentia, & æquitate cordis mei, ut tibi vitæ meæ justitiam, hostium vero meorum injustitiam exhibeam. Neminem fefelli, decepi, in errorem induxi: attamen veluti scelestorum omnium nequissimus, ac maxime perfidiosus exagitor. Tu nosti cordis mei sinceritatem; te vitæ meæ Judicem habeo, tuumque præsidium exposco.

Hebræus [1]: *Domine, audi justitiam*, vel *justum*. Vel: *Audi, justitia Deus, intende orationem meam non* B *in labiis dolosis*. Oratio, quam ex imo cordis mei tibi effundo, est sine hypocrisi [2]. Sed intelligere præstat, perinde quasi hæc verba, *non in labiis dolosis*, æquipollerent vocibus membri prioris: *Audi justitiam meam*, exaudi justas preces meas 1, & ulciscere innocentiam meam. Tu scis, me neque injustum, neque deceptorem esse, atque ab hostibus meis, sine ulla causa, nil tale merentem exagitari. Fieri nonnumquam potest, ut impii simulate, ac duplici corde Deum deprecentur, existimantes, se illi fucum facere posse, quemadmodum illecebrosis, blandisque verbis os hominibus subliniunt. Sed Davidis pietati magis convenit asserere, ipsum innocentiæ suæ, rectitudinis, atque sinceritatis testem vocare adversus illos, a quibus apud Saulem accusabatur, quod in illius ditione, ac extra C eamdem secretas aleret conjurationes, atque conatus, ut ad Regni solium perveniret.

℣. 3. DE VULTU TUO JUDICIUM MEUM PRODEAT: OCULI TUI VIDEANT ÆQUITATES.] Ad te provoco [4], Domine, Judex esto sensuum meorum, vitæque meæ; me damna, & puni, si cordis mei gressus, & motus ab æquitate deflectunt. Vide supra Psalmum 7. 4. *Domine, Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis: si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*. Hæc loquendi ratio: *De vultu tuo Judicium meum prodeat*, simpliciter innuit: sententia justitiæ meæ ore tuo proferatur: causa mea coram te peroretur; nullum præter te Judicem habere volo. Ita in Esther 1. 19. *egrediatur edictum a facie tua* &c. Edic, præcipe &c.

Græca, & Latina Exemplaria hoc in loco non sibi constant. Alia cum Hebræo textu legunt [5]: *oculi tui videant injustitias*. Alia vero, eaque plura [6]: *Oculi mei videant justitiam*. Aperi oculos meos, Domine, ut quid æquum est, intelligere valeam. Oculi Domini [7] sunt Evangelici concionatores, ut S. Hieronymus inquit: Deum obtestemur, ut illis æquitatem ostendat, ac vita eorum ab eorum doctrina minime abhorreat: *Oculi Christi sancti Prædicatores; videant æquitatem .... & justitiam, quam prædicant, opere compleant*.

℣. 4. PROBASTI COR MEUM, & VISITASTI NOCTE: IGNE ME EXAMINASTI, & NON EST INVENTA IN ME INIQUITAS.] Tu me nosti, Domine! tu mei periculum fecisti, meque, velut aurum, quod per ignem traducitur, probasti. Per afflictionum tenebras, per noctem adversitatum, per calamitatum, atque persecutionum flammas trajectus fui. Nox, & ignis in Scriptura symbola sunt; alterum quidem tristitiæ, atque adversitatis; alterum belli, & persecutionis. Theodoretus [8] putat, David ad noctem alludere, qua cum Saulem in ipsius Tabernaculo in aurem utramque dormientem invenisset, neque in illum manum voluit inferre, neque permisit, ut ab Abisai interficeretur 1. Reg. 26. 7. 8.

Heb. [9]: *Probasti cor meum: visitasti illud*, examinasti *nocte; traduxisti ipsum per ignem; nihil in illo invenisti: cogitavi; os meum non præteriit*, vel non est transgressum. Per dolores, angoresque cordis mei periculum fecisti; sæpius Saul me ad necem quæsivit; id rescivi; illum effugi; eum prævertere potui, immo & ipsi necem inferre; non feci tamen. Sexcentis calamitatibus visitasti me; num ullam umquam in indignationem,

1 שמעה יהוה צדק הקשיבה רנתי . . . בלא שפתי מרמה Symmach. & Theodor. Εἰσάκουσον Κύριε δικαιοσύνης. Aquil. Εἰσάκουσον Κύριε δίκαιε. Scol. Δίκαιον αὐτὶ τοῦ δικαίως. 70. Εἰσάκουσον Κύριε δικαιοσύνης μου. *Exaudi, Domine, justitiam meam*. Vel: *Exaudi me, Domine, de justitia mea*. 2 Vide Hieron. hic.
3 Theodoret. Athanas. Muis. Chald. 4 Theodoret. Euthym. Muis.
5 עיניך תחזינה מישרים 70. In quibusdam Libb. Οἱ ὀφθαλμοί σου ἰδέτωσαν ἀδικίας. Ita & Vulg. & Hieron. Epist. ad Suniam, & Fretell. & Psalt. Rom. apud Nobil. Ita Chald. Syr.
6 70. Edit. Rom. & Complut. Aq. Sym. Th. & complures MSS. apud Ferrand. Οἱ ὀφθαλμοί μου ἰδέτωσαν εὐθύτητας. Ita August. Psalt. Mediol. Gallic. seu Carnot. Hieronym. in Comment. Aster. Theodoret. Niceph. Euthym. alii plerique. 7 Hieronym. hic, & vers. 8. 8 Theodoret. hic. Vide & Aug.
9 בחנת לבי פקדת לילה צרפתני בל תמצא זמתי בל יעבר פי (vers. 4.) לפעלת אדם

tionem, impatientiam, ultionem exarsi? Velut per A exilii, persecutionum, fugæ flammas traduxisti me; num me umquam observantiæ, quam Regi debeo, ac submissionis, qua mandata tua excipere æquum est, oblitum invenisti? Fateor quidem *cogitationes efformasse*, nec usquequaque motus cordis mei temperasse; verum tu mihi testis, Deus mi, cogitationes ad labia usque non pervenisse, ac me cum hominibus numquam fuisse conquestum. Coram te uno effudi cor meum, o consolator, & protector mi! Vel, me *cogitasse* fateor, & cor meum ad tot mala dolore affectum fuisse; sed *os meum nequaquam transgressum est* præcepta tua. Memet continui, ac inter acerrimi doloris mei sensus memet moderatus sum. Vertere mallem: *Velut per ignem, traduxisti me; numquam* noxias in me *cogitationes invenisti* [1]; *os meum minime transgressum est* præcepta B tua [2].

℣. 5. UT NON LOQUATUR OS MEUM OPERA HOMINUM: PROPTER VERBA LABIORUM TUORUM, EGO CUSTODIVI VIAS DURAS.] Vixi, tu nosti quidem, Domine, jugi vigilantia linguæ, & cogitationibus meis intentus propter mandata, ac verba tua. Mihimet severam vivendi rationem [3] constitui, ne umquam deficerem in iis, quæ debeo Legibus, ac jussibus tuis. Nullo umquam affectu raptus hominum opera suspexi; quidquid hominibus in pretio est, tu vero condemnas, hoc perhorresco. Quotidie summa cum admiratione loquentes audio de præclarorum Imperatorum rebus gestis, de insignibus Regum captis, de superba quorum dam virorum fortuna, de immensis nonnullarum civitatum divitiis. Hæc omnia C me ne tantillum quidem afficiunt. Tua dumtaxat opera admiror, Domine! magnitudinem, majestatem, justitiam, misericordiam tuam. In hoc sum occupatus, hæc sermonum meorum sunt argumenta. Nihili pendo hominum opera, nisi cum justitia, veritate, & æquitate fuerint conjuncta. Has mihi severas, atque molestas leges constitui. Semper adversum me excubias ago, ne me sensus, affectus, præjudicia, & exempla decipiant.

Interpretes Hebraici textus sensum inquirentes abeunt in diversa. Prima hujus versiculi verba juxta Vulgatam, ac Septuaginta, in authographo textu novissima sunt versiculi superioris. Hebr. [4] *Quoad hominum opera propter verba labiorum meorum, latronis semitam consideravi* [5]: vel a viis impiorum deflexi. Non D solum adnisus sum, ut innocentiam, & æquitatem servarem; verum omnes conatus meos exerui, ut alios ad leges tuas observandas impellerem: atque latronum, impiorumque nefariis facinoribus memet objeci; ab illis secessi, atque proximum tuum opprimentes repressi. Vel: Quoad hominum facta, & ea, quæ extra me fiunt, & quæ minus temperare valeo, illis invigilare non destiti; ac prohibere, ne impii mandata tua impune perfringerent.

Aliter, hæc versiculo quarto subnectendo: *Traduxisti me velut per ignem, neque in me scelus*, improbum aliquod consilium *invenisti*. *Os meum non transiit super actiones hominum propter verba labiorum meorum: Observavi semitas præruptas*. In variis periculis, quibus probasti me, innocens, atque irreprehensibilis inven- E tus sum. Verba autem mea *non transierunt super opera hominum*. Numquam censoriam notam illis præfigere, eas damnare, vel in sequiorem partem detorquere ausus sum. Falso redarguor, quod oblocutus fuerim de Rege, ejusque vivendi rationem objurgaverim. Tu scis, Domine, utrum alicujus existimationi, aut vitæ offecerim. Summopere mihi met semper cavi, ac veritus, ne te, tuaque mandata violarem, semper incessi, velut, qui inter prærupta montium graditur. Novissimus hic sensus maxime naturalis mihi videtur. Os suum, linguam, iram, indignationem, improbitatem, gladium, torrentem, inundationem super aliquem transmittere, satis notæ sunt Scripturarum locutiones [6], & significant calumniari, conviciis lacessere, injuriam inferre, affligare &c.

℣. 6. PERFICE GRESSUS MEOS IN SEMITIS TUIS, UT NON MOVEANTUR VESTIGIA MEA.] Hebraicum verbum, quod Vulgata reddidit *perficere* [7], proprie significat sustinere, veluti cum capularis senex, vel æger, qui viribus deficientes per se gradum stabilem ferre nequaquam valent, sustinentur. Esto fulchrum meum, scipio meus, fortitudo mea. Ne finas, me labi, atque nutare in via præceptorum tuorum. Superiori versiculo dixit, ipsum sibi difficiles vias præscripsisse, atque veluti inter præruptissimas rupes incedere; ut gressus suos confirmet, atque tuto gradiatur, divino indiget auxilio. Deus nobis gratiam confert incipiendi proferre gressus, ac in via perseverandi: *A Deo est incipere, & a Deo est finire*, S. Hieronymus inquit in hunc locum.

℣. 7. EGO CLAMAVI, QUONIAM EXAUDISTI ME, DEUS: INCLINA AUREM TUAM MIHI.] Si Deus exaudivit illum, cur clamat ad eum? Num ea petit, quæ jam obtinuit? Idem est, Patres [8], ac Interpretes inquiunt, perinde ac si diceret: Domine nuncupo tibi vota mea, & preces meas effundo tanto fidentius, quanto magis in qualibet occasione hactenus misericordiæ tuæ effectus expertus sum. Beneficia, quæ jam in me contulisti, sunt mihi veluti pignus, & arrha eorum, quibus me cumulabis. Ardor orationum nostrarum plerumque ex præcedentibus orationibus oritur [9]: Prout Deus nos exaudit, in nobis pietatem, ac precum amorem auget [10]: *Bona vota quoties effectum percipiunt, multiplicantur*. Nonnulli [11] Hebraicum textum reddunt [12]: *Clamavi ad te, quoniam exaudies me*. Certus sum, me apud te promptum expeditumque auxilium esse inventurum.

℣. 8. MIRIFICA MISERICORDIAS TUAS, QUI SALVOS FACIS SPERANTES IN TE.] Periculum semper majus est, quam fuerit umquam, Deus mi! Tempus est, ut brachium tuum expedias, atque in gratiam mei insigne aliquid moliaris, atque potentiæ tuæ virtutem ostendas, quemadmodum olim in amicorum tuorum gratiam fecisti. Intelligant omnes, me tuum esse, atque tuo patrocinio suffultum; ut quicumque viderit me ex his calamitatibus erutum, excitetur ad agnoscendam potentiam tuam, & misericordiam tuam laudibus extollendam [13]. Ego ipse cognoscam, quanta tibi debeam, ac in dies magis, magisque tuo amore succendar [14]. Misericordiæ Domini, Origenes ait, infinitæ sunt [15]: sed non omnes æque nobis cient admirationem. Communes clementiæ, gratiæ, potentiæ ipsius minimum nos afficiunt; nimis enim assuevimus illis; sed eum prodigia operatur conversionum, vel curationum mirabilium, vel cum inter sævissima quælibet ingruentia pericula insperatam fert opem, eæ *admirabiles misericordiæ* vocantur: *Mirifica misericordias tuas*.

1 זמה vel מזמה accipitur passim pro pravis cogitationibus, pravis cupiditatibus, Genes. 11. 6. Levit. 18. 17. 19. 29. 20. 14. Judic. 20. 6. Job. 30. 11. Psalm. 25. 10. & passim. 2 עבר sæpe sumitur pro transgredi, non parere &c. Vide Deut. 26. 13. Num. 14. 41. 21. 18. 29. 13. &c. 3 Athanas. hic, & alii.

4 לפעלות אדם בדבר שפתיך אני שמרתי ארחות פריץ. 5 Symmach. Ἐγὼ ἐφυλαξάμην ὁδοὺς ἀθέτου.

6 Vide Psal. 72. 9. *Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transivit in terra*. Et 87. 17. *Super me transierunt iræ tuæ*. Nahum. 3. 19. *Super quem non transivit malitia tua?* Jonas 2. 4. *Fluctus tui super me transierunt*. Psal. 123. 4. Hebr. *Torrens transisset super animam nostram*. Levit. 26. 6. *Gladius non transibit in terram vestram*.

7 תמוך אשרי במעגלותיך 70. Κατάρτισαι τὰ διαβήματά μου. Sym. Συγκράτησον, *corrobora*. Theod. Τελείωσον, *perfice*. 8 Vide Theodoret. hic, & Psal. 4. 2. 9 August. hic.

10 Gregor. Magn. lib. 35. Moral. cap. 3. 11 Hieronym. Muis. Chald. Jun. alii.

12 אני קראתיך כי תענני 13 Theodoret. hic. 14 August. hic, & Greg. in Ezech. l. 2. Hom. 18. *Tunc nobis misericordiæ Domini miræ fiunt, cum nobis ad memoriam miseriæ nostræ revocantur. Quia recolentes, quod fuimus, intelligimus, cui debemus, quod sumus*. 15 Origen. in Caten. hic.

tuas. Neque minus quidpiam requirebatur ad hoc, ut David de illo erueretur periculo, in quo versabatur; cum *inimicum* haberet potentissimum Regem, magna circumseptum eorum caterva, qui meritis Davidis invidebant, & injustam Regis iram assentationibus suis magis fovebant.

℣. 9. A RESISTENTIBUS DEXTERÆ TUÆ CUSTODI ME, UT PUPILLAM OCULI.] Saul, & aulici ejus dexteræ Domini resistebant [1] persequentes Davidem, quandoquidem non aliam ob causam persequebantur illum, nisi quod eum elegerat Dominus, ut super Israel regnaret, eumque gloria cumulaverat in omnibus ceptis ejus adversus hostes patriæ, ac Dei sui. Non petit solum David, ut ab inimicorum suorum manibus eruatur, verum audet Deum deprecari, ut ipsum veluti oculi pupillam custodiat [2]. Natura oculum in cranio, veluti in arce quadam, condidit, eum palpebris obtexit, illi supercilia dedit veluti munimentum adversus aquam, sudorem, & quidquid de fronte dilabi posset. Pupilla adhuc protegitur cornea, & membranis aliquot, veluti involucris, atque integumentis. Tanta fuit Dei cura ad partis adeo pretiosæ, atque necessariæ conservationem; nihilo vero secius sub Domini patrocinio justus tuto delitescit. Natura universa, homines, angeli ipsi ad ejus incolumitatem invigilant; ac sævissimi illius hostes, vel inviti, licet omnes conatus exerant, omnemque improbitatem expediant, ad gloriam ejus augendam non minimum conferunt. Si permittit Deus, ut Justi his in terris nonnumquam in squalore jaceant, hoc ipsum ad id spectat, ut eorum gloria augeatur, eorumque corona locupletetur. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Rom. 8. 28.

Hebræus textus versiculos 7. & 8. aliter paulo a Vulgata distinguit [3]. ℣. 7. *Fac, ut mirabili modo eniteſcat misericordia tua, a Salvator sperantium! adversus resistentes dexteræ tuæ*. (℣. 8.) *Conserva me velut pupillam filiam oculi; absconde me sub umbra alarum tuarum*. O Deus, qui gloriam tuam in eo collocas, ut illis, qui sperant in te, opituleris! ostende virtutem, ac potentiam tuam; eos, qui tuis consiliis adversantur, exarma; & quam mihi testatus es, benevolentiam conserva. Custodi me adversus eorum conatus, veluti pupillam oculi, & quemadmodum gallina protegit sub alis pullos suos [4]. Syrus hoc in singulari admodum sensu intellexit; qui tamen non longe ab Hebraici textus littera abscedit: *Fac, Domine, ut sanctus tuus appareat, veluti prodigium, veluti Salvator sperantium in te*: protege illum *adversus eos, qui resistunt dexteræ tuæ*. (℣. 8.) *Custodi me velut pupillam oculi* &c.

℣. 11. INIMICI MEI ANIMAM MEAM CIRCUMDEDERUNT: ADIPEM SUUM CONCLUSERUNT, OS EORUM LOCUTUM EST SUPERBIAM.] Undequaque crudelium inimicorum caterva concludor. David præcipue succenset ministris, & Aulicis Saul, qui Regis iram adversus illum fovebant; eosque exhibet, veluti viros nimium obæsos, locupletes, impotentes, qui semper repleti sunt adipe, qui *adipem suum concluserunt*, hoc est, qui viscera pietatis adversus me concluserunt, qui non miserentur mei. Nam aliquando *adeps* [5] pro miseratione usurpatur. *Adipem suum concluserunt*, obdurati sunt corde, omnia adversum me humanitatis jura violarunt. Alii [6] id explicant de affluentia, & opibus, quæ plerumque possessores suos, adversus miseros cives, inhumanos, ac illiberales efficiunt. Novissimus hic sensus melius a Scriptura probari videtur. Moyses Deut. 32.

A 15. loquens de prævaricationibus, & infidelitatibus Judæorum ait, ipsos, postquam pingues effecti fuerant, recalcitrasse, ac Dei Creatoris sui oblitos fuisse: & Eliphaz [7] impium, nefariumque virum describens, eum immane collum habentem, enormi pinguedine a facie, atque lateribus pendente obæsum exhibet; & ait, ipsum in Deum etiam consurgere; *Cucurrit adversus Deum erecto collo*; atque adversus Omnipotentem armatam manum inferre; *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est*; Et Psalmista Psal. 72. 7. ait, impiorum iniquitatem de imo adipis eorum egressam, ipsosque summa etiam cum affectione mala patrare. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis*. Eo in loco, quem explicamus, David innuere videtur se ab inimicis suis circum- B septum, velut a tauris nimium pinguibus, & illos adversum se superbiæ, atque impotentiæ plenissimos sermones evomuisse.

Hebræus multifariam vertitur [8] ℣. 9. Domine, protege me *adversus impios, qui devastant me*, adversus *inimicos animæ meæ* (internecinos hostes meos; ad litteram: *hostes in anima*, vel adversus animam) qui me undique circumstant. ℣. 10. *clauserunt adipem suum*, se se, ut ita dicam, in adipem suum receperunt: pinguedo eos obtegit, atque illis ex omni parte pendet: *os illorum locutum est in superbia*, insolentes, feroces, tumidi in me locuti sunt. Nonnulli ita vertunt [9]: Protege me *adversus hostes animæ meæ, qui me undequaque invadunt*. (℣. 10.) *Pinguedo eorum clausit os, impotenter loquuntur*. Sed prior interpretatio sim- C plicior, ac magis naturalis videtur. Non enim dicimus de obeso homine adipem illi os obstruxisse, perinde quasi os obstructum habens, contumeliose, & superbe loqui posset. Sed belle dixeris de homine, cui pinguis aqualiculus propenso sesquipede exter, adipem illi viscera præclusisse, neque ullam amplius ad miserationem erga pauperes commoveri.

℣. 12. PROJICIENTES ME NUNC CIRCUMDEDERUNT ME; OCULOS SUOS STATUERUNT DECLINARE IN TERRAM.] Non satis est inimicis meis, quod me de terra patria extorrem ejecerint, atque a cognatione mea procul semoverint; persequuntur etiam me, ac mihi circumundique struunt insidias; ita ut in montium jugis, velut ferox brutum inter laqueos, & pericula vitam traducere cogar. Calamitas mea, meaque tor- D menta non adhuc tanta esse illis videntur, ut eorum furor expleri possit; necesse est ut peream; aut certum illis est non nisi hirquis oculis me obliquum intueri [10]. Odium eorum est implacabile. Oculos solo fixos habere, nolle oculos in aliquem conjicere, oculos deflectere, iræ, atque odii notæ sunt; e contra oculos ad aliquem convertere, amicitiæ signum est, vel reconciliationis. Hæc omnia tum ex Bibliis, tum ex Prophanis intelligere est: *averam oculos meos a vobis*, dicit Dominus apud Isaiam, *& cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam*; & Juno apud Virg. Æneid. 1.

Diva solo fixos oculos aversa tenebat.

Hebræus ad litteram [11]: *circumdant gressus meos*, omnes mihi vias obstruxerunt, omnia vestigia mea vestigant; *posuerunt oculos suos*, velut in insidiis, *ut in* E *terram caderem*. Saul, ac inimici mei in insidiis positi sunt, ut me capiant; omnes gressus meos scrutantur; oculi eorum aperti sunt, ut me prosternant, atque in retia sua adducant. Alii reddunt [12]: simulatis *laudibus me cumulaverunt*, & postea undique circumdederunt me: *aperuerunt oculos suos, ut mihi nefterent* laqueos suos super terram. Non satis est inimicis meis, palam

---

1 Theodoret. hic. 2 Vide similem comparationem Deut. 32. 10.
3 Vers. 7. שמרני כאישון בת עין בצל כנפיך תסתירני וגו (8) הפלה חסדיך מושיע חוסים ממתקוממים בימינך
4 Vide similes locutiones Deut. 32. 2. Matth. 23. 37. 5 Theodoret.
6 Chald. Vatab. Muis. Gejer. Hammon. alii. 7 Job. 15. 26. 27.
8 מפני רשעים זו שדוני איבי בנפש יקיפו עלי (10) חלבמו סגרו פימו דברו בגאות (9)
9 Ludov. de Dieu. Vide & Muis. & Kimchi, & Abenezra. 10 Vide Theodoret. & Symmach. Τὸ ὀφθαλμοῖς οὐκ ἐθέλοντι βλέπειν, ἀλλ' ἐπικεκλιμένον ἔχειν τὴν διάνοιαν τὸ ὄμμα. Οὕτω γὰρ καὶ ὁ Σύμμαχος ἡρμήνευσε. Τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐπικεκλιμένους ἐν τῇ γῇ. 11 אשרנו עתה סבבונו עיניהם ישיתו לנטות בארץ
12 Symmach. Μακαρίζοντές με ἄρτι περιεκύκλωσάν με· τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἔταξαν ἐκκλῖναι ἐν τῇ γῇ. Vide Euseb. hic, & Theodoret.

palam irruere in me, atque secretis maledictis me A apud Saulem perdere: adnituntur etiam fictitiis laudibus, atque adfectatis illecebris decipere me, dum omnes intendunt nervos, ut me in interitum vocent, semperque apertos oculos habent, ut me miserrime perdant.

℣. 13. SUSCEPERUNT ME, SICUT LEO PARATUS AD PRÆDAM &c.] Saul est veluti leo, qui quærit prædam; me perdere, incautumque rapere cupit, velut Leo, qui imbelle, ac inerme animal aggreditur; aulici ejus, & consiliarii sunt tamquam leunculi, qui in antris suis delitescunt, donec egrediantur, ut irruant in me: *sicut catulus leonis habitans in abditis*. Hæc superiori Versiculo subnecti possunt juxta Hebraicum textum: Omnem navarunt operam, omnem oculorum aciem intenderunt, ut me prosternerent [1]; B *similes leoni, qui delitescit, ut rapiat* prædam suam, *velut leunculus, qui permanet in antro suo*.

℣. 14. EXURGE, DOMINE, PRÆVENI EUM: ERIPE ANIMAM MEAM AB IMPIO, FRAMEAM TUAM AB INIMICIS MANUS TUÆ.] S. Augustinus, & antiqua Psalteria [2] legunt: *Præveni eos, & supplanta eos*. Domine præverte inimicos meos, abjice illos ad pedes meos, decidant in laqueos, quos constituerunt mihi. Hebræus ad litteram [3]: *Præveni faciem ejus, & fac, ut cadat: libera animam meam de impio, qui suus est gladius*. Temet illi oppone, ille te inveniat ante se, velut homo, qui obvius fit hosti, quem cupiebat effugere. Hoc ex Levitico 26. 23. habemus: *si ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam*. Prosterne illum ad pedes tuos; evel- C le de manibus ejus ensem, quem accepit a te, & quo indignissime abutitur.

Impii omnes, qui bonos persequuntur, sunt veluti flagellum Dei, gladius, arma ejus: illis utitur Omnipotens, ut scelestos puniat, & justos probet. Sed væ illi, qui ad invisum adeo ministerium assumitur! Sæpius hunc magis odit Deus, quam eos, in quos illum furere, & debacchari permittit; ipsi quoque conterentur, & virgæ eorum comburentur igni, postquam instrumenta fuerint ad alios quidem puniendos, ad alios vero sanctificandos. Isaias 10. 5. Assyrium divinæ iræ virgam appellat: *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est: in manu eorum indignatio mea*. Reges Babylonis in Jeremia 50. 23. *malleus mundi* vocantur. *Quomodo confractus est, & contri-* D *tus malleus universæ terræ?* Hebræus ita quoque verti posset: *Præveni eum, & prosterne illum; libera animam meam*, libera *gladium meum* de manu *impii*; de manu ejus revelle. Vel: *libera animam meam de impio*, defende illam *gladio suo*; ne decidam in manus ejus. Alium adhuc sensum afferemus, sequentem versiculum explicantes.

℣. 15. DOMINE, A PAUCIS DE TERRA DIVIDE EOS IN VITA EORUM; DE ABSCONDITIS TUIS ADIMPLETUS EST VENTER EORUM.] Expunge inimicos, & persecutores meos de parvo amicorum, servorumque tuorum numero. Arce illos a societate populi tui: palantes, ac vagi vitam trahere cogantur, quemadmodum me procul a patria vivere cogunt. Nimium pingues, nimium locupletes sunt, tuis cumulati bo- E nis, iisdem per summum nefas abutuntur. Alibi jam nec semel admonuimus, ac sæpe iterum admonendi recurret occasio, has loquendi rationes, quæ imprecationes esse videntur, nihil aliud esse, quam prophetias eorum, quæ super impios sunt eventura. Hæc communis est Patrum, Interpretumque sententia. A pauco viventium numero separari, *a paucis de terra*, significare potest, vita excedere, in mortuorum turbam concedere, *ad plures ire*; vel a bonorum numero per exilium, atque anathema divelli; quod a Moyse, *de populo abscindi*, vocatur. S. Hieronymus [4] id intelligit de Prædestinatis. Psalmista petit, ut Prædestinati a magna reprobatorum frequentia separentur.

En textum Hebraicum [5]: ℣. 14. *Libera animam meam de impio, qui est gladius tuus*. ℣. 15. Domine libera eam *de hominibus manus tuæ, de his hominibus pinguedinis, quorum hæreditas est in vita, & quorum venter repletus est bonis tuis* exquisitissimis, atque *maxime absconditis*. Homines *manus Dei* hoc in loco iidem sunt, ac impii, qui ℣. superiori *gladius Dei* nuncupantur; Hæc instrumenta scilicet divini furoris; hi ad impios puniendos, probandamque Justorum virtutem adhibentur; hi sunt obæsi illi homines, nimium pingues, nimium divites iidem, de quibus ℣. 11. fuit sermo. *Adipem suum concluserunt*. Hi partem suam in hac vita habent, in æterna vero nihil expectant: *Hi receperunt jam mercedem suam*, Matth. 5. 5. ducunt in bonis dies suos, ac veluti dives Epulo Luc. 16. 22. temporis momento ad inferna descendunt. Job. 21. 13. *venter eorum oppletus est bonis magis absconditis a Domino*. Exquisitissimis vescuntur epulis, nullam voluptatem tenuunt; opibus affluunt, ac opulentam, frequentemque familiam intuentur ℣. 16. Hi, Domine, sunt inimici mei; usquequo patieris, ipsos in me dominari, atque ea abuti auctoritate, ac bonis, quæ de manu tua acceperunt?

Versiculi 14. & 15. ita quoque redduntur. (℣. 14.) *Domine libera animam meam de rigore gladii tui*. (℣. 15.) *Libera me de hominibus manus tuæ: de hominibus mundi, quorum portio in vita est, & quorum ventrem exquisitissime, quas habes, epulis reples* &c. David tria Dominum efflagitat: primum, ut tueatur ipsum *de rigore gladii sui*, temporalibus scilicet malis, vulneribus, vulgatis ægritudinibus. II. ut liberet ipsum *de hominibus manus suæ*, de vi potentium virorum, qui ea pollent auctoritate, quam ipsis Dominus contulit in terra. III. *de hominibus mundi*, quorum spes omnis, felicitas, gaudium in hoc sæculo situm est, qui terrenis hisce divitiis cumulati ad majora bona minime spectant. Sensus hic haud sane est aspernandus. Syrus [6] alium adhuc sensum proponit: *libera me Domine de impio, & de gladio, & de morte illorum, qui istibus manus tuæ pereunt, & squalent in sepulchro. Divides eos in vita: replebis ventrem eorum thesauris tuis*.

Vetera quædam Psalteria legunt [7]: *a paucis, a terra, dispartire eos, & supplanta eos*. Septuaginta [8] Vulgatæ similes sunt: *Separa eos a paucis de terra*. Alia Exemplaria [9]: *Ejice eos*, vel *perde illos de terra*.

℣. 16. SATURATI SUNT FILIIS, & DIMISERUNT RELIQUIAS SUAS PARVULIS SUIS;] Hæc summa est votorum hominis, maximis frui bonis, frequentem, pulcherrimamque jactare sobolem, diu vitam traducere, ac post se immensarum divitiarum filios hæredes scribere. Videbat David inimicos suos honoribus, ac rerum copia lætari; non hæc illis invidet bona. Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo, Domine, & hoc satis erit mihi, dummodo tuam gloriam intuear. Simpliciter petit, se videre gloriam Domini, in Taber-

1 דמינו כאריה יכסף לטרף וככפיר ישב במסתרים 2 Psalter. Roman. Mediolan. S. German. Ita Euseb.
3 קדמה פניו הכריעהו פלטה נפשי מרשע חרבך Aquil. Πρόφθασον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, κάμψον αὐτὸν. Sym. Πρόφθασον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ ὀκλασον αὐτὸν . . . . ἐκ μάχαιρας σου. Id est juxta Theodoretum: Ἐμὲ δὲ τῆς ἐκείνου ἐπιβουλῆς ἐλευθέρωσον, τὴν ῥομφαίαν σου γύμνωσον κατ᾽ αὐτοῦ. *Erue me ab ejus insidiis, & exere in eum gladium tuum*, Hieron. *Ab impio qui est gladius tuus*. 4 Hieronym. hic. *Rogas pro illis qui prædestinati sunt, ut veniant, & separentur ab illis qui non sunt prædestinati*. Ita fere Athanas.
5 ממתים ידך יהוה ממתים מחלד חלקם בחיים וצפינך תמלא בטנם Lego חלב pro de חלד Aquil. Κύριε, ἀπὸ τεθνηκότων ἐκ καταδύσεως, μέρος αὐτῶν ἐν ζωῇ. *Eripe me a mortuis in profunditate: pars eorum in vita*. Sym. Ἀπὸ τῶν νεκρῶν εἰδοδώκετων, ὧν μέρος ἐν ζωῇ. *A mortuis, quorum pars est in vita*. 9 Ita fere & Interp. quid. apud Euseb. hic. 7 Psalter. Rom. Sancti Germani, Carnot. Hieronym. in Comment.
8 Ἀπὸ ὀλίγων ἀπὸ γῆς διαμέρισον αὐτούς. 9 Edit. Rom. Ἀπολύων ἀπὸ γῆς. *Dimittens a terra*. Ita legit & Suidas. Sed August. videtur legisse Ἀπολλύων, *perdens de terra*.

Tabernaculum ejus introire, & coram Arca illius adstare, hæc enim erat gloria Israel [1]. Fruantur inimici mei bonis omnibus, quibus eos cumulare tibi placuit; niteant, auctoritate valeant: verum auctoritate sua ad me opprimendum non abutantur, neque manus suas meo sanguine inficiant.

Hebræus textus verti potest [2]: *replesti ventrem illorum. Filii eorum saturati sunt* [3]; *liquerunt reliquias suas infantibus suis*. Quædam Septuaginta exemplaria [4], & plura Latina Psalteria legunt: *Saturati sunt carne suilla*, pro *saturati sunt filiis*. S. Hieronymus hic, & ad Suniam & Fretel. S. Augustinus Ep. 149. nov. edit. & S. Paulinus ad August. Ep. ult. utramque legendi rationem recipiunt: *Saturati sunt filiis*, & *saturati sunt porcina*. Æquivocum in Greco facile oriri potuit, ubi *huion* significat *filiorum*, & *hueion*, *Porcorum*. Sed Hebræus, Chaldæus, Syrus, Symmachus, aliæque Versiones, uti Vulgata, habent: *saturati sunt filiis*. Theodoretus, & alii quidam [5] hoc de ultione Dei explicant. Effudisti, Domine, super illos, & super filios eorum, effectus iræ tuæ. Saturati sunt malis. Sed hæc explicatio huic loco non convenit.

ŷ. 15. EGO AUTEM IN JUSTITIA APPAREBO CONSPECTUI TUO: SATIABOR, CUM APPARUERIT GLORIA TUA.] Bonis alii cumulentur, frequenti lætentur posteritate: me, Domine, superque beatum judicabo, si manus meas mundas servare potero, ac memet coram te offerre justum, ac innocentem. Præstolabor momenta tua, atque tunc voti compos ero, cum apparebit gloria tua, atque ostendes potentiam tuam, me liberans. Confido in misericordia tua, ac spes auxilii tui inter tot, quæ mihi circumstant, mala, me recreat. Vel aliter: Voti compos tunc ero, cum coram Tabernaculo tuo, & Arca tua, quæ est gloria tua, prodire mihi integrum erit. Vide in superiorem versiculum adnotata.

Hebræus [6]: *Ego autem videbo faciem tuam in justitia; satiabor imagine tua, cum expergiscar* [7]. Plerique id explicant de Resurrectione. Inimici mei ea, quæ fluxa, & perfunctoria sunt, bona dumtaxat perquirant, ego cogitationes, ac vota mea ulterius protendo. Tunc acquiescam, cum videbo gloriam tuam, cum ex mortis somno excitabor, atque in Resurrectione conformis imagini Salvatoris apparebo: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, Philip. 3. 21. Vel aliter: Post Resurrectionem non videbimus Deum amplius veluti in speculo, atque in ænigmate, sed facie ad faciem: Dei ipsius imagine, atque similitudine satiabimur: *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem* &c. 1. Cor. 13. 12.

Alii de Salvatoris mundi Resurrectione id explicant: *Videbo faciem tuam in justitia; contentus ero, cum species tua resurget* [8]; cum gloriosus, ac vivens post Resurrectionem tuam apparebis. Sed simplicius ita reddi potest: *Satiatus*, contentus *ero*, *cum imago tua erigetur*; cum Tabernaculum fœderis, quod pignus est tuæ præsentiæ in Israel, erigetur in Sion. Hoc summopere David concupivit, ut Tabernaculum constitueret, & Domino Templum ædificaret [9]. Verum nescio, utrum cum sævissimis persecutionibus exagitaretur, hoc animo potuisset opus concipere. In Libris Moysis, ea *vox*, quam isthic legimus, & quam *imaginem* reddimus, vel *speciem*, usurpatur pro simulacris, atque imaginibus idolorum [10], & pro eo, quod Prophetis per somnium apparebat, cum Deus se illis manifestabat. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: At non talis servus meus Moyses*, dicit Dominus [11]. *Ore ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras: ipse vides imaginem Domini*. Vel aliter: *Ore ad os loquar ei: & ipse videbis Dominum intuitu, non autem per ænigmata, & in imagine*. Septuaginta isthic *gloriam Domini* reddiderunt hanc vocem, non secus ac eo in loco Numerorum, quem modo attulimus. Innuit igitur David, se tunc voti compotem futurum, cum se Deus illi manifestaverit, quemadmodum cum Prophetis facere consueverat; ac illi detexerit voluntatem suam, ac sua de ipso decreta. Poscere videtur actualem inspirationem, afflatumque Propheticum, ut inter calamitates consolatione aliqua fulciretur. Theodotion aliter legit, ac alii Interpretes [12]: *Cum manus tua dextera apparebit*. Chaldæus: *Satiabor, cum expergiscar per gloriam faciei tuæ*.

1 Reg. 4. 21. 22. *Translata est gloria Israel, quia capta est arca Dei*.
2 ימלא בטנם ישבעו בנים והניחו יתרם לעללהם   3 Sym. apud Euseb. Χορτασθήσονται υἱοί, καὶ ἀφήσουσι λείψανα αὐτῶν τοῖς νηπίοις αὐτῶν.   4 70. Edit. Rom. Ἐχορτάσθησαν υἱῶν. Alii libri. Ὑείων. Apollinar. in Metaphrast: Πλησθέντες υἱλῶν, Arnob. Psalter. Rom. Carnot. S. German. Arab. Bruno Ast. *Saturati sunt porcina*.
5 Theodoret. hic, & Theodor: Antioch. in Catena Græca. Euseb. & Basil. Athanas.
6 אני בצדק אחזה פניך אשבעה בהקיץ תמונתך   7 Ita Hieronym. & Sym. Ἐξυπνισθεὶς τῇ ὁμοιώσει σου.
8 Aquil. Ἐν τῷ ἐξυπνισθῆναι ὁμοίωσίν σου.   9 Vide 2. Reg. 7. 2.
10 Exod. 20. 4. פסל וכל תמונת Deut. 4. 12. 16. 25. 5. 8. 12. 8.   11 Num. 12. 8. פה אל פה אדבר בו ומראה ולא בחידת ותמונת יהוה יביט 70. Στόμα κατὰ στόμα λαλήσω αὐτῷ, ἐν εἴδει, καὶ οὐ δι' αἰνιγμάτων, καὶ τὴν δόξαν Κυρίου εἶδε.   12 Theodot. Χορτασθήσομαι ἐν τῷ ὀφθῆναι τὴν δεξιάν σου. Legit ימינך pro תמונתך Syr. videtur legisse אמונתך *Fidelitas tua*, seu *veritas tua*.

PSALMUS XVII.

Canticum David, quo gratias agit Deo. Descriptio periculorum, quæ subiit, victoriarum, quas retulit, & beneficiorum, quæ a Domino accepit.

In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba Cantici hujus, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saul, & dixit.

ARGUMENTUM.

Titulus hic decerptus est ex secundo Regum, cap. 22. 1. & ferreum os, insignemque impudentiam Domini Ferrandi miror, qui de veritate, atque auctoritate ejus ambigit, qui putat non magis esse Canonicum in se-

in secundo Regum, quam hoc in loco: quod utrobique hic simplex titulus est, & Sacrorum Librorum tituli nequaquam Canonici habentur. Utramque illius propositionem explodere possumus: non enim generatim loquendo certum est, omnes Sacrorum Librorum titulos nequaquam esse canonicos; neque a temeritatis nota excusari potest, qui illud absolute affirmaret. Secundo, nequaquam verum est, in secundo Regum libro, hunc simplicem esse titulum: est enim decursus historiæ David; in quam non poterat Historicus Canticum hoc inserere, quin illius argumentum, atque occasionem, ut fuit per hæc verba, edoceret. Difficultates, quas Ferrandus adfert, nullius, vel parvi momenti sunt: Inanes diverberare umbras contendit, cum vires exerit suas, ut ostendat, Psalmum hunc satis diu post Saulis mortem, ac post relatam de Philisthinis, alienigenisque nationibus victoriam, fuisse conscriptum. Nemo enim id inficiatur.

Verba hæc: *In die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saul*, id satis ostendunt. Saulis nomen hic veluti extra opus, ac tamquam accessorium additur. Præcipui hostes, de quibus hic loquitur David, sunt alienigenæ, Philisthiim, Syri, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, quos domuit, subegitque. Et hæc locutio: *In die, qua eripuit eum Dominus* &c. designat tempus, quo ille ab hostibus omnibus se liberatum intuitus est intra Regnum suum, & extra lætissima pace gavisus [1]. *Dies* sæpe pro *tempore* usurpatur.

Hujus Psalmi stylus miræ sublimitatis est, ac venustatis. Orditur ex magnificis Domini laudibus, ac humillimis gratiarum actionibus: mox vero ea describit pericula, quibus fuit circumseptus: deinde magnificis verbis exponit, quo pacto Deus ipsi tulerit opem, eumque liberaverit. Denique beneficiis, quibus a Deo cumulatus fuit, commendatis, ad laudes, & gratiarum actiones reversus finem imponit. Præter historicum sensum, qui Davidis personam respicit, deprehenduntur etiam manifesta Regni Messiæ, & vocationis Gentilium, vaticinia. Vide præsertim versiculos 11. 44. 45. 50. & S. Paulum Rom. 15. 9. Sanctus Hieronymus ait, hic describi Davidis bella adversus hostes ipsius bellata, Jesu Christi victorias de Judæis, & Ecclesiæ de persecutoribus suis relatas. S. Augustinus eodem ferme pacto explicat.

1. Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium
meum, & liberator meus. 2 Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum.
3 Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. 4 Laudans invocabo
Dominum: & ab inimicis meis salvus ero. 5 Circumdederunt me dolores mortis: &
torrentes iniquitatis conturbaverunt me. 6 Dolores inferni circumdederunt me: præ-
occupaverunt me laquei mortis. 7 In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad De-
um meum clamavi. 8 Et exaudivit de Templo sancto suo vocem meam: & clamor
meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus. 9 Commota est, & contremuit ter-
ra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.
10 Ascendit fumus in ira ejus, & ignis a facie ejus exarsit: carbones succensi sunt ab
eo. 11 Inclinavit Cœlos, & descendit: & caligo sub pedibus ejus. 12 Et ascen-
dit super Cherubim, & volavit: volavit super pennas ventorum. 13 Et posuit tene-
bras latibulum suum: in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebrosa aqua in nubibus
aeris. 14 Præ fulgore, in conspectu ejus nubes transierunt, grando, & carbones
ignis. 15 Et intonuit de Cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: grando,
& carbones ignis. 16 Et misit sagittas suas, & dissipavit eos: fulgura multiplicavit,
& conturbavit eos. 17 Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta
orbis terrarum. 18 Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.
19 Misit de summo, & accepit me: & assumpsit me de aquis multis. 20 Eripuit me
de inimicis meis fortissimis, & ab his, qui oderunt me; quoniam confortati sunt su-
per me. 21 Prævenerunt me in die afflictionis meæ; & factus est Dominus protector
meus. 22 Et eduxit me in latitudinem: salvum me fecit, quoniam voluit me. 23
Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam: & secundum puritatem manuum
mearum retribuet mihi. 24 Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.
25 Quoniam omnia Judicia ejus in conspectu meo, & justitias ejus non repuli a me.
26 Et ero immaculatus cum eo: & observabo me ab iniquitate mea. 27 Et retribuet
mihi Dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in
conspectu oculorum ejus. 28 Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente in-
nocens eris. 29 Et cum electo electus eris, & cum perverso perverteris. 30
Quoniam tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis. 31
Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine. Deus meus, illumina tenebras meas.
32 Quoniam in te eripiar a tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. 33
Deus meus, impolluta via ejus: eloquia Domini igne examinata: protector est om-
nium sperantium in se. 34 Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus
præter Deum nostrum? 35 Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immacula-
tam viam meam; 36 Qui perfecit pedes meos, tamquam cervorum, & super ex-
celsa statuens me; 37 Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti ut arcum æ-
reum, brachia mea; 38 Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua su-
scepit me. 39 Et disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua ipsa me doce-

bit.

bit. 40 Dilatasti gressus meos subtus me : & non sunt infirmata vestigia mea. 41
Persequar inimicos meos, & comprehendam illos : & non convertar, donec deficiant.
42 Confringam illos, nec poterunt stare : cadent subtus pedes meos. 43 Et præcin-
xisti me virtute ad bellum ; & supplantasti insurgentes in me subtus me, 44 Et ini-
micos meos dedisti mihi dorsum, & audientes me disperdidisti. 45 Clamaverunt, nec
erat, qui salvos faceret, ad Dominum ; nec exaudivit eos. 46 Et comminuam eos,
ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos. 47 Eripies me de
contradictionibus populi : constitues me in Caput Gentium. 48 Populus, quem non
cognovi, servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi. 49 Filii alieni mentiti sunt
mihi : filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt a semitis suis. 50 Vivit Domi-
nus, & benedictus Deus meus ; & exaltetur Deus salutis meæ. 51 Deus, qui das
vindictas mihi, & subdis populos sub me ; liberator meus de inimicis meis iracun-
dis. 52 Et ab insurgentibus in me exaltabis me : a viro iniquo eripies me. 53
Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine : & nomini tuo psalmum dicam. 54
Magnificans salutes Regis ejus, & faciens misericordiam Christo suo David, & semini
ejus usque in sæculum.

℣. 1. DILIGAM TE, DOMINE FORTITUDO MEA.] Prima hæc verba, *Diligam te, Domine, fortitudo mea* non leguntur in 2. Regum cap. 21. ubi Canticum hoc de verbo ad verbum fere invenitur. In Psalmi decursu alia quædam occurrit varietas, levissimi tamen momenti [1], quæ plane profecta est ex varietate exemplarium autographi ejusdem, vel ex Librariorum incuria. Hebraica vox [2], quæ redditur, *diligam*, non simplicem, sed singularem significat amorem, veluti matris in filium; unice, & ex toto animo, visceribusque diligentis. Nonnulli etiam reddunt [3] : *petam misericordias tuas*. Obtestabor te, ut pro me habeas viscera misericordiæ, dolorum meorum magnitudine ad miserationem commovearis. Sed prior versio : *Diligam te*, melius huic convenit loco. David Deo gratias relaturus ob tot benefacta, amorem illi dumtaxat rependere potest [4]. Hoc unum creatura Creatori suo potest tribuere, nec aliud præterea a nobis petit Omnipotens. Ama, & fac, quod lubet : si amaveris, uti par est, Deo servies, uti æquum est : charitas est consummatio Legis. David non ait simpliciter, se amare, sed & amaturum Deum suum ; cupiebat enim, ut amor suus quotidie adolesceret. Quo magis amatur objectum infinite amabile, eo magis crescit illud amandi voluntas.

DOMINUS FIRMAMENTUM MEUM, & REFUGIUM MEUM, & LIBERATOR MEUS.] Tu Domine vires mihi tribuisti, quibus hostibus meis resisterem, & constantiam, qua in adversis animum non desponderem, atque præsidium, ut ex tot periculis emergerem. *Diligam te Domine, per quem fortis sum ; Domine, qui formasti me, quia refugi ad te ; Refugi autem, quia liberasti me*, ait S. Augustinus [5]. Tu mihi fortitudinem contulisti, eo quod ad te confugi ; & ad te confugi Deus mi, eo quod jugiter misericordiæ tuæ effectus expertus sum. Hebr. [6]. *Domine, rupes mea, arx mea, & liberator meus*. Rupes vim, & sublimitatem significat. In Palæstina, quæ montibus obsita regio est, plurimæ rupes aderant, quo, cum bellum ingrueret, se se recipiebant, ac ubi adversus furorem, atque incursionem hostium se se tutabantur. David sæpius præruptorum horum locorum præsidio usus fuerat, cum de persequentis Saulis manu aufugeret.

℣. 2. DEUS MEUS ADJUTOR MEUS, & SPERABO IN EUM.] Hebræus ad litteram [7] : *Deus meus, rupes mea, sperabo in eum*, vel cum S. Hieronymo : *Deus meus, fortitudo mea, spes mea* : Vel, potius fortitudo mea, rupes mea, præsidium meum. Hæc epithetorum congeries satis aperit ardorem amoris, & magnitudinem grati animi sancti Regis. Epithetum *rupes* bis, diversis vocabulis repetitum, satis est nobile, ac speciosum in eorum populorum stylo.

℣. 3. PROTECTOR MEUS, & CORNU SALUTIS MEÆ, & SUSCEPTOR MEUS.] Hebræus [8] : *clypeus meus, cornu liberationis meæ, altitudo mea*, Vel arx mea. *Clypeus* protectionem, defensionemque significat ; quo nomine frequenter satis Deus designatur [9]. *Cornu* symbolum est fortitudinis, & gloriæ. Deus veluti cornu omnes inimicos meos percussit ad instar tauri, cornibus suis prosternentis, ac projicientis in aera, quidquid objicitur illi [10]. Moyses Deut. 33. 17. confert Ephraim tauro ingentia habenti cornua, veluti rhinocerotis, nationes dissipanti, inque auras projicienti. JESUS CHRISTUS in Evangelio *Cornu salutis* vocatur : *Erexit cornu salutis nobis*. Luc. 1. 69.

℣. 4. LAUDANS INVOCABO DOMINUM, & AB INIMICIS MEIS SALVUS ERO.] Gratias tibi agam ob antiqua beneficia tua, Domine, ac recentia mihi promerebor ; laudabo te, eo quod protexisti me adversus hostes meos, ac merebor, ut imposterum me tueri non cesses. S. Hieronymus vertit Hebraicum textum [11] *Laudatum invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero*. Alii [12] : *clamabo ad Dominum, qui adeo laudabilis est*. Versio Septuaginta, & Vulgata magis naturalis videtur, eamque sequitur Chaldæus.

℣. 5. CIRCUMDEDERUNT ME DOLORES MORTIS ; & TORRENTES INIQUITATIS CONTURBAVERUNT ME.] Terroribus, gravissimisque periculis obseptus fui, & impiorum caterva stipatus, qui veluti torrens, quidquid obvium rapiens, irruerunt in me. In Scriptura [13] aquæ multæ, exundationes, significant hostium exercitus, irruptiones, bella. Hebr. [14] *Funes mortis circumdederunt me, & torrentes Belial conturbaverunt me*, perterruerunt. Nonnulli funes mortis eos intelligunt, qui ad noxiorum cervices ponuntur, quibus ad supplicium trahantur [15] ; vel illos, quibus captivi, & mancipia vinciuntur. Eram veluti in manu mortis, ac traditus potestati ejus. Geminus huic secundi Regum libri locus [16] habet : *Fracturæ mortis circumdederunt me*. Hoc ipsum innuit periculum ingens. David tot

1 Abarbanel 70. varietates adnotavit. 2 ארחמך יהוה חזקי 3 Abenezra, Abarban. alii.
4 Theodoret. Athanas. 5 Vide etiam Eusebium in hunc locum.
6 יהוה סלעי ומצודתי ומפלטי Κύριε στερέωμά μου, καὶ καταφυγή μου, καὶ ῥύστης μου. 7 אלי צורי אחסה בו
8 מגני וקרן ישעי משגבי 9 Vide hic vers. 33 & 36. & Genes. 15. 1. Deut. 33. 29. Psal. 3. 4. &c.
10 Theodoret. 11 מהלל אקרא יהוה ומן איבי אושע 12 Var. Munst. Tig. Ainsw. alii.
13 Isai. 8. 8. *Ibit per Judam inundans*. Isai. 17. 13. 28. 2. 17. 18. Dan. 11. 10. Vide Theodoret. hic.
14 אפפוני חבלי מות ונחלי בליעל יבעתוני 15 Vide 3. Reg. 20. 31. 32. 16 2. Reg. 22. 5. משברי מות

tot calamitates perpessus est, ut difficillimum esset conjectare, quam præcipue nunc animo reputaret. S. Basilius, Theodoretus, & S. Hieronymus per hæc verba intelligunt laqueos, quos illi tetenderant inimici, ut ad interitum rueret. *Torrentes Belial* significare possunt hostium, vel impiorum catervam, vel malorum cataclysmum. Centies fui veluti inter brachia mortis, & jam jam cessurus vi eorum, qui quærebant rapere animam meam. Psalteria antiqua [1] pro *Doloribus mortis* legunt *Gemitus mortis*.

℣. 6. DOLORES INFERNI CIRCUMDEDERUNT ME: PRÆOCCUPAVERUNT ME LAQUEI MORTIS.] Hoc ipsum versiculo superiori expressum est. Hebr. [2]: *rudentes inferni*, vel *sepulchri circumdederunt me: laquei mortis prævenerunt me*. Eram veluti impeditus laqueis, quos mihi tetenderant, neque humanitus spes ulla mihi supererat, ut aliquando ex illis evaderem: sed potens manus tua, Domine, vincula, funesque perfregit. Nonnulli *funes sepulchri* interpretantur de vittis, quibus mortui obvolvebantur. Sed magis aptum videtur de laqueis explicare, vel de retibus, quibus aves capiuntur. Hoc idem est ac *laquei mortis*, de quibus statim infra est sermo.

℣. 8. ET EXAUDIVIT DE TEMPLO SANCTO SUO VOCEM MEAM.] Exaudivit me de Cœli vertice [3]; quod Templum ejus est, atque sedes ipsius. Tunc Salomonis Templum nondum extructum fuerat. Sunt tamen, qui putent [4], nomine hoc David intelligere Tabernaculum, quod erat in Silo, vel Gabaon. Certum est per prolepsim, illud nonnumquam Templum, vel domum Dei fuisse vocatum [5]. S. Augustinus hoc de justi corde intelligit, ubi Deus suam sedem elegit: *Exaudivit de corde meo, in quo habitat, vocem meam*.

℣. 9. COMMOTA EST, & CONTREMUIT TERRA: FUNDAMENTA MONTIUM CONTURBATA SUNT &c.] Incipit describere miraculosam rationem, qua Deus illi est opitulatus; & hæc descriptio ad 18. usque versiculum pergit. Nihil magis magnificum, sublime, excellens esse potest hac descriptione; neque potest aliquid majorem Numinis reverentiam, vel timorem mortalibus immittere. Verba hæc minime ad litteram sunt intelligenda, Theodoretus hic ait, perinde quasi hæc omnia vere contigerint. Innuere dumtaxat vult David, quemlibet dictutum fuisse, omnia elementa pro ipso pugnasse, atque ad hostium ipsius internecionem conjurasse. Scriptura refert [6], Deum die quadam opem tulisse David, immittens tonitrua, grandinem, & fulmina adversus Philisthiim, qui in valle Rephaim, vel Gigantum castra fuerant metati.

℣. 10. ASCENDIT FUMUS IN IRA EJUS, & IGNIS A FACIE EJUS EXARSIT [7]: CARBONES SUCCENSI SUNT AB EO.] Hæc est iræ Domini descriptio. Nemo non videt, hæc nequaquam ad litteram, & crassa, ut ajunt, Minerva, esse intelligenda. Deus non faciem habet, non oculos, non nares, neque velut homo, ira, & ægritudine animi se abripi sinit. Sed longe terribilior est adversus eos, qui sanctas Leges suas infringunt, ac mandata aspernantur, quam esse queat acerrimus, idemque infestissimus omnium inimicorum. Ignis ultionem designat, ait Theodorus Antiochenus in Catena: Dominus *ignis consumens est*, Moyses inquit Deut. 4. 24. & 9. 3. ac Danieli se se ostendit Dan. 7. 10. perinde quasi facies sua fons esset, unde ignitus fluvius difflueret. Poetæ iratum hominem describunt veluti ignem, flammasque ex oculis emittentem. Æneid. 12.

His agitur furiis, totoque ardentis in ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Hebræus [8]: *Fumus ascendit ad nares ejus, & ignis consumens egressus est de ore illius: carbones succensi sunt ab eo*. Hebræi, non secus ac Græci [9], ac Latini iram in naribus constituebant [10]. Hoc autem designare potest grandinem, fulmina, fulgura [11]. Primum quidem apparere facit obscuram nubem, veluti tenebricosum fumum; eam mox sua ira succendit. Demum fulgura, & fulmina, velut carbones accensi de nubis penitiori parte, veluti de ore illius egrediuntur.

℣. 11. INCLINAVIT COELOS, & DESCENDIT: & CALIGO SUB PEDIBUS EJUS.] Dominus de summo Cœlorum vertice venit in auxilium mihi; inclinavit se ad terram in nubibus, quæ solium Majestatis ejus obumbrant, & quæ splendoris ejus adspectum oculis nostris eripiunt. David his verbis vehementem innuere vult imbrem. Ita nobis Ethnici Jovem suum pluviam, & fulmina demittentem descripsere: Virgil. Eclog. 7.

Jupiter & læto descendit plurimus imbri.

Propheta Nahum c. 1. 3. 4. Omnipotentis incessum iisdem ferme vocibus, ac David, nobis describit: *Dominus in tempestate, & turbine viæ ejus, & nebulæ pulvis pedum ejus: increpans mare, & exsiccans illud*: Et Isajas 29. 6. Dominum in Jerusalem ira succensum describens ait: *Eritque repente confestim: a Domino exercituum visitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempestatis, & flammæ ignis devorantis*. Patres [12] hoc explicant de JESU CHRISTI Incarnatione, vel de illius in terras descensu, cum secundò adveniet.

℣. 12. ET ASCENDIT SUPER CHERUBIM, & VOLAVIT [13]: VOLAVIT SUPER PENNAS VENTORUM.] Quæ locutionis majestas, ac vis ad velox insperatum, validissimumque auxilium significandum! Deus velut Heros ascendit super currum suum, ut mihi ferret opem. Sed quinam est currus iste? a Cherubim vehitur, ac super ventorum alas fertur. Hac eadem pompa Dominus Ezechieli apparuit [14]; ita illum animo sibi fingebant Hebræi, gaudebatque Deus per summam indulgentiam se se illorum captui submittere. Hinc alatus ille Jovis currus, de quo Profani loquuntur [15], hinc magnificæ locutiones illæ, quas passim apud Poetas invenimus, cum de fabulosis Numinibus suis loquuntur [16]: *Modo velut flamma nitet, modo aquæ, nostis, ferocis belluæ speciem induit. In varias se se formas mutat: in ventum, nubem, fulmen, tonitru, pluviam. Absolutum exercet imperium in mare, in fontes, in rupes, & in omnes aquas mundi. Editiora montium juga coram ipso expavescunt; trepidat tellus, vastum mare turbatur, cum ipse in ea terribiles suos contorquet intuitus*. Patres [17] id intelligunt veluti Prophetiam Ascensionis Domini.

℣. 13. POSUIT TENEBRAS LATIBULUM SUUM: IN CIRCUITU EJUS TABERNACULUM EJUS: TENEBROSA AQUA IN NUBIBUS AERIS.] E nubibus Deus tenebricosum veluti tabernaculum sibi constituit, aptum ad terrorem, & reverentiam in homines immittendam, veluti Orientis Reges, qui numquam in publicum prodeunt, ne suam majestatem demittant. Vastum sibi magnificum, & magnitudine sua dignum erexit tabernaculum: nubes scilicet; ejus nos extimam dumtaxat partem, & quæ minus emicat, intuemur. Hic ille sedet,

1 Psalter. Mediolan. Rom. Sancti German. Carnut. 2 חבלי שאול סבבוני קדמוני מוקשי מות
3 Euseb. Theodoret. Basil. Genebr. Abenezra, Muis, Chal. Cocc. alii. 4 Lyran. Ferrand.
5 1. Reg. 1. 7. 10. & 11. 29. 6 2. Reg. 5. 24. & Isai. 28. 21. 7 Theodoret. & Edit. Complut. 70. Κατεφλεγίσθη. Edit. Roman. Κατεφλόγισε. August. Psalter. Rom. Mediolan. Sancti Germ. Exardescet.
8 עלה עשן באפו ואש מפיו תאכל גחלים בערו ממנו 9 Theocrit. Idyll. 1. Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Pers. *Disce, sed ira cadat naso*. Plaut. *Fames & mora bilem in nasum conciunt*.
10 Vide nostrum Comment. in Deut. 29. 21. 11 Vide Muis, hic. Genebr. Vatab.
12 Hilar. in Psal. 74. & 143. Ambros. Apolog. David altera, cap. 12. Ita Euseb. Athanas. alii.
13 In 4. Reg. c. 22. 11. legitur וירא: *apparuit super alas Cherubim*, pro *volavit*. 14 Ezech. 1. 4. 5. 6. &c.
15 Apud Justin. Mart. ad Græcos pag. 30. 16 Æschil. apud Euseb. lib. 13. præp. cap. 13.
17 Euseb. Athanas. Hieronym.

sedet, cum immensum, ditissimumque Palatium deserit, quod in superiori Cœli parte assurgit, ut hominibus suppetias laturus accurrat. Ita olim Hebræis in transitu rubri maris apparuit, cum se medium posuit inter illorum, atque Ægyptiorum exercitum [1], & novissimorum horum furorem retudit. Job similiter Omnipotentis sedem describit [2]: *Qui tenet vultum solii sui, & expandit super illud nebulam suam*; ut illius nobis adspectum eripiat. Psalmista alibi etiam has loquendi rationes repetit [3]: quod hanc communem fuisse Hebræorum opinionem ostendit. Hæ ideæ satis belle Omnipotentis majestatem designabant, & hoc in loco mirum in modum nobis exhibent invisibile, subitum, efficax auxilium, quod Dominus Davidi tribuit tot in occasionibus adversus hostes illius. Orpheus, vel alius quidam Poeta apud Eusebium Præpar. l. 13. c. 12. de Magnitudine Dei non longe aliter sentiebat. *Deus*, inquit ille, *in Superiori Cælorum parte aureo insidet solio. Tellus circumagitur sub pedibus illius. Ille extendit manum dexteram suam usque ad Oceani terminos. Montium basis contremiscit, neque sustinere valet pondus iræ ejus. Æternum manet ille in immutabili statu super Cælum; dum interim, quidquid hic infra transigitur, præterit, ac morti obnoxium est.* Hesiodus Opera & Dies v. 125. & 255. ait, Deos terram omnem percurrere tenebricoso aere circumdatos, quo humanis obtutibus auferuntur; & Homerus Iliad. O. monti Gargaro insidentem exhibet Jovem nubibus integumento velatum.

Hebræus ad litteram [4]; *se se abdit in tenebras; tabernaculum ejus eum undique circumdat*. Tabernaculum hoc ex *obscura*, & tenebricosa *aqua*, & densis nubibus compactum est. In gemino huic secundi Regum libri loco [5] paulo aliter legimus: *Posuit tenebras in circuitu suo latibulum, aquas adstrictas in obscuris nubibus*, vel in nubibus cœli. Sensus hic melior videtur, quam qui in hoc loco legitur. In Scriptura universa nobis exhibetur Deus [6], pluviæ aquas in nubibus, veluti in utre quodam clausas, continens; quem cum vult, aperit, atque inclinat, aquam super terras effusurus. S. Hieronymus in Regum libris vertit: *Cribrans aquas de nubibus Cælorum* &c. eas veluti per cribrum traducit, ac in terras demittit.

℣. 14. PRÆ FULGORE IN CONSPECTU EJUS NUBES TRANSIERUNT: GRANDO, & CARBONES IGNIS.] Cum appatuit hostes meos dissipaturus, ac mihi laturus opem, nubes apertæ sunt, & grando visa est decidere, undequaque micare fulgura, atque de obscurissimo nubium sinu fulmina erumpere. *Carbones ignis* non aliud sunt, quam fulgura, & fulmina. Pindarus Jovem alloquens ait; *Magne Deus, qui moves super nubes tonitru tuum pedibus indefessis*. In gemino huic loco in 2. Regum libro [7] simpliciter legimus: *Carbones ignis accensi sunt ad splendorem, qui de facie ejus egreditur*. Tenebræ, quæ circumdabant Tabernaculum ejus splendore fulgurum, ac ignium, qui coram illo succensi sunt, dissipatæ fuere [8].

℣. 15. ET INTONUIT DE CŒLO DOMINUS, & ALTISSIMUS DEDIT VOCEM SUAM: GRANDO, & CARBONES IGNIS.] Postrema hæc verba: *grando, & carbones ignis* non leguntur in Græco textu [9], non apud S. Augustinum, non apud Græcos Patres, neque in veteribus Latinis Psalteriis. Addita fuerant in quibusdam Exemplaribus Septuaginta deprompta ex Hebræo textu, ac Theodotione. Videmus hic non secus ac alibi passim in Scriptura, tonitru vocem Dei nuncupari. David alludere potest ad ea, quæ transacta sunt in Philisthinorum clade in valle Gigantum 2. Reg. 5. 24. ubi Isajas 28. 21. innuit, eadem circiter contigisse prodigia, quæ in quinque Regum cæde, qui Josue in Israel imperante obsidebant Gabaon, contigere, Josue 10. 10. 11.

℣. 16. MISIT SAGITTAS SUAS, & DISSIPAVIT EOS; FULGURA MULTIPLICAVIT, & CONTURBAVIT EOS.] In poeticorum Scripturæ librorum stylo [10] fulgura Dei tela appellantur. Græci, ac Latini Auctores de Jove disserentes locutionem hanc imitati sunt. Fulmina, sagittæ, ac fulgura, quæ præcedunt, sunt illius jacula, ac tela: Ovid. Metam.

Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.

Hebr. [11] *Ejaculatus est tela sua, & dissipavit, protulit multitudinem fulgurum suorum, & agitavit*. Sed non deest in textu amphibologia; atque hoc referri potest ad ignita jacula, & fulgura, quæ per omnipotentis brachii sui vim dispersit; vel potius ad hostes David, quos Dominus dissipavit, atque delevit.

℣. 17. ET APPARUERUNT FONTES AQUARUM, & REVELATA SUNT FUNDAMENTA ORBIS TERRARUM.] Hebræi credebant terram aquis incumbere [12], & Oceanum fontem esse omnium fluminum, & aquarum [13]. David ut magnificis, atque hyperbolicis verbis terræ motum describeret [14], ait communes aquarum omnium fontes, oceanum scilicet, hiasse, atque imum suum patefecisse: eodem ferme pacto quo contigit in rubri maris transitu. Patet in ingentibus terræ motibus aquas nonnumquam recedere, & nonnumquam se se effundere [15] pro natura, vel causa hujus phenomeni. Dicunt in mari, terræ motum intelligi ex repentina fluctuum agitatione, & elevatione aquarum, quin ulla sit ventorum, vel tempestatis species [16]. Denique non desunt vetera, ac recentia exempla terrarum a mari deglutitarum, aliarumque detectarum, perinde ac ex maris imo prodierint [17]; quod tamen non nisi terræ motuum conatus immanes effecere.

Hic igitur innuere vult David, Dominum violentis adeo terræ motibus hostes suos perterruisse, ut ipse minime ambigat, quo minus tunc maris imum detectum apparuerit, & aquæ procul a litteribus recessetint. Non asserit id accidisse, sed accidere potuisse, cum tanta fuerit motus, atque agitationis magnitudo. Hæc loquendi ratio: *revelata sunt fundamenta orbis terrarum*, innuere quoque potest, fundamenta hæc subversa fuisse. Prophetæ [18], cum alicujus civitatis excidium designare volunt, ajunt, fundamenta illius fuisse detecta, hoc est avulsa, effossa. Hebræus verti potest [19]: *Inundationes*, vel profunditas, vel fontes *aquarum detecti fuere*, vel *extimuerunt* [20]: *& fundamenta terræ detecta sunt*.

℣. 19. MISIT DE SUMMO, & ACCEPIT ME: & ASSUMPSIT ME DE AQUIS MULTIS.] Hebræi satis frequenter populi multitudinem per aquarum copiam designant [21], uti etiam exercitus, atque irruptiones hostium inundationes appellant. David arrepta occasione aquarum maris, de quibus modo locutus est, comparat inimicos suos inundationi, & ait, eum ipse in mediis esset aquis, ac fluctibus ventorum furore agitatis jam jam summergendus, ac periturus, sibi de Cœlo Deum extendisse dexteram, atque eruisse de periculo, quod imminebat, neque poterat evitari: *Misit de summo*, supple *manum*, vel *Angelum*, vel *verbum* &c.

℣. 20. ERIPUIT ME DE INIMICIS MEIS FORTISSIMIS.]

1 Exod. 14. 19. 20. 2 Job. 26. 9. Vide & 22. 14. 3 Psal. 96. 2. 103. 3.
4 ישת חשך סתרו סביבותיו סכתו חשכת מים עבי שחקים
5 2. Reg. 22. 12. ישת חשך סביבותיו סכות חשרת מים עבי שחקים Legit חשרת pro חשכת quod meliorem sententiam reddit. 6 Vide Job. 37. 12. 38. 37. Juxta Hebræum. 7 2. Reg. 22. 13. מנגה נגדו בערו גחלי אש
8 Theodoret. Flamin. Buchan. Ferrand. 9 Vide Hieronym. ad Suniam & Fretell.
10 Vide Abac. 3. 4. 2. &c. 11 וישלח חציו ויפיצם וברקים רב ויהמם וישלח חצים 2. Reg. 22. 15. ויפיצם ברק ויהם 12 Psal. 23. 2. *Qui fundavit terram super aquas*. 13 Eccl. 1. 7.
14 Theodoret. 15 Plin. lib. 31. cap. 5. & lib. 2. cap. 80. & 84. 16 Idem lib. 2. cap. 8.
17 Plin. lib. 1. cap. 84. 85. 86. 87. 18 Ezech. 13. 14. Isai. 24. 18. Mich. 1. 6. Abac. 3. 13. Psal. 136. 7.
19 ויראו אפיקי מים ויגלו מוסדות תבל 20 Deducendo יראו a ירא *Timet*.
21 Apocal. 17. 15. Ita & Patres hic.

MIS.] Ex historia 2. Reg. 26. 15. 16. intelligimus, Davidem adversus Philisthæos bellum gerentem a Gigante quodam, cui nomen Jesbibenob fuisse lacessitum; eumque jam jam prope esset, ut a barbaro superaretur, illi opem tulisse Abisai, filium Sarviæ, qui Gigantem occidit; quare Duces Israel regem obtestati sunt, ne ulterius se in ea pericula committere auderet, ne lampas Israel extingueretur. Hanc fortasse vitæ suæ circumstantiam isthic designat; vel potius triste, ac periculosum tempus illud, quo fere in manus Saul decidit, cum Regis hujus copiis circumundique clauderetur eo in loco, qui postea petra divisionis vocatus fuit 1. Reg. 23. 26.

℣. 21. PRÆVENERUNT ME IN DIE AFFLICTIONIS MEÆ: & FACTUS EST DOMINUS PROTECTOR MEUS.] Hoc explicatur de persecutionibus, quibus a Saule exagitatus fuit, cum exul ac extorris hac, illac fugeret, vel potius de Absalonis defectione [1]. Tunc doluit videns, nonnullos ex amicis suis rebellis filii partes sectari, atque ita dolorem addere dolori Regi ex Regni sui sede ejecto, ac patri afflictionibus confecto.

℣. 22. ET EDUXIT ME IN LATITUDINEM: SALVUM ME FECIT, QUONIAM VOLUIT ME.] Esse in angustiis, in arcto, clausoque loco, naturaliter significat oppressionem, dolorem, persecutionem: *educere in latitudinem* contrarium omnino significat. Hebræi sæpius hac loquendi ratione utuntur, ut innuant: Eruit me Dominus de periculo, e quo emergere non posse arbitrabar [2]. Vide vers. 20. Hebræus verti potest [3]: *salvum me fecit, eo quod amavit me*, vel eo quod hoc ipse voluit, vel quod amice respexit me. Post hunc versiculum vetera quædam exemplaria [4] repetunt vers. 20. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab iis, qui oderunt me.* Plurimi Patres id explicant de scelere David, unde illum infinita misericordia sua eduxit Deus [5].

℣. 23. ET RETRIBUET MIHI DOMINUS SECUNDUM JUSTITIAM MEAM.] S. Hieronymus, ac alii Interpretes versiculum hunc per præteritum tempus efferunt: *Retribuit mihi Dominus secundum justitiam meam*, quod eum sermonis decursu melius cohærere videtur. David sæpe de justitia, atque innocentia sua loquitur; verum non personæ suæ justitiam intelligit; quis enim se coram Deo justum dicere auderet? sed innocentiam causæ suæ, innocentiam suam, habita hostium suorum ratione. Vidit Deus inimicorum meorum injustitiam, agnovitque me nihil adversus illos molitum esse, judicavit me juxta manuum, atque cogitationum mearum puritatem. Vel cum Theodoreto: agnovit æquitatem cordis mei, & constans animi mei propositum a fide illius ne latum quidem unguem recedendi, & Leges suas summa officii fide observandi; ideo mihi patrocinari dignatus est. Versiculus sequens huic favet explicationi.

℣. 25. QUONIAM OMNIA JUDICIA EJUS IN CONSPECTU MEO.] Vetera quædam Exemplaria legunt [6]: *in conspectu meo sunt semper*. Symmachus apud Euseb. *ante oculos suos*. Sed Hebræus [7] Vulgatæ similis est. *Judicia Dei* hoc in loco significant præmia, quibus Deus Justos remuneratur, & supplicia, quæ adversus impios exercet; correctiones, quibus utitur, ut ad officium revocet, ac tentationes, quibus fidelium periculum facit. Justus semper hæc ob oculos habet [8]; *Præmia Justorum, & pœnas impiorum, & flagella corrigendorum, & tentationes probandorum, perseveranti contemplatione considero.* Alii [9] *Judiciorum* nomine intelligunt simpliciter mandata Dei, quæ sæpius Judicia appellantur.

ET JUSTITIAS EJUS NON REPULI A ME.] Plurima Græca Exemplaria legunt [10]: *Justitiæ ejus non recesserunt a me*. Sed alia Vulgatæ simillima sunt [11]: *Et justitias ejus*, leges, præcepta *non repuli a me*. Hebræus Vulgatæ congruit.

℣. 26. ET ERO IMMACULATUS CUM EO.] Imposterum adnitar, ut ad severiorem justitiæ, & æquitatis normam meæ vitæ rationem componam. Peractum suum scelus innuit. Alii [12] præterito tempore vertunt: *Fui immaculatus cum eo*. Cum mihi se obtulisset occasio ulciscendi mei, ac manus meas persecutoris sanguine imbuendi, peperci illi [13], ac me purum, atque irreprehensibilem servavi; ac Deus excepit me juxta innocentiam cordis mei, & puritatem viarum mearum. Vide vers. sequentem, qui nihil est aliud, quam vers. 23. repetitio.

℣. 28. CUM SANCTO SANCTUS ERIS, & CUM VIRO INNOCENTE INNOCENS ERIS.] Pro meritorum nostrorum mensura nos excipis [14], Domine. Frustra impius, ac nefarius se prosperitate frui gloriantur. Licet hac in terra eos aliqua perfunctoria frui sineres felicitate, eorum tamen scelera in die iræ persequi nosces. Ego vero in me, atque in tua erga me agendi ratione, plenissime expertus sum, te Deum esse misericordiæ, clementiæ, ac bonitatis cumulatissimum erga illos, qui erga te sanctitatem, ac innocentiam, erga proximos vero æquitatem tuentur. Hebraica vox [15], quæ hic redditur, *sanctus*, significat pium, justum, clementem, misericordem, mitem, benignum. S. Augustinus hic id intelligit de actuali sanctitate, ac justitia, quam per gratiæ suæ infusionem nostris cordibus inserit Deus: *Sanctus in natura alios sanctificas, innocentem adjuvas, & perversum pervertis, permittendo.* Sunt, qui hoc loco ad bonarum societatum utilitatem, malarum vero detrimentum ostendendum utantur. Boni sumus, vel nequam pro ratione sociorum, quibus assuescimus [16]. Verum hic sensus a Psalmistæ mente longe discedit.

℣. 29. ET CUM ELECTO ELECTUS ERIS, & CUM PERVERSO PERVERTERIS.] Deus hypochrisim, atque cor duplex abominatur. Doli, fraudes semper damnum inferunt illis, qui iisdem utuntur. Quicumque cum Deo recta incedit, qui in corde puro, atque sincera voluntate illi famulatur, semper divini auxilii experitur effectus. E contra, qui personam induit, & qui Deo fucum facere credit hypocrisi sua, cum aliqua ingruet necessitas, derelinquetur, atque in nullam reditus spem calamitatibus obruetur. Hic verus est hujus loci sensus. Hebræus [17] ad litteram: *Mundus eris cum mundo, & cum oblique incedente luctaberis.* Hoc Israelitis per Moysem ajebat Deus, Levit. 26. 23. *Sed ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam.* Si obstiteritis mihi, ego obsistam vobis: Si adfueritis in viis meis, adero in vestris. Vel quemadmodum ait Salomon in Proverbiis 3. 34. *Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.*

Scriptura eorum impiorum nobis exempla suppeditat, cum quibus uti videtur Dominus stratagemate, & quorum consilia perturbat adeo, ut in ipsos eorum perni-

---

1 Vide Theodoret. 2 Euseb. Theodoret. 3 יחלצני כי חפץ בי
4 Psalt. S. Germ. & Carnut. Vide & Aug. hic. 5 Euseb. Athanas.
6 August. hic Psalter. Rom. Mediolan. Bruno, Ast. 7 כל משפטיו לנגדי 70. Πάντα τὰ κρίματα αὐτοῦ ἐνώπιόν με. 8 August. hic. & Hieronym. 9 Vatab. Muis, Gejer. Cocc. alii.
10 Edit. Rom. & Codices Regii sex, & duo Colbertini, apud Ferrand. hic. Τὰ δικαιώματα αὐτοῦ, οὐκ ἀπέστησαν ἀπ' ἐμοῦ. Ita Theodoret. 11 Edit. Complut. & Codex Reg. 2723. & Colbert. 6051. Τὰ δικαιώματα αὐτοῦ, οὐκ ἀπέστησα ἀπ' ἐμοῦ. Ita August. sed Athanas. utramque lectionem agnoscit. Hebr. וחקותיו לא אסיר מני Hieronym. *præcepta ejus non amovi a me.* 12 Hieronym. Pagn. Mont. &c.
13 1. Reg. 24. 6. 7. 13. 14. 14 Theodoret. hic. Vide & Hilar. in Psal. 120. 5.
15 עם חסיד תתחסד Symmach. Πρὸς ὅσιον ὁσίως πράξεις καὶ μετὰ τὸ κεχαρισμένον χαριτωθήσῃ. *Sancte ages cum sanctis, & eris benefaciens illi, qui tibi erit acceptus.* 16 Vide Munster. ad 2. Reg. 22. 26. & Isidor. Clar. hic. 17 עם נבר תתברר ועם עקש תתפתל

perniciosissimi effectus relabantur. Credidit Laban, toties fidem datam infringens, se decipere Jacob; verum ea ipsa in re deceptus fuit, cum gauderet Deus, servum suum opibus cumulans. Fratres Josephi hujus vaticinia inutilia reddere conati sunt, eum alienigenis vendentes; sed hæc ipsa fuit via, qua illa adimpleta fuere. Pharao se per vim in regione sua continere posse Hebræos est arbitratus; verum ea hoc pacto sibi conflavit mala, quibus a Deo percussus fuit, & quæ Ægyptum omnem pessum misere. Saul Davidi minitabatur interitum, ut illi ad Regnum præcluderet viam; sed immo eam ipsi sternebat, efficiebatque ut in dies magis sapientia, virtus, & clementia David enitescerent.

S. Augustinus in suporiorem versiculum ait, Deum quodammodo cum impiis perverti, eo quod justo judicio permittit, ut pervertantur, ac magis, magisque post flagitia abeant, eo quod semet perdere, ac interire cupiunt. Hic [1] vero ait, impium invenire vias Dei perversas, atque injustas, quod ipse cor habet perversum, atque corruptum, simillimus nefariis illis Israelitis, qui dicebant Ezech. 18. 25. *Non est æqua via Domini*. Cui responderi potest iis Ezechielis vocibus: *Numquid via mea non est æqua, & non magis viæ nostræ pravæ sunt?* Genebrardus ait, Deum quodammodo vim inferre ingenio suo, quo ad misericordiam fertur, dum contra impios suam severitatem exercet.

℣. 30 QUONIAM TU POPULUM HUMILEM SALVUM FACIES, & OCULOS SUPERBORUM HUMILIABIS.] Hebr. [2] *Quoniam salvum facies populum pauperem*, afflictum, humiliatum, mansuetum [3]; *& superbos oculos humiliabis*. Ego vero per tempus præteritum efferre mallem. Scio, Domine, te bonum esse cum bonis, perversum cum perversis, atque nos pro nostrorum operum ratione excipere; id autem ex omnium sæculorum historia, & propria edoctus experientia scio: semper superbos, elatosque oculos humiliasti, pauperem vero, afflictum &c. elevasti. Horatius.

Valet ima summis mutare, & insignem attenuat Deus,
Obscura promens.

℣. 31. QUONIAM TU ILLUMINAS LUCERNAM MEAM, DOMINE DEUS MEUS, ILLUMINA TENEBRAS MEAS.] Lucerna, & lux designant reditum in prosperitatem post calamitatum, atque afflictionis noctem, ac tenebras [4]. Tu me felicitate cumulas, & ex omnibus angustiis eruis. Pro lucerna David; intelligi potest Messias. Tu Domine, mittes ad nos Salvatorem hunc tamdiu expetitum, qui vitæ, prædicationis, Evangelii sui luce universum terrarum orbem est illustraturus. Septuaginta in quibusdam Exemplaribus legunt in futuro [5]: *Illuminabis*, vel *accendes lucernam meam*. Excitabis scintillam hanc vitæ fere intermortuam [6]: spem meam relevabis.

℣. 32. QUONIAM IN TE ERIPIAR A TENTATIONE, & IN DEO MEO TRANSGREDIAR MURUM.] Et valla, arces, propugnacula hostium meorum evincam. Vel in præteritum referendo tempus. Tu mihi virtutem contulisti superandi hostes meos, ac potiundi oppidis eorum. Alludere videtur ad Jerusalem de Jebusæis captam. Civitatis hujus mœnia valida erant adeo, ut hostes jactitarent se ea tueri posse solo claudorum, & cæcorum, qui in urbe aderant, præsidio 2. Reg. 5. 6. 7. David eam expugnavit; Joab primus murum ascendit. *Tentatio* significat hoc in loco mala, quibus permisit Deus, ut ille toto ferme vitæ suæ curriculo vel ad ad animum probandum, vel ad expiandum scelus, agitaretur.

Hebræus [7] juxta S. Hieronymum: *Cum auxilio tuo armatus curram; & cum Deo ingrediar murum*. Chaldæus: *cum ope tua multiplicabo exercitus meos, & dominabor oppidis hostium meorum*. Vatablus: *Tecum delebo cohortes hostium meorum, & transgrediar muros*. Vel: cum ope tua, Deus mi, excursiones faciam in agros hostium meorum, *cum exercitu meo*; Te enim mihi opem ferente, non vallum, non mœnia meis viribus resistent. *Gedud* proprie significat militum, vel latronum manum, juxta eorum temporum mores, qua in hostilem regionem incursiones fiebant. Hujus generis erant milites Jephte, antequam fieret Judex Israel; & David, antequam ad regnum perveniret.

℣. 33. DEUS MEUS, IMPOLLUTA VIA EJUS; ELOQUIA DOMINI IGNE EXAMINATA.] Viæ, & ratio, qua Dominus erga homines agit, sunt irreprehensibiles, ac mundæ: reddit unicuique secundum opera illius, sine personarum acceptione judicat. Vel: Verba illius integerrimæ sunt puritatis; promisit protectionem suam sperantibus in se, Justis, innocentibus, rectis corde, & omni sæculorum decursu fidem præstitit [8].

℣. 34. QUONIAM QUIS DEUS PRÆTER DOMINUM.] Quis vetare posset, ne promissa, & consilia ejus adimplerentur? Num alii Dei sunt præter ipsum? Num alius Deus adest æque ac ipse, justus, æquus, fidelis in promissionibus suis adimplendis? Vide versiculum superiorem.

℣. 35. DEUS, QUI PRÆCINXIT ME VIRTUTE, & POSUIT IMMACULATAM VIAM MEAM.] Vel qui me in innocentia servavit, atque ab omni sceleris nora præservavit. Ipse mihi vim tribuit, ut ultionis libidini resisterem, cum bis Saulis interimendi [9] se mihi obtulisset occasio; & semel cum jam Nabal, & servos ejus [10] essem deleturus. Ipse me de flagitiorum meorum tenebris revocavit, cum a recta virtutis via longe recesseram, atque per summum nefas cum Bethsabee, atque adversus Uriam nequissima scelera patraveram.

℣. 36. QUI PERFECIT PEDES MEOS TAMQUAM CERVORUM.] Hæc non modica erat bellatoris laus currendi pernicitate præstare, seu hostis urgendus, seu vitandus, seu prævertendus, seu locus aliquis occupandus esset, seu ex prælio se se recipere oporteret, ut quod magis esset profuturum, expleretur. Scriptura 2. Reg. 2. 18. laudibus prosequitur Hazaelem fratrem Joab, qui velociter adeo, ac montium capreoli, currebat. Homerus Iliad. passim Achilli suo appositum laudis tribuit *velox ad cursum*. Septuaginta [11], S. Augustinus, & vetera quædam psalteria legunt: *Perfecit pedes meos tamquam cervi*. Hebr. [12] *fecit pedes meos similes pedibus cervorum*. Quemadmodum cervi pedibus serpentes conterunt, ait Theodoretus; ita & ego inimicos meos. Sed aptius videtur id de currendi celeritate intelligere. Veteres libentius fœminas, quam mares in quovis rerum genere memorant; cervam dicunt, ovem, capram, asinam, equam &c.

ET SUPER EXCELSA STATUENS ME.] Super montes, rupes, veluti cervas, & cervos, qui in montium jugis incolunt. Statuitne super rupes, in specubus, super montes; & equidem David diutius per Judææ montes erravit.

℣. 37. POSUISTI UT ARCUM ÆREUM BRACHIA MEA.] Dedit lacertis meis vires, atque firmitatem arcus ærei. Hæc non tanta laus esset nostris hisce temporibus, si quem fortem velut arcum æreum, non secus ac durum velut ensem plumbeum diceremus. Æs nimis lentum est, atque infirmum, quam ut ex eo fortis arcus fieri valeat. Verum antiqui [13] noverant ea arte æs temperare, ut æque ac calybem solidum, firmumque perficerent; & liquet, ipsos ex ære passim conflasse arcus, cultros, cly-

1 August. bic legit, *cum perverso perversus eris*. Psalt. Rom. Sancti German. Mediol. *Cum perverso subverteris*. 2 כי אתה עם עני תושיע ועינים רמות תשפיל
3 Symmach. Λαὸν πτωχόν 4 Theodoret. hic. Muis, &c.
5 Complut. Φωτιεῖς, *illuminabis*. August. Athanas. Euseb. 6 Ferrand. Jans. Gand.
7 כי בך ארץ גדוד ובאלהי אדלג שור 8 Euseb. Cæsar. 9 1. Reg. 24. 7. & 26. 8. 9.
10 1. Reg. 25. 32. 11 70. Καταρτιζόμενος τοὺς πόδας μου ὡσεὶ ἐλάφου.
12 משוה רגלי כאילות 13 Proclus & Tzetzes in Hesiod.

clypeos; thoraces, secures. Job [1] videtur asserere, A æs ferro ipsi duritie præstare. Hebræus textus, quemadmodum nostris in Bibliis extat, habet [2]: *Et arcus æreus facilis negotio brachiis meis conteritur*. Ea virium magnitudine polleo, ut arcum æreum confringere valeam. Vel: nullus adest, licet fortissimus arcus, quem summa cum facilitate non conteram. Arcus frangere in bello, tamquam victoriæ nota, sæpius memoratur. Vide 1. Reg. 2. 4. Psal. 36. 15. & 45. 10. Jerem. 49. 5. Chaldæus cum Vulgata congruit: *Perfecit brachia mea, velut arcum æreum*. Rabbini [3] ajunt, Davidem in ædibus suis æreos habuisse arcus miræ magnitudinis, ac roboris: cumque advenæ quidam Principes in Regis aula quondam versarentur, dixere, hæc arma ad ostentationem dumtaxat, atque ad captandam hospitum admirationem ostendi; ceterum ne Davidem quidem unum ex illis posse attrectare; quo cognito David, validissimum ex illis arcum arreptum coram ipsis confregit. B Ad hoc autem hic alludi arbitrantur Rabbinorum ineptiæ.

℣. 38. DEDISTI MIHI PROTECTIONEM SALUTIS TUÆ.] Hebr. [4] *dedisti mihi clypeum salutis tuæ*: vel salvasti me, & eduxisti me de periculo, tuam mihi conferens opem. Septuaginta Romanæ Editionis [5], sexta Hexaplis in editio, S. Augustinus, Theodoretus legunt; *Dedisti mihi protectionem salutis meæ*, pro *salutis tuæ*. Alia Græca Exemplaria simpliciter habent [6]: *protectionem salutis*. Sed Hebræus, veteresque omnes Interpretes, S. Hieronymo teste ad Suniam & Fretellam, legunt: *protectionem salutis tuæ*; salutem nempe, quam te protegente recepi.

℣. 39. ET DISCIPLINA TUA CORREXIT ME IN FINEM.] C Quod in Latino sequitur textu; *Et disciplina tua ipsa me docebit*, neque in Authographo, nec in plurimis Latinis Exemplaribus extat [7]. Hebræus simpliciter legit [8]: *dulcedo tua multiplicabit me*; per summam misericordiam tuam frequentem mihi tribues posteritatem. Vel *elevabis me*, gloriosiorem, vel potentiorem efficies, *misericordia tua*. Juxta Vulgatam hæc est loci hujus sententia: correctio tua me in officio continuit, ne a justitiæ via aberrarem, leviora scelera mea puniens [9]. Additio: *Et disciplina tua ipsa me docebit*, desumpta est ex Theodotionis versione, & nihil aliud significat, quam quod priori Vulgatæ membro effertur. Symmachus [10]: *obedientia mea elevabit me*; neque differt geminus secundi Regum Libri D locus 22. 37. [11] Mallem nihilominus vertere: *Cum exaudisti me, tunc me lætitia, & gloria cumulasti*. Vel: cura tua, providentia tua me felicitate replevit [12].

℣. 40. DILATASTI GRESSUS MEOS SUBTUS ME, & NON SUNT INFIRMATA VESTIGIA MEA.] In latitudine positus fui, atque de hostibus meis erutus. Incessi per viam latam, atque patentem, & nihil in itinere offendi, ut ne minimum quidem pes erraverit. Statum hunc illi opponit, in quo versabatur, cum per angustias, per prærupta loca, per ardua, & invia montium obreperet. Hæ loquendi rationes Hebræis sunt familiares: *Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis*, ait Salomon Prov. 4. 12. *quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*; hoc est in ea suavitatem, fa- E cilitatem, jucunditatem, consolationem invenies. Hebræus verti potest [13]: *Dilatasti gressus meos subtus me, & tali mei non erraverunt*, vel *non defatigati sunt*. Magnis itineribus ambulavi, quin delassarer [14]. Scriptura narrat [15], David cum semel regni solium obtinuit, numquam inceptis ejus fortunam abfuisse, quælibet illi e sententia processisse, victorias suas latius extendisse, nec aliquid illi umquam obfuisse, quominus votorum summam consequeretur.

℣. 41. PERSEQUAR INIMICOS MEOS, & COMPREHENDAM ILLOS &c.] Tua ope suffultus, nihil verebor; nemo mihi resistere poterit. Vel si veluti præteritorum gratiarum actionem malis intelligere. Persecutus sum inimicos meos, ita ut eos penitus profligaverim, atque deleverim. Nemo unus ignorat, quo pacto exceperit Philisthinos, Idumæos, Moabitas, & Ammonitas. Eos enim adeo afflixit, ut nonnisi post plurimum tempus elapsum sese receperint. ℣. 24. *Confringam illos, nec poterunt stare*; vel juxta Hebræum [16]: *Exterminavi eos, nec poterunt stare*, vel se se recipere: qui locus geminus est illi e 2. Regum libro [17]: *Delebo eos, & in pulverem redigam, neque consurgent*. Vel: Delevi, perdidi eos, quin consurgere potuerint. Hæc omnia ex historia probantur. Hostes Israel nihil tentare ausi sunt, Davide, vel Salomone illius successore imperantibus.

℣. 43. PRÆCINXISTI ME VIRTUTE AD BELLUM, & SUPPLANTASTI INSURGENTES IN ME SUBTUS ME.] Nullum Regem Davide, vel bellicosiorem, vel fortiorem novimus. Certamen singulare adversus Goliath nequaquam inter postrema ab illo præclare gesta referendum est; postea vero plurimas de hostibus populi sui, easque cumulatissimas retulit victorias, quin unquam, quod noverimus, victus e prælio discesserit. Eos omnes, in quos intulit arma, vicit, subegitque. Nulla arx, oppidum nullum resistere illi potuerunt. Verum non sibi vindicat tot laudum gloriam, sed eam ad Deum refert auctorem: *Præcinxisti me virtute*. Tu mihi vires, tu robur, tu virtutem contulisti. Hebr. ad litteram [18]: *Præcinxisti me virtute ad bellum*, & *dejecisti*, cedere fecisti, *inimicos meos subtus me*. Tu eos coegisti, ut a me salutem deprecarentur, & pacis conditiones acciperent; mihique subjecti, atque vectigales essent.

℣. 44. INIMICOS MEOS DEDISTI MIHI DORSUM.] Fugerunt a facie mea, vultum meum ferre non valuerunt. Hæc loquendi ratio, *dare dorsum*, terga vertere [19] pro fugam corripere passim in Scriptura invenitur.

℣. 45. CLAMAVERUNT, NEC ERAT QUI SALVOS FACERET: AD DOMINUM; NEC EXAUDIVIT EOS.] Populi idolorum cultores, quos adortus sum, ad Deos suos confugerunt; sed hæc idola surda sunt, non sensus, non animam habent. Qui vero ex Israelitarum numero mihi interneeinum indixere prælium, Saul, Isboseth, Siba, Absalon, & qui in partes illorum concesserunt, ad Dominum clamaverunt, sed frustra; neque enim illis aures adhibere dignatus est [20]. Ex Scriptura didicimus, cum Philisthini in castra Deos suos attulissent priore eo prælio, quod contra David præliati sunt, inania hæc numina in illius devenisse manus, atque a victore flammis addicta fuisse [21]. Saul postquam a Deo reprobatus fuit, nullum amplius ab eo potuit obtinere responsum, neque per somnia, neque per Prophetas, neque per Ephod, (Hoc enim oraculum

1 Job. 20. 24. *Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.*
2 ונחתה קשת נחושה זרועתי Videntur Septuaginta legisse נתתה, Ἔθου, *posuisti*, in 2. Reg. 22. 35. ונחת קשת נחשה
3 Rabb. Salom. Ex Hebr. apud Muis. 4 ותתן לי מגן ישעך
5 70. Ἔδωκάς μοι ὑπερασπισμὸν σωτηρίας μου. 6 Complut. & Codices Regii septem, & Colbert. quatuor.
7 Psalter. Romana, Sancti German. Carnut. 8 וענותך תרבני
9 Theodoret. Euthym. August. Hieronym. Genebr. 10 Symmach. Καὶ τὸ ὑπακούειν με, ηὔξησέ με.
11 וענתך תרבני 12 Vide Ham. Piscat. Kimchi, Tarnovium, Rab. Walid.
13 תרחיב צעדי תחתי ולא מעדו קרסלי 14 Ita Chald. Vatab. Cocc. alii.
15 2. Reg. 8. 6. 14. & 1. Par. 18. 13. *Salvavitque Dominus David, in cunctis ad quæ perrexerat, &c.*
16 אמחצם ולא יכלו קום 17 ואכלם ואמחצם ולא יקומון 2. Reg. 22. 39.
18 תאזרני חיל למלחמה תכריע קמי תחתי
19 איבי נתתה לי עורף Vide Genes. 49. 8. Exod. 23. 27. Josue 7. 12. &c.
20 Athanas. Basil. Rabb. Salom. 21 2. Reg. 5. 20. 21. 1. Paralip. 14. 12.

ad David a Summo Sacerdote allatum fuerat post mi- A
ferrimam Sacerdotum Nobe internecionem [1]) ita ut Saul obdurato animo Pythonissam consulere coactus fuerit, quæ illi mortem [2], paulo ante quam novissime cum Philisthinis congrederetur, portendit.

Nonnulli universum hunc locum de Israelitis explicant Davidi infensis, eo quod in altera versiculi parte, quæ nomen nihil aliud est, quam prioris repetitio, nomen *Jehovah* invenitur: *Clamaverunt; nec erat, qui salvos faceret: Ad Dominum; nec exaudivit eos*. Alii vero hæc omnia de Ethnicis interpretantur [3] rati, summa necessitate coactos ad verum Deum, ad Jehovah, ad Deum Israel potuisse confugere. Cum tales urgent occasiones, omnes homines per se quasi naturali impetu feruntur, ut ad magnum Deum, ad Deum solum confugiant: Deus mi, cla- B
mant, salvum me fac: *Si qua necessitas gravis presserit* (Lactantius Instit. l. 2. c. 1. ait) *tunc Deum recordamur: Si belli terror infremuerit; si morborum pestifera vis incubuerit .... ad Deum confugiunt; a Deo petitur auxilium; Deus ut subveniat oratur .... adeo ipsa veritas cogente natura, ab invitis pectoribus erumpit*: quod a Tertulliano in Apolog. l. 17. *testimonium animæ naturaliter Christianæ* appellatur.

℣. 46. COMMINUAM EOS, UT PULVEREM ANTE FACIEM VENTI.] Adversus Moabitas, & Ammonitas eam severitatem David exercuit, quæ allatis vocibus satis exprimitur. Populum Rabbath, quæ Ammonitarum erat Metropolis, sub trahis, quibus fruges triturantur [4] contrivit, eumque belluarum pedibus obterendum objecit. Neque secus adversus Ammonitas de- C
sæviit [5]; quod ad litteram vocatur *comminuere ut pulverem*, conterere, pedibus conculcare, veluti lutum in viis, & fruges in area.

℣. 47. ERIPIES ME DE CONTRADICTIONIBUS POPULI: CONSTITUES ME IN CAPUT GENTIUM:] Vel præterito tempore: *liberasti me de contradictionibus, oppositionibus, defectione populi*, vel *populi mei* [6] uti habemus in Hebraico secundi Regum textu, cum scilicet Absalon, & paulo post Seba filius Bochri in me insurrexissent [7]: *constituisti me in caput gentium*: mihi subjecisti alienigenas populos, qui antehac dominabantur Israel, vel saltem illius erant inimici. Hic incipit Prophetia David de JESU CHRISTI Regno [8]. Hactenus de semet ille ad litteram, & juxta Historicum sensum locutus est, de JESU CHRISTO vero in spiri- D
tuali sensu, & figurato. Quod sequitur directe magis respicit Salvatorem mundi, licet imperfectius ad Davidem quoque pertineat. JESUS CHRISTUS ergo liberatus est de Judæorum Sacerdotum, & Pharisæorum contradictionibus, per Resurrectionis suæ triumphum; atque constitutus est caput Gentium in Ecclesia Christiana congregatarum.

℣. 48. POPULUS, QUEM NON COGNOVI, SERVIVIT MIHI: IN AUDITU AURIS, OBEDIVIT MIHI.] Alienigenæ populi, Syri, Philisthiim, Idumæi &c. Imperio meo subjecti fuerunt, neque a fide, vel officio recesserunt, dum interim populus meus fidem perfregit, vers. 49. hoc autem de se potuit David asserere tempore defectionis Absalon, & Sebæ, de quibus modo sumus locuti; sed longe perfectius adimpletum est in E
JESU CHRISTI persona. Judaicus populus, populus illi proprius, Natio ab illo electa, ac dilecta ei terga vertit, eum persecutus est, eum cruci affixit, dum interim ignotæ gentes, alienigenæ infideles, audiverunt vocem ejus, obtemperaverunt mandatis illius; in ipsius Ecclesiam ingressi sunt, facti fideles populus ejus.

℣. 49. FILII ALIENI MENTITI SUNT MIHI: FILII ALIENI INVETERATI SUNT, & CLAUDICAVERUNT A SEMITIS SUIS.] Israelitæ, populus ille infidelis, & inconstans, quem jure a me alienum nuncupare possum, *filii alieni* [9]; Israel mihi fidem non præstitit, a me defecit, *mentiti sunt mihi* [10], juramenti sui fidem perfregerunt, secuti rebellem filium, & seditiosum Sebam. JESUS CHRISTUS in elatiori, accuratiorique sensu de Judæis loquens dicere potuit, eos, postquam facti sibi fuerant inimici, fuisse veluti populum a se alienum; eosque mentis errori, & cordis sui obdurationi dereliquit. Erraverunt a viis suis, vivunt in tenebris, ac in errore. Hæc est Patrum explicatio.

Hebræus ita vertitur [11]: *Filii alieni mentiti sunt mihi; filii alieni deciderunt* veluti arboris frondes; *ejecti fuerunt de domibus suis* [12]. Ego vero reddere mallem; *mentiti sunt mihi*, velut arbor, vinea, prædium, quod expectatum fructum non adfert: *defluxerunt*, tamquam flos vineæ, vel tamquam arborum folia: *aruerunt* [13], combusti sunt, steriles effecti, ibi, *ubi erant clausi*. Pergit in eadem sterilis arboris allegoria, quæ frondes suas, vel flores demittit, & quæ solis ardore torretur. *Mentiri*, cum de arbore, vel de agro sermo est, vulgo apud Hebræos usurpatur, ut significet deficere, fructum suum non afferre. Alii vertunt: *Mentiti sunt mihi, consenuerunt, clausi sunt, terrore correpti in claustris suis*. Vel: *cum trepidatione de arcibus suis egressi sunt* [14]. Symmachus [15]: mentiti sunt mihi, *contemtu & pudore obruentur*.

℣. 50. VIVIT DOMINUS, & BENEDICTUS DEUS MEUS.] David hilaritate, atque grati animi sensu elatus exclamat: Vivat Deus meus, atque dignis semper laudum præconiis extollatur! Non secus ac apud terrarum Principes loquentes diuturnitatem vitæ illis comprecabantur; ita David se interiori cupiditate obreptum sentit, ut Deo suo, benefactori suo vitam, regnum, encomia, nullo umquam fine circumscripta nuncupatis votis exoptet. Explicatur etiam de JESU CHRISTI Resurrectione.

℣. 51. QUI DAS VINDICTAS MIHI.] Qui me ulcisci studes; vel qui mihi de hostibus meis cumulatissimam ultionem tribuis [16]. Loquendi ratio ex vulgi sermone deprompta. Populus ultionis cupidus, nonnumquam a Deo petit, ut sibi ultionem de hostibus suis permittat. At veri Israelitæ longe aliter loquebantur: *Quia postulasti verbum hoc; & non petiisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum*, ajebat Salomoni Deus 3. Reg. 3. 2. *sed postulasti tibi sapientiam &c.* David sane haud ita imprudens erat, ac insipiens, ut a Deo peteret inimicorum suorum interitum; Deo gratias agit dumtaxat, quod illorum injustitiam, atque crudelitatem impune abire nequaquam passus fuerit; ejusque justitiam, atque sapientiam laudibus celebrat, eo quod illius sumpserit ultionem, eique victoriam tribuerit [17]. *Vindicta* hoc in loco *victoriam* significare potest. In JESU CHRISTO hæc ad litteram explicantur: Deum Patrem suum commendat, eo quod de pertinacibus, atque impœnitentibus inimicis suis ipsi vindictam permiserit. Ultio hæc in JESU CHRISTO, qui simul & Deus, & Homo erat, nequaquam idem est ac in homine simplici. Non enim furore, non impatientia, non ira abreptus

1 1. Reg. 22. 17. 18. & 23. 6. 2 1. Reg. 28. 6. 7. & seq.
3 Vide Ferrand. Præfat. in hunc Psalm. 4 2. Reg. 12. 31. & 1. Par. 20. 2.
5 2. Reg. 8. 2. 6 מריבי עמי Ἐξ ἀντιλογιῶν λαοῦ μου. 7 2. Reg. 20. 1. & seq.
8 Ita Patres Hilar. in Psalm. 143. 1. August. Hieron. Athanas. Basil. Theodoret. alii.
9 Vide Isai. 1. 4. 10. 21. 23. 10 Confer Psalmum 65 3. & 80. 16. & Genes. 21. 23. & Deuter. 33. 29. Josue 24. 27. Isai. 30. 9. ubi *mentiri* significat in Deum consurgere, in suum Principem: ei fide decedere.
11 בני נכר יכחשו לי בני נכר יבלו ויחרגו ממסגרותיהם. 12 Ita Chald.
13 Deduco significatum ויחרגו, ab Hebræo, Chaldæo, & Arabico חרך *Charach*; quod comburere significat.
14 Accipiunt ויחרגו veluti profluens a חרג terrore corripi: ויחרגו in hoc tantum Bibliorum loco occurrit; & ejus significatus ignoratur. 15 Symmach. Ἀτιμωθήσονται, καὶ ἐντραπήσονται.
16 Hebr. הנותן נקמות לי 70. Ὁ διδοὺς ἐκδικήσεις ἐμοί. Symmach. Ὁ παρέχων τιμωρίας ἐμοί.
17 August. Athanas. Flamin. alii.

repĕtūs in noxios animadvertit; sed justitiæ, veritatis, & divinæ gloriæ cupiditas sola est, ac unica ratio, qua ad pœnas de impiis sumendas adigitur.

LIBERATOR MEUS DE INIMICIS MEIS IRACUNDIS.] Vox hæc *iracundis* in Hebræo textu non extat [1]. Septuaginta [2], cum in Textu invenissent particulam *aph*, quæ modo *sed*, modo *iram* significat, quin eam subsequentibus adnecterent: *Sed tu liberabis me de inimicis meis*, illam superioribus adjunxerunt: *Liberabis me de inimicis meis iracundis*, vel potentibus.

℣. 53. PROPTEREA CONFITEBOR TIBI IN NATIONIBUS.] S. Paulus hunc protulit locum ad Rom. 15. 9. Gentilium vocationem probaturus. Liquido prophetiam hanc adimpletam videmus, Theodoretus ait; nam ad hanc usque diem Dominum David laudat inter Nationes, per os omnium Fidelium: nulla enim est civitas, nullum oppidum, nullus pagus, immo ne ullum desertum quidem in Christi Fidelium terris, ubi pii viri non adsint, qui Davidis recinentes Psalmos, Domini laudes non prædicent [3].

℣. 54. MAGNIFICANS SALUTES REGIS EJUS, & FACIENS MISERICORDIAM CHRISTO SUO DAVID.] De semet in persona tertia loquitur David, veluti Lectoris sui mentem ad sublimius, digniusque objectum,

A cujus ille nihil erat, quam figura, translaturus: Hic Rex, hic Christus, hic David secundum spiritum [4] est JESUS CHRISTUS, cui Deus Pater ipsius magnificam adeo salutem, completam, eximiamque victoriam, nobile augustumque de mundo, dæmone, & peccato triumphum procuravit; qui, ut verbo me expediam, per divinum hunc Mediatorem tanta benignitate, tantaque vi universum humanum genus peccato perditum, salvum fecit, & per fidem atque Evangelii prædicationem tantam gratiæ, cœlestiumque luminum copiam in mortales effudit. David isthic ait, se, suosque posteros a Deo egregiis fuisse favoribus cumulatos. Hoc ad litteram adimpletum est, eo quod in ejus familia diutius adeo regiæ dignitatis gloria permansit; & quod post David semper habita B fuit veluti præcipua totius Israel cognatio. Verum singulare illius privilegium, ex quo omnis illius gloria, veluti ex fonte dimanat, & quod cæterorum lumen obscurat, illud est, quod electa fuit, ut ex illa hominibus Salvator, eorumque Redemptor existeret. In hac Davidis posteritate nationes omnes benedictionem accepere; in eadem participes facti sumus misericordiarum Domini per JESUM CHRISTUM, germen Jesse, ac filium David.

---

1 מפלטי מאיבי אף מן קמי תרוממני. Ὁ ῥύστης μου ἐξ ἐχθρῶν μου τῶν ὀργίλων.
2 Hieronym. ad Suniam & Fretell. *Ab inimicis meis fortibus*
3 Ita Athanas. Basil. Flamin.
4 Isai. 11. 1. Ezech. 34. 23. & 37. 24. 25.

PSALMUS XVIII.

Cœli, & corpora cœlestia prædicant magnitudinem Dei. Excellentia, & perfectio Legis Dei, quam ad unguem observare, difficile est.

In finem Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Nihil certum adferri potest de tempore, vel occasione, qua Psalmus hic fuerit conscriptus. Qui conjiciunt a David fuisse compositum, cum in desertis versaretur a Saule exagitatus [1], nullum in medium proferre possunt satis validum sententiæ suæ argumentum. Hoc excellens est opus ad morum disciplinam apprime utile; ubi Propheta Dei magnitudinem commendat ex Cœlorum, ac Syderum consideratione: mox vero ad Legis divinæ, timoris Dei, Judiciorumque ejus laudes gradum facit; ac fatetur, se præ infirmitate satis fideliter, atque perfecte, uti vellet, adimplere nequaquam posse Legem adeo puram, & sanctam. Petit occultorum criminum suorum veniam, & fatetur, se Dei oculis acceptum non fore, nisi vita sua munda fuerit, ac Domini sui mandatis conformis. Apostoli [2], & Patres [3] aliquot hujus Psalmi loca ad CHRISTUM JESUM, atque Evangelii præcones transtulerunt. In Psalmo hoc Theodoretus invenit tria legum, vel declarationum voluntatis Divinæ ad homines genera. Prior quidem est naturæ lex, quæ fine Litterarum, vel Scripturæ usu, nos ad Creatoris per ea, quæ conspiciuntur, creata, cognitionem deducit. Altera est Dei Lex Moysi tradita, ac in sacris veteris Testamenti libris conscripta, qui perfectius nobis & Dei naturam, ac voluntatem, & officia nostra patefaciunt. Tertia denique est Lex gratiæ, a JESU CHRISTO rogata, atque in cordibus nostris vi Spiritus Sancti insculpta.

1. COeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.
2 Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. 3 Non sunt
loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. 4 In om-
nem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. 5 In sole po-
suit tabernaculum suum: & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. 6 Exul-
tavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus: 7 Et occursus ejus
usque ad summum ejus: nec est qui se abscondat a calore ejus. 8 Lex Domini imma-
culata convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.
9 Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans
oculos. 10 Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: judicia Domini

1 Ferrand. hic. 2 Rom. 10. 18. 3 Athanas. Hieronym. Hesych. Aster. Aug. Cassiodor. Beda.

vera, *justificata in semetipsa*. 11 Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum
multum: & dulciora super mel, & favum. 12 Etenim servus tuus custodit ea, in
custodiendis illis retributio multa. 13 Delicta quis intelligit? ab occultis meis mun-
da me: & ab alienis parce servo tuo. 14 Si mei non fuerint dominati, tunc imma-
culatus ero: & emundabor a delicto maximo. 15 Et erunt ut complaceant eloquia
oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. 16 Domine adjutor
meus, & redemptor meus.

℣. 1. COELI ENARRANT GLORIAM DEI, & OPERA MANUUM EJUS ANNUNTIAT FIRMAMENTUM.] Cœlum insigne est Divinæ Magnificentiæ argumentum; ac Firmamentum suo quodam modo prædicat, Auctorem suum fuisse Omnipotentem opificem. Infinita Creatoris potestas in omni emicat natura; sed in Cœlo præsertim, syderibusque enitescit. Cœlorum silentium, ajebat S. Johannes Chrysostomus hom. 9. ad Pop. Antioch. vehementior, & clarior vox est, quam buccinæ clangor; vox hæc in oculis nostris, non in auribus clamitat, & magnitudinem illius, qui ea condidit, eloquentissime celebrat. Quis adeo vecors est, atque ab omni sensu alienus, ut Cœlos intuitus, minime fateatur esse Deos [1], ajebat Ethnicus quidam, ac non intelligat, speciosum adeo ordinem fortuito institui nequaquam potuisse? *Qui Cœlos suspiciunt, annuntiant gloriam Domini*, Chaldæus inquit, & qui *sursum extollunt oculos suos, prædicant opera illius* [2]. Non secus ac qui magnum, pulcherrimumque prospectat ædificium, statim Architecti commendat ingenium, & qui graphice delineatam, coloribusque distinctam tabulam intuetur, manum, artemque Pictoris celebrat; ita, Theodoretus ait, solus Cœli, syderumque prospectus nos ad eximii adeo operis Auctorem celebrandum invitat.

Cœlorum nomine, isthic, S. Ambrosius [3] angelos, ac cœlestes potestates intelligit, quæ in Cœlis Omnipotentis laudes concinunt. Alii firmamentum a Cœlo distinguunt: Cœlum est aer, ac intervallum illud, quod nos inter, ac sydera interfluit. Firmamentum vero magnificus est, ac immanis ille tholus, ubi Solem, astraque intuemur, ac super quem Omnipotentis mansionem concipimus, ratione cujus, uti Theodoretus ait, Cœlum, quod suspicimus, idem est quodammodo, ac nostri habita ratione tellus; & Cœlum, quod ipse inhabitat, tamquam sedem suam, ratione cœli, quod intuitum nostrum terminat, idem est, atque hoc ipsum cœlum inferius telluris ratione. Alii tenent, Cœlum, ac Firmamentum hoc in loco unum, & idem significare, ac utramque versiculi hujus partem esse veluti synonimam. Patres *Cœlorum* nomine Apostolos, ac Evangelii Ministros intelligunt, qui in omnem terrarum orbem Dei magnitudinem annuntiant. Nonnulli etiam rudi, ut ajunt, Minerva, verba hæc explicantes, censuere cœlos materiales anima esse præditos, ac motu suo veluti concentu quodam Creatoris sui gloriam celebrare. In eorum numero, qui Cœlis mentem, animamque tribuunt, maxima Philosophorum caterva [4], veteres quidam Patres [5], ac Rabbinus Maimonides recensentur [6]; cui velificari sententiæ videtur Job, cum Dominum ita loquentem inducit cap. 38. 7. *Ubi eras ..... cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* Verum omnes hæ veteres sententiæ jam pridem explosæ fuerunt; neque enim rebus mere corporeis mens, sensusve tribuitur. In figurato sensu intelligendi sunt ii omnes Scripturæ loci, qui cœlis, syderibus, ac plantis sensum, & mentem impertire videntur.

℣. 2. DIES DIEI ERUCTAT VERBUM, & NOX NOCTI INDICAT SCIENTIAM.] Non cœli solum, & sydera Dei magnitudinem celebrant; ordo, ac interpolata dierum, noctiumque spatia hoc ipsum egregie nos edocent. Vel: Dies, & noctes hoc sibi deinceps alternis tradunt documentum, illudque ad finem usque sæculorum perennant. Quotidie hoc ipsum prædicant, sine ullo discrimine, sine varietate. Aliter: Dies, noctesque alternis vicibus sibi succedentes numquam admirabilem hunc laudum Domini concentum intermittunt. Alternis veluti musicorum chori succinentes sine ulla intermissione suas vices obeunt [7]. Vel simplicius: Dierum, noctiumque successio certissimum est Divinæ Providentiæ argumentum [8], & quædam Creatoris laus, quoniam hominibus occasionem præbent Dei magnalia celebrandi, infinitam perpendentibus sapientiam illius, qui hanc dierum, noctiumque vicissitudinem moderatur, quæ inter se admirabilem, atque respectivam habent æqualitatem in ipsa inæqualitate alterna perennis incrementi, vel decrementi [9]. Alii [10]: Singuli dies nova identidem præbent Divinæ Sapientiæ argumenta.

Hebræus ita reddi potest [11], si præcedentibus subnectatur: *Firmamentum in singulos dies* Dei gloriam nobis ostendit; *& qualibet nox nobis sublimem hanc scientiam patefacit*. Cœli indefessi præceptores non cessant noctu, atque interdiu erudire nos, ac ad Creatoris nostri cognitionem evehere. Symmachus [12] vero sequenti versiculo adnectit: *Dies edocet diem aliam; & nox alteri nocti hanc cognitionem annuntiat; non autem incognitis sermonibus, & verbis, quæ minime intelligantur*; sed ratione magis perspicua, & distincta, quæ ab una ad alteram terrarum plagam personat.

℣. 3. NON SUNT LOQUELÆ, NEQUE SERMONES, QUORUM NON AUDIANTUR VOCES EORUM.] Nequaquam ignota lingua loquuntur; nullus, licet barbarus, adest populus, qui hanc linguam non norit. Si homines Deum suum minime agnoscunt, nullam afferre possunt excusationem. Cœli, sydera, dies, noctes hoc ipsis apertissime annuntiant. Loquela eorum nequaquam est confusus, perturbatusque strepitus, vox tenuis, & quæ percipi nequeat; sed elata adeo voce clamitant, ut per omnes terras audiantur. Aliter: Nulla est lingua, qua Cœli non loquantur; imo ita loquuntur, ut gentes omnes licet penitus rudes, atque incultæ illorum sensus intelligant. Sed hoc cum priori congruit explicatione. Chaldæus: Non sunt verba auribus obstrepentia, non sensus confusi, clamoresque nihil significantes; eorum vox non auditur: vers. 4. Sed illi in omnibus terrarum plagis percipiuntur, & quid-

1 Cicer. de Aruspic. Respons. Vide & lib. 2. de Natur. Deorum.
2 Vide Euseb. Hieronym. & Hesych. 3 Ambros. in lib. 2. de Abrah. cap. 8. n. 54. *Cœli enarrant gloriam Dei, hoc est potestates cœlestes*. 4 Plato in Timæo, & Epinom. Aristot. Ex sententia D. Thom. lib. 2. contra Gentes. Theophrast. L. de Cœlo. Balbus apud Ciceron. lib. 2. de Natur. Deorum. Philo lib. de Opific. mundi, & lib. de Somn. Vide Ferrand. hic. 5 Origen. lib. 1. de Princip. cap. 7. & lib. 4. contra Cels. Clemens lib. 5. Recognit. Vide, si lubet, & August. Enchirid. cap. 58. & lib. 2. de Genes. ad Litter. cap. 18. Hieronym. Comment. in Eccle. 1. Ambros. Ep. 21. ad Horontian. & Præfat. in Psalm. Anselm. lib. 1. de Imag. mundi. 6 Maim. more Neboch. parte 2. cap. 4. & 5. & tract. de fundam. Legis, apud Muis.
7 Bellarm. Muis. 8 Theodoret. Athanas. 9 Vide Euseb. hic.
10 Abenezra, & alii quidam. 11 יום ליום יביע אמר ולילה ללילה יחוה דעת
12 Sym. . . . . Καὶ νὺξ νυκτὶ ἀπαγγέλλει γνῶσιν. Οὐκ εἰσὶν λαλιαὶ, οὐδὲ λόγοι, ὧν οὐκ ἀκούονται αἱ φωναί.

quidquid ipsi annuntiant in extremis usque terrarum oris dignoscitur. Plurimi Recentiores [1]: Cœli sunt muti, ac sine voce; at nihilo secius eorum silentium in omni terrarum orbe exauditur. Patres [2] locum hunc interpretati sunt de Linguarum dono, quas Apostoli acceperunt, cum Spiritus Sanctus in flammarum speciem dilapsus est super illos, ac ipsi in omnes terras effusi sunt, cuilibet populo sensus suos expromentes, quamvis numquam linguam eorum didicissent. Act. 2. 4. 5.

℣. 4. IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONUS EORUM, & IN FINES ORBIS TERRÆ VERBA EORUM.] Sanctus Paulus ad Rom. 10. 18. hunc locum protulit, eo modo, quo illum legimus, haud dubie veterem Nationis suæ traditionem secutus. Septuaginta, S. Hieronymus, Symmachus, Syrus similiter legere: *In omnem terram exivit sonus eorum*; & sensus hic belle tum præcedentibus, tum subsequentibus congruit. Attamen Hebræus Textus, Chaldæus, recentioresque Interpretes mordicus authographi litteræ inhærentes, aliter legunt [3]: *linea eorum*, regula, structura, *egressa est in omnem terram*. Omnes omnium terrarum homines testes fuerunt recti, atque admirabilis ordinis, & æqualitatis, quæ in cœlis, syderibus, die, nocte deprehenditur. Optima dispositio, quam omnes in hoc Universo admirantur, probat infinitam Architecti sapientiam, qui illius structuram, dimensiones, ac lineamenta adinvenit. Abenezra: linea, versus, quem cœli describunt, in terra universa legitur. At sensus, quem Vulgata, ac Septuaginta exhibent, magis est perspicuus.

℣. 5. IN SOLE POSUIT TABERNACULUM SUUM, & IPSE TAMQUAM SPONSUS PROCEDENS DE THALAMO SUO.] Deus quodammodo sedem suam in Sole constituit [4] per eam lucem, qua hoc sydus circumdedit. Nihil sublimiorem in rerum natura Divinitatis ideam nobis adstruit, quam Sol: quamobrem omnes olim terrarum populi eum venerati sunt, & post ipsam Christi Religionem, Manichæi [5] in hoc sydere Jesu Christi corpus collocabant. Eum adorabant, eum a bono principio productum credebant, eum Creatoris veluti partem esse arbitrabantur, eique hoc intuitu divinos honores deferebant. Denique Jesum Christum ipsum Solem esse putabant. Verum hæc sententia, quæ autumat, Dei magnitudinem in hoc enituisse, quod Solem veluti tabernaculum suum elegerit, a nemine, in absurdo Manichæorum sensu probatur; & paucissimos jactat sectatores eorum opinio, qui isthic pro cœlo Solem explicant, vel pro metaphorica Domini sede: perinde quasi Propheta diceret: De magnitudine Dei cœli judicate ex tabernaculi ipsius magnificentia. Elegit sedem suam in Sole: ibi est Tabernaculum ejus.

Plerique veterum [6], recentiorumque Interpretum [7] Hebraicum textum sequuntur [8] juxta versionem Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & Editionis quintæ, quæ habent [9]: *Deus posuit Tabernaculum Solis in eis*; hoc est in Cœlis. Quod conforme est iis, quæ Moyses ait Genes. 1. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna .... & posuit ea in firmamento cœli*. Sol etiam, quem Deus in cœlo posuit, mutus est infinitæ potentiæ, ac sapientiæ ejus præco. Sydus hoc adeo præfulgidum, olarumque Creatoris sui præceptis obtemperat; sequitur, quin umquam aberret, vias sibi ab initio constitutas, de Oriente in Occidentem indefessa pernicitate, invariabili, ac semper uniformi ordine fertur. Diodorus apud Corder. tom. 1. p. 360. id aliter explicat: *Deus posuit in Sole tabernaculum*; vel currum *solis ejusdem*: Sol licet adeo ingens, & grandis, nullo indiget curru, quo vehatur, se met fert, ac in aere sustinet incredibili pernicitate de Occidente in Oriente festinans.

Ita vero reddere mallem: Dominus in Cœlo posuit etiam Solis sedem. Sydus hoc habet ibi tabernaculum suum, quo singulis noctibus se recipit, diuturni itineris absoluto curriculo. Quotidie mane egreditur, veluti sponsus, qui exit de thalamo suo, lumine, ac majestate circumundique affulgens. Vel: Dominus Solis tabernaculum in mundi extrema plaga constituit: illuc quotidie vespere, dum occidit, secedit, atque inde quotidie mane nobis lucem allaturus egreditur, recens, præfulgidus, velut sponsus, qui de suo thalamo prodit. Novissimum hunc sensum præferrem, videtur enim eum superioribus melius connecti. Cœlorum, syderumque sonitus auditus est ad extremas usque mundi plagas: *ibi Dominus Solis Tabernaculum posuit*, Ibi hoc Sydus cubat. Hebræi veteres nequaquam credebant, Solem terræ ambitum absolvere, uti ostendemus in peculiari Dissertatione de Mundi systemate, juxta Hebræorum sententiam. Credebant autem, cœlos terræ finibus incumbere, veluti Tabernaculum, qui terræ innititur, funibus, paxillisque suspensus; quæ ideæ apertam habent similitudinem cum iis, quæ Poetæ veteres nobis de regia Solis, equis ejus &c. sunt fabulati.

℣. 6. EXULTAVIT UT GIGAS AD CURRENDAM VIAM. A SUMMO COELO EGRESSIO EJUS, & OCCURSUS EJUS USQUE AD SUMMUM EJUS.] Sydus hoc mane egreditur de tabernaculo suo, velut Heros, qui magnum debet iter suscipere. Videtur David ad veterum ludos alludere, ubi in pedum cursu, vel curriculorum pernicitate exercebantur. Stadium, quod Sol debet percurrere ab una cœli plaga ad alteram, protenditur. Se se offert certamen initurus, atque hilaritate, & majestate plenus inexplicabili celeritate de Oriente in Occidentem fertur; hoc est ab eo loco, ubi consurgit ad illum, ubi cubat [10]. Non enim aliter intellexisse videntur Hebræi, quemadmodum jam adnotatum est. S. Augustinus, ac S. Hieronymus hæc omnia spiritualiter de Jesu Christo intelligunt, qui est Sol Justitiæ, qui lumen suum, atque calorem ab ortu ad occasum usque in omnes terras effundit.

℣. 8. LEX DOMINI IMMACULATA CONVERTENS ANIMAS.] Hæc altera est psalmi pars; quæ laudes Divinæ legis complectitur, quam auctor nominibus, *testimonii, justitiæ, præcepti, judicii, timoris Domini*, indigitat; hæc enim universa nomina synonima sunt, ac sub diversa specie rem eamdem exhibent [11]. Ea, quæ post vers. 6. dicta sunt, haberi possent, velut prior comparationis pars, cujus ecce apodosim. Non secus ac Sol in cœlo fulget, ac lucem, caloremque ab una ad alteram cœli extremitatem dimittit; ita lex Domini munda, immaculata, præfulgida, convertit animas, eas de tenebris educit, & igne charitatis succendit. Vel, absolute versiculum hunc accipientes, reddimus: Præter naturales has vias, quas nobis tribuit Deus, ut ad ipsius cognitionem eveheremur, atque in potentiæ suæ admirationem raperemur, aliam longe validiorem, perfectioremque nobis in Sancta Lege suppeditavit [12]. Hæc nos de erroribus revocat, hostium laqueos ostendit, cultum nostrum informat, cupiditates nostras coercet, cognitiones nostras confirmat &c. Hebr. [13], & Septuaginta [14], & Psalteria vetera [15] habent: *Lex Domini irreprehensibilis*.

1 Rabb. Salom. Ezra, Kimchi, Muis. Ludov. de Dieu. 2 August. Hieron.

3 בכל הארץ יצא קום Aquil. Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ κανὼν αὐτῶν. *Eorum regula apparuit in tota terra*. Symmachus: Ἀλλ' εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ ἦχος αὐτῶν. *Eorum sonus, eorum auditus est per omnem terram*.

4 Ferrand. Mat. 5 August. contra secundum Manich. cap. 16. & lib. 14. contra Faust. cap. 12. & l. 16. cap. 10. & 20. cap. 6. Item tom. 5. nov. Edit. Serm. 13. pag. 77. Serm. 4. pag. 13. Serm. 50. pag. 219. & alibi. 6 Vide Euseb. Didym. Theodoret. Diodor. Athanas.

7 Pagn. Montan. Munst. Muis, Vatab. Rabb. &c. 8 לשמש שם אהל בהם

9 70. Ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ. Aquil. Theodot. Ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα ἐν αὐτοῖς. Sym. Τῷ ἡλίῳ ἔταξε σκηνὴν, &c. 10 Chrysost. & Theodoret. Flamin. Ferrand. du Pin.

11 Theodoret. 12 Theodoret. ad primum vers. Flamin. hic. 13 תורת יהוה תמימה

14 70. Ὁ νόμος Κυρίου ἄμωμος. 15 August. Hieronym. Psalt. Rom. Mediol. Sancti German. Carnut. *Lex Domini irreprehensibilis*.

TESTIMONIUM DOMINI FIDELE, SAPIENTIAM PRÆSTANS PARVULIS.] Dei Lex *Testimonium* dicitur, eo quod divinam nobis testatur voluntatem, atque ultionem, quam tandem aliquando in infringentes illam severissime exercebit [1]. Ipsa præstat *sapientiam parvulis*, simplicibus, ignaris. Eos, quid debeant, erudit: minis a malo deterret, promissionibus vero, ac muneribus ad virtutem accendit. Vel, tribuit sapientiam parvulis, insipientibus, malis; eos enim metu cohibet, & pœnarum severitate coercet. Nomen *Parvulus* [2] in duplici sensu in Scriptura intelligitur; vel enim simplicem, significat rudem, elinguem, fine ingenio, atque experientia; vel insipientem, fatuum, impium. Hic utrumque sequi possumus sensum. David ait, testimonium hoc esse fidele, verum, æternum, constans, & quod in errorem inducere nequit &c.

℣. 9. JUSTITIÆ DOMINI RECTÆ LÆTIFICANTES CORDA.] Dei Lex sæpe *justitia*, vel *justificatio* appellatur, quod justitiam docet, ac injustum quodlibet vetat, & quod exercentes illam justos, Deoque acceptos facit [3]. Dei lex parit hilaritatem in cordibus eorum, qui sibi fideles adhærent, propter testimonium, quod recta eorum ipsis conscientia tribuit, ac propter felicitatem, quam fidelibus suis in omnem gignit æternitatem.

PRÆCEPTUM DOMINI LUCIDUM, ILLUMINANS OCULOS.] Lex Domini lucerna est ardens, quæ lucem mentibus adfert: *lucerna pedibus meis verbum tuum*, ait Propheta Psal. 118. & Salomon Prov. 6. 23. *Mandatum lucerna est, & Lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ*.

℣. 10. TIMOR DOMINI SANCTUS, PERMANENS IN SÆCULUM SÆCULI.] Non omnis timor Domini sanctus est, neque in omnia sæcula permanet. Dæmones timent, verum eorum timor inutilis. Impius timet; verum timor illius perfunctorius, velut in Antiocho, & Achab. Verus, quem hic Propheta commendat, *timor* est *cum charitate* conjunctus, ait S. Hieronymus hic: *Timeat non timore gehennæ, aut timore pœnæ: sed timore sancto. Sic timeat, ut quem amat, non perdat per negligentiam*. Non ideo tamen servilem, ac geennæ timorem improbum esse dixeris; hic quoque donum est Dei [4], quo cor peccatoris commovetur, atque disponitur, ut ad Deum revertatur, scelera sua per pœnitentiam abstergat, gratiam, & charitatem, quarum jacturam fecerat, recipiat. Verum si in priori hoc gradu constiteris, atque tibi fuerit satis ex servili, ac naturali tantum ratione eo metu affici, quem potius suppliciorum cogitatio, quam amati objecti privatio obtrudit, periculum est [5], fore ut ne ames umquam, nec umquam ameris. Pariter qui se satis amare arbitratur, neque putat ullo timore, quo coerceatur, opus esse, facile per summam negligentiam Dei sui amorem amittit. *Sic timeat, ut quem amat, non perdat per negligentiam*, S. Hieronymus inquit. Hebræus [6]: *Timor Domini purus est*, castus, purgatus: ad puritatem ducit, servat in innocentia, & arcet a peccato: *permanet in sæculum sæculi* ob effectus, quos producit, quia ducit ad æternitatem. Permanet etiam ratione sui objecti, quod Deus est perpetuo adorabilis, terribilis, & amabilis. Denique, si sumatur hic *timor Domini* pro præceptis moralibus legis [7], permanet etiam hoc sensu in sæculum sæculi, quia ejus leges tamdiu permanebunt, quamdiu homines extent.

JUDICIA DOMINI VERA JUSTIFICATA IN SEMETIPSA.] Domini in homines judicia sunt semper cum æquitate, justitia, ac veritate conjuncta. Quovis modo in nos animadvertat, vel nostri periculum faciat: numquam ab exacta veritate, atque justitia deflectit; *Justus es*, Domine, *in omnibus*, ajebat Daniel 3. 27. *quæ fecisti nobis, & universa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia judicia tua vera*. Possunt quidem homines vel errore decipi, vel affectu allici; vel præjudiciis suis in errorem induci: sed Deus semper justus est in judiciis suis. Hebr. [8] *Judicia Domini sunt veritates, & simul hoc sunt justa*. Vel cum Septuaginta [9], *in hoc ipso sunt justa*.

℣. 11. DESIDERABILIA SUPER AURUM, & LAPIDEM PRETIOSUM MULTUM.] Hoc est super auri, ac pretiosorum lapidum copiam; vel super aurum, ac plurimos lapides pretiosos [10]. Hebræus [11]: *desiderabilia sunt*, amabilia, *super affluentiam auri, & Phaz*. Aurum simpliciter nihil mirum innuit; sed *Phaz* est aurum mundissimum. De auro *Phaz*, vel *Uphaz* alibi sermo fuit [12], illudque idem esse censemus, ac aurum *Phison*, vel *Phasis* in Colchide.

℣. 12. ETENIM SERVUS TUUS CUSTODIT EA, IN CUSTODIENDIS ILLIS RETRIBUTIO MULTA.] Ego, Deus mi, ex intimo amoris sensu divinas Leges tuas diligo! eas summa, qua valeo diligentia, ac fide tueor; Ex illis tanta in me dimanat voluptas, atque utilitas, ut nullo pacto eas ausim infringere, & licet non studio, non ratione ad earumdem amorem me adducerem, tamen utilitatis meæ causa ad easdem toto pectore diligendas impellerer. Expertus novi quot bonis eos cumules, qui fideliter tibi famulantur; centies amoris, gratiæ, protectionis tuæ effectis gavisus sum [13]. Nonne tua adjuvante gratia ex innumeris periculis evasi; nonne in præmium diligentiæ illius, qua fideliter tuis adhæsi mandatis, ad populi tui Regnum me evexisti?

Hebræus [14]: *Servus tuus edocetur* a Judiciis tuis; *in illorum sedula exercitatione infinitas invenit utilitates*, ac fontem scientiæ, ac disciplinæ. S. Hieronymus: *Servus tuus docebis ea, in custodiendis eis retributio multa*. Vel potius: *servus tuus in illis invenit documentum suum, & agnoscit, quot errores in earum observatione committuntur*. Decursus omnino huic sensui favet. Interdiu, ac noctu tua, Domine, judicia meditor! sed quo magis illa ad examen revoco, magis intelligo, quam late pateant, quamque sit operosum ea perfecte, ac fideliter exequi. Vers. 13. *Delicta, quis intelligit* &c. Quis enim cognoscere potest scelera, quæ in dies singulos patramus? Licet omnem impendam operam, omnes diligentiæ meæ curas exeram, quot in crimina proruo?

℣. 13. AB OCCULTIS MEIS MUNDA ME, & AB ALIENIS PARCE SERVO TUO.] Quamvis satis mihi cessisset ex animi sententia, ut extrinsecus tua mandata observarem, integramque, ac sceleris puram in hominum oculis vitæ rationem instituerem, num scio, quodnam de actionibus meis feres judicium? num certus esse possum, quod non cogitationibus meis, non cordis mei motibus te lacessiverim? Libera me, quæso, Domine, ab alienorum scelerum corruptione: Præserva me, ne ex impiorum, infidelium, eorum, qui a Lege, sanctaque Religione tua sunt alieni, fœdissimis morum sordibus ulla contagione corrumpar. Vel potius: *libera me de occultis peccatis meis, ac ob aliena scelera mihi veniam concede*; ea nempe quorum vel consors, vel noxius factus sum concursu meo; ea, quæ non prohibui, cum possem, vel ea, quibus

---

1 Nazianz. & Theodoret. 2 פתי Vide Job. 5. 2. Prov. 1. 22. 8. 5. 9. 4. 16. 14. 2. 20. 19. Osee 7. 11. 26. 12. Confer Psalm. 13. 5. 21. 2. Psal. 118. & 130. 3 Nazianz. in Caten. & Theodoret.

4 Concil. Trident. Sessione 14. cap. 4. 5 August. hic. *Timor Domini non servilis, sed castus: gratis amans, non puniri timens ab eo, quem tremit, sed separari ab eo, quem diligit*.

6 יראת יהוה טהורה 70. ὁ φόβος Κυρίου ἁγνός. August. *Timor Domini castus*.

7 Flamin. Ferrand. 8 משפטי יהוה אמת צדקו יחדו 9 70. Τὰ κρίματα Κυρίου ἀληθινά, δεδικαιωμένα ἐπὶ τὸ αὐτό. S. Aug. *in idipsum*. 10 Hæc est Hebræi, & 70. sententia. Ἐπιθυμητὰ ὑπὲρ χρυσίον, καὶ λίθον τίμιον πολύν. 11 הנחמדים מזהב ומפז רב 12 Vide Comment. in Genes. 2. 11. 12.

13 Theodoret. Vide & Hieronym. 14 גם עבדך נזהר בהם בשמרם עקב רב *Nam servus tuus eruditur in eis, & in custodiendis illis supplantatio multa*.

quibus per pravum vitæ meæ exemplum, vel per imprudentiam meam in anima fratrum meorum præbui occasionem. *Delicta mea inquinant me* (ait S. Augustinus,) [1] *delicta aliena affligunt me. Ab his munda me, ab illis parce.* Alibi [2]: *per occulta peccata* concupiscentiam intelligit, per *aliena* vero, ea, quæ nos in malum impellunt. S. Hieronymus: libera me *de peccatis occultis*, hoc est, de illis, quæ jam præterita sunt, & *de peccatis alienis*, hoc est futuris. Alibi [3] pravas cogitationes, ac improbos dæmonis impulsus intelligit. Et in Epistola sua ad Cyprianum peccata aliena ea esse dicit, quæ sponte nonnumquam, nonnumquam vero per errorem, atque ignorantiam patramus: in quibus, *cum non sit voluntas in crimine, error inculpa est.* Veteres nonnulli [4] per *alienos*, dæmones interpretantur. Eripe me de hostibus meis, de alienis hisce potestatibus, quæ animam meam corrumpere adnituntur.

Hebr. [5] *Munda me ab erroribus meis occultis*, a negligentiis, a peccatis omissionis, oblivionis, imprudentię, infirmitatis contra legem tuam: *& condona mihi errores superbiæ.* In Scriptura peccata ignorantiæ [6] a peccatis superbiæ distinguuntur [7]: Priora illa sunt, quæ præter cogitationem nonnumquam committimus adversus Leges cæremoniales; peccata vero superbiæ ea sunt, quæ quis sciens, & volens ex animi deliberatione, acmentis cognitione, temere,

A audacter, insolenter patrat, quin ullum ipsi Dei indignatio negotium facessat. Pauca id genus crimina David admiserat; sed illius cum Bethsabee nequissimum scelus, ac Uriæ cędes nonne erant peccata superbiæ? quoad ignorantiæ errores, quotidiani quidem sunt, ac in eos Justus etiam septies in dies singulos cadit; hos vero ut sibi remittat, Deum deprecatur. Nonnulli reddunt; *Domine libera me de peccatis meis*, vel de inimicis meis *occultis*, *& superbis* [8]. Sed mihi prior explicatio textus Hebraici, & sensus, quem illi tribuimus, magis arrident.

℣. 14. SI MEI NON FUERINT DOMINATI, TUNC IMMACULATUS ERO.] S. Augustinus legit *dominata*, qui probatior quidem est sensus. Si & occulta, & aliena peccata, neqnaquam dominata fuerint in me,
B fidenter accedam ad te, & nihil cor meum polluet. Tunc vers. 15. *erunt, ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Te precabor, & exaudiar.

EMUNDABOR A DELICTO MAXIMO.] Hæc est superbia, teste S. Augustino, ac S. Hieronymo. Initium omnis peccati superbia, atque iniquitatum omnium cumulus. *Iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus* [9].

℣. 16. DOMINE, ADJUTOR MEUS.] Hebr. [10] *rupes mea*, arx mea.

1 August. 2. Explan. in hunc Psal. 2 In prima Exposit. hujus Psalmi.
3 Idem in Psal. 75. 10. 4 Origen. Didym. Euseb. Theodoret.
5 כנסתרות נקני גם מזדים חשך עבדך 6 Levit. 4. 2. 6. 1. 2. & seq. 7 Num. 15. 30. *Anima, quæ per superbiam aliquid commiseris, sive civis sit ille, sive peregrinus, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo* &c. Vide Deut. 17. 12. & 18. 20. 22. 8 Symmach. Καίγε ἀπὸ ὑπερηφάνων συντήρησον τὸν δοῦλόν σε. Ita & Chald. Montan. Genec. Marian. 9 August. hic. 10 יהוה צורי

PSALMUS XIX.

Oratio David ad exercitum suum in bellum proficiscentis.

In finem, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Hebræus ita verti potest [1]: Psalmus a Davide compositus, ac Musices Moderatori dicatus; vel Psalmus pro David, & Musicorum Magistro inscriptus. Non constat, utrum a David compositus fuerit [2], & titulus solus nequaquam id satis evincit. S. Athanasius illum exhibere putat vota, & preces exercitus David, qui sacrificio interest, quod Rex ille in bellum proficiscens offert. Alii hunc referunt ad singulare Davidis cum Goliath certamen [3]: sed tunc non erat Rex, neque hoc illi nomen tribui poterat. Alii [4] conscriptum fuisse putant, cum bellum aliquod adversus Philisthinos urgeret, in quo summum in periculum adducta fuit Regis hujus vita: quamobrem milites illius eum hortati sunt, ne vellet ulterius se se in periculum objicere, neque cum hoste manus conserere auderet 2. Reg. 21. 16.

Plurimi recentiores [5] autumant, Psalmum hunc respicere expeditionem copiarum David adversus Ammonitas. Maximus erat hostilium copiarum numerus; innumera in eo aderat alienigenarum, Syrorum, aliorumque populorum multitudo, qui Ammonitis tulerant opem [6]; in eis quadraginta equorum millia, atque septingenti currus recensebantur. David per se adversus Syrorum exercitum, cui præerat Adarefer, in prælium descendit. Adversus alios vero, qui cum Ammonitis suas vires conjunxerant, exercitui suo præfecit Joab. Versiculus octavus Psalmi hujus alludere videtur ad ingentem hanc equorum, & curruum multitudinem: *Hi in curribus, & hi in equis &c.* S. Basilius, Theodoretus, Euthymius, Venerabilis Beda Psalmum hunc de Rege Ezechia a Sennacherib lacessito interpretantur. Regem illum in templum populus prosequutus pro illius incolumitate vota facit, Deumque obtestatur, ut Regem, & Unctum suum exaudiat. Auctor Commentarii, quod Arnobio adscribitur, ait, hunc Psalmum JESU CHRISTO ad Calvarium eunti, mortem, dæmonemque debellaturo quadrare. S. Hieronymus quoque, ac S. Augustinus ad JESUM CHRISTUM referunt, cujus optantis in modum isthic Propheta victoriam prædicit. Belle etiam intelligi potest, veluti orationum formula, quæ canebantur, cum Reges Juda exercitui suo præeuntes in prælium adversus hostes descenderent. Nos vero in Commentario eorum sectabimur sententiam, quæ de Davidis adversus Ammonitas, ac Syros expeditione interpretantur.

Exau-

1 למנצח מזמור לדוד 2 Kimchi, Muis. 3 Quidam apud Asier.
4 Rab. Salom. & alii quidam. 5 Vatab. Muis. Flamin. Ferrand. du Pin &c.
6 2. Reg. 10. 6. 16. 17. 18.

1. EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob. 2
Mittat tibi auxilium de sancto: & de Sion tueatur te. 3 Memor sit om-
nis sacrificii tui: & holocaustum tuum pingue fiat. 4 Tribuat tibi se-
cundum cor tuum: & omne consilium tuum confirmet. 5 Lætabimur in salutari
tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur. 6 Impleat Dominus omnes petitio-
nes tuas: nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum. 7 Exau-
diet illum de cœlo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus. 8 Hi in cur-
ribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. 9
Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus. 10 Do-
mine, salvum fac regem: & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

℣. 1. EXAUDIAT TE DOMINUS IN DIE TRIBULATIONIS: PROTEGAT TE NOMEN DEI JACOB.] Tempus belli semper est *dies tribulationis*. Quamvis secundo marte defungaris prælio, & summam gloriæ, atque utilitatis inde copiam percipias, semper tamen bellum malum est. Multa semper obeuntur pericula; plurimi semper inde infelices revertuntur. Sola sunt Religionis bella ad Dei nutum, atque ad honoris ipsius ultionem, vel ad scelus infringendum suscepta, quæ nostras minime merentur lacrymas, nisi forte fletu nostro plorare velimus noxiorum, obstinatorumque populorum excidium, veluti Amalecitarum, & Chananæorum, quos Deus in suo furore delevit. *Nomen Dei Jacob*, est Deus ipse [1]; Deus populi sui, Deus omnipotens. Hebræus verti potest [2]: *Dominus audiat te*, vel tibi respondeat, *in die afflictionis: Deus Jacob elevet te*, atque extra hostilium telorum jactum constituat.

℣. 2. MITTAT TIBI AUXILIUM DE SANCTO, & DE SION TUEATUR TE.] Dominus veluti in Sion, atque in Sanctuario ejus sedem habens, concipiebatur. Inde auxilium suum, ut mitteret, petebatur. Vide Psalmum 13. 7. *Quis dabit ex Sion salutare Israel? &c.* Non tamen minimum oberat, quin simul & in Cœlo Dominus crederetur, uti ex eodem Psalmo vers. 7. innotescit: *Exaudiet illum de Cælo sancto suo*. Hebræus verti potest 1. Mittat tibi auxilium de Sanctuario suo, *& confirmet te*, sustineat te, *de Sion*, de templo suo.

℣. 3. MEMOR SIT OMNIS SACRIFICII TUI, & HOLOCAUSTUM TUUM PINGUE FIAT.] Meminerit ille solemnium sacrificiorum, quibus illi hodie litas pro incœpti tui prosperitate, eaque tamquam opimas, electasque hostias accipiat. Deus macie confectas victimas respuit [4]; isque contumeliam sibi inferri, atque magnitudinem suam contemni putat. Verumtamen semper animum potius ad cordis munditiem, quam ad hostiarum numerum, & pinguedinem advertit. Nulla umquam momenti alicujus bella suscipiebantur, quin prius sacris operarentur [5]. Hebr. [6] *Reminiscatur*, aut libet, veluti bonum odorem accipiat [7] *oblationes tuas* farinæ, placentarum, frugum, vel generatim munera tua, oblationes tuas, *& redigat in cineres holocausta tua*. Holocaustum semper in cineres erat redigendum, atque absumendum igni: verum isthic populus efflagitare videtur, ut Deus ignem de cœlo demittat ad celerius illum consumendum [8]; quemadmodum non semel alias fecerat [9]. Symmachus [10]: *Recordetur Dominus munerum tuorum, & oblationem tuam reddat ampliorem*, copiosiorem.

℣. 4. TRIBUAT TIBI SECUNDUM COR TUUM, & A OMNE CONSILIUM TUUM CONFIRMET [11].] Compleat justa desideria tua, efficiatque, ut votorum tuorum summam consequaris. Supponendum est, pium, sapientemque Principem, justa dumtaxat, ac necessaria bella suscipere, atque in expeditionibus suis nihil præter pacem, justitiamque exoptare. Ita absolute rogare potest Deum, ut voti damnetur, ac prospero eventu cordis sui desideria compleantur.

℣. 9. LÆTABIMUR IN SALUTARI TUO.] Summa afficiemur animi lætitia, felicem armorum tuorum exitum intuiti, atque in nomine Domini lætabimur; eique omnem victoriæ tuæ gloriam acceptam referemus: *In nomine Domini magnificabimur*. Vel, nostræ vix compotes erimus lætitiæ, Domine, si Regi nostro optatum tuum præsidium concesseris; tibique humil- B limas ex animo gratiarum actiones exhibebimus; at tibi omnem rei gestæ honorem deferemus. Verti potest Hebr. [12] *Laudabimur*, nobiscum gratulabuntur, *ob salutem tuam*, eam scilicet, quam nobis comparas, & patrocinium, quo nobis adesse dignaris; *& extollemus vexillum*, triumphum referemus, explicatis insignibus *in nomine tuo* revertemur, tibi laudes recinentes, ac te victoriæ nostræ auctorem prædicantes. Vel: *Laudabimus te pro victoria, quam nobis permittes, & elevabimus vexillum in nomine tuo*. Audacter in hostem ibimus decertaturi, omnipotentis auxilii tui spe suffulti. Patres pro *salute*, vel *Salvatore* JESUM CHRISTUM intelligunt, qui nobis victoriam contra animæ nostræ inimicos est elargitus.

℣. 6. NUNC COGNOVI, QUONIAM SALVUM FECIT C DOMINUS CHRISTUM SUUM.] Spe certissima adductus confido fore, ut Dominus vota nostra exaudiat, & Regem nostrum ex quovis periculo eripiat. Ita loquitur populus ex interiori animi sui sententia, quam illi & petitionum suarum justitia, & Divinæ bonitatis erga Regem suum, Christum suum, Unctum suum experientia suggerit. Hæc omnia unum, & idem innuunt dumtaxat. Reges chrismate iungebantur, & David præsertim non semel eodem fuerat delibutus. S. Augustinus, & Romana Psalteria in futuro legunt: *Cognovi, quoniam salvum faciet*. Sed juxta Vulgatæ, ac Septuaginta Versionem, quæ Hebraico textui similis est [13], hoc pacto potest intelligi: Cum Rex noster, Unctus tuus, victor cum exercitu revertetur, tunc tibi gratias agemus, dicemusque: scimus, intelli- D gimus modo, Deum voti nos damnasse, quandoquidem Regem nostrum incolumem, victoremque reduxit. Prior sensus melior videtur, ac melius cum sequentibus cohæret. S. Athanasius, & S. Augustinus id explicant, veluti vaticinium de JESU CHRISTI Resurrectione.

EXAU-

1 *Nomen ejus ipse, & ipse nomen suum*, ajunt Hebræi.
2 יענך יהוה ביום צרה ישגבך שם אלהי יעקב 3 ישלח עזרך מקדש ומציון יסעדך 70. . . . Καὶ ἐκ Σιὼν ἀντιλάβοιτό σε. Psalt. Mediolan. & Carnut. *Ex Sion suscipiat te*.
4 Malach. 1. 8. 5 1. Reg. 13. 12. 6 יזכור כל מנחתך ועולתך ידשנה
7 Vatab. Piscat. Vide Levit. 2. 2. 8 Munst. Muis, Vatab. Kimchi, Geier. Genebr. Flamin.
9 Vide Levit. 9. 24. 3. Reg. 18. 38. 1. Par. 21. 26. 10 Symmach. . . . . Καὶ τὴν ἀνάφοράν σου πλείονα ποιήσῃ. Alii: ἐκπιανάτω ἐκχέω. *Oblationes tuas reddat pingues, & acceptas*.
11 70. Πληρώσαι. August. *Compleat*. 12 נרננה בישועתך ובשם אלהינו נדגל
13 עתה ידעתי כי הושיע יהוה משיחו 70. Νῦν ἔγνων ὅτι ἔσωσε Κύριος τὸν χριστὸν αὐτοῦ.

℣. 7. Exaudiet illum de Coelo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus.] Exaudies servum tuum, qui versatur in periculo, ac manus tuæ omnipotentia enitescet, ut illum de hostium ejus manibus eripias; extendes manum tuam de summo cœlorum vertice, ut illi opem feras, eumque protegas. Verti posset Hebr.[1]: *exaudiet illum de cœlo, de Sanctuario suo*, vel de Cœlo, ubi sanctitatis suæ habitaculum extat, *& dextera manus suæ cum fortitudine salvum faciet illum*. Robore omnipotentis brachii sui salvabit eum, inimicos ejus confringet, & adversus illos invictam manum suam extollet.

℣. 8. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.] Hæc nostra sunt arma; hoc nostræ fiduciæ argumentum; nomen Domini, illius patrocinium. Cogant quidem undequaque auxiliares copias Ammonitæ; Syriam universam in arma vocent: usque trans Euphratem socia quærant arma, militesque conscribant: hæc omnia, Domine, ne minimum quidem nobis metum incutient, si tibi acceptæ fuerint preces nostræ.

Antiqui plures legebant[2]: *Nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur*; nos vero gloriabimur, vel victoriam in nomine Domini Dei nostri referemus. Hebr.[3] *Illi reminiscentur equorum suorum, & hi curruum suorum: Nos vero auxilii Domini recordabimur*. Non meminerimus, non loquemur, nisi de Omnipotentis auxilio. Jactitent quidem inimici mei copiarum suarum multitudinem, curruum suorum vim, & equitatuum robur, nos vero in Domini auxilio spem collocabimus: *Alicujus reminisci*, nonnumquam de eo loqui, gloriari, in eo spem collocare significat.

℣. 9. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.] Hostes mei, licet summis pollerent viribus, fuerunt illis similes, qui vinculis impediti sunt, funibusque vincti, quin vel fugam corripere, vel brachii sui robore uti queant. Currus eorum sine motu fuerunt, rotæ eorum impeditæ[4]; semet subverterunt, aliique aliis impedimento fuerunt. Vide similem loquendi rationem Exod. 14. 25. ubi sermo est de curribus Pharaonis in rubro mari subversis. Nos vero, qui longe minores eramus numero, minusque robore virium validi, eorum sustinuimus impetum, eorum viribus sine ullo metu restitimus, nosmet ulti sumus, eos devicimus, prostravimus. Hebr.[5] *animos despondérunt, cecideruntque*.

℣. 10. Domine, salvum fac Regem, & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.] Vel: Domine, salvum fac Regem nostrum, fac ut inceepto ejus nequaquam absit fortuna, & audi humiles preces, quas coram te effundimus hodie. Hebræus[6] alium sensum adstruit: *Salva nos, Domine: Deus Rex noster exaudi nos ea die, qua te invocamus*. Chaldæus: *Verbum Domini, redime nos: Rex fortissime, exaudi preces nostras ea die, qua invocavimus te*. Syrus: *Dominus liberabit nos, & Rex noster exaudiet nos*. Verum præstat Septuaginta, Vulgatæque lectionem sequi, ac in hoc loco Judæorum accentus negligere, qui non usquequaque satis accurati sunt, neque semper in poeticis Scripturæ libris, judicio eruditissimorum Criticorum, Grammaticorumque, observantur. Vide Muis hic.

1 יענהו משמי קדשו בגבורות ישע ימינו 2 Ita 70. Edit. Roman. Ἡμεῖς δὲ ἐν ὀνόματι Κυρίου Θεοῦ ἡμῶν μεγαλυνθησόμεθα. Ita Apollin. in Metaphr. Cyprian. Exhort. ad Mart. Ambros. Hieron. in Osee 10. Et in Vita Hilarionis (sed hic legit, *Invocabimus*.) Ita & Psalt. Æthiop. Arab. Syr. Roman. Sancti German. Carnot. *Magnificabimur*. 3 ואנחנו בשם יהוה אלהינו נזכיר 4 70. Αὐτοὶ συνεποδίσθησαν, & ἔπεσον. 5 המה כרעו ונפלו 6 יהוה הושיעה המלך יעננו ביום קראנו S. Hieronym. *Domine, salva: Rex, exaudi nos in die invocationis nostræ*.

PSALMUS XX.

Gratiarum actiones pro victoria Regi permissa. Prædicuntur mala, quæ super hostes illius ventura sunt.

In finem, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Veteres quidam Patres[1] Psalmum hunc Epinicion esse arbitrati, sunt ad exercitus Sennacherib, Regis Assyriæ, internecionem celebrandam. Alii tamen[2] a Davide compositum fuisse autumant, qui prophetico afflatus spiritu prævidit Ezechiam saluti restitutum, & quindecim annorum vitæ spatio adauctum, quod Isaias Propheta illi spopondit 4. Reg. 20. 6. Quintus Psalmi hujus versiculus explicationi huic satis favere videtur: *Vitam petiit a te; & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi*. Recentiores vero plerique interpretes[3] psalmum hunc de David explicant, post relatam de Ammonitis, ac Syris victoriam[4]. In superiori Psalmo vidimus populum pro felici eventu, ac Regis sui incolumitate vota nuncupantem; hic vero Deo ob illius victoriam, prosperumque reditum gratias agit; qui sane sensus ad litteram propius mihi videtur accedere, eumque in Commentariis sequemur. Fatemur quidem cum Patribus[5], Psalmum hunc nobis Ecclesiæ sensus exhibere ob relatam de Mundo, peccato, ac dæmone a Jesu Christo victoriam. Quædam isthic locutiones occurrunt, quæ ad litteram non nisi divino huic Salvatori conveniunt: & Chaldæus Paraphrastes cum antiquis Rabbinis, & recentiorum etiam nonnullis[6] in litterali sensu ad Messiam hunc retulere.

1. Domine, in virtute tua lætabitur Rex: & super salutare tuum exultabit vehementer. 2 Desiderium cordis ejus tribuisti ei: & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. 3 Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis

1 Beda. 2 Theodoret. Nicephor. Euthym. Basil. 3 Vatabl. Muis, Ferrand. du Pin.
4 Reg. 2. 10. 17. 18. 5 Vide Aug. Hieron. & alios. 6 Chald. Liran. Kimchi. Vide Muis hic.

nis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. 4 Vitam petiit a te : & tri
buisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi. 5 Magna est gloria
ejus in salutari tuo : gloriam, & magnum decorem impones super eum. 6 Quoniam
dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : lætificabis eum in gaudio, cum vultu
tuo. 7 Quoniam Rex sperat in Domino : & in misericordia Altissimi non commovebi-
tur. 8 Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : dextera tua inveniat omnes, qui
te oderunt. 9 Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : Dominus in ira sua
conturbabit eos, & devorabit eos ignis. 10 Fructum eorum de terra perdes, & se-
men eorum a filiis hominum. 11 Quoniam declinaverunt in te mala : cogitaverunt
consilia, quæ non potuerunt stabilire. 12 Quoniam pones eos dorsum : in reliquiis
tuis præparabis vultum eorum. 13 Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus, &
psallemus virtutes tuas.

℣. 1. DOMINE IN VIRTUTE TUA LÆTABITUR REX, & SUPER SALUTARE TUUM EXULTABIT VEHEMENTER.] Hic ipse Rex, o Domine, pro quo vota nuncupavimus, precesque nostras effudimus, hodie gaudio repletus est, quod ipsum de hostibus suis infinitæ potentiæ tuæ effectu victorem reduxeris. Fatetur ipse, nosque cum ipso fatemur tibi uni victoriam acceptam referendam. Hebr. [1] *Domine, in virtute tua lætatur Rex : ac lætitia sua vix compos est, propter salutem, quam tu illi præstitisti*. Chaldæus explicite de Messia hoc explicat : *Rex Messias*, Unctus tuus, *regnabit in virtute tua ; quodnam vero ipsius erit gaudium, cum liberabis illum*.

℣. 2. DESIDERIUM CORDIS EJUS TRIBUISTI EI, & VOLUNTATE LABIORUM EJUS NON FRAUDASTI EUM.] B David ad te, Domine, confugit, & exaudisti illum, petiit a te victoriam, & eam ipsi elargitus es : eum voti damnasti ; vicit inimicos nominis tui, & juris gentium violatores, Ammonitas, ac Syros. Hebr. ad litteram [2] : *Desiderium cordis ejus tribuisti ei, neque abnuisti illi hiatum labiorum ejus*, effusionem, enuntiationem verborum, ac precum illius ; Septuaginta [3] : *voluntatem labiorum ejus* ; Romana Editio [4] *petitionem labiorum ejus*. Hebraica vox *Areseth* illhic tantummodo invenitur.

℣. 3. QUONIAM PRÆVENISTI EUM IN BENEDICTIONIBUS DULCEDINIS.] Prævenisti eum quolibet gratiarum, & benedictionum genere : tribuisti illi cor rectum, animam benevolam, ac liberalem, fortitudinem, virtutemque eximiam ; eduxisti eum de gre- C gibus patris ejus, ut Populi tui Regem inungeres, supremam illi in Israel universum potestatem tribuisti ; hactenus effecisti, ut ex quovis periculo integer, atque incolumis emergeret, ac de hostibus suis refertissimam victoriam reportaret. Demum ostendisti, Domine, hunc fuisse virum juxta cor tuum, eum beneficiis cumulasti præter quamlibet ipsius expectationem, & super omnia merita illius, antequam etiam ea vel petiisset, vel exoptasset. Hebr. [5] *Prævenisti eum benedictionibus bonitatis*. Hoc palam adimpletur in David, ac magis adhuc liquido in JESU CHRISTI humanitate, qui ante omnia sæcula sine ullo præcedenti merito, sed prædestinatione mere gratuita ad infinitam gloriam, atque dignitatem electus est [6].

POSUISTI IN CAPITE EJUS CORONAM DE LAPIDE PRETIOSO.] Corona est victoriæ signum. David, victis Ammonitis, cepit diadema Dei ipsorum Melchom, illudque capiti suo imposuit. Corona hæc pretiosissimis erat distincta gemmis, ut ait Scriptura 2. Reg. 12. 30. A atque talenti aurei pondere præstabat. Auctor Ecclesiastici [7] ea, quæ isthic legimus verba, ad ipsum refert, memorans insignes victorias quas ille de pluribus hostibus reportaverat. Hebr. [8] *Coronam Phaz* ; vel *ex auro Phison*. Vide Psalmum 18. 11. & Genes. 2. 11.

℣. 4. VITAM PETIIT A TE, & TRIBUISTI EI LONGITUDINEM DIERUM, IN SÆCULUM, & IN SÆCULUM SÆCULI.] Locus hic ex illis est, qui pressius de Messia possunt intelligi [9] : ipse enim æternum permanet, ac per omnem sæculorum seriem regnat in Ecclesia sua, quam super firmam petram fundavit. Sed inaccomodato sensu ad David etiam referri potest [10] ; qui non solum manifesto Divinæ protectionis effectu in omnibus, quæ suscepit bella, servatus fuit ; verum B etiam & vitæ, & regni felicissima diuturnitate donatus. Neque Dei liberalitas vitæ, vel regni ipsius limitibus fuit circumscripta ; verum etiam ad illius quoque posteritatem se extendit, quæ plurium sæculorum spatio Regnum in Juda est consecuta [11]. David Deum alloquens, ut gratias illi ageret cumulatissimas ob Regnum, quod ille familiæ ipsius proprium addixerat, ut ejus posteri successionis jure fruerentur, ait illi 2. Reg. 7. 25. *Nunc ergo, Domine, Deus, verbum, quod locutus es super servum tuum & super domum ejus, suscita in sempiternum, & fac, sicut locutus es . . . incipe ergo, & benedic domui servi tui ; ut sit in sempiternum coram te : quia tu Dominus Deus locutus es, & benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum*. Verba hæc *in sempiternum*, si de Davide, ac domo C illius intellexeris, diuturnum dumtaxat tempus significant ; sin autem de JESU CHRISTO, ad litteræ apicem sunt explicanda.

℣. 5. MAGNA EST GLORIA EJUS IN SALUTARI TUO. GLORIAM, & MAGNUM DECOREM IMPONES SUPER EUM.] Tu illi gloriosam protectionem tuam elargiris, tuque fons es, atque principium omnis gloriæ, qua exornatus præfulget. Gloria, & decor hoc in loco unum, & idem significant. Tua opera David omnibus Orientis Regibus gloria, & splendore excellit.

℣. 6. DABIS EUM IN BENEDICTIONEM IN SÆCULUM.] Veluti mortalium omnium felicissimus habebitur ; & cum aliquis benedictionibus erit cumulandus, ac pro illius felicitate vota erunt nuncupanda : D dicetur illi : æque felix, & Deo carus sis, ac David. Ita in Genesi 48. 20. Jacob prædicit futurum, ut in Israel benedictiones nuncupentur, dicendo : Faciat tibi Omnipotens sicuti Ephraim, & Manasse : & Dominus loquens ad Abraham Genes. 18. 18. & mox ad Isaac Genes. 26. 4. illis pollicetur fore, ut in ipsorum poste-

---

1 יהוה בעזך ישמח מלך ובישועתך מה יגל מאד 2 תאות לבו נתתה לו וארשת שפתיו בל מנעת
3 Καὶ τὴν θέλησιν τῶν χειλέων αὐτοῦ, οὐκ ἐστέρησας αὐτόν. Ita Manuscripta Regia, & Colbert. a Ferrando visa.
4 Edit. Rom. Τὴν δέησιν. 5 תקדמנו ברכות טוב
6 August. de prædestin. Sanctorum n. 30. & de peccatorum meritis, & remiss. lib. 2. cap. 17. & de dono perseverantiæ cap. 24. 7 Eccli. 47. 7. *Laudavit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ*. 8 עטרת פז Sanct. Hieronym. *Coronam de obrizo*.
9 Chald. Hieron. August. Genebr. Bellarm. alii. 10 Vide Euthym. Ferrand. Muis.
11 2. Reg. 7. 12. 13.

posteritate gentes omnes benedicantur: quod S. Paulus Galat. 3. 6. ad JESUM CHRISTUM refert, fontem benedictionis, ac felicitatis omnium gentium. Ea etiam, quæ hic dicta sunt, aptissime de David possunt explicari: hic causa erit, argumentum, principium, exemplar benedictionum omnium sæculorum.

LÆTIFICABIS EUM IN GAUDIO CUM VULTU TUO.] Hilari, serenaque facie illum excipies, cum ad te accesserit. Illum maxima afficies lætitia, benigne exceptum, atque clementissimo tuo dignatum obtutu. Symmachus [1]: *replebis eum lætitia coram facie tua*.

℣. 8. INVENIATUR MANUS TUA OMNIBUS INIMICIS TUIS: DEXTERA TUA INVENIAT OMNES, QUI TE ODERUNT.] Populus pergit hic vota sua pro Davidis felicitate nuncupans: Omnes hostes tui, qui deinceps contra te insurgere ausi fuerint, pereant, & decidant sub manu tua, quemadmodum Syri, ac Ammonitæ. Verba hæc: *Dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt*, significant: potenti manu tua, o David, cohibeantur, capiantur, vincantur! *Invenire* cum de hostibus est sermo, plerumque, illi bellum inferre, in illum irruere, illum ne cogitantem quidem adoriri significat [2]. S. Hieronymus ad Deum hæc refert: *Inveniant inimici tui potestatem tuam, ut revertantur in bonum*. Potens manus illius inveniat, & puniat Judæos incredulos, & pertinaces: *inveniat illos in vindicta*. Nonnulli Hebraicum textum reddunt [3]: *Manus tua sufficiat pro omnibus inimicis tuis*: Deus tibi virtutem conferat eos in ditionem tuam absque aliena ope redigendi. Re quidem vera in Scripturis hæc loquendi ratio: Manus tua invenit, vel invenit, nonnumquam significat: facere potuisti, vires non defuerunt, ut hoc faceres [4]. Verumtamen nequaquam necessum est, ut ad explicationem hanc, quæ hoc in loco videtur violenta, confugiamus.

℣. 9. PONES EOS UT CLIBANUM IGNIS IN TEMPORE VULTUS TUI.] Vidimus Versiculo 6. *quod ostendere faciem suam* significat, aliquem benigne accipere; hic vero penitus contrario sensu denotat, irato vultu aliquem admittere. Domine, punies hostes David servi tui, quemadmodum olim in Sodomorum cives animadvertisti; exterminabis eos, ac in illos cœlestem ignem demittes, qui absumet illos, atque ad ardentis fornacis statum eos rediget [5]. Vel; cum iratus eos intueberis, facies eorum velut clibanus, flammis accendetur, atque cremabitur. Loquitur de furnis illis, qui in Palæstina, atque Ægypto in more sunt positi, qui speciem referunt ingentis lacus fictilis inversi.

Prophetæ aliquando hac utuntur similitudine: Attendens, ut clibanus, ut aliquem dolore, ac trepidatione affectum, terrore captum, fame laborantem, atque ad incitas redactum significent. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est, a facie tempestatum famis*, ait Jeremias Thren. 5. 10. & Isajas describens terrorem, stupiditatem, atque consternationem Babyloniorum die ipsorum calamitatis, ait c. 13. 8. *facies combustæ, vultus eorum*, videlicet ambustæ, inflammatæ. Hoc ad Davidem referri potest: *efficies eos velut ardentem clibanum, in die iræ tuæ*. In eos inferes arma, o Rex; & illis terrorem, ac metum incuties. Facies eorum erunt succensæ, atque veluti clibanus ardens arescent. Nonnulli [6] putant, alludi ad ultionem, quam David adversus Ammonitas exercuit, quos sub trahis contrivit, atque in lateritiam fornacem conjecit: *Divisitque cultris, & traduxit in typo laterum*. 2. Reg. 12. 31.

DOMINUS IN IRA SUA CONTURBABIT EOS, & DEVORABIT EOS IGNIS.] Ignis in Prophetarum stylo plerumque bellum significat. Dominus ingentem immittet formidinem in corda inimicorum David; illi exterminabuntur, ac belli igne absumentur. Hebræus [7]: *Dominus in ira sua deglutiet eos*, præcipites dabit, devorabit illos, *& ignis eos absumet*.

℣. 10. FRUCTUM EORUM DE TERRA PERDES, & SEMEN EORUM A FILIIS HOMINUM.] Fructum, idest filios [8]. In Ammonitas severe adeo David sæviit, ut nullum forte huic simile in Historiis exemplum occurrat. Præter eos, qui ceciderunt in prælio, atque in obsidione Rabbath, tum intra, cum extra eam civitatem, David imperavit, ut quo plures possent, ex calamitoso eo populo colligerentur, quos animantium ungulis contrivit, ac curruum, traharumque pondere miserrime confregit. Reliqui vero vel trucidati sunt, vel in ardentes calcarias fornaces injecti 2. Reg. 12. 3. 31. S. Hieronymus, & S. Augustinus hoc in spirituali sensu intelligunt, de impiorum operibus, quæ Dominus rejicit, ac de terra disperdit.

℣. 11. QUONIAM DECLINAVERUNT IN TE MALA.] Ammonitæ insolenter in te contumelias ingessere ac gentium jura fregere, Legatos tuos crudeliter excipientes, eisque illudentes 2. Reg. 10. 4. Perniciosa in te, ac regnum tuum moliti sunt consilia, in te cientes ad arma omnes Principes Syriæ, atque ex regionibus trans Euphratem positis copias accersentes [9]. Verum noluit Deus, ut nequissimo illorum consilio fortuna adesset. Hebr. [10] *detorserunt super te malum*, velut torrens, qui ab alveo suo detorquetur, & cujus aquæ ad agrum irrigandum immittuntur: *Meditati sunt scelus*, vel nefarium consilium, *quod non exequentur*. Symmachus [11]: *clauserunt te, ut tibi nocerent, meditati sunt consilia, quæ adimpleri non possent*.

℣. 12. QUONIAM PONES EOS DORSUM: IN RELIQUIIS TUIS PRÆPARABIS VULTUM EORUM.] Eos terga vertere facies, & in filios eorum exercebis ultionem tuam: perinde quasi legeremus: *in reliquiis eorum præparabis vultum tuum* [12] per transpositionem, cujus exempla in Scripturis non desunt. Hebræus multifariam vertitur [13]: *coges eos, ut terga vertant, & confirmabis funes tuas contra faciem illorum*. Fugam corripient: sed eos cohibebis, illis obvius occurres, atque in illos sagittas omnes pharetræ tuæ ejaculaberis [14]: *funes tuas*, hoc est arcum tuum tensum, atque paratum ad vibrandum missilia in eos. Aliter: *eos terga vertere coges*, & cervices, ac dorsum fugientes exhibere tibi: *& percuties in facie cum funibus tuis*, velut servos, eos, qui tibi obsistere audebunt [15]. Vel: per ea tela, quæ in eorum faciem contorquebis; eos tibi terga vertere coges [16].

Bellarminus, & Jansenius Gandavensis: *Eos coges terga vertere*, fugæ se dare, & *conjicere oculos*, ac faciem *super Electos tuos*, quorum felicitatem considerantes ipsi desperatione, ac ira disrumpantur. Genebrardus, & Ferrandus: *Percuties eorum dorsum, ac ventrem*. In fugam conjicies eos, & servi tui eos in faciem percutient, delebuntque, quicumque obsistere audebit. Ego tamen præferrem sensum, quem in Vulgatæ Versione expressimus. Aliqua adsit necesse est in Hebraico textu translatio, vel perturbatio. Symmachus [17]: *Eos coegisti, ne retrocederent*; ita ut Eusebius

---

1 Χαροποιήσεις αὐτὸν ἐν εὐφροσύνῃ παρὰ τῷ προσώπῳ σου. Hebr. תחדהו בשמחה את פניך

2 Vide Judic. 1. 5. 1. Reg. 31. 3. 3. Reg. 13. 24. 4. Reg. 17. 4. 1. Par. 10. 3. 8. Vide Chald. hic, & Symmach. Καταλήψεται ἡ χείρ σου πάντας τοὺς ἐχθρούς σου ἡ δεξιά σου εὑρήσει τοὺς μισοῦντάς σε.

3 תמצא ידך לכל איביך

4 Vide Levit. 12. 8. 25. 28. Deut. 33. 1.

5 Genes. 20. 28. *Intuitus est* (Abraham) *Sodomam & Gomorrham, & universam terram regionis illius: Viditque ascendentem favillam de terra, quasi fornacis fumum*.

6 Vatab. Muis, Geier.

7 יהוה באפו יבלעם ותאכלם אש

8 Theodoret. Flamin. Genebr.

9 2. Reg. 6. 7. & seq.

10 כי נטו עליך רעה חשבו מזמה בל יוכלו

11 Symmach. Ὅτι συνέφραξαν κατά σου εἰς κακόν, ἐλογίσαντο ἐννοίας ἀδυνάτους.

12 Quid. apud Theodoret. Euthym. Nicephor.

13 כי תשיתמו שכם במיתריך תכונן על פניהם

14 Muis, Flamin.

15 Theodoret. Euthym.

16 Vatab.

17 Symmach. Ὅτι τάξεις, vel, Θήσεις αὐτοὺς ἀποστρόφους.

bius hic ait, propter iram tuam fusi fugatique se in tutum recipere debuerint.

℣. 13. EXALTARE, DOMINE, IN VIRTUTE TUA.] Exaltare, Domine, super inimicos nostros, illos supera, ac te Omnipotentem, atque exercituum Deum esse cognoscant. Deus numquam exaltatur, perinde ac antea depressus fuisset: nihil novi in se recipit, se se extollens; sed quinam ipse sit, simpliciter manifestat [1].

1 Theodoret. hic.

PSALMUS XXI.

Oratio JESU CHRISTI de cruce. Descriptio passionis, & cruciatuum ejus. Illius Resurrectio, ac regnum, Gentilium vocatio.

In finem pro susceptione matutina, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Plerique Psalmorum tituli magnam tenebrarum caligine obsiti sunt: Hic vero ex illis est, qui maximis sunt difficultatibus præpediti. Interpretes veluti divinantes hunc explicant, nihilque satis uniforme, & constans in eorum sententia invenitur. Non loquor de illis, qui simul ac vocis alicujus vim non intelligunt, dictitant, hoc esse cujusdam musici instrumenti nomen, vel initium vulgatæ alicujus cantionis, ad cujus numeros Psalmus hic canebatur; inanis solutio, ac centies repetita, quæ ex una elabitur difficultate, ut in majorem impingat. Non satis liquet, quid ob animum Septuaginta versaretur [1], cum Hebraicum textum reddidere: *matutinum auxilium*. Creditus fuit Psalmus hic oratio matutina fuisse [2], ac in Templo recitari consuevisse, cum perpetuum holocaustum matutinum offerretur; vel Salvatoris Resurrectionem significare, quæ mane contigit [3], vel JESU CHRISTI in terras adventum, ubi post diutinam, obscurissimamque noctem tamquam Aurora refulsit [4].

Alii Hebraicum textum reddunt [5]: *Psalmus David pro cervo*, aut *cerva matutina*. Sed quid sibi vult hic cervus, vel cerva? Nomine hoc JESUS CHRISTUS designatur, Christiani Interpretes inquiunt [6]. Judæi tamquam venatores, aut canes eum in Olivarum horto ceperunt, cumque ad mortem usque persecuti sunt: quem sensum adstruere videtur Psalmista cum ait ℣. 17. *Quoniam circumdederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me*. Alii *cervam Auroræ* interpretantur, cervam, veluti Auroram, speciosam. Eximia hæc cerva est humanitas JESU CHRISTI, quam Judæi, velut canes, persecuti sunt, & contumeliis insectari occiderunt. Alii vertunt: *Psalmus David pro stella matutina*. JESUS CHRISTUS in Apocalypsi 22. 16. se stellam mane fulgentem appellat: *Ego sum radix, & genus David, stella splendida, & matutina*; & Balaam nomine stellæ Jacob eum designat. Num. 7. 24.

Judæi veteres haud abnuebant, Psalmum hunc ad Messiam referri; cujus sententiæ vestigia quædam cernuntur adhuc in ipsorum Psalmi hujus explicationibus [7]. Sed postquam Christiana religio affulsit, ut ea eluderent, quæ hinc eruimus, argumenta, sensum deflectere adnisi sunt. Alii putant, psalmum hunc a Davide fuisse compositum, cum Saul eum persequeretur, vel cum rebellis Absalon illi arma inferret. Alii [8] eum explicant de statu illo, in quem Judæi post Jerosolymitanum excidium redacti fuere, & in quo ad hanc usque diem versantur; & putant, Judæorum nationem isthic *cervæ matutinæ* nomine designari. Ex ipsis S. Justini Martyris temporibus ad hæc inania commenta confugerant [9]; & S. Hieronymus hic asserit, illos id intellexisse de malis, quibus Assuero imperante, atque prospera adhuc aura Amano afflante, fuerunt obnoxii; & putasse, Reginam Esther, quæ eos ex summo periculo liberavit, isthic *cervam matutinam* vocari.

Theodorus Mopsuestiensis Criticus apud Antiquos insignis tum propter audaciam, tum quia mordicus nimis Bibliorum litteræ, ac Judæorum methodo adhæsit, a secundo Constantinopolitano Concilio, quod est quintum generale [10] damnatus fuit, eo quod negasset, Psalmum hunc secundum litteram ad JESUM CHRISTUM spectare; putaretque a Davide conscriptum eo tempore, quo Absalonis persecutione magis exagitabatur, ab Apostolis, atque Evangelistis in accommodato sensu ad Salvatorem nostrum fuisse traductum. Asserebat, exempli gratia, verba hæc: *longe a salute mea verba delictorum meorum* nullo in sensu ad JESUM CHRISTUM referri posse, qui peccatum non fecit: ea vero: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, in figurato sensu adimpleta fuisse in David, propter ea mala, quæ passus est ab inimicis suis; & Evangelistam eadem ad JESUM CHRISTUM transtulisse, cum sermo de reali vestium illius divisione, Scriptoris mentem ad hæc verba traduxisset [11]: alium denique locum hunc: *Foderunt manus meas, & pedes meos*, figurate intelligi de David, scilicet de inimicorum ejus solertia, ut explorarent, scrutarentur, pervaderent omnia illius consilia, omniaque ipsius vestigia investigarent; sed Evangelistam occasionem arripuisse, eumdem ad JESUM CHRISTUM traducendi; nam profecto re ipsa illi pedes, manusque perforatæ fuerunt.

Scriptoris hujus vestigia presse nimis secuti sunt Grotius, & recentiores nonnulli, totum hunc psalmum ad litteram explicare conati, eumque ad JESUM CHRISTUM in mystico, figuratoque sensu dumtaxat transferentes. Quinimo ex opposito omnia sunt intelligenda. David per occasionem dolorum, afflictionumque suarum descripsit Passionem, mortem, Sepulturam, Resurrectionem Messiæ, Gentilium vocationem, & Ecclesiæ primordia. Hoc primum, præcipuumque illius objectum est. Si de se ipso in Psalmo hoc identidem loqui-

1 70. Ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς. 2 Ita Chald. *Ad Laudandum super potenti oblatione perpetua aurora*. 3 Euseb. Athanas. August. Nicephor. Hieronym. 4 Theodoret. Vide & Didym. & Athanas. 5 למנצח על אילת השחר מזמור לדוד 6 Hieronym. Muis, Genebr. alii. 7 Midraschim in hunc Psal. Vide Genebr. & Liran. 8 Kimchi, & alii nonnulli. 9 Justin. Dialog. cum Tryphone pag. 34. 10 Theodor. Mopsuest. Collat. 4. Concil. 4. Constantinopol. 11 Theodor. Mopsuest. ibidem, *Et Evangelista quidem in Domino, verba ex rebus assumens, eis usus est*, &c

loquitur ; dumtaxat tamquam de JESU CHRISTI figura loquitur ; sed pluribus in locis, nullo pacto David deprehenditur. Adeo ille occupatus est, augusti prototypi sui graphidem exhibens, ut sui ipsius penitus obliviscatur. Hoc nostrum systema est ; huic inhærentes Psalmum hunc explicabimus.

Quoad tituli vocabula ; ita reddi posse arbitramur : *Psalmus David, inscriptus Musices moderatori, qui ei choro præest, qui Cerva matutina vocatur.* In Psalmorum titulis multa occurrunt nomina, quibus diversi Musicorum, Musicarumque chori appellabantur. Exempli gratia : *Octava pars* [1], *pars Geth* [2], *pars Columbæ mutæ* [3], & hic *pars cervæ Auroræ*. Fieri profecto nequit, ut variæ hujus denominationis causas proferamus : verum nemo jure ambigere potest, quin hæc nomina significent choros Virginum, quæ canebant, vel fidibus psallebant ; si animum adverterit ad Textus constructionem, & ad ea, quæ in Dissertatione de Musicis instrumentis disseruimus de variis hominum, puellarumque psallentium choris, qui in Templo, ac Regis ædibus aderant.

1. DEus, Deus meus, respice in me : quare me dereliquisti ? longe a salute mea
verba delictorum meorum. 2 Deus meus, clamabo per diem, & non exau-
dies : & nocte, & non ad insipientiam mihi. 3 Tu autem in sancto habi-
tas, Laus Israel. 4 In te speraverunt patres nostri ; speraverunt, & liberasti eos.
5 Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt : in te speraverunt, & non sunt confusi. 6
Ego autem sum vermis, & non homo : opprobrium hominum, & abjectio plebis. 7
Omnes videntes me, deriserunt me : locuti sunt labiis, & moverunt caput. 8 Spe-
ravit in Domino, eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum. 9 Quoniam
tu es, qui extraxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris meæ. 10 In te pro-
jectus sum ex utero : de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris a me. 11
Quoniam tribulatio proxima est ; quoniam non est qui adjuvet. 12 Circumdederunt
me vituli multi : tauri pingues obsederunt me. 13 Aperuerunt super me os suum,
sicut leo rapiens, & rugiens. 14 Sicut aqua effusus sum : & dispersa sunt omnia os-
sa mea. 15 Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei. 16
Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis : & in pulverem
mortis deduxisti me. 17 Quoniam circumdederunt me canes multi : concilium mali-
gnantium obsedit me. 18 Foderunt manus meas, & pedes meos : dinumeraverunt o-
mnia ossa mea. 19 Ipsi vero consideraverunt, & inspexerunt me : diviserunt sibi ve-
stimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. 20 Tu autem, Domine, ne
elongaveris auxilium tuum a me : ad defensionem meam conspice. 21 Erue a framea,
Deus, animam meam & de manu canis unicam meam. 22 Salva me ex ore leonis : &
a cornibus unicornium humilitatem meam. 23 Narrabo nomen tuum fratribus meis :
in medio ecclesiæ laudabo te. 24 Qui timetis Dominum, laudate eum : universum se-
men Jacob glorificate eum : 25 Timeat eum omne semen Israel : quoniam non sprevit,
neque despexit deprecationem pauperis : 26 Nec avertit faciem suam a me : &
cum clamarem ad eum, exaudivit me. 27 Apud te laus mea in ecclesia magna :
vota mea reddam in conspectu timentium eum. 28 Edent pauperes, & saturabun-
tur : & laudabunt Dominum, qui requirunt eum : vivent corda eorum in sæculum
sæculi. 29 Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ : 30
Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. 31 Quoniam Domini
est regnum : & ipse dominabitur Gentium. 32 Manducaverunt, & adoraverunt om-
nes pingues terræ : in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram. 33
Et anima mea illi vivet : & semen meum serviet ipsi. 34 Annuntiabitur Domino ge-
neratio ventura : & annuntiabunt cœli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem
fecit Dominus.

℣. 1. DEUS, DEUS MEUS, RESPICE IN ME ; QUARE ME DERELIQUISTI ?] Jesus Christus, cum de Cruce penderet, verbis his Patrem suum est allocutus ; citantur autem Hebraice, licet Syriace, quæ tunc populi illius erat lingua, loquutus fuerit [4] : *Eli, Eli*, vel cum Sancto Marco 15. 34. *Eloi, Eloi, lamma sabacthani ?* Sed in puroputo Hebraico sermone dicendum esset, quemadmodum hoc habemus in Psalmo [5] : *Eli, Eli, lama azabthani ? Deus Deus meus, quare me dereliquisti ?* Neque in Hebraico, neque in Chaldaico textu ea legimus verba ; *respice in me* ; quæ nec Salvator ipse protulit. Septuaginta [6] vero ea, veluti glossema quodam addiderunt. Hic loquitur humanitas Jesu Christi [7]. Divinitas, quæ ab eo numquam recessit, tempore Passionis illius cohibuit beatitudinis effectum, & reliquit, ut ipse longis haustibus, atque cum omni amaritudinis sensu, doloris calicem perpotaret. Salvator hoc in loco sensus exprimit servorum suorum, qui afflictionibus obruti con-

B

1 Pro octava, Psal. 6. 11. 2 Pro torcularibus. Hebr. על הגיתית Psal. 8. 80. 84.
3 Pro columba muta. על יונת אלם Psal. 55. 4 Matt. 27. 46.
5 אלי אלי למה עזבתני 6 Ὁ Θεός μου, πρόσχες μοι.
7 Theodoret. hic.

conqueruntur, Deum ipsorum oblivisci, eosque deserere [1]. A

LONGE A SALUTE MEA VERBA DELICTORUM MEORUM.] Delicta mea efficiunt, ut salus procul absit a me; vel, clamor scelerum meorum opponitur meæ saluti, ac liberationi. Verba hæc Davidi ab Absalone exagitato satis belle conveniunt. Fatebatur autem, mala omnia, quibus familia sua fuerat vexata, & calamitates, in quibus versabatur, justam fuisse adulterii, atque homicidii sui pœnam. Eum Propheta Nathan admonuerat [2], omne pondus manus Dei sentiebat, & quamvis se quodammodo a Domino derelictum cognosceret, non nisi peccatis suis audebat succensere. Hanc unam intelligebat esse causam, quæ Divinam ab eo dimovebat opem, cujus tot aliis in occasionibus minoris etiam periculi benignitatem fuerat expertus. B

Id de Jesu Christo explicantes de propriis ipsius sceleribus intelligi nequit, nullum enim patravit umquam, nec patrare poterat, sed de hominum flagitiis, quorum oneri subiit [3], & pro quibus satisfacere voluit [4], & quæ hac de causa sua delicta vocabat. *Delicta nostra sua delicta fecit*, inquit S. Augustinus, *ut justitiam suam nostram justitiam faceret*. Peccata mea meæ saluti, vel liberationi opponuntur. Ut Justitiæ tuæ faciam satis, Deus mi, utque munus Redemptoris, ac Mediatoris, quod suscepi, adimpleam, patiar, oportet, atque cruciatibus meis, & morte, humana expiem peccata, quæ mea quodammodo effecta sunt, propterea quod factus sum victima expiationis coram te; horum peccatorum C clamor vehementior est, quam vox orationis meæ, & gemitus mei. Donec obex hic minime fuerit ademptus, derelinques me, ac me cruciatus meos perpeti sines. Sensum hunc Patrum plerique huic loco appingunt. Vetus quoddam S. Germani Psalterium legit; *Verba labiorum meorum*: pro *verba delictorum*.

Hebræus [5]: *Verba rugiens mei procul sunt a salute mea* [6]. Symmachus [7]: *sermones gemituum meorum longe sunt a salute mea.* Quinta Editio [8]: *verba clamoris mei*. Editio sexta [9]: *verba orationis meæ*. Domine, Deus mi; cur dereliquisti me, cur clamores mei, ac rugitus meus ad te usque non ascenderunt? Licet omnes conatus exeram, interdiu, & noctu clamans, precibus meis aures obstruis, ne minimum D quidem de mea cogitas liberatione. Vel denique; illic quodammodo sedes, quo clamores mei pervenire nequeunt, neque solicitus es, ut me ex eo, quod imminet, urgetque, periculo eripias. Septuaginta [10] in Hebræo textu legerunt, *peccatum ignorantiæ*, pro *rugiens*.

℣. 2. DEUS MEUS, CLAMABO PER DIEM, & NON EXAUDIES; & NOCTE, & NON AD INSIPIENTIAM MIHI.] Quamvis mihi opem ferre abnuas, non cessabo tamen, quominus die, ac nocte exclamem; neque hoc mihi dementiæ verti, metuo; scio enim, me haud necquiquam esse clamaturum [11], teque aliquando tandem perseverantia mea victum, atque dolorum meorum misertum, opem mihi laturum. Aliter: Domine, clamo ad te die, ac nocte, E neque exaudis me, non tamen propter peccata mea: *Non ad insipientiam mihi*; sed propter hominum scelera [12]. Vel cum S. Augustino [13]. Justus interdiu, & noctu orare debet; in prosperis, & in adversis; & si precibus ejus aures suas videtur obstruxisse Deus, ne despondeat animos: non enim hoc ad ipsius calamitatem, neque ex Domini inclementia; verum ad ipsius instructionem, ad virtutem ejus probandam, atque humilitatem confirmandam contingit. *Multi clamant in tribulatione, & non exaudiuntur: sed ad salutem, non ad insipientiam.*

Jesus Christus interdiu de cruce orat, noctu in horto, cumque neutrobique exaudivit Deus, non quod revera ipse non exaudiat Filium suum: Scio, Domine, *quod semper audis me*, ait ille Patrem suum alloquens in Evangelio Joan. 11. 41. Hoc igitur Patris silentium figuratum erat, innuebatque horrorem, quo Deus flagitia persequitur. Filii clamores non audiebantur, quoad sensibilem, externumque suæ liberationis effectum; sed exaudiebatur internus animæ ipsius clamor, qui id unum expetebat, ut scilicet Patris voluntas adimpleretur. Clamor hic prioribus longe vehementior, magisque efficax erat, cumque Pater exaudiebat, cum ad oris ejus vocem videbatur obsurduisse.

Hebræus habet [14]: *Domine, clamavi ad te per diem, & non exaudisti me*: Clamavi, *& nocte, neque silui* [15]: Nullam opem accipio, nulla quiete fruor, continenti solicitudine exagitor. *Silentium* sæpius *quietem* significat: clamo, nec sileo, idem est, ac clamo, nec exaudior [16]. Vel aliter: *Clamavi per diem, neque exaudisti me. Et nocte clamavi, neque clamare usquam destiti*. Numquam tacui, indesinenter, & quin farigarer, clamavi [17]. Aliter cum Aquila apud S. Hieronymum: *clamabo per diem, & non exaudies me, clamabo & per noctem, nec tacebis* [18]; hoc est, exaudies. Sed Græci Patres, qui varias afferunt Aquilæ lectiones, negative legunt: *Clamabo, & non silentium*. Tertullianus priorem versiculi partem absque negatione legebat [19]: *Deus meus clamabo per diem; & exaudies; & nocte, & non in vanitatem mihi*. Domine, clamavi per diem, & exaudisti me; clamavi & nocte, neque operam lusi.

℣. 3. TU AUTEM IN SANCTO HABITAS, LAUS ISRAEL.] Hæc superiori versiculo subnecti possunt: Indesinenter ad te clamavi, o Deus, cur vero me non exaudis, tu, qui habitas in Sanctuario tuo in medio Israel, objectum, & laudum, & benedictionum populi tui? Si idolum, externum, ignotumque Deum, si lapidem alloqueter, haud mirum esset, si me non exaudiret: tu vero, Domine, potesne questus, precesque meas ignorare? Vel potius hæc sequentibus addendo cum Hebraico textu [20]: *Tu*, Domine, *Deus sancte, qui habitas in laudibus Israel*, dies, noctesque te laudibus, ac benedictionibus cumulantis; (vers. 4.) *tu objectum es spei Patrum nostrorum; in te speraverunt, & liberasti eos*. Quorsum igitur ego, qui non minori confidentia, aut zelo præ Patribus meis succensus sum, factus sum, tamquam *vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*?

Theodoretus sumit hæc verba: *tu autem in sancto habitas*, perinde quasi hæc esset responsio ad Filium suum, vel admiratio Prophetæ, qui ad Jesum Christum conversus ait illi: Quinam fit, ut in sancto, adeo-

1 August. Muis. 2 2. Reg. 12. 10. 11. *Suscitabo super te malum de domo tua*, &c.
3 Johan. 1. 29. *Ecce qui tollis peccatum mundi*. 2. Cor. 5. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremus justitia Dei in ipso*. 1. Petri 2. 21. *Christus passus est pro nobis, qui peccatum non fecit: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, &c. Vide & Galat. 3. 13.
4 Vide Euseb. hic. 5 רחוק מישועתי דברי שאגתי 6 Ita Aquil. Μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου, ῥήματα βρυχήματός μου. 7 Sym. Ἀφεστήκασιν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου οἱ λόγοι τῶν ὀδυρμῶν μου.
8 Τῆς βοήσεώς μου. 9 Τῆς δεήσεώς μου. 10 70. Μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου. Legerunt שגגתי *meum peccatum ignorantiæ*, pro שאגתי *meus rugitus*.
11 Theodoret. Hieronym. Euseb. Athanas. 12 Genebrard. 13 August. in 1. Exposit. Vide & Hieronym. 14 אלהי אקרא יומם ולא תענה ולילה ולא דומיה לי
15 Ita Chald. Hieronym. Aquil. Sym. Theod. Καὶ οὐκ ἔστι σιγή. 16 Ita Syr. Arab. Gejer. Hammond. Jun. Rivet. 17 Muis, Casial. 18 Hieronym. hic, Aquila transtulit ex Hebræo, dicens: *Et nocte & non tacebis: id est, audies me, respondebis mihi, facies, quod oravi*.
19 Tertull. lib. 4. advers. Marcion. cap. 13. 20 ואתה קדש יושב תהלות ישראל

adeoque puro inhabitans corpore, tot nihilominus cruciatibus obnoxius fias? S. Hieronymus: Quotsum tu, qui sacro adeo, mundoque corpore permanes, vel qui habitas in cœlis, vel denique in Ecclesia, atque animabus sanctis [1], a Domino non exaudiris? Priores explicationes, quæ de David persecutionibus exagitato, veluti Jesu Christi figura in passione sua Deum Patrem alloquentis, intelligunt, propius litteram videntur attingere.

℣. 4. IN TE SPERAVERUNT PATRES NOSTRI, & LIBERASTI EOS.] Quot nam in occasionibus, cum gravissimis urgerentur necessitatibus, auxilii tui opem experti sunt? Quoties Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Patres nostri in Ægypto, ac in deserto confugerunt ad te? Defuit ne illis umquam tuæ virtutis auxilium? Ego igitur unus ero, cujus precibus misericordia tua aures suas obstruat?

℣. 6. EGO AUTEM SUM VERMIS, & NON HOMO.] Unde nam fit, ut cum tuus sim, omnem in te spem meam collocarim, enixius, ardentiusque eoram te meas preces effuderim, nihilominus in hostium meorum manu relinquar, omnibus probris affectus, quovis contumeliarum genere lacessitus, opprobrium hominum factus? Haud ita facile hæc omnia Davidi applicueris: cum etiam maxima calamitate urgeretur, videlicet cum Absalon ab eo defecisset; per summam quidem indignitatem conviciis omnibus coinquinatus fuerat, & a Semei [2], & ab ipso Absalone, qui Regis patris sui conjuges fœdissime constupraret [3]; verumtamen Davidi, tunc etiam profugo, magnus semper subditorum suorum numerus adhæsit. Sacerdotes, & militum robustissimus quisque cum ipso aderant; satis valida militum stipatus corona fuit, ut Absalonis impetum perstringeret, ut ex eo liquet prœlio, ex quo cum eodem congressus, cumulatissimam victoriam reportavit.

Jesus Christus donec inter mortales versatus est, semper fuit pauper, humiliatus, contemptus; nihilque eorum possedit, quæ ab hominibus suspiciuntur, atque æstimantur. In passione vero sua, quibus probris exceptus? Quod contumeliarum, contemptuum, irrisionum, tormentorum genus minime passus? Illusus, alapis cæsus, flagellis laniatus, sputis coinquinatus, injuriis, maledictis lacessitus, a discipulis suis derelictus, a principe eorumdem negatus, demum inter duos latrones turpissime affixus cruci: hæccine nonne satis sunt, ut ad litteram vivissimæ hæ Regii Psaltis locutiones adimpleantur?

Sed curnam Salvator *vermis* dicitur, *& non homo*? ad infinitam scilicet illius humiliationem indigitandam. Ad *vermis* conditionem redactus est; mortalis natus est, de carne natus, verum natus sine corruptione, & sine peccato; de Matre virgine natus. *Quare non homo?* ait S. Augustinus; *quia Deus. Quare vermis? Quia mortalis, quia de carne natus, quia sine concubitu natus*. Non est homo, sed Homo-Deus. Hæc plerorumque Patrum est sententia [4]: qui cum Philosophorum veterum schola supponunt, vermes ex putri oriri, quin alii ex aliis gignantur. Verum recentiores Philosophorum observationes contrarium evincunt; atque nunc certum est, vermes, non secus ac alia insectilia generati. Patres itaque non contendunt ex hoc loco validum educere argumentum ad nativitatem Jesu Christi ex Virgine Matre probandam; verum hæc simplex est loci hujus pia applicatio ad veritatem aliunde, ex revelatione nempe, certissimam. Ad Salvatorem quoque traducuntur ea Isaiæ 41. 14. verba: *Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel; ego auxiliatus sum tibi* &c. Sed Propheta de illis loquitur Israelitis, qui in captivitate Babylonica versabantur.

℣. 7. OMNES VIDENTES ME, DERISERUNT ME. LOCUTI SUNT LABIIS, & MOVERUNT CAPUT.] Nihil distinctius adferri potest ad probra, & contumelias, quibus a Judæis de Cruce pendens Jesus Christus lacessitus fuit, exprimendas: *Prætereuntes*, ait Evangelista Matth. 27. 39. *blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruit templum Dei, & in triduo illud reædificas, salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes Sacerdotum illudentes, cum Scribis, & senioribus dicebant: alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei; confidit in eo: liberet nunc, si vult, eum*. Quæ novissima verba eadem sunt, ac illa versiculi consequentis. Hebræus verti potest [5]: *Omnes, qui viderunt me, illuserunt mihi*, malignis, acerbisque irrisionibus: *aperuerunt labia sua super me*; vel contorserunt os suum, linguam suam eduxerunt, & per contemptum, atque ludibrium *moverunt caput*. Hæc omnia abjectissimum opprobrium designant. Vide mox vers. 14. & Psal. 34. 21. Job. 16. 4. Psal. 43. 15. Isai. 37. 22.

℣. 8. SPERAVIT IN DOMINO; ERIPIAT EUM: SALVUM FACIAT EUM, QUONIAM VULT EUM.] Verba hæc jam vidimus adimpleta in irrisionibus, quibus a Judæis Jesus Christus lacessitus fuit, dum cruci affixus penderet. Permisit Deus, ut eorum rabies hęc ipsa mutuaretur verba, ut magis adhuc liquido pateret, Prophetam hæc omnia fuisse vaticinatum. Se Dei Filium, & Patris dilectum vocat, nobisque obtrudere vult, se cum illo esse; hoc si verum est, Pater liberet eum, ac de manibus nostris eripiat. Hæc possent etiam ad Davidem, veluti Jesu Christi imaginem transferri, cum Absalon contra illum arma suscepit; fidei enim haud absonum videtur, tunc inimicos ejus, atque homines illius gloriæ invidentes, pietati ejus insultasse, & fabulis adnumeranda dictitasse, quæ ille in vulgus ediderat de sua ad Regnum electione, deque magnificis Dei promissionibus. Si verum est, a Deo peculiariter adeo protegi, si adeo justus est, innocens, pius, ac se jactitat, Deus liberet illum, suamque erga ipsum hac in occasione proferat misericordiam.

Hebræus habet [6]: *Verte in Domino* spes tuas, *liberet eum, tueatur illum, quandoquidem in eo complacet sibi*. Ironice dictum. Quandoquidem pius adeo es, omnes spes tuas in Domino constitue. Nihil aliunde cavere tibi debes; Deus non deerit tibi. Aliter: *Vertit super Domino* spem suam: *liberet eum* &c. Chaldæus alium adfert sensum [7]: *cecini laudes Domini*: in ipso lætatus sum, *& me de periculo eduxit*; qui sensus hercle nequaquam est contemnendus.

℣. 9. QUONIAM TU ES, QUI EXTRAXISTI ME DE VENTRE; SPES MEA AB UBERIBUS MATRIS MEÆ.] Hic est David, qui tamquam Jesum Christum repræsentans, loquitur, ut ait Theodoretus: Domine protexisti me a die nativitatis meæ ad hanc usque diem. Millies eximia clementiæ tuæ excepi argumenta; hodie vero me deseres, cum in gravissimum adductus fuerim periculum? De Jesu Christo id explicantes, Patres nonnulli de miraculosa ejus nativitate, deque illius in Virginis sinu incarnatione interpretantur [8]. S. Augustinus ait etiam, Jesum Christum a Synagoga, tamquam crudeli matre de sinu abjectum, a Deo Patre suo exceptum fuisse, atque apertissimis protectionis ejus donatum indiciis, in vocatione, & conversione Gentilium, & in Christianæ Ecclesiæ institutione.

℣. 10. IN TE PROJECTUS SUM EX UTERO: DE VENTRE MATRIS MEÆ DEUS MEUS ES TU.] Ad veterem alludit consuetudinem pueros vix dum e sinu matris egressos super genua patris eorum constituendi. Mos hic in Genesi, cum de nativitate Dan est sermo, deprehenditur [9], & in Homero etiam pluribus in locis videtur [10]. Hebræus id apertius innuit [11]: *super te projectus*

1 Vide & Euseb. hic. 2 2. Reg. 16. 7. 8. 3 2. Reg. 16. 21.
4 Vide Theodoret. Euseb. Origen. Euthym. Hieronym. 5 כל ראי ילעיגו לי יפטירו בשפה יניעו ראש
6 גל אל יהוה יפלטהו יצילהו כי חפץ בו 7 Chald. שבחת קדם ייי ישזבני Quasi גל fluerer a גיל *Gavisus est, exultavit*. 8 Euseb. Cæsar. Athanas. August. 2. Exposit. 9 Genes. 30. 3. Vide & 50. 23. & Job. 3. 12. &c. 10 Iliad. 9. & Odyss. T. v. 400. 11 עליך השלכתי מרחם

projectus sum, cum de ventre matris meæ egressus essem. Nullum alium, vel Deum habeo, vel Patrem præter te. Quomodo igitur hac ingruente occasione, me poteris derelinquere? Hoc belle quidem de Jesu Christo explicatur, qui nullum habuit in terris patrem, & solus est Filius Patris tum in Æternitate, cum in tempore. S. Augustinus in priori sua Expositione, legit: *In te confirmatus sum ex utero*; in altera vero: *In te jactatus sum* &c. Synagoga abjecit me de sinu suo, tu vero in sinum tuum me recepisti.

℣. 11. NE DISCESSERIS A ME, QUONIAM TRIBULATIO PROXIMA EST.] Jesus Christus in cruce a suis desertus, a populo suo lacessitus, ab uno e discipulis suis proditus, ab alio negatus, a Deo Patre suo quodammodo derelictus, quandoquidem dicit illi: *Deus, meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* cum novissime obtestatur, ut sui miserescat, eo quod proxima illi est tribulatio. Videtur autem statim, antequam efflatet animam, hæc effudisse verba, prævidens plane ea mala, quæ Ecclesiam suam erant perturbatura. Partum nonnulli id explicant de agonia Jesu Christi in horto [1]: & ea, quæ sequuntur, huic explicationi conveniunt.

℣. 12. CIRCUMDEDERUNT ME VITULI MULTI: TAURI PINGUES OBSEDERUNT ME.] Interpretes [2] hoc nomine intelligunt Judæos, Principes Sacerdotum, Scribas. Vituli Judaici populi, ac militum præsertim insolentiam designant, qui joco sibi vertebant, atque solatio, nequissimas quaslibet contumelias, quas in Jesum Christum ingerebant. Tauri vero significant superbiam, pervicacem improbitatem, atque internecinum Sacerdotum, Pharisæorumque odium in illum.

Hebræus [3]: *Circumdederunt me vituli multi: tauri de Basan circumsepserunt me*. Vel: *Vituli potentes*, & crassi, *circumdederunt me: fortes de Basan me circumsepserunt*. Basam erat terra fertilissima trans Jordanem, ubi tauri speciosissimi, atque pinguissimi regionis illius saginabantur. Symmachus [4]: *Vituli pingues ad saginandum collecti circumdederunt me*. Aquila [5]: *potentes* (tauros innuit) *de Basam* suffuderunt me ignominia. Amos 4. 1. loquitur de *vaccis Basan*, easque Samaritanis mulieribus confert propter harum insolentiam, atque mollitiem.

℣. 14. SICUT AQUA EFFUSUS SUM, & DISPERSA SUNT OMNIA OSSA MEA.] Locutio hæc: *sicut aqua effusus sum*, languorem, defectum, atque effœtas artuum omnium vires significat. Omnem cruorem meum in mea Passione perdidi [6]. Josue ostendere volens, Hebræos animis omnino despondisse post primam cladem, quæ ad Hai contigit, dicit [7], cor populi pertimuisse, *& instar aquæ liquefactum* fuisse. Locus hic innuere quoque potest sudorem ejus in horto Olivarum [8], Aqua sudoris mei ablutus sum. Plurima tum Græca, cum Latina vetera Psalteria legunt [9]: *sicut aqua effusa sunt, & dispersa omnia ossa mea*. Jesu Christi ossa in Mystico sensu sunt ejus Apostoli [10]. Ipsi in omnem terrarum orbem dispersi sunt, ut illuc Divini nominis cognitionem afferrent. Sanguis illius effusus est, velut salutaris aqua, quæ nos a vitiorum sordibus abstergit. Ossa ipsius luxata sunt, & alia ab aliis quodammodo avulsa, cum in Cruce extenderentur, atque sævissime a militibus traherentur. Vel: Acutis doloribus confectus sum ad intimam usque ossium meorum partem, perinde ac per vim mihi fuissent divulsa.

℣. 15. FACTUM EST COR MEUM TAMQUAM CERA LIQUESCENS, IN MEDIO VENTRIS MEI.] Adeo confectus fui, adeoque animum despondi, ut mihi liquescere cor meum videretur. Hebræi passim dicunt [11], cor alicujus liquefactum esse, ut aliquem animo, ac viribus defecisse significent. Tamquam cera liquescere significat, terrore concuti, languescere, deficere. Plinius lib. 11. cap. 37. Ægyptios credidisse, refert, humanum cor duarum drachmarum pondere in singulos annos augeri, usque ad quinquaginta annorum ætatem, tunc vero tantundem in singulos annos decrescere, ita ut fieri nequeat, hominem ultra centesimum annum vitam proferre. Hebræi eo loquuntur pacto, quod nos posset impellere, ut crederemos, ipsos fuisse arbitratos, cor præ dolore liquescere, atque comminui. Hic Psalmi locus [12] Jesu Christo applicatur in horto Olivarum; vel iis in doloribus, quos in cruce sustinuit.

℣. 16. ARUIT TAMQUAM TESTA VIRTUS MEA, & LINGUA MEA ADHÆSIT FAUCIBUS MEIS.] Adeo siti conficior, ut lingua mea palato adhæreat. Radicalis humor, ac succus nutritius, qui alit vitam meam, adeo dissipati sunt, atque attenuati, ut similis sim testæ igni concoctæ, ac exsiccatæ. Explicari potest de siti, quam Jesus Christus in cruce passus est [13], ac de sanguinis, viriumque defectu, quem tot cruciatus, tantaque effusi sanguinis jactura pepererunt. Patres [14] per Jesu Christi linguam Apostolos intelligunt. Non secus ac lingua vitam, motumque habet ex eo dumtaxat, a quo animatur; ita Evangelici Præcones nihil vel loqui, vel agere debent, nisi Divino Spiritu afflante, ac impellente. Passionis tempore Discipuli, ac Apostoli Domini fuerunt tamquam lingua palato adhærens, propter fugæ suæ turpitudinem, ac silentii ignaviam. Jesu Christi lingua adhæsit quodammodo faucibus suis, quoniam obmutuit, neque accusantes se se rutatus, neque coram Pilato suam probaturus innocentiam, verbum proferens.

IN PULVEREM MORTIS DEDUXISTI ME.] Quamquam te ipsa Jesus Christus in sepulchrum elatus fuit, non fuit tamen in pulverem redactus, neque ulla corruptione contabuit; at in eo positus fuit loco, ubi aliorum hominum corpora putrescunt, ac in pulverem diffluunt [15]. S. Hieronymus hic id explicat de Jesu Christi eum in locum descensu, ubi Sanctorum animæ detinebantur, illius adventum, ac Resurrectionem præstolantes. Vetera quædam Psalteria legunt: *In pulverem mortis deduxerunt me*.

℣. 17. CIRCUMDEDERUNT ME CANES MULTI: CONCILIUM MALIGNANTIUM OBSEDIT ME.] Superius ℣. 13. Sacerdotes, militesque Judæos tauris comparavit; hic autem Romanos, Ethnicosque canibus confert [16] propter eorum impotentiam, ac rabiem. Hi Judaicæ improbitatis ac odii instrumenta fuerunt; hos enim Judæi adversus Agnum hunc innocentem concitarunt, velut qui canem cient adversus prætereuntem, quin hic illi ullum malum attulerit. S. Hieronymus hoc de Judæis explicat, qui veluti rabidi canes adversus JESUM CHRISTUM latrare, eumque persequi, non destiterunt, usque dum de Cruce pendentem, ac mox in sepulchro conditum viderunt. S. Paulus Judæos canes appellat ad Philip. 3. 2. *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem*. Et JESUS CHRISTUS e contra nomen hoc Gentilibus tribuit Matth. 15. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*. S. Justinus Martyr legit [17]: *Canes, & venatores circumdederunt me*. Aquila, & Theodotio habent *venatores*, pro canibus.

℣. 18. FODERUNT MANUS MEAS, & PEDES MEOS: DINUMERAVERUNT OMNIA OSSA MEA.] Nollo opus est Commentatio, ut isthæc ad JESUM CHRISTUM de Cruce pendentem referantur. Locus hic, & alii plures

1 Hieronym. hic. 2 August. Euseb. Athanas. Theodoret. alii.
3 סבבוני פרים רבים אבירי בשן כתרוני 4 Symmach. Δαμάλεις ταῦροι πίονες οἱ σιτιστοὶ περιέσχον, με ... συγίνετο με. 5 Aquil. apud Euseb. Δυνάσται βασὰν διαδεσμεύσαντο με.
6 Ita Genebr. Flamin. Mariana. 7 Josue 7. 5. 8 Justin. Dialog. cum Tryph.
9 Vide Nobilium hic, in Edit. Rom. Item Psalter. Rom. Mediol. S. Ambros. German. & Complut. Ὡσεὶ ὕδωρ ἐξεχύθη, καὶ διεσκορπίσθη πάντα τὰ ὀστᾶ μου. 10 Ita August. Theodoret. Hieron. Athanas.
11 Psal. 67. 3. 96. 5. Job. 23. 16. Josue 14. 8. Deuter. 20. 8. 12 Athanas. alii plerique.
13 Johan. 19. 28. 14 Hieronym. August. 15 Theodoret. hic.
16 Theodoret. Euseb. Nicephor. Euthym. 17 Aquila, & Theodot. Κυνήγεται. Hebr. כלבים Justin. Dialog. cum Tryphone, pag. 332. Κύνες καὶ κυνηγοὶ πολλοί. Sed pag. 325. Κύνες πολλοί. tantum.

plures ex hoc Psalmo palam adeo in illius persona A adimpleti fuisse deprehenduntur, ut post transactam rem scripti fuisse videri queant. Judæis quidem crux fixa est, at licet omnes exerant vires, numquam tamen felici eventu eos poterunt ad Davidem traducere. Itaque ferre non potuerunt æquis animis locum, qui eos tam aperte confodiebat. Textum vitiarunt, & pro, *foderunt*, Hebraice *Caru* [1], hodie in exemplaribus suis legunt, *tamquam Leo* [2] Hebraice *Cari*; qua de re videri potest Dissertatio nostra.

DINUMERAVERUNT OMNIA OSSA MEA.] Extenderunt me super crucem [3], & luxarunt omnia ossa mea. Vel: adeo attenuatus sum, & macie confectus, ut omnia ossa mea queant dinumerari. Hebr. [4] *dinumerabo*, vel *dinumerarem omnia ossa mea*. Ea possem enumerare, adeo sunt scarificata. Chaldæus: *numera-* B *rem omnes membrorum meorum cicatrices*. Syrus: *Omnia ossa mea ululatum edidere*, magnum lessum facere [5].

℣. 19. IPSI VERO CONSIDERAVERUNT, & INSPEXERUNT ME.] Judæi considerabant JESUM CHRISTUM cruci affixum, ut illuderent illi, & odium, iramque suam illius pœnis explerent. Observabant illum [6], ne effugeret, vel ne a Discipulis suis liberaretur [7].

DIVISERUNT SIBI VESTIMENTA MEA, & SUPER VESTEM MEAM MISERUNT SORTEM.] Prophetia hæc ad litteram adimpleta est in vestibus JESU CHRISTI de cruce pendentis, quemadmodum ipse monet Evangelista Joan. 19. 23. 24. Milites quadrifariam divisere togam superiorem, hoc est pallium; Tunica vero inferior inconsutilis erat, ac reticulato opere elaborata, ideoque nec dividi, nec frangi poterat, sed miserunt C sortem super illam. Hi milites figura sunt hæreticorum, S. Hieronymus inquit; *Volunt hæretici scindere Ecclesiam; sed non possunt*. Qui totum hunc Psalmum de David explicare contendunt, ostendant, quandonam hæc in Regis hujus persona fuerint adimpleta. Ipsis enim ex Rabbinorum ipsorum schola ostendemus [8], neminem uti potuisse umquam ulla re, quæ Regum fuisset. Omnia, quæ ad ipsos spectaverant, etiam post ipsorum decessum, ea reverentia excipiebantur, ut ante illorum corpora, & solium, & sceptrum, & diadema, & Regiæ chlamydes, & quæcumque supellex, qua vulgo utebantur, comburerentur. Hoc docent Hebræi. Posset fortasse quispiam in dubium hoc factum vocare, nec immerito: verum contra ipsos arguentes illud ex eorum fonte supponere licet. D

℣. 20. TU AUTEM, DOMINE, NE ELONGAVERIS AUXILIUM TUUM A ME, &c.] Pergit adhuc CHRISTUS JESUS, de cruce Deum Patrem suum alloquens. Hebr. [9] *Tu autem, Domine, ne absis: fortitudo mea, mihi feropem*. Septuaginta Romanæ Editionis [10]: *Tu autem, Domine, ne differas auxilium meum; attende, ut mihi subvenias*; quam legendi rationem S. Hieronymus probat [11]. Sed Complutensis Editio [12], ac S. Augustinus a Vulgata ne tantillum quidem discedunt. Domine, ne differas mihi opitulari. Humanitas Divinitatem alloquitur, eamque rogat, ne suam differat resurrectionem, ait S. Hieronymus.

℣. 21. ERUE A FRAMEA, DEUS, ANIMAM MEAM: & DE MANU CANIS UNICAM MEAM.] Unica mea, passim animam meam, dilectam meam designat: hic E tamen potius innuere videtur, animam meam afflictatam [13], derelictam, mœrore confectam. Domine libera eam de gladio, de vi, de Judæorum hostium meorum nequitia, ac de faucibus canis, rabidi hujus populi, vel Romanorum, Gentilium, qui mihi circumstant, ac sanguinem meum avidissime sitiunt. In sensu mystico; Libera, Domine, Ecclesiam tuam de furore dæmonis, de nefariorum, atque impiorum persecutione [14].

℣. 22. SALVA ME EX ORE LEONIS, & A CORNIBUS UNICORNIUM HUMILITATEM MEAM.] Leo quidem Judæos, *monoceros*, & unicornis Ethnicos; vel uterque simul Judæos possunt indigitare; hoc enim arbitrarium est. Sequitur JESUS CHRISTUS, Patrem suum pro se, proque Ecclesia sua, imo pro hoc præcipue, deprecari. Pro verbis illis, *humilitatem meam*, Hebræus redditur [15]: *Exaudi me*. Domine, libera me de rictibus leonis, *& exaudi me de cornibus remim*, vel monocerotum. Sed Versio Vulgatæ, ac Septuaginta [16] meliorem aptioremque sensum adstruunt. S. Justinus Martyr in dialog. cum Tryph. & Tertullianus contra Judæos c. 10. & l. 4. contra Marcion. c. 19. nomine cornuum monocerotis, JESU CHRISTI crucem intelligunt. Salvator petit a Patre suo, ut ipsum a crudeli, fœdissimoque supplicio velit eripere.

℣. 23. NARRABO NOMEN TUUM FRATRIBUS MEIS: IN MEDIO ECCLESIÆ LAUDABO TE.] Hactenus Psalmista nobis exhibuit JESU CHRISTI sensus, cum dolore, cruciatibusque affligeretur: isthic vero incipit gloriam, ac Resurrectionem illius, & Gentilium vocationem describere. Postquam exornavero provinciam mihi a te demandatam, atque de sepulchro egressus fuero, tunc prædicabo nomen tuum fratribus meis, Apostolis, & Fidelibus, quos in nomine tuo in Ecclesiam meam congregabo, quibus Filiorum Dei dignitatem impertiam, meosque, per Fidem, atque Baptisma, fratres efficiam [17]. Fideles mei, adoptivi filii tui, haurient ex ore meo veritatum sanctarum, mysteriorum, mirabiliumque tuorum cogitationem cumulatissimam. Post resurrectionem suam præsertim JESUS CHRISTUS Discipulos suos fratres vocavit [18]; & Apostoli ausi sunt Filiorum Dei dignitatem induere.

℣. 24. QUI TIMETIS DOMINUM, LAUDATE EUM &c.] Judæi, atque Ethnici in JESU CHRISTI Ecclesia congregati laudate Dominum, enunciate mirabilia ejus, laudes illius recinite. In novo Testamento [19] ii, qui in Deum credebant, e naturalis Legis præcepta observabant, quin Judæorum sacris essent initiati, *Dominum timentes* vocantur; quo nomine videtur hic David Ethnicos indigitare, qui erant convertendi, atque in Christianæ Fidei sinum admittendi.

℣. 25. QUONIAM SPREVIT DEPRECATIONEM PAUPERIS, NEC AVERTIT FACIEM SUAM A ME.] Hebræus [20]: *Quoniam non sprevit humilitatem pauperis, non avertit faciem suam ab illo, & exaudivit eum, cum hic illi vota sua nuncupavit*. Chaldæus, & Syrus similes sunt.

℣. 27. APUD TE LAUS MEA IN ECCLESIA MAGNA.] In Ecclesia Christiana, & Catholica in omnes terrarum plagas effusa [21], ubi adoratores, veri secundum spiritum Israelitæ, Deum in spiritu, & veritate venerantur, eique mundum, atque suprema dignum Majestate cultum exhibent. JESUS CHRISTUS hic Patrem suum per os Sacerdotum, Fideliumque suorum commendat. Spiritus Sanctus in eorum cordibus hos ineffabiles gemitus efformat, quibus Dei aures nequaquam obstructæ sunt. Heb. [22] *Laus mea a te procedit in Ecclesia magna*. In populi cœtibus laudibus, & gloria cumulor; sed a te hæc in me dimanat felicitas; propter te hæc mereor encomia: *A te laus mea*, ut legit S. Ambrosius post Septuaginta [23]; vel cum Romano,

1 כארו *Foderunt*. 2 כארי *Sicut leo*. 3 August. Hieronym. alii.
4 אספר כל עצמותי 5 Legit יספרו כל עצמותי 6 Basil. Euseb. Cæsar.
7 Origen. Euthym. 8 Maimonid. Halac. MelaKim cap. 2. Rab. Bechai Pharas. Schoph. Vide Ferrand. Præfat. in hunc Psalm. 9 ואתה יהוה אל תרחק אילותי לעזרתי חושה
10 Σὺ δὲ, Κύριε, μὴ μακρύνῃς τὴν βοήθειάν μου, εἰς τὴν ἀντίληψίν μου πρόσχες,
11 Hieronym. ad Suniam & Fretell. & quædam antiq. Psalter. Latin. 13 Σὺ δὲ Κύριε μὴ μακρύνῃς τὴν βοήθειάν σου ἀπ' ἐμοῦ. 12 Muis, Pagn. Geier. Flamin. Hieron. 14 Hieron. Theodoret.
15 ומקרני רמים עניתני 16 Καὶ ἀπὸ κεράτων μονοκερώτων τὴν ταπείνωσίν μου. Legerunt עניתי pro עניתני
17 Rom. 8. 29. 18 Matth. 28. 10. Johan. 20. 17. Rom. 8. 15. Galat. 4. 5. Ephes. 1. 5. Hebr. 11. 10. 12.
19 Act. 10. 2. 35. & 13. 16. 26. 20 כי לא בזה ענות עני ולא הסתיר פניו ממנו
21 Vide Hieronym. 22 מאתך תהלתי בקהל רב 23 70. Παρὰ σοῦ ὁ ἔπαινός μου, &c.

mano, ac Mediolanensi Psalterio: *Apud te laus mihi*. A

VOTA MEA REDDAM IN CONSPECTU TIMENTIUM EUM.] Accedam ad Templum sanctum tuum, ea persoluturus, quæ in ipsa calamitate novi. In hoc sensu de David potest intelligi; quod si de JESU CHRISTO explicare velis, dicendum erit, quod eum superius promiserit, se laudes Dei sua in Ecclesia celebraturum, hic dicat, se per os Fidelium, servorumque suorum promissiones has adimpleturum [1]. Alii [2] id intelligunt de Eucharistiæ Sacramento, quod verum est Legis novæ sacrificium, quotidie a JESU CHRISTO Patri suo litatum, tamquam perfectissima ad supremum illius dominium, infinitamque potestatem enuntiandam oblatio.

℣. 28. EDENT PAUPERES, & SATURABUNTUR; & LAUDABUNT DOMINUM, QUI REQUIRUNT EUM.] B In sacrificiis gratiarum actionis usus obtinuerat, ut amici, pauperes, ac Levitæ invitarentur, iisque epulæ sternerentur vel in atrio Templi, vel in finitimis locis. Illis autem victimæ partes, cujus adeps, cruor, & aliquid præterea super Altare Domini oblata fuerant, distribuebantur [3], & hoc erat epulum amicitiæ, & hilaritatis omnino sanctum, atque religiosum saltem quoad mentem Legislatoris. Ad hujus generis convivia Regius psaltes alludit [4]. Post liberationem meam ascendam ad Tabernaculum tuum, ibi reddam tibi vota mea, ibi offeram victimas meas gratiarum actionis; ibi convivio amicos excipiam, & pauperibus epulum sternam. Lætabuntur illi coram te, atque saturabuntur. Sacrificia hæc symbola erant Eucharistici sacrificii; quo in sensu Patres [5] locum hunc intel- C lexere. Primoribus Ecclesiæ sæculis Eucharistia, cum similibus charitatis conviviis celebrabatur, quæ mirum in modum repræsentabant illa, de quibus loquimur, & quæ Legis tempore in Templo Domini fiebant. Pauperes hoc in loco designant fideles, pauperes scilicet spiritu, quos JESUS CHRISTUS Matth. 5. 3. felices esse dixit, atque iri saturatum.

VIVENT CORDA EORUM IN SÆCULUM SÆCULI.] Pauperum corda lætabuntur, ac diutina vita fruentur. Nequaquam ad incitas redigentur, ita ut egestate, ac fame intereant. Saturabo eos reliquiis victimarum, oblationumque mearum; affluenter adeo illis epulas tribuam, ut nihil illis deesse queat. Aptius tamen de cibo Corporis, ac potu Sanguinis JESU CHRISTI, quibus in Eucharistia nutrimur, hoc explicatur. D Hæc cœlestis est esca, & vitam animæ tribuens; neque vero simplicem temporalem vitam, sed spiritualem, & quæ pignus est æternæ vitæ, ac permanentis: *Vivent corda eorum in sæculum sæculi*. Hic est cibus fortium, & infirmorum, divitum, ac pauperum, nobilium, ac parvulorum; ac in eo quilibet invenit, unde saturetur. Sed nobiles, divites, & fortes fieri debent in oculis suis parvuli, & humiles, si ex hoc benedictionem, & gratiam velint haurire. Pro *corda eorum*, quod Septuaginta, Chaldæus, Syrus, ac S. Hieronymus in Hebraico textu legerunt, legimus hodie *corda vestra* [6]. Quod tamen re ipsa nihil de loci hujus sensu immutat.

℣. 29. REMINISCENTUR, & REVERTENTUR AD DOMINUM UNIVERSI FINES TERRÆ, & ADORABUNT ... E UNIVERSÆ FAMILIÆ GENTIUM.] Populi quicumque intellexerunt mirabilia, quæ pro me operatus fuisti, venient, eorum coram te, ac in templo tuo memoriam instauraturi: *Reminiscentur*. Misericordiarum tuarum adspectu afficientur & convertentur ad te. Confluent te adoraturi, ac tributa sua persoluturi. Hæc de David, nonnisi in hyperbolico sensu, possunt intelligi. At nihil hoc apertius, si de JESU CHRISTO explicetur. Ethnici populi vix nuntiatis vitæ ipsius, mortis, ac Resurrectionis miraculis, ad doctrinæ, ac mirabilium ejus famam in illius Ecclesiam undequaque confluxerunt. Nationes congregatæ sunt, & congregantur adhuc quotidie in omnibus terrarum Ecclesiis, JESUM CHRISTUM adoraturæ, atque in celebratione Sacramenti illius mysteriorum vitæ, ac mortis ejus memoriam innovaturæ. Omnium sæculorum decursu solemnes Festi dies in Ecclesia Christiana celebrati sunt in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Epiphaniæ, Mortis, & Resurrectionis JESU CHRISTI. Pro *familiæ Gentium*, veteres nonnulli [7] cum Græco [8] legunt *patriæ Gentium*. Sed *patriæ* apud Græcos familias significant.

℣. 31. QUONIAM DOMINI EST REGNUM, & IPSE DOMINABITUR GENTIUM.] Deus est regnorum dominus, & imperiorum distributor [9]. Ipse constituit David Regem super populum suum. Ipse JESU CHRISTO Regum Regi omnipotentiam in cœlo, ac in terra permisit [10], eumque non Judæorum solum, verum & gentium Regem constituit [11]. Hic in Ecclesia sua & fideles ex Synagoga, & eos, qui de Ethnica vanitate conversi sunt, congregavit. Vide Theodoretum.

℣. 32. MANDUCAVERUNT, & ADORAVERUNT OMNES PINGUES TERRÆ; IN CONSPECTU EJUS CADENT OMNES, QUI DESCENDUNT IN TERRAM.] Hoc explicari potest, perinde ac futuro tempore efferretur. Divites terræ, non secus ac pauperes (℣. 27.) venient, partem habituri in meis sacrificiis gratiarum actionis; venient ad convivium, quod illis instruam. Ipsi adorabunt Dominum, ac infinitum ejus dominium profitebuntur. Omnes homines hac in occasione procident coram illo, & potentiam, & misericordiam ejus in prospera rectitudine mea admirabuntur. Hic est sensus, qui huic loco potest appingi, si de David intelligatur.

Verum si explicetur velut Prophetia eorum, quæ post Salvatoris Resurrectionem erant futura, eum Patribus dici potest [12], divites, Apostolos, perfectissimum quemlibet ex Fidelibus, nobiles, ac potentes sæculi comedere, & adorare JESUM CHRISTUM in Eucharistia. Fideles omnes eum ibi venerantur, atque in omne obsequium compositi adorant. Verum ex divitibus illis, juxta mundi trutinam, plurimi sunt, uti S. Augustinus animadvertit, quibus satis est comedere, sed ad imitationem usque progredi renuunt. Vescuntur quidem, sed non saturantur, quemadmodum veri pauperes, pauperes spiritu: *Manducaverunt Corpus humilitatis Christi, nec sicut pauperes saturati sunt usque ad imitationem*. Pro *pinguibus terræ*, antiqua Psalteria legunt [13] *divites terræ*; verum sensus non variat.

OMNES, QUI DESCENDUNT IN TERRAM.] In tumulum [14]. Hebr. [15] *in pulverem*. Quicumque moritur, & in pulverem redigitur, adorabit JESUM CHRISTUM. Explicari potest de mortuis, quos in Abrahæ sinu inveniet; vel [16] de omnibus mortalibus, qui nascuntur, ut quondam in pulverem redigantur. Adorabunt Dominum, & prædicabunt mirabilia, quæ pro JESU CHRISTO operatus est. Vel denique [17]: *Qui descendunt in pulverem*, designant pauperes, obscuro loco, humilique positos, qui opponuntur *pinguibus terræ*, nobilibus, opulentis. Eusebius hoc de adoratione exteriori interpretatur, quæ tribuebatur Deo in Ecclesia Christiana, flexis genibus, ac fronte ad solum usque demisso.

ET ANI-

---

1 Theodoret. hic. 2 Hieronym. August. 1. Exposit. 3 Deut. 12. 7. 12. 14. 23. 16. 10. 11. 26. 11. Psal. 115. 3. 4. 4 Jans. Gandav. Corderius, hic. Bossuet. Muis Geier. 5 Theodoret. August. Hieronym. Euseb. 6 יחי לבבכם לעד 70. Ζήσονται αἱ καρδίαι αὐτῶν. Legerunt לבבם

7 August. Psalter. Rom. Mediolan. Sancti German. Carnut. 8 70. Πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῶν ἐθνῶν.

9 Muis. 10 Matth. 27. 18. 11 Rom. 3. 29. *An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium?*

12 Hieronym. August. Exposit. 1. Euseb. 13 August. Psalter. Rom. Mediol. German.

14 Ita Chald. Muis, Genebr. Castal. Vide & Hieronym.

15 כל יורדי עפר Aquil. Εἰς πρόσωπον αὐτοῦ κάμψουσι πάντες οἱ καταβαίνοντες εἰς χοῦν.

16 Vide Genebr. Ferrand. 17 Belgica Vers.

℣. 33. Et anima mea illi vivet, & semen A meum serviet ipsi.] Imposterum tibi uni inserviendo vitam meam dedico, efficiamque, ut omnis posteritas mea æternum adhæreat tibi: hæc autem loquitur David perfectæ gratitudinis sensu. Hoc ipsum, immo verius Jesus Christus potest asserere, quoniam singula vitæ suæ impendit momenta, ut Patris sui gloriam procuraret, ejusque voluntates impleret [1], & Ecclesia sua, posteritas sua, ii, quos in aqua, & spiritu regeneravit, Patri in spiritu, ac veritate famularentur [2].

Hebræus [3]: *Et non dabit vitam animæ suæ, & posteritas serviet illi*; quod nullum distincte sensum adstruit. Nonnulli hoc superioribus subdunt. Qui in sepulchri pulverem descendunt, *nec amplius vivunt*, adorabunt Dominum; quod videtur absurdum. Ali- B ter cum Chaldæo Paraphraste: *Dominus non dabit vitam impio; sed semen Abrahæ benedicet illi*. Vel id de Jesu Christo explicando: non conservavit vitam suam; pro nobis profudit eam; & posteritas, Ecclesia ejus serviet Domino [4]. Denique superiori simul, & inferiori versiculo hoc pacto potest adnecti: *Omnes, qui descendunt in pulverem sepulchri, procident coram illo; non ideo tamen vitam illis reddet*. (℣. 24.) *Posteritas, quæ serviet illi, annunciabit laudes Domini in æternum*. Vel: *Posteritas mea serviet Domino, & in ventura secula laudes eius annunciabit*. Non mortui, Domine resurgent, ut annuntient laudes tuas; sed qui vivunt, soboles, semen hominum, homines, qui in his terris versantur, servient tibi, ac magnalia tua prædicabunt. Sensus hic satis naturalis mihi vi- C detur, neque abnormis ab aliis plurimis Scripturæ locutionibus, in quibus Propheta Deum allicit ad bonorum virorum servandam incolumitatem, propter eas laudes, quibus illi eum his in terris celebrant [5]. Symmachus [6]: *Omnes, qui descendunt in pulverem, procident coram illo; ille, cuius anima vivet, & cuius posteritas Domino famulabitur &c.*

℣. 34. Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt Coeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.] Dominus annuntiavit per Prophetas generationem futuram, hoc est, Israel Dei, posteritatem Abrahæ secundum spiritum, Ecclesiam Christianam. Cœli, Prophetæ, Apostoli nobis justitiam Domini prædicarunt. Ipse etiam Jesus Christus de sinu Patris descendit, ut justitiam suam annuntiaret nobis, quibus ea beatissima sors est, ut simus prædictus hic populus a Domino electus. Aliter [7]: *Annuntiabitur Domino generatio ventura*, significare potest: Progenies ventura edocebitur de illis, quæ ad Domini cultum respiciunt. Dominus illi annuntiabitur. Ponitur hic: *Annuntiabitur generatio*, pro *Annuntiabitur Dominus generationi venturæ*; non secus, ac in Evangelio Matth. 11. 5. *Pauperes evangelizantur*, pro, *Pauperibus Evangelizatur*. Symmachus [8]: *generatio futura inscribetur Domino in libro*. In album referetur; in nomenclatura servorum Dei describetur. In articulo præcedenti alium sensum, qui & melior videtur, attulimus.

Quoad hæc verba: *Annuntiabunt Cœli justitiam eius populo, qui nascetur &c.* Hebræus habet [9]: *Venient, & annuntiabunt justitiam eius populo futuro, quoniam ipse* hæc *fecit*; quod præcedentibus ita subnecto: *generatio*, viventes homines *servient Domino, & prædicabunt* laudes ejus *in æternum*; Laudibus illum extollere non cessabunt: *Venient, & annuntiabunt justitiam eius populo futuro*, qui illis successurus est. Generatio hæc alteram ista edocebit, & de memoria eorum nulla umquam oblivione nomen tuum obliterabitur. Prædicabunt, *Dominum hæc omnia mirabilia fecisse*, me scilicet de periculo, de morte, de sepulchro eduxisse, resuscitasse filium suum, illum gloria cumulasse, ei sanctam, frequentem, fidelemque Ecclesiam dedisse. In Hebraico textu, Chaldaico, Syriaco, Septuaginta, pluribusque Latinis Psalteriis non extat vox illa *Cœli* sed habetur simpliciter: *annuntiabunt justitiam eius &c*

1 Johan. 8. 29. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* 2 Johan. 4. 23. 24.
3 ונפשו לא חיה זרע יעברנו יספר לארני לדור 4 Isai. 53. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* 5 Psalm. 6. 6. & 13. 24. 25. Isai. 38. 18.
6 Symm. Ἔμπροσθεν αὐτοῦ ὀκλάσουσιν ἅπαντες οἱ καταβαίνοντες εἰς χοῦν. Οὗ ἡ ψυχὴ ζήσει, σπέρμα δὲ λατρεύσει αὐτῷ
7 Vide Bellarmin. 8 Symm. Ἀναγραφήσεται ἐν Βιβλίῳ τοῦ Κυρίου.
9 יבאו ויגידו צדקתו לעם נולד כי עשה

PSALMUS XXII.

Deus Populi sui est pastor, eique copiosum instituit convivium, eumque bonis cumulat.

Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Variæ sunt Interpretum sententiæ de tempore, & occasione, quibus Psalmus hic compositus fuit. Chaldæus illud de Israelitis in deserto interpretatur. Deus veluti Pastor tunc agebat illos, eosque cœlesti pane nutriebat. Alii eum referunt ad persecutiones, quibus David a Saule fuit exagitatus, modo in hoc, modo in illud desertum confugere coactus; cum nullo fulciretur præsidio, neque ullam spem reditus haberet, nisi Domini misericordiam, quæ ipsi numquam defuit. Pater le Blanc eum rejicit in illud tempus, quo David Rex fuit inauguratus; qui ad exercitationem suam, gregum scilicet patris sui pascendorum reversus, occasionem arripuit Psalmi hujus elucubrandi, in quo Deum Pastorem suum vocat. Muis putat, Davidem illum composuisse, cum ab hostibus liberatus pacato ditionis suæ fruebatur imperio. Nullus hic deprehenditur questus, nullus doloris, vel timoris sensus. Sed anima tranquilla, atque grati animi sensu percita Dominum laudat, a quo favoribus, ac benefactis fuit cumulata. Patres mystice eum de Jesu Christo Ecclesiæ suæ, fideliumque suorum Pastore intelligunt [1].

S. Athanasius in Catena illum retulit ad Judæos de captivitate liberatos, qui propter acceptam libertatem Deo gratias agunt; cui sententiæ Versiculi 3. 4. & 6. palam suffragantur. Captivi ibi fatentur, a Deo animas

1 Vide Didym. Euseb. Theodoret. August. Hieron.

animas suas revocatas fuisse. *Animam meam convertit*, sibi vitam fuisse restitutam, seque de captivitate, veluti de tumulo eductos. Sese exhibent in Judæa, tamquam in pascuis uberrimis; fatentur post ea, quæ subiere pericula, & e quibus a Deo liberati fuere, nihil sibi esse amplius metuendum. Demum sperant, futurum ut numquam divina eos deserat misericordia, atque jugiter in Domini domo permaneant. Psalmus arte mira compositus est, & venustissime concinnatus. Duæ adsunt allegoriæ scite exornatæ; altera quidem Pastoris, in opima pascua gregem deducentis: hospitis altera hospiti suo convivium instruentis. Nos in Commentario hypothesi a S. Athanasio propositæ adhærebimus.

1. DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit:
2 Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit. 3 Deduxit me super me semitas justitiæ, propter nomen suum. 4 Nam & si
ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.
5 Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. 6 Parasti in conspectu meo
mensam, adversus eos, qui tribulant me. 7 Impinguasti in oleo caput meum: &
calix meus inebrians quam præclarus est. 8 Et misericordia tua subsequetur me,
omnibus diebus vitæ meæ. 9 Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem
dierum.

℣. 1. DOMINUS REGIT ME [1], & NIHIL MIHI DEERIT. IN LOCO PASCUÆ IBI ME COLLOCAVIT.] Populus de Babylonica captivitate loquitur. Dominus est pastor meus, ego grex illius; ipse me in antiqua pascua reduxit. Hebr [2]: *Dominus est pastor meus, nihil mihi deerit; ipse quiescere me fecit in herbescentibus tectis*; quemadmodum pastores per diei æstus pecus agere ad arboris alicujus umbram, ut acerrimos meridiei calores evitet [3], consuescunt. Patres Pastorem hunc esse putant JESUM CHRISTUM; qui in Ecclesiæ suæ pascua nos agit, ibique nos verbo suo, gratia, Sacramentis, Corpore, & pretioso Sanguine pavit. S. Gregorius Thaumaturgus Orat. panegyr. in Origen. id explicat de Angelo bono, qui Davidi custos aderat; idque transfert ad singulorum Custodes Angelos.

℣. 2. SUPER AQUAM REFECTIONIS EDUCAVIT ME.] Vel cum Hebraico textu [4]: *deduxit me super aquas tranquillas*. Prosequitur metaphoram suam: deduxit me ad pabula secus rivum, leni, & tranquillo pede fluentem, quem opponit vehementibus, copiosisque torrentum, vel ingentium fluminum aquis. Huc me potum egit: vel simpliciter, ut hic pabula carperem, vel etiam, ut per meridianos æstus quiescerem. Septuaginta [5]: *me super quietis aquam enutrivit*, veluti aquas fontis Siloe, *quæ* (Isaja teste [6]) *vadunt cum silentio*, & quæ ab eodem Propheta rapidis Euphratis gurgitibus opponuntur. Dominus eduxit nos de Babylone, de aquis illis rapidis, ac vehementibus, & in pristina pascua reduxit, ad fontium nostrorum aquas, quæ convalles nostras, atque Judææ agros irrigant. Patres [7] aquarum harum nomine intelligunt aquas Baptismatis, vel Regenerationis, vel cognitiones veritatum salutis [8].

℣. 3. ANIMAM MEAM CONVERTIT: DEDUXIT ME SUPER SEMITAS JUSTITIÆ PROPTER NOMEN SUUM.] non autem propter merita mea [9]. Reditus meus, revocatio mea de captivitate Babylonis, beneficia sunt mere gratuita, & quæ nequaquam meritus sum. Ipse benefecit mihi, ut gloriam nominis sui augeret, atque hostibus suis in ipsum blasphemantibus os obstrueret. Hebræus [10]: *revocavit animam meam: leniter deduxit me per semitas justitiæ, propter nomen suum.* Eduxit me de periculo mortis; quodammodo resuscitavit me: fecit, ut de captivitate, veluti de sepulchro, ubi vivens adhuc tumulatus eram, egrederer. Reduxit me in terram Israel, in terram Justorum: cum Babylone nihil nisi idolorum cultum, impietatem, ac injustitiam viderem. Alii [11] aliter explicant: *reverti fecit animam meam*, scilicet, ut ex animi, ac virium defectu, quo labor, fames, ac sitis me afflictarant, me me reciperem; tribuens mihi affluentem escam, & potum, ac suaviter leniterque deducens me per semitas rectas, & faciles: *per semitas justitiæ*.

℣. 4. NAM & SI AMBULAVERO IN MEDIO UMBRÆ MORTIS, NON TIMEBO MALA; QUONIAM TU MECUM ES.] Fretus præsidio tuo, atque protectionis tuæ certus, quid vereri debeo? Si meus es pastor, meusque dux, quid mihi poterit obesse? licet iis obruerer tenebris, quæ morti, vel sepulchro similes essent, nihil formidarem. Vel: Post ea pericula, & procellas, e quibus te opem ferente, emersi; post terribilem eam servitutem, qua affligebamur, & unde nos eduxisti, quid possumus timere? Quid expectare debemus, omnipotenti protectione tua suffulti?

Heb. [12] *Licet ambularem in valle umbræ mortis, nullum malum timerem, quoniam tu mecum es*. Pastoris pecora sua abigentis allegoriam persequitur. Quamvis per obscurissima, gravissimisque periculis obsita loca, inter noctis tenebras, interque præcipites, aviosque saltus graderer, nihil tamen extimescerem, donec Deus esset pastor meus, non hostium meorum insidiæ, non avidissimarum ferarum rabies, non aqua, non rupes me perterrerebunt.

℣. 5. VIRGA TUA, & BACULUS TUUS, IPSA ME CONSOLATA SUNT.] Non rapaces lupos, non latrones pertimesco, scio enim, te eos repellere, eorumque impetum confringere posse. Virga tua, & baculus tuus sunt consolatio, & fortitudo mea. Nonnulli [13] virgam a baculo distinguunt. Virga percutit, & corrigit; baculus regit, & fulcit. Deus servos suos & virga excipit, & baculo. Eos corrigit, & punit, cum officii sui obliviscuntur, eos consolatur ac regit in ipsorum infirmitate, ac tentationibus. Alii [14] putant, virgam, & baculum isthic posita esse tamquam ultionis, ac severitatis instrumenta. Coercet, reprimit, percutitque oves, cum aberrant, atque illius dicto non parent.

Hebræus verti posset [15]: *Virga tua, & baculus tuus ipsa*

1 August. & Hieronym. in Comment. *Dominus pascit me*. 70. Κύριος ποιμαίνει με.
2 יהוה רעי לא אחסר בנאות דשא ירביצני Aquil. & Sym. Ἐν [illegible] κατεσκήνωσέ με.
3 Vide Cant. 1. 6. *Indica mihi ubi cubes in meridie*. Vide & Ezech. 34. 15. 4 על מי מנוחות ינהלני
5 70. Ἐπὶ ὕδατος ἀναπαύσεως ἐξέθρεψέ με. 6 Isai. 8. 6. Vide pariter Psalmum 45. 4. 5.
7 Euseb. Theodoret. Euthym. Chrysost. Hieronym. August. Athanas. 8 Euseb. Euthym. Nicephor. Hug. Carr.
9 August. Hieronym. Genebr. 10 נפשי ישובב ינחני במעגלי צדק למען שמו
11 Ita Hieronym. Euseb. Geier. Tig. Piscat. Rivet, Ferrand. alii.
12 גם כי אלך בגיא צלמות לא אירא רע כי אתה עמדי 13 Hieronym. Muis.
14 Origen. hic, August. 15 שבטך ומשענתך המה ינחמני

ipsa me consolata sunt, vel *ulta sunt*, me adversus irruentes hostes tutata sunt, mihique quietem compararunt, adversus eorum insidias, ac vites. Virga, pedumque pastorum inserviunt potius, ut greges a belluarum ferocium impetu, vel a latronibus tueantur, quam ad oves ipsas cædendas; sin autem baculo pastores utuntur ad pecudes percutiendas; ne quidem in sensu hoc instrumentum illud terrorem gregi potius affert, quam consolationem.

℣. 6. PARASTI IN CONSPECTU MEO MENSAM, ADVERSUS EOS, QUI TRIBULANT ME.] Psalmista nunc alia utitur figura, ut exprimat misericordiam, quam in ipsum exercuit Deus. Superius erat pastor, pecus suum agens in pascua, & illud protegens: hic vero hospes est, vel amicus amico protectionem suam concedens adversus persequentes illum, ac mensam instruens, qua illum deficientem nutriat. Hostes sævi, ac sanguinis mei sitientes urgebant me, Chaldæi me fuerant persecuti, civitates meas diruerant, regionem meam usurpaverant, agros meos igne, ferroque vastaverant, me in captivitatem redegerant, atque laboribus, ærumnisque obruerant. Tot malis confectus ad Deum meum confugi, qui me domi suæ exceptum liberaliter, tutatus est ab omnibus, qui me persequebantur, mihique convivium instruxit. Mensa, & convivium hoc erant figura Sacramenti Corporis, & Sanguinis J. C. quo in Ecclesia ad sanctissimam Eucharistiæ mensam vescimur; vel divinas Scripturas, quæ animarum nostrarum esca sunt, & alimentum [1], significabant.

℣. 7. IMPINGUASTI IN OLEO CAPUT MEUM.] In conviviis vulgo pretiosa unguenta afferebantur, quæ super convivarum capita effunderentur. Pia quædam mulier super JESU CHRISTI caput fudit vasculum fragrantis unguenti, cum ille in Bethania apud Simonem leprosum mensæ accumberet [2]. Alias eum Pharisæi cujusdam mensæ assideret, peccatrix mulier super pedes ejusdem unguentum effudit; cumque hanc ob rem stupore quodam Pharisæus caperetur, eum quodammodo JESUS objurgavit, quod capiti suo non dedisset unguentum [3], cum interim mulier illa ipsius pedes affluentissime irrigasset. Hæc Hebræorum consuetudinem probant; quæ eadem apud omnes Ethnicos, Græcos, Latinosve deprehenditur. Patres [4] unguentum hoc de sancto Chrismate interpretantur, quod in Confirmationis Sacramento adhibetur.

ET CALIX MEUS INEBRIANS, QUAM PRÆCLARUS EST!] Quam speciosus est calix meus vino redundans! *Inebriare* non ubique semper in litterali sequiorique sensu explicatur; verum significat bibere dumtaxat, quantum sitis efflagitat, quemadmodum ostendimus Genes. 43. 34. Figurate vero dicitur sagittas suas inebriare sanguine Deut. 32. 42. tellus inebriatur imbre [5], hoc est, maduit, & imbuta est, neque enim aqua gignit ebrietatem. Hebr. [6] Irrigasti caput meum oleo; *calix meus repletus est*, madidus, imbutus. Tibi curæ est, ut populum meum semper exundet, neque mero umquam deficiat. Fuit hæc olim apud Veteres in conviviis suis elegans urbanitatis consuetudo [7]. Verba hæc: *Quam præclarus est!* in Authographo non extant; ea vero Septuaginta [8] addidere ad sensum explendum, qui pendens adhuc videbatur; vel potius ex sequenti versiculo ea sunt mutuari. Illorum lectio longe differt a Vulgata: *Calix tuus me inebrians, quam præclarus est?* Plurimi, & plerique omnes Antiqui [9] similiter legunt, *calicem tuum*, pro *calice meo*. Sed postremum hoc legendi genus Hebræo conforme est, Septuaginta castigatis, & priscis omnibus Interpretibus Græcis, teste S. Hieronymo in Epistola sua ad Suniam, & Fretellam.

℣. 8. ET MISERICORDIA TUA SUBSEQUETUR ME OMNIBUS DIEBUS VITÆ MEÆ.] Spero, fore ut persistas me omnibus diebus vitæ meæ tuis cumulare favoribus. Non semel me tuæ mensæ admittis: verum hoc ipsum in quemlibet vitæ meæ diem mihi promittis. Verba hæc mirum in modum quadrant Sacerdoti Domini, qui in terram Juda reversus, & ministerii sui in Templo muneribus restitutus, in uberrima rerum omnium affluentia lætabatur, & ut ita dicam, aderat mensæ Domini in omne reliquum vitæ suæ tempus. Hoc ipsum, habita ratione, verum in elatiori sensu, de JESU CHRISTI Sacerdotibus asseri potest, qui sanctam, innocuamque vitam traducunt, virtutes exercentes, & divinum Legis novæ sacrificium offerentes. S. Augustinus Enchirid. c. 32. intelligit de JESU CHRISTI gratia, quæ nos prævenit, optimam nobis voluntatem impertiens, & subsequitur, & comitatur, ne frustra velimus: *Gratia Dei nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit*. Misericordia *prævenit per fidem*. S. Hieronymus inquit; subsequitur, *in custodiendo mandata Dei*.

Hebræus [10]: *sed bonum, & misericordia me sequentur omnibus diebus vitæ meæ*. Tu me bonis, & benefactis cumulabis omnibus diebus vitæ meæ. Vel: mittet ad me carnes de mensa sua, nutriet me diebus omnibus vitæ meæ. Dicitur, quod ad imperium David *secutus est* Uriam *cibus regius* 2. Reg. 11. 8. carnes, scilicet, & vinum; & S. Paulus ait, Israelitas in deserto bibisse *de consequente eos petra* 1. Cor. 10. 4. hoc est, potasse aquam fontis illius, qui ex rupe emanarat, ut innueret, illos vel castra posuisse secus hujus aquæ rivum, vel illinc hausisse eam aquæ vim, ex qua in itinere suo bibere possent.

℣. 9. ET UT INHABITEM [11] IN DOMO DOMINI IN LONGITUDINEM DIERUM.] Hoc scite intelligitur de Sacerdotibus, ac Levitis, qui fere semper in Templo habitabant, & qui opipare ibi alebantur. Hebræus simpliciter [12]: *Et habitabo in domo Domini in longitudinem dierum*. Me suis cumulabit misericordiis; nec mihi aliud erit domicilium, quam domus ejus, & Templum.

1 Vide Hieronym. 2 Matth. 24. 6. 7. Marc. 14. 8. 3 Luc. 7. 46. 4 Athanas. Theodoret. 5 Psal. 64. 10. Isai. 55. 10. 6 דשנת בשמן ראשי כוסי רויה 7 Vide Cant. 7. 2. & Iliad. 4. 8 *Καὶ τὸ ποτήριόν σου μεθύσκον με ὡσεὶ κράτιστον.* Addiderunt verf. 7. אך טוב *Verumtamen bonum*, verf. 8. 9 Ita Cyprian. August. Theodoret. Nicephor. Euthym. Psalter. Arab. Rom. Sixti V. Complut. Mediolan. Sancti Germ. Carnut.
10 אך טוב וחסד ירדפוני כל ימי חיי 11 August. & Euseb. non legunt *&*; alii omittunt *ut*.
12 Hebr. ושבתי בבית יהוה לארך ימים Sym. *Ἡ κατοίκησίς μου.*

PSALMUS XXIII.

Deus supremus terræ totius Dominus elegit in habitaculum suum montem Sion. Quisnam illuc accedere audebit, coram terribili adeo Majestate? Quomodonam Templum ipsum exercituum Dominum excipere poterit?

Psalmus David, prima Sabbathi [1].

ARGUMENTUM.

Titulus hic in Hexaplorum Exemplaribus non legebatur, aderat vero dumtaxat in communibus Editionis Septuaginta Exemplaribus [2]. Creditur autem a Judæo quodam additus, qui hunc crediderit respicere primam

1 Edit. Comp lut. Euseb. Athanas. Theodoret. *Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ τῆς μιᾶς τῶν σαββάτων. Una sabbathorum.* 2 Theod. hic.

primam creationis diem, quæ die Dominico incepit; vel etiam ab aliquibus Christianis, qui hanc esse censuerunt Dominicæ Resurrectionis Prophetiam [1], quæ ipsa quoque primo die hebdomadæ contigit. Verum si hæc ratio valeret, cur potius non inscripsere: *Quinta Sabbathi*, quandoquidem Jesu Christi Ascensio distincte adeo in hoc Psalmo memoratur [2]? Rabbinorum plerique, nostrorumque Interpretum nonnulli [3], cum a Davide compositum fuisse putant, postquam Deus illi per Prophetam Nathan ostendit, locum, ubi sibi Templum extrui vellet, esse montem Sion [4]. Alii [5] credunt, hunc a choro decantatum fuisse, cum solemni pompa de domo Obededom in Tabernaculum super montem Sion ædificatum Arca Domini transferretur 2. Reg. *6.* 2. 13.

Judæi, a S. Justino Martyre allati in dialogo suo contra Tryphonem, & Ferrandus, hunc referunt in tempus, quo Salomonis Templum dedicatum est. Rabbinus Salomon addit ea in occasione Sanctuarii valvas ex se met, & clausas, & rursus apertas fuisse ad innuendam scilicet, pro modulo suo, reverentiam, quæ ante Domini conspectum par est. Tres illæ hypotheses, quas postremas attulimus, æque fere probabiles sunt: easque in litterali, historicoque sensu sequi possumus. Verum alius quoque sensus, & ipse litteralis, at sublimior est agnoscendus, qui respicit Domini Resurrectionem, atque Ascensionem: neque duplicem hunc adspectum separabimus, ne latum quidem unguem a mente Prophetæ, ac Sancti Spiritus, cujus numine ille erat afflatus, recedamus.

Psalmista primum ait, Deum, licet ille terræ totius sit Creator, ac Dominus, voluisse tamen peculiari electione destinare montem Sion in habitaculum sibi. Mox quærit, quibus præfulgere virtutibus debeant illi, qui ante faciem terribilis, atque Omnipotentis Dei hujus prodibunt. Ad id autem innocentiam, justitiam, cordis puritatem efflagitat. Demum perinde ipse quoque adesset, cum magnificus hic Rex gloriæ, veluti triumphans ingreditur Tabernaculum suum, Templi januas hortatur, ut celerius aperiantur, ac Deum exercituum honorifice excipiant.

1. DOmini est terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & universi, qui habi-
tant in eo. 2 Quia ipse super maria fundavit eum, & super flumina præ-
paravit eum. 3 Quis ascendet in montem Domini? Aut quis stabit in loco
sancto ejus? 4 Innocens manibus, & mundo corde; qui non accepit in vano animam
suam, nec juravit in dolo proximo suo. 5 Hic accipiet benedictionem a Domino,
& misericordiam a Deo salutari suo. 6 Hæc est generatio quærentium eum: quæ-
rentium faciem Dei Jacob. 7 Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini
portæ æternales; & introibit Rex gloriæ. 8 Quis est iste Rex gloriæ? Dominus
fortis, & potens: Dominus potens in prælio. 9 Attollite portas, Principes
vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ. 10 Quis est iste
Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

℣. 1. DOMINI EST TERRA, & PLENITUDO EJUS.] Quamvis Deus, utpote Creator, sit universæ terræ, & omnium, quæ continentur in illa, Dominus; tamen peculiari nomine terra Juda ad ipsum pertinet. Ante JESU CHRISTI nativitatem, omnes homines in omne ruerant flagitiorum genus, & cesserant quodammodo in Principis tenebrarum imperium. Deus vix in Judæa agnoscebatur; sed, post Evangelii prædicationem, divinum nomen ubique gentium cœptum est celebrari [6]; ubique imperium J. C. & Religionis regnum constitutum est; ubique Pater adoratores habet in spiritu, & veritate.

℣. 2. QUIA [7] IPSE SUPER MARIA FUNDAVIT EUM, & SUPER FLUMINA PRÆPARAVIT EUM.] Hoc primum est dominii ipsius in omnes terras nomen. Elevavit faciem terræ super aquas; eam creavit, & super aquas constituit. Velut ex abyssi sinu, ut Psalmista alibi locutus est [8], terram, ac montes eduxit: Tellus Fundamenta sua, ac radicem habet in aquis; primum usquequaque hoc elemento obruta fuit, ac submersa; inde mox omnipotens Domini manus illam eduxit, dissipavit aquas, easque in abyssos congessit [9]. Vel eas omnipotentia sua cohibet, inhibetque, ne rursus terram inundent [10]. Hæc erat Veterum Hebræorum idea, qui terram, veluti fluitantem, atque innatantem aquæ arbitrabantur, eodem ferme pacto, quo Insulæ quædam in magnis lacubus innatare dicuntur, quin suo pondere, sua magnitudine, & gravitate in imum ferantur. Hanc S. Chrysostomus in Catena telluris sibi finxit imaginem, quod maximis, & merito, omnipotentiæ Creatoris miraculis adnumerat, terram scilicet adeo solidam, gravemque per tot sæcula subsistere, quin vel pondere inani subsidat, vel in limum redigatur, continenti aquarum attactu, vel dissipetur, & corrodatur aquæ vi, illam undique circum, ac subtus ambientis.

Nolim tamen omnes sententiæ hujus partes adoptare, neque asserere, non sine miraculo terram, & aquam simul subsistere. Mundi systema apud Hebræos veteres longe procul dubio imperfectius erat, quam illud, quod Recentiores Philosophi commenti sunt. Nequaquam hic tamen ad examen vocaverim illorum sententiam, ad quos Scriptores sacri loquebantur, & quorum præjudiciis se se submittere debebant, ut ab ipsis intelligerentur: quærimus dumtaxat, quænam esset, ne sacris Auctoribus, præter mentem illorum, verba appingamus, illis commodantes ea Philosophiæ systemata, quæ ne de facie quidem noverunt. Alibi etiam Scriptura testata est, terram aquis incumbere: Psal. 135. *6. Qui firmavit terram super aquas*. Jonas 2. 7. ait, se ad ima usque montium fundamenta descendisse eo tempore, quo in ventre piscis delituit: *Ad montium extrema descendi*: Et Sapiens Prov. 8. 29. inter maximos potentiæ Domini effectus illum enumerat, quod scilicet ita libraverit terras, ut in medio aquarum permanerent: *Quando legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ*. vete-

1 Athanas. Theodoret. Aug. Euthym. 2 Justin. Mart. Apolog. 2. & Dialog. cum Tryph. Nyssen. orat. de Ascens. Domini. Hieron. ad Damas. Chrysost. in Ascens. Domini, alii plerique, hic ad vers. 7. 8.
3 Rabb. Antiq. Kimchi, Abenezr. Muis. 4 1. Par. 22. 1
5 Rivet. Bossuet, du Pin, plerique alii. 6 August. Hieronym. Theodor. Euthym.
7 70. Aug. Euseb. Athanas. Psalt. Rom. Mediol. German. Carnut. &c. non legunt *Quia*.
8 Psal. 89. 2. Vide & Prov. 8. 24. 25. 9 Genes. 1. 9. & Psal. 103. 7. 10 Job. 38. 2. Prov. 8. 29. & Amos 5. 8. 9. 6.

Veteres quoque Poetæ nobis tellurem exhibent, veluti aquis, quibus undique circumambitur, innatantem: Manil. Astron. *l.* 4. A

Ipsa natat tellus Pelagi lustrata corona
Cingentis medium liquidis amplexibus orbem.

℣. 3. QUIS ASCENDET IN MONTEM DOMINI.] Postquam Creatoris magnitudinem, potentiamque repræsentasset, quærit, quisnam audebit coram ipso prodire, & quæ requiratur animi dispositio, ut quis se in Templum, sanctumque montem ejus offerat. Calamitas, quæ Bethsamitis acciderat 1. Reg. 6. 19. eo quod tantum detectam Arcam Domini viderant, & mors, qua Oza mulctatus fuerat, quod eam tetigerat 2. Reg. 6. 7. has terroris cogitationes obtrudebant; & præ exteris David perterritus fuerat, quoniam non ausus est statim Aream inferre in Tabernaculum, quod B ad id ipsum in ædibus regiis extruxerat, sed eam aliquandiu in Obededom domo reliquit.

℣. 4. INNOCENS MANIBUS, & MUNDO CORDE.] Ille, cujus actiones justæ sunt, & culpa vacant, qui manus suas fratrum cruore non imbuit, qui eorum bona non arripit, qui nec litem illis adjudicaturus, neque injustum aliquid patraturus, munera accipit; qui extrinsecus etiam juxta Legem Domini, & æquitatis rationem vitam instituit: *innocens manibus*; & ille, qui cor habet a pravis cupiditatibus, improbis studiis, odio, hypocrisi, invidia alienum, ille, cujus fides recta est, & vivendi ratio sine macula.

QUI NON ACCEPIT IN VANO ANIMAM SUAM, NEC JURAVIT IN DOLO PROXIMO SUO [1].] Hæc loquendi ratio, *accipere in vano animam suam*, varie explicatur. Alii quidem; eam contemnere, negligere, non eam, quam meretur, curam impendere, non in eum, qui par est, usum convertere, non quærere solida, ac vera bona, quæ incorruptibili, æternaque natura illius digna sunt. Denique, ut verbo me expediam, qui peccatis animam suam confodit, *qui eam facibus peccaminum post baptismum maculavit*; hic accipit in vanum animam suam: *ille vero in vanum non accepit animam suam, qui bona opera agit*, ut ait S. Hieronymus; & qui ad inanes res, perituras, contemptibiles affectum suum non transtulit, ut docent S. Augustinus hic, Cassiodorus, & Theodoretus. C

Hebræus [2] aliter vertitur: *Qui non exaltavit frustra animam suam*; qui fastu minime intumuit, qui in rerum mundi hujus vanitate spem suam non collocavit: Vel: *qui non traduxit animam suam ad mendacium*. Vox eadem, quæ vanitatem, falsitatem quoque, & mendacium significat. Alii: *Qui non pejeravit per animam suam*, per vitam suam; vel qui frustra juravit, dicens per vitam meam, vel moriar; qui verus est hujus loci sensus. Hebræi passim per suam, vel per illius, quem alloquebantur, vitam, jurare consueverant. Hinc illæ rationes loquendi [3]: *Vivet anima tua, Rex, si novi*; Vel, *vivit Dominus, & vivit anima tua* [4] &c. S. Paulus 2. Cor. 1. 23. *Ego testem Deum invoco in animam meam*; & ipse Dominus Deut. 32. 40. *vivo ego in æternum*; & Amos 6. 8. *Juravit Dominus in anima sua*; & in Jeremia 51. 14. *Juravit Dominus per animam suam*. Accipere animam suam in vanum, eadem locutionis species est, *ac accipere nomen Dei in vanum*; sed hæc, per Dei nomen pejerare, significat; & illa ergo per vitam suam pejerare, debet significare [5]. D E

Sunt, qui ad Deum hoc ita referant: *Qui non accipit in vano animam suam*, aut vitam suam; hoc est vitam Dei. Qui non frustra, nec falso dicit: Vivit Dominus. At sensus hic nimis violentus est. Nonnulli reddunt: *Qui non accepit animam meam in vanum*; perinde ac Deus de se loqueretur. Hebræa quædam exemplaria hanc legendi rationem sequuntur, quæ præ superiori minus adhuc videtur accommoda. Deus hic mendacium ac perjurium prohibet: *Qui non pejeravit per vitam suam, & qui non juravit doloso proximo suo*. Hebræus non legit proximo suo, verum sensus postulat, ut suppleatur.

℣. 5. HIC ACCIPIET BENEDICTIONEM A DOMINO &c.] Videtur David in præcedentibus versiculis elogium Obededom contexisse, qui domi suæ Arca Domini excepta, a Deo benedictionibus, ac muneribus auctus fuit [6]; quod cum Rex intellexisset, nequaquam veritus est, quominus in Tabernaculum ab se ædificatum, Arcam Domini inferret. Agnovit enim Deum peccatoribus solum, audacibus, atque protervis esse terribilem; e contra vero suas large, effuseque benedictiones illis erogare, qui, uti Obededom, a simplicitate, innocentia, & justitia minime deflectunt. Hebræus [7] pro, *accipiet benedictionem*, legit: *accipiet justitiam*. Sed hic, non secus ac alibi passim in Scripturis [8] *Justitia* idem est ac *misericordia*; & significat justum bonorum præmium, Dei erga illos protectionem, ultionem, quam de illorum hostibus sumit, justitiam, quam illorum meritis reddidit, quæ omnia simul in Deo sunt justitia, & misericordia. Cum nostra coronat merita, sua coronat munera, cum nobis præmium tribuit, suas gratias remuneratur. Vide Theodoretum hic, & Augustinum pluribus in locis.

℣. 6. HÆC EST GENERATIO QUÆRENTIUM EUM.] His virtutibus nitescere debent, qui ad Domini templum accedunt, & qui coram ipso se se offerre contendunt. Hæc est eorum, quæ dicta sunt, conclusio, virtutum scilicet eorum, qui Domini benedictionem aucupantur, & honorem exposcunt coram ipso prodeundi. Hoc nobis exhibebat specimen illorum, qui futuri erant veri Christiani [9], servi Fideles Altissimi, veri adoratores in spiritu, & veritate. Hebr. [10] *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem tuam*, o Deus *Jacob*! vel illorum e Jacob, qui faciem suam quærunt, qui veri sunt Israelitæ. Talis esse debet populus tuus, populus Jacob, qui in Templum tuum te confluunt adoraturi.

℣. 7. ATTOLLITE PORTAS, PRINCIPES, VESTRAS [11], & ELEVAMINI PORTÆ ÆTERNALES; & INTROIBIT REX GLORIÆ.] Principes Sion, primores e Ministris Templi, Sacerdotum Principes, Ministri domus Dei, aperite portas; En Regem gloriæ, qui adornat ingressum suum in Templum; advenit Arca illa summa veneratione dignissima, quæ sedes est Majestatis Altissimi. Vos autem, portæ æternales, sacræ valvæ, quæ æternum estis permansuræ, elevamini, & satis ingens aperite spatium, quo excipiatur triumphalis currus Dei exercituum, quem honoris ergo universus Israel subsequitur: Elevamini, dilatamini, latiores, altioresque, ut nihil ingredienti sit impedimento. Hæc dicebant præcursores Arcæ, cum ipsius in Salomonis Templum, vel in Tabernaculum Sion prænuntiabant adventum. Hæc apostrophe ad januas, & hoc imperium, ut sublimiores, majoresque fiant, nescio quid magnum, ac majestate plenum habet, quod mirifice triumphali pompæ convenit, in qua plerumque Rex victor elatiori eminet de curru, infinita populi, mili-

1 Tertull. lib. 2. adversus Marcion. legit: *Innocens & purus corde, qui non accepit in vanum nomen Dei, & non juravit ad proximum suum in dolo*. 2 נפשי, vel, לא נשא לשוא נפשי Hieronym. *Qui non exaltavit frustra animam suam*. 3 Vide 1. Reg. 1. 26. 17. 55. 20. 3. & 2. Reg. 11. 11. & passim.

4 Vide 4. Reg. 11. 2. 4. 6. 30. 5 Ita Kimchi, Muis. 6 2. Reg. 6. 11. *Benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus*. 7 ישא ברכה מאת יהוה וצדקה מאלהי ישעו 70. Οὗτος λήψεται εὐλογίαν παρὰ Κυρίου, καὶ ἐλεημοσύνην παρὰ Θεοῦ σωτῆρος αὐτοῦ. 8 Vide Psal. 4. 1. & 100. 1. Septuaginta passim vertunt צדק per Ἔλεος, *Misericordia*. Vide Isai. 56. 1. Ezech. 18. 19. 21. vel per Ἐλεημοσύνη, uti hic. Et Deut. 6. 25. 24. 13. Psal. 32. 5. 102. 6. Isai. 1. 27. 28. 17. 59. 16. Daniel. 4. 24. 9. 16. 9 Hieronym. hic.

10 זה דור דרשיו מבקשי פניך יעקוב Aquil. Sym. 5. & 6. Edit. . . . . Πρόσωπόν σου Ἰακώβ.

11 Tertull. Scorpiac. pag. 491. August. hic. Psalt. Sancti German. *Principes vestri*. 70. Ἄρχοντες ὑμῶν.

militumque turba stipatus. Hebræus [1] magis adhuc locutionis hujus vim ob oculos ponit: *Elevamini capita, ianuæ templi; & elevamini, portæ æternales, ut Rex gloriæ ingredi possit.*

Cum Isaias Propheta[2] Dominum in Templo conspexit, animadvertit, ad sonum vocis Seraphim clamantium, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *superiorem ianuæ partem commotam fuisse*, vel elevatam, ut reddunt Septuaginta [3], ut quodammodo latior Domino, & curtui illius pateret introitus. Amos 8. 3. & 9. 1. nobis exhibet Dominum super altare Templi sui insidentem, ac jam jam erupturum adversus hostes suos, ac Angelis, qui circum aderant, dicentem: *Percute cardinem, & commoveantur superliminaria*, & quodammodo eleventur, ut ultionum Dominus egrediatur. Hic vero Deus exercituum in Templum suum triumphans revertitur. B Hæc autem pro litterali, historicoque sensu, quem David, vel Salomone imperante, vidimus adimpletum.

Ecclesiæ Patres, & Ecclesia eadem in officio suo, omnibus sæculis hæc verba intellexere, perinde ac Salvatoris Ascensionem significarent. Hæc loquendi ratio: *elevamini, portæ æternales*, naturaliter menti ideam adstruunt portarum cœli, mansionis illius æternæ, quæ aperiuntur, non uti valvæ consuetæ, vel impellendo, vel attrahendo; sed sursum extollendo, quemadmodum concipimus, eventurum, si Cœlum, quod nostro imminet capiti, duplices, ingentesque valvas recluderet, aditum exempli gratia Christo Jesu in Cœlum ascendenti, vel Eliæ igneo curru rapto daturum. C Homerus Iliad. 8. ait, horas, quibus Cœlorum januæ cura est demandata, portas vel aperire, vel claudere, semoventes, vel admoventes nubes illas, quæ Cœli veluti portæ sunt, atque obices. Verum hic rem aliter nobis fingimus, ut dictum est; Jesus Christus post gloriosam Resurrectionem suam victor mortis, peccati, ac dæmonis, opulentas de Inferno referens manubias, Sanctorum Patriarcharum animabus, & innumeris angelis stipatus, ad Cœlum ascendit. Præcedunt quidem ad januas angeli, atque ad eos, qui intus portæ custodes assidebant, angelos, conversi elata voce clamant, ut portas aperiant, atque elevent; Rex enim gloriæ triumphans advenit, in Regnum suum ingressurus. Angeli, qui in Cœlo aderant, ad nuntium hoc admiratione perciti, sciscitantur; quis est iste Rex gloriæ? sed, qui foris urgebant, hunc exercituum esse Deum, D Omnipotentem Dominum, responderunt, ac festinarent proinde æternales portas attollere, ut Rex gloriæ magnificas ædes suas ingrederetur. Hæc figura sermonis est, quæ mirum in modum huic quadrat argumento, atque omnibus nominibus insignis facti hujus fidem facit [4].

℣. 8. QUIS EST ISTE REX GLORIÆ?] Hæc est angelorum, qui in Cœlo aderant, responsio, & qui, uti Patres nonnulli censent [5], nondum Jesum Christum nostra indutum humanitate, ac in humillimo Incarnationis illius, & vitæ ejus in terris doloribus omnibus cumulatissimæ statu cognoverant. Inter alios huic favet sententiæ S. Hieronymus in Isaiam. Verum in A Commentario suo in hunc Psalmum [6] ait; bonos angelos ad malos, eorumque Principem, Dæmonem scilicet, clamare, ut suas portas aperiant, timorem nempe, & cupiditatem; malos vero angelos illis respondere: quisnam hic esset Rex gloriæ? Non alium Regem novimus, præter dæmonem, hic Caput nostrum est, hic Rex noster. Angeli boni tunc addidere: Rex gloriæ, de quo loquimur, est Deus fortis, & potens, qui Principem vestrum vicit, & in vincula conjecit. Auctor Commentarii in Epistolam ad Ephesios [7], qui S. Ambrosii nomine circumfertur, ait, bonos angelos pravis, qui in aere effusi sunt, vel servis eorum, qui sunt in terra, suadere, *ut elevent portas suas*, hoc est ex corde suo dæmonem Regem suum abjiciant: malos vero angelos proterve illis respondere: Quis igitur hic est Rex gloriæ, de quo loquimini?

Patres alii, veluti S. Athanasius, credebant, sanctos viros, & Patriarchas, qui ascendentem Jesum Christum subsequebantur, clamasse ad angelos cœlestis januæ custodes, ut aperirent Regi Gloriæ, Jesu Christo, qui devictis hostibus, & opero perfecto, quod sibi a Patre fuerat demandatum, triumphans revertebatur. Postremo huic sensui adhærendum est, vel illi, qui asserit, bonos angelos, qui Jesum Christum comitabantur, admonuisse alios angelos Cœli janitores, ut Regi gloriæ introeunti patefacerent januas. S. Hieronymus quartum sensum proponit; perinde ac angeli boni Jesum Christum ad inferos descendentem subsecuti, dicerent animabus, quæ ibi detinebantur, ut januas attollerent, ac illinc egrederentur; dæmon enim jam confossus erat, & victus.

DOMINUS FORTIS, & POTENS: DOMINUS POTENS IN PRAELIO.] Verbo: *Deus exercituum*; vel uti versiculo decimo appellatur, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. Deus Israel sæpius hoc vocatur nomine, Deus exercituum; & Israelitæ suum propugnatorem Deum Jacob habentes, & Arcam illius in exercitu suo possidentes, victoriis adeo assueverant, ut nihil illis adeo mirum esset, atque insuetum, quam vinci. Numquam ex illis vel levem aliquam retulere victoriam, nisi prius illi alicui infidelitatis sceleri essent obnoxii: quod liquido innotuit Josue imperante apud Hai post furtum ab Achan patratum Josue 7. 5. & Summo Sacerdote Heli in Israel imperium obtinente, cum Hebræi a Philisthiim fusi, fugatique, crediderunt tutiorem viam ad victoriam de hostibus referendam, esse, Arcam Domini in castra afferri 1. Reg. 4. 3. Ignorabant autem, Dominum adversus filios Heli ira esse succensum. Ad Dei exercituum in castra Israel adventum Philisthiim perterriti, *quis nos salvabit*, clamabant, *de manu Deorum sublimium istorum*? Fatetur Achior in Judith 5. 24. Israelitas, quoad pii sunt, ac fideles, invictos esse. Hæc erat tum Judæorum, tum alienigenarum opinio; & hac de causa Dominus exercituum, ac victoriarum Deus vocabatur; quæ speciosa nomina præsertim post ejus Resurrectionem, ac in Ascensione ipsius conveniunt, cum mortem, peccatum, dæmonemque devicit, ac reparavit injuriam, quam hominis inobedientia ipsius Patri attulerat.

---

1 שאו שערים ראשיכם והנשאו פתחי עולם ויבא מלך הכבר Aquil. Ἄρατε, πύλαι, κεφαλὰς ὑμῶν. Καὶ ἐπάρθητε ἀνοίγματα αἰώνια. Sym. Μετάρατε πύλαι, οἱ ἄρχοντες ὑμῶν, ὑψώθητε δὲ αἱ πύλαι αἰώνιοι. Uti Vulgata.

2 Isai. 6. 4. וינעו אמות 3 70. Καὶ ἐπήρθη τὸ ὑπέρθυρον. 4 Theodoret. Euseb.

5 Justin. Dialog. cum Tryphone, pag. 255. Vide & Hieronym. in Isai. 63. Et Juli. Firmic. *Hoc Angelis nescientibus imperatur; neque enim scire potuerunt, quando Verbum Dei descendit ad terram.*

6 Hieronym. hic. *Tollite portas, &c. Vox Angelorum bonorum ad angelos malos, quoniam princeps Diabolus est. . . . Quis est iste Rex gloriæ? Vox malorum Dæmonum, ac si dicerent: Nos nostrum Regem habemus Diabolum, &c.*

7 Ambrosiaster in Ep. ad Ephes. cap. 3.

C A-

PSALMUS XXIV.

Afflicti hominis oratio. Misericordia, & veritas Domini non desunt umquam sperantibus in eum.

In finem, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

IN FINEM, PSALMUS DAVID. Hebræus simpliciter legit: *David* [1]. Septuaginta [2], & vetera quædam Psalteria: *Psalmus David*. Operæ pretium est minuta hæc accurate persequi; inde enim generales quædam erui possunt inductiones pro titulorum Psalmis appositorum auctoritate. Hebræi quædam habebant carmina acrostycis versibus concinnata, quorum singuli ex singulis juxta alphabeticum ordinem litteris inchoabant. Septem id genus in Psalterio inveniuntur [3]. Psalmus hic primus ex acrostycis nobis occurrit. De usu, & fine carminum hujus generis, non satis convenit apud Rabbinos. Kimchi tenet, hac arte cantica ea, quæ grave aliquod argumentum pertractabant, fuisse composita: alii putant, hæc ita eo tantum consilio fuisse elaborata, ut eorum memoriæ consuleretur, qui eadem in choros recinenda vellent perdiscere: alii vero hac in re non deesse putant aliquem veteris musicæ leporem, qui nos hodie fallit.

Grotius, uti moris est, audacter asserit, hoc factum in gratiam adolescentulorum, qui abecedaria elementa perdiscerent. Sensus in id genus carminibus minus belle, quam in aliis, contextus est, atque sibi cohæret; plerumque enim singuli versus recentem sententiam incipiunt. Quædam adest ordinis perturbatio in ℣. 2. 5. 18. & 22. Psalmi hujus [4]. Verum levi negotio restituitur ordo, si versiculus secundus per ea verba inchoetur: *In te confido, non erubescam*; quintus vero per illa: *& doce me*; ac initio duodevigesimi addita voce *Kum, exurge, & vide*: tandem in unum redigendo versiculos 21. & 22. vel 22. versiculum in sequentem Psalmum rejiciendo; vel denique postremum hunc versiculum veluti extra opus, & tamquam orationem, quæ pro Psalmi totius conclusione inserviat, sumendo. Vide similem omnino locum in Psalmo 33. qui non secus ac præsens, alphabeticum ordinem servat. Cæterum hinc licet conjicere, quam parum caute, & caste Judæi servarint Textum sacrum, Psalmorum præsertim, qui ex universa Scriptura difficillimus est, & cujus exemplaria, quæ hodierna hac die extant, præ veteribus, quibus Septuaginta, ac ipse S Hieronymus usus est, pluribus in locis mendis diffluunt.

Quoad Psalmi hujus occasionem, nihil certum potest afferri. Parum ferme interest illumne referas ad David, a Saule, & Absalone [5] exagitatum, an ad Babylonis captivos [6]. Qui illum explicant de David ab Absalone ejecto, credunt magnum hoc scelus, cujus veniam Propheta petit ℣. 11. esse illius cum Bethsabee adulterium, & cædem Uriæ; cui sensui magis adhuc favet ℣. 21. quoniam ait, bonos, ac innocentes in partes suas concessisse. In toto Psalmi decursu Domini veritatem, & misericordiam commendat, suamque in ipsum collocat confidentiam; qui characteres adamussim David a proprio filio vexato conveniunt. Verum liquido etiam apparent sensus populi captivi, atque injustis, plurimisque hostibus obruti; qui peccata sua fatetur, ea lacrymis abstergere nititur, omnemque spem in Deum suum confert.

Denique, si tamquam Psalmi hujus pars admittitur postremus ℣. *Libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis*; hoc designabit potius Prophetam liberationem omnium malorum nationis suæ efflagitantem, quam Regem propriam dumtaxat libertatem cupientem. Id vero quod affertur, tamquam Davidi ab Absalone exagitato conveniens, aliter in Hebræo textu legitur: *Rectitudo, & innocentia mea servabunt me, eo quod speravi in te*; pro: *Innocentes, & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te*. Patres psalmum hunc explicant veluti Ecclesiæ ad JESUM CHRISTUM, vel JESU CHRISTI ad Patrem suum, vel fidelis, & afflictæ animæ ad Deum, liberatoremque suum Orationem. Optio tibi relicta est, ut quem mavis ex diversis hisce systematibus eligas; non enim ullum est, quod probari non possit. Illud nos tamen sequemur, quod id de captivis Babylonis intelligit.

1. AD te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non eru-
bescam: 2 Neque irrideant me inimici mei: etenim universi, qui susti-
nent te, non confundentur. 3 Confundantur omnes iniqua agentes, su-
pervacue. 4 Vias tuas, Domine, demonstra mihi: & semitas tuas edoce me. 5
Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus salvator meus, & te susti-
nui tota die. 6 Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & misericordiarum tua-
rum, quæ a sæculo sunt. 7 Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memine-
ris. 8 Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam,
Domine. 9 Dulcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in
via. 10 Diriget mansuetos in judicio: & docebit mites vias suas. 11 Universæ viæ
Domini, misericordia, & veritas, requirentibus testamentum ejus, & testimonia ejus.

1 לדוד Ita & Euseb. Τῷ Δαυὶδ, & apud eum alii Interpretes: Τῷ Δαυὶδ. 2 Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ. Psalter. Carnut. utrumque: *Psalmus David*. August. & Theodoret. *In finem Psalmus David*.

3 Idest Psalmi 24. 33. 35. 110. 111. 118. 144. 4 Secundus incipit per Aleph א, & debet incipere per Beth ב. Sextus incipere debet per Vau ו. Decimus octavus esse debet ק Coph, & est ר. Denique 22. est פ *Phe* extra locum suum; nam ultima alphabeti litera est ת Thau. 5 Muis, Ferrand. du Pin, Theodoret. Nicephor.

6 Origen. & Athanas. apud Daniel. Barbar. & quidam apud Theodoret.

12 Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim. 13
Quis est homo, qui timet Dominum ? legem statuit ei in via, quam elegit. 14 Ani-
ma ejus in bonis demorabitur : & semen ejus hæreditabit terram. 15 Firmamentum
est Dominus timentibus eum : & testamentum ipsius, ut manifestetur illis. 16 Oculi
mei semper ad Dominum : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. 17 Respice
in me, & miserere mei : quia unicus, & pauper sum ego. 18 Tribulationes cordis
mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me. 19 Vide humilitatem meam,
& laborem meum : & dimitte universa delicta mea. 20 Respice inimicos meos, quo-
niam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me. 21 Custodi animam meam, &
erue me : non erubescam quoniam speravi in te. 22 Innocentes, & recti adhæserunt
mihi : quia sustinui te. 23 Libera, Deus, Israel, ex omnibus tribulationibus suis.

℣. 1. AD TE DOMINE, LEVAVI ANIMAM MEAM: DEUS MEUS IN TE CONFIDO, NON ERUBESCAM [1].] In tristi, ubi versor, statu, Deus meus, humillime agnovi, me a manu tua afflictari, & coram te scelera mea confessus sum; & licet tuo præsidio, atque patrocinio prorsus indignus, tamen ad te confugi : omnem spem meam in te collocavi : ne sinas, Domine, ut mea excidam spe; exaudi preces meas; ex diutina captivitate hac, in qua jampridem mœrore conficior, eripe me.

Levare animam ad aliquid, nonnumquam illius flagrare desiderio significat. Exempli gratia Jerem. 22. 27. *Et in terram, ad quam ipsi levant animam suam, ut revertantur illuc, non revertentur*, ad quam redire ardentissime exoptant; & ; *Sed eadem die reddes* mercenario *pretium laboris sui, quia ad illud elevat animam suam*. Deut. 24. 5. Illud sollicite expectat, cum aliunde non habeat, unde vivat. Hæc eadem locutio nonnumquam significat, elevare cor, mentemque suam, suas collocare spes, Deo suas preces effundere. Exempli gratia Thren. 3. 41. *levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in Cœlos*. Hoc autem in loco in utroque sensu potest intelligi : *Domine, ad te levavi animam meam* : ad te per orationem meam confugi; vel summopere te possidere, te videre, uti alias, in tuo Templo desidero.

℣. 2. NEQUE IRRIDEANT ME INIMICI MEI.] Chaldæi quotidie per opprobrium, ne petant a me; ubi est Deus tuus ? ubi speciosæ spes tuæ ?

℣. 3. QUI SUSTINENT TE [2], NON CONFUNDENTUR. CONFUNDANTUR OMNES [3] INIQUA AGENTES SUPERVACUE [4].] Eos, qui promissionum tuarum præstolantur effectus, sua non frustrabitur expectatio. Sed e contra, qui scelus patrant *supervacue* [5] ex cordis hilaritate, ac simpliciter, ut ex male factis voluptatem percipiant, hi quidem confundentur. Chaldæi, qui omnia sibi fas esse arbitrantur, atque contra nos per summam impotentiam suis utuntur viribus, quin te sceleribus suis lacessere vereantur, quamprimum se a te derelictos agnoscent, ac potentioribus hostibus traditos, qui ultionem ab illis exposcent propter injurias, & contumelias, quibus affecere innocentes. Si legimus : *Confundantur*, intelligi debet; velut Prophetia, vel comminatio, non autem tamquam votum; inquit S. Hieronymus : *Non optando, sed prophetando dicit*. Hebr. [6] : *Qui frustra violant fidem*, perfidi, prævaricatores [7] *confundentur*. Qui sine causa nos conviciis lacessunt, & opprimunt, tandem erubescent, ac in squalore jacebunt.

℣. 4. VIAS TUAS, DOMINE, DEMONSTRA MIHI.] Fac, ut viam Mandatorum tuorum agnoscam; edoce A me Legem tuam; fac, ut per vias tuas, vias illas, arctas adeo, parumque cognitas incedam [8]. Plurimi vias tuas, ac veritates tuas mentis acie consequi putant: sed quotus est, qui veram earumdem teneant exercitationem ? Eusebius, ac Theodorus Heraclæensis per has vias secreta Providentiæ Domini intelligunt. Inter dolores nostros, Domine, consolabimur, si Providentiæ tuæ nobis arcana, & abdita de Justis, injustisque decreta retexeris; quando, & quomodo hos punies, illos remuneraberis; non enim fieri potest, o Justitiæ Deus, ut impietas semper triumphum canat, & justus ad finem usque in dolore versetur. Aliter; scio, Domine, quod *omnes viæ tuæ misericordia, & veritas* [9] erga illos, qui tuas Leges observant, qui Justitiam tuam quærunt, ac sperant in te. Verum est, ma- B gna esse peccata mea, & hæc magnos ponere obices gratiæ tuæ : ast memento, Domine, misericordiarum tuarum, parce mihi, dele iniquitates meas, fac, ut constantis clementiæ tuæ effectus experiar; ea adimple, quæ nobis promittere dignatus es, futurum ut nos de hoc liberes jugo captivitatis; Verbo, *Fac, ut cognoscam vias tuas*, & experiar *misericordiam, ac veritatem tuam*. Vide Ferrandum.

℣. 5. DIRIGE ME IN VERITATE TUA, & DOCE ME.] Fac, ut videam effectus veritatis tuæ, & certitudinem promissionum tuarum : libera me de captivitate juxta ea, quæ per Prophetas tuos prædixisti. Obstruere possimus os hostibus nostris, probationes veritatis Dei nostri, ac fidei promissionum illius, efflagitantibus. Ostende te meum esse liberatorem, ac salvato- C rem, quoniam omnibus diebus vitæ meæ te sum præstolatus : *Quia tu es Deus Salvator meus, & te sustinui tota die*.

℣. 6. REMINISCERE MISERATIONUM TUARUM, QUÆ A SÆCULO SUNT [10].] *Veritate*, ac fidelitate Domini commendata, hic de illius loquitur *misericordia*; in toto enim Psalmi hujus decursu jugiter duobus his Dei attributis inhæret. Hæc omnium petitionum suarum est causa. Tu semper infinite misericors erga populum tuum fuisti; eum benedictionibus, ac miserationibus tuis prævenisti; te illi auxilium laturum spondere dignatus es, cum ad te supplex confugeret; centies illi potentiæ tuæ effectus exprompsisti. Num tui nos sumus, minus quam Patres nostri; vel mala nostra minorane sunt malis eorum ? Memento igitur miseratio- D num tuarum, tuarumque promissionum reminiscere, atque nos de diuturna, acerbaque servitute libera.

℣. 7. DELICTA JUVENTUTIS MEÆ, & IGNORANTIAS MEAS, NE MEMINERIS.] S. Augustinus, & vetera quædam Psalteria legunt [11] ; *Delicta juventutis meæ, & ignorantiæ meæ*. Ne memineris Domine, *flagitiorum* ado-

---

1 70. Complut. Theodoret. Euthym. addunt ; Εἰς τὸν αἰῶνα. *In æternum*.
2 August. Psalter. Roman. Mediol. Carnut. S. German. *Qui te expectant*. Hebr. כל קויך
3 *Omnes* : Vox hæc neque in Hebræo, neque in 70. neque in veteribus Psalteriis legitur.
4 August. *Inique facientes vana*. Psalt. Rom. *Iniqua facientes vane*. Arnob. & Psalt. Carn. *Iniqui facientes vana*. Mediol. *Iniqua gerentes supervacue*. 5 Hebr. ריקם Hieronym. *frustra* ; alii, *gratis, abs re, sine causa, absque fructu, malitiose, temere*. Græc. Διακενῆς. Athanas. legit ; Διηνεκῆς. *Indesinenter*.
6 יבשו הבוגדים ריקם 7 70. Ἀνομοῦντες διακενῆς. Alii, Ἀθετοῦντες.
8 Athanas. Didym. August. Hieronym. 9 Vide vers. 10. 10 August. *Qui a sæculo sunt*. Ita 70. Ὅτι ἀπὸ τοῦ αἰῶνός εἰσι. 11 Psalter. Roman. Germ. Carnut. 70. Ἁμαρτίας νεότητός μου, καὶ ἀγνοίας μου.

adolescentiæ meæ ; ac ignorantiæ meæ . Adolescentiæ delicta ea sunt, dum inconsultæ, ferventis, vehementisque juventutis ardor viget : *Confidentis audaciæ delicta*, ea S. Augustinus appellat : *peccata* vero *ignorantiæ* ea sunt, quæ ob prudentiæ, vel attentionis defectum patrantur. S. Hieronymus priora ea intelligit, quæ ante Baptismum fiunt, posteriora vero illa, quæ quis salutari ablutus Sacramento committit. Alii tamen censent, Psalmistam unum, & idem innuere ; videlicet adolescentiæ peccata, nomine delictorum juventutis, & ignorantiæ.

Sunt, qui id de originali peccato intelligant, ac de illis, quæ ante perfectum rationis usum admittuntur, Hebr. [1] *Ne memineris delictorum juventutis meæ, ac transgressionum*, prævaricationum *mearum*. Adolescentiæ finis, quoad ætatem, apud Hebræos minime constitutus est, & adolescentis nomen sæpe hominibus ætate provectioribus tribuitur. Hoc in loco peccata juventutis, & prævaricationes, synonima esse possunt ; sæpius enim altera versiculi pars alterius est repetitio : Vel ea sibi adversantur, ita ut priora illa innuant peccata, quæ ante maturam ætatem patrantur ; posteriora vero illa, quæ stata jam ætate fiunt, cum homo magis per ætatem ad ea animum advertere potest. Nihil tamen absolute hac in re decidere licet.

℣. 9. DULCIS, & RECTUS DOMINUS; PROPTER HOC LEGEM DABIT DELINQUENTIBUS IN VIA.] Deus peccatoris mortem non vult, neque illum ad se revertentem umquam rejicit ; sed extenta semper habet brachia, eos, qui convertuntur, benigne excepturus ; immo eos invitat, ut sua velint uti clementia, eis Leges tribuit, eisque ea suppeditat adminicula, quibus easdem servare valeant [2], auctore S. Augustino. Suavissimus quidem est, sed simul æquissimus. Si diu distulit pœnam, si magna usus est miseratione ; extrema quoque in Judicio suo utetur severitate adversus illos, qui ipsius beneficia contempserint. S. Hieronymus ita explicat : Suavis est Dominus, æterna nobis præmia promittens ; rectus est, cuicumque reddens secundum opera singulorum ; peccatoribus, qui in hujus vitæ via ipsum lacessunt, Legem charitatis impertit, quæ Deo nos conciliat, imperans, ut aliena scelera, quæ in nos admissa fuere, condonemus. Hebr. [3] *Dominus est bonus, & rectus : idèo edocebit peccatores in via*. Non deseret illos, sed eam illis aperiet viam, quam sequi debent, ut revertantur ad ipsum.

℣. 10. DIRIGET MANSUETOS IN JUDICIO : DOCEBIT MITES VIAS SUAS.] Dominus summopere clemens, atque misericors nemini opem suam denegat. Nemo perit, nisi qui perire vult. In vias justitiæ deducit consulentes se cum humilitate, vel se recto corde inquirentes. Miserere mei igitur, Domine, audi preces meas, parce peccatis meis, ex hoc squalore me libera.

℣. 11. UNIVERSÆ VIÆ DOMINI MISERICORDIA, & VERITAS REQUIRENTIBUS TESTAMENTUM EJUS &c.] Vel [4] observantibus Leges fœderis sui, & præcepta, quæ ipse proposuit populo suo. Misericordia, & veritas Domini nulla umquam hominum nequitia, vel arctantur, vel infirmantur [5] ; sed ex causis sapientiæ, justitiæque suæ perspectis, non æque omnibus Deus earum effectus impertit. Qui Leges ejus, sanctumque fœdus illius pedibus obterunt, donec eo in statu pertinaciter jacuerint, justos vereri debent illius severitatis effectus. Qui illi fideles sunt, & accurati Legum ejus observatores, in ipso *misericordiam, & veritatem* invenient, hoc est, prævenientem bonitatem, constantem, atque fidelem, in promissionibus ejus explendis ; Præveniet eos benedictionibus suis, & pro illis, quæcumque spopondit, exequetur. En quomodo agat Deus : ab hac lege numquam discedit. Scriptura universa prædicat de misericordia, & veritate Domini ea, quæ modo dicta sunt [6]. S. Augustinus misericordiam, & veritatem de duplici J. C. adventu interpretatur. Prior quidem in misericordia sua, ut homines salvos faciat ; alter in sua veritate, ut eos judicet, & puniat. Nec longe abludit S. Hieronymus : misericordia, quia nos redemit ; & veritas, quia impios judicabit.

Fœdus, vel testamentum, & *præcepta* hoc in loco unum, idemque significant. Hebr. [7] *Fœdus, & testimonia*. Cum Dominus fœdus cum populo suo percussit, ipsos testatus est, Cœlum, ac terram adversus transgressores testes vocavit, illosque per ea omnia, quibus affici poterant, est obtestatus, ut fideles essent præceptis suis, pœnas illis intentavit, minas proposuit, ac promissionum suarum pignora tribuit. Hac de causa Leges Dei appellatæ sunt, *testimonia*, vel *justificationes*.

℣. 12. PROPTER NOMEN TUUM, DOMINE, PROPITIABERIS PECCATO MEO ; MULTUM EST ENIM.] Propter nomen tuum scilicet, non propter merita mea [8]. Peccatum hoc *multum* est originale, ut S. Hieronymo videtur. *Grande est generale peccatum, quod nisi Deus per Baptismum delere dignetur, aliter non abluetur*. Alii vero putant, esse adulterium David cum Bethsabee ; & alii Hebræum ita reddunt [9] : Propter gloriam nominis tui, parce peccato meo ; magnum enim est, vel multa enim scelera patravi : quod omnibus hominibus convenire potest, præsertim vero captivis Babylonis : nemo est, qui plurimorum flagitiorum fontem se fateri non debeat : *Delicta quis intelligit ?*

℣. 13. QUIS EST HOMO, QUI TIMET [10] DOMINUM ; LEGEM STATUIT [11] EI IN VIA, QUAM ELEGIT ? (℣. 14.) ANIMA EJUS IN BONIS DEMORABITUR.] Quinam Dei beneficia præstolari debet, & cujus posteritas pacata regionis possessione fruetur ? Quis est homo, qui timet Dominum, & illius Leges exercet ? Quis gloriari potest, se feliciter in Patrum suorum terras rediturum, ibique pacatam vitam traducturum, patriisque bonis fruiturum ? Qui timorem Domini rejiciunt, ac præceptorum ejus observantiam negligunt, ne putent se participes fore effectuum misericordiæ illius : ea enim ipsum metuentibus, ac diligentibus reservatur.

Hebr. [12] : *Quis est homo, qui timet Dominum ? Hic docebit eum in via, quam elegerit, anima ejus demorabitur in bono*. Aperiet Dominus voluntatem suam, timenti se ; dux erit illi eo in statu, quem elegerit. Quicumque ille sit, Deus utilia illi suppeditabit consilia, ut ad beatum finem perveniat, dummodo tamen electio illius ex Dei timore proveniat [13]. Aliter Deus ostendit illi viam, quam approbat : deducet illum per viam rectam mandatorum suorum. Vel juxta primum, quem proposuimus, sensum : *Quis est, qui timet Dominum, & cui Deus ostendit viam, quam probat ?* [14] *Hic felici omnis generis bonorum ubertate lætabitur*. Hoc commune est Israelitis omnibus privilegium, quod Legi Domini subsint ; verum non omnes illius timore coercentur, neque in via, qua insistunt, Deum ducem sectantur.

℣. 14. ANIMA EJUS IN BONIS DEMORABITUR.] In bonis scilicet vitæ hujus ; hæreditate Patrum suorum fruetur. In opima rerum omnium affluentia ad beatam usque senectutem versabitur. Hæc autem figura est Æternitatis, futurorum bonorum, ac terræ viven-

1 חטאות נעורי ופשעי אל תזכר 70. Ἀμαρτίας νεότητος, καὶ ἀγνοίας μου. Aquil. Ἀμαρτίας νεότητος, καὶ ἀθεσιῶν μου. Sym. Καὶ παραπτωμάτων μου. 2 Euseb. Athanas. Theodoret. ad vers. 13. Kimchi, R. Salom. Muis, Gen.
3 טוב וישר יהוה על כן יורה חטאים בדרך Aquil. Φωτίσει ἁμαρτωλούς. Sym. Ὑποδείξει ἁμαρτάνουσιν ὁδόν.
4 לנצרי בריתו ועדתיו 5 Hieronym. *Ipsa misericordia æquis est librata ponderibus*
6 Vide Theodoret. & Psalmum 61. 12. 13. 7 בריתו ועדותיו 8 Hieron. Aug. Theod.
9 למען שמך יהוה וסלחת לעוני כי רב הוא 70. Edit. Complur. Theodoret. Nicephor. Ἱλάσθητι. *Propitiare*. Edit. Rom. & alii ; Ἱλάσῃ τῇ ἁμαρτίᾳ μου. *Propitiaberis*. 10 August. Psalter. Rom. Mediol. S. German. *Qui timeat?* 11 Aug. Psal. Mediol. *Statuet*.
12 מי זה האיש ירא יהוה יורנו בדרך יבחר נפשו בטוב תלין 13 Vide Theodoret. hic.
14 Sym. ᾧ ὑποδείξει ὁδὸν ἣν ἐπιλέγεται. Aquil. Φωτίσει αὐτὸν ἐν ὁδῷ ᾗ ἐκλέξεται.

ventium, quam Israelitæ secundum spiritum, ac veri Fideles in altera vita præstolantur. Captivi Babylonis summam felicitatem esse arbitrabantur, si in patriam suam potuissent reverti. Perfecti Christi fideles in terris his se extorres, ac exules esse putant, solicite expectantes beatissimum illud tempus, quo in Cœlum, quæ ipsorum patria est, revertantur.

℣. 15. FIRMAMENTUM EST DOMINUS TIMENTIBUS EUM; & TESTAMENTUM IPSIUS, UT MANIFESTETUR ILLIS.] Eos destinat ad Legum suarum cognitionem. Hæc illis super cæteros homines est prærogativa, ut Domini fœdus agnoscant, ac in eo contineantur. Hæc eorum, qui veri Israelitæ sunt, est felicitas. Dominum metuunt; norunt, atque parent conditionibus fœderis ejus. Hebr. [1] *Secretum Domini est pro timentibus illum; & fœdus suum est, ut illud ipsis ostendat.* Nullum pro amicis suis secretum habet Deus: illis aperit fœdus suum, Leges, voluntates, suæque Providentiæ consilia.

℣. 17. QUIA UNICUS, & PAUPER SUM EGO.] Solus, omni ope destitutus, pauper, afflictus, nudatus. Tales erant Israelitæ in captivitate. Hebr. [2] *Ego sum unus*, vel solus *afflictus*. Septuaginta [3]: *unicus sum, & pauper*. Vide egestatem meam, eamque solitudinem, in qua versor.

℣. 18. DE NECESSITATIBUS MEIS ERUE ME.] Hebreus [4]: *Erue me de illa oppressione, in qua jaceo*, de captivitate, de servitute.

℣. 19. VIDE HUMILITATEM MEAM, & LABOREM MEUM.] Humiliatio mea, meusque dolor veniam exorent; utrumque veluti expiationis hostiam excipe.

℣. 20. ODIO INIQUO ODERUNT ME.] Chaldæi in nos velut hostes dæseviunt, & nos absque causa oderunt.

℣. 22. INNOCENTES, & RECTI ADHÆSERUNT MIHI.] Justorum nomine loquor: Eorum, measque simul preces, Domine, exaudi; miserere communis nostrum omnium infelicitatis. Hebr. [5] *Innocentia, & rectitudo servarunt me, quoniam expectavi te*; vel quod in te omnem spem collocavi. Innocentia, & rectitudo mea nihil mihi prodessent, si in me, meisque meritis confiderem; sed cum in uno te omnem fiduciam constituam, mihique persuadeam, me eam dumtaxat habere justitiam, atque pietatem, quam tu in me contulisti, confidentia mea nec fallax esse potest, nec temeraria.

℣. 23. LIBERA, DEUS, ISRAEL EX OMNIBUS TRIBULATIONIBUS SUIS.] Eripe illum ex tot malis, quæ patitur in captivitate, quæ quoddam est calamitatum omnium compendium. S. Augustinus, & antiqua Psalteria: *Libera me, Domine, Deus Israel, ex omnibus tribulationibus meis.*

---

1 סוד יהוה ליראיו ובריתו להודיעם Aquila, Ἀπόῤῥητον Κυρίου. Symmach. Ὁμιλία Κυρίου. 5. Edit. Μυστήριον Κυρίου τοῖς φοβουμένοις αὐτόν. 6. Edit. Κραταίωμα Κύριος τῶν φοβουμένων αὐτόν. Aquila, Καὶ τὴν συνθήκην αὐτοῦ γνωρίσει αὐτοῖς. *Testamentum*, seu *fœdus notum faciet eis*. Ita & Sym. 2 יחיד ועני אני
3 70. Μονογενὴς καὶ πτωχός εἰμι. Aquila, Μοναχός. Symmach. Μόνος. 4 ממצוקותי הוציאני
5 תום וישר יצרוני כי קויתיך

PSALMUS XXV.

Oratio Justi petentis, ut Deus sibi æquus sit Judex, ac de impiorum societate eripiat.

In finem Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Hebræus, Septuaginta, S. Augustinus, Eusebius pro Psalmi hujus titulo *David* tantummodo legunt. Interpretum plerique [1] credebant, hunc a Davide fuisse conscriptum, dum persequentem Saulem fugiens apud Philisthinos, vel Moabitas confugerat, ac illius inimici varias illius nomini calumnias adspergebant; ipsum exempli gratia principi suo rebellem, & Deo infidelem esse; idololatriæ, ac superstitionis alienigenarum, apud quos se recipiebat, consortem vocitantes. Deum hic testem vocat in oppositum, & ardentissime illius cupiditatis, qua conficiebatur, quam primum rursus Tabernaculum, & Domini Altare videndi. Veteres quidam [2] id referunt ad captivos Babylonis, qui Deo suo illud testantur desiderium, quo flagrant, primo quoque tempore in patriam suam remeandi, ibi Templi solemniis interfuturi, ibique Domino litaturi. Patres [3] Psalmum hunc explicant de Ecclesia, quæ persecutionum procellis jactata ad JESUM CHRISTUM se convertit, eumque testem invocat injustitiæ hostium suorum. Haberi quoque potest tamquam orationis formula, qua Sacerdotes, vel Levitæ utebantur, cum ad sacrum ministerium suum accederent, Deum testati, se ab omni injustitiæ genere abhorrere, atque omnem operam ad illius famulatum ex toto corde traducere.

Reor autem, ex hoc, & sequentibus duobus Psalmis unum dumtaxat fieri debere; vel saltem, eos tempore eodem, ac in idem argumentum fuisse compositos. Continent autem vota, ac preces Levitarum, quas Babylone captivi effundebant, ut in regionem suam reverterentur, ibique in Domini Templo suo munere fungerentur. Sunt autem veluti cohærens continuatio Psalmi 24. cujus postremus versiculus: *Libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis*, quem extra numerum esse diximus versuum acrostycorum componentium illum, ad unguem respondet argumento Psalmorum 25. 26. & 27. & his præsertim vocibus Psalmi 27. 9. *Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hereditati tuæ; & rege eos, & extolle illos usque in æternum*, & illis Psalmi 26. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium*; hoc est in terra Israel. Hæc verba sunt viri exulis, a patria sua extorris, & qui illam cupit, & illuc sperat se quamprimum rediturum.

Præterea Versiculi 6. & 7. Psalmi 25. apertam habent rationem ad versiculos 7. & 8. Psalmi sequentis. Hic ait Psalmista, nihil sibi optatius esse, quam videre pulchritudinem domus Dei, & quondam in sancto eo loco

---

1 Theodoret. Muis, Ferr. Flamin. alii. 2 Origen. Hesych. Heracleot. in Catena Barbari.
3 August. Athanas. Hieronym. alii.

loco vocem suam emittere Domini mirabilia enunciantem; sequenti vero Psalmo, se unum a Deo petere profitetur, hoc est ut in sancta domo illius permaneat cunctis diebus vitæ suæ, & obtutu decoris, & magnificentiæ Templi ejus fruatur. In Psalmo 25. 6. ait, se manus suas inter innocentes abluisse, ac se Domini Altare, ibique vocem suam elaturum; in Psalmo 26. 6. similiter ait, se Dei sui circumdaturum aram, ibique hostiam laudis immolaturum, & Cantica personaturum. In utroque de improbitate, vi, & calumniis inimicorum suorum conqueritur: sed Psalmo 25. ad judicium Dei provocare videtur, ob Chaldæorum calumnias, & probra; & Psalmo 26. majori securitate loquitur, perinde ac interius accepisset reditus sui promissionem. Prosequitur etiam in Psalmo 27. preces suas, ibique Deo gratias agit, veluti ex omni periculo ereptus, eumque rogat, ut salvet populum suum, ei benedicat, eumque multiplicet. Hoc compendium est, & argumentum trium horum Psalmorum.

1. JUdica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domi-
no sperans non infirmabor. 2 Proba me, Domine, & tenta me: ure re-
nes meos, & cor meum. 3 Quoniam misericordia tua ante oculos meos
est: & complacui in veritate tua. 4 Non sedi cum concilio vanitatis: & cum ini-
qua gerentibus non introibo. 5 Odivi ecclesiam malignantium: & cum impiis non
sedebo. 6 Lavabo inter innocentes manus meas: & circumdabo altare tuum, Do-
mine: 7 Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua. 8 Domi-
ne dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. 9 Ne perdas
cum impiis, Deus, animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam. 10 In
quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus. 11 Ego
autem in innocentia mea ingressus sum: & redime me, & miserere mei. 12 Pes meus
stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

℣. 1. JUDICA ME [1], DOMINE, QUONIAM EGO IN INNOCENTIA MEA INGRESSUS SUM.] Tu, Domine, testis es innocentiæ meæ, simplicitatis, & rectitudinis meæ [2]; judica Domine, suscipe causam meam, ulciscere me. Innocentis dumtaxat est animæ, ac æquitatem suam apprime intelligentis, ad Deum provocare. Hunc enim Judicem non favor flectit, non munera deliniunt, non affectus corrumpit, non error, ac ignorantia seducit. A

ET IN DOMINO SPERANS NON INFIRMABOR.] Non commovebor, non erubescam, non vacillabo [3]. Spero, te non passurum, ut ab hostibus meis exsuperer, neque spes mea me frustretur.

℣. 2. PROBA ME, DOMINE, & TENTA ME; URE RENES MEOS, & COR MEUM.] Quod tibi magis lubet, mei periculum fac Domine; traduc me per ignem, B quemadmodum metalla probantur; non vereor, te in me subdolum, vel fallax aliquid posse invenire; ego certus sum innocentiæ meæ, saltem in oculis hominum; nam coram te, Deus, quisnam se mundum esse gloriabitur? Aliter: Proba me, Domine, non ut noscas, qui sum, me enim plenius cognoscis, quam ipse ego me; sed ut ab aliis agnoscar, & detegar, quis sum [4]. Ure me afflictionum flammis, & a quovis corde, terrenoque affectu munda me. Hæc oratio in isto sensu apprime convenit Sacerdotibus Domini, ac Levitis, qui erant in captivitate. Statum hunc comparat rationi illi, qua per ignem metalla purgantur. Renes, & cor designant affectus, & cogitationes [5]. Ure eos igne Sancti Spiritus, eo igne, quem JESUS CHRISTUS in terras detulit, & quem vult, magis, semperque magis in nobis accendi, Luc. 12. 49. C

℣. 3. QUONIAM MISERICORDIA TUA ANTE OCULOS MEOS, & COMPLACUI IN VERITATE TUA.] Audeo dicere, Domine, nihil vereor, quod me probare velis; immo cupio tibi denudatum imum cordis mei detegere; confiteor tibi secretiora animæ meæ consilia, jugiter occupatus sum in obtutu misericordiarum tuarum fideique tuæ, qua tuas promissiones exequeris? Duplex hæc consideratio levamen fuit mihi in exilio meo, & consolatio in calamitate mea; aluitque eam observantiam, timorem, amorem, confidentiam, quibus erga Dominum meum affici debeo. Aliter: libenter me tuo judicio submitto, o Deus, eo quod in misericordia, & veritate tua confido. Sub tali Judice non vereor, ne vel calumniis obruar, vel injuste condemner.

Hebræus [6]: *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est semper, & ambulavi in veritate tua.* Jugiter animo meo reputavi magnitudinem misericordiæ tuæ, ac semper eam meditatus sum fidem, qua exples promissa. Hæc unica fuit consolatio mea in quovis statu vitæ meæ: dixi, Deus misericors non derelinquet sperantes in se, nec obliviscetur eorum, quæ crebro adeo pollicitus est servis suis, ut eos liberaret, & ex hac eriperet captivitate. Nonnulli ita explicant: mihi tamquam vivendi normam, misericordiam tuam, veritatemque proposui. In vitæ meæ ratione instituenda utramque imitari adnisus sum: ut mitis essem, clemens, atque misericors erga fratres meos, neque fallacibus verbis os illis umquam sublinirem.

℣. 4. NON SEDI CUM CONCILIO VANITATIS; & CUM INIQUA GERENTIBUS NON INTROIBO.] Textus hic per se patet. Hebræus paululum differt [7]: *Non sedi cum hominibus vanitatis*, vel mendacii; *neque ambulavi cum hominibus occultis*, hypocritis, fallacibus, dolosis, qui personam gerere solent. Id genus hominum consortia vitavi. Proprius Ministri Domini character est veritas, sinceritas, justitia. Non satis est vacuum esse a vitiis, quæ rectitudini, & æquitati adversantur; omnem etiam speciem, & suspicionem illorum evitare debet, & eorum societatem fugere, qui tales non sunt, qualem se ipse debet præbere.

℣. 5. ODIVI ECCLESIAM MALIGNANTIUM [8].] Hebr. [9] *Odi cœtum improborum*, impiorum, quorum attentio, ac studium jugiter in sceleribus occupatum est:

1 שפטני 70. Κρῖνόν με. Quidam, Κρινοῖς μοι. Scol. Hesych. 2 אני בתמי הלכתי Aquil. Ἐν ἁπλότητι. Sym. Ἐν ἀμωμότητι. 3 וביהוה בטחתי לא אמעד 70. Rom. Edit. Οὐ μὴ σαλευθῶ. Complut. Οὐ μὴ ἀσθενήσω. August. *Non movebor*. Psalter. Sancti Germ. *Non erubescam*. Hebr. *Non vacillabo*. Aquil. Οὐκ ἀτονήσω. *Non deficiam*. Symmach. Οὐ περιτραπήσομαι. *Non titubabo*.
4 August. 2. Exposit. *Ure delectationes, Ure cogitationes, igne verbi tui, calore spiritus tui.*
5 Hieron. hic. 6 כי חסדך לנגד עיני והתהלכתי באמתך
7 לא ישבתי עם מתי שוא ועם נעלמים לא אבוא 8 August. Psalter. Roman. & Carnut. *Odivi congregationem malignorum.* 9 שנאתי קהל מרעים

Odi cœtus Chaldæorum, superstitiones, idololatriam eorum; illorum consortium effugio, &c.

℣. 6. LAVABO INTER INNOCENTES MANUS MEAS, & CIRCUMDABO ALTARE TUUM.] Hebræi crebro manus suas abluebant, quemadmodum ex Evangelio innotescit [1]. Lavare manus suas inter innocentes, significat vitam traducere, & comedere una cum sociis, quorum vivendi ratio innocens est, & ab omni criminis suspicione seposita. Numquam illotis manibus mensæ accumbebant Matth. 15. 2. Dicebat David Psal. 100. 5. se noluisse cum iis comedere, qui *superbo* erant *oculo*, *insatiabili corde*. Psalmi Auctor ait, se mensam, & societatem Chaldæorum evitasse, & respuisse una cum ipsis comedere, & manus abluere, ne ex immundarum carnium, quibus illi vescebantur, usu coinquinaretur; sed eorum ex fratribus suis sodalitia quæsivisse, qui ab omni labe animam suam servarant, & qui, ut & ipse, Babyloniorum mensas effugerant. Tales erant Daniel [2] cum sociis suis, & Tobias [3], aliique nonnulli, qui nec carnes, nec merum Gentilium, inter quos versabantur, delibare voluerunt. Addit etiam, *& circumdabo Altare tuum*, quod scilicet eum tempore captivitatis suæ ab omni sorde, ac vitio abhorruerit, quondam poterit summa animi voluptate munere suo fungi in Templo Dei sui in Jerusalem; qui honor pollutis Sacerdotibus, atque apostatis denegatus est.

Judæi tunc quoque cum oraturi erant, & antequam in Templum ascenderent, manus suas abluebant. Aristæas asserit, Septuaginta Interpretes quotidie mane manus suas abluisse, & effudisse preces, antequam studio, ac Legis interpretationi vacarent: cumque ab illis percontarentur, cur nonnisi lotis manibus Deo vota sua nuncuparent, dicebant, actionem hanc innocentiæ suæ symbolum esse, & quemadmodum aqua exteriores sordes detergit, ita exteriorem hanc cæremoniam interiorem animæ puritatem designare. Hac facile mente Pilatus manus suas abluit, ut exterius ostenderet, se nolle subire pœnam ob effusionem Sanguinis JESU CHRISTI Matth. 27. 24.

Hebr. [4] *Lavabo manus meas in innocentia, & circumdabo Altare tuum*. Caste, integreque vivam; manus designant opera [5]; & me dignum præbebo, qui Altari tuo serviam. Nullam contraham sordem, quæ ab officii mei exercitatione me dejiciat. Nemo unus ignorat apud Judæos corporis pollutiones, vel eas, quas quis ex rei, vel personæ pollutæ, vel mortui attactu, vel in funeribus subibat, obfuisse, ne quis actu munere suo in Templo fungeretur. Idololatria vero, & participatio ad Idolorum sacra in æternum a Sacerdotii munere amovebat, quemadmodum ex Ezechiele c. 44. ℣. 12. 13. innotescit. Sacerdotibus, & Levitis, qui dignitatem suam, ac privilegia tueri cupiebant, sedula cura hæc omnia exteriorum sordium genera erant vitanda. Sacerdotes vero Legis novæ multo diligentius effugere debent, quidquid vel minimam immunditiæ maculam animæ suæ potest inferre; hæ enim omnes persecutiones, quibus Sacerdotes olim puritati suæ consulebant, symbola erant interioris innocentiæ, quam Deus a Ministris suis efflagitat.

℣. 7. UT AUDIAM VOCEM LAUDIS [6], & ENARREM UNIVERSA MIRABILIA TUA.] Summa cum innocentia, & puritate ad Altare tuum accedam, & ex Levitarum cantu laudes tuas prædicantium, & tua mirabilia recinentium, non mediocrem lætitiæ fructum percipiam. In Templo Domini, Sacerdotes soli sacrificia offerebant: Levitæ vero vel januis tuendis, vel Domini laudibus concinendis aut voce, aut musicis instrumentis vacabant, circum Altare Domini dispositi, dum interim Sacerdotes in eo solemnes victimas adolebant. Psalmi Auctor, vel ille, cujus sensus isthic exprimitur, juxta Hebraicum textum [7] ait, *se elevaturum vocem suam, ac magnalia Domini annuntiaturum* in Templo sancto illius, cum reversus fuerit de captivitate. Quod innuit, ipsum Levitam potius fuisse, quam ex ordine Sacerdotali.

℣. 8. DOMINE, DILEXI DECOREM DOMUS TUÆ, & LOCUM HABITATIONIS GLORIÆ TUÆ.] Sacerdos Domini summopere amare debet pulchritudinem domus Dei, unice, ac solide Ecclesiam diligere, illius partes tueri, ejus utilitati consulere, virtute, ac Sacerdotali constantia illius honorem defendere. Illud tamen, quod magis adhuc illius operam, nervosque requirit, est, ut omni cura adnitatur, ut in Fidelium cordibus regnet J. C. puritas doctrinæ illius, ac morum disciplina in ipsis servetur, utque ipse rationem vivendi ingrediatur dignam Deo, & sacro illius ministerio. Maxima, ac teterrima Ecclesiæ calamitas a nefariis ejus Ministris imminet. Si vero, & ex corde cœlestis hujus sponsæ decorem amarent, caverent sane, ne illam flagitiis suis, ac prava vivendi ratione dedecorarent. Hoc in loco, *decor domus Dei* apud Judæos Fœderis Arcam significare potest, cui sæpius nomen hoc a Scriptura tribuitur [8].

Hebræus simpliciter legit [9]: *Diligo mansionem Domus tuæ*, vel Templi tui, *& locum ubi habitat gloria tua*. Hic est Levita aliquis, vel Sacerdos, qui Domino profitetur, nihil sibi optatius esse, quam illi deservire posse, ac in sancto Templo illius permanere. Sacerdotes, ac Levitæ, per vices in domo Domini inserviebant. Illuc autem constitutis temporibus ex locis habitationis suæ se conferebant; cumque tempus effluxisset, quo munere suo fungi debuerant, quilibet in agros, vel urbes suas dilabebantur. Non deerant tamen, qui devotionis ergo, vel peculiari alia de causa perennem sibi in Templo sedem eligebant. Levitis, quibus bona hæc esset voluntas, permiserat Moyses, ut quolibet tempore retributionem suam in Templo perciperet, quin aliquid imminueretur eorum, si quæ forte patrimonii jure in urbe, vel in agro possideret Deut. 18. 6. 7. Videtur autem, Psalmi hujus auctor fuisse optaturus inter eos adscribi Ministros, qui sponte se se jugi Domini servitio addixissent. O utinam liceret mihi reliquum vitæ meæ cursum in Templo tuo, Domine, traducere, & unice tibi inserviendo vacare?

℣. 9. NE PERDAS CUM IMPIIS, DEUS, [10] ANIMAM MEAM, & CUM VIRIS SANGUINUM VITAM MEAM.] Ne moriar velut impii, & homicidæ illi, quos in ira tua, Domine, ante illorum tempus percutis. Hebræus [11]: *ne congreges animam meam cum peccatoribus, & vitam meam cum viris sanguinum*. Ne illorum interitus, ac infelicitas simul in me quoque desæviat, Fruar consolatione videndi patriam mihi charissimam, & Templum sanctum tuum.

℣. 10. IN QUORUM MANIBUS INIQUITATES SUNT, DEX-

---

1 Marc. 7. 3. *Pharisæi, & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum. Et a foro, nisi baptizantur, non comedunt, &c.*

2 Dan. 50. 8. *Proposuit Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis &c.*

3 Tob. 1. 12. *Cum omnes comederent ex cibis gentium, iste custodivit animam suam, & numquam contaminatus est in escis eorum.*

4 ארחץ בנקיון כפי ואסבבה את מזבחך יהוה Aquil. Ἐν ἀθωότητι.

5 August. hic. *Lavas manus, quando pie cogitas de operibus tuis, & innocenter vivis coram oculis Dei.* Hieron. *In bonis operibus lavabo, quæ peccatis ante sordebant. Lavabo manus, id est opera; Lavabo per lacrymas, per Baptismum, per Pœnitentiam.*

6 August. Psalter. Rom. Mediol. *Laudis tuæ.* 70. Αἰνέσεώς σου.

7 לשמיע בקול תורה ולספר כל נפלאותיך

8 Vide 1. Reg. 4. 22, Psal. 77. 61.

9 אהבתי מעון ביתך ומקום משכן כבודך Symmac. מעון *Anactoron, palatium, vel Templi aditum.* Psalt. Rom. *Locum Tabernaculi gloriæ tuæ.*

10 *Deus* non legitur in Hebræo, neque in 70. neque in S. Augustino.

11 אל תאסף עם חטאים נפשי ועם אנשי דמים חיי

DEXTERA EORUM REPLETA EST MUNERIBUS.] Ne animadvertas in me, uti in impios illos, quorum manus semper veloces sunt ad effundendum sanguinem, & iniquitatem patrandam, & quorum dextera repleta est muneribus, quæ in injustitiæ, ac impotentiæ suæ premium acceperunt; vel quę Judicibus oblaturi sunt, ut eos illaqueent, & opprimant innocentem [1]; qui verus est loci hujus sensus. Hebraica vox [2] *Schachad* non significat id, quod offertur Deo, sed munus, quod vel accipitur, vel tribuitur, ad malum patrandum. Psalmista hęc omnia vitæ suę integritati opponit: *Ego autem in innocentia mea ingressus sum.*

℣. 12. PES MEUS STETIT IN DIRECTO [3]: IN ECCLESIIS BENEDICAM TE, DOMINE.] Hic loquitur Levita. Ne latum quidem unguem a recta ęquitatis via aberravi; & in id pręsertim incubui, ut tibi benedicere in Templo tuo, & in solemnibus conventibus, in Festivitatibus, cum omnis Populus in Templo congregatus est, mirabilia tua enuntiarem. Vel potius in futuro tempore: Spero, Domine, ope misericordię tuę futurum, ut quondam in Templo tuo consistam, & laudes tuas recinam in medio populi tui. *In directo* potest etiam significare locum, quem Levitę canentes tenebant. Pedes mei steterunt in atrio Sacerdotum *in plano*, circum Altare [4].

1 Hieron. hic. *Est munus a lingua, & est munus a manu, & est munus ab obsequio. A lingua laus, hoc est favor humanus. A manu, a rebus terrenis. Ab obsequio, servitium indebite impensum.... Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.*

2 ימינם מלאה שחד

3 70. Ἐν εὐθύτητι. August. *In rectitudine*. Hebr. במישור Psalt. Roman. & Mediol. *In via recta*.

4 Vide Hamm. Vatab.

PSALMUS XXVI.

Oratio Justi persecutionibus vexati quidem, sed inter pericula fortis, atque constantis. Hic ardens suum desiderium testatur rursus videndi Templum Dei sui, eique in Domo ejus litandi.

Psalmus David, antequam liniretur.

ARGUMENTUM.

David ter Regali chrismate fuit delibutus. Primo, per manum Samuelis in Bethlehem domi patris sui Jesse 1. Reg. 16. 13. iterum in Hebron post Saulis obitum 2. Reg. 2. 4. & tertio post mortem Isboseth, cum totius Israel Rex fuit inauguratus 2. Reg. 5. 3. Hic tamen titulus de priori unctione minime est intelligendus. Prophetiæ spiritus tunc solum Davidi proprie impertitus fuit, cum fuit Rex a Samuele innuctus. Tunc Spiritus Dei se se super David effudit: *Directus est Spiritus Domini a die illa in David, & deinceps*. Credi posset ante secundam unctionem, & eo tempore, quo Rex hic a Saule exagitabatur, & procul aberat a Domini Tabernaculo, Psalmum hunc fuisse compositum. Sed cum diuturnum sit hoc intervallum, non satis convenit, ad quam peculiariter circumstantiam debeat referri. Theodoretus, atque Nicephorus Davidem hunc fuisse elucubratum putant, cum in Nobe profectus Summum Sacerdotem Abimelech convenit, & ab eo accepit panes Propositionis, qui ablati fuerant de facie Domini 1. Reg. 21. 46. & ad id Prophetam advertisse credunt, cum ait vers. 5. *Quoniam abscondit me in Tabernaculo suo*; atque Doeg Idumæum per ea verba vers. 12. designari: *quoniam insurrexerunt in me testes iniqui*.

Ferrandus eum explicat de circumstantia illa, cum David noctu in Saulis castra obrepsit, atque inde Regis hastam, & craterem abstulit 1. Reg. 26. 6. Innititur autem priori præcipue versiculo, in quo David inter noctis tenebras, interque pericula Deum suum lumen, suamque salutem appellat: *Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo?* Abenezra, & Muis conjiciunt, hunc a Davide jam senescente fuisse conscriptum, cum duces ejus eum hortati sunt, ne ulterius vitam suam in bellorum discrimina adduceret 2. Reg. 21. 17. *Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel*. Nos vero in præcedentis Psalmi argumentum ostendere adnisi sumus, hunc superioris partem esse, eique cohærere; ac utrumque Sacerdotum, & Levitarum Babylonis sensus, & vota pro sua libertate complecti: quam sententiam in Commentario nostro sequemur. Titulus: *antequam liniretur*, in Hebræo non extat, neque in Hexaplis extitisse Didymus, ac Theodoretus testantur, eumque Eusebius in aliquibus tantum Exemplaribus Septuaginta legebat: Alia vero habebant, *Psalmus David*; vel simpliciter, *David*, ut est in Hebræo.

1. DOminus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo? 2 Dominus prote-
ctor vitæ meæ, a quo trepidabo? 3 Dum appropiant super me nocentes,
ut edant carnes meas. 4 Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt,
& ceciderunt. 5 Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. 6 Si e-
xurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. 7 Unam petii a Domino, hanc
requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: 8 Ut videam
voluptatem Domini, & visitem Templum ejus. 9 Quoniam abscondit me in taberna-
culo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. 10 In petra e-
xaltavit me: & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. 11 Circuivi, &
immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Do-
mino.

mino. 12 Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te : miserere mei, & ex-
audi me. 13 Tibi dixit cor meum : exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domi-
ne, requiram. 14 Ne avertas faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo.
15 Adjutor meus esto : ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.
16 Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit
me. 17 Legem pone mihi, Domine, in via tua : & dirige me in semitam rectam
propter inimicos meos. 18 Ne tradideris me in animas tribulantium me : quoniam
insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. 19 Credo videre bo-
na Domini, in terra viventium. 20 Expecta Dominum, viriliter age : & confortetur
cor tuum, & sustine Dominum.

℣. 1. DOMINUS ILLUMINATIO MEA, & SALUS MEA; QUEM TIMEBO?] In præcedenti Psalmo Scriptor Deum efflagitabat, ut ipsum de viris sanguinum, ac impiis liberaret, hic vero omnem abjicit metum, ac dubitationem: ait autem, Dominus est lux mea, felicitas mea, gaudium meum, prosperitas mea, spes mea, salus mea; quid ergo mihi est metuendum? In ipso captivitatis, exilii, servitutis squalore ipse est spes reditus mei, & felicitas mea. Poterit, cum volet, vincula mea perfringere, hostes dissipare, me de calamitate, & malis, quibus obruor, eripere. Hoc me protegente quid verear? *Inveni potentiorem, & time*, S. Augustinus ajebat. Licet tibi timore concuti, metu turbari, si adversarium Domino validiorem inveneris.

℣. 2. PROTECTOR VITÆ MEÆ.] Hebr. [1] *fortitudo vitæ meæ*. Hic vitam meam tuebitur adversus quoscumque infestissimorum hostium meorum conatus. Dei mei præsidio suffultus Chaldæos non timeo.

℣. 3. DUM APPROPIANT SUPER ME NOCENTES, UT EDANT CARNES MEAS.] Circumdederunt me tamquam lupi, qui irruunt in prædam suam, jam me devoraturi, & carnes meas minutatim dilaniaturi. Hæc locutio aperte hostium suorum furorem, atque iracundiam testatur. In Job. 19. 22. & 31. 31. aliquid haud absimile intuemur. Hebræus [2]: *cum impii accesserunt ad me* oppugnaturi, cum in aciem adversus me descenderunt, cum irruerunt in me [3] *carnem meam voraturi; hostium meorum, & adversariorum meorum pes lapsus est, & ceciderunt*. Momento eodem, quo manum mihi inferre voluerunt, ceciderunt retro, ac subversi sunt. Hæc optime expressa est prophetia lapsus Judæorum, & militum, qui, duce Juda in hortum venerunt, ut JESUM CHRISTUM apprehenderent [4].

℣. 6. IN HOC EGO SPERABO.] In hoc ipso certamine, spem meam in Domino collocabo. Inter gravissima pericula animos numquam despondebo. Hebræus, & Septuaginta [5]: *Spero in illa*. Hebræi plerumque fœmininum genus pro neutro usurpant [6], quemadmodum ex initio sequentis versiculi etiam innotescit: *Unam petii &c.*

℣. 7. UNAM PETII A DOMINO, HANC REQUIRAM, UT INHABITEM IN DOMO DOMINI.] Hoc unum ardentissime cupio: hæc votorum meorum summa, si possim umquam emergere ex ea captivitate, in qua miserrime jaceo, & reliquum vitæ hujus curriculum in Domini Templo traducere, illius servitio deditus, ac ministerii mei munere fungens. Hæc omnia in sublimiori sensu explicantur de eo, quo Fideles flagrant, desiderio Cœlesti beatitudine fruendi, ac per omnem æternitatem castis domus Dei deliciis gaudendi. Cum talibus succendimur cupiditatibus, jure confidere possumus futurum, ut voti damnemur: *Cum id amamus, quod vult Deus, ut amemus, procul dubio daturus est nobis*, ait S. Augustinus. Psalmista superiori Psalmo sua jam expresserat desideria, ℣. 8. *Domine, dilexi decorem domus tuæ &c.*

℣. 8. UT VIDEAM VOLUPTATEM DOMINI, & VISITEM TEMPLUM EJUS [7].] Delitiæ Domini, vel potius cum Hebræo textu [8], species ejus, & suavitas isthic eam voluptatem significant, quæ percipitur Divino huic Domino inserviendo, & eam consolationem, qua in Templo ipsius oblectamur magnificos, gravissimosque intuendo ritus, qui solemni pompa in sacro ministerio observantur. Horum omnium adspectus majorem parit diligentibus Deum lætitiam, atque alacritatem, quam quæ ex vanis spectaculis inanibusque delitiis, quas cupiditas adinvenit, hauriatur. Felix, qui propriis cupiditatibus ad hæc divina gaudia rapitur diligenda! Felix, non ille quidem, qui possidet, quod amat, sed qui amat ea, quæ jure amanda sunt, inquit S. Augustinus! *Vere felix est, non si habeat, quod amat, sed si amet, quod amandum est!* Vetera quædam Psalteria [9] hic legunt: *Ut videam voluntatem Domini*; quo pacto Antiqui fere omnes legerunt; immo in omnibus ferme etiam Bibliis ante Clementis VIII. castigationem eusis. Sed Vulgatæ lectio, *voluptatem*, conformis est Hebræo, Septuaginta, ac Versionibus Orientalibus.

℣. 9. QUONIAM ABSCONDIT ME IN TABERNACULO SUO IN DIE MALORUM [10]:] Vel potius futuro tempore [11]: *abscondet me*. Spero in misericordiam ejus, ac potentem manum illius; & confido, futurum ut quondam quiescere possim in Templo ejus, illuc veluti in asylum confugere, ibi pace frui, ac tuto contra hostes meos, ac vitæ hujus ærumnas, versari.

℣. 10. IN PETRA EXALTAVIT ME.] Collocabit me in editiori loco, velut in arce quadam inexpugnabili. Sæpius occurrit hæc loquendi ratio *In petra exaltare*, pro extra conjectum hostilium telorum statuere. Deus sæpius *Petra Israel* vocatur. Hæc est oratio sperantium in illum.

ET NUNC ECCE EXALTAVIT CAPUT MEUM SUPER INIMICOS MEOS; CIRCUIVI, & IMMOLAVI IN TABERNACULO EJUS HOSTIAM VOCIFERATIONIS [12].] Locus hic rationem habet cum illo Psalmi superioris ℣. 6. 7. Lavabo inter innocentes manus meas; & circumdabo altare tuum Domine: & audiam vocem laudis, *ut enarrem universa mirabilia tua*. Hic audacius loqui-

1 יהוה מעוז חיי 2 בקרב עלי מרעים לאכל את בשרי צרי ואיבי לי המה כשלו ונפלו
3 קרב ponitur sæpe pro *præliari* &c. Vide Psal. 90. 10. Isai. 5. 19. 41. 1. 21. 57. 3. 58. 1. Malac. 3. 5.
4 Johan. 18. 6. *Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.*
5 בזאת אני בטח 70. Ἐν ταύτῃ ἐγὼ ἐλπίζω. *In hac ego spero*. August. & Carnut. *In hac ego sperabo*.
6 Hieronym. hic. & in Eccle. 7. in fine. Vide & August. hic. & Interpp. passim.
7 Psalter. Roman. *Ut protegat a Templo sancto ejus*. August. *Et protegas Templum ejus*. Psalter. Carnut. Sancti German. *Protegi Templum ejus*. 70. Ἐπισκέπτεσθαι τὸν ναὸν τὸν ἅγιον αὐτοῦ.
8 לחזות בנעם יהוה ולבקר בהיכלו Τοῦ θεωρεῖν με τὴν τερπνότητα Κυρίου. 9 Hieronym. Psalter. Roman. Carnut. Sanct. German. Beda, Cassiodor. & plurima impressa etiam Sixti V. sed mendum sustulerunt correctores Romani sub Clem. VIII. 10 August. Psalt. Mediol. *Malorum meorum*. Ita 70. Ἐν ἡμέρᾳ κακῶν μου.
11 כי יצפנני בסכה ביום רעה 12 Psalter. Roman. & August. *Hostiam jubilationis*. 70. Edit. Roman. Θυσίαν ἀλαλαγμοῦ. Alii. *Hostiam laudis & jubilationis*. Edit. Complut. 70. Θυσίαν αἰνέσεως, καὶ ἀλαλαγμοῦ.

loquitur; veluti imminentis liberationis suæ certus. Deus nunc, hoc ipso tempore, quam primum, elevabit caput meum super inimicos meos, & circumdabo altare illius; una cum aliis Levitis fratribus meis circum Altare Domini adstabo, ac edam clamores lætitiæ, efficiam, ut omnes vocem meam exaudiant, & Deo hostiam laudis immolabo.

Hebr. [1] *Nunc elevabit caput meum super inimicos meos, qui sunt circum me; & sacrificabo in Tabernaculo ejus sacrificia clamorum lætitiæ*. Interpretes [2] quidam credidere, Sacrificia hæc *clamorum lætitiæ* quoddam fuisse sacrificii genus, quod cum instrumentorum sonitu hilaribusque clamantium vocibus, præsertim vero in gratiarum actionem ob relatas de hoste victorias offerebatur. Verum ex loci hujus cum superioris Psalmi versiculis *6. 7.* collatione mihi persuadeo, has simplices esse gratiarum actiones cum vocum, instrumentorumque concentu, quales edere potuerunt Domino Levitæ de captivitate reversi, cum primum in Templo circum Altare Holocautomatum congregati sunt. Hoc ipsum alibi a Scriptura vocatur [3], *fructus labiorum*, vel [4] *vituli labiorum*, sacrificia, vel hostiæ laudum.

℣. 13. TIBI DIXIT COR MEUM: EXQUISIVIT TE FACIES MEA: FACIEM TUAM, DOMINE, REQUIRAM.] Ex imo corde ad te, Domine, loquor; toto animæ meæ studio te quæro, te cupio; coram te prodire, ad Templum tuum accedere, ibique meo munere fungi, hoc equidem cupio, hæc summa votorum meorum est. Hebr. [5]: *Cor meum loquitur ad te; facies mea te quærit. Faciem tuam, Domine, requiro*. Vel: *Cor meum loquitur ad te; vultus meus quærit faciem tuam; ego Dominum requiro*. Aliter: *Mihi dicit cor meum, de te loquens: Facies mea, Dominum quære: Faciem tuam, Domine, requiram*; Quæ omnia eumdem ferme inferunt sensum. Levita loquitur divino amore succensus, cui paria non suppetunt verba, quibus maximum, quo flagrat Templum Dei sui rursus videndi desiderium significet.

Psalteria antiqua legunt [6]; *quæsivi vultum tuum: Vultum tuum, Domine, requiram*. Nihil quæro extra te, Deus meus, ajebat S. Augustinus, *Quæsivi non a te aliquod extra te præmium; sed vultum tuum*.

℣. 14. NE AVERTAS FACIEM TUAM A ME: NE DECLINES IN IRA A SERVO TUO.] Ne rejicias humillimas preces meas; ne avertas faciem tuam a me veluti ab inimico, vel ab ignoto, atque despecto. Ne derelinquas me, atque auxilium tuum mihi eripias. Hebr. [7] *Ne abscondas faciem tuam a me; ne perdas*, ne interire facias, *servum tuum in ira tua*. Ne me mihi derelinquas. Ab hostibus meis vincar, neque eorum umquam impetum retundere potero, si recesseris a me. S. Augustinus: *Domine* ne avertas faciem tuam a me; *ne te quærens, in aliud incurram*, & aliud amem præter te.

℣. 15. NE DERELINQUAS ME, NEQUE DESPICIAS ME.] Hebr. [8]. *Ne repellas me, nec me derelinquas*. Septuaginta [9]: *ne projicias me corvis, neo deseras me*. Romana Editio Vulgatæ est simillima [10]. *Ne rejicias me, neque despicias me*.

℣. 16. QUONIAM PATER MEUS, & MATER MEA DERELIQUERUNT ME: DOMINUS AUTEM ASSUMPSIT ME.] Confugi in sinum tuum, veluti pupillus derelictus, ac in te uno inveni & patrem, & matrem, & patronum, & defensorem mihi. In exilio hoc, in quo miserrime versor, procul a patria, cognatorum meorum ope destitutus, ad Dominum confugi, ac ipse factus est mihi pater, & asylus. Verba hæc, *pater meus, & mater mea dereliquerunt me* in eodem sensu, ac illa Isajæ *63. 16.* intelligimus: *Tu enim pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: Tu Domine, pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum*.

℣. 17. LEGEM PONE MIHI IN VIA TUA, & DIRIGE ME IN SEMITAM RECTAM [11] PROPTER INIMICOS MEOS,] qui in insidiis positis mihi vim inferre, meque ad exitium vocare moliuntur. In eo sita est omnis eorum sedulitas, ut observent vestigia mea, me in suos laqueos illiciant, atque mea infelicitate lætentur. Irroga ergo, Domine, mihi legem, quam servem, & indica viam, qua insistam, ne aberrem. Hebræus verti potest [12]: *Me illumina, Domine, in via mea*, vel illumina viam meam &c.

℣. 18. NE TRADIDERIS ME IN ANIMAS TRIBULANTIUM ME &c.] Ne illis integrum sit, ex animi sui sententia in me desævire; ne crudelia sua in me consilia exequantur. Veteres quidam libri: *ne tradideris me in manus*, pro *in animas tribulantium me*.

QUONIAM INSURREXERUNT IN ME TESTES INIQUI, & MENTITA EST INIQUITAS SIBI.] Mendacium eorum detectum eos rubore suffudit. Repugnantia sibimet dixere, calumnias in me ingerere adnisi, veluti senes illi Susannæ accusatores, atque perjuri testes illi adversus J. C. adornati. Testimonium eorum contrarium erat, quodque alter afferebat, negabat alter. Vel simplicius: Irruerunt in me calumniantes, qui ut nomini meo scelerum notas offunderent, mendaciis usi sunt. Pronomen *sibi* hoc in loco fortasse superfluit, ut in illis: *Eat sibi: vade tibi* [13].

Hebræus legit simpliciter [14]: *Testes mendacii insurrexerunt in me, & iniquitas locuta est*, vel *protulerunt iniquitatem*. S. Hieronymus: *Surrexerunt contra me testes falsi, & apertum mendacium*. Aquila, & Symmachus [15] similiter legere. Chaldæi calumniabantur Hebræos, & varia illis obtrudebant scelera, ut aliquem prætexerent colorem injustis ponderibus, quibus illos vexabant: Isai. 52. 4. *Assur sine causa calumniatus est eum*. Et Jeremias 50. 33. *Calumniam sustinent filii Israel, & filii Juda simul; omnes, qui ceperunt eos, tenent: nolunt dimittere eos*, neque illis libertatem permittere.

℣. 19. CREDO VIDERE BONA DOMINI IN TERRA VIVENTIUM.] Licet inimicorum meorum sævitia, atque perfidia me in tot impegerint mala, attamen persuasum est mihi, futurum ut Deus tot ærumnis, quibus exerceor, finem imponat, meque in meam patriam reducat [16], ubi vitam traducam, iisque bonis, quibus me cumulaverit, fruar. Libertate ibi, ac pace gaudebo; & comedam exquisitissimos regionis illius fructus, ubi fluvii lacte, ac melle redundant. Babylon mihi fuit, velut tellus mortis, regio calamitatum, atque dolorum. Ibi reviviscam, ac novum aerem respirabo in terra Patrum meorum. Ita plerique Interpretum hoc in loco, & alibi sæpe in Scripturis vitæ, vel viventium terram intelligunt [17].

Patres id in elatiori explicant sensu, de beatissima Æter-

---

1 עתה ירום ראשי על איבי סביבותי ואזבח באהלו זבחי תרועה Aquil. Ὑψωθήσεται ἡ κεφαλή μου ἐπὶ ἐχθρούς μου, τοὺς κυκλῶ μου. Ita fere Chald. Syr. & alii Interpretes. 2 Ita Euseb. Flamin. Genebr. Ferrand. alii. Vide Num. 10. 10. 3 Isai. 57. 19. 4 Osee 19. 3. *Reddemus vitulos labiorum nostrorum*.
5 לך אמר לבי בקשו פני את פניך יהוה אבקש Symmach. Σοὶ προσελάλει ἡ καρδία μου, σὲ ἐζήτει τὸ πρόσωπόν μου.
6 August. Cassiodor. Sixti V. Psalt. Rom. Carnut. Arab. Æthiop. Paraphr. Apollinar.
7 אל תסתר פניך ממני אל תט באף עבדך 8 אל תטשני ואל תעזבני Symmach. Μὴ ἀπορρίψῃς με. Aquil. Μὴ ἐάσῃς με. אל תטשני 9 Edit. Complut. Μὴ ἀποσκορακίσῃς με, καὶ μὴ ἐγκαταλίπῃς με. Ita Theodoret. & Heracleot. 10 Μὴ ἐγκαταλίπῃς με, καὶ μὴ ὑπερίδῃς με. 11 70. Ἐν τρίβῳ εὐθείᾳ Aug. Genebr. alii plures. *In via recta*. 12 הורני יהוה דרכך Aquil. & Theodotio. Φώτισόν με. Symmach. Ὑπόδειξόν μοι τὴν ὁδόν σου. 70. Νομοθέτησόν με Κύριε, ἐν τῇ ὁδῷ σου. August. *Legem constitue mihi*.
13 Genes. 12. 1. Cant. 1. 7. &c. 14 כי קמו בי עדי שקר ויפח חמס
15 Aquil. & Symmach. Ἐξεφώνησεν ἡ ἀδικία. Legerunt יפיע 16 Muis, Tirin. Menoch. Ferrand. Geier. Piscat. Moller. Cocc. Ainsvort. du Pin. 17 Psal. 51. 7. 115. 9. 141. 6. Job. 28. 13. Isai. 38. 2. 53. 8. Jerem. 11. 19. Ezech. 32. 32.

Æternitate, ubi Sancti vitam vivunt immutabilem, atque ab omni cura, periculo, & necessitate immunem. Hebr.[1]: Actum erat de me, *nisi sperassem me visurum bona Domini in terra viventium*. Desperatione abreptus fuissem, nisi aliquam percepissem consolationem ex spe quamprimum in patriam mihi carissimam revertendi.

A

---

1 לוּלֵא הֶאֱמַנְתִּי לִרְאוֹת בְּטוּב יהוה בְּאֶרֶץ חַיִּים Aquil. Ἐπίστευσα τοῦ ἰδεῖν ἐν ἀγαθῷ Κυρίου. Symmach. Ἐπίστευσα τὴν ἀγαθωσύνην Κυρίου.

PSALMUS XXVII.

Oratio justi afflictati, & de inimicorum suorum improbitate conquerentis. Eis excidium vaticinatur; Deo gratias agit ob ipsius præsidium, eumque rogat, ut salvum faciat populum suum, eumque benedictionibus cumulet.

Psalmus ipsi David.

ARGUMENTUM.

Sequimur isthic Hebræorum Traditionem, quæ ab Origene opusc. nuper impresso in Hexapl. Eusebio in hunc locum, ac S. Hieronymo Prol. in Psalt. refertur; videlicet, Psalmos, quibus nullus peculiaris præfigitur titulus ad eos, qui præcedunt, esse referendos, atque eodem in sensu explicandos. Sententia hæc isthic omnibus ferme Interpretum suffragiis probatur; & manifesta apparet connexio inter Psalmum hunc, & duos superiores. Sed alii [1] eum referunt ad David a Saule exagitatum; alii [2] ad persecutionem, qua ab Absalon filio suo vexatus fuit; alii ad defectionem Seba, filii Bochri [3]. Sunt [4], qui putent ab eo fuisse compositum cum post absoluta bella profunda pace, ac lætissima felicitate frueretur. Non desunt [5], qui illum de Ezechia divinitus saluti reddito, vel de Daniele interpretentur. Patres [6] eum ad JESUM CHRISTUM transferunt, qui in Passione sua preces ad Deum Patrem effudit. Sanctus Hieronymus credidit, hunc esse acrostychum, vel alphabeticum [7]: at plane memoria lapsus est. Satis est enim oculos in Hebraicum textum conjicere, ut oppositum innotescat.

Hæc autem ea ferme sunt argumenta, quibus cogimur eum non secus ac superiores duos ad captivitatis tempus referre. Titulus nihil adfert novi. Argumentum idem est præter propter. Auctor est quidam Justus, qui in afflictione versatur, atque a potentibus, & infidelibus inimicis, qui Dei opera non agnoscunt; ℣. 5. ab impiis, & callidis, ℣. 3. qui merentur, ut in ipsos juxta eorum opera, & iniquitates Deus animadvertat, opprimitur. ℣. 4. Psalmista dolore confectus, atque propter suam a Templo absentiam mœrore consumptus, extollit manus suas, & ad sanctum hunc locum facie conversa sua nuncupat vota; ℣. 2. Deo gratias agit ob auxilium, quod ipsi tribuit, & in cujus spem illum erexit; ac ait, cor, & carnem suam novas vires adeptutam, cum Deo libitum fuerit eam visitare, ac se tunc voluntaria laudum sacrificia esse persoluturum. ℣. 7. Fatetur, Deum protectorem esse populi sui, & præsidium; quo ille salvus fit in memoriam Uncti, & Regis sui. Finem vero facit, cum obtestatus, ut Populo suo ferat opem, ei benedicat, Pastoris loco sit, atque in omnem sæculorum seriem tueatur.

At hæc omnia mirifice quadrant captivis Babylonis, nullatenus vero David persecutionibus exagitato; cum enim ille viveret, Templum nondum erat ædificatum, & consuetudo se ad eam cœli plagam convertendi, cum orarent, nondum erat constituta. Saul, & Absalon nequaquam ii erant, qui Dei opera ignorarent, ac proinde mererentur, ut de se ea dicerentur, quæ hujus Psalmi Auctor in eos, a quibus opprimebatur, intorquet. Versiculus 3. hujus Psalmi si minus verbo, re saltem idem est, ac ℣. 9. Psalmi 25. & versiculus 7. Psalmi hujus non longe distat a ℣. 7. Psalmi 25. & 6. Psalmi 26.

1. AD te, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas a me: ne quando taceas a
me, & assimilabor descendentibus in lacum. 2 Exaudi, Domine, vocem
deprecationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum
sanctum tuum. 3 Ne simul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniqui-
tatem, ne perdas me. 4 Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cor-
dibus eorum. 5 Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventio-
num ipsorum. 6 Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem
eorum ipsis. 7 Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus
destrues illos, & non ædificabis eos. 8 Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vo-
cem deprecationis meæ. 9 Dominus adjutor meus, & protector meus: in ipso spera-
vit cor meum, & adjutus sum. 10 Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confi-
tebor ei. 11 Dominus fortitudo plebis suæ: & protector salvationum christi sui est.
12 Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, &
extolle illos usque in æternum.

AD TE

---

1 Theodoret. Nicephor. Euthym. 2 Ferrand. Vide 2. Reg. 15. 17. Confer hic. vers. 2.
3 Vatab. Vide 2. Reg. 20. 4 Muis, hic. Vide vers. 7. 8. 5 Beda, quid. apud Heracleot.
6 August. Hieronym. Cassiodor. Thom. Beda, alii. 7 Hieronym. ad vers. 8. *Iste Psalmus, excepta una littera, in Hebræis voluminibus scriptus est secundum ordinem litterarum.*

℣. 1. AD TE, DOMINE, CLAMABO [1]: DEUS MEUS, NE SILEAS A ME, NE QUANDO TACEAS A ME [2], & ASSIMILABOR DESCENDENTIBUS IN LACUM.] Ne scilicet ab hostibus meis vincar, & occumbam. Captivitas, & servitus passim morti, ac sepulchro comparantur: quemadmodum ab hujusmodi malis liberatio, resurrectionis, ac reditus ad vitam nomine nuncupatur. *Sileve*, hoc in loco metaphora est ab illis ducta, qui audire dissimulant, & vocantibus respondere dedignantur.

Hebræus [3]: *Domine, rupes mea, clamo ad te, ne obsurdescas voci meæ*. Vel ne mutus fias erga me [4]. Vel: *ne discedas a me* [5], *ne si procul a me silueris, assimiler descendentibus in lacum* [6]; in carcerem, in foveam, in sepulchrum: nam authographi nomen, non secus ac Græcum *laccos*, & Latinum *lacus* in Scripturarum stylo in varia hac significatione usurpatur: hic vero tumulum significat. Ad sepulchum veluti redactus sum, si ulterius abfueris a me, atque perstiteris aurem negare vocibus meis, neque ob dolorem meum misereri.

℣. 2. DUM EXTOLLO MANUS MEAS AD TEMPLUM SANCTUM TUUM.] Judæi, qui procul ab Jerusalem aberant, manus extollebant, atque ad Jerosolymitanum Templum oraturi se se convertebant. In templo vero Occidentalem partem respiciebant, ibi enim aderat altare, ac Sanctuarium [7]; quod ipsum ex Daniele 6. 10. innotescit, qui ter in singulos dies fenestras, quæ Jerusalem spectabant, aperiebat, ac Dominum venerabatur: quæ consuetudo innitebatur orationi Salomonis, qui die dedicationis Templi Dominum fuerat obtestatus, ut de summo cœlo eos omnes audiret, qui in alienigenis terris illac os suum deprecaturi convertissent [8]. Hebr. [9] *Dum extollo manus meas ad oraculum Sanctuarii tui*, ad sanctissimum Templi tui aditum, ubi Fœderis Arca servabatur. Captivitatis tempore non aderat amplius Sanctuarium, sed locus, ubi fuerat, eadem semper religione, eodemque cultu exceptus fuit.

℣. 3. NE SIMUL TRAHAS ME [10] CUM PECCATORIBUS; & CUM OPERANTIBUS INIQUITATEM NE PERDAS ME.] Hæc verba: *ne perdas me*, neque in Hebræo, neque in Chaldæo, neque in Syro inveniuntur. Vetera quædam Latina exemplaria legunt [11]: *ne simul tradas*, pro *trahas*, sed mendose. Textus habet [12]: *Ne trahas cum peccatoribus*: ne me quoque cum illis eodem supplicio involvas, ne cum illis me præcipitem in sepulchrum dejicias. Vide Psal. 25. 9. eamdem orationem.

℣. 4. DA ILLIS SECUNDUM NEQUITIAM ADINVENTIONUM IPSORUM [13].] Chaldæos excipe pro meritis eorum. In ipsos animadverte, prout ipsorum nequitia, & flagitiosæ voluptates requirunt. Paria illis refer ob ea, quæ in nos mala ingesserunt. Nos injustæ servituti subjecerunt, civitates nostras subruerunt, Templum incenderunt, Populos nostros afflictarunt, ne finas, tantum sanguinis impure effusum, ne tot scelera, & flagitia inulta abire patiaris. Norint te æquissimum esse Deum; & nisi noverunt te ex bonis, quibus eos cumulasti, te per ea supplicia cognoscere discant, quibus illos percuties. *Qui non intelligunt per beneficia*, S. Hieronymus inquit, *intelligant per cruciatus*. Hoc autem, *non malevolentiæ signum est, sed enunciatio pœnæ*, quibus Babylonii erant afficiendi, ut ait S. Augustinus.

℣. 5. QUONIAM NON INTELLEXERUNT OPERA DOMINI, & IN OPERA MANUUM EJUS [14] DESTRUES [15] EOS &c.] Quoniam hi Populi te ignorant, te non venerantur, neque te supremum rerum omnium creatorem esse cognoscunt [16]: quoniam creaturæ illum honorem, atque cultum deferunt, qui Creatori debetur; quoniam sibi ea omnia, quæ feliciter eveneruntt, gloriæ vertunt, nec quid tibi debeant, intelligunt; cur diutius ingratam, perfidamque nationem pateris? *destrues illos, & non ædificabis eos*, in nullam reditus spem funditus evertes; eorum imperium dirues, neque ulterius exurget. Quod ipsum re vera factum est armis Cyri, qui super Babylonici imperii rudera Persarum ditionem constituit.

℣. 9. DOMINUS ADJUTOR MEUS, & PROTECTOR MEUS: IN IPSO SPERAVIT COR MEUM, & ADJUTUS SUM.] Hebr. [17] *Dominus est fortitudo mea, & clypeus meus*. Nos, Domine, qui in uno te confidimus, licet miseriis obruti, atque gravissimis ærumnis affecti, tuam semper præstolamur opem, & certo speramus, te nobis præsidium esse laturum, & in eam spem adduci audemus fore, ut quamprimum pristinæ felicitati restituamur.

℣. 10. ET REFLORUIT CARO MEA: & EX VOLUNTATE MEA CONFITEBOR EI.] Ex hoc mortis statu, in quo versamur, futurum speramus, ut possimus emergere; ex hac scilicet captivitate, in qua velut mortui in sepulchro squalore confecti sordescimus. Tunc reflorebit caro nostra, viridior erit; vivemus, tibique laudes recinemus, Domine! Hebr. [18] *Cor meum est in gaudio, & lætitia: & laudabo illum canticis meis*. Syrus legit: *Caro mea germinabit, & enuntiabo laudes ejus in gloria*. Complures Patres locum hunc de Jesu Christi, vel de nostra resurrectione interpretantur [19]; cujus symbolum erat reditus de captivitate.

℣. 11. DOMINUS FORTITUDO PLEBIS SUÆ, & PROTECTOR SALVATIONUM [20] CHRISTI SUI EST.] Dominus salvum facit, & populum, & Regem; vel populum, ac Regem salvabit. Educet illos de captivitate, ac Judæ regnum restituet. Judam in patriam terram revocabit, ac restituet thronum David, uncti sui, ac famuli sui. Efficiet, ut David in persona non sua, sed posterorum suorum regnum obtineat. Regnum hoc proprie loquendo, nequaquam in pristinum splendorem erat revocandum, nisi in Jesu Christi persona, veri

---

1 70. Edit. Rom. Ἐκέκραξα. *Clamavi*. Ita August. Cassiod. Arab. Æthiop. Carnut. Sancti German.

2 *Nequando taceas a me*, non legitur in Psalterio Romano, in Euthymio, & in nonnullis exemplaribus Septuaginta, neque in Psalteriis Sancti Germani, & Carnutensi.

3 אליך יהוה אקרא צורי אל תחרש ממני פן תחשה ממני ונמשלתי עם יורדי בור

4 70. Μὴ παρασιωπήσῃς ἀπ' ἐμοῦ. Symmach. Μὴ σιγήσῃς ἐξ ἐμοῦ. Aquil. Μὴ κωφεύσῃς.

5 Grot. Jun. Ita Chald. Syr. חשר pro *recedere*. Psalm. 34. 22. 1. Reg. 7. 8. &c.

6 Sym. Μήποτε ἡσυχάσαντός σου ἀπ' ἐμοῦ, ὁμοιωθῶ τοῖς καταβαίνουσιν εἰς λάκκον. 7 Vide ad Ezech. 8. 16.

8 Vide 3. Reg. 8. 48. *Reversi fuerint ad te in universo corde suo, in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint, & oraverint te contra viam terræ suæ: & civitatis, quam elegerint, & Templi, quod ædificavi nomini tuo, exaudies in Cœlo*, &c. 9 בנשאי ידי אל דביר קדשך Aquil. & Symmach. Χρηματιστήριον. Theodot. Δαβείρ. 10 August. *Ne trahas animam meam*. Ita 70. Edit. Roman. Μὴ συνελκύσῃς μετὰ ἁμαρτωλῶν τὴν ψυχήν μου. 11 Beda, Psalter. Roman. Mediol. Carnut. Gallic. Edit. Sixti V. alia.

12 Hebr. אל תמשכני 70. Μὴ συνελκύσῃς με. Ita & Chald. 13 August. *Secundum malignitatem affectionum ipsorum*. Psalter. Roman. Mediol. Carnut. *Studiorum ipsorum*. 70. Κατὰ πονηρίαν τῶν ἐπιτηδευμάτων αὐτῶν. Hebr. כרע מעלליהם 14 Psalter. Roman. Carnut. & Sancti Germ. addunt; *Non consideraverunt*.

15 Psalter. Roman. & Sancti German. *Destrue eos*. Sanct. German. *Ne ædifices*.

16 Euseb. Kimchi, Men. Muis, Ferrand. Vide Psalm. 8 17 יהוה עזי ומגני

18 ויעלז לבי ומשירי אהודנו Aquil. Καὶ ἐγαυρίασεν ἡ καρδία μου, καὶ ἀπὸ ᾄσματός μου ἐξομολογήσομαι αὐτῷ. Sym. Καὶ ἠγαλλιάσθη ἡ καρδία μου, καὶ ἐν ᾠδαῖς μου, &c. Theodot. *Refloruit cor meum*. 6. Edit. *Confirmatum est cor meum*.

19 Euseb. Athanas. Didym. Hieronym. 20 August. Psalter. Roman. Mediolan. Sanct. German. *Salutarium Christi sui*.

veri Regis Juda, atque in Ecclesia illius, in qua in omnia sæcula dominabitur.

Hebr. ad litteram [1]: *Dominus est fortitudo illorum, & propugnaculum*, vel arx, *quæ salvum facit Unctum suum*. *Christi* [2] vel *Uncti* nomen commune est Regibus, Sacerdotibus, ac Prophetis [3], quo nomine Psalmi auctor semet designare potest: hactenus enim ne verbum quidem attulit de Rege Juda. Dominus est fortitudo populi sui; protector est mei, mei inquam, qui sum Propheta, Sacerdos, & Unctus ejus. Eusebius id generatim intelligit de Prophetis, & Justis; atque S. Athanasius, de populo Fidelium, qui a Jesu Christo unctionem, ac regale Sacerdotium accepit: *Vos ge-* A *nus electum, Regale Sacerdotium*. 1. Petr. 2. 9.

℣. 12. SALVUM FAC POPULUM TUUM, DOMINE; &c.] Hæc totius orationis est clausula. Salva nos, Domine, erue nos de captivitate, esto Pastor noster, ac Pater noster. Hebr. [3]: *Salvum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ; esto illis Pastor, & gesta eos*, veluti bonus Pastor super humeros tuos [4] *usque in æternum*. Vel: Esto illorum Pastor, & in omnia sæcula honorifica illos. Restitue eis regionem suam, ut olim; prosperitate, & rerum copia fruantur. Hic finis erat votorum Judæi carnalis; at verus Christi fidelis aliam expectat hæreditatem, alia bona præstolatur.

1 יהוה עז למו ומעוז ישועות משיחו הוא
2 Theodoret. hic.
3 הושיע האת עמך וברך את נחלתך ורעם ונשאם עד העולם
4 Luc. 15. 5.

PSALMUS XXVIII.

Tempestatis descriptio. Gratiarum actio pro pluvia, quam dedit Dominus populo suo.

Psalmus in consummatione Tabernaculi.

ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID, IN CONSUMMATIONE TABERNACULI.] Hoc est, cum perfecit Tabernaculum Sion, ubi Arcam fœderis constituit, quam de Cariath-iarim illuc adduxerat. Qui titulum hunc Psalmo præfixit, ratus est, David isthic Sacerdotes invitare, ut Domino sacrificia offerrent eo in Tabernaculo, quod nuper erexerat; cui sententiæ priores duo versiculi suffragantur.

Græcus Textus habet [1]: *Psalmus David pro exitu de Tabernaculo*, quod tenebrarum caligine involutum est. S. Basilius id explicat de ea die, qua Sacerdotes ministerio suo defuncti adhortabantur successores suos, ut fideliter communia sacrificia offerrent, atque cum dignitate munere suo fungerentur. Arbitrantur alii, hic Sacerdotes excitari ad hostias immolandas, quibus novissima die Festivitatis Tabernaculorum erat litandum, Levit. 23. 36. Alii titulum hunc respuunt, quod in Hebræo non extet, neque Septuaginta primitus illum textui suo addiderint; non legebatur enim in Hexaplis Origenis Theodoreti ævo [2]; qui [3] illum refert ad Ezechiæ tempora post relatam de Sennacherib victoriam, vel postquam ex morbo convaluit.

Rabbini veteres illum rejiciunt in tempus apparitionis Dominicæ in Sinai, ubi inter tonitrua, & ignes suam Legem rogavit. Abenezra hanc simplicem esse putat pluviæ, vel tempestatis descriptionem; a qua sententia Muis non longe abhorret; qui conjectat, a Davide fuisse conscriptum, cum violentus imber ingrueret, ac deinceps cum similis urgeret occasio, veluti precum formulam, recitatum fuisse. Alii [4] eum transferunt ad imbrem, qui in Judæa decidit, postquam triennio terribilis illa siccitas omnia exaruerat [5], ac regionem omnem miserrima fame vexaverat. Hæc sententia dubio non vacat; sed cum certius aliquid desit pro historico, & litterali sensu, huic adhærere haud nefas est. Patres Psalmum hunc de Evangelii prædicatione interpretantur.

1. AFferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum. 2 Afferte Domi-
no gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate
Dominum in atrio sancto ejus. 3 Vox Domini super aquas, Deus ma-
jestatis intonuit: Dominus super aquas multas. 4 Vox Domini in virtute: vox
Domini in magnificentia. 5 Vox Domini confringentis cedros: & confringet Domi-
nus cedros Libani. 6 Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: & dilectus
quemadmodum filius unicornium. 7 Vox Domini intercidentis flammam ignis. 8
Vox Domini concutientis desertum: & commovebit Dominus desertum Cades. 9
Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa: & in templo ejus omnes
dicent gloriam. 10 Dominus diluvium inhabitare facit, & sedebit Dominus rex in
æternum. 11 Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo
in pace.

AFFERTE

1 Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ ἐξοδίου; vel Ἐξόδου σκηνῆς. *Ad exitum Tabernaculi*, Ita PP. Græci passim.
2 Theodoret. hic.
3 Vide Theodoret. Bedam, & Athanas. apud Dan. Barbar. in Catena.
4 Ferrand. Le Noble:
5 2. Reg. 21. 1. 10.

℣. 1. AFFERTE DOMINO, FILII DEI: AFFERTE DOMINO FILIOS ARIETUM.] Venire in Templum Domini, offerte illi vestras gratiarum actionis oblationes, o filii Principum. Vel: O Sacerdotes Altissimi offerre illi hostias pacificas, hædos, & arietes, ut gratias illi referatis ob imbrem, quem post horribilem adeo siccitatem populo suo largitus est. In Psalmo 95. vers. 7. & 8. eadem ferme invitatio reperitur: *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus. Tollite hostias, & introite in atria ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.*

Hebræus legit [1]: *Afferte Domino, filii Deorum*, vel filii Principum, Potentium; *afferte Domino gloriam, & fortitudinem*. Confluite, ut magnitudinem, majestatem, atque infinitam ipsius potestatem profiteamini. Vel simpliciter: Venite gloriam ejus sacrificiis vestris testaturi. Apud probatos Latinos auctores invenies nonnumquam, Diis honorem deferre, pro illis offerre sacrificia. Virgilius Æneid. 3.

Junoni Argivæ jussos adolemus honores.

Et infra:

Meritos aris mactavit honores.

Hebræus verti quoque posset: *Afferte Domino filios arietum: afferte Domino gloriam, & imperium.* Septuaginta, ad quorum normam Vulgata concinnata est, utramque Hebraici textus legendi rationem secuti sunt: *Afferte Domino, filii Dei*; &: *afferte Domino filios arietum*: S. Basilius, Eusebius, & S. Theodorus Heracleota testantur, verba hæc: *Afferte Domino, filii Dei*, nullatenus in optimis Exemplaribus Græcis extitisse, atque notata fuisse asterisco, vel obelo, perinde ac in Hebræo non adessent: quod ipsum liquet etiam in veteri Psalterio Gallicano edito in primo volumine recentioris Editionis S. Hieronymi, ubi hæc verba obelo signantur. Chaldæus: *Reddite laudem Domino, Angelorum copiæ; reddite Domino gloriam, & fortitudinem.*

℣. 2. ADORATE DOMINUM IN ATRIO SANCTO EJUS.] Vel in aditu Tabernaculi ipsius [2]. Antequam Templum ædificaretur, atrium Domini erat area quædam ante Tabernaculum, ad intervalla, columnis circumdatum, inter quas cortinæ tendebantur. Hebr. [3] *Adorate Dominum in pulchritudine Sanctuarii ejus*: de atrio adorare eum in Sanctuario suo residentem; nam Judæi, immo Sacerdotes ipsi Sanctuarium non ingrediebantur: sed consistebant in atrio, ibique Dominum adorabant, quem super Cherubim sedentem, veluti super thronum suum in Sanctuarii adyto sibi fingebant. Sanctuarium appellatur *decor sanctus* in primo Paralipomenon libro 16. 29. *Adorate Dominum in decore sancto*. Priores duo versiculi nihil aliud sunt, quam invitatio quædam, vel proœmium. Ad rem vero accedit vers. 3.

℣. 3. VOX DOMINI SUPER AQUAS, DEUS MAJESTATIS INTONUIT, DOMINUS SUPER AQUAS MULTAS.] Tonitru toties appellatur vox Dei in Scripturis [4]; ut inutile ferme sit id admonere, ac rei hujus proferre argumenta: *Vox Domini audita est super aquas*; hoc est super nubes, quæ a Moyse [5] aquæ supernæ vocantur. Dominus nostrarum calamitatum miseritus, postquam diutius Cœlum obstructum continuisset, tandem effecit, ut vox sua super nubes audiretur. Homines terruit tonitru suo, eisque hoc pacto signum dedit præsentiæ suæ, & proximorum imbrium, quibus terras irrigaturus erat, præsagium. Patres id intelligunt de Evangelii prædicatione per Apostolos, qui veluti tonitrua, quocumque Domini cognitionem attulere, quos deinceps gratiarum, & benedictionum copia, veluti ubertimus imber est subsecuta. Duo filii Zebedæi in Evangelio Marci 3. 17. *tonitrui filii* vocantur.

℣. 5. VOX DOMINI CONFRINGENTIS CEDROS [6]. ET CONFRINGET DOMINUS CEDROS LIBANI.] Dominus, cum ipsius ruent imbres, ac tonitrua, evellet, conteret, confringet cedros Libani. Ad tonitru tribuitur, quidquid procella sæviente contingit; illi turbinum, ventorum, fulminumque deferuntur effectus; ea enim sæpius annosas, magisque proceras arbores diruunt, atque convellunt. Cæterum universa hæc descriptio figurata est, ac poesim sapit.

℣. 6. COMMINUET EOS TAMQUAM VITULUM LIBANI, & DILECTUS QUEMADMODUM FILIUS UNICORNIUM.] Dominus in ira sua, tonitruum suorum, turbinumque vi altiores Libani cedros confringet eadem felicitate, qua robustus vir unum e vitulis, qui in Libano pascuntur, prosternit, vel pullum rhinocerotis, qui nondum viribus prævalet. Verti quoque posset [7]: *Comminuet cedros has*, proceras adeo, ac vetustas, quodammodo ludens, non secus ac vitulus, vel parvus rhinoceros in aera cornibus suis projiciunt, quidquid illis occurrit, cum ludunt, atque lasciviunt.

Hebr. [8] *Disperget illos, vel efficiet, ut tamquam vitulus, saliant. Agitabit Libanum, ac Sirionem, veluti parvulum monocerotis.* Dominus terribili suæ vocis strepitu cedros commovebit, ac veluti pascentes vitulos, qui subsiliunt, aget. Convellet montes Libanum, ac Sirionem, eosque tamquam lascivientes unicornium pullos subsilire faciet. Hæ duorum montium, ad instar rhinocerotum juvenculorum, salientium, atque cedrorum libani, ad vitulorum instar, lascivientium similitudines, minus verecundæ in nostro idiomate videri possunt, sed eas Hebræorum lingua paritur, immo apud illos miræ sunt pulchritudinis, ac suavitatis.

Psalmista in Psalmo 103. 4. ait, Domino super Sinai descendente, tellurem contremuisse, montes exultasse sicut arietes, & colles, tamquam agnos ovium. Debora in suo Cantico [9] ait, accedente Domino, montes diffluxisse, ac terram perterrefactam contremuisse. David Psal. 17. 8. describens auxilium, quod ipsi adversus hostes suos attulerat Dominus, ait, simul ac Deus votis ipsius annuit, terram agitatam fuisse, ac montium fundamenta commota, atque convulsa; iratus est enim adversus illos. Hic porro aliquid simile vult innuere. Tonitru, si pressius loquamur, terræ motum non efficit; sed in montibus, ac ingentibus ædificiorum substructionibus, quasdam gignit concussiones, quas poetarum stylus motus terræ vocare potest. At in motibus terræ nonnumquam montes visi sunt in semet vicissim impingere, & lascivire quodammodo, arietum inter se se cornu petentium: *Namque montes duo inter se concurrerunt*, ait Plinius l. 2. c. 83. *crepitu maximo assultantes, recedentesque; inter eos flamma, fumoque in Cælum exeunte interdiu; spectante Æmilia Equitum Romanorum, familiarumque, & viatorum multitudine.* Genebrardus ait ævo suo in Anglia montem propter terræ motum alium in locum prosiluisse; & in Gallia montem alium propter fluentis Rhodani vim recessisse. Cur autem in hac occasione, in qua Psalmista poetico stylo vehementem describere tempestatem adnititur, dicere nefas erit, terram contremuisse, montes fuisse commotos, ac cedros ad strepitum vocis, vel tonitrui ejus fuisse contritas? Libanum nemo unus ignorat. *Sirion*, vel *Sarion* alius est mons trans Jordanem ad Libani Orientem; eumque triplici nomine Moyses Deut. 3. 9. appellat; ait enim ab Hebræis *Her-*

1 הבו ליהוה בני אלים הבו ליהוה כבוד ועז 2 70. Ἐν αὐλῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ. August. & Psalter. Rom. German. Carnut. *In aula sancta ejus.* 3 השתחוו ליהוה בהדרת קדש Aquila: Ἐν διαπρεπείᾳ ἡγιασμένῃ. Sym. Ἐν διαπρεπείᾳ ἁγίᾳ. 4 Vide Exod. 9. 23. 28. 29. Job. 37. 2. Psal. 17. 14. Isai. 30. 30.

5 Genes. 1. 7. *Divisit aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum.* Vide Basil. in hunc Psalm. 6 S. August. *Conterens cedros.*

7 Hieron. *Disperget eas quasi vitulus Libani, & Sarion, quasi filius rhinocerotis.*

8 וירקידם כמו עגל לבנון ושריון כמו בן ראמים Aquil. Σκιρτᾶν. *Exultare faciet*; Symmach. Ὀρχεῖσθαι ἐποίησεν αὐτοὺς *saltare fecit.* 9 Judic. 5. 5. Vide & Abac. 3. 10.

Hermon, a Phœnicijs *Sarion*, ab Amorrhæis *Sanir* A vocari.

Antiquorum non pauci legerunt [1]: *confringet cedros; comminuet Libanum, quemadmodum in frusta discerpitur vitulus*; quod S. Basilius intelligit de aureo vitulo a Moyse contrito. Nonnulli, vituli nomine, germen intelligunt; Græce enim *moschos* utrumque significat. Sed Lectio, quæ habet: *comminuet eas tamquam vitulum Libani*, probatior est, & neutra Græcorum explicatio illi præstat, quam ex Hebræo in medium attulimus.

℣. 7. Vox Domini intercidentis flammam ignis.] Poeticæ loquendi rationes, & innuunt, tonitru de nubibus fulmen, ac fulgura emittere, eaque in varia tela, vel plures flammas, quæ in aere evanescunt, dividere. Ad vocem, ac nutum ejus, B fulmen modo turrim, modo simulachrum, modo arborem, modo rupem percutit. Dominus agit, ac distribuit ignes, fulgura, & fulmina. Hebræus ad litteram [2]: *Vox Domini scedit flammas ignis*. Nubes intercidit, ac fulgura prodire facit.

Vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades.] Loca ipsa magis deserta, ac invia terrorem vocis ejus persentiunt: illic vehementius personat. Tonitru montes, ac deserti rupes concutit. Vel cum Chaldæo: terret serpentes, & animantia solitudinum. Sunt, qui Hebræum ita reddant [3]: *Vox Domini parere facit*, vel parturientis dolores desertis immittit. Ea terret, ea concutit. Desertum Cades in Scripturis celeberrimum est, aderatque in finibus Idumææ, & Pharan [4]. C

℣. 8. Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa.] Tonitru cervas præparare dicitur ad pariendum. Ajunt, brutum hoc summa cum difficultate eniti, ac terrorem, quem tonitruum fragor illis incutit, faciliorem partum præbere. S. Hieronymi, & veterum quorumdam Interpretum Græcorum auctoritas, qui Hebræum vertebant [5]: *Vox Domini obstetricans cervis, & revelans saltus*, sententiam hanc facilius ingessit: additurque locus quidam Job, ubi juxta Vulgatam [6] cervæ incurvari dicuntur, ad catulos suos in lucem edendos, atque acerrimis partus doloribus vexari, & gemitus emittere. Præterea adjiciunt [7], cervas *ante partum purgari herba quadam, quæ seselis dicitur, faciliore ita utentes utero*.

Verum si hę rationes curiosius ad examen revocentur, D levi negotio illarum infirmitas deprehenditur. S. Hieronymus vertens: *Vox Domini præparantis servos*, nihil aliud innuit, quam quod in præcedenti versiculo indigitavit, reddens: *Vox Domini parturire faciens desertum, parturire faciet Dominus desertum Cades*: terrorem, formidinem illi simillimam immittit, qua parturiens affligitur. Tonitru ejus perterret, attonitas efficit cervas. S. Hieronymus in commentario suo ne verbum quidem ait de commentitia hac tonitrui virtute, propter quam cervæ pariant, vel abortum faciant. Patres alii [8] non secus ac S. Hieronymus nullam isthic in cervis propriam virtutem agnoscunt, quam serpentes pedibus obterendi, persequendi, de latibulis eorum halitu suo educendi, quæ omnia veteribus naturæ scrutatoribus fuere explorata [9]. S. Chry- E sostomus [10] in Job, explicite asserit, cervas facile eniti, ac sine obstetricis auxilio; quod revera Job in allato loco adnotare voluit, quemadmodum in Commentario nostro adnotavimus.

Aristoteles demum [11], & Plinius, qui afferuntur ad probandum, cervas purgari, antequam fœtus suos edant, dicunt post partum ipsas *seselim* quæritare, ut purgentur. Vellem igitur Hebræum ita reddere: *Vox Domini terret cervas, easque elicit de latibulis suis*. Ad litteram: commovet cervas, & detegit nemus. Vel: *tonitru perterret cervas, & detegit sylvestres capreas* [12]. Vel denique: attonitas reddit cervas, & nemora prosternit. Symmachus [13] *agros* reddiderat eam vocem, quam hic textus reddit *cervos*, ita plane: *Vox tonitrui replet agros, & detegit sylvas*. Verti quoque potest cum Syro: *Tonitru agitat ramos, & evellit nemora*.

Et in Templo ejus omnes dicent gloriam.] Cum Deus emittit vocem suam, & tonitruum suorum strepitu, ac tempestatis fragore nobis terrorem immittit, tunc omnes in Templum confluunt, ac Domini majestatem, & potestatem supremam venerantur. Vel: Omnes in Templum accurrunt, Domino gratias acturi ob pluviam, qua tellurem irrigavit. Vide Psalmum 64. 3.

℣. 9. Dominus diluvium inhabitare facit; & sedebit Dominus Rex in æternum.] Immisso per tonitruum fragorem in omnem terram metu, effundit mox imbrium diluvium, quod illi uberratem, & copiam largitur. Hebræus aliter, atque aliter vertitur [14]. Alii: *Dominus habitat in diluvio*, vel super diluvium. Manet ille super aquas superiores, in summo cœlo, & imperium suum in nubes exercet: ita ut versiculus hic non aliud afferat, quam quod in ipso dictum est primordio: *Vox Domini super aquas: Dominus super aquas multas*.

Chaldæus, quem plurimi Interpretes sequuntur, de universali explicat cataclysmo, temporum Noe. Tunc sedit Dominus in judicio, ac omnem terram obruit aquis, ut impiorum nefaria scelera persequeretur. Verti potest omnino simpliciter: *Dominus sedit super inundationem*, vel super pluvias; *Dominus, tamquam Rex sedit super solium suum in omnia secula*. Deus dominus est tonitruum, & imbrium, ac omnium Naturæ effectuum.

℣. 10. Dominus virtutem populo suo dabit, &c.] Dominus omnipotens est universorum dominator. Ipse nos virtute, ac benedictionibus replet; nos bonis, pace, prosperitate, vi, robore contra inimicos nostros cumulat; arvis nostris per pluviam uberratem, ac regioni nostræ pacem permittit. *Virtus* sæpius pro divitiis, ac temporalibus bonis usurpatur. Sed in Job, imber vocatur etiam [15] *fortitudo Dei*; aer, & cœlum dicitur [16] *firmamentum virtutis ejus*, ea plane de causa, quod ibi conflatur pluvia; & tonitru vocatur in Psal. 67. 34. *Vox virtutis Dei: Dabit voci suæ vocem virtutis*; eo fortasse, quod tonitru causa, vel præcursor pluviæ putatur. Vide supra vers. 3. *Vox Domini in virtute*; & Psalmum 64. 7. in Hebraico textu: *Præparans montes in virtute tua*: videlicet imbrium virtute montibus fœcunditatem impertiens.

PSAL-

1 70. Edit. Rom. Καὶ λεπτυνεῖ αὐτὰς ὡς τὸν μόσχον τὸν Λίβανον. Ita Euseb. Basil. Athan. Euth. Nicephor. *Comminuet eas tamquam vitulum Libanum*: Edit. Complut. Λεπτυνεῖ αὐτὰς ὡς τὸν μόσχον τοῦ Λιβάνου. Ita Chrysost. Theodoret. Apollin. 2 קל יהוה חצא להבות אש Symmach. Κατεδιαιρῶντος.
3 קול יהוה יחיל מדבר Hieronym. *Vox Domini parturire faciens desertum*. Sym. Ἐμποιζοντος. Aqu. Ὠδίνοντος.
4 Vide Genes. 20. 1. Exod. 47. 19. Num. 13. 27. &c. 5 קול יהוה יחולל אילות ויחשף יערות Hieronym. *Vox Domini obstetricans cervis, & revelans saltus*. Aquil. Ὠδίνοντος ἐλάφους. 5. Edit. Μαιουμένη ἐλάφους.
6 Job. 39. 3. *Incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt*. 7 Cicero lib. 2. de Natur. Deorum. Plin. lib. 8. cap. 32. *Fœminæ ante partum purgantur herba quadam quæ seselis dicitur: faciliore ita utentes utero*. 8 Hieronym. hic. August. Cassiodor. Basil. Euseb. Theodoret. Didym. Athanas.
9 Plin. lib. 7. c. 32. *Et his est cum serpente pugna. Vestigant cavernas, narium que spiritu extrahunt renitentes*.
10 Chrysost. in Job. 39. 3. Vide Pinedam in idem cap. 11 Arist. lib. 9. Hist. Anim. cap. 5. Plin. lib. 8. cap. 32. *A partu duas habent herbas, quæ aros, & seselis appellantur. Pastæ redeunt ad fœtum*.
12 יער Arabice *hircum* significat. 13 Sym. Φωνὴ Κυρίου πληθυνούσης πεδία. 14 יהוה למבול ישב Hieronym. *Domini diluvium inhabitat*. Ita & Psalt. Rom. Mediol. Carn. Germ. & August. ex 70. Κύριος τὸν κατακλυσμὸν κατοικιεῖ. Hieronym. ad Suniam & Fretell. utramque lectionem agnoscit. *Dominus diluvium inhabitat, & inhabitare facit*. 15 Job. 38. 6. *Imbri fortitudinis suæ*. 16 Psal. 150. 1. *In firmamento virtutis ejus*.

PSALMUS XXIX.

Gratiarum actiones David post grave periculum, & pro reddita sibi sanitate.

In Dedicatione Domus David.

ARGUMENTUM.

Præstat totum titulum ita reddere: *Psalmus*, vel *Canticum David pro dedicatione domus*, vel Templi; in Textu enim [1] David refertur ad *Psalmum Cantici*, non autem *ad Domum* [2]; quæ posterior vox vulgo domum significat; sed crebro pro Templo usurpatur; & Interpretes plurimi explicant, perinde quasi psalmus hic cantatus fuerit, vel in dedicatione Tabernaculi Sion, a David erecti, vel in Templi dedicatione a Salomone ædificati [3]; vel in alterius Templi dedicatione a Zorobabel instaurati [4]: vel denique perinde ac conscriptus fuerit, ut caneretur in Tertii Templi dedicatione, quam Judæi Messiæ temporibus præstolantur. Patrum plerique eum spiritualiter de Jesu Christi resurrectione interpretantur, cujus corpus gloriosum, atque impassibile factum, in Salomonici Templi dedicatione fuerat figuratum. Rabbini docent, Psalmum hunc recitari consuevisse, cum primitiæ inferrentur in Templum.

Qui nomen *Domus* in propria significatione accipiunt, putant a Davide fuisse compositum, cum ædium suarum dedicatio institueretur [5], quas ille super montem Sion ædificavit, postquam cepit Jerusalem [6]. Alii censent, ipsum eum cecinisse, cum Absalone cæso, in Jerusalem reversus expiavit domum suam sordibus, quibus illam dedecoraverat Absalon [7], atque ita rursus domum suam dedicavit. Consuetudo solemniter domos Privatorum etiam dedicandi, familiaris erat apud Hebræos [8]: quæ sententia in hac hypothesi communis est [9]. Morbus vero, de quo hic sermo, explicatur de sollicitudinibus, & curis, quibus in ipso contra Absalonem bello angebatur. Theodoretus [10] nihil in hoc Psalmo inveniens, quod referri possit ad Templi, vel domus dedicationem, eum transfert ad Ezechiam insigni liberatum morbo, de quo liber quartus Regum 20. 6. 7. & Isaias 38. 1. 2. loquuntur.

Alii [11] hanc simplicem esse arbitrantur gratiarum actionem David post aliquem morbum in pristinam salutem restituti: Titulum vero, qui de domus dedicatione loquitur, explicant, perinde quasi dumtaxat innueret, hunc cani consuevisse ad eosdem numeros, vel iisdem musicis instrumentis, quorum usus fuerat, cum Regiæ ædes dedicarentur. Quin ulli ex his sententiis adhæreamus, eum explicabimus, tamquam compositum in dedicatione areæ Ornan, ubi David Aram extruxit, postquam lues, quæ omne Regnum illius vastaverat, subsedit [12]. Omnes Psalmi hujus partes adamussim adeo huic circumstantiæ respondent, ut mirum sit, quod hæc explicatio in mentem nemini Interpretum venerit.

1. EXaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos
super me. 2 Domine Deus meus, clamavi ad te, & sanasti me. 3 Do-
mine eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum. 4
Psallite Domino Sancti ejus: & confitemini memoriæ sanctitatis ejus. 5 Quoniam
ira in indignatione ejus: & vita in voluntate ejus. 6 Ad vesperum demorabitur
fletus: & ad matutinum lætitia. 7 Ego autem dixi in abundantia mea: Non move-
bor in æternum. 8 Domine, in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem. 9
Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus. 10 Ad te, Domine, cla-
mabo: & ad Deum meum deprecabor. 11 Quæ utilitas in sanguine meo, dum de-
scendo in corruptionem? 12 Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit ve-
ritatem tuam? 13 Audivit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est ad-
jutor meus. 14 Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum
meum, & circumdedisti me lætitia: 15 Ut cantet tibi gloria mea, & non compun-
gar: Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

℣. 1. EXALTABO TE, DOMINE, QUONIAM SUSCEPISTI ME, NEC DELECTASTI [13] INIMICOS MEOS SUPER ME.] Maximas tibi, Deus, ago gratias, quod extendisti ad me manum tuam, & eduxisti me de eo squalore, in quo versabar, & de periculo, in quod per imprudentiam, inanemque voluptatem recensendi populi mei, memet objeceram. Dixisti Angelo exterminatori, ut gladium A suum vagina conderet; effecisti, ut pestis cessaret; neque permisisti, ut inimici, qui me circumstant, ac finitimi populi meæ fortunæ, ac felicitati invidentes, subditorum meorum excidio, ac Regni mei interitu lætarentur. Hebr. [14] *Exaltabo te*, enarrabo magnalia tua, *quoniam hausisti me*, & eduxisti de abysso, in quam proruceram &c.

℣. 2. CLAMAVI AD TE, & SANASTI ME.] Dolo-

re,

1 מזמור שיר חנכת הבית לדוד 2 Ita Muis, Tigur. Jun. Chald. alii.
3 Basil. Didym. Lyr. Rabb. plerique Chald. Genebr. 4 Ita Cæremoniale Judæorum Germ. & alii apud Selden. de Synedriis lib. 3. cap. 13. 5 Abenezra, Muis, Moller. Flamin.
6 2. Reg. 5. 9. 7 2. Reg. 16. 21. 22. 8 Deuteron. 20. 5. 2. Esdr. 12.
9 Grot. Hammond. Bossuet, Gejer. 10 Theodoret. hic. Vide & Athanas. in Catena. Dan. Barbari, & Bedam, hic. 11 Vide Ferrand. & Muis. 12 2. Reg. 24. 25. & 1. Par. 21. 26.
13 August. Jocundasti. 14 ארוממך יהוה כי דליתני ולא שמחת איבי לי 70. Ὅτι ὑπέλαβές με. Aquil. Ἀνεβίβασάς με. *Me ascendere fecisti*. Genebr. *Sustulisti me*.

te, ac tædio confectus eram, videns populum meum ob oculos meos pereuntem propter scelus, cujus ille innocens erat; & sicuti ego unus illi eram obnoxius crimini, ita singulis momentis mortem opperiebar: nosti etiam, me ex tribus flagellis, quorum mihi optio relicta fuerat [1], ideo pestem elegisse, ut difficilius evadere possem ex justæ iræ tuæ ictibus, memet hoc pacto cum cæteris commiscens, atque veluti infimus ex popello, huic me supplicio subjiciens. Verum mero tuæ misericordiæ effectu eduxisti me de his pœnis, ac liberasti me de morte, quam juste adeo meritus fueram.

℣. 3. EDUXISTI AB INFERNO [2] ANIMAM MEAM.] Eduxisti me de proximo, ac ferme inevitabili mortis periculo, in quo versabar; me quodammodo de sepulchro eruisti; ac de manu mortis eripuisti: *Salvasti me a descendentibus in lacum*. Hebr. [3] *Vitam mibi reddidisti de medio eorum, qui descenderunt in foveam*. Hæc omnia naturaliter explicantur de Resurrectione J. C. cujus David in omnibus vitæ suæ circumstantiis fuit figura.

℣. 4. PSALLITE DOMINO, SANCTI EJUS.] Sacerdotes Domini, qui singulari electione illius ministerio estis dicati, agite illi gratias ob tot benefacta, totius Nationis nomine. Vel: Populus Israel, Natio sancta, Popule electe, qui crebro adeo misericordiæ ejus effectus estis consecuti [4], illi gratias agite, propterea quod amovit ab Jerusalem exterminatorem Angelum, qui eam lue teterrima percussurus erat.

CONFITEMINI MEMORIÆ SANCTITATIS EJUS.] Vel sacro nomini illius. *Memoria Dei* est proprie nomen ejus; illud enim enuntiari audientes, reminiscimur illius. *Qui est, misit me ad vos*, dicit Dominus Moysi Exod. 3. 15. Dominus Deus patrum vestrorum, *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.... hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem*.

℣. 5. QUONIAM IRA IN INDIGNATIONE EJUS, & VITA IN VOLUNTATE EJUS.] Iræ suæ effectus experimur, cum indignatione succensus est; ejus vero favoribus cumulamur, cum gratiam illius promeremur. Eatenus tantummodo miseri sumus, quatenus volumus; & nobis suam ideo dumtaxat denegat opem, quod eadem nos indignos probamus [5]. Hebræus [6]: *ira ejus momento tantum persistit; gratia vero in omnem vitam extenditur*. Sequens versiculus explicationi huic suffragatur: *Ad vesperum demorabitur fletus; & ad matutinum lætitia*. Confer Isaiam cap. 54. vers. 7. 8. At Vulgatæ versionem præferre malim [7]: *In ira sua nos conterit*, in nos animadvertit, *in benevolentia vero vitam tribuit*. Septuaginta, ac Prisci Interpretes fere Hebraicam vocem *Rhega* reddidere præceps, subitumque excidium, lapsum, turbamque inopinatam [8]; quem genuinum esse Textus sensum mihi persuadeo. Dominus percussit me in ira sua; in benignitate sua mihi vitam reddit.

℣. 6. AD VESPERUM DEMORABITUR FLETUS, & AD MATUTINUM LÆTITIA.] Momento quidem actum de nobis censemus, at repente Dominus in gratiam suam nos clementissime revocat, nostrosque fletus abstergit. De Apostolis hoc explicatur, qui mœrore confecti noctem, quæ Jesu Christi mortem subsecuta est, cum sequenti etiam, in lacrymis transegere, sed postridie mane Dominicæ Resurrectionis summa affecti fuere lætitia.

℣. 7. EGO AUTEM DIXI IN ABUNDANTIA MEA: NON MOVEBOR IN ÆTERNUM.] Prosperitas, rerum

A affluentia, diuturna pax, summa potestas Davidem in scelus pellexere. Se locupleti, frequenti, ac bellicoso præpositum populo videns inani captus est desiderio ineundi censum illius, ut cognosceret, quot milites, cum vellet, posset conscribere, vel quantam auri vim ex vectigalibus exigere; vel simpliciter etiam ut ambitioni suæ satisfaceret, qua ob tantum imperium intumuerat. Non vires, non invidiam hostium suorum metuebat; Nemo enim in finitimis aderat, qui illius impetum posset propulsare. Se invictum ferebat, neque ullis umquam sequioris fortunæ ictibus lacessendum. Verum satis humilitatem, ac infirmitatem suam tunc intellexit, cum Deus populum ejus terribili affecit vulnere, minitatus etiam, se illi interitum allaturum exterminatoris Angeli gladio. *Avertisti faciem tuam, &*
B *factus sum conturbatus*. Triduo dumtaxat vultum tuum avertisti [9], & statim turbis exagitor, terrore conficior.

℣. 8. DOMINE, IN VOLUNTATE TUA PRÆSTITISTI DECORI MEO VIRTUTEM.] Non satis adhuc, Domine, intelligebam, te unum mihi eam, qua circumdatus sum, potestatem contulisse. Hoc mihi, non tibi, gloriæ vertebam. Non satis agnoscebam, quam caute jura tua tibi vendices, & quam grave scelus homo committat, cum tuæ auctoritatis detrimento, eorum aliquid sibi vendicare contendat. Verum percussisti me, ac fecisti, ut intelligerem, me, si quid eram, hoc esse ob tuam benignitatem.

Hebr. [10] *Domine per bonitatem tuam posuisti vim in monte meo*; communivisti montem meum, amplificasti ditionem meam, thronum meum confirmasti. Symma-
C chus [11]: *dedisti virtutem progenitori meo per potentiam tuam*. Sed Versio Septuaginta longe præstat [12]. Legerunt quippe *haderi*, gloriam meam, decus meum, pro *harери* montem meum. *Posuisti virtutem super gloriam meam*; hoc est ad honoris gradum me evexisti, ac in eo per virtutem tuam conservasti.

℣. 10. AD TE DOMINE CLAMABO.] Vel potius: Ad te clamavi, ut averteres iram tuam a populo meo, eamque in me unum converteres. Cum summo dolore affligerer, ad te clamavi: *Ego sum, qui peccavi, ego inique egi: isti, qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei*. 4. Reg. 24. 17.

℣. 11. QUÆ UTILITAS IN SANGUINE MEO, DUM DESCENDO IN CORRUPTIONEM?] Quid est, Domine,
D vita mea, vel sanguis meus, ut iræ tuæ satisfacere valeat? Cum e vivis exturbatus fuero, ac in pulverem redactus, quem inde fructum percipies? Num victima sum, quæ sufficere possit eluendæ injuriæ, qua per scelus meum te lacessivi? Si in eos omnes, qui peccant, fulmina ejacularis, quid fiet de gloria tua? Quis recinat laudes tuas? Quis misericordiam tuam annuntiabit? Num pulvis laudabit te, & qui in sepulchris delitescunt, magnalia tua celebrabunt? *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Similes ferme locutiones vide, Psalm. 87. 2. 113. vers. 17. 18. Baruch 2. 17. &c.

Patres [13] hoc de Jesu Christo interpretantur. Quid proderit mors mea, nisi resurgam? Symmachus [14] ita versiculos 8. 9. 10. adnectit post ea verba, *Factus sum*
E *conturbatus*: Cum in afflictione versarer, dixi: Clamabo ad te, Domine, & elevabo ad te preces meas, ad te, Deus meus; Quam utilitatem percipies *e sanguine meo, cum in* sepulchri *corruptionem contabuero*? &c.

Au-

---

1 2. Reg. 24. 13. 2 Psalt. Roman. *Abstraxisti ab inferis*. Aug. *Reduxisti*. Psalt. Mediolan. *Abstraxisti ab inferno* 3 חייתני מיורדי בור 4 חסידיו *Misericordes ejus*, vel *misericordiam consecuti*.
5 Vide S. Aug. & Theodoret. Euseb. Athanas. 6 כי רגע באפו חיים ברצונו
7 Ὅτι ὀργὴ ἐν τῷ θυμῷ αὐτοῦ, καὶ ζωὴ ἐν τῷ θελήματι αὐτοῦ. Aquil. Ὅτι ἀθρισμὸς. *Omnia diruit in indignatione sua*. 5. Edit. Ὅτι συντέλεια εἰς θυμῷ αὐτοῦ. 8 רגע Jerem. 4. 30. Διασωάω. 31. 2. Ὀλίγω. Isai. 51. 15. Θυράττω. Ezech. 32. 10. Πτῶσις. Exod. 33. 15. Πληγή. Psalm. 34. 23. Ὀργή. Job, 20. 5. Ἀπωλεία. Isai. 28. 12. Σύντριμμα. 9 Vide 2. Reg. 24. 13. Elegerat David flagellum triduanæ pestis: at Domini minæ integro effectu caruere. 10 יהוה ברצונך העמדת להררי עז Aquil. & 6. Edit. *Statuisti monti meo fortitudinem*. Ita Hieronym. 11 Symmach. Ἐν τῇ δικαίᾳ σου ἔστησας τῷ προπάτορί μου κράτος.
12 70. Ἐν τῷ θελήματί σου παρέσχου τῷ κάλλει μου δύναμιν. Ita fere Syr. 13 Origen. in Jerem. Hom. 11. Hieronym. hic. 14 Symmach. Ὀν τοῖς κακοῖς χρώμενος ἔλεγον . . . τί κέρδος ἐν τῷ αἵματί μου.

℣. 13. AUDIVIT DOMINUS, & MISERTUS EST MEI.] Hebr. [1] *Audi, Domine, & miserere mei: esto præsidium meum.*

℣. 14. CONVERTISTI PLANCTUM MEUM IN GAUDIUM MIHI, CONSCIDISTI SACCUM MEUM &c.] Summa affecisti me lætitia, & gemitus meos in hilaritatis voces convertisti, dicens angelo exterminatori 4. Reg. 24. 16. *Sufficit: nunc contine manum tuam: parce Jerusalem.* Luctus insignia a me divulsisti, conscidisti saccum, quo in squalore meo indutus eram, ut mihi gloriæ zonam tribueres. Saccus, quo Jesus Christus indutus est, ipsius est humanitas. Saccus iste conscissus est in passione illius, ait S. Augustinus hic, & redemptionis nostræ pretium, quod ibi continebatur, egressum est.

℣. 15. UT CANTET TIBI GLORIA MEA, & NON COMPUNGAR.] Scilicet dolore non afficiar. Sine ullo metu imposterum laudes tuas celebrabo, certus futurum, ut mihi peccati mei veniam tribuas, atque erga populum tuum utaris elementia. Hebr. [2] *Ut prædicetur gloria tua, & non taceatur.* Ut indefinenter laudes tuæ celebrentur. Vel cum Symmacho [3]: *Ut gloria, qua me circumdedisti, te indesinenter commendet.* Chaldæus: *Ut Principes terrarum haud intermissis laudibus te colant.*

1 שמע יהוה וחנני יהוה היה עזר לי 2 למען יזמרך כבוד ולא ידם
3 Sym. Ἵνα ᾄδῃ σε δόξα, καὶ μὴ σιωπήσῃ. Hieronym. *Ut laudet te gloria, & non taceat.*

PSALMUS XXX.

Oratio Justi vexati, ab amicis derelicti, in egestatem redacti. Ejus in Deum confidentia; & liberatio.

In finem, Psalmus David, pro extasi.

ARGUMENTUM.

Verba hæc: *pro extasi*, nec in Hebræo, neque in Chaldæo textu leguntur; sed apud Septuaginta tantummodo extant. Non prisci Interpretes Græci, non S. Hieronymus ea legerunt; videntur imo neque in primis Septuaginta Exemplaribus extitisse, quandoquidem Theodoretus ait in castigatioribus defuisse; & ad hanc quoque diem MSS. non desunt, in quibus nequaquam leguntur [1]. Qui titulum hunc addidere, eum ex 23. Psalmi hujus versiculo deprompsere, ubi habemus; *Ego dixi in excessu meo* &c. credentes Psalmum hunc integrum, orationem esse a Davide extra se præter ordinem raptum in excessu mentis compositam.

Interpretes quidam [2] pro hac extasi intelligunt terrorem, quo David correptus fuit, certior factus de Absalonis conjuratione. Alii [3] de peccato David explicant, perinde ac fuisset illo repentinus, neque præmeditatus lapsus. Recentiorum vero plerique [4] de ea difficultate interpretantur, qua obrutus fuit, cum Saul in deserto Maon illum undique conclusit; ita ut hinc mons imminens, inde Saul urgens omnem aufugiendi viam ipsi præriperent [5]. Ferrandus psalmum hunc a Davide concinnatum fuisse putat, cum a terra Israel secedere debuit in civitatem Geth apud Achis concessurum. 1. Reg. 27. 1. & seq.

Verum ex Versiculis 14. 15. 16. & 17. liquet, David tunc inter hostes suos fuisse, se se iisdem circumseptum vidisse, eorum pravos sermones, eorumque calumnias audiisse; amicos vero ab illo fugisse, cognatos ejus pro ipso stare minime ausos fuisse: atque ut verbo omnia complectar, cum mihi videre videor in Saulis aula, cum improba Regis voluntas in ipsum erupit [6], & Saul imperavit, ut David caperetur, occideretur; cum Rex ipse nequiquam conatus est illum lancea transverberare [7]; cum denique satellites dimisit, qui eum domi cubantem comprehenderent. Post hæc David tamquam perditus homo habitus fuit: inimici ei non pepercerunt: aulici injustam Regis iram induerunt: David vero solus, aliquandiu, de urbe in urbem confugere coactus fuit, donec tandem penitus e ditione Saulis evasit. Hac insistentes via Commentarium elaborabimus. Patres hæc explicant de J. C. passo, & de illius Ecclesia exagitata. Veteres nonnulli [8] Psalmum hunc ad Judæos Babylonis captivos retulere.

1. IN te, Domine, speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.
2 Inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eruas me. 3 Esto mihi in Deum
protectorem, & in domum refugii, ut salvum me facias. 4 Quoniam fortitudo
mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.
5 Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.
6 In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Domine Deus veritatis.
7 Odisti observantes vanitates, supervacue. 8 Ego autem in Domino speravi: exultabo, & lætabor in misericordia tua. 9 Quoniam respexisti humilitatem meam: salvasti de necessitatibus animam meam. 10 Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos. 11 Miserere mei, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus: 12 Quoniam defecit

1 Codices Regii 1775. & 2606. & 222. & Memm. 2. Vide Ferrand. hic. 2 Theodoret. Euthym. Nicephor.
3 Euseb. Basil. Athanas. 4 Kimchi, R. Sal. Muis, Vatab. Bossuet, du Pin.
5 1. Reg. 23. 25. 26. & seq. 6 1. Reg. 19. 1. *Locutus est Saul ad Jonathan, & ad omnes servos suos, ut occideret David.* 7 Ibidem vers. 10. 11.
8 Heracleotes, hic. & Chrysost. in Catena, ad vers. 7.

in dolore vita mea : & anni mei in gemitibus . 13 Infirmata est in paupertate virtus
mea : & ossa mea conturbata sunt . 14 Super omnes inimicos meos factus sum oppro-
brium, & vicinis meis valde : & timor notis meis . 15 Qui videbant me, foras fuge-
runt a me: oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde . 16 Factus sum tamquam
vas perditum : Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu .
17 In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt .
18 Ego autem in te speravi, Domine : dixi : Deus meus es tu : in manibus tuis sor-
tes meæ . 19 Eripe me de manu inimicorum meorum, & a persequentibus me . 20
Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua : Domine ,
non confundar , quoniam invocavi te . 21 Erubescant impii , & deducantur in infer-
num : muta fiant labia dolosa . 22 Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem : in
superbia , & abusione . 23 Quam magna multitudo dulcedinis tuæ , Domine , quam
abscondisti timentibus te . 24 Perfecisti eis, qui sperant in te , in conspectu filiorum
hominum . 25 Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum . 26
Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum . 27 Benedictus Dominus :
quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita . 28 Ego autem dixi
in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum . 29 Ideo exaudisti
vocem orationis meæ, dum clamarem ad te . 30 Diligite Dominum omnes Sancti ejus ,
quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam .
31 Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino.

℣. 1. IN TE DOMINE SPERAVI , NON CONFUNDAR IN ÆTERNUM .] Ego numquam rubore suffundar [1], numquam me spes mea frustrabitur. IN JUSTITIA TUA LIBERA ME [2] .] Nosti innocentiam meam , ne me opprimi sinas ; ad te provoco ; esto Judex inter Saulem , & me . Symmachus : *Libera me per misericordiam tuam* . Justitia nonnumquam pro misericordia usurpatur [3] .

℣. 3. IN DEUM PROTECTOREM , & IN DOMUM REFUGII .] Hebr. [4] *esto mihi rupes fortis* , ac inaccessa , *&* *habitaculum communitum* , arx inexpugnabilis . Allegoriam eamdem subsequens versiculus persequitur : *Fortitudo mea , & refugium meum* .

℣. 4. PROPTER NOMEN TUUM DEDUCES ME , & ENUTRIES ME .] Hebr. *Propter nomen tuum , deduc me , & age me* . Nosti , Domine mi , quo miseriarum devenerim propter injustam Regis mei indignationem . Quam reditus spem , quod præsidium , quod refugium habere potest privatus vir , qualis ego ? Quo confugere potero , ut illius impotentiam effugiam ? Esto dux mihi , Deus meus , arx mea , refugium meum . Antiqua Psalteria [5] : *Dux mihi eris , & enutries me* . Psalterium Mediolanense : *Et educabis me* . Symmachus [6] : Deduces me , *& mei curam geres* .

℣. 5. EDUCES ME DE LAQUEO .] Hebr. [7] *de retibus* , de plagis . Tetendit Saul insidias Davidi , nec semel . Sed tunc cum graviori discrimine , cum Ducibus , & necessariis suis imperavit , ut illi dolos necterent , palam dicens illis , ut conquisitum hominem sibi traderent 1. Reg. 19. 1. *dixit ad Jonathan filium suum , & ad omnes servos suos , ut occiderent David* ; & cum maligno correptus Spiritu Davidem accivit , ut coram se fidibus personaret , quem tamen confodere lancea adnisus est . David Regis consilio nequam exploraro imperia , quibus coram Rege in aula jubebatur adesse , tamquam insidias sibi positas , arbitrabatur . Verum eripuit inde illum Deus per summam misericordiam .

℣. 6. IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM : REDEMISTI ME , DOMINE , DEUS VERITATIS .] Vel potius tibi commendo vitam meam , o Deus, in promis-

A sionibus tuis usquequaque fidelis . Spero equidem , futurum ut eam servare velis , & exequi consilium tuum , quod de me iniisti , ac per Prophetam tuum mihi ostendisti . Non enim frustra per Samuelem regio chrismate me inungi jussisti , atque hactenus aperte adeo mihi es patrocinatus . Erue igitur me de manu inimicorum meorum . Colloco in manibus tuis animam meam , ac vitam meam veluti depositum , quod mihi , quocumque tibi libitum modo fuerit , mihi asservabis . Jesus Christus de cruce pendens hæc protulit verba Luc. 23. 46. *In manus tuas commendo spiritum meum* . Primus ille Martyrum flos S. Stephanus exemplum hoc est imitatus Act. 7. 58. *Hoc & Sancti orant* , S. Hieronymus inquit , *quando exeunt de corpore* .

℣. 7. ODISTI OBSERVANTES VANITATES SUPERVA-
B CUE .] Vel idola venerantes [8] , superstitionem , auguria , divinationem [9] , inanes , impiosque cultus sectantes . Ego autem , Domine , in te confido . Nescio vero , utrum præstaret hæc verba , *Observantes vanitates* , intelligi , perinde quasi Saul , & aulici illius indirecte designarentur . Rex ille contra ariolos decreta quædam constituit , verum satis , superque edocuit , se non omnino alienum ab his superstitionibus esse , cum ante prælium in Gelboe commissum Pythonissam Endor consuluit [10] . Id superiori etiam versiculo subnecti potest hoc pacto : Educes me de periculo hoc , Deus veritatis : *Odisti observantes mendacium* , & vanitatem . Eripies me de manibus Saul , de manibus illius , qui perperam adeo adimplet ea , quæ toties iterata spopondit , ne ulterius in me exardescens mihi moliretur interitum .
C Vanitas sæpe in Scripturarum stylo pro mendacio usurpatur [11] .

℣. 9. QUONIAM RESPEXISTI HUMILITATEM MEAM , SALVASTI DE NECESSITATIBUS ANIMAM MEAM .] Quoties eduxisti me de laqueis , quos tetenderunt mihi inimici mei ? Quoties meditatum Saulis in ore facinus dissolvisti ? Credere nequaquam possum te nunc velle , me in manus ejus tradere . Tu scis humiliationem , dolorem , afflictionem [12] , qua vexor . Nosti , quas in calamitates inimici mei me impulerint , & necessitatem , in quam

1 אל אבושה, *Ne confundar : ne erubescam* . 2 70. addunt : Καὶ ἐξελοῦ με . Aug. *Erue me , & exime me* . Psalter. Roman. *Libera me , & eripe me* . 3 Vide Psalmos 5. 9. 22. 2. &c. Symm. hic . Ἐν τῇ ἐλεημοσύνῃ σου . 4 היה לי לצור מעון לבית מצורות 5 Aug. Psalter. Roman. Carnut. S. German.
6 Symm. Τημελήσεις με . 70. Διαθρέψεις . 7 תוציאני מרשת Hieronym. *Educes me de reti* . 70. Ἐκ τῆς παγίδος . Aug. *Ex muscipula* . 8 Vide Deut. 32. 21. 3. Reg. 16. 26. Jerem. 2. 5. 8. 19. 10. 15.
9 Kimchi , Abenezra , Muis , Ham. Ferrand. 10 1. Reg. 28. 8. 9.
11 שוא *pro mendacio* . Deuter. 5. 20. Jonas 2. 9. Psalter. 4. 3. Proverb. 30. 8. &c.
12 ראית את עניי Hieron. *Vidisti afflictionem meam* .

in quam me vocarint, ut mortem evitare non possem, A nisi vel fuga, vel defectione mihi consulerem. Quæ enim haberi fides potest promissionibus Saul post ea omnia, quæ transacta sunt? Hebr. [1] *Vides afflictionem meam; agnoscis dolores*, angustias *animæ meæ*. Tu mihi testis es; fieri ne potest, ut ad misericordiam non commovearis?

℣. 10. STATUISTI IN LOCO SPATIOSO PEDES MEOS.] Animadvertendum hic est, quod alibi etiam vidimus, Regium Psaltem tunc tandem Psalmos suos fuisse elucubratum, cum e periculis evasisset; ita ut omnia simul exprimat, & dolores, quibus agitabatur inter mala, quæ ingruebant, & lætitiam, qua affectus fuerat, illis defunctus. Saul omnibus audientibus dixerat, sibi acceptissimum fore, si quis necem Davidi intulisset: Nemo tamen in illum manus inferre ausus est. B Saul eum lancea confodere adnisus est eoram se cythara personantem; verum Dei ope ex eo periculo evasit. Tandem misit Saul satellites suos, qui Davidem domi commorantem comprehenderent, sed Michol per fenestram dimissum surripuit. Post hæc omnia, quæ subjerat, pericula, David Deo gratias agit, quod ipsum de angustiis eduxerit, ac in loco spatioso pedes ejus statuerit.

℣. 11. CONTURBATUS EST IN IRA OCULUS MEUS, ANIMA MEA, & VENTER MEUS.] Hi sensus superioribus adversantur. David extorrem a patria sua, procul a domo, vagum, errantemque in regione sua vitam trahere coactus, quin in publicum audeat prodire, ne in inimicorum suorum manus dilabatur, isthic indignationem suam contra illorum injustitiam C testatur. Indignatio conturbavit aciem oculorum meorum, & effudit amaritudinem in animam meam, ac in ventrem meum. Hebræos unum isthic adhibet verbum ad exprimendam oculi, animæ, ventrisque conturbationem. Interpretes reddunt [2]: *Conturbatus est*, exaruit, caligavit, consenuit, contabuit.

℣. 13. INFIRMATA EST IN PAUPERTATE VIRTUS MEA.] David festinanter fugam corripere coactus, & quin se se ea in regione ostentare auderet, sævissima, quæ pauperies ingerere solet, mala pati debuit; qua de re judicium ferre possumus vel ex iis, quæ illi in Nobe contigerunt, ubi cum non aliud ipsi viaticum suppeteret, vesci debuit panibus illis, qui oblati fuerant in mensa Domini, & quos comedere Sacerdotibus dumtaxat integrum erat.

Hebræus, uti hodie legimus, habet [3]: *Concidit virtus mea*, præceps lapsa est, *propter iniquitatem meam, & ossa mea consenuerunt*, contabuerunt, infirmata sunt &c. Verum Septuaginta, & Vulgatæ [4] calculum adjicimus; meliorem enim sensum adstruunt, ac in toto Psalmo David ne verbum quidem adfert de scelere suo. Numquam læserat Saulem, neque ullum, quem noverimus, flagitium admiserat, quo hæc sibi supplicia fuerit promeritus. Symmachus [5]. *Concidit virtus mea propter nequitiam*, quam exercuerunt in me, *& ossa mea sunt carie confecta*.

℣. 14 SUPER OMNES INIMICOS MEOS FACTUS SUM OPPROBRIUM, & VICINIS MEIS VALDE: & TIMOR NOTIS MEIS.] Opprobrium factus suum omnibus inimicis meis cum externis, tum internis. Tam alienigenæ, E quam contribules mei contemnunt me: Omnes intuentur me tamquam calamitosum virum, proscriptum, ac in nullam reditus spem perditum. De Davide sermones feruntur, tamquam de viro quopiam, Regis, ac Regni hoste apertissimo, ab aula ejecto, qui nuspiam in lucem auder prodire. Alienigenæ, quorum invidiam, ac odium militiæ præclare gesta conflarunt mihi, me flocci faciunt, ac tamquam abjectum, perditumque arbitrantur. Æmuli mei ex calamitate mea occasionem arripiunt lacessendi existimationem meam, & calumniis, opprobriisque me impetendi. Proximi, & consanguinei mei, qui fideliter adeo mihi adhærere videbantur, præ animi infirmitate, vel timore vel assentatione steterunt contra me. Statim ac felices esse desierimus, amici, consanguinei, & proximi nostri nobis terga vertunt.

ET TIMOR NOTIS MEIS.] Majestatis crimen est Davidis necessarium fuisse, vel illum novisse. Verentur, non solum pro me stare, verum etiam me cognoscere. Totus versiculi hujus textus ita reddi posset [6]. *Ab omnibus inimicis meis factus sum opprobrium*. Adversarii mei cuilibet contumeliarum generi me objecerunt, *etiam ex parte cognatorum meorum. Factus sum terroris causa cognoscentibus me*.

℣. 15. QUI VIDEBANT ME, FORAS FUGERUNT A ME.] Hebr. *Qui videbant me foris, fugiebant a me* [7]. Qui in plateis, vel compitis intuebantur me, avertebant faciem suam, ne obvii occurrerent mihi.

TAMQUAM MORTUUS A CORDE.] Oblitteraverunt nomen meum a corde suo, perinde ac fato functus fuissem. Chaldæus: Tamquam vir, qui animum despondit, & cui *cor deest*. Prior sensus potius arridet. Qui olim erant necessarii mei, se oblitos esse nominis mei simularunt, perinde ac numquam me agnovissent.

℣. 16. TAMQUAM VAS PERDITUM.] Tamquam vas fractum, vel quidpiam amissum, derelictum, perditum. *Vas* [8] pro qualibet re usurpatur.

AUDIVI VITUPERATIONEM MULTORUM &c.] Audivi probra, & calumnias eorum, qui mihi circumstant. Nulla habita ratione me undique, nomenque meum discerpunt. Non amplius clanculum illudunt mihi, meque contumeliis impetunt. Verum me coram, atque ob oculos meos obtrectant mihi. Hebr. [9] *Audivi injurios sermones*, vel *probra plurimorum*. *Circumundique non nisi terrorem*, atque inimicos *intueor*.

℣. 17. IN EO DUM CONVENIRENT SIMUL ADVERSUM ME ACCIPERE ANIMAM MEAM, CONSILIATI SUNT.] In suo cœtu, & concilio in eam sententiam abiere, ut mihi mortem inferrent. Non amplius in dubium vocatum est, utrum mihi esset intereundum, statim ac D Saul mentem suam deprompsit; verum hoc agebatur unum, ut vias quærerent, quibus mihi dolos struerent.

℣. 18. IN MANIBUS TUIS SORTES MEÆ.] Non ideo tamen animos despondi; sed perstiti omnem spem meam in te constituere, & dixi; Deus dominus est fortis meæ, vitæ, ac mortis meæ. Si venit hora mea, si me hostibus meis tradere statuit, imperiis illius mihi est obtemperandum, licet effugere studeam, omniaque caveam, voluntas illius adimplebitur: sin autem me tueri voluerit, inanes efficiet nequissimos inimicorum conatus. Hebr. [10] *In manibus tuis tempora mea*. Vitæ meæ diuturnitas in tua potestate est posita. Nonnulla vetera Latina exemplaria similiter habent [11].

℣. 20. ILLUSTRA FACIEM.] Benigno oculo me intuere. Vide Ps. 66. 2. 117. 27. 118. 135. Dissipa furentem hanc tempestatem, quæ adversum me insurrexit. Cor Saulis immuta.

℣. 21. ERUBESCANT IMPII, & DEDUCANTUR IN INFERNUM.] Accusatores mei, & qui Saulem acuunt contra me, salutari rubore suffundantur. Agnoscant scelera sua, ac Deo gloriam reddant, atque veritatem.

Vel

---

1 ידעת בצרות נפשי 2 עששה בכעס עיני נפשי ובטני Aquil. Ἀυχμώθη ἐν παροργισμῷ ὁ ὀφθαλμός μου. *Squaluit in ira*. Sym. Ἐθολώθη διὰ παροργισμός. *Turbatus est ob iram*. Hieronym. *Caligavit*.

3 כשל בעוני כחי ועצמי עששו Hieronym. *Infirmata est in iniquitate virtus mea*.

4 70. Ἠσθένησεν ἐν πτωχείᾳ ἡ ἰσχύς μου, καὶ τὰ ὀστᾶ μου ἐταράχθησαν. Legerunt: עני *afflictio, paupertas*, pro עוני *iniquitas*. 5 Symmach. Διὰ τὴν κάκωσιν ἡ ἰσχύς μου; καὶ τὰ ὀστᾶ μου ἠφανίσθη. Aquil. Καὶ τὰ ὀστᾶ μου ηὐχμώθη.

6 מכל צררי הייתי חרפה ולשכני מאד ופחד למידעי Aquila, Παρὰ πάντας τοὺς ἐχθρούς μου ἐγενήθην ὄνειδος. *Præ omnibus inimicis meis factus sum opprobrium*. Grot. *Coram omnibus inimicis meis*, &c.

7 ראי בחוץ נדדו ממני Hieronym. *Qui videbant me in plateis, fugiebant a me*. 8 ככלי אבד 70. Ὡσεὶ σκεῦος ἀπολωλός. 9 כי שמעתי דבת רבים מגור מסביב 10 בידך עתותי Aquil. Symmach. & alii. Οἱ καιροί μου. 11 Ita Psalt. Roman. Sancti German. & Carnut. sed Didym. Euseb. Theodoret. Apollinar. Nicephor. Euthym. Arab. Æthiopic. August. legunt: *Sortes meæ*. Οἱ κλῆροί μου.

Vel potius in Prophetiæ sensum vertendo: Ad desperationem tandem aliquando redigentur, ac erubescent, cum me solio insidentem conspexerint. Manus Domini percutiet illos, ac in sepulchrum dimittet. Heb. [1] *rugiant præ pudore, ad silentium redigantur in inferno*, vel in sepulchro.

℣. 22. LABIA DOLOSA . . . . IN SUPERBIA, & IN ABUSIONE.] Qui calumniantur mihi, *labia mendacii*, *qui dure*, contumeliose, injuste, *loquuntur adversus Justum* cum superbia, & contemptu. Hæc est Hebraici textus sententia [2], uti etiam Septuaginta [3]. S. Augustinus, & antiqua Psalteria legunt [4]: *In superbia, & contemptu.*

℣. 25. ABSCONDES EOS IN ABSCONDITO FACIEI TUÆ.] Quod isthic appellatur *absconditum faciei Domini*, sequenti versiculo dicitur *secretum Tabernaculi ejus*, interior pars tentorii illius. Si justi exagitantur, in penitiori ædium suarum parte illos excipit; in cubiculo suo eos protegit, sub oculis ejus, atque ante faciem illius tamquam in tutissimo asylo delitescunt, neque eos aliquis audet lacessere. Impiorum nequitia adversus justos limitibus suis est circumscripta; in illos tantum valet, quantum per Dominum ipsi licet. *Absconditum faciei* ad litteram significat *secretum præsentiæ suæ*. Orientis Reges sui copiam non faciebant, neque aliquem coram se admittebant, nisi amicos, & maxime necessarios; cui consuetudini isthic Regius vates alludit.

℣. 26. A CONTURBATIONE HOMINUM . . . A CONTRADICTIONE LINGUARUM.] Hebræus ad litteram [5]: Proteges illos *a duritie hominum, a contradictionibus linguarum ipsorum*: vel ab *arrogantia*, superbia, impotentia hominum: vel etiam *ab irrisionibus*, conviciis *eorum*; & *a jurgiis*, calumniis, injuriis *linguarum ipsorum*. Nunc his omnibus obnoxius sum, Domine, sed cum tibi libitum fuerit, inde eripies me.

℣. 27. MIRIFICAVIT MISERICORDIAM SUAM MIHI IN CIVITATE MUNITA.] David Saulis, aulicorumque ejus persecutionibus defatigatus, cum se nemini credere auderet, & vereretur, ne aliquando in inimicorum suorum manus decideret [6], consilium iniit apud Achis Regem Geth secedendi; apud quem dum commoraretur, fortasse ea in civitate Psalmum hunc est elucubratus, in quo ea narrat, quibus defunctus est, pericula; & Deo gratias agit propter opem, quam sibi præstiterat. Hæc est veluti fugæ suæ, ac recessus apud infidelem, & alienigenam Principem apologia. Interpretes quidam [7] urbem hanc Ceilam esse arbitrantur [8]. Ego vero de Siceleg intelligere malim, quam Rex Achis Davidi cessit, ut ibi immoraretur 1. Reg. 27. 6. Septuaginta [9], & antiqua Psalteria legunt, *civitatem circumdatam*, quod idem est, ac *civitas munita*. Symmachus [10]: *veluti in urbe clausa*; quam versionem eruditi quidam Interpretes approbant [11]. Dominus protexit me, ac in tutum locum me collocavit, æque ac si in munitissima arce consisterem.

℣. 28. EGO AUTEM DIXI IN EXCESSU MENTIS MEÆ: PROJECTUS SUM A FACIE OCULORUM TUORUM.] In primo doloris mei motu, mihimet dixi: Deus dereliquit me: a me recepit promissiones suas; nullam ab eo amplius opem debeo præstolari; sum homo perditus; sed eodem temporis puncto exaudisti vocem meam, & speciosissima misericordiæ tuæ indicia mihi tribuisti. *Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.* Hoc pacto Deus Davidem persecutionibus, & calumniis exercebat, ut illius virtutem, ac patientiam probaret, eumque disponeret, ut aliis imperaret, atque per omne genus calamitatum traductus populi sui infelicitatem intuens misericordia flecteretur.

Hebræus [12]: *dixi in præcipitatione mea: Deus dereliquit me*. Prior cogitatio, quæ occurrit mihi, cum tot in me irruerent mala, ea fuit, me quoque, uti & Saulem a Domino fuisse repulsum. Hoc præcipitanter, & in primo doloris mei impetu dixi. Aliter: *dixi in præcipiti fuga mea; Deus rejecit me*. Aquila, & Symmachus [13]: *dixi in stupore meo*. Septuaginta [14], *in extasi mea*, in admiratione mea, ex improviso. Psalteria antiqua [15]: *in pavore meo*.

℣. 30. OMNES SANCTI EJUS.] Servi, amici, Sacerdotes ejus; ad litteram [16] misericordes ejus, pii, *Assidæi* illius. Vide Psalmum 29. 5.

QUONIAM VERITATEM REQUIRET DOMINUS, & RETRIBUET ABUNDANTER FACIENTIBUS SUPERBIAM.] Dominus diligit, ac favet veritati, rectitudini, & sinceritati; sed severe puniet ambitionem, superbiam, injustitiam. Hebr. [17] *Dominus conservat homines veros*, fideles, sinceros: *sed retribuet abundanter illis, qui sunt repleti superbia*; vel, *puniet posteritatem eorum, qui superbe operantur*. Non superbos solum affligtabit, verum supplicia in sobolem, ac filios eorum extendet. Chaldæus: *puniet*, qui elevantur, ac superbe intumescunt. Septuaginta reddi possunt [18] cum S. Augustino, & antiquis Psalteriis [19]: *Retribuet his, qui abundanter tribuunt superbiam*. Percutiet eos, qui nimia superbia efferuntur.

---

1 יבשו רשעים ידמו לשאול Aquil. Symmach. Σιωπησάτωσαν εἰς ᾅδην.
2 תאלמנה שפתי שקר הדברות על צדיק עתק בגאוה ובוז
3 70. Ἄλαλα γενηθήτω τὰ χείλη τὰ δόλια, τὰ λαλοῦντα κατὰ τοῦ δικαίου ἀνομίαν ἐν ὑπερηφανίᾳ, καὶ ἐξουδενώσει.
4 Aug. & Psalter. Roman. Mediolan. Carnut. Sancti German.
5 מרכסי איש מריב לשונות
6 1. Reg. 21. 10. 11.
7 Rab. Salom. Muis.
8 1. Reg. 23. 7.
9 70. Ἐν πόλει περιοχῆς. August. Psalter. Roman. Mediol. Carnut. *In civitate circumstantiæ.*
10 Sym. Ὡς ἐν πόλει περιπεφραγμένῃ.
11 Euseb. Theodoret. Athanas. Pagn. Vatab. Moller. &c.
12 ואני אמרתי בחפזי נגרזתי מנגד עיניך
13 Aquil. Ἐγὼ εἶπα ἐν θαμβήσει μου. Symmach. Ἐγὼ εἶπον ἐν τῇ ἐκπλήξει μου.
14 70. Ἐγὼ δὲ εἶπα ἐν τῇ ἐκστάσει μου. August. *In extasi mea.*
15 Antiqui Latini apud Hieronym. ad Sun. & Fretell. & Psalter. Roman. Mediolan. Carnut. Sancti German. *In pavore meo.*
16 כל חסידיו
17 אמונים נצר יהוה ומשלם על יתר עשה גאוה
18 70. Ἀνταποδίδωσι τοῖς περισσῶς ποιοῦσιν ὑπερηφανίαν
19 Aug. Psalt. Rom. Mediol. alia.

P S A L M U S XXXI.

Felicitas illius, qui per pœnitentiam, & confessionem scelerum suorum veniam promeritus est: Dominus, quid ipsi agendum sit, edocebit, & in adversis proteget illum.

Ipsi David Intellectus.

A R G U M E N T U M.

IPSI DAVID INTELLECTUS.] Psalmus David pro intelligentia: vel Psalmus ad erudiendum concinnatus; vel: Psalmus moralis Davidis: Psalmus compositus ad docendum. Re quidem vera morum præceptis scatet, ac ea

ac ea continet documenta, quæ apprime illis conducunt, qui per summam infelicitatem in scelus proruerunt. Consilia præbentur illis, ut ex eo statu emergant, iisque ostenditur felicitas, & utilitas eorum, qui serio per humilem peccatorum confessionem criminum suorum a Deo veniam consecuti sunt. David se in exemplum proponit. Hic primus est ex duodecim Psalmis, quibus titulus inscriptus est, *intellectus*. Non desunt, qui putent [1], Psalmi hujus titulum ex vers. 8. esse desumptum, ubi legimus: *Intellectum tibi dabo*. Hebræi veteres docent, Psalmos, quibus hæc additur epigraphe, ex eorum esse numero, quibus additur explicatio, cum recitantur. Patres quidam [2] titulum hunc illis accessisse putant a sententiarum, ac mysteriorum, quæ continentur, profunditate. Alii [3] vero e contra causam fuisse dicunt eorum perspicuitatem, quia nulla indigent explicatione. Judæi nonnumquam Psalmum hunc peculiariter *Davidis cor* vocant, propter doloris, & pœnitentiæ sensus, quos continet. Creditur etiam [4] a Davide compositus post patratum cum Bethsabee facinus, & postquam a Nathan correptus, humiliter criminis magnitudinem confessus, illius veniam oravit, exoravitque. Hic exprimit conscientiæ stimulos quibus ante pœnitentiam exagitabatur, & suavitatem, quam expertus est, simulac scelus suum agnovit, atque confessus est. Grotius autumat, hunc fuisse compositum, ut die generalis expiationis caneretur, quia universus Israel peccata sua fletibus eluere tenebatur, ac animam suam coram Domino prosternere [5]. Patres [6] illum de justificationis gratia, quam in Baptismate, atque in Pœnitentiæ Sacramento ex simplici Divinæ misericordiæ effectu consequimur, interpretantur.

1. BEati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. 2
Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus
dolus. 3 Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota
die. 4 Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum
in ærumna mea, dum configitur spina. 5 Delictum meum cognitum tibi feci; &
injustitiam meam non abscondi. 6 Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam
Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. 7 Pro hac orabit ad te omnis
sanctus, in tempore opportuno. 8 Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad
eum non approximabunt. 9 Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me. 10 Intellectum tibi dabo,
& instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos. 11 Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. 12 In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. 13 Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. 14 Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.

℣. 1. BEATI, QUORUM REMISSÆ SUNT INIQUITATES, & QUORUM TECTA SUNT PECCATA . . . CUI NON IMPUTAVIT [7] &c.] Hæc omnia unum tantummodo dicunt. Propheta variis in locis illius felicitatem commendat, cui Deus veniam concessit. Cum affecti fuimus, uti par est, pœnitentiæ dolore ob peccatorum gravitatem, vehementi etiam lætitia veniæ, beatitudinem, ac rectæ conscientiæ suavitatem percipimus. Peccata nostra trifariam nobis remittuntur, ut ait S. Hieronymus in hunc locum: delentur per baptisma, cooperiuntur per Charitatem, per martyrium non imputantur. Peccatum quod deletur non extat amplius: *Quod tegitur, non videtur; quod videtur non imputatur; quod non imputatur non punietur.*

Baptismus originale peccatum diluit; Pœnitentia actualia peccata remittit, quæ post Baptisma patrata sunt, inquit S. Gregorius [8]; non secus ac Medicus pharmacis suis nostra obtegit vulnera, Deus infinita charitate sua nostra celat flagitia. Verum *si quis peccata sua tecta esse desiderat, Deo ea per vocem confessionis ostendat* & si nos ipsi peccata nostra tegere, ejusque memoriam oblitterare cupimus, ea delenda nobis sunt, atque rectis operibus nostris cooperienda: *Peccata itaque tegimus, si bona facta malis actibus superponamus.* S. Ambrosius [9] idem non semel docet: peccata nostra & per Baptismum, & per Pœnitentiam remitti; nos ea delere, & cooperire virtutum exerci-

A tationibus, & rectis operibus: *Utrumque beatum dixit, & cujus iniquitas remittitur per lavacrum, & cujus peccatum tegitur operibus bonis.* Non sufficit enim pœnitentiam agere, ni rectis actionibus transacta flagitia pensentur: *Qui enim agit pænitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum; sed etiam emendationibus factis operire, & tegere delicta superiora.*

Cum Deus nobis scelera nostra remittere dignatur, adeo liberalis est, ut non remittat solum, verum etiam cooperiat peccata nostra, ita ut ne minimum quidem vestigium supersit, ait Theodoretus hic. Cum vir, cui Dominus non imputat peccatum, beatus asseritur, cavete, S. Augustinus hic ait, ne credatis, peccata hæc adhuc subsistere, & adhuc vivere, licet obtecta: Deus ea non videt amplius; Deus ea non pu-
B nit: *Nec sic intelligatis, quod dixit: peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, & vivant*: & paulo superius: *Cooperta sunt, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire &c.* Peccator per pœnitentiam ex injusto factus est justus: Deus nihil amplius in eo deprehendit, odio suo, atque supplicio dignum. Nos tamquam justos habere nullatenus potest, nisi & simus. Justitiæ ejus satisfacere non possumus nisi per Baptismum, per Pœnitentiam, ac per opera justitiæ. Alioquin semper debitores sumus, & J. C. merita nobis nequaquam applicabuntur, nisi pro virili adnisi fuerimus, ut applicentur.

NEC

1 Abenezra, & alii nonnulli. 2 Euseb. in Psalm. 41. Theodoret. in Psalm. 88. Didym.
3 Agellius, hic. 4 Rab. Salom. Lyr. Muis, Bellarm. alii plerique.
5 Vide Num. 29. 7. Levit. 16. 29. 6 Vide Hieron. August. Gregor. Magn. Theodoret.
7 Psal. Carnut. Sancti German. *Imputabit.* 70. Λογίσηται. *Imputaverit.* Tertull. *Reputaverit.*
8 Gregor. Magn. in septem Psal. Pœnit. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates originales per Baptismum, & quorum tecta sunt peccata actualia post Baptismum commissa.*
9 Ambros. de Pœnitentia lib. 2. cap. 5. num. 5. & lib. de Noe & Arca cap. 51. num. 117. & Apolog. David cap. 9. num. 49.

℣. 2. NEC EST IN SPIRITU EJUS DOLUS.] Nobis A superius exposuit veræ pœnitentiæ, ac sinceræ conversionis effectus; verum hic utriusque est scopulus, hypocrisis nempe, dolus, proprii cordi seductio [1]. Si ad Deum sincere, atque ex toto corde revertimini, si vere peccatum odistis, ac solide, & unice justitiam diligitis: hæc sunt perfectæ pœnitentiæ conditiones. Septuaginta [2], & Symmachus [3] apud S. Hieronymum, legunt: *Ille, cujus os immune est dolo*; pleraque etiam ex antiquis Psalteriis Latinis similiter legunt [4]; sed Hebræus [5], Septuaginta apud S. Hieronymum, & omnes prisci Interpretes Græci Vulgatæ similes sunt: *Ille, in cujus spiritu non est dolus*. Eusebius [6] utramque lectionem Septuaginta agnoscit, & quæ *os*, & quæ *spiritum* habet. Symmachus apud nonnullos [7], & Psalterium Æthiopicum: *Ille, in cujus corde non* B *est fraus*. Intelligi quoque potest de fraude erga proximum. Beatus ille, cui Deus non imputat peccatum, qui innocens est ante oculos Dei, & qui recte cum proximo suo operatur, qui absque dolo, fraude, simulatione cum omnibus se gerit.

℣. 3. QUONIAM TACUI INVETERAVERUNT OSSA MEA, DUM CLAMAREM TOTA DIE.] Quomodonam se tacuisse ait, quandoquidem tota die clamavit? Tacuit, inquit S. Augustinus, peccatum suum non confitens; non tacuit, merita sua jactitans. Pernicioso silentio, & superbo clamore, eam sibi, de qua loquitur, conflavit calamitatem: *Inveteraverunt ossa mea*. Omnem vim amisi. S. Hieronymus eodem ferme pacto: *Tacens* peccata sua per confessionem minime detegentes: *clamans tota die*, tamquam Pharisæus ille, qui C in Templum ibat commentitia bona opera sua annuntiaturus; *Ossa eorum consenescunt* per vanitatem, & scelus jacturam faciunt virtutum, quibus decorati esse deberent. Aliter cum Theodoreto [8]: David tacuit; celavit facinus suum, donec Nathan detexit illud, deinde vero non cessavit nocte, & die illud prædicare, atque propter illud adeo pœnitentia affligi, ut valetudo detrimentum passa fuerit, & ossa illius inveteraverint.

Hebræus [9]: *Quoniam tacui, ossa mea consumpta sunt rugitu omni die*. Plures sensus huic textui appingi possunt. Clamando, & suspirando tota die, ac me consumptum fractumque conspiciendo lassus, tandem tacui. Vel [10]: dum modo taceo, modo clamores leonis rugitibus similes emitto, ossa mea exaruerunt. Vel potius: volens mali mei D causam abdere, & satis habens ad te clamare, & gemere, me arefactum, & consumptum inspicio.

℣. 4. GRAVATA EST SUPER ME MANUS TUA.] Antequam Nathan Davidem allocutus fuisset, atque illi ob oculos posuisset peccatum ejus, & illius confessionem extorsisset, manus Domini nondum extrinsecus Regem percusserat. Tunc tandem in illum desævire, idque ratione prorsus terribili, occepit. Primum quidem per mortem filii Bethsabee, mox per incestum Thamar, deinde per necem Ammoni ab Absalone illatam, demum per hujus defectionem, funestissimosque belli hujus effectus. Manus Dei, de qua loquitur David, non est igitur supplicium exterius; sed conscientiæ stimuli, intimus dolor, inquieta sollicitudo, terror, quo anima illius conturbata fuit toto silentii sui tempore, e quo evasit tandem per humilem scelerum suorum confessionem, & per lacrymas, quas in amaritudine cordis effudit.

CONVERSUS SUM IN ÆRUMNA MEA, DUM CONFIGITUR SPINA.] Antequam jussu tuo Propheta ad me loqueretur, convertebar, agitabar, affligebar in stimulis, qui indesinenter conscientiam meam perfodiebant [11]. Non die, nec nocte requiem habebam. Gerebam in sinu meo pugionem, qui vulnus intulerat, quin illum educere possem, & cicatricem obducere. Sed tandem aliquando, Domine, sapientem Medicum misisti ad me, qui vulnus aperuit, & ferrum divulsit, quod diutius adeo tantum mihi doloris attulerat. Hæ spinæ, quæ Prophetæ cor replebant, explicantur etiam de peccatis, quæ veluti spinæ [12], & tamquam inutiles plantæ animæ illius solam occupabant. Sed aptius de conscientiæ stimulis explicantur; vel simpliciter de dolore, pœnitentia, pondere manus Dei. S. Gregorius Magnus, Cassiodorus, & antiqua Psalteria Romanum, Mediolanense, S. Germani legunt: *dum confringitur spina*. S. Augustinus: *Conversus sum in ærumnam meam, dum configeretur spina*.

Hebræus longe ab his versionibus abest [13]: *humor meus radicalis exsiccatus est, quemadmodum præ nimiis æstatis ardoribus aquæ exarescunt*. Symmachus [14]: *Manus tua fecit me similem corpori, quod pro nimio calore corrumpitur*. Aquila [15]: *Irruit in me, veluti in depopulationem summa æstate*. Editio sexta [16]: *Manus tua redegit me in miseriam, veluti post direptionem fructuum autumni*. Syrus: *Dolor crudelis conclusus est in meo corde*, qui mihi mortem potest inferre. Recentiorum Interpretum plerique ita explicant: Doloribus obrutus sum, & exarui tamquam herbæ nimio solis ardore adustæ, & exsiccatæ.

℣. 5. DELICTUM MEUM COGNITUM TIBI FECI [17].] Actus his pœnitentiæ, atque intimi doloris sensibus, aperui tibi vulnus animæ meæ, ostendi tibi peccatum meum, certo sciens te facile veniam permittere, cum sincero corde infirmitates tibi revelantur [18]: *Scio enim te cito remittere delicta, cum tibi fuerint integre reserata*.

℣. 6. CONFITEBOR ADVERSUM ME INJUSTITIAM MEAM DOMINO, & TU REMISISTI IMPIETATEM PECCATI MEI.] Vel cum Septuaginta [19], S. Augustino, aliisque pluribus [20]: *iniquitatem cordis mei*. Simul ac Nathan Davidi significavit, ipsum esse hominem illum, de quo locutus fuerat, 2. Reg. 12. 7. 13. *Tu es ille vir*; Rex se reum confessus est: *Peccavi Domino*; & eodem temporis momento, Deus peccatum, quod ille patraverat, ei condonavit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Hebr. [21] dixi: *Confitebor peccata mea Domino; & tu remisisti iniquitatem peccati mei*, immane peccatum meum, vel pœnam peccati mei, vel simpliciter peccatum meum; uti *luctum cœni*, *hymnus Cantici* &c.

℣. 7. PRO HAC ORABIT AD TE OMNIS SANCTUS IN TEMPORE OPPORTUNO.] Quandoquidem tantam erga me exercuisti misericordiam, omnes Sancti tui, amici tui, fideles servi tui, tempore accepto, solemnes

---

1 Vide Aug. Hieron. Theod. Genebr. Muis, alios passim. 2 70. Οὐδὲ ἔστιν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ δόλος. Ita & Symmach. 3 Hieronym. ad Suniam, & Fretell.

4 August. Cassiodor. Arnob. Psalt. Roman. Mediol. Arab. S. Germ. Carnut. *Non est in ore ejus dolus*.

5 ואין ברוחו רמיה 6 70. Apud Euseb. Οὐδὲ ἔστιν ἐν τῷ στόματι, ἢ ἐν τῷ πνεύματι αὐτοῦ δόλος.

7 Vide Drusium, hic. 8 Ita Athanas. & August. 1. Enarrat. Genebr. & Hebræi plerique.

9 כי החרשתי בלו עצמי בשאגתי כל היום Symmach. Ὅτι ἀπεσιώπησα, ἐπαλαιώθη τὰ ὀστᾶ μου ἀπὸ τοῦ ὀδύρεσθαι. Aquil. Ὅτι ἐκώφευσα κατετρίβη τὰ ὀστᾶ μου ἐν βρυχήματί μου. 10 Euthym. Euseb.

11 Vatab. Hieronym. hic. *Dum configitur spina; id est dum pungit me conscientia peccati*. Ita fere August. Genebr. 12 Theodoret. Euthym. Didym. Athanas. Gregor. in hunc. Psalm. *Peccatum dum confert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem*. 13 נהפך לשדי בחרבוני קיץ

14 Symmach. Μετεστράφη μοι εἰς διαφθορὰν ὡς καῦσος θερινός. 15 Aquil. Ἐστράφη εἰς προνομήν μου ἐν ὀρμήματι θέρους. 16 ς. Edit. Ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν ἐν τῷ ὁρμαθῆναι ὀπώρας.

17 August. *Peccatum meum cognovi, & injustitiam meam non operui*. 70. Τὴν ἀνομίαν μου ἐγνώρισα. Psalt. Carnut. *Cognosco*. 18 Hieronym. hic. 19 Σὺ ἀφῆκας τὴν ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου

20 Ita Cassiodor. S. Bened. in Reg. cap. 7. Euseb. Psalt. Roman. Carnut. Mediolan. Sancti German. *cordis mei*.

21 אמרתי אודה עלי פשעי ליהוה ואתה נשאת עון חטאתי 70. Ἐξαγορεύσω κατ' ἐμοῦ τὴν ἀνομίαν μου. Legerunt עלי פשעי *Contra me peccatum meum*. *Alai peschai*; pro, *Alei pescha*; *super peccato meo*.

lemnes tibi gratias agent. Conversio mea ad omnes Sanctos tuos quodammodo spectat: ipsi quoque in lætitiæ partem veniunt, ac te laudibus celebrant. JESUS CHRISTUS in Evangelio Lucæ 15. 7. ait, Angelos in cœlo majori affici gaudio ex unius peccatoris conversione, quam ex nonaginta novem Justorum pietate, qui non indigent pœnitentia. Propheta non semel in Psalmis [1] pios homines invitat, ut Dominum laudent; eosque exhibet veluti consortes, ac participes felicitatis, & conversionis peccatorum. *Tempus opportunum*, juxta Patres nonnullos [2], est via præsens, qua pœnitentiam agere possumus, atque ex scelerum nostrorum cœno emergere, juxta ea Isajæ verba c. 55. 6. *Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est*. Et Ecclesiastes 9. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo properas*. Hebr. ad litteram [3]: *ideo omnis sanctus*, vel pius *orabit te eo tempore, quod invenies*; cum commodam invenerit occasionem; vel eum se illi obtulerit occasio; vel eo tempore, quo inveniri potes; vel cum aliis [4], eo tempore, quo mala irruent in eum.

℣. 8. VERUMTAMEN IN DILUVIO AQUARUM MULTARUM, AD EUM NON APPROXIMABUNT.] Exundatio, diluvium, cataclysmus in Scripturæ stylo [5] plerumque publicas calamitates significant, bella, mala repentina, atque inopinata. Cum igitur calamitas in alios homines irruet, non lædet illum, cui per summam clementiam veniam concessisti. Diluvium ad illum usque non accedet: *Noli timere*, o Israel, inquit Isajas 43. 2. *meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te &c.* Explicatur etiam de Finali Judicio, & de calamitatibus, quæ illud subsequentur: Hæc omnia non perterrebunt Justum.

℣. 9. TU ES REFUGIUM MEUM &c.] Textus hic perspicuus est: at Hebræus longe differt [6]: *Tu es asylum meum; me ab hoste tueberis*; vel tutaberis me, ne in me irruat afflictio; *circumdabis me canticis liberationis*; vel locum mihi tribues recinendi tibi Cantica gratiarum actionis pro liberatione mea.

℣. 10. INTELLECTUM TIBI DABO, ... FIRMABO SUPER TE OCULOS MEOS.] Dominus isthic Davidem alloquitur. Quandoquidem intelligis magnitudinem gratiæ, quam tibi contuli, peccatorum tuorum veniam tribuens; atque omnem spem in me collocasti, ostendere tibi cupio viam, qua debes insistere; te in meam clientelam accipiam, retinebo oculos meos super te, tamquam super amoris ac benevolentiæ meæ objectum suavissimum [7]. Incolumitati, ac felicitati tuæ consulam. Hebr. [8] *Erudiam te, & consultabo super te per oculum meum*; vel, *oculus meus consultabis super te* [9]; oculus meus sæpius apertus erit, atque attentus super te. Chaldæus: Intellectum tibi dabo, & consilium; firmabo super te propitios oculos meos. Vulgatæ sensus melior videtur, quam quem hodiernus Hebraicus textus præfert.

℣. 11. NOLITE FIERI SICUT EQUUS, & MULUS.] Verba hæc & Deo, & Psalmistæ tribui queunt: Continent autem adhortationem ad docilitatem, suavitatem, humilitatem. Vos met humiliter Domini manui submittite; voci illius ne reluctemini; gratias, & monita illius, ne abjiciatis. Si quæ in scelera lapsi estis, reverenter Ministros illius, qui ejus nomine vos alloquuntur audite, ad illum per dolorem, atque pœnitentiam revertimini. Ne imitemini equum, & mulum, qui vi tantum coacti incedunt, & qui habenis, stimulis, lorisque dumtaxat in officio continentur.

℣. 12. IN CAMO, & FRÆNO MAXILLAS EORUM CONSTRINGE, QUI NON APPROXIMANT AD TE.] Si eorum morsus, & calcium ictus evitare cupis, validis frænis, habenisque eos reprime. Vel habena eos fortiter cohibe, ni in te eos pugnantes habere vis. Hebræus ad litteram [10]: *Ne sis velut equus, & mulus; illis non est intellectus. Constringendum est os illorum orea, & fræno; ne accedat ad te*. Ni per vim illum domueris, tibi nequaquam patebit. Vel: si illum ad te accedere vis, tibique deservire, cum camo compesce. Vel denique, quod mihi aptius videtur. Si eos inhibere vis, ne te calce, vel morsu petant, validis eos frænis coerce. Vocum authographi quas frænum, & camum reddimus, significatio non satis patet. Scriptura ait, *meteg* labiis inseri consuevisse [11]; hæc ergo quædam fræni species esse debet. *Resen super maxillam* ponebatur [12]: Nescio vero, utrum hæc oreæ species esset, quæ a Græcis *chemos* dicitur [13], ex ære, & torquis forma, qua tota equi facies involvebatur, quin vel os, vel nares obturarentur; an significetur aliquod fræni genus, quod a Græcis *psellion* appellatur, quod equorum faciei apponebatur, quin ori insereretur.

℣. 13. MULTA FLAGELLA PECCATORIS.] Deus in illum velut equum, aut mulum desæviet, ii enim se per nequitiam, & pervicaciam similem præbuit. Verberum vi eum in officio continebit; habena coercebit; flagellis, quibus illum affliget, domabit: *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit*. Dominus allocutus Sennacherib ait illi: *ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti*, Isai. 37. 29. Id genus homines Deus veluti equum, & mulum plectit. Nabuchodonosor alius Princeps superbus, qui sibi in terris Numinis majestatem, & cultum vindicabat, tamquam bos, gramina carpere debuit, idque septem annorum intervallo.

℣. 14. GLORIAMINI OMNES RECTI CORDE.] Sanctis fas est, in Deo gloriari, quemadmodum ait S. Paulus 1. Cor. 1. 31. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, non autem in semetipsis. Omnipotenti Deo, omnium bonorum auctori acceptum referre debent, quidquid ipsis ille conferre dignatus est. Væ illi, qui sibi id arrogat, quod Deo uni debetur: *gloriam meam alteri non dabo*; Isai. 42. 8. districte enim injustam adeo juris sui occupationem ulciscetur. Hebr. [14] *Recti corde* alios *ad laudandum* Dominum *invitate*. Vel simpliciter: canite, vel componite cantica laudum Domino &c.

---

1 Vide Psalmos 29. 5. & 33. 3. 4. & 30. 24. 144. 10. 145. 5.
2 Hieronym. Theodoret. Ita Chald. Muis.
3 על זאת יתפלל כל חסיד אליך לעת מצא
4 Jun. Pisc. Ainsvort.
5 Job. 22. 2. Isai. 8. 8. 17. 13. 28. 15. 66. 12. Jerem. 47. 2. Thren. 3. 54. Dan. 6. 20.
6 אתה סתר לי מצר תצרני רני פלט תסובבני
7 Vide Genes. 44. 21. & Jerem. 24. 16. camdem locutionem.
8 אשכילך . . . איעצה עליך עיני
9 Sym. Συνετιῶ σε, . . . καὶ βελτιώσω περί σε τῷ ὀφθαλμῷ μου. 70. Ἐπιστηριῶ ἐπὶ σε τοὺς ὀφθαλμούς μου. Legerunt: אציבה.
10 אל תהיו כסוס כפרד אין הבין במתג ורסן עדיו לבלום בל קרב אליך
11 4. Reg. 19. 28. מתגי בשפתיך Ita & Isai. 37. 29.
12 Isai. 30. 28. רסן מתעה על לחיי Ita & hic. רסן עדיו לבלום
13 Vide, si placet, Polluc. & Xenophon. De Re Equestri.
14 הרנינו כל ישרי לב Aquil. Αἰνεσιόνετε. Sym. Εὐφημεῖτε.

PSALMUS XXXII.

Psalmista Justos adhortatur ad laudandum Dominum ob potentiam, justitiam, & amorem, quem in terræ totius creatione, atque gubernatione ostendit.

Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Psalmo huic nullus Hebraice titulus inscriptus est, quemadmodum plutibus in Exemplaribus Græcis adnotatur [1]. Theodoretus immo credit, Septuaginta quoque titulum hunc præfigentes: *Psalmus David*, innuere voluisse, nullum in authographo titulum extitisse. Verum reor, inscriptiones omnes, quæ in Hebraico textu non extant, multo post veteres hos Interpretes in Hebræum obrepsisse, atque a librariis deinde fuisse appositas. Hinc Exemplarium varietas oritur [2]. Prisci nonnulli [3] credidere, Psalmum hunc fuisse gratiarum actionem Ezechiæ Regis post cladem Regis Assyrii. Alii vero [4] a Davide compositum fuisse putant, post victoriam de Philisthinis relatam eo in prælio, in quo congressus est cum Gigante quodam, cui nomen *Jesbibenob* [5] fratre Goliath; ubi cum Rex in discrimen esset adductus, Abisai, filius Sarviæ, Gigantem confodit, Regemque servavit; cujus sententiæ præcipuæ rationes educuntur ex versiculis decimo, ubi de alienigenis nationibus, & decimo sexto, ubi de Gigante fit mentio. Ego vero, quin de peculiari aliquo facto explicem, considerare malim illum, veluti præcedentis Psalmi partem, quo nullo titulo in Hebraico textu distinguitur. Inchoari potuisset ex postremo Psalmi præcedentis versiculo; *Lætamini in Domino, & exultate Justi; & gloriamini omnes recti corde* (31. 1.) *Exultate Justi in Domino; rectos decet collaudatio*. Oculos dumtaxat in utrumque conjicere sufficit, ut apertissimus nexus deprehendatur. Magna quoque conformitas adest inter versiculum decimum octavum Psalmi hujus, & versiculos 10. & 11. præcedentis. Psalmista Psalmo superiori 31. commendata eorum felicitate, qui culpa vacant, isthic Justos ad Dominum laudandum hortatur; eisque argumenta ob oculos ponit, Omnipotentis scilicet Dei potentiam, sapientiam, atque misericordiam. Psalmi hujus stylus grandis est, & magnificus; ordo vero & œconomia, elegans, ac belle contexta.

1. EXultate, justi, in Domino: rectos decet collaudatio. 2 Confitemini Domino
in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi. 3 Cantate ei canti-
cum novum; bene psallite ei in vociferatione. 4 Quia rectum est verbum
Domini, & omnia opera ejus in fide. 5 Diligit misericordiam, & judicium: miseri-
cordia Domini plena est terra. 6 Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris ejus
omnis virtus eorum. 7 Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris a-
byssos. 8 Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabi-
tantes orbem. 9 Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.
10 Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & re-
probat consilia Principum. 11 Consilium autem Domini in æternum manet: cogita-
tiones cordis ejus in generatione, & generationem. 12 Beata gens, cujus est Domi-
nus Deus ejus: populus, quem elegit in hæreditatem sibi! 13 De cœlo respexit Do-
minus: vidit omnes filios hominum. 14 De præparato habitaculo suo, respexit super
omnes, qui habitant terram. 15 Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit o-
mnia opera eorum. 16 Non salvatur Rex per multam virtutem, & gigas non salvabi-
tur in multitudine virtutis suæ. 17 Fallax equus ad salutem: in abundantia autem
virtutis suæ non salvabitur. 18 Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis,
qui sperant super misericordia ejus. 19 Ut eruat a morte animas eorum, & alat eos
in fame. 20 Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor, & protector no-
ster est. 21 Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto ejus speravi-
mus. 22 Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum speravimus
in te.

---

1 Ita Edit. Complut. Theodoret. Codices Græci Regii sex, Colbert. tres, apud Ferrand. hic. Ψαλμὸς τῷ Δαυίδ, ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις. 2 70. Edit. Rom. 5. & 6. Edit. in Hexapl. August. *Ipsi David*. Alii ut Cassiod. Psalter. Sancti German. & Gallic. & Memmian. 2. *In finem*, *Psalmus David*.
3 Theodoret. Heracl. & Antioch. & Theodoretus, & Euthym. & Beda. 4 Le Blanc, Choisy, Ferraud. 5 1. Paralip. 20. 4. 6. & 2. Reg. 21. 15. 16.

℣. 1. Exultate, Justi in Domino; rectos decet collaudatio.] Hæc est continuatio versiculi postremi Psalmi præcedentis. Utique rursus id repeto: Justi lætamini; laudate Dominum; canite laudes ejus recti corde. Vestrum est, id, quomodo æquum est, exequi: impii nequaquam digni sunt; scelesti viri hoc fungi munere nequeunt: *Non est speciosa laus in ore peccatoris*. Eccli. 15. 9. Dominus dixit impio Psal. 49. 16. *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam: & projecisti sermones meos retrorsum*. Hebræus [1]: *Justi laudate Dominum*: vel, cantate Domino, *laus speciosa est*, decora, desiderabilis *illis, qui recti sunt*.

℣. 2. Confitemini Domino in cithara; in psalterio decem cordarum &c.] Alibi ad examen ea vocavimus, quæ ad musica Hebræorum attinet instrumenta. Hebræus habet [2]: laudate Dominum in *cinor*; cantate laudes ejus *cum nablo decem* cordarum, vel decem foraminum. Primum quidem aliquam habebat cum cithara similitudinem; at nullam *nabel*, vel *nablum*, cum psalterio nostrate.

℣. 3. Cantate ei canticum novum.] Scriptura nova fere semper laudum cantica efflagitat [3]; novos numeros; canticum dedita opera ad id compositum, elegans, rarum, exquisitum. Meritum, ac præcipua laus Musicorum numerorum novitas est.

Bene psallite ei in vociferatione.] Canite ea cum reverentia, ac modestia, quæ decet, & quam tanta Majestas efflagitat. Hebr. [4] *Pulsate suaviter instrumenta ad sonitum vocum*, vel tubarum. Antiqua Psalteria [5]: *Psallite ei in jubilatione*.

℣. 4. Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in fide.] En laudum argumenta, quæ Psalmista suggerit Justis. Leges, Verba, promissiones, minæ Dei sunt æquitas ipsa; semper cum justitia sunt, cum veritate, & æquitate conjunctæ. Aliter: Quidquid Dominus præcipit, & statuit; seu remuneretur, seu puniat; seu extollat, seu deprimat, summa est justitia, & æquitate refertum. *Verbum* hic ponitur pro *re*. Omnia opera ejus, omnis agendi ratio extrinsecus erga homines justitia plena est, & æquitate, & omnino ab inconstantia, infidelitate, inæqualitate, & injustitia, quæ in omnibus hominum actionibus deprehenduntur, abhorrens. Quomodo opera Domini esse possunt in fide, quærit S. Augustinus [6]? ac respondet: *Fidelis est homo, credens promittenti Deo: fidelis Deus est, exhibens, quod promisit homini*.

℣. 5. Diligit misericordiam, & judicium.] Utrumque emicat in operibus ejus. Nos prævenit misericordia, secundum merita singulorum nos judicat; & justitiam facit nobiscum adversus hominum injustitiam. Hebræus habet [7]: *Diligit justitiam, & judicium, & omnis terra repleta est misericordia illius*. Enitet ipsius misericordia erga bonos, justitia vero adversus iniquos. Illos quidem protegit, hos deprimit, primos ulciscitur, alteros plectit. Aliter [8]: Deus diligit misericordiam, & justitiam in hominibus, vult nos ad illius exemplum justos esse, & misericordes. *Estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est*, ait Jesus Christus in Evangelio Lucæ 6. 36. Et Matth. 5. 48. *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est*. Omnis terra repleta est misericordia Domini. Hæc virtus ibi tantum invenitur, ubi

A est miseria: in Cœlo nulla est miseria; nulla misericordia. Sed tellus, cum usquequaque miseria repleta sit, ita quoque misericordiis Domini est replera, ait S. Augustinus; cujus insignes effectus tunc præcipue effulsere, cum Salvator in terras delapsus est, & post Evangelii prædicationem.

℣. 6. Verbo Domini coeli firmati sunt; & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.] Hoc ex Genesi 1. 6. liquet, ubi *dixit Deus: fiat firmamentum in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum: & factum est ita: Vocavitque Deus firmamentum, cælum*. Ibidem ℣. 2. scriptum est: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, eisque quodammodo motum, ac viram impertiebatur.

B Pseudo-Sanchoniaton ait, Phænices antiquitus ventum, aut spiritum appellasse *Colpias*, hoc est Hebraice [9] *sonum oris* Dei. Patres [10] isthic totam Sanctissimam Trinitatem deprehenderunt, *Dominus*, Pater; *Verbum* filius; *Spiritus oris Dei*, Spiritus Sanctus. Pater mundum condidit per Verbum, per filium, per vocem suam Joan. 1. 2. Verbum Dei est efficax, ait Philo de Sacrific. Abel & Cain: nihil in Deo interest dicere, & operari. Videtur Senecæ aliquam veritatum nostrarum lucem affulsisse, cum de Mundi Creatione loquens ait de Consolat. ad Helvid. c. 8. *Quisquis formator universi fuit, sive ille Deus est potens omnium; sive incorporalis ratio, ingentium operum artifex: sive divinus spiritus per omnia maxima, minima, æquali intentione diffusus*.

C Euthymius, plurimique recentiores Interpretes [11] credunt, hoc in loco *verbum*, & spiritum oris Domini unum, & idem significare, hoc est verbum, & imperium Dei, & universum locum hunc ad litteram innuere simpliciter, Mundum creatum fuisse de imperio Dei, statim ac verbum de illius ore prodiit. In Scripturis spiritus oris Dei sæpius verbum ejus significat. Exempli gratia Job 33. 4. *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis vivificavit me*. Et in Isaia 11. 4. Dominus *percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Et S. Paulus 2. Thessal. 2. 8. ait; *Dominus* Jesus *interficiet spiritu oris sui* Antichristum, verbo scilicet suo, imperio suo.

D Quoad *virtutem cælorum*, Theodoretus, & alii nonnulli de Angelis, Potestatibus, cœlestibus virtutibus explicant, quæ alicubi robur, vel exercitus Dei nuncupantur [12]. Sed plerique [13] id explicant de Syderibus, quæ sæpius sub nomine exercituum cœli designantur [14]. Hebræus verti potest [15], exercitus, vel militia, vel ornamentum, vel robur Cœli.

℣. 7. Congregans sicut in utre aquas maris; ponens in thesauris abyssos.] Maris aquæ, & abyssi hoc in loco unum, idemque significant. Dominus per potentiam suam clausit tamquam in utre, in vase, ubi vinum, & liquores asservantur, aquas maris; eas reprimit, & coercet ne diffluant; vel eas immittit in terras, prout e re futurum novit: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ*; Amos 5. 8. quod diluvii tempore contigit. Aggeres

E dejecit, & abyssos aperuit: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ*. Genes. 7. 11. Deinde vero illis fines præscripsit, e quibus numquam excederent [16]: *Usque huc venies, & non procedes amplius*. Hebræi maris alveum

1 רננו צדיקים ביהוה לישרים נאוה תהלה Aquil. Αἰνεῖτε δίκαιοι τὸν Κύριον, τοῖς εὐθέσι πρέπει ὁ ὕμνος.
2 הודו ליהוה בכנור בנבל עשור זמרו לו 3 Vide Psal. 95. 1. 39. 4. 97. 1. 143. 9. 144. 1. Isai. 42. 10. Apocal. 5. 9. &c. 4 היטיבו נגן בתרועה Sym. Μετὰ σημασίας. *Cum sono tubæ*.
5 August. Psalt. Roman. Mediol. Carnut. Sancti German. Cassiod. 70. Ἐν ἀλαλαγμῷ.
6 August. 2. Enarrat. in hunc Psal. Vide & Hieronym. hic. *Opera ejus in fide, quia quod promittit Deus sanctis suis, non mentitur*. 7 אהב צדקה ומשפט חסד יהוה מלאה הארץ 70. Ἀγαπᾷ ἐλεημοσύνην καὶ κρίσιν. Sæpe reddunt Hebræum צדק per Ἔλεος, vel Ἐλεημοσύνη. *Misericordia*. Vide Deut. 6. 25: 24. 13. Psal. 23. 5. 102. 6. Isai. 1. 27. 56. 1. 28. 17. &c. 8 Euseb. Athanas. Theodoret. August. 1. Exposit.
9 קול פי יה Κολπίας. 10 Euseb. Athanas. August. alii. 11 Muis, Pisc. Ferrand. &c.
12 Luc. 11. 13. Matth. 26. 53. 13 Muis, Geier, plerique omnes. 14 Genes. 11. 1. Deut. 17. 3. 4. Reg. 17. 16. Isai. 24. 21. Sophon. 1. 5. 15 כל צבאם Aquil. Πᾶσα στρατιὰ αὐτῶν. *Militia*. Symmach. Ἡ διακόσμησις αὐτῶν. *Ornatus*. 70. Πᾶσα ἡ δύναμις. *Virtus, fortitudo*.
16 Job. 38. 2. Vide quoque Psalm. 77. 13. Prov. 30. 4.

terræ superiorem esse putabant, ac illud jamjam exundaturum, ni a Deo cohiberetur, atque velut liquor in utre contineretur.

Septuaginta legunt [1]: *Congregat aquas quasi utrem.* Verum S. Augustinus, & vetera quædam Psalteria legunt [2]: *Quasi in utrem*. Rabbini, & recentiorum Interpretum plerique [3]: *congregavit veluti cumulum aquas maris*. Sed Symmachus, & S. Hieronymus, non secus ac Septuaginta utrem reddidere. Hæc varietas alibi etiam occurret [4]. S. Athanasius, & Theodoretus intelligunt de nubibus, in quibus Deus tamquam in utre congregat aquas, quas per evaporationem de mari elicuit: quo in sensu explicant locum Amos a nobis allatum: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ*. Sed prior sensus mihi potius arridet. B

PONENS IN THESAURIS ABYSSOS.] Maris aquas veluti clavi obsignatas continet; ipse earum Dominus est; eas & egredi patitur, & cohibet, cum vult, & quomodo vult [5]. Locutiones hæ sunt magnificæ; Abyssi profundissimæ sunt in thesauris ejus. Alibi quoque ipse ait, grandinem, & nivem in thesauris suis esse [6], ventos, ac procellas de thesauris suis emittere [7]; & in Moyse Deut. 32. 34. sævissima ultionis suæ flagella in thesauris suis esse obsignata testatur. Plutarchus in Alexand. refert, Persidis Regem in thesauris suis servasse aquam e majoribus terrarum fluviis, & iis præcipue, qui maxime ab ditione sua aberant, puta Nilo, ac Danubio, ut latissimam ditionis suæ extensionem, & virium suarum magnitudinem ostentaret. C

℣. 8. TIMEAT DOMINUM OMNIS TERRA; AB EO AUTEM COMMOVEANTUR OMNES &c.] [8] Quoniam Deus adeo magnus est, potens, ac terribilis, eum omnis terra metuat, coram illo perterrita contremiscat, omnes terrarum Populi eum venerentur, atque colant. Deus vere meretur, ut eum omnes timeant. Pericula omnia, quæque magis terribilia mundus objicit, nihil sunt, si divinæ iræ conferantur. Quidquid in terris nos vexat, ac terret, ad Dei timorem revocare nos debet. Si Deus pro nobis, quis nobis terrorem incutere poterit [9].

℣. 9. IPSE MANDAVIT, & CREATA SUNT.] Hebræus hujus versiculi textus ita reddi potest [10]: *vix locutus est, cum res jam est peracta; præcipit, ac statim fit*. Dicere, & facere in ipso sunt unum, & idem. D Ad litteram: *Cum ait, res est; præcipis, & statim est*. Mirabilis equidem ratio absolutam illius potestatem exprimendi!

℣. 10. DOMINUS DISSIPAT CONSILIA GENTIUM &c.] Irridet eorum consilia, evertit eorum conatus. Proponunt, se se commovent, minitantur, sublimia ineunt consilia; Dominus ea dissipat, ac in irritum abire jubet. Ipse vero certa, firmaque consilia capit, eaque omni procul dubio adimplet. Non timet, ne illis aliquis adversetur; non operitur occasiones, aliorum infirmitatem, dissidium aliorum, horum amicitiam, illorum voluntatem, ut sua ineat consilia; verum ab æterno ea init, quin illa a tempore, ab amicis, vel inimicis everti umquam posse vereatur. Ipse dominus est temporis, locorum, & personarum E Ubi sua decreta disponit, præparat quoque causas, & vias, quibus uti debet, ut illa exequatur. (℣. 11.) *Consilium autem Domini in æternum manet; cogitationes cordis ejus in generatione, & generationem*. Sanctus Augustinus: *in secula seculorum*. Psalteria antiqua: A *in seculum seculi*. Confer Job c. 12. ℣. 13. 14. & Isai. 40. ℣. 13. 14. & S. Aug. in hunc locum *Enarrat*. 3. n. 14.

℣. 12. BEATA GENS, CUJUS EST DOMINUS DEUS EJUS!] Beata gens, quæ Dominum suum habet in Deum: Beatus populus, quem sibi elegit Dominus in hæreditatem. Felix, qui possidet Deum! Felix, quem possidet Deus! *Beata gens possessione sua! Beata hæreditas possessore suo*, inquit S. Augustinus! Hebræus verti posset [11]: *Felix populus, qui elegit Deum in hæreditatem suam*. Sed prior sensus est melior.

℣. 14. DE PRÆPARATO HABITACULO SUO &c.] De habitaculo, quod sibi præparavit, fecit, condidit [12]. De loco, quem sibi in æternam sedem elegit, de Cœli vertice videt, agnoscit, distinguit omnes filios hominum, omnia eorum opera, & vestigia habet comperta, ac explorata. Vide *Psalm*. 13. 2. & *Psal*. 138. ℣. 5. 6. 7. & 3. *Reg*. 8. ℣. 30. 43.

℣. 15. QUI FINXIT SIGILLATIM CORDA EORUM;] ideoque eorum profunditatem, motus, ac studia novit. Ea singillatim, & seorsim condidit. Ne unum quidem adest, quod ex manu illius non prodierit. Videtur David præoccupare voluisse errorem illorum, qui putant, Deum omnes animas in ipsis mundi primordiis efformasse, easque omnes in anima Adæ conclusisse [13]; cui sententiæ locus hic nullatenus favet.

Hebræus habet [14]: *finxit simul eorum corda*. Omnia æqualiter, & sine ulla exceptione finxit. *Simul* isthic non significat temporis, neque actionis unitatem; perinde ac Deus omnes animas simul, eodemque tempore condiderit: sed dumtaxat non alium esse Creatorem præter ipsum, & alium neminem ad animarum productionem aliquid contulisse [15]. S. Augustinus crebro insignem hanc de animarum origine quæstionem pertractavit; & videtur incertus hac in re ad extremum usque vitæ fine n fluctuasse. Theologi hodie passim putant, Deum eas quotidie creare, prout corpora efformantur.

℣. 16. NON SALVATUR REX PER MULTAM VIRTUTEM.] Reges suis stipati militibus, nequaquam tuti sunt, nisi Deus illos tuetur, ac protegit. Nequicquam Princeps gloriatur in potestate sua, militum robore, copiarumque numero; si Deus absuerit, hæc omnia minime salvum facient illum. Sennacherib noctis unius intervallo vidit exercitum suum centum, & octoginta quinque mille virorum ab Angelo exterminatore trucidatum. Pharao Ægypti Rex cum copiis suis Erythræi maris fluctibus deglutitus occubuit. Goliath, Og, Sehon, tot alii Bellatores viri, virtute insignes, atque inaudito virium robore, immani corporis magnitudine præditi a Pygmeis, ut ita dicam, victi, prostratique fuerunt: *Nec Gigas in multitudine virtutis suæ*. *Regis* nomen isthic generatim desumi potest pro viro potenti, Heroe, principe [16]; *gigantis* vero pro homine viribus, ac virtute præstanti, robustissimo, ac bellicosissimo.

℣. 17. FALLAX EQUUS [17] AD SALUTEM.] Equus paratur in diem pugnæ, inquit Salomon Prov. 22. 31. sed Dominus est, qui tribuit salutem. Quis autem de periculo te educere potest? Oculi nempe Domini, illius auxilium, atque præsidium: ℣. 18. *Ecce Oculi Domini super timentes eum*: Et *Psalm*. 33. 16. *Oculi Domini super Justos*.

℣. 22. FIAT MISERICORDIA TUA SUPER NOS, QUEMADMODUM SPERAVIMUS IN TE.] Ex quo spem nostram in Deo constituimus, aliquo ad illius misericordiam jure potiti sumus; neque molestum est illi, si ab

1 70. Συνάγων ὡσεὶ ἀσκὸν ὕδατα θαλάσσης. Ita Basil. Theodoret. Euthym. Græci Codices, apud Ferrand. Æthiop. Arab.
2 Psalt. Carnut. & Sancti German. 3 כנד מי הים Sym. Συνάγαγῶν ὡς ἐν ἀσκῷ, &c. *Congregavit ut in utre*. 4 Vide Psal. 77. 13. 5 Athanas. 6 Job 38. 22. 7 Psal. 134. 7.
8 Hebr. ממנו יגורו Sym. Εὐλαβείσθωσαν. *Formident*. 70. Σαλευθήτωσαν. *Agitentur*.
9 Vide August. in hunc locum. 10 כי הוא אמר ויהי הוא צוה ויעמד 11 העם בחר לנחלה לו
12 ממכון שבתו Aquil. Ἀπὸ ἑδράσματος καθέδρας αὐτοῦ. Symmach. Ἀπὸ ἕδρας κατοικίας αὐτοῦ. Hieronym. *De firmissimo solio suo*. 13 Hieronym. hic. *Quidam hunc locum mendaciter ad illud referunt, quod animam ex anima existiment esse generatam, & in Adam omnium animas contineri*.
14 היצר יחד לבם 70. Ὁ πλάσας κατὰ μόνας τὰς καρδίας αὐτῶν. Aquil. & 5. Edit. Ἅμα *simul*. Sym. Ὁμοῦ *pariter*.
15 Confer hunc Ecclesiastici locum: *creavit omnia simul*. 18. 1. 16 Vide Ferrand. hic.
17 Aug. *Mendax equus*. 70. Ψευδὴς ἵππος.

si ab illo ipsam efflagitamus : *Non dubitemus exigere de Domino Deo nostro misericordiam*, inquit S. Augustinus hic 3. expos. *vult omnino exigi se*. Ad homines dumtaxat æque perfectos, ac David, pertinet hoc pacto loqui, ait Theodoretus. Quis nostrum auderet Deo dicere : Domine, metire misericordias tuas erga me ad modulum spei meæ, quam in te collocavi ? Qui multa recipere studet, debet sperare multa. Quo majora speramus, eo majoribus nos beneficiis cumulabit.

PSALMUS XXXIII.

David gratias agit Deo de manu Regis Geth liberatus. Justorum felicitatem, & protectionem, qua Deus illos dignatur, extollit. Morum præcepta tradit ad patrocinium hoc indipiscendum.

Davidi, cum immutavit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit.

ARGUMENTUM.

Cum immutavit vultum suum coram Abimelech; vel Achimelech, uti extat in plurimis Exemplaribus tum cusis, cum manu scriptis [1]. Sed Hebræus, Septuaginta, Chaldæus, plerique Manuscriptorum, atque Editorum Latinorum legunt *Abimelech* [2]; quæ lectio melior, ac probatior videtur. Verum quis est iste Abimelech? Hac in re tum apud veteres, cum apud recentiores Interpretes oritur difficultas. Eusebius, S. Athanasius, Theodoretus, Theodorus Antiochenus, S. Basilius, & S. Hieronymus putant, hunc Summum esse Sacerdotem *Achimelech*, ad quem confugit David in Nobe, ut ab illo viaticum pro fuga acciperet 1. Reg. 21. 2. Ea in occasione David veritatem fuco oblinivit, ac Summo Sacerdoti non aperuit veram sui itineris causam : *Immutavit vultum suum*; & acceptis panibus, qui ablati fuerant de mensa Domini una cum gladio Goliath, concessit ad Achis in Geth : *Et dimisit eum, & abiit*.

Alii putant [3], Psalmum hunc fuisse compositum, postquam David egressus fuit de Aula Achis, Regis Geth, qui aliter *Abimelech* ex nomine omnibus Philisthinorum temporis ejus Regibus appellabatur [4]. Quo cum David confugisset, ut ab sævientis Saul furore se in tutum reciperet, ab Regis illius subditis cognitus fuit: ex quo periculo ut se se proriperet, se fatuum simulavit : *Immutavit vultum suum*; & Rex illum ab aspectu suo abjecit : *Immutavit os suum coram eis; & collabebatur inter manus eorum; & impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam* &c. 1. Reg. 21. 13. David igitur ex hoc periculo elapsus secessit in speluncam Odollam, quo cognati ejus convenerunt illum 1. Reg. 22. 1. 2. Ibi vero Psalmum, quem explicaturi sumus, elucubratus est.

Hic acrostychus est, vel alphabeticus Hebraice : verum non sine quadam litterarum perturbatione; nullus enim adest Versiculus, qui a *Vau* ordiatur, & duo per *phe* incipiunt, nempe decimus septimus, ac tertius supra vigesimum. Hoc ipsum jam animadvertimus in Psalmum 24 22. de littera *phe*. Verum facili negotio error hic potest castigari, incipiendo versiculum septimum hoc pacto : *Et Dominus exaudivit*; Versiculus vero 23. & postremus Psalmi, considerari potest tamquam extra opus, atque quibus nihil sit commune cum versiculis acrostycis, qui præcedunt, vel tamquam pars Psalmi subsequentis.

Verba hæc : *Cum immutavit vultum suum*, in Hebræo differunt [5]; qui ad litteram habet : *Cum immutavit gustum suum* [6] rationem, sapientiam, rectum sensum; cum se dementem, ac de sanæ mentis usu dejectum simulavit. Symmachus [7] : *cum immutavit modum suum*, usum, cum personam induit, ac se alium esse simulavit.

1. BEnedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. 2 In
Domino laudabitur anima mea : audiant mansueti, & lætentur. 3 Magnifi-
cate Dominum mecum : & exaltemus nomen ejus in idipsum. 4 Exquisivi
Dominum, & exaudivit me : & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. 5 Ac-
cedite ad eum, & illuminamini : & facies vestræ non confundentur. 6 Iste pauper cla-
mavit, & Dominus exaudivit eum : & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.
7 Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : & eripiet eos, 8 Gustate,
& videte, quoniam suavis est Dominus : beatus vir, qui sperat in eo. 9 Timete
Dominum omnes Sancti ejus; quoniam non est inopia timentibus eum. 10 Divites
eguerunt, & esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. 11
Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos. 12 Quis est homo, qui vult
vitam : diligit dies videre bonos? 13 Prohibe linguam tuam a malo : & labia tua ne
loquantur dolum. 14 Diverte a malo, & fac bonum : inquire pacem, & persequere

 eam.

1 Ita Bibl. Clement. 8. & pleraque impressa vulgata; & Ms. nonnulla. 2 Hebr. אבימלך 70. Aquil. & 6. Edit. Ἀβιμέλεχ. Hieronym. in versione, & in Comment. *Abimelech*. Ita Euseb. Basil. Theodoret. Hesych. August. Psalt. Rom. Gallic. Carnut. S. German. &c. Editio tam Græca, quam Latina Sixti 5. Manuscripta apud Ferrand. & impressa quam plurima, etiam post correctionem Rom. 3 Basil. August. Beda, Muis, Rabb. & plerique recentiores. 4 Vide Genes. 21. 22. 33. 26. 1. & 8. *Abimelech Rex Palestinorum*. Basilius, Rab. Sal. & Kimchi, Muis, Ferrand. Grot. Geier. Pisc. alii passim. 5 בשנותו את טעמו

6 Aquil. & 6. Edit. Ὅτε ἠλλοίωσε τὸ γεῦμα αὐτοῦ. 7 Sym. Ὅτε μεμόρφωκεν τὸν τρόπον αὐτοῦ.

eam. 15 Oculi Domini super justos : & aures ejus in preces eorum. 16 Vultus au-
tem Domini super facientes mala : ut perdat de terra memoriam eorum. 17 Clama-
verunt justi, & Dominus exaudivit eos : & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit
eos. 18 Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde : & humiles spiritu salvabit.
19 Multæ tribulationes justorum : & de omnibus his liberabit eos Dominus. 20 Cu-
stodit Dominus omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur. 21 Mors peccato-
rum pessima : & qui oderunt justum, delinquent. 22 Redimet Dominus animas servo-
rum suorum : & non delinquent omnes, qui sperant in eo.

℣. 1. BENEDICAM DOMINUM IN OMNI TEMPORE.] Quandoquidem non cessat Deus nos bonis cumulare, neque nobis cessandum est, quominus illum benedicamus, eique gratias agamus. Justus benedicit Deum omni tempore, & in omnibus rebus, tum in prosperis, cum in adversis; tum in persecutione, cum in pace [1]. Recenti favore David a Deo cumulatus, cum adeo miraculose de Saulis, & mox de Achis, & Philisthinorum internecinorum ipsius hostium manu fuisset liberatus, æquum erat, ut omne vitæ suæ spatium in Domini laudes recinendas transmitteret, atque æternum grati animi sui relinqueret monumentum.

℣. 2. IN DOMINO LAUDABITUR ANIMA MEA.] Numquam, Domine, mihi gloriæ vertam ea, quæ pro me facere dignatus es; tibi acceptam refero gloriam. B Ob virtutem, præsidium, misericordiamque tuam unice de vi hostium meorum ereptus fui. Sine te, actum est de me; id coram te fateor, & cupio, ut omnes homines hos sensus intelligant. Opto, ut Justi, ad quos ex liberatione mea aliqua pervenit lætitia, laudes, ac gratiarum actiones suas meis conjungant : *Audiant mansueti, & lætentur*. Aliter : *In Domino laudabitur anima mea*. Ex mei occasione justi ædificationis argumentum accipient, & Dominum laudibus celebrandi. Hebræus ad litteram [2]; *Gloriabitur anima mea*, se se jactabit, sibi plaudet *in Domino*. *Mansueti*, humiles, mites corde *audient*, *lætabuntur*. Tu me insignem, & gloriosum effecisti [3].

℣. 3. IN IDIPSUM.] Vestras meis laudes conjungite, animi mei gratitudinem imitamini; eum, ut ipse C amo, diligite; *in idipsum*. Hebræus [4]: *Simul*. Nonnulla antiqua exemplaria legebant : *in unum*. Anima, quæ semel Deum agnovit, & gratiæ illius donum gustavit, nihil aliud in votis habet, quam eosdem inspirare sensus, eamdemque omnibus procurare felicitatem. *Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei ..... rapite, quos potestis hortando, portando, rogando ... rapite ad amorem, ut si magnificant Deum, in unum magnificent*, ait Sanctus Augustinus. Amor Dei zelotypiam non gignit; non veretur, eum, si plurimi diligant, dividi, & amantium numero illius solicitudines, ac benevolentiam imminui.

℣. 4. EX OMNIBUS TRIBULATIONIBUS MEIS ERIPUIT ME; & FACIES VESTRÆ NON CONFUNDENTUR.] Eripuit me de insidiis omnibus, & laqueis, quos te- D tendit mihi Saul, ut me perderet, & de omnibus aliis periculis, quibus & belli, & domi, & intrinsecus, & extrinsecus obnoxius fui. Hebræus [5]; *Eruit me de omnibus terroribus meis*, de omnibus calamitatibus, quibus agitatus sum. Symmachus [6], *de omnibus infortuniis meis*, de quolibet tristi occursu.

℣. 5. ACCEDITE AD EUM, & ILLUMINAMINI; & FACIES VESTRÆ NON CONFUNDENTUR.] Accedite

A ad Deum; non corpore, sed cordis motu, fide, fiducia, bonis operibus [7]; & illuminabimini. Propitio vultu vos intuebitur, vos lætitia, ac felicitatibus cumulabit; damnabit vos votis, neque confundemini. *Lumen vultus* favorem, & prosperitatem significat, *confusio* vero repulsam, atque dolorem [8].

Hebr. [9]: *Conjicite oculos in illum, & illuminemini; & facies vestræ non confundentur*. Vel cum S. Hieronymo : *Aspicite ad Deum, & confluite, & vultus vestri non confundentur*. Accedite audacter, & frequentes. Ne vereamini, petentium numerum illi negotium facessere, & petitionum multitudinem illum vel perturbare, vel exhaurire. Melius, quam vos ipsi, ea novit, quibus indigetis; ipse ditior est, ac effusior, quam vos in pauperes, ac necessariis ad victum carentes.

B ℣. 6. ISTE PAUPER.] David ipse. Cum summa urgeret necessitas ad Dominum clamavi, & exaudivit me. Memet in exemplum proferre possum.

℣. 7. IMMITTET ANGELUS DOMINI [10] IN CIRCUITU TIMENTIUM EUM.] Hebræus [11], Septuaginta [12], aliique Interpretes : *Angelus Domini castra metabitur circumundique illis, qui metuunt Dominum*. Servi Dei tuti somno indulgebunt, tamquam angelorum exercitu stipati. Nihil vulgatius in Scripturis angelorum concursu ad Sanctorum opem, atque præsidium. Sæpius de illis in Genesi est sermo. Agar angelum invenit sibi puteum ostendentem, suadentemque, ut ad Abraham reverteretur Genes. 16. 7. 9. & 21. 19. 20. Misit Deus angelos, qui Sodomam everterent Genes. 19. 1. 15. Abraham Eliezero promittit, angelum Domini in via C illi comitem futurum Genes. 24. 7. Jacob vidit angelos in Bethel, cum in Mesopotamiam proficisceretur Gen. 28. 12. cumque inde rediret illorum exercitum in Mahanaim, vel Phanuel conspexit Genes. 32. 1. Ipse fatetur ex omnibus periculis vitæ suæ angeli cura evasisse, Genes. 48. 16. Dominus Moysi pollicetur angelum suum, qui deducat populum suum per desertum, cumque in promissam Terram introducat Exod. 23. 20. 32. 34. Tobias 3. 25. Judith 13. 20. Job 4. 18. & 33. 23. Daniel 3. 49. 6. 22. 14. 13. & 33. 38. & Psalmista [13] de custodibus angelis palam, atque perspicue loquuntur. Eliseo Syrorum copiis in Dothan circumsepto, Dominus majorem angelorum exercitum misit, qui de montium jugis equitum, igneorumque curruum speciem præseferebant 4. Reg. 6. 16. S. Augustinus, & S. Hiero- D nymus hunc *angelum Domini* Jesum Christum interpretantur.

℣. 8. GUSTATE, & VIDETE, QUONIAM SUAVIS EST DOMINUS.] Optat David, ut omnes homines experiantur eam, quam ipse expertus est, Domini protectionem, ac misericordiam. *Gustare* hic significat *experiri*. Ne mihi fidem adhibete : periculum facite, utrum ea, quæ dixerim, vera sint, necne. Ad Dominum accedite, & videte, utrum ille suis vos benedictioni-

---

1 Theodoret. Hieronym. Flamin. Genebr. Vatab. alii. S. Aug. *Quando ista dat, benedic; & quando ista tollit, benedic : quia ille dat, ille tollit; sed seipsum a benedicente se non tollit.*
2 ביהוה תתהלל נפשי ישמעו ענוים וישמחו 3 Basil. Theodoret.
4 70. Ἐπὶ יחדו τὸ αὐτό. August. *In idipsum*; plurimi libri habent : *in unum*.
5 מכל מגורותי הצילני 6 Sym. Ἐκ πάσης τῶν πτοήσεών μου. 7 August. hic. *Accedite fide festando, corde inhiando, charitate currendo. Et vultus vestri non erubescent*. Vide Hieron. *Accedite non loco, sed fide, & opere.* 8 Vide Psalmos 66. 2. 118. 135. Baruc. 1. 12. Psal. 34. 4. 39. 15. 69. 2. Isai. 1. 29. Jerem. 60. 12. &c. 9 הביטו אליו ונהרו ופניהם אל יחפרו 10 Hieron. in Commentar. & alii. *Immittet Angelum Domini.* 11 חנה מלאך יהוה סביב ליראיו 12 70. Παρεμβαλεῖ Ἄγγελος Κυρίου κύκλῳ τῶν φοβουμένων αὐτόν. 13 Psalm. 90. 2. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

ctionibus cumulabit. S. Augustinus, S. Athanasius, Theodoretus id spiritualiter explicant de esca Corporis, & Sanguinis Jesu Christi.

℣. 9. TIMETE DOMINUM, OMNES SANCTI EJUS: QUONIAM NON EST INOPIA TIMENTIBUS EUM.] Si serio Dominum quæritis, si tamquam filii summa cum observantia eum veremini, numquam vobis vera bona deerunt. Ipse vobis largietur sapientiam, charitatem, patientiam, quæ toto cœlo majora sunt munera auro, & argento, cæterisque terræ hujus bonis: Imo præterea vobis abunde se collaturum ad vitam necessaria promittit: *Quærite primum regnum Dei*, ajebat Jesus Christus Matth. *6. 33. & hæc omnia adjicientur vobis*. Providentia illius incolumitati vestræ invigilabit, ac potius miracula patrabit, quam aliquid ex iis, quæ vere necessaria sunt, vobis desit. Quotnam suppetunt in Scripturis, atque Historiis certissima argumenta, quibus a Deo servos suos numquam derelinqui luce clarius innotescit? Davidi exuli, atque extorri, cum Rex illum persequeretur, omnesque fœderent ab eo, vel in exilio, vel in fuga aliquid ne defecit?

Cum in veteri Testamento infirmior esset fides, atque apertæ minus Regni cœlestis promissiones, & minus vulgatæ; tenebatur quodammodo Deus magnificæ protectionis famulis suis subinde tribuere pignora, cum egestate laborarent, vel alia quapiam calamitate affligerentur. Verum postquam nova Lex rogata fuit, & Jesus Christus nudus in cruce expiravit, & Apostoli, ac Martyres visi sunt ferre sitim, famem, nuditatem, inopiam, supplicia pro Jesu Christo; idque non solum non ægre, & iniquo animo, sed æquissimo, ac hilari; asseri ne potest, Deum famulis suis laborantibus deesse? Permutassetne S. Paulus passiones, & egestates suas cum omnibus terrarum opibus, ac voluptatibus? Et in Veteri Testamento, Tobias, Job, ac Prophetarum plerique se a Deo derelictos credidere, cum tot illis persecutiones, tormentaque irruerent? Haud ita sane. Alia igitur non desunt bona, quæ sperare ii debent, qui vere Deum timent, & diligunt. Hæc ea bona sunt, quæ Propheta hic ait Justis numquam esse defutura.

℣. 10. DIVITES EGUERUNT, & ESURIERUNT &c.] Divitibus bona deerunt in abundantia sua, & pauperes divites erunt in sua paupertate. Hi voti compotes erunt, felices, tranquilli, illos ambitio, avaritia, irrequietæ solicitudines jugiter exagitabunt. Locuples immodicas alit cupiditates, neque ulla umquam bona illi sufficiunt: pauper vero, qui timet Dominum, in Deo omnem voluptatem suam invenit. *Timor Domini ipse est thesaurus ejus* &c. Isai. *33. 6.* Dives ille, de quo loquitur Evangelium Lucæ *16. 10.* qui induebatur purpura, & quotidie epulabatur opipare, dives inquam ille re ipsa pauper erat, ait S. Hieronymus; & Lazarus, qui ad fores ejus jacebat, petebatque micas, quæ de mensa illius decidebant, vere erat dives. Prior quidem sitim intolerabilem inter inferni flammas patitur; alter vero in Abrahæ sinu felicitate, & gloria cumulatur.

Hebræus [1]: *Leunculi eguerunt, & esurierunt: sed quærentibus Dominum nulla desunt bona*. Divites [2] leunculorum nomine designantur, propter eorum robur, atque aviditatem. Simpliciter quoque id potest intelligi: Leunculi antea indigebunt esca, quam pauperibus necessaria desint.

℣. 12. QUIS EST HOMO, QUI VULT VITAM, DILIGIT DIES VIDERE BONOS?] Explicari potest de temporali vita, ac diebus felicibus juxta hominum vota; neque enim ii, quos David alloquebatur, sublimius aliquid intellexisse, vel cogitasse videntur. Viæ, quas illis isthic aperit, in hoc etiam orbe ad veram, solidamque felicitatem deducunt. ℣. 13. De nullo obloqui; recte, ac sincere operari, ℣. 14. Nulli injuriam inferre, ac bonum omnibus pro virili procurare, ℣. 15.

A Pacem inquirere, & ea omnia, quæ illi obesse possint, evitare; hæ inquam tutiores viæ sunt ad naturalem beatitudinem acquirendam, postquam cor, & sensus illius rite fuerint instituti, atque Dei timor, ac Religio valida jecerint fundamenta. Sed Patres vulgo de vita æterna, ac beatis in Cœlo diebus interpretantur.

℣. 13. PROHIBE LINGUAM TUAM A MALO &c.] Jure quidem Propheta a linguæ malis orditur; ut enim Sapiens ait Prov. *18. 21. Mors, & vita in manu linguæ*. Lingua malorum omnium est fons. Ipsa ignis est terribilia gignens incendia. Ipsa membrum est indomitum, ac intractabile ait Jacob *3. 5. 6. 8.* Ipsa tres uno ictu confodit, cum gladius unum dumtaxat vulnus inferat. Eum quippe occidit, qui malum profert, illum, qui proferentem audit, ac illum, de quo profertur. Seu

B blandiatur, seu convicia ingerat, & falsa crimina dissipet, æque ferme semper est perniciosa. Qui se religiosum putat, quin linguam cohibeat, fallitur; illius est vana religio.

℣. 14. DIVERTE [3] A MALO, & FAC BONUM.] Primus ad bonum gradus est mali fuga: sed in virtutis via non satis est mala non agere, præterea & bonum faciendum est. Vide Psal. *36. 27.*

INQUIRE PACEM, & PERSEQUERE EAM.] Cum omnibus pacem habeas, dissidia, jurgia, lites evita, cede, & da spatium iræ [4], potiusquam illi resistas. Hæc ratio est felicitatis adipiscendæ, ac pacate cum omnibus vivendi. Ita quoque potest explicari: In id toto pectore incumbe, ut pacem, & publicam unionem civitatis, imperii, reipublicæ, in qua degis, con-

C serves. Pax universale est bonum, quod omnes homines procurare debent; mala enim belli, ac discordiæ in omnes redundant. Jeremias Babylonis captivos alloquens ait illis cap. *29. 7. Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis*. Ex illius tranquillitate vestra felicitas pendet.

℣. 16. VULTUS AUTEM DOMINI.] Isthic opponit vultum Domini oculis ejus. ℣. 15. *Oculi Domini super justos*. Hebraice *facies* pro ira usurpatur: nec diffitetur aliquis hoc in loco *faciem* severitatem, justitiam, & ultionem significare. Confer Psalmum 20. 13. *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum*. Sanctus Basilius pro oculis Domini intelligit angelos nobis tutandis, & custodiendis constitutos.

D ℣. 17. CLAMAVERUNT JUSTI.] Hebræus non legit *justi*: verum Chaldæus, Septuaginta, & Syrus ita habent, ac Interpretes fatentur hoc in loco esse subintelligendum. Verti posset in tempus futurum: *Clamabunt justi, & Dominus exaudiet eos*, ut in hoc versiculo continuentur ea, quæ Justis isthic Propheta pollicetur. Hi non semper aperte exaudiuntur; neque semper obtinent, quod vocibus precum suarum expresserunt; sed numquam præcipuo desideriorum suorum fine destituuntur, quod scilicet voluntas Dei perficiatur. Si in terris ea, quæ postulant, bona, & subsidia non consequuntur, Deus illis longe majora in cœlis reservat.

℣. 18. JUXTA EST DOMINUS HIS, QUI TRIBULATO SUNT CORDE &c.] Per gratiam, amorem, adsistentiam adest illis, qui contrito, ac humiliato sunt cor-

E do. *Cum ipso sum in tribulatione*, ait Psalm. *90. 15.* Vide etiam Psalmum 50. 19. *Cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies*. Numquam nobis propior, & conjunctior est Deus, quam cum in dolore, atque humiliatione versamur. Numquam vero magis abest, quam cum prosperis, secundisque rebus fidentes intumescimus.

℣. 19. MULTÆ TRIBULATIONES JUSTORUM &c.] David nequaquam promittit discipulo suo vitam doloribus, & calamitatibus vacuam; satis enim superque noverat hanc esse viam, qua illos deducit Dominus, quos amore prosequitur: *Quem diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit*. Hebr. 12.

---

1 כפירים רשו ורעבו 2 Geoebr. Flamin. Vatabl. Muis, Gejer. alii.

3 August. hic, & S. Bened. in Reg. Prolog. *Declina a malo*. 4 Rom. 14. 19. *Non vosmetipsos defendentes. sed date locum iræ*.

6. verum promittit illi futurum, ut Deus eum ex his malis omnibus eruat: *Et de his omnibus liberabit eos Dominus.* A

℣. 20. CUSTODIT DOMINUS OMNIA OSSA EORUM.] Si quo læduntur vulnere, ossa tamen eorum non confringentur. Si permisit Deus, ut Martyrum ossa in veteri, ac novo testamento confringerentur, non passus est tamen patientiam, constantiam, virtutem eorum, quæ ossium nomine designantur, deterreri [1]. Illis animum, virtutemque tribuit hostium suorum furori, ac Dæmonis nequitiæ resistendo parem. In hoc eodem sensu discipulos suos Jesus Christus Matth. 10. 30. hortabatur, ut persecutiones, ac tormenta contemnerent; capilli enim capitis eorum numerati erant, nec unus quidem, Patris Cœlestis injussu, in terram erat casurus.

℣. 21. MORS PECCATORUM PESSIMA; & QUI ODERUNT JUSTUM, DELINQUENT.] Hæc species est Prophetiæ, qua infaustissimus Saulis exitus prædicitur. Videntur quidem impii aliqua felicitatis specie in terris frui; at eorum felicitas fluxa tantum est, atque fragilis. Hebr. [2] *Nequitia occidet impium, & qui oderunt Justum, desolabuntur*, diripientur, damnabuntur: vel denique [3] *peccabunt*, erunt maxime sontes in oculis Dei, atque summa severitate in eos Dominus animadvertet. Sequenti versiculo eadem occurrit vox, & similiter intelligenda. *Non delinquent omnes, qui sperant in eo.* Non peccabunt, non damnabuntur, non animadvertetur in ipsos tamquam in viros nequam, non desolabuntur, non subvertentur.

1 Aug. Hieronym. 2 תמותת רשע רעה ושנאי צדיק יאשמו 3 70. Οἱ μισοῦντες τὸν δίκαιον πλημμελήσουσι. Hieronym. *Culpabuntur*. Vers. seq. *Peccabunt*.

PSALMUS XXXIV.

Oratio David in persecutione, & periculo. Acriter de inimicorum suorum injustitia conqueritur. Eorum calamitatem, interitumque vaticinatur.

Ipsi David.

ARGUMENTUM.

IPSI DAVID [1].] Alii [2] legunt: *Psalmus David*; & alii [3]; *In finem, Psalmus David*. Creditur Psalmus hic eas respicere persecutiones, quas David ab inimicis suis passus est. Plerique vero [4] de Saulis persecutionibus explicant; alii [5] de Absalonis defectione. Utramvis sententiam pari ferme probabilitate licet amplecti. Non desunt, qui ad Ezechiam ab Assyriis obsessum transferant; alii [6], ad Jeremiam a Judæis plagis affectum; alii ad Judæos Babylone captivos. Patres de JESU CHRISTO interpretantur, quem inimici ejus persequebantur, ac falso ante Pilati tribunal accusabant. Salvator sibimet applicuit versiculum Psalmi hujus vigesimum quartum: *Quia odio habuerunt me gratis* Joan. 15. 25. Nos vero in Commentario illorum sententiæ adhærebimus, qui putant, a David fuisse compositum, dum per summum nefas illum Saul, aulicique ejus persequerentur. Confer Psalmum 54. qui huic admodum similis est.

Psalmus hic acri stylo conscriptus est, ac in eo inimicorum suorum nequitiam atris sane coloribus auctor describit, atque de illis acerbissime loquitur, videturque eorum excidium, infamiamque petoptate. Theodoretus ad finem Psalmi Davidem excusaturus, & scandalum dempturus, quod ex illius exemplo pusilli capere potuissent, mala iis imprecantes, a quibus exagitantur, atque inimicos suos sævissimis execrationibus persequentes, ait, Prophetam eo tempore vixisse, dum ea Lex vigeret, cum ultio minime damnata erat, neque vetita, quemadmodum deinceps in Evangelio illi igni, & aqua interdictum est: *Audistis*, ait JESUS CHRISTUS Matth. 5. 43. *quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros.*

Addit etiam Theodoretus hac in re Davidem nequaquam proprie desideraffe inimicorum suorum interitum, sed Prophetiæ spiritu afflatum eum dumtaxat fuisse vaticinatum. Denique in omni Principis hujus vitæ ratione ostentat clementiam, morumque suavitatem Evangelio, & gratia, quam Lege, & Judæorum duritia digniores. Nonne ipse de semet ait Psalm. 7. 5. 6. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis: persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terram vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat?* Nonne vel bis in manibus suis Saulem habuit, quin ullam ipsi vel minimam injuriam inferret? Nonne summa illum semper excepit reverentia? Nonne humillime semper de illo verba fecit? Nonne lacrymis funus illius est prosecutus? Nonne laudibus extulit illos, qui corpus ejus ab hostibus injuria affectum abstulerant?

Pluribus ergo de causis adversus inimicos suos, ut facit isthic, obloqui potuit [7]. 1. ex sincera correctionis illorum cupiditate. Eos pereunte, Domine, ut inique agere, ac lacessere tandem aliquando desistant. 2. ut in hoc mundo castigati, minoribus in altero suppliciis afficiantur. 3. ut eorum supplicium impios deterreat, qui ex illorum nequissimo exemplo paria conantur. 4. ut bonis scandalum adimatur, quod impii injustis vexationibus ingerunt illis. 5. Ut Dei Gloriam, ac Providentiam ulciscatur adversus impios, qui renuunt intelligere, Deum Justorum præsidio invigilare. 6. Ne Justi pravo iniquorum exemplo corrumpantur. Non semel ad solutionem hanc confugiendum erit, ne Prophetæ verba, quæ acria nimium adversus inimicos suos videbuntur, animum nostrum afficiant.

Judica

1 Hebr. לדוד Ita Chald. 70. Edit. Rom. Τῷ Δαυίδ. 2 70. Edit. Complut. Theodoret. Beda. 3 Hieronym. in Comment. D. Thom. Hugo Cardin. 4 Cyrill. Alexand. Euseb. Theodoret. Euthym. Kimchi, Vatab. Muis, Moller. 5 Ferrand. & alii nonnulli. 6 Euseb. Theodor. Antioc. Beda. 7 Asterius ad finem Psalm. in Caten. Barbari, sed a Corderio pag. 641. emendatus.

1\. JUdica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me. 2 Apprehende
arma, & ſcutum: & exurge in adjutorium mihi. 3 Effunde frameam, &
conclude adverſus eos, qui perſequuntur me: dic animæ meæ: Salus tua
ego ſum. 4 Confundantur, & revereantur quærentes animam meam. 5 Avertan-
tur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala. 6 Fiant tamquam pulvis an-
te faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos. 7 Fiat via illorum tenebræ,
& lubricum: & Angelus Domini perſequens eos. 8 Quoniam gratis abſconderunt
mihi interitum laquei ſui: ſupervacue exprobraverunt animam meam, 9 Veniat il-
li laqueus, quem ignorat: & captio quam abſcondit, apprehendat eum: & in la-
queum cadat in ipſum. 10 Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabi-
tur ſuper ſalutari ſuo. 11 Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?
12 Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum, & pauperem a diripienti-
bus eum. 13 Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. 14
Retribuebant mihi mala pro bonis: ſterilitatem animæ meæ. 15 Ego autem, cum
mihi moleſti eſſent, induebar cilicio. 16 Humiliabam in jejunio animam meam:
& oratio mea in ſinu meo convertetur. 17 Quaſi proximum, & quaſi fratrem no-
ſtrum ſic complacebam: quaſi lugens, & contriſtatus ſic humiliabar. 18 Et ad-
verſum me lætati ſunt, & convenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & igno-
ravi. 19 Diſſipati ſunt, nec compuncti, tentaverunt me, ſubſannaverunt me ſub-
ſannatione: frenduerunt ſuper me dentibus ſuis. 20 Domine, quando reſpicies?
reſtitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam. 21 Con-
fitebor tibi in Eccleſia magna, in populo gravi laudabo te. 22 Non ſupergau-
deant mihi, qui adverſantur mihi inique: qui oderunt me gratis, & annuunt o-
culis. 23 Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: & in iracundia terræ lo-
quentes, dolos cogitabant. 24 Et dilataverunt ſuper me os ſuum; dixerunt: Eu-
ge, euge, viderunt oculi noſtri. 25 Vidiſti, Domine, ne ſileas: Domine, ne di-
ſcedas a me. 26 Exurge, & intende judicio meo: Deus meus, & Dominus meus,
in cauſam meam. 27 Judica me ſecundum juſtitiam tuam, Domine Deus meus, &
non ſupergaudeant mihi. 28 Non dicant in cordibus ſuis: Euge, euge, animæ
noſtræ: nec dicant: devoravimus eum. 29 Erubeſcant, & revereantur ſimul,
qui gratulantur malis meis. 30 Induantur confuſione, & reverentia, qui magna
loquuntur ſuper me; 31 Exultent, & lætentur, qui volunt juſtitiam meam, & di-
cant ſemper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſervi ejus. 32 Et lingua
mea meditabitur juſtitiam tuam, tota die laudem tuam.

℣. 1. JUDICA, DOMINE, NOCENTES ME; EXPUGNA IMPUGNANTES ME.] Eſto Judex meus, & protector meus; ulciſcere me de inimicis meis; tuere innocentiam meam adverſus injuſtas eorum criminationes. Non poſtulo, ut indicta cauſa eos damnes, atque injudicatos punias; judica eos, vide nequitiam eorum; ac poſtea ſi ſontes inventi fuerint, puni [1]. Hebr. [2] ad litteram: *Age cauſam meam, Domine, præliare prælium meum*. Accuſatus ſum coram Judice, tuere me, eſto orator meus; inimici mei vim faciunt mihi, pro me in pugnam deſcende, arma cape, ut me defendas.

℣. 2. APPREHENDE ARMA, & SCUTUM.] Relicta Judicii inſtituti metaphora, ex bello deſumptam perſequitur allegoriam. Inimici mei undique mihi circumſtant; cape arma, veni in auxilium mihi. Sæpe Deus ſub viri fortis, validique militis imagine exhibetur: *Dominus, quaſi vir pugnator, omnipotens nomen ejus* B Exod. 15. 3. Hebræus [3]: *Apta clypeum, & peltam*, vel *cape ſcutum, & clypeum*. Duo Authographi nomina utrumque clypeum ſignificant, majorem alterum, alterum breviorem. Goliath poſt humeros rejectum gerebat clypeum, & præcedebat illum armiger ſuus alium adhuc bajulans clypeum [4]. Major *zinna* vocatus in ſtatariis pugnis adhibebatur, brevior vero *magen* dictus in itineribus, vel cum hoſtes in fugam acti erant perſequendi. S. Hieronymus Hebræum vertit: *Cape clypeum tuum, & haſtam tuam*. Clypeus Domini, ait alibi Propheta, eſt bona ejus voluntas, & miſericordia, Pſalm. 5. 13. *Ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ &c.*

℣. 3. EFFUNDE FRAMEAM, & CONCLUDE ADVERSUS EOS, QUI PERSEQUUNTUR ME.] Arma cape, inimicos meos undequaque aggredere, ita ut e manu tua elabi, & aufugere nequeant. *Framea* in Pſalmis ſæpius pro gladio invenitur [5]. Hebræus [6]: *Educ gladium*, vel potius *haſtam*, telum, *& claude adverſus inimicos meos*, illi tranſitum interclude, aditus omnes obſepi, ne ad me uſque perveniant, atque ex manu tua abſtrahant. Chaldæus: *Educ haſtam tuam, & claude thecam ejus*, vaginam ſcilicet, *& te armatum inimicis meis objice*.

Ex textu videtur, *chamith* ſignificare aliquod armorum genus, quod e vagina educebatur. Neſcio vero utrum de haſta, vel lancea queat explicari, ni ſaltem in armamentariis tela, & miſſilia vaginis ſuis fuerint aſſer-

1 Theodoret. hic. 2. ריבה יהוה את יריבי לחם את לחמי
3 החזק מגן וצנה 4 1. Reg. 17. 6. 7. Vide Diſſertationem de militia veterum Hebræorum.
5 Vide Pſalm. 9. 7. 6 והרק חנית וסגור לקראת רדפי Aquil. Symmach. Theod. & 5. Edit. Γύμνωσον λόγχην. ϗ περίφραξον. *Jacta lanceam, & circumſepi*.

affervata, nam belli hoc confuevisse non liquet. Nonnulli vertunt [1]: *Edue de vagina lanceam, & sagarim contra inimicos meos*. Hebraica vox *seger* plurimam habet cum *Sagari* similitudinem. At *Sagaris* recurvus erat ensis in falcis formam; de quo explicite locutus est Xenophon [2] veluti de gladio, quem ad dexteram Persæ deferebant, & qui apud Amazones quoque erat in usu. Eum autem tamquam synonymum addit *copidæ* generi gladiorum, quos ita Q. Curtius l. 8. describit: *Copidas vocant gladios leviter curvatos, falcibus similes, queis amputabant belliarum manus*. Hesychius [3] credidit, significasse securim militarem, vel gladium non ancipitem. Hebræorum plerique putant, Hebraicam vocem *segor* nomen generis cujusdam armorum esse; quod quidem magis probabile videtur; & hoc pacto tollitur locutionis hujus durities: *Conclude adversus eos, qui persequuntur me*, reddendo: *Expedi lanceam, & segarim adversus &c.*

℣. 5. CONFUNDANTUR, &c.] Absit fortuna pravis illorum cœptis; eos sua spes frustretur; in te offendant; vel potius rubore suffundantur; ac sciant, te meum esse Salvatorem: *Dic animæ meæ: Salus tua ego sum*. Ostende mendaces esse inimicos meos, qui dicere audent: *Non est salus ipsi in Deo ejus*, Psal. 3. 2.

℣. 6. FIANT TAMQUAM PULVIS.] Vel potius tamquam minutæ paleæ, quæ cum tritico remanent, postquam trituratum est, & quæ dissipantur in aera, cum illud ventilatur [4].

℣. 7. ET ANGELUS DOMINI PERSEQUENS EOS [5].] Hebræus [6]: *Et Angelus Domini coarctet eos*, urgeat, post tergum impellat, ut decidant. Videmus isthic malorum Angelorum opera Deum uti ad impios plectendos, quemadmodum Psalmo superiori vers. 7. vidimus bonos Angelos piis hominibus in auxilium missos. Patres nonnulli [7] singulis hominibus singulos Angelos bonos, ac malos apposuere; sed Ecclesia malorum Angelorum potestatem in illos dumtaxat agnoscit, quos, illis permisit Deus, vel plectere, vel tentare. Potestas eorum limite suo est circumscripta: *Tantam habet potestatem, quantam Dominus ei permiserit*; ait S. Hieronymus. Dæmon est tamquam catenatus canis, ut S. Augustinus inquit: latrare, minari potest, at mordere non potest, nisi qui ad ipsum accedunt, vel quos Deus illi puniendos tradit.

℣. 8. QUONIAM GRATIS ABSCONDERUNT MIHI INTERITUM LAQUEI SUI [8], SUPERVACUE EXPROBRAVERUNT ANIMAM MEAM.] Saul, & amici illius immerito, ac injustissime quærunt excidium meum. Concinnant adversum me falsas criminationes, fictasque calumnias, ut aliquam prætexant causam me persequendi. Hebr. [9] Frustra, vel *sine causa absconderunt foveam laquei sui, ut caperent me; frustra foderunt foveam animæ meæ*, mihi met ipsi, ut illuc me præcipitem darent, mihique vitam auferrent. Vel: *injuste laqueos mihi clanculum tetenderunt; injuste effoderunt foveam animæ meæ*. Symmachus [10]: *Absque causa effoderunt mihi portam laqueorum suorum; absque causa effoderunt*, ut perderent animam meam.

℣. 9. VENIAT ILLI LAQUEUS, QUEM IGNORAT &c. [11]] Præter expectationem se iis laqueis captos videant, quos aliis posuere. Hebr. [12] *Inopina calamitas irruat in illum*. Persequentium se, ac Saulis præsertim calamitates vaticinatur, suarum vero finem annuntiat dicens vers. 10: *Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo*.

℣. 11. OMNIA OSSA MEA DICENT.] Totum corpus meum, omnia membra mea præ gaudio clamabunt; quis similis Deo? Quis est Deus, quis homo, ut hic Domino resistere queat? Exemplaria quædam [13] Latina olim bis habebant: *Domine, Domine quis similis? &c.* At S. Hieronymus refert, quædam adfuisse Hebraica Biblia, ubi semel legebatur: *Domine*. Domine, inquit S. Augustinus, cætera omnia, si vis, mihi denega, sed ne deneges temet cordi meo: *Da si vis dare, & in hac vita, quod quæro; si autem non vis, tu esto vita mea, quem semper quæro*.

℣. 12. ERIPIENS INOPEM.] Generatim potest intelligi: infinitam potestatem tuam ostendis præcipue in liberatione pauperum, ac debilium, qui omni sunt præsidio destituti: Vel particulariter: Tu, Domine, liberas David pauperem, afflictum, oppressum; tu effecisti ut apud Abimelech [14] panes invenirem, quibus in summa rerum inopia indigebam.

℣. 13. SURGENTES TESTES INIQUI.] Ea mihi adspergebant crimina, quorum innocens eram, & ad quæ numquam cogitaveram. Me Regnum appetiisse, deque solio Saulem deturbare voluisse, insimulant. Accusant me, quod vitæ illius insidias struxerim, in illum arma ceperim, & in republica dissidii semina jecerim [15]. Tu nosti, Domine; si aufugi, id extrema tantum necessitate coactum fecisse; idque solum, ut in tutum reciperem vitam meam, eamque surripere injustis persecutionibus, quas in me exercere adnitebantur. Ne putes, David ante Judices fuisse accersitum, eique jure diem dictam. Locus hic nihilo magis id probat, quam primus, ubi Deum orat, ut suam causam agat, ipsi patrocinetur, atque pro illo peroret. Hæ figuratæ sunt loquendi rationes. Hic, & sequentes versiculi mirum in modum congruunt JESU CHRISTO ante Pilatum accusato, & a Judæis Præsidi, ac Romanis tradito.

℣. 14. RETRIBUEBANT MIHI MALA PRO BONIS; STERILITATEM ANIMÆ MEÆ [16].] Desolationem, privationem animæ meæ [17]. Saul me remuneraturus ob ea, quibus de ipso perquam bene meritus sum, mihi vitam conatur eripere. Servavi Regnum illius a Philisthiim exagitatum; abstuli opprobrium de Israel, Gigantem Goliath occidens, fui propugnaculum patriæ meæ virtute mea, ac tot præliis, quæ adversus Reipublicæ hostes præliatus sum; modo vero extorris sum, exul, rerum omnium egenus, meque persequitur, ubicumque vitæ meæ quæro refugium. Pro *sterilitatem animæ meæ*, Symmachus legit [18] *eversionem animæ meæ*. Hebræus proprie significat viduæ statum, quæ amisit virum, vel filii, qui parente orbatus est. Huc miseriarum hostes mei redegerunt animam meam. Eam summo dolore, atque afflictatione conficiunt. Illi quidquid pretiosissimum habeo, patriam, familiam, liberam Religionis exercitationem, pacem, existimationem, honoremque diripiunt.

℣. 15. EGO AUTEM, CUM MIHI MOLESTI ESSENT, INDUEBAR CILICIO.] Hæc ea sunt, quæ illorum nequitiæ, ac facinoribus opposui, Deus meus! cilicium, cinis, humilitas, pœnitentia. Intellexi mihi primum flectendam esse justitiam tuam, si inimicos meos superare vellem; probe tenens, si tu mihi adjutor, & prote-

---

1 Gror. Hammond. Druf. Aiosvort. Glass. Rhetor. lib. 1. cap. 7.
2 Xenophon. Anabas. lib. 4. Et lib. 2. Cyropæd. 3 Hesych. Σάγαρις, πέλεκυν, & Μαχαίρας.
4 יהיו כמוץ לפני רוח *Fiant quasi gluma*. Muis, Geier. Pisc. Vatab.
5 August. *Tribulans eos*. Psalter. Roman. Mediol. S. German. *Affligens eos*. 70. Ἐκθλίβων αὐτούς. Carnut. *Confligens eos*. 6 ומלאך יהוה דחה 7 Hermas lib. 2. Pastor. Mandat. 6. Origen. homil. 35. in Luc. Nyssen. de Vita Mosis. Cassian. Collat. 8. cap. 17. & Collat. 13. cap. 12. Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 5. 8 August. legit: *Absconderunt muscipulæ suæ corruptionem*.
9 כי חנם טמנו לי שחת רשתם חנם חפרו לנפשי 10 Symmach. Ἀναιτίως ὤρυξάν μοι διαφθορὰν δικτύου αὐτῶν. Ἀναιτίως ὤρυξαν τὴν ψυχήν μου. 11 S. Augustinus legit totum versiculum in plurali. *Veniat illis muscipula quam ignorant, & captio quam occultaverunt, comprehendat illos, & in muscipula incidant in ipsa*. Alia Psalteria pariter in plurali. 12 תבואהו שואה לא ידע
13 Hieronym. ad Suniam, & Fretell. 14 1. Reg. 21. 3. 15 Vide adnotata in Psalm. 7. 4. & Euseb. Vatab. Flamin. in hunc locum. 16 ישלמוני רעה תחת טובה שכול לנפשי
17 Vide Theodot. Heracleot. Muis, Ferrand. 18 Sym. Ἀτεκνίαν κατὰ τῆς ψυχῆς μου.

protector fueris, nihil umquam mihi obfuturum [1]. Hebr. [2] *Sed dum illi ægrotarent, induebar cilicio*. Quin ob eorum infortunia lætarer, simul ac eos ægrotare cognovi, memet indui cilicio, cum ut te ad misericordiam erga illos flecterem, tum ut me ob eorum mala summo dolore affici, & pro eorum incolumitate vota nuncupare, testarer. S. Hieronymus: *Ego autem cum infirmarer ab eis, induebar cilicio*: ipsi e contra cum ego ægrotatem, gaudebant, & congregabantur adversum me.

℣. 16. ORATIO MEA IN SINU MEO CONVERTETUR.] Clanculum pro illis preces fundebam: interius pro eorum incolumitate vota nuncupabam. Septuaginta [3], ac plures Antiqui legunt: *Oratio mea in sinum meum revertetur*. Si oratio mea cohibere non poterit pravæ illorum voluntatis effectus, neque justitiam tuam ad miserationem erga illos flectere, nec illis de cordis mei rectitudine fidem facere, spero saltem, Domine, te illius rationem aliquam habiturum, ac fructus illius in me redundaturos [4]. Ne permittas, si frustra pro illis elaboravi, ut pro me quoque oleum, operamque perdiderim. Adest in Evangelio Lucæ 10. 6. locutio quædam, ab hac non longe abhorrens: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur*. Hebræus verti potest [5]: *Et oratio mea in sinum meum revertatur*. Deus in me ea omnia, vel bona, vel mala, quæ illis concupisco, convertat.

℣. 17. QUASI PROXIMUM ... SIC COMPLACEBAM.] David memorat isthic quidquid ipse fecerat, ut inimicorum suorum mentes ad frugem revocaret. Officia, obsequia, amicitiæ obtestationes eorum iram lenire non valuerunt. Hebr. [6] *me gessi cum illis tamquam fratrem, & amicum*. Quoad fieri potuit, cum illis vixi quasi eorum amicus, & frater. Nequicquam omnes in eos amoris, atque existimationis notas deprompsi. Vel: Domos illorum adii, cum ægrotarent conveni, quasi fratres, aut amici fuissent.

QUASI LUGENS, & CONTRISTATUS, SIC HUMILIABAR.] Cum ipsi aliqua ægritudine affligerentur, omnem hominis vere afflicti notas præ me ferebam; atque ex illorum mœrore vehementer angebar. Hebr. [7] *In luctu versatus sum, tamquam lugens funus matris suæ*. Pullatam vestem indui, tamquam si defunctæ matris meæ lesum facerem. Luctus diebus atris, ac subobscuris vestibus induebantur. Verti quoque potest cum S. Hieronymo: *quasi lugens mater tristis incurvabar*. Vetus quidam Græcus Interpres [8]: *curvus incedebam, velut qui luget fratrem suum ex eadem matre genitum*.

℣. 18. ET ADVERSUM ME LÆTATI SUNT, & CONVENERUNT.] Omnes conatus mei, quos exerui, ut illos ad frugem revocarem, odiumque deponerent, nihil um profuere; sed ferociores facti sunt, atque iniquiores. Hebræus [9]: *lætati sunt, & conventus fecere, dum ægrotarem*; ad litteram, *dum claudicarem* [10]; dum ægritudine, mœrore, adversitate affligerer [11]. Simpliciter quoque verti potest: *Lætati sunt, & convenerunt ad latus meum*, coram me, veluti mihi insultaturi, & contemptum suum ostentaturi.

A CONGREGATA SUNT SUPER ME FLAGELLA, & IGNORAVI.] Me malis obruerunt, quin causam intelligerem: vel convenerunt, ut perderent me, quin id cognoscerem, ac de illis diffiderem. Hebr. [12]: *Convenerunt adversum me, ut me percuterent, & ignoravi*. Romana duo Psalteria legunt: *Congregaverunt in me flagella, & ignoraverunt*: Carnutense vero: *Congregati sunt in me, & ignoraverunt*.

℣. 19. DISSIPATI SUNT, NEC COMPUNCTI [13], TENTAVERUNT ME, SUBSANNAVERUNT ME &c.] Illis e voto non cessit, ut caperent me; spes sua eos frustrata est; dissipati sunt, dispersi divinæ Providentiæ effectu, quæ meæ incolumitati invigilabat. Verum non ideo se collegerunt [14], immo ferocius me persecuti sunt; cumque primi conatus evanuissent, aliis institere viis, ut me perderent. B Hebræus longe aliter vertitur; & superiori versiculo hoc potest pacto subnecti [15]: *Viri me percussuri convenerunt, & ignoravi; laniabant me, & non tacebant; subsannabant me cum hominibus profanis*; fremebant, *& frendebant dentibus super me*. Ferociter, ac sine modo in me desævierunt. Percusserunt me, laniaverunt me, clamaverunt contra me, illuserunt mihi maxima subsannatione. Chaldæus: Congregati sunt contra me, ut improbis sermonibus suis nomen meum discerperent, & ignoravi; dilaniaverunt cutem, nec cruor effluxit: fremunt, infrenduntque dentibus contra me, & proferunt verba dolosa, illusoria, subsannantia. Symmachus [16]: *non cessabant me lacerare; frendebant dentibus contra me, dolose agentes, fucoque oblita adhibentes verba; ut me fallerent*: C quæ postrema versio inter optimas mihi videtur accensenda.

℣. 20. DOMINE, QUANDO RESPICIES? RESTITUE ANIMAM MEAM A MALIGNITATE EORUM [17].] Usquequo nequitiam eorum dissimulabis? Usquequo surdis auribus vocem meam non exaudies? Ipsi vitam mihi auferre, & me perdere quærunt: Domine tuere me, educ me de manibus eorum. Hebr. [18] *Domine, usquequo hæc videbis, quin me ulciscaris? libera animam meam de malis, quæ ipsi ingerunt in me*. Ne patiaris, me ab illorum nequitia, atque crudelitate vexari. Sanctus Hieronymus: *Domine, quanta adspicies, converte animam meam a calamitatibus suis*. Antiqui omnes Græci Interpretes apud Eusebium legunt: *Domine, quanta videbis?* Quantam nequitiam, quot injustitias &c.

D A LEONIBUS UNICAM MEAM.] Libera animam meam, me ipsum, infirmum, desolatum, derelictum; erue me de rictu leonum horum esurientium; inimicorum scilicet meorum, qui leonibus ipsis crudeliores sunt. Symmachus [19]: *libera solitudinem meam*; Septuaginta: *filiam unicam meam*; Aquila, *solitariam meam*, animam meam desolatam. Vide Psal. 21. 21. & 24. 16.

℣. 21. IN POPULO GRAVI.] Hebr. [20] *Laudabo te in populo potenti*, forti, frequenti. Septuaginta [21]: *in frequenti cœtu*. Benedicam tibi in medio populi tui, in Tabernaculo fœderis tui.

℣. 22. QUI ADVERSANTUR MIHI INIQUE.] Saul, & amici illius. Hebræus [22]: *Mendaces inimici mei*.

ANNUUNT OCULIS.] Qui obtutu suo se meos esse amicos simulant; vel in contrario sensu: qui mihi dolos necte-

---

1 Vide Theodoret. & August. in hunc loc. 2 ואני בחלותם לבושי שק Aquil. Καὶ ἐγὼ ἐν ἀῤῥωστίᾳ αὐτῶν, ἔνδυσίς μου σάκκος. Theod. & 5. Edit. Ἐγὼ δὲ ἐν τῷ παρενοχλεῖσθαι αὐτοὺς, &c.
3 Καὶ ἡ προσευχή μου εἰς κόλπον μου ἀποστραφήσεται. Aug. & Psalter. Roman. & Mediol. *In sinum meum revertetur*. 4 Flamin. Genebr. alii. 5 ותפלתי על חיקי תשוב Confer Psal. 79. 12. Isai. 65. 6.
6 כרע כאח לי התהלכתי 7 כאבל אם קדר שחותי 8 Ὡς πενθῶν ὁμομήτριον σκυθρωπῶν ἐκύφουν.
9 בצלעי שמחו ונאספו 10 Aquil. Ἐς σκασμῷ μου εὐφράνθησαν, καὶ συνελέγησαν. Symm. Σκάζοντος μου εὐφραίνοντο, καὶ ἠθροίζοντο. 11 Vide Psalm. 37. 18. אני לצלע נכון *Ego in flagella paratus sum*. Et Jerem. 20. 10. שמרי צלעי *Observantes claudicationem meam*. Vulgat. *Latus meum*.
12 נאספו עלי נכים ולא ידעתי Symmach. Συνελέγησαν ἐπ' ἐμὲ πλήττοντες, καὶ οὐκ ᾔδειν.
13 Hæc desunt ab Augustino. Psal. antiqua: *Dissoluti sunt*. 14 Theodoret. hic.
15 נאספו עלי נכים ולא ידעתי קרעו ולא דמו בחנפי לעגי מעוג חרק עלי שנימו
16 Symmach. Ἀπαῤῥήξαντες οὐκ ἠρέμουν, ἐν ὑποκρίσει φθέγμασι πεπλασμένοις ὅπως κατ' ἐμοῦ βρύχοντες αὐτῶν. Aquil. Ἔῤῥηξαν, καὶ οὐκ ἐσιώπησαν. 17 August. legit: *Ab astutiis eorum*. 70. Ἀπὸ τῆς κακουργίας αὐτῶν. Psalt. Rom. Carnut. Sancti German. *A malefactis eorum*. 18 אדני כמה תראה השיבה נפשי משאיהם
19 Hebr. יחידתי 70. Τὴν μονογενῆ μου. Aquil. Μοναχήν μου. Symm. Μονότητά μου.
20 אהללך בעם עצום Aquil. Ἐν λαῷ ὀστέῳ. *In populo osseo, valido*. Sym. Ἐν λαῷ παμπληθεῖ. *In populo plurimo*. 21 70. Ἐν ἐκκλησίᾳ πολλῇ. 22 איבי שקר

nectere quærunt, inter se ex composito annuentes oculis, ac sibi invicem oculorum nutu maligne edentes signa. *Annuere oculis* vulgo in Scripturis in sequiorem partem usurpatur; & Salomon Prov. 6. 13. hoc ex iis signis esse ait, ex quibus insipiens dignoscitur: *Vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede*. Vide etiam Prov. 10. 10. Eccli. 27. 25. Verti quoque posset Hebræus [1]: *Ne patiaris eos, qui me oderunt injuste, illudere mihi post lapsum meum, irrisoriis oculorum suorum nutibus*.

℣. 23. QUONIAM MIHI QUIDEM PACIFICE LOQUEBANTUR: & IN IRACUNDIA TERRÆ LOQUENTES DOLOS COGITABANT [2].] Dixit jam versiculo 19. inimicos suos stimulationibus nonnumquam secum usos fuisse, ut illum facilius deciperent; hoc modo, sed fusius repetit. Cum me alloquebantur, semper amicitiæ, ac benevolentiæ speciem præseferebant; sed cum soli aderant, videbantur cogitabundi, & quandoque terræ, vel parieti loquentes, & consilia me perdendi meditantes. Satis liquet, illos, qui violento quopiam affectu perturbantur, sed occulto, vel turpi, secum sæpe loqui, perinde ac cum solo, vel cum rebus inanimis, ac sensu carentibus loquerentur. Septuaginta [3], S. Augustinus, Cassiodorus, antiqua Latina Psalteria Romana, & Mediolanensia, Eusebius, S. Athanasius, Nicephorus, Euthymius, libri Manuscripti Græci Bibliothecarum Regiæ, & Colbertinæ non legunt isthic eam voculam *terræ*, quæ omnem loci hujus gignit difficultatem. Habent vero simpliciter. *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur; sed in iracundia, cogitabant dolos*.

Hebræus [4]: *Inimici mei verba pacifica non proferunt: sed dolosis contra humiles*, pacificos *terræ*, regionis, *cogitationibus occupantur*. Mihi res est cum iis, qui ne verbum quidem pacis, amicitiæ, benevolentiæ proferunt; hominibus duris, efferis, violentis, implacabilibus, qui vias dumtaxat scrutantur fallendi, ac nocendi illis, qui pacatam vitam ducere gestiunt, neque aliquem lacessunt. Chaldæus pro *pacificis terræ*, justos intelligit, qui obiertunt, & qui humi quiescunt. Symmachus [5]: *Verba eorum nequaquam sunt pacifica, sed astunt dolosas artes, ut terram diripere queant, ac depopulari*. In id unum cogitant, ut ex egenorum, justorumque spoliis ditescant. Editio quinta non longe distat [6]; De regione delenda, ac evertenda dumtaxat loquuntur. Aquila [7]: *& super conferta terræ verba deceptionum concinnant*. In his versionibus, uti etiam in Hebræo textu deprehenditur nomen terræ, quod hodie apud Septuaginta non extat. At legerat illud Theodoretus, uti ex ipsius Commentariis deprehenditur, licet vox illa desit in Textu explicationi ejus præposito.

A Arabs quoque, & Syrus illud legerunt, non secùs ac Vetus Exemplar Septuaginta, ad cujus lucernam Vulgata concinnata fuit.

℣. 24. DILATAVERUNT SUPER ME OS SUUM; DIXERUNT: EUGE, EUGE; VIDERUNT OCULI NOSTRI [8].] Cum viderent infortunium, & fugam meam, aperuerunt os suum, ut mihi illuderent; non amplius personam gessere, non amplius improbam mentem dissimularunt: elata voce clamarunt: Contenti sumus; en ille abjectus est, nostris hisce oculis eum vidimus. Aliter: Falso me accusaverunt; ferociter, ac superbe dixerunt: Vidimus illum oculis nostris, nihil in ipsum adferimus, cujus oculi nostri testes non fuerint; qui novissimus sensus belle cum sequentibus congruit.

℣. 25. VIDISTI, DOMINE, NE SILEAS.] Cognoscis, quid sit; salvam fac innocentiam meam; ne me

B oppressum jacere sinas. *Ne sileas*, significare potest: *Ne silentium serves*, vel, *ne quiescas*. Te Judicem causæ meæ eligo, judica, sententiam profer. Vel: Te patronum meum elegi; consurge, tuere me. Vides, quo eorum procedit impotentia.

℣. 27. JUDICA ME SECUNDUM JUSTITIAM TUAM.] Nonnulla exemplaria legunt [9]: *Judica me secundum justitiam meam*, secundum innocentiam meam; tuere jus meum. Hebræus Vulgatæ conformis est. Romana Psalteria Carnutense, & S. Germani: *secundum magnam misericordiam tuam*; vel simpliciter: *secundum misericordiam tuam*.

℣. 28. EUGE, EUGE ANIMÆ NOSTRÆ.] Gaude cor meum &c. jam votorum tuorum summam obtinuisti.

C David proscriptus est; actum est de illo.

℣. 30. QUI MAGNA LOQUUNTUR.] Vide vers. 24. S. Augustinus: *Qui maligna loquuntur* [10], qui mihi obesse, ac me perdere student.

℣. 31. QUI VOLUNT JUSTITIAM MEAM .... QUI VOLUNT PACEM SERVI EJUS.] Illi, qui cupiunt, Deum mihi opitulari, ac rationem de inimicis meis sumere, meque post tot calamitates, doloresque pace, ac felicitate frui, lætitia, ac benedictionibus cumulentur. Hebræus [11]: *qui cupiunt justificationem meam, lætentur, ac dicant indesinenter: Benedictus sit Deus, qui voluit pacem servi sui*; qui mihi pacem, ac tranquillitatem tribuit.

℣. 32. LINGUA MEA MEDITABITUR JUSTITIAM TUAM.] In tua justitia laudibus extollenda versabitur,

D de ea loquetur, ea meditabitur. Verbum *meditari* Latine de cogitatione, ac interiori dumtaxat sermone dicitur. Hebraice vero dicitur etiam de exteriori sermone, ac judicio, quod per verba enuntiatur, & cum sedula attentione profertur.

---

1 שנאי חנם יקרצו עין desumens אל ex initio vers. אל יקרצו 2 Aug. *Et super iram dolose cogitabant*. Ita Psalter. Roman. Mediol. Carnut. sed Psalter. Sancti German. *Super iram dolose agebant*.

3 70. Edit. Roman. & Complut. Ὅτι ἐμοὶ μὲν εἰρηνικὰ ἐλάλουν, καὶ ἐπ' ὀργῇ δόλους δολίως διελογίζοντο.

4 כי לא שלום ידברו ועל רגעי ארץ דברי מרמות יחשבון 5 Symmach. Οὐ γὰρ εἰς εἰρήνην λαλοῦσιν, ἀλλὰ περὶ συναρπαγῆς ἐν τῇ γῇ λόγους δολίους λογίζονται. 6 Quinta Edit. Ὅτι οὐκ εἰρήνην λαλοῦσι, καὶ ἐπὶ συντέλειαν γῆς ῥήματα δόλια λογίζονται. 7 Aquil. Ἐπὶ ἀθρόα γῆς ῥήματα ἐπιθέσεων λογίζονται.

8 Vide 1. Reg. 2. 1. *Dilatatum est os meum super inimicos meos*. Et Psal. 21. 8. *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis*, &c. Vide & Psal. 53. 9. *Super inimicos meos despexit oculus meus*.

9 August. *Secundum justitiam meam*. Euthym. & Codices Reg. 1532. 1775. 2603. 2606. & Colb. 6051. legunt: Δικαιοσύνην μου. Apud Ferrand. sed Cod. Reg. 928. 2653. Colb. 4439. 6158. 6510. *Justitiam tuam*. Ex Vulgat. & 70. Complut. & Rom. 10 Ita Psalt. Carnut. German. Gallic. &c.

11 ישמחו חפצי צדקי ויאמרו תמיד יגדל יהוה החפץ שלום עבדו

PSAL-

PSALMUS XXXV.

Iniquorum, atque credulorum impietas, Divinæ misericordiæ, veritatis, & justitiæ magnitudo. Oratio ad misericordiam Domini impetrandam, ac impiorum laqueos evitandos.

In finem Servo Domini ipsi David.

ARGUMENTUM.

Veteres quidam legunt [1]: *In finem puero*, vel, *Servo Domini Psalmus David*. Sed neque Textus Hebraicus, nec Septuaginta [2] hanc vocem legunt, *Psalmus*. Eusebius autem ait ea de causa, nec *Psalmum*, neque *Canticum*, neque *Ode* fuisse appositum, quod hoc carmen ad morum doctrinam pertinet, neque est ad canendum compositum; quæ ratio sane infirmior est. Psalmi nomen isthic dubio procul subintelligitur, non secus ac aliis in locis, ubi simpliciter legitur: *ipsi David*.

Theodoretus, Nicephorus, & alii quidam [3] volunt, Davidem tunc elucubratum fuisse Psalmum hunc, cum nocte intempesta in castra Saul ingressus [4] Regem in utramque aurem obdormientem trucidare noluit, verum hastam, & poculum ejus dumtaxat surripuit, quæ mox e castris egressus reddidit. Tunc illi promisit Saul, se non amplius aures præbiturum illis, qui ipsum ad iram concitabant adversus illum, sed eum pro filio habiturum. Ea in occasione, inquiunt illi, Psalmista hoc Canticum cecinit, ubi acriter adeo in impios, ac pravæ fidei viros invehitur. Sed Psalmum hunc conferentes cum Psalmis 9. vers. 22. & sequentibus (hic decimus est Hebraice) & 11. 13. 52. quos compositos fuisse arbitramur in Babylonis captivitate ambigendi locum esse nequaquam censemus, quominus hic tempus idem respiciat. Eosdem ibi sensus, questus, objurgationes, preces, easdemque ferme loquendi rationes deprehendimus; quod facilius adhuc conferenti innotescet, & melius adhuc ex Commentario dignoscetur.

1. DIxit injustus, ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos e-
jus. 2 Quoniam dolose egit in conspectu ejus: ut inveniatur iniquitas e-
jus ad odium. 3 Verba oris ejus iniquitas, & dolus: noluit intelligere, ut be-
ne ageret. 4 Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bo-
næ, malitiam autem non odivit. 5 Domine in cœlo misericordia tua: & veritas
tua usque ad nubes. 6 Justitia tua sicut montes Dei: judicia tua abyssus multa.
7 Homines, & jumenta salvabis, Domine: quemadmodum multiplicasti misericor-
diam tuam, Deus. 8 Filii autem hominum; in tegmine alarum tuarum sperabunt.
9 Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.
10 Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. 11 Præ-
tende misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam his, qui recto sunt cor-
de. 12 Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moveat me.
13 Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

℣. 1. DIXIT INJUSTUS, UT DELINQUAT IN SEMET IPSO [5]. NON EST TIMOR DEI ANTE OCULOS EJUS.] Injustus, quem descripturus est, populus est Babylonis. Flagitia ea tunc in civitate grassabantur. Superstitio, idololatria, morum corruptio tamquam in sede sua dominabantur. Dei nomen penitus ignorabatur: Quilibet impune scelera patrabat: Impietas non solum ferebatur, verum honoribus excipiebatur, ac præcipiebatur. Satis liquet, in discrimen adductum fuisse Danielem [6] eo quod impia Nabuchodonosor imperia facessere noluit, cum columnam adorare juberetur? *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso*. Hoc consilii cepit, hoc statuit, de industria in scelus ruit; hoc præcipuum illius studium fuit, hæc potior ejus occupatio. Babylone tenebras, ac latibula non quæruntur, ut iniquo agatur, verum ibi pleno meridie, ac in populi luce scelus committitur. Timor Dei hinc procul abest. Hoc ipsum ferme legimus Psal. 13. 1. 2. *Dixit impius in corde suo, non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Hebræus [7]: *Impietas dixit impio cordis mei: Non est timor Domini ante oculos ejus*. Nemo non videt in Textu inesse mendum, atque legendum esse *in corde suo* [8] cum Septuaginta, S. Hieronymo, Syro, & Chaldæo pro *in medio cordis mei*, quod loci hujus sensum perturbat. Ita igitur verti potest: *Impietas iniqui dixit illi in imo corde ejus: non est timor Domini ante oculos illius*. Impius vocem audit impietatis suæ, quæ de imo corde ejus dicit illi, non est Deus. Vel simplicius: Scelus, *scelestus decrevit in corde suo agere perverse. Timor Dei non est*

1 Ita Ambrosius hic, & Hieronymus in Comment. & Cod. Reg. 138. Colb. 158.
2 70. Εἰς τὸ τέλος τῷ παιδὶ Κυρίου τῷ Δαυίδ. Ita Euseb. Theodoret. 3 Vide Euthym. & Bedam, Ferrand. hic. 4 1. Reg. 26. 5 Hieronym. in Comment. Psalter. Mediol. Carnut. & Sanct. German. *Ut delinquat sibi*. Græci, Εἰς ἑαυτῷ, sed non omnes, ait Ambrof.
6 Dan. 3. 1. & seq. 7 נאם פשע לרשע בקרב לבי אין פחד אלהים לנגד עיניו
8 לבו *Cor ejus*, loco לבי *Cor meum*.

non est in oculis ejus. Hebraice, non secus ac in aliis linguis, scelus, impietas, nequitia ponuntur pro subjecto earum, hoc est pro homine scelesto, impio, nequam. Symmachus [1]: *Cor meum dixit intra me loquens de impii nequitia, non esse timorem Dei in oculis ejus*.

℣. 2. QUONIAM DOLOSE EGIT IN CONSPECTU EJUS, UT INVENIATUR INIQUITAS EJUS AD ODIUM.] Impius credidit, se fallere posse Deum hypochrisi sua, & vana pietatis, ac justitiæ specie, verum non patitur Deus, ut quis sibi illudat. Quo magis justus videri vis coram ipso, cum injustus sis, eo magis irritatur, ejusque odium, ac ira succenditur. Septuaginta legunt [2]: *dolose agit coram Domino, ut quærat ad abominetur iniquitatem suam*. Impius quærit peccatum suum, illud ad examen revocat, non tamen ex animo. Illud invenire timet, adhuc enim amat, neque illud deserere cupit; sin autem illud invenit, quin horreat, ac derelinquat, scelus suum alit, ac tuetur [3]. Hebræus [4]: *Sibimet adulatur in oculis suis, ut inveniat iniquitatem suam, ac oderit*. Sibimet blanditur, sibimet cor suum obtegit, simulat scrutari velle iniquitates suas, easque odisse: verum si eas inveniret, ipsi perquam acerbum foret; non enim eas ullo pacto vellet abominari. Aliter [5]: *blandiebatur sibi in oculis suis, sperans iniquitatem suam non iri inventum, nec Deum eam esse abominaturum*; quem verum esse loci hujus sensum reor. Locus hic illi geminus est Psalmi 9. vers. 4. 11. *Exacerbavit Dominum peccator*, dicens intra se, *secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem*. In Scripturarum stylo, visitare, vel *invenire iniquitatem* alicujus, eam punire significat: *Invenit Dominus iniquitatem servorum suorum*, ajunt fratres Joseph [6], reminiscitur, de illis hodie pœnas exposcit.

℣. 3. VERBA ORIS EJUS INIQUITAS, & DOLUS; NOLUIT INTELLIGERE, UT BENE AGERET.] Hebræus ad litteram [7]. *Verba oris eius iniquitas, & dolus; cessavit intelligere, & bene facere*. Cum de bene operando ageretur, omnia intellectus sui bona abdicavit. In reliquis perspicax, atque fervens, eum de muniis suis obeundis agitur, cœcutit, tepescit. Aliter: oculos suos clausit, ne proximi sui egestatem videret, neque illi, quod poterat, benefacere voluit. Alienas noluit cognoscere calamitates, ac multo minus egentibus opem ferre. Hoc significant isthic *intelligere, & benefacere*. Vide Ps. 11. 2. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem*.

℣. 4. ASTITIT OMNI VIÆ NON BONÆ.] Hebræus non legit *omni*; sed tantummodo [8]: *Astitit in via mala*. Vias pravas sectatus est. S. Augustinus pro his Textus verbis perseverantem nequitiam interpretatur: *Quid est, astitit? Perseveranter peccavit*. Vide quoque S. Ambrosium in hunc locum.

℣. 5. DOMINE IN COELO MISERICORDIA TUA, & VERITAS TUA USQUE AD NUBES.] Misericordia, & veritas tua, Deus meus, magnæ sunt. Misericordia tua elevata est usque ad cœlos, & veritas tua usque ad nubes. Vide locutionem eamdem Psalmo 56. 11. *Quoniam magnificata est usque ad Cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua*; & Psalm. 107. 5. *Magna est super Cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua*. Vide quoque Psal. 88. 3. *In æternum misericordia ædificabitur in Cœlis, præparabitur veritas tua in eis*. Prævenisti nos misericordia tua, & procul dubio in veritate tua præstabis eorum fidem, quæ nobis pollicitus es. Non timemus, misericordiam tuam a sceleribus, & flagitiis nostris posse exhauriri; ea quippe infinita est, ac immensa, & quamvis tot mala irruerint in nos post captam Jerusalem, ac post patriæ nostræ excidium ad hanc usque diem, semper tamen in tua veritate sperabimus; ea adeo elevata est, ac nubes. Patres quidam [9], Prophetam hisce verbis innuere crediderunt, usque ad JESU CHRISTI adventum misericordiam, ac veritatem Dei quodammodo in Cœlo, ac nubibus delituisse; & cum ipso dumtaxat descendisse, atque tunc ea Psalmi 84. 11. verba fuisse adimpleta: *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi*. S. Clemens Alexandrinus l. 5. Strom. autumat, Aristotelem ex hoc Psalmi loco arripuisse occasionem dicendi, Providentiam earum dumtaxat rerum curam gerere, quæ super Lunam fiunt, quin ullum ipsi ea, quæ sub hoc cœlo contingunt, negotium facessant. Tatianus contra Græc. Eusebius l. 15. Præpar. c. 15. S. Cyrillus l. 2. contra Julian. Theodoretus Serm. 6. de Prov. & alii plures hanc equidem sententiam Aristoteli adscribunt: Verum Salomon Gesnerus, Wittembergensis Professor, omnem exercuit eruditionem, ut illum hoc crimine liberaret; ac plurimos in medium protulit hujus Philosophi locos, qui palam generalem, & particularem Providentiam probant.

℣. 6. JUSTITIA TUA SICUT MONTES DEI; JUDICIA TUA ABYSSUS MULTA.] Justitia tua tamquam montes prælti, Judicia tua tamquam abyssus profundissima. Nemo nescit, Hebræis familiare hoc esse, ut rebus majoribus, pulcherrimis, atque maxime spectabilibus *Dei* epithetum addant. Ninive *divina* vocatur civitas Jon. 3. 3. terror magnus, *Dei terror* dicitur 1. Reg. 14. 15. profunda obscuritas, *tenebræ Dei* Jerem. 2. 31. flamma ardentissima *ignis Dei* Cant. 8. 6. cedri proceræ *cedri Dei* Psal. 79. 11 &c. Aquila [10]: *Justitia tua sicut montes Dei fortis*. Apud Profanos epitheta divini, & sacri significant etiam perfectionem, ac magnitudinem inauditam. *Piscem sacrum*, Homerus Iliad 16. habet pro magno: *sacram famem*, Virgilius pro maxima; *os sacrum* pro crasso; Plautus in Pseudol. *divina condimenta* pro exquisitissimis. Psalmista cum jam misericordiæ, ac veritatis Dominicæ magnitudinem extulerit, ejus justitiam, atque judicia commendat. Misericordia, & veritas ejus æque sublimes sunt ac Cœlum. Justitia ejus æque firma est, solida, neque ullo umquam motu concutienda, ac montes præalti. Judicia ejus, providentia, agendi ratio æque profonda, atque impenetrabilia, ac maris abyssi. Vide Rom. 11. 23. Hæ similitudines magnificæ sunt, & nobiles, atque præclare exhibent sensum Auctoris.

℣. 7. HOMINES, & JUMENTA SALVABIS, DOMINE, QUEMADMODUM MULTIPLICAS MISERICORDIAM TUAM.] Providentia, atque infinita misericordia tua super homines, & super bruta se extendunt [11]. Tu ea creasti, & æque ea conservas, cum hoc tamen discrimine, quod quidquid pro bestiis agis, ad præsens tantummodo tempus coarctatur, homines vero ad æternam beatitudinem in cœlos evehis vers. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis potabis eos*. Si Deus animantia conservat, hoc agit, ut illa homini famulentur; hominem autem conservat, ut illum ad subliniorem perfectioremque finem extollat. Sunt [12], qui pro *hominibus* intelligant viros spiritui exercendo deditos, atque sapientes, pro *jumentis*

---

1 Symmach. Φησὶ περὶ ἀσεβείας τοῦ ἀσεβοῦς ἔνδοθεν ἡ καρδία μου, οὐχ ὑπάρχοντος φόβου Θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ. 2 70. Ὅτι ἐδόλωσεν ἐνώπιον αὐτοῦ, τοῦ εὑρεῖν τὴν ἀνομίαν αὐτοῦ καὶ μισῆσαι. August. *Dolose egit in conspectu ejus, ut inveniret iniquitatem suam & odisset*. Ambrof. Psalt. Roman. Carnut. Mediol. S. German. *Ut inveniret iniquitatem suam, & odium*. Hieron. in Comment. *Ut inveniatur iniquitas ejus & odium*.

3 Vide August. & Theodoret. hic, & Ambrof. in vers. seq. Vide & Syr. & Arab.

4 כי החליק אליו בעיניו למצא עונו לשנא Symmach. Ὅτι ἐξελειάζετο τὰ περὶ αὐτοῦ δοκεῖ, τοῦ εὑρεθῆναι τὴν ἀδικίαν αὐτοῦ, τὸ μισηθῆναι αὐτήν. 5 Rabb. Salom. Ezra. Bellarm.

6 Genes. 44. 16. Vide & Exod. 20. 5. Levit. 18. 25. 2. Reg. 3. 8. 3. Reg. 17. 18. 4. Reg. 7. 4.

7 דברי פיו און ומרמה חדל להשכיל להיטב 8 יתיצב על דרך לא טוב

9 Clem. Alexand. lib. 5. Strom. Vide & Bernard. 10 Aquil. Δικαιοσύνη σου ὡς ὄρη ἰσχυρά.

11 Ambrof. August. Theodoret. Muis, Geneb. Bossuet. Ferrand. du Pin. Vide Genes. 8. 29. 9. 10. 11. Psalm. 103. 14. 12 Hieronym. hic & in Jerem. 32. ad finem. Vide & August.

tis vero rudes; carnales, materiales. Alii [1] pro hominibus Judæos, pro *jumentis* Ethnicos interpretantur; utrorumque enim salutem, & conversionem vult Deus. Alii [2] *homines* de bonis, & *jumenta* de impiis explicant; utrosque servat Deus: super ipsos extendit providentiam suam, & solem suum oriri facit super bonos, & malos Matth 5. 45. Hebræus [3]: *Tu, Domine, salvos facis homines, & jumenta. Quam pretiosa, Deus mi, est misericordia tua.*

℣. 9. INEBRIABUNTUR AB UBERTATE DOMUS TUÆ.] Hæc tu præparas hominibus, hæc illos a brutis sejungunt. Eos tua dignaris protectione, ac intrinsecus gloria, cœlestibusque, & innocuis voluptatibus in hoc mundo, in altero vero æternis cumulas deliciis. Aliter: Infinita est Domine misericordia tua; super omnia animantia, ac super omnes homines se extendit. B Num soli nos expertes erimus effectuum illius in miserrima hac captivitate, quo scelera nostra nos coegit? Haud quaquam Domine; tui sumus; tuo vivimus sub umbra alarum tuarum; quondam in dilectissimam patrum nostrorum terram nos redituros esse speramus, & longis haustibus in templo tuo libaturos suavissimam te laudandi, teque possidendi voluptatem. Verum hæc voluptas, hæc suavitas nihil aliud est, quam umbra illius, quam veri Fideles se percepturos in cœlis sperant absoluta tandem aliquando diutina, & acerba hac captivitate. Pro domo hac intelligitur etiam J. C. Ecclesia, auctore S. Ambrosio.

℣. 10. QUONIAM APUD TE EST FONS VITÆ; & IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN.] Educes nos, Domine, si tibi libitum fuerit, de exilio hoc, de hoc C statu mortis, ubi tamquam in tenebris, atque in sepulchro versamur, atque in te, in domo tua, coram te inveniemus vitam, ac lumen [4]. Verum hæc vita, hoc lumen nihil aliud sunt, quam pignus, & prælibatio vitæ alterius longe felicioris, ac luminis longe purioris, quo frui non possumus in perfunctoriæ vitæ hujus exilio infelici. In æternitate dumtaxat, ac in Cœlis eo fruemur. Satis liquet, in Scripturarum stylo lumen, ac vitam frequentissime explicari de vitæ felicitate, incolumitate, libertate, prosperitate. Patres [5] hoc in loco omnem SS. Trinitatem invenere; Patrem, quem Propheta alloquitur; Filium, qui *fontis vitæ* nomine designatur [6], & Spiritum Sanctum, qui luminis nomine ex lumine emanantis indigitatur: *In lumine tuo videbimus lumen*. Vel [7]: in Filio, qui est lumen Patris, videmus Spiritum Sanctum, qui est lu- A men vivificans. Origenes lib. 1. de Princip. c. 1. Videbimus te, o Pater luminum, in Filio tuo, qui est Verbum tuum, ac Sapientia tua.

℣. 11. PRÆTENDE MISERICORDIAM TUAM SCIENTIBUS TE, & JUSTITIAM TUAM HIS, QUI RECTO SUNT CORDE.] Creditur [8] misericordia, & justitia hoc in loco unum & idem significare: Domine fac, ut populus tuus, qui squalet in captivitate, misericordiæ tuæ percipiat effectus; eis opitulare, erue eos de tot pœnis, atque cruciatibus, quibus per fas, & nefas a Babyloniis exagitantur. Hebræus [9]: *Extende misericordiam tuam super cognoscentes Te*. Ne coarctes illam ad parvulum virorum numerum, verum illam ad omnem populum tuum extende, & fac, ut diutius illius effectu perfruantur: *Protrahe misericordiam tuam*. Fac, ut felici reditu in patriam suam revertantur.

℣. 12. NON VENIAT MIHI PES SUPERBIÆ, & MANUS PECCATORIS NON MOVEAT ME.] Ne permittas Domine, ut diutius superborum, ac impatientium dominorum pes me obterat; & Babyloniorum manus commoveat me. Vel potius: Permitte mihi, Deus meus, constantem libertatem, atque felicitatem, ita ut pes superbi, inimici, potentis non me turbet amplius in regione mea, neque manus illius amplius inde me deturbet, atque avellat. Si S. Augustinum, ac S. Ambrosium audias, in morali sensu manus peccatoris sunt prava illius exempla, & iniqua consilia: Hæc me numquam afficiant, nec umquam in malum alliciant.

℣. 13. IBI CECIDERUNT, QUI OPERANTUR INIQUITATEM.] Ibi, hoc est propter superbiam, ceciderunt omnes peccatores, inquit S. Augustinus. Ibi, *in cœlo*, per superbiam Angeli nequam ceciderunt, inquit S. Hieronymus. Ibi, in Paradiso terrestri per superbiam, atque inobedientiam ceciderunt protoparentes nostri. Ibi, in Infernum præcipites dabuntur impii, Eusebius, S. Ambrosius, Genebrardus, Flaminius, & alii inquiunt. *Ibi* denique in superbia, in injusta persecutione, qua improbi bonos vexant, vexati sunt. Ceciderunt in ea mala, in quæ alios impellere voluerunt. Præstat per futurum tempus vertere [10]: *Ibi peribunt omnes, qui operantur iniquitatem*. Babylone ubi inimici nostri, crudeles domini nostri diutius adeo oppresserunt nos; ibi etiam terribiles ultionis tuæ experientur effectus. Vaticinium hoc paulo post adimpletum est subverso Chaldæorum imperio, & Persarum Monarchia a Cyro instituta.

1 Arnob. contra Gentes. Vide 1. Timoth. 4. 10. Athanas. hic.
2 Eusebius, Piscat. alii. 3 ארם ובהמה תושיע יהוה מה יקר חסדך אלהים
4 Isai. 50. 10. *Quis ex vobis timens Deum? Quis ambulavit in tenebris, & non est lumen ei? Speret in nomine Domini: Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, &c.*
5 Hieronym. Theodoret. Ambrosius. 6 Euseb. Athanas. August. 7 Ita Hieron.
8 Bellarmin. Muis, Geier. Mar. &c. Symmach. Ἐλεημόνησον τοῖς ἁπλοῖς τὴν καρδίαν,
9 משך חסדך לידעיך 10 שם נפלו פעלי און Symmach. Ὅτε πίπτουσιν οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀδικίαν.

PSALMUS XXXVI.

Moralia præcepta pro illis, qui adversis urgentur. Ne invideas felicitati impii, fluxa enim est, ac in speciem dumtaxat. Spem tuam in Deum colloces, ac virtutem exerceas; hac enim via est, qua in hac, alteraque vita tibi compares felicitatem.

Psalmus ipsi David.

ARGUMENTUM.

Hebræus legit simpliciter: *Davidi* [1]. Psalmus hic acrostychus est, vel alphabeticus; ita tamen ut non omnes versiculi ex singulis litteris juxta alphabeticum, Grammaticumque ordinem ordiantur; sed dumtaxat prior in bi-

1 לדוד Edit. Rom. Τῷ Δαυίδ. Edit. Complut. Ψαλμὸς τῷ Δαυίδ.

in binis; & bini versiculi passim moralem sententiam explicatam, illustratamque complectantur: Versiculo 28. littera *hain*, a qua versiculus deberet incipere, in Hebræo non extat; aderat tamen ævo Septuaginta, quemadmodum ex illorum Textu liquet.

Sunt [1], qui hunc referant in tempus belli Absalonis, versiculo 25. innixi, ubi vates de se ait, *Juvenis fui, etenim senui*. David enim provectiori erat ætate, cum Absalon adversus illum defecit. Rabbini putant, Psalmum hunc fatalis necis Saul vaticinium continere. Sed Patrum [2], Interpretumque plerique illum explicant, veluti morum doctrinam, quæ omnia ferme hominis officia complectitur. Bonos in patientia, ac virtute confirmat: impiis in ipsos intentata mala ob oculos ponit. Justos erigit adversus persecutionis, ac paupertatis metum, ac ostendit Potentium, ac Divitum felicitatem nequaquam esse votis optandam. Nos vero istud interpretamur tanquam consolationis Canticum pro captivis Babylonis. Eos hortatur Auctor, ut mala sua patienter ferant; illis reditum prædicit, ac usque decies, vel duodecies usque sævissimas calamitates illis portendit. Demum populum suum hortatur, ne ullum sibi scandalum ingeri sinant, impiorum, & inimicorum suorum felicitatem videntibus: dum populus Domini in egestate, & captivitate squalore obsitus versaretur.

1. NOli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem. 2
Quoniam tamquam fœnum velociter arescent: & quemadmodum olera herbarum cito decident. 3 Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita
terram, & pasceris in divitiis ejus. 4 Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones
cordis tui. 5 Revela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet. 6 Et educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tamquam meridiem. 7 Subditus esto
Domino, & ora eum. Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua: in homine faciente injustitias. 8 Desine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari, ut maligneris. 9 Quoniam, qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum,
ipsi hæreditabunt terram. 10 Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum ejus, & non invenies. 11 Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. 12 Observabit peccator justum: & stridebit super eum dentibus suis. 13 Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit, quod veniet dies
ejus. 14 Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum, 15 Ut dejiciant pauperem, & inopem: ut trucident rectos corde. 16 Gladius eorum intret in
corda ipsorum: & arcus eorum confringatur. 17 Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas. 18 Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat
autem justos Dominus. 19 Novit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum
in æternum erit. 20 Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. 21 Quia peccatores peribunt. Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, & exaltati: deficientes, quemadmodum fumus deficient. 22 Mutuabitur peccator, & non solvet: justus autem miseretur, & tribuet. 23 Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt. 24 Apud Dominum gressus hominis dirigentur: & viam ejus volet. 25 Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. 26 Junior fui, etenim senui: & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. 27 Tota die miseretur, & commodat: &
semen illius in benedictione erit. 28 Declina a malo, & fac bonum: & inhabita in
sæculum sæculi. 29 Quia Dominus amat judicium, & non derelinquet Sanctos suos:
in æternum conservabuntur. 30 Injusti punientur: & semen impiorum peribit. 31
Justi autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. 32
Os justi meditabitur sapientiam: & lingua ejus loquetur judicium. 33 Lex Dei ejus
in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus ejus. 34 Considerat peccator justum:
& querit mortificare eum. 35 Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus:
nec damnabit eum, cum judicabitur illi. 36 Expecta Dominum, & custodi viam
ejus: & exaltabit te, ut hæreditate capias terram: cum perierint peccatores videbis.
37 Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani. 38 Et transivi, &
ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus. 39 Custodi innocentiam, & vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. 40 Injusti autem
disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt. 41 Salus autem justorum a Domino: & protector eorum in tempore tribulationis. 42 Et adjuvabit eos Dominus, &
liberabit eos; & eruet eos a peccatoribus, & salvabit eos, quia speraverunt in eo.

NOLI

---

1 Ferrand. & alii quidam.

2 Origen. Ambros. August. Theodoret. Hieronym. Beda. Ita & Recentiores, Genebr. Flamin. Vatab.

℣. 1. NOLI ÆMULARI IN MALIGNANTIBUS [1].] A Ne invideas impiis, perinde ac illorum conditio tuæ præstaret. Ne æstimes illud, quod in eorum vita fulgidum, jucundumque videtur. Fulgor hic dolosus est, & nihil solidum in ipsorum adest prosperitate. Plurimi [2] *æmulari* pro *imitari* dictum putant. Cave ne imiteris, eorumque vestigia sequaris. Hebræus [3]: *Ne irascaris adversus impios, nec invideas committentibus iniquitatem*. Symmachus, & quinta, ac sexta Editio in Hexaplis [4]: *Ne contendas cum impiis*. Aquila [5]: *ne prælieris adversus illos*. Theodotion [6]: *ne irrites eos*.

℣. 2. QUONIAM TAMQUAM FOENUM VELOCITER ARESCENT.] Origenes id ad illos refert, qui invident impiis, sed potior Interpretum pars de impiis ipsis hoc interpretatur. Eorum elevatio, & prosperitas nihilo solidior est fœno agri, quod momento exarescit. Scriptura hanc habet in deliciis similitudinem [7], quæ re ipsa mirum in modum exprimit vanitatem, infirmitatem, brevem bonorum, atque honorum hujus mundi durationem. *Omnis caro fœnum*, ait Isajas 40. 6. 7. 8. *& omnis gloria ejus, quasi flos agri*. *Dives . . . sicut flos agri transibit*, ait S. Jacobus Apostolus 1. 10. *Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit*. Hebræus [8]: *Quamprimum excidentur, quemadmodum herba succiditur*. B

℣. 3. SPERA IN DOMINO, & FAC BONITATEM; & INHABITA TERRAM &c.] Promissio hæc *terram inhabitandi* sæpius hoc in Psalmo repetitur; quod nos impulit, ut diceremus, promissa hæc respicere populum in Babylonica servitute jacentem, qui omnium votorum suorum ardore in patriam suam cupiebat reverti, in terram illam, ubi rivi melle, ac lacte fluebant, in eam regionem benedictionum omnium cumulatissimam: nihil enim jucundius, & ad eos consolandos aptius ipsis promitti tunc poterat. Patres pro hac terra vel animam nostram intelligunt [9], vel Sanctam Ecclesiam [10], vel Cœlum, quæ est viventium terra [11], vel Scripturas Sanctas, ut S. Athanasius mavult. Hebræus [12]: *Spera in Deo, & fac bonum; habita terram, & pasce veritatem*; vel cole veritatem, fidelitatem, rectitudinem, bonam fidem; ad hanc incumbe, eam require, in eam omne studium converte, ea te nutri. Vive ex fide, uti Abraham [13], *Pascere fide*, quemadmodum S. Hieronymus vertit. Sapiens Prov. 15. 14. ait in sensu contrario, *os stultorum pascitur imperitia*; se ea nutrit, ea plenus est. Verti quoque potest: *Moraberis in regione, & ibi indesinenter pasceris* [14], non amplius illinc exibis; non vereberis, ne quis inde te amplius dejiciat. Ludovicus de Dieu: *Tute ibi pasceris*. Hammondius: *inhabita terram, & ama veritatem* [15]. C D

℣. 4. DELECTARE IN DOMINO, & DABIT TIBI PETITIONES CORDIS TUI.] Imperativus modus pro futuro tempore hoc in loco usurpatur, non secus ac præcedenti versiculo, cujus hic pars est, ut liquet ex alphabetico litterarum ordine. Spera in Domino, & fac bonum, & jucunde, atque in æternum in regione tua habitabis: *Dominus ibi te bonis ac voluptatibus cumulabit, & tibi permittet, quidquid optabis*. Hic genuinus est versiculorum tertii, & quarti sensus. *Delectare in Domino*. Innocuis perfruere voluptatibus; quas tibi Deus tribuit, atque permittit. Cum pace permane in regione tua, quiesce sub ficu, & sub vite tua, ibique pacis suavitate, & voluptatibus fruere. *Dabit tibi petitiones cordis tui*, dummodo hæ justæ sint, & æquæ; cor, spiritus, ratio, non caro, non cupiditas, non animi ægritudo deposcant [16]. E

℣. 5. REVELA DOMINO [17] VIAM TUAM, & SPERA IN EO; & IPSE FACIET.] Præstabit ille, quidquid nomine illius tibi pollicitus sum; vel illud efficiet, quod sequenti versiculo narratur [18]: *Educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tamquam meridiem*. Vel simpliciter: detege humiliter viam tuam Domino, offer illi actiones tuas [19]; cum omni fiducia illi tua negotia remitte, neque ulterius ulla sollicitudine angaris. Ipse omnium curam geret, & omnia perficiet: *& ipse faciet*. Tuebitur te, deducet, bonis cumulabit. Hebr. [20] *Volve viam tuam super Dominum, & spera in eo, & ipse faciet*. In eo requiesce, in uno illo fiduciam tuam colloca, & ipse negotia tua procurabit. Locutio hæc: *Volve curas tuas, viam tuam, opera tua* super Dominum, proprie significat: remitte illi omnem curam eorum, quæ spectant ad te. Vide Psalmum 54. 23. *Jacta* Heb. *Volve super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*. Et Prov. 16. 3. *Revela Domino*; Heb. *Volve super Dominum opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ*.

℣. 6. ET EDUCET QUASI LUMEN JUSTITIAM TUAM, & JUDICIUM TUUM TAMQUAM MERIDIEM.] Tibi his adjudicabitur adversus illos, qui te lacessunt; Deus pro te judicium feret; efficiet, ut innocentia, & justitia tua in Mundi totius oculis emicet [21], velut ea, quæ pleno meridie, cum lux fulgidior est, cernuntur. In Judicio novissimo justitia & innocentia bonorum in fulgore suo elucescent, inquiunt S. Augustinus, & S. Athanasius.

℣. 7. SUBDITUS ESTO DOMINO, & ORA EUM.] Hoc novum est morum doctrinæ præceptum; obedientia mandatis Dei, ac oratio. Heb. [22] *Permane in silentio Domino, & expecta illum*; vel potius: in silentio, pace, patientia expecta auxilium Domini. Bonum est *præstolari cum silentio salutare Dei*, inquit Jeremias Thren. 3. 26. *Si revertimini, & quiescatis, salvi eritis*, ait Isajas 30. 15. *in silentio, & in spe erit fortitudo vestra*. Juvenalis Satyr. 13.

Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Di.
Carior est illis homo, quam sibi.

Symmachus [23] non longe a Vulgata, & Septuaginta recedit: *Permane in silentio coram Deo*, & effunde illi preces tuas. Syrus: Converte preces tuas ad Deum, & roga eum coram ipso. Ita per paraphrasim locum hunc efferre vellem juxta Hebræum: *Permane in silentio, atque dolore coram Domino*, si te affligi, atque humiliari permiserit: *at cave, ne invidia, vel indignatione flagres adversus illum, qui prospero rerum cursu lætatur, licet injuste operetur*. (℣. 8.) *Iram evita* &c. Nemo gloriari potest, se vere Deo subditum esse, nisi Legibus illius obtemperaverit, illum invocaverit, præcepta illius exercuerit, inquiunt Origenes, & S. Augustinus in hunc locum.

R 2 NOLI

1 Ambros. *Noli æmulari inter malignantes, neque æmulatus fueris operantes iniquitatem*.
2 Hieron. Beda, Euseb. Euthym. Chald. Genebr. Varab. Flamin. 3 אל תתחר במרעים אל תקנא בעשי עולה
4 Symmach. 5. & 6. Edit. Μὴ φιλονίκει κακούργοις. 5 Aquil. Μὴ διαμάχου.
6 Theodot. Μὴ παραζήλου. 7 Psalm. 89. 6. *Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat, vespere decidat, induret, & arescat*. Psal. 91. 8. *Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum*. Psal. 101. 5. *Percussus sum ut fœnum*. 102. 15. *Homo, sicut fœnum dies ejus*. Psal. 128. 6. *Fiant sicut fœnum tectorum*, &c. Eccli. 14. 18. Isai. 37. 27. &c. 8 כי כחציר מהרה ימלו 9 Origen. & Ambros. 10 Augustin.
11 Hieronym. pluribus in locis. Euseb. alii passim. 12 בטח ביהוה ועשה טוב שכן ארץ ורעה אמונה Aquil. Νέμε πίστιν. Ita Hieronym. 13 Rom. 4. 2. 3. Galat. 3. 6. 14 Sym. Ποιμάνῃ διηνεκῶς.
15 Deducit רעה, ab *amicus esse*. Judic. 14. 20. Psal. 27. 3. 16 August. & Ambros. hic.
17 August. Ambros. Origen. *Revela ad Dominum*. 18 Hieronym. August. Bellarmin.
19 Theodoret. 20 גול על יהוה דרכך ובטח עליו והוא יעשה 21 Origenes in hunc Psal.
22 דום ליהוה והתחלל לו 23 Symm. Ἡσύχαζε τῷ Κυρίῳ, καὶ ἱκέτευε αὐτόν. Aquil. Σίγησον τῷ Κυρίῳ.

℣. 8. NOLI ÆMULARI UT MALIGNERIS [1].] Hebræus [2]: *Ne irascaris, ut nequiter facias*. Vel; ne indignatione te abripi sinas ita ut malum agas, & imiteris impios, qui scelestè operantur, atque quodvis injustitiæ genus adversus justos patrant; vel ne contra Providentiam obmurmures, & prosperitatem, beatamque impiorum sortem concupiscas. Memento, ait S. Augustinus, quod si pateris, in via Dei pateris: *Laboras, sed in via Dei*.

℣. 10. ADHUC PUSILLUM, & NON ERIT PECCATOR; & QUÆRES LOCUM EJUS &c.] Ne invideas peccatori; felicitas ejus haud est invidenda. Præstolare adhuc paulisper, ac intueberis, quid fiet; primo quolibet tempore ipsum eo in loco quæres, quem hodie obtinet, nec illum ibi amplius invenies. Peribit de terra, mors abripiet eum, vel insigni infortunio Deus repente de summo gradu præcipitem dabit. Vides Babylonios ad illum potentiæ, & prosperitatis apicem evectos, ut ulterius nequeant extolli: expecta paulisper adhuc, & eos evanescere cernes. Immanis hic colossus imperii subvertetur, & ne minimum quidem supererit vestigium. Captivi immutationis hujus testes fuerunt, ante captivitatis exitum. Origenes [3] per verbum illud *pusillum*, id omne tempus intelligit, quod ad extremum usque Judicium elabitur. Tunc impius non subsistet amplius; locus ejus non invenietur ulterius neque in terra, neque in Cœlo; sed in imum Infernum, ac in æternas tenebras præceps mittetur.

℣. 11. MANSUETI AUTEM HÆREDITABUNT TERRAM.] Mansueti, hoc est, qui afflictantur [4], pauperes, egeni. Vos ergo qui nunc in squalore, & captivitate versamini, ne animos despondeatis; in patriæ terræ possessionem redibitis, patriam vestram revisetis, ibique pacatam vitam ducetis. Loco huic alludebat Salvator, cum ajebat Matt. 5. 4. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Eximius quidem spiritualis sensus his verbis appingi potest, ea cum Patribus [5] de terra viventium, & beatissima Æternitate explicantes, quæ illorum erit hæreditas, qui mites sunt, & humiles corde.

℣. 12. OBSERVABIT PECCATOR JUSTUM, & STRIDEBIT SUPER EUM &c.] Hebræus [6]: *Impius pravas alit cogitationes adversus Justum*. Consilia nequam adversus illum meditatur; vias illi nocendi perquirit: *frendit dentibus contra illum*, ira correptus: *Dominus autem irridebit eum*; & pravam ejus voluntatem, inanesque conatus eludet. Deus nemini irridet. Infinitam illius Majestatem nequaquam decet irrisio; sed ipsum irridere improprie dumtaxat dicimus: Verum meretur peccator, ut illius calamitati illudatur. *Numquid Deus aliquem irridet?* Ait S. Hieronymus. *Non; Sed quia digni sunt, ut irrideantur in vindicta*.

℣. 13. QUOD VENIET DIES EJUS:] dies infelicitatis, & interitus illius [7], vel dies Judicii [8], dies illa, qua frustra quæretur impius, vers. 10. *Dies* usurpatur pro tempore ultionis, vel supplicii, mortis. *Impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita*, ait Ezechiel 21. 25. *Vivit Dominus*, ait David [9], *quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit: Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini*.

℣. 17. MELIUS EST MODICUM JUSTO, SUPER DIVITIAS PECCATORUM MULTAS.] Non ingentia bona, sed virtus, & animi pax nobis comparant felicitatem. Quo magis bonis affluit impius, eo est infelicior; hæ quippe novæ sunt viæ, quæ illum ad interitum deducunt, ut in dies magis magisque nequior evadat. Beatior est, magisque contentus vir Justus cum modico, quod possidet, quam vir nequam cum uberrima bonorum suorum copia. Justus plures habet divitias veras, quam omnes simul divites mundi. *Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, & afflictione animi*; ait Sapiens Eccle. 4. 6. Et Prov. 13. 25. *Impius comedit, & rapiet animam suam: Venter autem impiorum insaturabilis*. Hebræus hujus loci textus verti potest [10]: *Modicum Justi melius est, quam divitiæ divitum plurimorum*. Vel: Parum boni per fas acquisitum melius est, quam plures divites simul cum divitiis suis. In hoc sensu Hesiodus [11], & post ipsum Pittacus ajebant, *dimidium majus esse toto*. Dimidium bonorum recte acquisitorum præstat maximis bonis per nefas quæsitis.

℣. 9. NOVIT DOMINUS DIES IMMACULATORUM; & HÆREDITAS EORUM IN ÆTERNUM ERIT [12].] Scit Dominus, quousque probare debet patientiam Justorum; scit terminos, ad quos eorum virtus pervenire potest; & quousque tentandi sint; novit diem præmii eorum, & finem malorum ipsorum; pœnas illorum videt; singula adversitatis eorum enumerat momenta, quemadmodum pater studiose rationem habet temporis, quo filius febri laborat. Remunerabitur illos in Cœlo æterna hæreditate; ac super terram permanentem illis hæreditatem largietur. Semper in patria sua pacifice permanebunt, quin umquam in alienas terras abripiantur. In hoc quoque sensu potest intelligi: *Novit Dominus dies illorum, qui vitam integerrimam vivunt*; eos approbat, diligit, eos videre gaudet; eos remunerabitur [13], efficiens, ut felici reditu in patriam suam revertantur, ubi in æternum permaneant, hoc est per omne vitæ suæ tempus, sine cura, sine metu. Septuaginta [14], S. Augustinus, S. Ambrosius, & antiqua Psalteria legunt: *Novit Dominus vias immaculatorum*; quod non abludit ab ea explicatione, quam modo tradidimus, si *dies* pro vita, vivendique ratione intelligamus &c.

℣. 21. INIMICI VERO DOMINI MOX UT HONORIFICATI FUERINT, & EXALTATI DEFICIENTES &c.] Totus hic Psalmus nihil aliud est ferme, quam perpetua antithesis inter Justum, & impium, inter felicitatem, atque infelicitatem utriusque. In superioribus quatuor Versiculis de Justo locutus est; isthic impiorum infortunium exaggerat. Simulac ad aliquem felicitatis gradum evehentur, peribunt. Lapsus eorum non multo post eorum elationem subsequetur. Hebræus [15]: *Nam impii peribunt: & inimici Domini interibunt, veluti exquisitissimum ex agnis; & in fumo absumentur*. Exquisitissimum ex agnis est adeps illorum, & caro magis succulenta. Cum hæc super Altaris ignem statuuntur, statim absumuntur, in fumum evanescunt, quin aliquid reliquum supersit. Similis est gloria, magnitudo, fortuna impiorum. S. Hieronymus in Hebræo textu parum aliter legit; ita quippe reddidit: *Quia impii peribunt, & inimici Domini gloriantes ut monocerotes, consumentur; sicut fumus consumentur*. Syrus: *Impii pereunt; & inimici Domini* sunt veluti victimæ *saginatæ*, quæ igni *consumuntur; tamquam fumus evanescunt*. Chaldæus: Inimici Domini sunt veluti speciosissimi arietum saginatorum, qui tandem jugulantur: ita impii morientur, & in gehennæ fumo absumentur. Nonnulli vertunt: peribunt tamquam pulcherrimum, ac pretiosissimum pratorum; tamquam flores illi, qui celeriter adeo arescunt.

1 S. Augustinus legit: Ut *maligne facias*. S. Ambrosius, Psalteria Romana Carnut. S. Germani; *Noli æmulari ut nequiter facias*. 2 אל תתחר אך להרע 3 Origen. in hunc Psal. Ita & Ambros.
4 וענוים יירשו ארץ: 5 Origen. Ambros. Euseb. Aug. alii. 6 זמם רשע לצדיק
7 Hieronym. hic. 8 August. Ambros. Origen. alii passim. 9 1. Reg. 26. 10. Vide Job 18. 20. Isai. 9. 4. Jerem. 50. 27. Oseee 1. 11. 10 טוב מעט לצדיק מהמון רשעים רבים
11 Hesiod. Opera & dies. Pittac. apud Laertium. 12 Ambros. *Et hæreditas eorum immaculata erit*. Ita Psalter. Roman. Mediol. Sancti German. 13 Athanas. Euseb. Genebr. Vatab. Flamin.
14 70. Γινώσκει Κύριος τὰς ὁδοὺς τῶν ἀμώμων. Ita Græci Codd. MSS. apud Ferrand. Ambros. tamen agnoscit Græcum habere, *dies*. ut Hebræi. 15 כי רשעים יאבדו ואיבי יהוה כיקר כרים כלו בעשן כלו

ſcunt: Poeta Ibicus ajebat: *Vereor, ne gloria, qua* A *inter homines fruor, ſit pœna criminis alicujus, quod adverſus Numina patrarim.*

℣. 22. Justus autem miserebitur, & tribuet [1].] Juſtus malis fratrum ſuorum afficitur; & illi ea ſuppetunt bona, quæ ſufficiunt, ut erga ipſos exerceat liberalitatem, & ut illos opum ſuarum participes faciat, quin ullo ipſe detrimento afficiatur, & quin ab illis fœnus ullum expectet. Hoc ſuperioribus opponendum eſt. Impius mutuari tenetur, at numquam ſolvendo par eſt: ſed juſtus, quin mutuari egeat, aliis mutuum dat, idque gratis, quin ſibi reddi expoſcat. Hebræus [2]: *Impius mutuatur, & non reddet*; numquam eo erit in ſtatu, ut conflatum æs alienum diſſolvere queat; *ſed Juſtus eſt gratioſus*, beneficus, miſericors, *& dat*, vel *eſt dator* liberalis erga alios. Quod iſthic ait B Propheta de impiorum indigentia, & de bonorum copia, nequaquam ſemper verum eſt. Immo e contra ſæpe juſti egentes, impii vero bonis diffluentes cernuntur. At innuit, Deum per potentiam ſuam permiſſurum, ut qui divites erant, ſumma laborent inopia; ii vero e contra qui in egeſtate ſqualebant, rerum omnium affluentia fruantur. Itaque hic verſiculus vigeſimo eſt ſubnectendus, tamquam continuatio minarum, quæ in impios intentantur.

℣. 23. Quia benedicentes ei hæreditabunt terram; maledicentes autem ei disperibunt.] Qui benedicunt *Domino*, bonis replebuntur; qui vero eo inſaniæ progrediuntur, ut blaſphemias, vel impatientiæ voces enuntient adverſus illum, interibunt. Vel: Qui benedicunt, *Juſto* quovis felicitatum genere C perfruentur, qui e contra illum injuriis ſuis laceſſent, exterminabuntur. Plerique [3] ita Hebraicum textum vertunt [4]: *Nam qui ab illo ſunt benedicti, poſſidebunt terram, & qui ab eo fuerint maledicti, exterminabuntur.* Juſti, quibus Dominus benedictiones ſuas elargietur, pacifice in patria ſua permanebunt &c.

℣. 24. Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet [5].] Septuaginta [6] Romana Pſalteria, & Origenes habent: *A Domino greſſus hominis diriguntur*; S. Ambroſius, *corriguntur.* Deus greſſus noſtros regit; ipſe efficit, ut vias ſuas ſequamur, & illius nutu ea contingunt, quæ nobis proſpera eveniunt e voto. Viæ noſtræ illi non placent, niſi ipſe illas direxerit. Greſſus omnes, quos ſine ipſo, vel extra ipſum, vel adverſus ipſum protendimus, D totidem lapſus ſunt. Hebræus [7]: *Greſſus hominis confirmabuntur a Domino, & huic via illius erit accepta*: quod ſuperioribus adnectendum eſt. Juſti, & illi, quibus Dominus benedixerit, bonis replebuntur. Eorum greſſus confirmabit; non ſinet, pedes eorum commoveri, vel labi. Probabit, & cum voluptate eorum vivendi rationem videbit. *Cor hominis diſponit viam ſuam*, ait Sapiens Prov. 16. 9. *ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus*, ac felicem exitum illorum conſiliis tribuere. Poſſumus quidem conſilia capeſſere; verum ſine Deo exequi eadem non poſſumus.

℣. 25. Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.] Senſus hic per ſe patet. En Textum Hebraicum [8]: *Cum ceciderit, non ſubvertetur*; vel potius, ſi lapſus fuerit, uſque ad terram non decidet; *cum enim manu tenet Dominus*, Vel: *ſi ceciderit, non derelinquetur*: Extendet illi manum Deus, & attollet eum. Si errorem aliquem commiſerit, lethalis non erit. Hic eſt veluti Athleta qui vinci quidem poteſt, verum animos deſpondere non poteſt, uti hoc in loco Origenes, S. Ambroſius, & Euſebius interpretantur. Chaldæus: *Si ceciderit in ſtue in aliquem morbum, non morietur, quia Dominus eius* A *manum tenet*. Septuaginta [9], S. Auguſtinus, S. Ambroſius, Origenes, & antiqua Pſalteria legunt: *Cum ceciderit, non turbabitur, eo quod Dominus manum illius tenet*. Vitæ hujus calamitates illum non terrent, divino enim refovetur auxilio.

℣. 26. Junior fui, etenim senui; & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.] Expertus loqui poſſum. Ab ipſa adoleſcentia mea ad hanc uſque diem, licet ſim ſenectute confectus, nullum umquam Juſtum penitus a Deo derelictum, nec filios ejus ſtipem oſtiatim quæritantes conſpexi. Hæc eſt Textus, omniumque Verſionum ſententia. Pſalmi hujus auctor non negat omnino, Deum quandoque permittere, ut Juſtus, & filii ipſius ad eam egeſtatem redigantur, ut panem quæritare cogantur; ſed hoc ſe vidiſſe negat; verbo, nihil infrequentius eſſe ait, quam viros bonos, ſumma laborantes inopia, videre. Quamvis in veteri Lege, ubi egeſtas, atque paupertas, tamquam mala miſerrima cenſebantur, & ubi Deus ſervis ſuis, atque amicis temporalium bonorum præmia erogabat, rarius videbantur Juſti rebus vitæ neceſſariis deficientes, quam ſub Evangelio, ubi ſpiritus paupertas prima eſt Beatitudinum; attamen quis auderet aſſerere, Juſtos eo quoque tempore ſemper rerum affluentia, vel etiam juſta mediocritate gaviſos fuiſſe? Moyſes Deut. 15. 2. Hebræis dixit, in medio ipſorum pauperes numquam defuturos; *Non deerunt pauperes in terra veſtra*. Certum eſt, Legis, non ſecus ac Evangelii tempore, temporalia bona minime fuiſſe proprium bonorum virorum præmium, neque C paupertatem impiorum ſupplicium.

Deus eadem ſemper ratione erga fideles famulos ſuos operatus eſt: eos ſemper per arctam viam, per egeſtatem, afflictiones, humiliationes, cruceſque deduxit. Quiſnam vel in veteri, vel in novo Teſtamento uſquam eſt, qui per ea, quæ iſthic mala, calamitateſque cenſentur, probatus non fuerit? Quo magis juſti fuerunt, & Domino accepti, eo magis voluit Dominus illos ad ſummum perfectionis apicem evehere, ac magis eos per ſupplicia, rerumque carentiam probavit. Quouſque Job tentatus fuit? Quæ Patriarchæ Jacob fuit vita, nonniſi laboribus, doloribuſque circumſepta? Joſeph nonne in ſervitute, & carcere angore confoſſus fuit propter fratrum invidiam, in fidei ſuæ erga Deum, atque herum ſuum remunerationem? D David ipſe, quot injuſtas perſecutiones paſſus eſt, quot ærumnas pertulit? Prophetarum vita expendatur: quænam illorum infortunia fuere, quinam labores? Quomodo ergo Pſalmi hujus auctor ſe in toto vitæ ſuę curriculo, qui non adeo exiguus fuerat, nullum Juſtum, neque Juſtorum virorum filium vidiſſe aſſerit, cui ad victum neceſſaria deeſſent? Nullos umquam ſtipem quæritantes viderat; vel ſi quos invenit (plurimos enim procul dubio illi obvios fuiſſe dicendum eſt) quomodonam judicare poterat inter illos ſe Juſtum vidiſſe neminem, neque ullum Juſti patris filium?

Ut rationibus his reſpondeatur, dicitur primo, quod licet nonnumquam viris bonis res ad victum neceſſariæ deſint, non ideo tamen a Deo deſeruntur [10]. Sed Pſalmiſta duo hæc ſimul jungit, a Deo derelictum eſſe, at- E que ad ſummam egeſtatem redactum. Secundo, Juſtis numquam interiora deſunt auxilia gratiæ, patientiæ, virtutis, quæ apud ipſos rerum omnium locum tenent; & quæ ab ipſis longe pluris æſtimantur, quam omnia bona ſimul, ac omnes mundi divitiæ. Tertio, non ſecus ac aſſeri poteſt, illum, qui argentum quærens aurum, vel lapides pretioſos reperiret, jam inveniſſe, quod quærebat, & plura, quam quærebat: utque Saul, qui aſinas patris ſui quæritans, invenit regnum, per-

1 Pſalter. Roman. Auguſt. Carnut. Sancti German. *Miſeretur, & commodat.*
2 לוה רשע ולא ישלם וצדיק חנן ונתן 3 Hieronym. Pagn. Mont. Jun. Muis, Grotius, alii paſſim. Ita Symmach. Οἱ εὐλογημένοι ὑπ' αὐτοῦ... Καταρώμενοι ὑπ' αὐτοῦ. Ita & Chald. & Syr.
4 כי מברכיו יירשו ארץ ומקלליו יכרתו 5 70. & alii tam Græci, quam Latini addunt, *valde*. Σφόδρα.
6 70. Παρὰ Κυρίου τὰ διαβήματα ἀνθρώπου, κατευθύνεται, καὶ τὴν ὁδὸν αὐτοῦ θελήσει σφόδρα.
7 מיהוה מצעדי גבר כוננו ודרכו יחפץ 8 כי יפול לא יוטל כי יהוה סמך ידו
9 70. Ὅταν πέσῃ, οὐ καταραχθήσεται, Ὅτι Κύριος ἀντιστηρίζει χεῖρα αὐτοῦ. *Cum ceciderit, non conturbabitur, quia Dominus confirmat manum ejus.* 10 Origen. Homil. 4. in hunc Pſalmum. Ita Ambroſ. hic, & Euſeb

quisitionum suarum voti compos rediit, quamvis illud non repererat, quod primum fuerat itineris ejus objectum: Simili prorsus ratione illi, quibus temporalia bona deficiunt, sed quibus Deus affluenter sua spiritualia, ac supernaturalia bona elargitur, & post hæc beatitudinem, ac Regnum æternum, nonne pro terrenis, fluxisque bonis egregiam vicem consequuntur? Aliquid ne ipsis deesse dixeris? Quarto, si Stoicis fas fuit credere, Sapientem vere divitem esse, licet in miserrima egestate positum, eo quod voti sui compos erat, ac possidebat sapientiam, quæ omnium votorum illius erat summa; cur nobis nefas erit asserere hoc ipsum de Justo gratia Dei repleto, promissis illius freto, ac præsidio ejus suffulto? Job bonis omnibus exutus, atque ulceribus confectus, ac S. Paulus fame, siti, nuditate, tribulationibus vexatus [1] immutassent ne statum suum cum eorum conditione, quos felicissimos mundus jactat?

Patrum plerique [2] percipientes maximam litteralis sensus hoc in loco difficultatem; ad spiritualem sensum confugerunt; eumque interpretati sunt de spirituali fame, de qua loquitur Propheta Amos 8. 11. *Mittam famem in terram; non famem panis, neque sitim aquæ; sed audiendi verbum Domini*. Psalmista ait, se a teneris usque unguiculis ad summam usque senectutem suam nullum vidisse justum, qui pane Divini Verbi careret: Deus nos alloquitur per omnes creaturas. Justi rebus in omnibus Deum vident, & vocem ejus audiunt. Lex illius insculpta est in cordibus nostris, ipsa est in ore nostro, atque in operibus nostris adest. Nisi corruptum cor haberemus, neque animæ oculus caligaret, Dominicum Verbum idem in nobis ageret, quod in anima Sanctorum. *Quando audis, & quando legis, manducas*, ait S. Augustinus.

Genebrardus ad aliam explicationem aditum aperit, cum hoc in loco *Justum* illum intelligit, qui est misericors, atque erga proximum suum charitatem exercet. *Justitiæ* nomen pro *misericordia* sæpe usurpatur [3], & Daniel 4 ad Balthasar ait; *Redime peccata tua justitiis, & iniquitates tuas operibus misericordiæ*; ubi nemo non videt, justitiam tamquam synonymum misericordiæ adhiberi. Psalmista igitur hic ait, se numquam ullum misericordem, humanumque cognovisse virum, qui egestate laboraret, & cujus filii ad inopiæ fœdissimas sordes essent redacti. Eleemosyna non efficit pauperem, neque aliquid infrequentius est, quam intueri homines sapienter liberales, ac recto ordine erga fratres suos charitatem exercentes, hoc peragendo in summam egestatem dilabi. At vereor, ne hæc explicatio subtilior tibi videatur. Sermonis decursus palam ostendit, Psalmistam hoc simplicissime intellexisse, & sententia illius, nihil æque mirum fuisse, quam Justum virum inopia confectum, ita ut si quando aliquis hujus generis inveniretur, hæc a communibus Legibus esset exceptio, & casus omnino singularis; vel saltem assertum hunc Justum occulto alicui sceleri fuisse obnoxium, quod hanc illi calamitatem conflavit; quem verum esse loci hujus sensum reor. Vetera quædam Psalteria legunt [5]: *Egens pane*, pro *quærens panem*.

℣. 27. TOTA DIE MISERETUR, & COMMODAT, & SEMEN ILLIUS IN BENEDICTIONE ERIT.] Tantum abest, ipsum pauperem fieri posse, ac inopia afflictari, ut immo ipse, ac filii ejus læta rerum omnium affluentia fruantur. Quotidie miseretur, & commodat fratribus suis, & posteri ejus benedictionibus, bonis, & gloria replentur. Septuaginta [6], & Patres antiqui [7] legunt: *Justus miseretur, & fœneratur tota die*. Opibus adeo scatet, ut bona sua liberaliter pauperibus eroget, atque ex pecunia sua per eas, quæ rectæ, justæque viæ sunt, lucrum accipiat. Vel potius cum Sapiente: Gratuito donat fratribus suis, & Patri pauperum fœneratur. Deus illi reddet cum fœnore, quidquid ipse egenis liberali manu erogaverit [8]: *Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis*, ait Salomon, *& vicissitudinem suam reddet ei*. Hebraica vox mutuum dare simpliciter significat: *Justus miseretur, & mutuum dat proximo suo tota die* [9]. Patres quidam mutuum hoc intelligunt de verbo Dei, quod ubique Justus effusissime serit [10].

℣. 29. NON RELINQUET SANCTOS SUOS.] Populum suum, servos suos; Hebr. [11] *misericordes suos*, pios viros, ac sibi amicos. Non relinquet eos semper in captivitate, & luctu, in quo versantur. Eos punit, eos judicat: *Amat judicium*, verum numquam eos penitus deserit; sed juxta opera ipsorum illos remuneratur.

℣. 30. INJUSTI PUNIENTUR, & SEMEN IMPIORUM PERIBIT.] Sententia hæc satis est perspicua. Psalmista vaticinatur excidium impiorum, ac posterorum eorum, qui paterna scelera imitabuntur. Vel simpliciter: puniet patres, filios eorum affligens temporalibus, fluxisque malis, quibus uti poterunt ad æternitatem. Innuere plane vult Babylonios, a quibus tunc Judæi opprimentur. Prima hæc verba: *Injusti punientur*, hodie in Hebraico textu non extant; & non injuria textus ille hoc in loco deficere existimatur, nam littera *hain*, quæ juxta alphabeticum ordinem adesse deberet, non adest: Sed duabus illis additis Hebraicis voculis [12], quas Septuaginta reddidere, *Injusti punientur*, facili negotio restituitur, quidquid deest, ac Textus repletur. Cæterum defectus hic in Hebræo valde vetus fuisse dicendus est, quandoquidem verba ea, quæ ad hanc usque diem desiderantur, non S. Hieronymus, non Chaldæus, non Syrus legerint.

Quædam immo adsunt Exemplaria Septuaginta [13], in quibus non extant; at ea plane sunt, quæ ad Hebraici textus lucernam castigata fuere. Agellius conjicit, Septuaginta aliter legisse in Hebræo, eorumque exemplaria habuisse: *Injusti punientur* [14] pro eo, quod hodie legimus: *in æternum conservabuntur*. Verum dicendum esset, ipsos, vel utrumque horum locorum legisse, vel locum eumdem bis, ac duobus modis reddidisse, quoniam duo hi loci in eorum Textu inveniuntur.

℣. 31. INHABITABUNT IN SÆCULUM SÆCULI SUPER EAM.] S. Ambrosius legit: *Honorificabunt Deum in sæcula sæculorum*.

℣. 32. OS JUSTI MEDITABITUR SAPIENTIAM.] Vide supra Psal. 34. 28. *Lingua mea meditabitur justitiam tuam*. Justus justitiæ tantum, æquitatis, ac sapientiæ sermones enuntiat.

℣. 33. NON SUPPLANTABUNTUR GRESSUS EJUS.] Justus numquam labetur in via justitiæ, cum jugiter ante oculos ejus Lex Dei ipsius versetur. Justus numquam retrospicit, ait Origenes; sed in id unum incumbit, ut quotidie de virtute in virtutem progrediatur. Hebr. [15]: *gressus illius non labascent*; vel incedens non vacillabit, vel pedes ejus numquam fallent ipsum. Dæmon illi officere non poterit. Dei Lex

1 2. Cor. 11. 27. 2 Origen. Homil. 4. in hunc Psalm. Basil. orat. 2. de Jejunio. August. hic, Hieronym. Athanas. 3 Vide supra dicta in Psal. 32. 5. 4 Dan. 4. 24. חטיך בצדקה פרק
5 Psalter. Roman. & Gothic. 6 70. Ὅλην τὴν ἡμέραν ἐλεεῖ καὶ δανείζει ὁ δίκαιος, καὶ τὸ σπέρμα αὐτοῦ εἰς εὐλογίαν ἔσται. 7 Origen. Aug. Ambros. Theodoret. Psalter. Mediol. & S. German.
8 Prov. 19. 17. Aug. hic. *Da temporalia, accipe æterna; Da terram, accipe Cœlum*.
9 טוב איש חנן ומלוה 10 Origen. Euseb. 11 לא יעזב את חסידיו
12 עוילים נשמדו 70. Ἄνομοι δὲ ἐκδιωχθήσονται. Edit. Roman. Ἄμωμοι ἐκδικηθήσονται. *Innocentes vindicabuntur*. Ita Psalter. Æthiop. & Arab. Cyril. utramque lectionem cognoscit. 13 Ita Codex Colbert. 6158. Apud Ferrand. & alii quidam apud Muis hic. Alii omnes Codices Græci MSS. Regii, & Colbert. a Ferrando visi Vulgatæ consentiunt. 14 עוילים נשמדו *Impii disperibunt*, pro לעולם נשמרו *In æternum conservabuntur*.
15 לא תמעד אשריו

Lex est lux illius, robur, ac præsidium [1].

℣. 34. CONSIDERAT PECCATOR JUSTUM, & QUÆRIT MORTIFICARE EUM.] S. Ambrosius, & antiqua Psalteria Carnutensia, ac S. Germani: *Et quærit perdere eum;* Mediolanense vero, *quærit occidere eum;* qui verus est loci hujus sensus [2]. Impii semper invigilant, ut Justis insidias struant, eosque ad interitum vocent: at efficiet Deus, ut eorum nequitia careat effectu.

℣. 35. NEC DAMNABIT EUM, CUM JUDICABITUR ILLI.] Poterit quidem impius innocentem accusare, & condemnare; sed Dominus injustam illius sententiam coarguet [3]. Supremus hic Judex aliter judicium feret; eumque de inimici illius manibus educet. Aliter: *Deus non damnabit illum, cum ingreditur in judicium cum eo.* Nihil Justo timendum est, ait Origenes, seu illum judicet Deus, seu illum homines damnent. Si Deus illum judicaverit, judicium ejus justum erit, atque propitium; si impii eum damnaverint, ipse Deum habet, ad quem provocet: Hebr. [4]: *Et Dominus non damnabit eum, cum judicabitur,* eum in judicium adducetur.

℣. 36. CUM PERIERINT PECCATORES, VIDEBIS.] Eorum, quæ dixi, veritatem intueberis, cum Babylon tradetur hostibus suis, & Chaldæorum imperium subvertetur. Tunc minarum mearum veritatem percipies, ac præceptorum meorum certitudinem intelliges. Quidquid dixi, oculis tuis videbis, si animum advertes.

℣. 37. VIDI IMPIUM SUPEREXALTATUM, & ELEVATUM SICUT CEDROS [5] LIBANI.] Impius hic esse potest Nabuchodonosor, vel Balthasar, vel generatim impii omnes, qui fastu tument, & sua auctoritate abutuntur. Quotidie horum non pauci de sublimi dignitatum vertice deturbari conspiciuntur ea pernicitate, quæ iis omnibus, qui testes adsunt, stuporem injicit. Hebræus Textus [6] hodie longe differt ab eo, qui primorum Interpretum Græcorum manibus obversabatur [7]. Ita porro vertitur: *Vidi impium, fortitudinis, & roboris plenum, tamquam laurum viridibus foliis onustam.* Ut Rabbinis placet, nomen *Esrah* proprie significat succulentas arbores, ac usquequaque virentes, veluti laurum, buxum, & alia id genus.

S. Hieronymus, Chaldæus, Syrus, sexta Editio [8] intellexerunt in communi significatione, *indigena. Vidi impium robustum, & fortissimum, sicut indigenam virentem,* hoc est arbori similem, *quæ in fundo suo crevit,* in solo, quod illi naturale quodammodo est, *& quæ semper virescit.* Transivi, & non erat amplius. Evulsus est, ac temporis momento evanuit, ita ut neque inveniri ulterius potuit locus, ubi aderat: *Et non est inventus locus ejus.* Postrema hæc vox *locus ejus* in Hebræo non adest; qui simpliciter habet: *Quæsivi illum, & non inventus est.* Vulgatæ, ac Septuaginta sensus longe præstat sensui textus Hebraici, quem hodie habemus. Patres nonnulli, *impii* nomine intelligunt Dæmonem in lapsu suo, vel Judam proditorem. S. Augustinus, & S. Ambrosius hoc modo explicant. Vidi oculis carneis impium in honore, & secundis rebus gaudentem; at eum me intuente oculis fidei omnia evanuere, facies immutata est.

℣. 39. CUSTODI INNOCENTIAM, & VIDE ÆQUITATEM [9] QUONIAM SUNT RELIQUIÆ HOMINI PACIFICO.] Innocentia, & rectitudo quodvis felicitatis genus tibi his in terris comparabunt; & post hunc vitæ curriculum elapsum læraberis, frequentem post te filiorum sobolem bonorum, virtutisque tuæ hæredem relinquens. Hebræus habet [10]: *Conserva simplicitatem,* innocentiam, morum integritatem, *& vide æquitatem.* Apertos habeas oculos super vias justitiæ, & æquitatis, ut sequaris eas, quin umquam recedas ab eis, *nam posteritas hominis,* hoc pacto viventis, *felix erit,* & profunda pace, constantique prosperitate lætabitur. Hic verus est Hebraici textus sensus, si illum contuleris cum sequenti versiculo, qui habet: *Injusti autem disperibunt simul; reliquiæ impiorum interibunt.*

Alii hoc pacto intelligunt: Conserva innocentiam & æquitatem; hæc enim sola sunt bona, quæ vir pacificus posteris suis relinquere possit; finis enim hominis est pax. Symmachus [11]: *Custodi simplicitatem, & considera æquitatem, eo quod vir pacificus spem alit in futurum tempus.* Spes ejus non interibit eum ipsius corpore; sed Resurrectionem, immortalitatem, æternamque beatitudinem præstolatur [12].

℣. 40. INJUSTI AUTEM DISPERIBUNT SIMUL [13]; RELIQUIÆ IMPIORUM INTERIBUNT [14].] Omnes sine ulla exceptione, a primo ad novissimum, omnes ad unum peribunt. *Posteritas,* reliquiæ, hæreditas impiorum exterminabitur.

1 Aug. hic. *Liberat a laqueo verbum Dei in corde; liberat a via prava verbum Dei in corde.*
2 מבקש להמיתו 70. Ζητεῖ τοῦ θανατῶσαι αὐτόν. 3 Vatab. Genebr. Flamio. Vide Origen. Ambrof. & August. hic. 4 ולא ירשיענו בהשפטו Aquil. Ἐν τῷ κρίνεσθαι αὐτόν. *Cum ipse Judicio contendet.* Ita Chald. Hieronym. *Non condemnabit eum, cum judicatur.* 5 Aug. Psalteria Roman. & Mediol. *Super cedros Libani.* Ambrof. ultra, &c. 6 ראיתי רשע עריץ ומתערה כאזרח רענן
7 Εἶδον τὸν ἀσεβῆ ὑπερυψούμενον, καὶ ἐπαιρόμενον ὡς τὰς κέδρους τοῦ Λιβάνου. Legerunt כארזי לבנון, pro כאזרח רענן
8 6. Edit. Εἶδον ἀσεβῆ καὶ ἀναιδῆ, αντιποιούμενον ἐν σκληρότητι, καὶ λέγοντα εἰμὶ ὡς αὐτόχθων. *Vidi impium, & impudentem, usurpantem in duritie, & dicentem: Ego sum ut indigena.* Hieronym. *Vidi impium robustum, & fortissimum sicut indigenam virentem.* 9 Psalter. Roman. Carnut. Sancti German. *Custodi veritatem, & vide æquitatem.* August. *Et custodi directionem.* 10 שמר תם וראה ישר כי אחרית לאיש שלום
11 Symmach. Φύλαττε ἁπλότητα, καὶ ὅρα εὐθύτητα, ὅτι ἐστὶ μέλλοντα ἀνδρὶ εἰρηνικῷ.
12 Ambrof. August. alii. 13 August. *Injusti disperient in idipsum.* 70. Ἐξολοθρευθήσονται ἐπὶ τὸ αὐτό.
14 ופשעים נשמדו יחדו אחרית רשעים נכרתה Symmach. Οἱ ἀθετοῦντες ἐξολοθρευθήσονται ὁμοῦ, τὰ ἔσχατα τῶν ἀσεβῶν ἐκκοπήσεται. Aquil. Τὸ ἔσχατον, &c.

PSALMUS XXXVII.

David humiliter petit veniam peccatorum suorum; de inimicorum suorum furore conqueritur: Divinam opem enixius efflagitat.

Psalmus David in rememorationem de Sabbatho.

ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID IN REMEMORATIONEM DE SABBATHO [1].] Hoc est, memorabilis Psalmus David pro die Sabbathi:

1 Codices Mf. Reg. 2. legunt: *In rememoratione Sabbathi.* Ambrof. *in commemorationem diei Sabbathi.* Aug. *In recordationem Sabbathi.*

bathi: Vel Psalmus David, qui die Sabbathi canebatur [1], & qui compositus fuit, ut insignis alicujus facti memoria servaretur; exempli gratia pœnitentiæ, veniæ [2], vel ægritudinis, & curationis David. Vel simpliciter: Psalmus ad eorum doctrinam, qui in peccatum, vel morbum lapsi sunt, ut intelligant necessitatem ad Deum confugiendi. Psalmus hic haberi potest veluti exemplar precum morbi, & pœnitentiæ tempore [3]. Verba hæc: *Pro die Sabbathi* in Authographo Hebraico non extant, neque satis liquet, cur hic fuerint adjecta. Patres quidam [4] ea in spirituali sensu de conscientiæ quiete explicant, quæ peccati stimulis perturbatur; alii [5] de requie Paradisi, quo nos per peccata privamur, & quem per pœnitentiam iterum adipiscimur.

Quoad Psalmi hujus occasionem, in diversa Interpretes abeunt. Alii putant [6] a Davide fuisse conscriptum tempore defectionis Absalon, cum ex animo intelligeret, scelus suum hanc sibi conflasse calamitatem. Syrus in illud tempus transfert, quo David a subditis Achis Rex Geth inauguratus fuit 1. Reg. 21. 11. Beda censet, explicari posse de morbo, ac recepta salute Ezechiæ. Nonnulli apud Cassiodorum isthic Job afflicti sensus se deprehendere posse arbitrantur. Nos vero cum melioris notæ Interpretibus [7] de morbo explicabimus, quo David post patratum cum Bethsabee facinus afflictatus fuit. In hoc enim errata sua fatetur, veniam petit, & enixe divinam opem efflagitat.

1. DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. 2
Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.
3 Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis
a facie peccatorum meorum. 4 Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput
meum; & sicut onus grave gravatæ sunt super me. 5 Putruerunt, & corruptæ
sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ. 6 Miser factus sum, & curvatus
sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar. 7 Quoniam lumbi mei im-
pleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea. 8 Afflictus sum, & hu-
miliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei. 9 Domine, ante te omne de-
siderium meum: & gemitus meus a te non est absconditus. 10 Cor meum con-
turbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non
est mecum. 11 Amici mei, & proximi mei, adversum me appropinquaverunt,
& steterunt. 12 Et qui juxta me erant, de longe steterunt: & vim faciebant, qui
quærebant animam meam. 13 Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanita-
tes: & dolos tota die meditabantur. 14 Ego autem tamquam surdus non audie-
bam: & sicut mutus non aperiens os suum. 15 Et factus sum sicut homo non au-
diens: & non habens in ore suo redargutiones. 16 Quoniam in te, Domine, spe-
ravi: tu exaudies me, Domine Deus meus. 17 Quia dixi: Ne quando supergau-
deant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti
sunt: 18 Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo
semper. 19 Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.
20 Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt,
qui oderunt me inique. 21 Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi:
quoniam sequebar bonitatem. 22 Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne di-
scesseris a me. 23 Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

℣. 1. DOMINE, NE IN FURORE TUO ARGUAS ME, NEQUE IN IRA TUA CORRIPIAS ME [8].] Deus irasci non potest, ac multo minus furere, si pro ira intelligas animi ægritudinem, ac perturbationem injuriam repellentis; & pro furore inconditum, violentumque motum cum immodica ultionis aviditate conjunctum [9]. In Deo nihil modum excedit, nihil est inconditum. Perturbatio, ac excessus in illius ultione non extant. Sed sæpius homines infidelitate, atque ingrati animi vitio mererentur, ut Deus ira exardesceret, atque eo cum impetu, quem furor suggerit, succenseret ad eos puniendos, delendosque: quæ hoc in loco Davidis est sententia. Meritus equidem sum, ut summa cum severitate in me animadverteres, Domine; non peto, ut mihi ignoscas, ac omnem peccati mei mihi A pœnam condones: aliquid Justitiæ tuæ debeo, & ex animo me mee Judicii tui mandatis submitto. Verum hoc postulo, ut parcas infirmitati meæ. Ne me summo severitatis tuæ rigore punias: sed tamquam Medicus, non tamquam Judex me excipias [10].

Priorem versiculi hujus partem de Inferno S. Augustinus explicat, posteriorem vero de Purgatorio: *Ne in indignatione tua arguas me*. Ne corripias me, in indignatione tua, neque eorum numero me adscribas, quibus dicturus es, Matth. 25. 41. *Ite, maledicti, in ignem æternum*. *Neque in ira tua emendes me* [a]. Ne corrigas me in ira tua, quemadmodum cum illis facis, qui nonnisi per ignem salvantur [11]. Munda me in hac vita per pœnitentiam, & purifica me ab iis sceleribus, quæ post mortem nonnisi per ignem Purgatorii expiantur: *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam*

1 Genebr. Ferrand. Mariana. 2 Origen. Theodoret. Grotius, Jun.
3 Kimchi, Muis, Vatab. Vide & Hieronym. in Titul. & Euseb. & Basil.
4 August. hic, & Gregor. Magn. in 7. Psalm. Pœniten. 5 Hieronym. August.
6 Euthym. Bossuet. 7 Rabb. Muis, Vatab. Ferrand.
8 August. *Ne in indignatione tua arguas me; neque in ira tua emendes me*. Ambros. *Ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me*. 9 Vide Hieron.
10 Theodoret. hic. Euseb. S. Basil. Origen. 11 1. Cor. 3. 15. *Salvi erunt, sic tamen quasi per ignem*.

jam emendatorio igne non opus sit. Qui enim, ait lib. A 2. de Genes. contra Manich. c. 20. *agrum non coluerit, post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.*

ỹ. 2. QUONIAM SAGITTÆ TUÆ INFIXÆ SUNT MIHI, & CONFIRMASTI SUPER ME MANUM TUAM [1].] Oppressisti me ægritudinis pondere, & sagittis doloris confodisti me [2]. Job summopere afflictatus, atque dolore confectus ajebat c. 6. 4. *Sagittæ Domini in me sunt*; illis confossus sum, transverberatus; & c. 19. 21. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Alii [3] pro sagittis, quæ infixæ erant Davidi, intelligunt verba Nathan, quibus hic illum de peccato redarguerat 2. Reg. 12. 7. *Tu es ille vir*, cujus modo graphidem tibi proposui. Tu de sinu pauperis avulsisti ovem, quam B diligebat. Tu Bethsabeam abstulisti, tu gladio filiorum Ammon Uriam necasti; ideoque gladius non egredietur de domo tua. S. Augustinus, sagittas has, quibus confodimur, & afflictamur, explicat de afflictionibus, & malis hujus Mundi, vel de Verbis Dei, quæ cor pervadunt, atque peccatoris conversionem operantur.

ỹ. 3. NON EST SANITAS IN CARNE MEA A FACIE IRÆ TUÆ [4].] Dolore conficior, ac summo terrore commoveor, perpendens peccatum meum, quod iram tuam succendit. Me velut hominem intueor, quem in furore tuo, atque criminum ejus odio affectus percussisti. Hebr. [5] *Non est integritas in carne mea*; nihil sanum, nihil integrum est in me. Omnes corporis mei artus tum intrinsecus, cum extrinsecus peculiari ali- C quo morbo laborant. S. Augustinus hoc de peccato Originali interpretatur, ac de effectis illius. Eusebius vero explicat de suppliciis, quæ ultro David in se met exercebat.

ỹ. 4. INIQUITATES MEÆ SUPERGRESSÆ SUNT CAPUT MEUM, & SICUT ONUS GRAVE GRAVATÆ SUNT SUPER ME.] Terror, & dolor oppresserunt me, quod vidi me obrutum sceleribus meis, veluti cataclysmo, qui exundavit in me, & qui usque supra caput meum elevatus est. Pondus iniquitatum mearum onerat me, velut sarcina, cui ferendæ nequaquam pares sunt vires meæ [6]. Iniquitas desumi quoque potest pro pœna peccati. Supplicia, quibus me afflictasti, Deus meus, sunt veluti aquarum congeries, quæ vel supra caput meum obruit me. Hæc est veluti sarcina, cujus sub D pondere conteror. S. Augustinus legit: *Iniquitates meæ sustulerunt caput meum, & sicut fascis gravis*, &c. S. Ambrosius, & antiqua Psalteria, quæ sæpius citata sunt: *Supergressæ fuerunt caput meum*, quod a Septuaginta lectione non abhorret [7].

ỹ. 5. PUTRUERUNT, & CORRUPTÆ SUNT CICATRICES MEÆ A FACIE INSIPIENTIÆ MEÆ.] Scriptura, & Psalmista Psal. 13. 1. & 21. 2. peculiariter peccatum *insipientiam* vocant. Sceleris mei intuitus me dolore confodit, morbus meus auctus est, vulnera mea tabo, ac lue repleta sunt. S. Augustinus legit: *Computruerunt, & putruerunt livores mei* [8]; S. Gregorius Magnus [9]: *Computruerunt, & deterioraverunt.* Vulnera mea putrefacta sunt, ac majus in periculum me adduxerunt. Dum per importunum pudorem vulneris mei morbum celo, & peccatum meum fateri cunctor; malum meum percrebuit, atque quod maxime abditum erat, interius violentos mihi dolores peperit, Eusebius, & S. Hieronymus inquiunt; intelligunt autem de animæ ægritudine. Et sane in hoc morborum genere, uti etiam in ægritudinibus corporum, verum est, quod nisi pravam valetudinem tuam spirituali Medico detegas, morbus per habitum increbescit, novosque humores, recentiaque peccata colligit, quæ putrescentia gravissimam exhalant mephitim propter scandalum, quod inde in publicum prodit.

ỹ. 6. MISER FACTUS SUM, & CURVATUS SUM USQUE IN FINEM; TOTA DIE CONTRISTATUS INGREDIEBAR.] Dolor, quo afficior, & imbecillitas, quam ex ægritudine contraxi, me penitus curvum abire jubent. Gravis mœror, atræque cogitationes quotidie opprimunt mentem meam. Vel de animæ morbo explicando. Peccatorum meorum intuitus perturbat, & affligit me. Non ausim coram te prodire, nisi curvato corpore, similis, oculos ad Cœlum attollere non audenti. Cor meum, & mens mea jugi dolore obruuntur. Mœror, ac pœnitentia ne spiritum quidem me haurire patiuntur [10].

Hebræus [11]: *Summopere curvatus sum, atque humi afflictus; pulla veste tota die incedo.* Sub pondere justitiæ tuæ curvatus sum, sub sarcina scelerum meorum procubui, incedo similis homini luctum facienti, indutus sacco, vel cilicio. Apud Hebræos [12] non secus, ac apud Græcos, & Romanos [13] color niger [14] lugubris erat. Nonnulli nigredinem hanc de facie intelligunt, de colore subobscuro, ac liventi, quem dolor, ac mœror offundit. Symmachus [15]: *incedebam facie tristi*, cogitabundus, stupens.

ỹ. 7. QUONIAM LUMBI MEI IMPLETI SUNT ILLUSIONIBUS.] Patres, ac Interpretum plerique id explicant de inconditis concupiscentiæ motibus, quos David in seipso experiebatur, & quos ipse, criminis sui effectum, & supplicium esse timebat. Alii hoc in alio sensu juxta Hebraicum textum accipiunt [16]: *Renes mei urenti ardore absumuntur*, vel turpi morbo afflictantur. Sentio in lumbis meis turpes effectus incontinentiæ meæ; vel gero in lumbis meis ulcus periculosum.

Judæi [17], non secus ac Græci in renibus libidinem statuebant: *Plato triplicem finxit animam, cujus principatum in capite, iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit*, ait Cicero Tuscul. quæst. l. 1. Syrus vertit: *Tali mei contremiscunt*; nonnisi ægre ambulo. Septuaginta [18], S. Ambrosius, S. Augustinus, Apollinaris, S. Cyrillus, antiqua Latina Psalteria, Arabicum, atque Æthiopicum legunt: *Anima mea repleta est illusionibus.* Sed Complutensis Editio [19], S. Basilius, Theodoretus, & alii plures [20] cum Vulgata legunt: *Lumbi mei impleti sunt &c.*

ỹ. 8. AFFLICTUS SUM, & HUMILIATUS SUM NIMIS.] S. Augustinus: *Infirmatus sum, & humiliatus sum usque nimis.* S. Ambrosius, S. Hieronymus, Romana Psalteria, aliique: *Incurvatus sum, & humiliatus.*

1 S. Ambros. & Origen. *Vindictam tuam.* 2 Muis, Munst. Marian. Pisc. alii. Vide Ambros. hic.
3 Euthym. Vide Origen. & Hieronym. & Euseb. 4 August. *A vultu iræ tuæ.* Aquil. & Symmach. Ἀπὸ προσώπου ἐμβριμήσεώς σου. *A facie minarum tuarum, A facie fremitus mei.*
5 אין מתום בבשרי 6 כמשא כבד יכבדו ממני 7 70. Ὑπερῆραν τὴν κεφαλήν μου.
8 70. Προσώζεσαν, καὶ ἐσάπησαν οἱ μώλωπές μου. 9 Ita Psalter. Roman. Mediol. Carnut. German.
10 Vide Origen. hic. 11 נעויתי שחותי עד מאד כל היום קדר הלכתי
12 Job. 30. 28. Ex Hebr. *Pullatus ambulavi absque sole.* Vulgat. *Mœrens incedebam sine furore.* Hebr. קדר הלכתי בלא חמה Vide Psal. 37. 7. 41. 10. 42. 2. Jerem. 8. 21. Malach. 3. 14. כי הלכנו קדרנית
13 Euripid. Alceste. *Omnibus Thessalis, quibus ego præsum,*
Jubeo communem esse luctum hujus mulieris,
Cæsarie rasa, & nigra veste.
14 Tacit. lib. 3. Annal. *Præcedebant incompta signa, versi fasces, atque atrata plebs.*
15 Symmach. Σκυθρωπὸς περιεπάτουν. 70. Σκυθρωπάζων. 16 כי כסלי מלאו נקלה
17 3. Reg. 8. 19. *Filius, qui egredietur de renibus tuis.* Psal. 7. 10. *Scrutans corda, & renes. &c.*
18 Edit. Rom. Ὅτι ἡ ψυχή μου ἐπλήσθη ἐμπαιγμῶν. 19 Edit. Complut. Ὅτι αἱ ψόαι μου. Ita Symm. Ὅτι αἱ ψόαι μου ἐπλήσθησαν ἐμπαιγμάτων. Aquil. Ὅτι ἐπληρώθησαν αἱ λαγόνες μου ἀτιμίας. *Femora mea impleta sunt turpitudine.* 20 Ita Codices Regii, & Colbert. MSS. apud Ferrand.

ſus. Hebræus [1]: *Oppreſſus ſum labore, & confractus.* A
Languore conficior, & obruor, ſimilis oſſa contrita, contractaque habenti.

℣. 9. DOMINE, ANTE TE OMNE DESIDERIUM MEUM &c.] Scis, Domine, quæ ſit votorum meorum ſumma; tu penitiora cordis ſcrutaris: noſti, quem in ſtatum ſcelera mea me redegerint, & neceſſitatem auxilii tui, ut convaleſcam. Ad te unum confugere debeo, Deus meus! Tu unus educere me vales de ea, qua obrutus ſum, calamitate. Facili negotio ad animæ morbos transferri poteſt, quidquid de corporis ſui ægritudine hic ait Pſalmiſta. Deus utriuſque ſupremus eſt Medicus, & animæ magis etiam medetur, quam corpori. Primorum quidem curatio eſt ſincera converſio, quam conſequi nequaquam poſſumus abſque gratia illius, quæ nos prævenit, atque ad felicem uſque finem concomitatur. B

℣. 10. COR MEUM CONTURBATUM EST.] Ad flagitii mei intuitum. Hebr. [2] *Cor meum palpitat.* Cordis agitatio apprehendit me, quemadmodum in repentinis terroribus contingit. Vel *cor* de cogitationibus interpretando: Cor meum fluctuans eſt, inquietum, incertum: Vel pro ſtomacho ſumendo: Stomachus meus adeo conturbatus eſt, ut eſcam pati nequeat; continenti vomitu exagitatus eſt.

DERELIQUIT ME VIRTUS MEA.] Tamquam ægrum diutino morbo, & jugi languore confectum. Vel id ſuperioribus ſubnectendo: Cor meum liqueſcit, vires ejus deficiunt; languore corripior. Nonnulli [3] id explicant de ſtatu Davidis poſt illius cum Bethſabee facinus uſque ad ejus pœnitentiam, & confeſſionem. Omni virtute deſtitutus ſum: gratia tua, & Spiritus tuus receſſerunt a me. C

LUMEN OCULORUM MEORUM, & IPSUM NON EST MECUM [4].] Non eſt amplius meum [5]. Morbus oculos languentes efficit, infirmos, caligantesque. Alii putant, Davidem conqueri, quod oculi ipſius nimium plorando ſcelera ſua fuerint infirmati. S. Baſilius, & Theodoretus pro hoc lumine Divinam intelligunt Providentiam. Lumen tuum non lucet amplius ſuper me: mihimet dereliquiſti, videlicet cæco, & inſipienti. Alii, lumen Dei [6]. Deſerui lumen veritatis, & cecidi in tenebras criminis. Hebræus [7]: *Virtus mea, & lumen oculorum meorum dereliquerunt me, nec amplius ſunt mecum.* Euſebius, & S. Baſilius de Prophetiæ dono id explicant. Lumen hoc ſupernaturale, quod mihi elargitus fuerat, non emicat amplius in me. D

℣. 11. AMICI MEI, & PROXIMI MEI ADVERSUM ME APPROPINQUAVERUNT, & STETERUNT.] Amici mei, & proximi mei probris oneraverunt me, & contumelia affecerunt. Acceſſerunt, ut me accuſarent, atque affligerent. Quin conſolentur me, nihil aliud quærunt, quam ut augeant dolorem meum.

Hebræus [8]: *Amici mei, & proximi mei ſteterunt e conſpectu vulneris mei*, vel, *contra lepram meam, & accolæ mei longe ſteterunt* a me. Amici mei cum horrore conſideraverunt me, veluti leproſum, neque auſi ſunt accedere ad me, ſatiſque illis fuit, me eminus proſpicere, veritis, ne ad me appropinquantes ſordem aliquam contraherent, vel ex contactu meo ægritudo aliqua illis adhæreſceret. Hoc ipſum ferme conqueſtus eſt Job [9]: fratres ſuos a ſe receſſiſſe, tamquam ab alienigena, proximos ſuos ſe dereliquiſſe, amicos ſui oblitos fuiſſe, domeſticos contempſiſſe, ac neglexiſſe tamquam virum, quem nuſquam antea vidiſſent: uxorem quoque ab halitu ſuo abhorruiſſe, & filios ne aurem quoque ſibi præbere fuiſſe dignatos. S. Hieronymus, & S. Auguſtinus hoc transferunt ad Jeſum Chriſtum ab Apoſtolis ſuis derelictum; & Theodoretus ad Davidem ab Achitophel proditum, & a fratribus, & contribulibus ſuis, qui in partes Abſalonis abierant, derelictum. E

℣. 12. VIM FACIEBANT, QUI QUÆREBANT ANIMAM MEAM.] Cum ſuperius dixiſſet, quid amici ſui facerent, qui ipſum perhorreſcebant, iſthic, & in ſequenti verſiculo exponit, quid ipſius inimici adverſus illum auſi fuerint, ipſo ægrotante. *Qui quærebant animam meam*, qui mortem meam cupiebant, aperta vi quodammodo me aggrediebantur, ut mihi vitam abriperent. *Vim faciebant.* Libenter manus ſuas intuliſſent in me, ut mihi mortem maturarent. In Scriptura ſæpius actio incœpta, vel ſimpliciter conſilium, ac voluntas faciendi uſurpatur, perinde ac ſi re ipſa opere fuiſſet completa. Vide exempli gratia Pſalm. 39. 6. *Annuntiavi, & locutus ſum*, pro adniſus ſum, ut annuntiarem, & enarrarem. Hebr. [10]. *Qui quærebant animam meam, ponebant mihi laqueos.* Intenti erant ad ea omnia, quæ ſpectabant ad me, velut illi, qui prædam ſuam expectant, & qui laqueos tetenderunt, ut feram aliquam venentur.

℣. 13. ET QUI INQUIREBANT MALA MIHI [11], LOCUTI SUNT VANITATES, & DOLOS &c.] Qui vota nuncupabant pro interitu meo, ac morte, inania molimina, ac vana conſilia meditabantur, ut ex eorum pernicie creſcerent, quibus invidebant, & quos ego ad dignitates evexeram. Cogitabant, quomodo ipſi convaleſcerent, perturbato recto ordine Reipublicæ. Hebræus ad litteram [12]: *Qui quærunt infelicitatem meam, paſſi ſunt dolis*, iniquitatibus, mendaciis, *ac tota die fraudem meditati ſunt.* Hæc omnia optime explicantur de Judæis, vel Phariſæis, qui viam quærebant occidendi Jeſum Chriſtum, & qui paſcebantur conſiliis, quæ inituri erant, ut votorum ſummam conſequerentur.

℣. 15. NON HABENS IN ORE SUO REDARGUTIONES.] S. Cyprianus, S. Ambroſius, & antiqua Pſalteria legunt: *Non habens in ore ſuo increpationes.* Licet eorum conatus, & prava conſilia mihi eſſent explorata, tamen ſilui, & tacui. Patres locum hunc ad Jeſum Chriſtum transferunt a Judæis accuſatum, & a Pilato interrogatum. Facili quidem negotio potuiſſet una vocula illis os obſtruere; os tamen aperire noluit, ut ſe tueretur. Theodoretus hoc de Davide intelligit a Semei conviciis laceſſito.

℣. 16. QUONIAM IN TE, DOMINE, SPERAVI, TU EXAUDIES ME [13].] Mihi locus ſperandi eſt futurum, ut exaudias me, quoniam in te omnem ſpem meam conſtitui. Quinimmo aſſerere auſim, me jure opem tuam præſtolari, eo quod ſperavi in te. Tu pollicitus es, te mihi benignas aures præbiturum, atque facturum illis, qui, velut ego numquam extra te opem, & conſolationem quæſiverint. Hebr. *Domine, exaudies me, quoniam expectavi te.* Vel, *Domine, audies ſermones inimicorum meorum*, mihi litem adjudicabis adverſus illos, *eo quod es ſpes mea.* Superioribus ſubnecti poteſt. Tacui, me me nequaquam defendi adverſus criminationes inimicorum meorum; certus enim eram fore, ut tu me exaudires, Deus ſpei meæ.

℣. 17. QUIA DIXI: NE QUANDO SUPERGAUDEANT MIHI [14] INIMICI MEI.] Quoniam petii a te, ne hoſtes mei illuderent mihi. En aliam adhuc, mihi quidem ſpei rationem, tibi autem miſericordiæ, qua & adducor, ut poſcam, atque ſperem auxilium tuum, ac tu cogeris quodammodo illud mihi non denegare; eo ſcilicet, quod cum omni humilitate, ac fiducia, quo potui, te ſum obteſtatus, ne ſineres, me ab hoſtium meo-

---

1 נפוגותי ונדכיתי עד מאד 2 לבי סחרחר 3 Vide Euſeb. & Auguſt.
4 70. Edit. Roman. & Origen. *Lumen oculorum meorum non eſt mecum.* 5 *Non eſt mecum*, id eſt, *non eſt mihi.* Virgil. Æneid. 9. *Mecum erit iſte labor.* 6 Vide & Auguſt. & Ambroſ. & Hieronym.
7 עזבני כחי ואור עיני גם הם אין אתי 8 אהבי ורעי מנגד נגעי יעמדו וקרובי מרחק עמדו Sym. *Οἱ φίλοι μου, καὶ ἑταῖροι μου ἐξ ἐναντίας τῆς πληγῆς μου ἔστησαν.* 9 Job. 19. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.
10 וינקשו מבקשי נפשי 11 Auguſt. *Mala mea.* Sym. & Hebr. *Malum meum.*
12 ודרשי רעתי דברו הוות ומרמות כל היום יהגו 13 Hebræus, 70. Origenes, S. Auguſt. non legunt, *Me.* 14 Auguſt. *Nequando inſultent in me.* Ambroſ. *Exultent in me*: Origen. *Inſulſent mihi.*

meorum nequitia superari, neque illorum contumeliis objici.

℣. 18. QUONIAM EGO IN FLAGELLA PARATUS SUM, & DOLOR MEUS IN CONSPECTU MEO SEMPER.] Non impatientia, non timor cogunt me, ut a te valetudinem meam deposcam. Novi equidem, peccatis meis longe majora mihi promeritum fuisse supplicia. Paratus sum ferendo, quidquid tua in me Justitia præceperit [1]. *Dolor meus in conspectu meo semper*; vel potius totus est intra me; die, & nocte affictor; & licet grave sit pondus manus tuæ super me in ægritudine mea; majus tamen adhuc, ac sine ulla comparatione majus, atque intolerabilius est pondus peccatorum meorum.

Hebræus habet [2]: *Paratus sum, ut claudus fiam; & dolor meus jugiter est ante me.* Eo semper distineor: cor meum, & mens mea ob oculos semper gestant peccatum meum, quod ipsius est causa. *Esse coram aliquo*, in illius esse potestate, & ab eo possideri significat [3]. *Claudum esse* nonnumquam pro afflictari, humiliari usurpatur. Vide Psalmum 34. 15. Hæc omnia mirum in modum adimplentur in persona Jesu Christi, qui pertulit infirmitates nostras, & pro sceleribus nostris se tamquam expiationis victimam obtulit Patri: *Ego in flagella paratus sum.*

℣. 19. COGITABO PRO PECCATO MEO [4].] David in morbo suo ad mali originem ascendit. Præsenti dolore afficitur minus, quam peccato suo, quo Deus irritatus illum vulnere affecit. Nec satis est peccatum suum agnoscere: ulterius & fateri opus est, & pœnitentiam agere, & omnem movere lapidem, ne rursus in illud lapsus fiat, David peccavit, at semel. *Ne se-*

A *curus sis, cum confessus fueris peccatum tuum*, ait S. Augustinus, *tamquam semper paratus ad confitendum, & committendum peccatum. Sic pronuncia iniquitatem, ut curam geras pro peccato tuo.*

℣. 20. INIMICI AUTEM MEI VIVUNT, & CONFIRMATI SUNT SUPER ME.] Num aures obstruis precibus meis, Domine? Dum malis obruor, & ad te clamo, inimici mei canunt epinicion. *Vivunt*, lætitia, & prosperitate repleti sunt, numerus eorum quotidie adversus me increbescit. Hebræus est brevior [5]: *Inimici mei vita pleni se se confirmant.*

℣. 21. DETRAHEBANT MIHI, QUONIAM SEQUEBAR BONITATEM.] Pergunt odio me persequi, atque ea omnia in me ingerere mala, quæ possunt. Hebr. [6]: *Mihi obsistebant*; se mihi adversarios esse, & accusa-
B tores ferebant; *Satanas meos, quod bonum inquirebam.* Plurima Exemplaria habent [7]: *eo quod justitiam quærebam.* S. Ambrosius testatur aliquot tum Græca, cum Latina extitisse exemplaria, in quibus isthic hæc addebantur verba: *abjecerunt me, tamquam mortuum, & aliquid abominabile; sed tu Domine* ℣. 22. ne derelinquas me &c. Verba eadem aliter parum in Græco Theodoreti Textu inveniuntur: *abjecerunt me, quem diligebant, tamquam mortuum, quem omnes horrent.* Quod desumptum videtur ex Psalmo 87. ℣. 4. 5. vel ad illius imitationem appositum: *Vita mea Inferno appropinquavit; æstimatus sum cum descendentibus in lacum* &c. Arabs eadem legit verba, eaque transtulit ad Jesum Christum de Cruce pendentem: *Abjecerunt me, quem diligebant, tamquam mortuum, quem omnes perhorrescunt, & clavis confixerunt corpus meum.*

1 Origen. Ambrof. 2 כי אני לצלע נכון ומכאבי נגדי תמיד
3 Genef. 33. 9. 20. 15. 24. 51. Cant. 8. 12. &c. 4 August. *Curam geram pro peccato meo.*
5 ואיבי חיים עצמו 6 ישטנוני תחת רדופי טוב 7 *Quoniam persecutus sum justitiam.* Ita 70. Edit. Rom. Ἐπεὶ κατεδίωκον δικαιοσύνην. Ita Apollinar. Arab. Æthiop. Psalteria Romana, German. Carnut. & plures MSS. Sed Edit. Complut. Theodoret. Ἐπεὶ κατεδίωκον ἀγαθωσύνην.

PSALMUS XXXVIII.

Silentium Justi in medio tribulationum suarum. Vitæ brevitas, & vanitas. Inutilitas humanarum curarum. Justus petit pauxillum refectionis ante finem vitæ suæ.

In finem, ipsi Idithun, Canticum David.

ARGUMENTUM.

IDITHUN, de quo sermo est in Psalmi hujus titulo, idem est, ac *Ethan*, qui in Paralipomenis [1] inter filios Merari recensetur. Hic unus erat e quatuor Musices Moderatoribus in Templo. Creditur David Psalmum hunc a se compositum dedisse Idithun, & choro illius recinendum [2]. Hebræus verti potest [3]: *Psalmus David ad Idithun Musices Magistrum.* Veteres quidam [4] in Latino Textu legunt: *In finem, pro Idithun, Canticum ipsi David.* S. Augustinus, Eusebius, & S. Athanasius credidisse videntur, Idithun ipsum Psalmi hujus auctorem fuisse; sed opposita sententia est probabilior.

De Cantici hujus tempore, & occasione non satis convenit. Hebræi quidam a Davide ægrotante, ac doloribus, pœnisque confecto compositum fuisse autumant. Alii [5] eum referunt ad Saulis, vel Absalonis persecutiones [6]; & singillatim ad silentium Davidis, cum conviciis a *Semei* lacessitus, non solum non respondit, verum prohibuit, ne quis ex illo ultionem sumeret. Rabbinus Salomon putat ob Davidis animum obversatam fuisse Babylonis captivitatem. Sed Psalmum hunc cum superiori conferentibus satis liquet, utriusque idem esse argumentum. Iidem hic questus sunt, preces eædem. Nos ergo de Davide explicabimus, qui gravi correptus morbo peccata sua confitetur, eorum veniam petiit, ac terrenarum rerum vanitatem testatur. Theodoretus, De Muis, & Rabbini deprehenderunt nexum, atque relationem Psalmi hujus cum præcedente, immo & cum duobus, qui subsequuntur.

1 1. Par. 6. 44. Appellatur *Idithun*. 1. Par. 16. 41. 2 Ita Chald. Origen. Ambrof. lib. 1. Offic. cap. 7. & hic. Theodoret. hic. Kimchi, Muis, Vatab. Grot. alii. 3 למנצח לידותון מזמור לדוד
4 Ambrof. Euseb. August. Beda, Psalter. Gallic. & Edit. Sixti V. Geneb.
5 Beda, Bossuet. 6 Theodoret. & Ferrand. Flamin. Ambrof. ad vers. 3.

Dixi:

1. Dixi : Custodiam vias meas ; ut non delinquam in lingua mea . 2 Posui
ori meo custodiam , cum consisteret peccator adversum me . 3 Obmutui ,
& humiliatus sum , & silui a bonis : & dolor meus renovatus est . 4
Concaluit cor meum intra me : & in meditatione mea exardescet ignis . 5 Locu-
tus sum in lingua mea : Notum fac mihi , Domine , finem meum . 6 Et numerum
dierum meorum quis est: ut sciam , quid desit mihi . 7 Ecce mensurabiles posuisti
dies meos : & substantia mea , tamquam nihilum ante te . 8 Verumtamen universa
vanitas , omnis homo vivens . 9 Verumtamen in imagine pertransit homo : sed &
frustra conturbatur. 10 Thesaurizat : & ignorat , cui congregabit ea . 11 Et nunc
quæ est expectatio mea ? Nonne Dominus ? & substantia mea apud te est . 12 Ab
omnibus iniquitatibus meis erue me : opprobrium insipienti dedisti me . 13 Obmu-
tui , & non aperui os meum , quoniam tu fecisti : Amove a me plagas tuas . 14
A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus : propter iniquitatem corri-
puisti hominem . 15 Et tabescere fecisti , sicut araneam animam ejus : verumtamen
vane conturbatur omnis homo . 16 Exaudi orationem meam, Domine , & depreca-
tionem meam : auribus percipe lacrymas meas . 17 Ne sileas : quoniam advena
ego sum apud te , & peregrinus, sicut omnes patres mei . 18 Remitte mihi , ut
refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero .

℣. 1. DIXI : CUSTODIAM VIAS MEAS, UT NON DELINQUAM IN LINGUA MEA .] Inter sævissimos dolores , quibus opprimor , & hostes , qui mihi undique circumstant , consilium cepi silentium servandi.. Vidimus jam in superiori psalmo vers. 14. 15. Davidem legem hanc , quam sibi constituerat , exercentem : *Ego autem tamquam surdus non audiebam , & sicut mutus non aperiens os suum*. Hæc magna est perfectio , scire linguam suam moderari . *Si quis in verbo non offendit , hic perfectus est vir* ; ait Jacobus 3. 2. *Mors , & vita in manu linguæ* , Sapiens inquit Prov. 18. 21. *& erit opus justitiæ pax , & cultus justitiæ silentium* , ait Isaias 32. 17. Cum Psalmista inquit , se observaturum vias suas, motus , vivendi rationem , ita ut nullum patret lingua sua facinus , eximium nobis præbet vigilantiæ documentum,qua nobismet invigilare debemus , & periculi , quod extat , ne in omne facinus proruamus in re adeo facili , & periculosa .

℣. 2. POSUI ORI MEO CUSTODIAM, CUM CONSISTERET PECCATOR ADVERSUM ME .] Hebræus [1] : *Posui frænum ori meo , donec impius est adversum me* , vel coram me . Illum pertuli , illum vidi , quin verbum proferrem , quin ne minimum quidem illum objurgarem . Vel : vidi illum se se extollentem contra me , ac injuste accusantem , quin os aperirem , ut me defenderem . *Sepi aures tuas spinis , linguam nequam noli audire , & ori tuo facito ostia , & seras . . . verbis tuis facito stateram , & frænos ori tuo rectos* ; ait Sapiens Eccli. 28. 28. & 22. 23. *Quis dabit ori meo custodiam & super labia mea signaculum certum , ut non cadam ab ipsis , et lingua mea perdat me* . Chilo unus e septem Sapientibus apud Laertium l. 1. gloriabatur, se melius, quam alium quempiam omnem pati posse injustitiam , quin quereretur , & Menander eum hominum sapientissimum vocat , qui præ cæteris illatas injurias æquiore animo pati potest .

℣. 3. OBMUTUI , & HUMILIATUS SUM , & SILUI A BONIS ; & DOLOR MEUS RENOVATUS EST .] Credidi præstare , integrum , perfectumque silentium servare , quam veritates quasdam proferre , quæ inimicos meos afficere , atque irritare potuissent . Malo tacere , quam me excusare , ac innocentiam meam tueri [2] . At silentium meum , & conatus , quos in me met exerui , ut silerem , exacerbaverunt malum meum, ac dolorem meum irritaverunt : *Dolor meus renovatus est*. Veritus ne aliquid mali dicerem , me me continui , & bonum ipsum dicere abstinui , ait S. Augustinus ; at quamprimum errorem agnovi meum ; magis enim doleo , quod tacuerim , quæ dicenda erant , quam doluissem , si non dicenda protulissem : *Cœpi plus dolere tacuisse me , quę dicere deberem , quam dolueram dixisse , quę dicere non deberem* .

Hebræus ad litteram [3] : *Me me profundo in silentio continui , tacui bonum ; et dolor meus turbatus est* . Symmachus [4] . *Tacui , tamquam commodum non esset mihi* . Silui , quamvis malis obruerer . Vel cum Eusebio , & S. Athanasio : Tacui , eo quod conscientia mea mihi scelus meum exprobrabat . Aliter : Quamquam ægrotarem , & morbus meus increbesceret , nequaquam perfregi silentium , quod mihi indixeram [5] . Vel : Tacui , & me ab omnibus iis temperavi , quæ mihi voluptatem gignere poterant [6] . *Tacere* nonnunquam *cessare* , abstinere , significat .

℣. 4. CONCALUIT COR MEUM INTRA ME : & IN MEDITATIONE MEA EXARDESCET IGNIS .] Nonnulli hoc explicant de charitatis igne , & de pietate , quæ in nobis accenditur , divinas veritates meditantibus , eas præsertim de quibus locuturus est , mortem , atque novissima ℣. 5. *Notum fac mihi finem meum* . Sed plerique hoc intelligunt [7] de sensibus doloris , & indignationis , quibus intrinsecus affectus est , inimicorum suorum injustitias animo reputans . Dum verba mea reprimo , mihique satis est , ejulatus , & gemitus edere de medio malorum, quæ patior , cor meum incalescit , meque intrinsecus indignationis , ac zeli igne aduri sentio . Symmachus [8] : *Cor meum incaluerat intra me , et ego* interiori *flagrabam igne , dum hæc animo meo reputarem* . Origenes , S. Ambrosius, Eusebius , & S. Athanasius id explicant de igne doloris , & pœnitentiæ, quem illi succendebat peccati sui recordatio .

℣. 5. NOTUM FAC MIHI , DOMINE , FINEM MEUM , & NUMERUM DIERUM MEORUM &c.] En quid dixerim

1 אשמרה לפי מחסום בעור רשע לנגרי Sym. Φυλάξω τὸ στόμα μου φιμῷ.

2 Vide Hieronym. & Genebr. Muis , Marian. Ambros. *Bona conscientia non eget defensione verborum , quæ suo nixa testimonio , ipsa sui Judex* . 3 נאלמתי רומיה החשיתי מטוב וכאבי נעכר

4 Sym. Μὴ ὢν ἐν ἀγαθῷ : Quasi haberetur : *Silui defectu, boni*, uti Psal. 108. 24. *defectu olei*.

5 Kimchi. 6 Grotius hic. 7 Euthym. Muis , Vat. Grec. alii . Confer Jerem. 20. 9. *Et dixi : Non loquar amplius in nomine illius ; & factus est in corde meo , quasi ignis exæstuans , &c.*

8 Sym. *Exaruit cor meum intra me , & dum in animo versarem , flagrabam igne* . ἐξεθερμάνθη ἡ καρδία μου ἐντός μου , ἐν τῷ διαπονεῖν με , ἀνεκαιόμην πυρί .

tim tibi, Domine, dum summo dolore excruciarer, cum consilium cepi nihil dicendi hominibus, nec de iis conquerendi. Te obtestatus sum, ut quamprimum vitæ meæ finem imponeres, ac me certiorem faceres quandiu adhuc victurus, & passurus essem [1]. Prophetæ hac de re sæpius Deum oraverunt [2], & ex circumstantiis præcipuum eorum consilium fuisse videtur illum efflagitandi, ut ad hominum infirmitatem, vitæque breviratem animum adverteret, ideoque facilius erga illos misericordia, & indulgentia uteretur; non autem eum deprecandi, ut ex hac vita celerius abriperentur. Immo e contra petebant, ut ille eos servaret incolumes per breve illud, quod supererat, vitæ intervallum; ut tempus haberent illum laudibus celebrandi, ac videndi promissionum ejus effectus. S. Hieronymus putat, Psalmistam rogare, ut Deus sibi finem suum, ac æternitatis dies deregat. Origenes, S. Ambrosius, & S. Augustinus de perfectione interpretantur. Ostende mihi, Domine, quem ad perfectionis gradum me pervenire jubeas, ut sciam, quid desit mihi.

℣. 7. ECCE MENSURABILES POSUISTI DIES MEOS, & SUBSTANTIA MEA [3] TAMQUAM NIHILUM ANTE TE.] Tempus vitæ meæ, duratio mea, vita mea, substantia essentiæ meæ tamquam nihilum coram te in judicio tuo, si æternitati conferatur. Græca, & Latina loci hujus exemplaria admodum inter se discrepant. Alia quidem habent [4]: *vedegisti dies meos, velut dies senis*. Senectutem mihi concessisti; ea ætate sum, ut diutius ultra me victurum sperare nequeam. Alia vero legunt [5]: *Posuisti dies meos in palmi longitudine*, hoc est in mensura quatuor digitorum; vel tribuisti mihi manum dierum plenam, pugillum dierum. Grotius, aliique [6] vertont: *Ecce contentiosos posuisti dies meos*. Effecisti ut in jugi pugna versarer, athletæ similis, cui nulla datur quies, & qui semper in arena decertare cogitur.

Sed Hebræus explicite hæc habet [7]: *Effecisti dies meos longitudinis palmi unius*, vel quatuor digitorum; *& dies mei sunt, tamquam si non essent coram te*. Symmachus [8]: *Redegisti dies meos ad longitudinem spithamæ*, vel digitorum duodecim. Drusius putat, locum hunc Græcum adagium sapere; quod *spithamam vitæ* [9] vel duodecim digitos vitæ, pro vita satis brevi usurpat.

℣. 8. VERUMTAMEN UNIVERSA VANITAS OMNIS HOMO VIVENS.] Omnis homo vivens, cujuscumque sit conditionis, ætatis, status, nihil est aliud, quam vanitas. Vita ejus, sanitas, prosperitas, bona, dignitas, hæc inquam omnia nihil aliud sunt quam inconstantia, vanitas, ineptiæ. Ecclesiastes perlegi potest, ubi Regum sapientissimus prolixius, ac diligenti recensione ostendit, quidquid in terris est, esse vanitatem. *Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas*. Eccle. 1. 1.

℣. 9. VERUMTAMEN IN IMAGINE PERTRANSIT HOMO; SED & FRUSTRA CONTURBATUR.] Vita hominis præterit tamquam umbra, vel phantasma aliquod; vel inanis repræsentatio. Hæc potius pictura est, & imago vitæ, quam vita realis, & vera; & recte definiri potest vita chimerica, & imaginaria. Nonne igitur nullum operæ pretium est, curis angi, atque in solicitudinem nostram convertere, quidquid hic interius contingit? Bonum vel malum brevi adeo duraturum, nobis ne negotium debet facessere? Attamen agitamur, excruciamurque perinde quasi æternum victuri. Post opes itur; diutina quærontur bona, consilia fiunt, quasi in plurima sæcula ævum essemus traducturi.

Hebræus [10]. *Verumtamen homo ambulat in umbra; verumtamen frustra conturbatur*. Homo similis est inter tenebras iter agenti; quodlibet illi terrorem incutit, ad quemlibet lapidis lapsum, vel folii motum contremiscens expallescit. Hæc est hominis in terris conditio. S. Ambrosius, S. Gregorius Magnus [11], antiqua Romana Psalteria, & Carnutensia legunt: *Quamquam in imagine Dei ambulet homo, vane tamen conturbatur*. Quamvis homo Dei gerat imaginem, tamen ob res inanissimas conturbatur. Origenes, & S. Augustinus similiter legunt; non autem eam voculam *Dei*. Syrus: *Homo præterit tamquam pictum aliquid; velut vapor evanescit*. Arabs: *Vita illius est veluti phantasma, & umbra*.

℣. 10. THESAURIZAT, & IGNORAT, CUI CONGREGABIT EA.] Sapiens Eccle. 2. 18. exaggerat hanc hominum dementiam, inutilem adeo laborem trahendi, ut post nos venturis bona cumulemus: *rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit*. Hebraica vox [12], quæ vertitur thesaurizat, significat potius, triticum, segetes, fructus, vinum, & oleum, quam aurum, ac argentum colligere.

℣. 11. ET NUNC, QUÆ EST EXPECTATIO MEA? NONNE DOMINUS? & SUBSTANTIA MEA APUD TE EST.] Si res hujus mundi eæ sunt, quas modo descripsi; quam fidem merentur omnes illius pollicitationes, & ea omnia, quæ ille speciosissima ad nos fallendos, exhibet. In uno te Deus meus, fiduciam omnem colloco, cætera vero flocci pendo. Hebræus [13]: *Et nunc, quid speravi, Domine? Spes mea est in te*. In te uno confido, Deus mi; cetera apud me nihili sunt. S. Augustinus legit: *Substantia mea ante te est semper*. S. Ambrosius, & Romana Psalteria: *Substantia mea tamquam nihil ante te est*; Origenes, *a te est*.

℣. 12. AB OMNIBUS INIQUITATIBUS MEIS ERUE ME. OPPROBRIUM INSIPIENTI DEDISTI ME.] Secunda versiculi pars priori non ita belle aptari videtur, si versionem hanc sequamur: sed Hebræus est magis perspicuus [14]: *libera me de omnibus peccatis meis, & ne tradas me probris insipientis*, inimici mei; eorum qui mortem meam cupiunt. Libera me de hac ægritudine, quæ justa est scelerum meorum pœna; neque lætentur peccatores morti, & calamitati meæ illudentes. Vel: Libera me ab iniquitatibus meis, & ne objicias me molestiis Dæmonis [15] qui pater est impiorum, & insipientium. Vel simpliciter: Ne permittas me obnoxium fieri pœnis impiorum, & contumeliis, quas merentur insipientes, qui te lædunt [16].

℣. 13. NON APERUI OS MEUM QUONIAM TU FECISTI.] Pertuli, quidquid evenit mihi, tum ab ægritudine, tum ab inimicis meis, summa cum animi submissione, atque cum silentio; hæc omnia quippe jussu, vel permissu tuo accidunt [17]. Septuaginta [18] legunt: *Os non aperui, quoniam tu me fecisti*, quam lectionem

1 Euseb. Genebr. Varab. 2 [illegible] Job. 7. 1. 16. 8. 9. 9. 25. 10. 5. 14. 5. & seq. Psal. 89. 4. 9. 10. &c. 101. 4. 12. 24. 3 Psalt. Carnut. *Habitudo mea*. S. Germ. *Habitatio mea*. 70. ἡ ὑπόστασίς μου. Aq. κατάδυσίς μου. *Habitatio demissa*. Sym. ἡ βίωσίς μου. *Vita mea*. 4 70. Edit. Rom. ἰδοὺ παλαιὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου. Ita Aug. Apollinar. & Psalteria Rom. Carnut. Mediol. S. Germ. Arab. Æthiop. & Latina Edit. Complut. Didym. & Amb. utriusque lectionis meminere. 5 Edit. Complut. & Patres Græci commonites: ἰδοὺ παλαιστὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου. 6 Origen. Ambros. Euseb. Euthym. Cyrill. Alex. in Catena. Utramque explicationem habet Chrysostom. 7 הנה טפחות נתתה ימי וחלדי כאין נגדך 8 Sym. Ἰδοὺ ὡς σπιθαμὰς ἔδωκας τὰς ἡμέρας μου, καὶ ἡ βίωσίς μου ὡς οὐδὲν ἀντικρύς σου. 9 Σπιθαμὴ τοῦ βίου.
10 אך בצלם יתהלך איש אך הבל יהמיון 11 Gregor. Magn. lib. 10. Moral. in Job. cap. 9. & alias.
12 יצבר ולא ידע מי אספם 13 ועתה מה קויתי אדני תוחלתי לך היא Sym. Καὶ νῦν τί προσδοκῶ, δέσποτα; ἡ ἀναμονή μου εἰς σέ ἐστιν. 14 מכל פשעי הצילני חרפת נבל אל תשימני Sym. Ἀπὸ πασῶν τῶν ἀθεσιῶν μου ἐξελοῦ με, ὀνειδισμὸν ἄφρονι μὴ τάξῃς με. Aquil. Ὀνειδισμῷ ἀπορρέοντι μὴ θῇς με.
15 Hieronym. hic, & Origen. Ambros. 16 Vide Geierum, Genebr. Flamin.
17 Origen. Athanas. Genebr. Varab. 18 70. Οὐκ ἤνοιξα τὸ στόμα μου, ὅτι σὺ εἶ ὁ ποιήσας με. August. *Quoniam tu es qui fecisti me*. Ambros. Psalter. Roman. Sanct. German. Carnut. Arab. Æthiop. *Quoniam tu fecisti me*.

ctionem sequuntur S. Augustinus, S. Ambrosius, & plurima vetera Latina Psalteria. Sed Hebræus, & quædam Editiones Septuaginta [1]. plurimique Patres a Vulgata non abhorrent.

AMOVE A ME PLAGAS TUAS [2] A FORTITUDINE MANUS TUÆ EGO DEFECI IN INCREPATIONIBUS.] Obtestor te, Deus meus, ut parcas infirmitati meæ. Attolle manum, quæ jam super me gravior facta est; morior; vires jam mihi deficiunt sub ictibus tuis, atque ad vocem minarum, atque increpationum tuarum. Hinc morbus, inde peccatorum meorum & iræ tuæ adspectus omnem mihi animum adimunt, neque spiritum me ducere sinunt.

Plurimi [3] simul nectunt hæc verba: *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem*. Acribus correptionibus increpasti peccatorem propter iniquitates illius. Perterrebis me rigore minitationum tuarum, & increpationum asperitate. Fateor, me severitatem tuam esse meritum; at miserere, Domine, infirmitatis meæ, remitte mihi iniquitatem meam. Hebr. [4] *Amove a me plagam tuam*, vel ictus tuos. *Perditus sum*, cor mihi deficit, *propter terrorem manus tuæ*, vel propter plagam, ictus manus tuæ. Sub ultricis manus tuæ pondere succumbo. S. Augustinus legit: *Ego defeci in argutionibus, pro iniquitate erudisti hominem*. Supplicia, quæ Deus nobis infligit, non sunt ad excidium nostrum, sed ad eruditionem; *Tantum cædi ut proficiam, non ut deficiam*, ait S. Augustinus.

℣. 15. TABESCERE FECISTI SICUT ARANEAM ANIMAM EJUS [5].] Homo insane adhæret vanitati, ac inani mundanarum rerum speciei, & tu permisisti, ut anima illius vacua, & exhausta, tamquam aranea inveniatur [6]. Non secus ac corpus, quod solidam non sumit escam, sed ventis, ac rebus levissimis pascitur, numquam convalescere potest, neque robustam valetudinem acquirere; ita anima, quæ rebus repletur, quæ nullarum sunt virium, nulliusque substantiæ, non aliter ac aranea nequit suas vires, suumque robur servare. Hinc jure equidem arguit Psalmista, hominem nullo operæ pretio pro terræ hujus bonis curas gerere: *Verumtamen vane conturbatur omnis homo vivens*.

Explicari quoque potest cum Patribus quibusdam de anima dolore confecta & rubore suffusa ob scelera sua. Tabescere eam facit Deus velut araneam, ipsam voluptatibus privans, ejus desideria reprimens, & cor amaritudine replens, & contritione. Eam extenuat, redigitque ad eam exilitatem, gracilemque speciem, quæ est in aranearum tela, ab ea quidquid superfluum est, atque carnale abscindens [7].

Hebræus [8]: *Dissolvisti tamquam vermis quidquid erat desideratissimum*. In pulverem quodammodo redegisti, quidquid ille vehementius amabat. Corrosisti veluti vermis, qui vestem, vel ligni frustum perfodit; & quemadmodum insectum hoc sensim rodit corpus, cui adhærescit; ita conscientiæ stimuli invisibili laceratione excrucians, atque angunt cor, quod post flagitia abiit. Chaldæus [9]: *Corpus ejus dissolutum fuit, tamquam vermis*, reptile, limax. Hic genuinus est hujus loci sensus. Acriter coarguisti hominem ob iniquitates ejus, & redegisti vitam, animam, salu-

A tem ejus ad vermis alicujus, vel araneæ conditionem. Quantula ergo res est homo, & quam inutili labore in his terris defatigatur! Si eum vulneribus tuis, & ægritudinibus percusseris, perit, vers. 13. 14. Si illi extrinsecus pareis, intrinsecus vero minis tuis, ac pravæ conscientiæ stimulis perterres, languet, exarescit, tabescit, moritur. Vers. 14. 15. Hoc ego ipse post peccatum meum expertus sum. Primum quidem mihi me dereliquisti; verum quænam tormenta intrinsecus perpessus sum propter pravæ conscientiæ testimonium, quæ clamabat adversum me? Ex quo me allocutus es per Prophetam tuum, & extendisti manum tuam super me, ut me percuteres, quo dolore confectus sum. Syrus; *Dissipasti veluti festucam omne desiderium meum*. Symmachus [10]: *Dissolvere facis veluti tabum, quidquid ille*
B *maiori amore prosequitur*.

VERUMTAMEN VANE CONTURBATUR OMNIS HOMO.] Adeo enim parum de iis, quæ in hoc mundo peraguntur, disponere potest; atque ea, quæ sibi negotium facessunt, nequit superare. Hebræus [11]: *Verumtamen omnis homo est vanitas*. Nihil aliud sumus, quam umbra, & infirmitas. Veteres nonnulli legunt [12]: *Verumtamen universa vanitas omnis homo*. Alii legunt [13]: *Vane conturbatur omnis homo vivens*. In quibusdam Exemplaribus Septuaginta [14] non legitur verbum *conturbatur*, sed simpliciter: *Verumtamen vane omnis homo*. Profecto omnis homo est vanitas. Chaldæus: *Homo est nihil*. Syrus: *Nihil aliud est, quam vapor*. Arabs: *Nihil aliud, quam umbra*.

℣. 16. AURIBUS PERCIPE LACRYMAS MEAS. NE
C SILEAS, QUONIAM ADVENA &c.] Attende precibus meis, quas lacrymæ prosequuntur. Responde mihi: ne dedigneris humiles preces meas, nam coram te sum tamquam vir sine præsidio, sine ope, tamquam advena, & ignotus.

Hebræus [15] hoc pacto verti potest, si eum præcedentibus connectatur: *Domine audi preces meas; attende ad clamores meos; ut aures obstruas lacrymis meis, quoniam advena sum*. Hæc interpungendi ratio in pluribus Textibus observatur [16], eamque plurimi Interpretes sequuntur. Latini quidam legunt [17]: *Ne sileas a me, quoniam advena*, vel *incola*, vel *inquilinus ego sum apud te*. Alii [18]: *Advena ego sum apud te in terra*. Alii simpliciter: *Incola ego sum in terra* [19]. Advenæ sumus, & viatores in hac terra, non secus ac Paren-
D tes nostri, dicebat David, paulo antequam morte occumberet: Dies nostri veluti umbra prætereunt, & repente evanescunt, 1. Par. 29. 15.

℣. 18. REMITTE MIHI, UT REFRIGERER, PRIUSQUAM ABEAM, & AMPLIUS NON ERO.] Antequam discedam, neque amplius sim in hoc mundo, non amplius hic videar, nam simulac semel egressi sumus, huc non revertimur amplius [20]. Aliquam mihi in hoc mundo requiem permitte, quoniam apud Inferos nulla est amplius confessio, vel peccatorum remissio [21]: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare*, ait Sapiens Eccles. 9. 10. *quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas*. Per mortem quoad hunc mundum idem est, quasi non amplius essemus. Non inde tamen argui potest, animam nostram interire, neque nos amplius in altera

1 Edit. Complut. Οὐκ ἄνοιξα τὸ στόμα μου, ὅτι σὺ ἐποίησας. Ita Hebr. כי אתה עשית Athanas. Apollin. Theodoret. Euthym. Regii & Colbert. Codices, apud Ferrand. non habent, *Me*.
2 August. *Flagella tua*. 3 Ita Hebræi, Hieronym. Chald. Origen. Ambros. Theodoret. Euthym.
4 חסר מעלי נגעך מתגרת ידך אני כליתי 5 August. *Animam meam*.
6 Origen. hic homil. 2. 7 Origen. loc. citato. Hieronym. hic.
8 ותמס כעש חמודו 9 הוי זחיל 10 Symmac. Καὶ διαλύεις ὡς ἄζωτα τὸ ἐπιθυμητὸν αὐτοῦ. *Dissolvis ut cariem desiderabile ejus*. 11 אך הבל כל אדם
12 Origen. & Psalter. Roman. 13 August. Psalter. Carnut. & S. Germ.
14 70. Edit. Complut. Πλὴν μάτην πᾶς ἄνθρωπος. Hieron. ad Suniam. & Fretell. *Hoc verbum conturbatur, in 70. sub veru additum est*. Nobil. *Vox*. Ταράσσεται, *deest in multis libris*.
15 שמעה תפלתי יהוה ושועתי האזינה אל דמעתי אל תחרש כי גר אנכי 16 Chald. Arab. Quid. 70. Theodoret. Psalter. Mediol. alii. 17 August. Ambros. Psalter. Roman. Sanct. German. Nicephor.
18 Ambros. Psalter. Roman. German. Carnut. 19 Apollinar. Edit. Sixti V. Arab. & Æthiop.
20 Theodoret. 21 Hieronym.

ra

ra vita subsistere. Quidam patriam deserit, nec amplius in ea cernitur; sed alibi esse potest, ibique, quod isthic agebat, operari.

Hebræus [1]: *Cessa me percutere, & resumam vires meas, antequam abeam, & non sim amplius.* David æger Deum rogat, ut sibi valetudinem bonam reddat. Morior, Domine; amove a me manum tuam, quæ

A

gravior facta est super me; ut antequam ad plures abeam, paulum reficiar, & brevi quietis, & salutis intervallo fruar. S. Hieronymus [2]: *Parce mihi, ut videam, antequam vadam, & non subsistam.* Versiculus hic comparari potest cum locis Geneseos c. 5. vers. 24. Job c. 7. vers. 8. 21. c. 10. vers. 20. c. 14. vers. 5 Psal. 36. vers. 13. Psal. 103. 16. &c.

1 השע ממני ואבליגה בטרם אלך ואינני

2 Secutus est Symmach. Ἀπέχε με, ἵνα μειδιάσω, πρὶν ἀπελθεῖν με, καὶ μὴ ὑπάρχειν,

PSALMUS XXXIX.

Propheta de gravi periculo liberatus Deo gratias agit. Dicit se illi non holocautomata, non victimas oblaturum, sed se met totum servitio illius dicaturum. Ab eo petit auxilii, & gratiæ ipsius continuationem.

In finem, Psalmus ipsi David.

ARGUMENTUM.

Variæ sunt conjecturæ quoad Psalmi hujus argumentum. Rabbinus Salomon putat hanc esse gratiarum actionem Hebræorum de Ægyptia servitute liberatorum. Alii [1] hoc referunt ad tempus defectionis Absalom. Veteres quidam apud Theodoretum, illum referebant Jeremiæ de carcere liberato, vel Danieli in Leonum lacu servato, vel Judæis de Babylonica erutis captivitate [2]. Euthymius putat, Psalmistam hic exprimere sensus Ecclesiæ Christianæ de persecutionibus ereptæ. Theodoretus hoc de humana intelligit natura, quæ generalem Resurrectionem præstolatur. S. Athanasius, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus id explicant de J. C. qui modo in sua, modo in membrorum suorum persona loquitur.

S. Paulus Apostolus in Epistola ad Hebræos 5. 6. ad J. C. transfert versiculos 9 10. 11. Psalmi hujus, quod nos cogit, ut in eodem sensu & nos intelligamus, quin tamen ab historico sensu recedamus, qui de David explicatur: nam satis patet, Psalmum hunc nexum penitus naturalem habere cum superiori [3], & Prophetam hic gratias agere Deo ob redditam sibi valetudinem, pro qua suas preces effuderat Psalmis 37. & 38. In his omnibus David Messiæ erat figura. Itaque certissimo jure JESU CHRISTO tribuitur, quidquid Sanctus ille Princeps de se met dixerat. Primum igitur, præcipuumque Psalmi objectum est CHRISTUS JESUS, qui Scripturarum omnium est finis, & qui re ipsa continet id, quod David tantummodo repræsentabat. Psalmi hujus finis idem ferme est ac totus Psalmus 69.

1. EXpectans expectavi Dominum, & intendit mihi. 2 Et exaudivit preces
meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. 3 Et statuit su-
per petram pedes meos: & direxit gressus meos. 4 Et immisit in os
meum canticum novum, carmen Deo nostro. 5 Videbunt multi, & timebunt: &
sperabunt in Domino. 6 Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus: & non
respexit in vanitates, & insanias falsas. 7 Multa fecisti tu, Domine Deus meus,
mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. 8 Annuntiavi,
& locutus sum: multiplicati sunt super numerum. 9 Sacrificium, & oblationem
noluisti: aures autem perfecisti mihi. 10 Holocaustum & pro peccato non postu-
lasti: tunc dixi: Ecce venio. 11 In capite libri scriptum est de me, ut facerem
voluntatem tuam: Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei: 12
Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domi-
ne, tu scisti. 13 Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & sa-
lutare tuum dixi. 14 Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam, a
concilio multo. 15 Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me:
misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me. 16 Quoniam circumdede-
runt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ,
& non potui, ut viderem. 17 Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: &
cor meum dereliquit me. 18 Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: Domine,
ad adjuvandum me respice. 19 Confundantur, & revereantur simul, qui quærunt

1 Bossuet, Choisy, Ferrand. Sacy. 2 Beda, in hunc Psal.
3 Theodoret. ad vers. 1. Muis, Moller, alii.

animam meam, ut auferant eam. 20 Convertantur retrorsum, & revereantur, qui
volunt mihi mala. 21 Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Eu-
ge, euge. 22 Exultent, & lætentur super te omnes quærentes te, & dicant sem-
per: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. 23 Ego autem mendi-
cus sum, & pauper: Dominus solicitus est mei. 24 Adjutor meus, & protector
meus tu es; Deus meus, ne tardaveris.

℣. 1. EXPECTANS EXPECTAVI DOMINUM, & INTENDIT MIHI.] Semper in Domino constanter speravi. Inter sævissima, quæ mihi ingruebant mala, ad eum confugi; & quin illius cunctatione fatigarer, perstiti clamare, ac tandem exaudivit me. Hebræus ad litteram [1]: *Expectans expectavi Dominum, & inclinavit ad me*. Illum præstolatus sum, quin cessarem, & ipse inclinavit aurem suam mihi, vel convertit oculos suos ad me, vel denique ad me usque descendit. S. Augustinus legit: *Sustinens sustinui Dominum, & attendit mihi*.

℣. 2. ET EDUXIT ME DE LACU MISERIÆ, & DE LUTO FOECIS.] Locutiones hæ magna illa significant pericula, e quibus divinæ ope misericordiæ emersit [2]. Abyssus peccati, cœnum iniquitatis, periculum mortis, morbus, dolor, *lacus miseriæ*, carcer, isthic idem sunt ac *lutum fecis*, vel maximum lutum, vel fovea luto plena, vel putida, corrupta, lutulenta aqua repleta, qualis erat lacus, in quem Sedeciæ permissu Jeremias demissus est: *Submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum*, Jer. 38. 6.

Hebræus [3]: *Eduxerunt me de lacu, in quem magno cum murmure aquæ diluebantur; & de lutulento cœno, elevavit pedes meos super petram; & gressus meos confirmavit*: S. Augustinus, S. Hieronymus, & alii plures [4] hoc explicant de Christifideli, qui per fidem servatus, de scelerum suorum limo erutus, & super petram, quæ est J. C. constitutus est.

℣. 4. IMMISIT IN OS MEUM CANTICUM NOVUM.] Me favoribus, & benefactis recentibus omnino, ac miris cumulavit, atque ita adegit me, ut novum gratiarum actionis Canticum canerem [5]. Antea quidem lugubre Canticum canebam, ad eum doloris clamores attollebam; hodie vero lætitiæ & laudum solemne concino Epinicion. Hoc quadrat Davidi ex ægritudine convalescenti, atque Christianis, qui recens fidei lumen, vel conversionis gratiam accepere. Vide Hieronymum.

℣. 5. VIDEBUNT MULTI, & TIMEBUNT.] Plurimi testes erunt gratiæ illius, quam in me contulisti, amici mei lætabuntur, inimici vero dolebunt; omnibus autem timor incedet, ac reverentia erga Majestatem adeo terribilem, atque potentem, quæ humiliat, & sublevat, percutit, & sanat, mirabili adeo, atque absoluta potestate. S. Augustinus legit: *Videbunt Justi, & timebunt*. Confer Psalmos 31. 11. 33. 3. 51. 8. 57. 11. 63. 11. 96. 12. 141. 8. ubi videre est, qua lætitia Justi afficiantur ex sibi similium felicitate, & quam Deo gloriam referant.

℣. 6. BEATUS VIR, QUI NON RESPEXIT IN VANITATES, & INSANIAS FALSAS.] Quam me felicem judico Deus meus, quod Mundi vanitatibus illusus non fuerim, atque in unum te fiduciam meam collocaverim! Vide Psalmum superiorem vers. 8. 9. 11. 15. ubi ait, quidquid est super terram nihil aliud est, quam fumus, & vanitas. Hebræus habet [6]: *Beatus vir, qui non jecit oculos suos super superbos, ac super illos, qui ad mendacium confugerunt*! qui non speravit in Mundi Principibus, ac in vanis mendacium virorum promissis; vel qui non confidit in superbia divitum, atque in illecebris vanitatum Mundi! *Vanitates, & insanias falsas*; vel uti legit S. Augustinus, *insanias mendaces*. *Disce amare*, ait ille, *in creatura creatorem, & in factura factorem; ne teneat te, quod ab illo factum est, & amittas eum a quo & ipse factus es*. Patres nonnulli [7] hoc explicant de idolorum cultu, de superstitionibus, divinationibus, auguriis, somniorum interpretationibus.

℣. 7. MULTA FECISTI TU, DOMINE . . . MIRABILIA TUA; & COGITATIONIBUS TUIS NON EST, QUI SIMILIS SIT TIBI.] Cogitationes tuæ, Consilia, Judicia tua toto cœlo absunt a cogitationibus, & consiliis hominum; nemo ea valet intelligere, & eorum altitudinem perscrutari. Hebr. [8]: *Domine Deus noster infinitam miraculorum copiam fecisti; & nemo enarrare sufficit cogitationes*, vel consilia, quæ *de nostrum unoquoque* cepisti. Vel potius cum versione Syriaca: Domine, *mirabilia tua, tuaque consilia super nos maxime sunt in numero. Nemo tibi conferri potest*. Symmachus [9]: *nemo narrare potest cogitationes, quas super nos concipis*.

℣. 8. ANNUNTIAVI, & LOCUTUS SUM: MULTIPLICATI SUNT SUPER NUMERUM.] Hebræus [10]: *Narrabo, & loquar. Tanto in numero sunt, ut nequeant recenseri*. Symmachus, & S. Hieronymus [11]: *Si enarrare voluero, & memorare, plura sunt, quam ut narrari queant*. Cuperem, Domine, universus Orbis agnosceret, quanta in me beneficia contuleris, & quantum tibi debeam: sed illorum multitudo me obruit; mihique satis erit, si vere ex animo tibi gratias habeam. Vide similem loquendi rationem in Hebraico textu Psalmi 70. 15.

℣. 9. SACRIFICIUM, & OBLATIONEM NOLUISTI: AURES AUTEM PERFECISTI [12] MIHI.] Intra me dicebam: quandoquidem gratum animum erga Deum meum testari nequeo, ubique laudes ejus, & benefacta concelebrans, conabor tamen illi offerre sacrificia, ut pro illius misericordia gratias referam; verum non hæc, Domine, exigis a me; mihi aures finxisti, ut tua audirem mandata, & Legibus tuis obtemperarem. Hæc tu a servo tuo petis, submissionem, & obedientiam.

Sæpius edixit Deus per Prophetas suos [13], se non victimarum sanguinem, non taurorum adipem, non oblationum copiam, vel pretium curare; sed cordis submissionem, simplicem, fidelemque obedientiam, diligentissimam Legum suarum exercitationem sibi esse acceptam. Hæc fuere temporum omnium, Nationum, & gentium sacrificia, quæ eminenter aliud quodvis sacrificiorum genus complectuntur [14]. Patres hoc

1 קוה קויתי יהוה ויט אלי 2 Theodoretus.
3 ויעלני מבור שאון מטיט היון ויקם על סלע רגלי כונן אשרי
4 Euseb. Athanas. Ambros. alii. 5 Theodoret. Euseb. Genebr. Flamin. Muis, Vatab.
6 אשרי הגבר אשר לא פנה אל רהבים ושטי כזב 7 Cyrill. Chrysost. Ambros. Euthym.
8 רבות עשית אתה יהוה אלהי נפלאתיך ומחשבתיך אלינו אין ערך אליך
9 Symmach. Τοὺς διαλογισμούς σε τοὺς ὑπὲρ ἡμῶν, οὐκ ἔστιν ἐκθέσθαι σοι, Euseb. Εἴποι.
10 אגידה ואדברה עצמו מספר 11 Symmach. Εἰ ἀπαγγέλλω, καὶ εἰ λέγω, πλείω εἰσὶ τοῦ διηγεῖσθαι.
12 Ambros. *Præparasti*. 13 Isai. 1. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Dicit Dominus: Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium ... nolui*. Vide 1. Reg. 15. 22. *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini?* Jerem. 7. 22. *Non præcepi patribus vestris in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, & victimarum, sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus*. 14 Porphyr. de Abstin. lib. 2.

hoc intelligunt de abrogatione sacrificiorum veteris legis, non secus ac S. Paulus, Heb. 10. 8.

S. Paulus in Epistola ad Hebræos, & Editiones Septuaginta, non secus ac Græcorum, Latinorumque Patrum plerique, legerunt [1]: *Sacrificium, & oblationem noluisti, sed mihi corpus præparasti* [2]. Nobilius refert se Vulgatæ lectionem, *aures autem perfecisti mihi*, in uno suorum Manuscriptorum, & in Scholiis duobus, atque apud Eusebium invenisse; & Scholiastem quemdam explicite asserere [3], quod S. Paulus legens: *corpus autem præparasti mihi*, haud ignorabat, hoc esse in Hebraico textu, sed de industria hoc attulisse, ut melius suæ sententiæ quadraret. Alius Scholiastes habet [4]: *Aures autem perfodisti mihi*, & [5] *aures mihi præparasti*, quod a priscis Interpretibus Græcis desumptum est. Arabs utramque versionem nectit: *Corpus mihi præparasti, ac aures aperuisti mihi*. Æthiopica lectio: *Carnem mihi purificavit*; munda carne me circumdedit. Capellus ita reddit Septuaginta: *Me unum servum effecisti* [6]. Apud Græcos *Soma*, corpus, sæpius *servum significat*. Sed ut suam versionem probet, in Græco Textu immutationem, leviusculam quidem, admittit, sed nullo Exemplari probatam.

Hæc omnia inter se non discrepant quoad rei veritatem, cum de J. C. explicantur, nam in Incarnatione sua mortale corpus induit tantum, ut Patri suo pareret, ac Justitiæ illius satisfaceret. Sumens corpus, aures quoque sumpsit, ut illi obediens esset usque ad mortem; ad mortem vero crucis. Deus Pater illi corpus præparavit ad innuendam infinitam Incarnationis suæ puritatem, quæ Dei solius opus est, perfecit autem aures ejus ad submissionem, perfectamque obedientiam illius indigitandam.

Hebræus [7]: *Sacrificium, & oblationem* fructuum, liquorum, farinæ, panum (Hebr. *Mincha*) *noluisti; Aures autem effodisti*, vel perfodisti, *mihi*. Novissima hæc locutio bifariam explicatur. Primum quidem: *Aures aperuisti mihi*, me attentum, ac docilem effecisti, eam quodammodo surditatem, qua antea laborabam, ademisti mihi; vel simpliciter: bonas aures mihi aptasti, ut audiens essem dictis tuis, ut verba tua auscultarem, iisque parerem [8]. Secundo: Aures perfodisti [9], quemadmodum apud Hebræos perforabantur servis, qui de Dominorum suorum domo anno Sabbathico egredi renuebant [10]. Utraque hæc explicatio suo est in pretio; & belle ad JESUM CHRISTUM utraque potest transferri. Nemo umquam attentius, atque enixius Patris sui mandatis obtemperavit, nemo illo fuit obedientior. Ipse erga Patrem suum fuit veluti perpetuus servus, qui in æternæ servitutis pignus aures sibi perforari voluit. Actiones omnes, incessus, motus vitæ illius ad obedientiæ normam compositi fuere ab ipso Incarnationis momento ad mortem usque. Sacrificium ejus nulla umquam re, ne ad momentum quidem temporis fuit intermissum.

℣. 10. HOLOCAUSTUM, & PRO PECCATO NON POSTULASTI: TUNC DIXI: ECCE VENIO.] Ex ipso Adæ lapsu dixisti: pro inobedientiæ hujus piaculo non holocausta, non hostias pro peccato excipiam. Vel potius: Ab ipso usque rerum primordio immutabile hoc decretum constituisti, ne pro hominis redemptione ex aliorum sacrificiorum genere hostiam ullam acciperes: Tunc Verbum tuum, Sapientia tua dixit: Ecce me paratum, ut pro hominibus satisfaciam, atque sanguine meo hominum scelus eluam; da mihi corpus, aures mihi præpara, & ad extremum usque vitæ meæ spiritum offeram tibi, voluntatis, atque obedientiæ meæ holocaustum.

Jure hic Scriptura distinguit holocaustum a sacrificio pro peccato. Primum quidem offerebatur nonnumquam ad populi peccata expianda [11], licet generatim ad supremum Divinæ Majestatis imperium fatendum institutum fuisset. Sed Sacrificium pro peccato, vel expiatorium ad singulorum expianda scelera erat constitutum Levit. 5. 6. 7. S. Paulus in Epistola ad Hebræos 10. 8. & Veteres [12] quidam unum tantummodo hic sacrificii genus agnoscunt: *Holocaustomata pro peccato noluisti*. Sed Hebræus [13], Septuaginta, aliæque Versiones distincte legunt: *Holocausta, ac victimas pro peccato*.

℣. 11. IN CAPITE LIBRI SCRIPTUM EST DE ME, UT FACEREM VOLUNTATEM TUAM.] Hæ primæ sunt officii mei partes; meme addico voluntati tuæ omnibus, & singulis vitæ meæ momentis faciundæ. J. C. hic loquitur, qui profecto promissionem suam ad unguem explevit. Psalmista tribuere hic velle videtur solemnis obligationis specimen, atque per syngrapham ab æterno constitutum inter Patrem Æternum, ac Verbum illius, quo Filius se se adigebat per obedientiam suam lacessitæ Patris Justitiæ satisfaciendo. Hæc figurata est loquendi ratio, atque ad similitudinem eorum composita, quæ inter homines fiunt in ipsorum contractibus, atque mutuis ipsorum obligationibus.

Patres diversimode hæc explicant verba: *In capite libri scriptum est de me*: alii enim [14] intelligunt de initio Genesis, hic enim primus est sacrorum Bibliorum liber; ibique habetur: *In principio creavit Deus cælum, & terram*. Principium hoc nihil aliud est, quam Dei Filius, Sapientia Verbum ipsius, per quod, & in quo Deus omnia fecit. Psalmista hoc palam asserit Psal. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris ejus, omnis virtus eorum*. Et J. C. in Evangelio Joan. 8. 25. explicite se *Principium* esse testatur: *Ego Principium*. Alii vero [15] intelligunt de initio Evangelii S. Johannis, quod nobis æternam Filii genesim aperit. S. Augustinus de primordio libri Psalmorum, ubi dicitur: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit &c.* Quæ verba J. C. perfectionem innuere velle videntur.

Alii [16] textum Septuaginta [17] interpretantur, perinde non libri initium, sed librum integrum significet, & *Kephalis*, quæ vox in Græco legitur, volumen ad litteram indigitet [18]. Judæi veterem hanc librorum formam servarunt in Bibliis, quæ in suis Synagogis asservant. Hæc enim magna volumina sunt ex plurimis membranis sibi conglutinatis, vel assutis compacta, ex una dumtaxat facie scripta, atque circa umbilicos suos convoluta. In his igitur voluminibus, in corpore Libri Scripturæ, ac præsertim in propheticis Libris sermo est de J. C. *in capite Libri scriptum est de me*; qui magis naturalis, magisque Hebraico textui conformis esse videtur hujus locis sensus; ille enim hæc habet [19]: *Scriptum est de me in volumine Libri*.

1 Hebr. 10. 5. & 70. Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας· Σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.

2 Ita 70. Edit. Rom. & Complut. Regii & Colbert. Codices Græci, apud Ferrand. Ambros. August. Theodoret. Euthym. Psalter. Rom. Mediol. Carnut. S. German.

3 Scholion. apud Nobil. Ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι ὁ μακάριος Παῦλος εἰς τὸ σῶμα μεταβαλὼν εἴρηκεν, οὐκ ἀγνοῶν τὸ Ἑβραϊκὸν, ἀλλὰ πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν τούτῳ χρησάμενος.

4 Ὠτία δὲ ἔσκαψάς μοι. 5 Ὠτία κατεσκεύασάς μοι. 6 Perinde ac Septuaginta legissent: Σῶμα δὲ κατηρτίσω με ἕνα. 7 זבח ומנחה לא חפצת אזנים כרית לי

8 Ita Chald. Kimchi, Rab. Sal. Ezra, alii, Muis, Vatab. Marian. alii plerique.

9 Geier. Grot. Piscat. Amsvort. Muis, alii. 10 Exod. 21. 5. 6. Deut. 15. 17.

11 Levit. 4. 3. . . . . 15. 12 August. *Holocausta pro delicto non postulasti*: vel simpliciter: *Holocausta pro delicto*. 13 עולה וחטאה לא שאלת 14 Tertull. contra Praxeam, Ambros. & Hieronym. hic. Hilar. in Psal. 2. 15 Chrysost. 16 Origen. Philocal. cap. 5. Theodoret. hic. Vide Euthym. & Nicephor. Euseb. Ambros. 17 70. Ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ,

18 Suidas. Κεφαλὶς, εἴλημα. *Volumen* in hoc sensu accipitur Ezech. 2. 9. & 3. 1. 2. & 1. Esdr. 6. 2. Theodoret. Τὴν κεφαλίδα, εἴλημα εἰρήκασιν Ἀκύλας, καὶ Σύμμαχος. 19 אז אמרתי הנה באתי במגלת ספר כתוב עלי

Si ad Davidem referre velis vers. 9. 10. 11. 12. Psalmi hujus, ita per paraphrasim possunt efferri. Quanta pro me, Deus, mirabilia es operatus! Quid pro tot beneficiis tibi referam? Non victimas poscis, non oblationes: sed aures aperuisti mihi, ut tua audirem mandata, iisque obtemperarem. Non holocautomata, neque victimas pro peccato desideras: sed statim ac vocasti me, dixi; Ecce ego; & cucurri *habens super me volumen Scripturarum tuarum* [1]. Paratus sum, ut exequar voluntatem tuam, & Legem tuam sculptam gesto in medio cordis mei, vel intra viscera mea: quo in sensu naturale adhuc est; id de J. C. explicari, cujus David symbolum erat.

LEGEM TUAM IN MEDIO CORDIS MEI.] Hebreus ad litteram [2]: *in medio viscerum meorum*. Septuaginta [3]: *in medio ventris mei*. Eam tanto amoris ardore prosequor, ut eam in medio cordis mei collocare velim; quemadmodum ii, qui efflictim aliquem diligunt, eumque in medio viscerum suorum collocare vellent [4].

℣. 12. ANNUNTIAVI JUSTITIAM TUAM IN ECCLESIA MAGNA.] De Davide potest intelligi cum Theodoreto, quem recentiorum plerique sequuntur; vel de J. C. cum S. Hieronymo, & Veteribus plurimis. David de periculo ereptus, & perfectam valetudinem consecutus, Deo gratias agit in populi totius cœtu, in Domini Tabernaculo. Salvatoris Justitia in medio Ecclesiæ ejus congregata, & convocata ex quatuor terrarum partibus, ac in omnes orbis plagas effusa [5]. *Justitia* hoc in loco accipi potest pro misericordia, non secus ac alibi passim.

S. Augustinus, S. Ambrosius, & antiqua Psalteria legunt; *Bene nuntiavi*, pro *Annuntiavi*. Septuaginta, non secus ac Hebræus [6] non legunt *tuam*; sed simpliciter: *Annuntiavi Justitiam in Ecclesia magna*. J. C. & post illum Apostoli ipsius Justitiam, & veritatem annuntiaverunt in medio Judæorum, atque Gentilium. Christiana Fides, & Lex Dei ab Apostolicis viris in omnibus terrarum partibus adhuc annuntiantur.

ECCE LABIA MEA NON PROHIBEBO; DOMINE, TU SCISTI. (13) JUSTITIAM TUAM NON ABSCONDI IN CORDE MEO &c.] Justitia veritati opposita, vel comparata naturaliter explicari nequit nisi de misericordia, quemadmodum præcedenti versiculo, alibique [7] vidimus, atque uti patet ex vers. 13. 14. 15. ubi hoc ipsum tantummodo repetitur. Tu, Domine, testis es suscepti consilii mei; numquam obliviscar misericordiarum tuarum, neque cessabo umquam prædicare inviolabilem promissionum tuarum fidem: *veritatem tuam*. Non abscondi eas in corde meo; nequaquam mihi satis fuit animo intelligere quantum tibi debeam, ac gratias habere; sed decrevi id ubique annuntiare, ac omnes homines allicere, ut una mecum humillimas tibi gratias agant. Plurimi legunt [8]: *Justitiam meam*, pro *Justitiam tuam*, ac textum hoc pacto interpungunt: *Ecce labia mea non prohibebo; Domine tu scisti justitiam meam: non abscondi in corde meo veritatem tuam; & salutare tuum dixi*. Sed Hebræus [9], Chaldæus, Syrus, & quædam Editiones Septuaginta [10] a Vulgata non discrepant.

A ℣. 15. NE LONGE FACIAS MISERATIONES TUAS &c.] Perge, Domine, præveni me misericordiis tuis, & protege me secundum veritatem promissionum tuarum; inimici mei nequaquam mortui sunt, immo semper adversus me sunt ira succensi. Versiculus totus ita reddi posset: *Domine ne longe facias a me effectus clementiæ tuæ: misericordia, ac bonitas tua semper mihi præsidio sint*. Vel: *Domine, a me non amovisti effectus clementiæ tuæ; semper misericordiæ, ac veritatis tuæ periculum feci*. Hebræus tres hos sensus potest admittere. Secundus vero cum sermonis contextu magis cohærere videtur, cumque in Versione sua S. Hieronymus secutus est; nec non in Symmacho [11], & quibusdam Exemplaribus Septuaginta deprehenditur [12]. Sanctus Augustinus: *Attendo, quia bonus es; attendo, quia Ju-* B *stus es; amo bonum, timeo justum. Amor, & timor perducunt me &c.*

℣. 16. QUONIAM CIRCUMDEDERUNT ME MALA, QUORUM NON EST NUMERUS.] Licet gratiæ tuæ ope e morbo, & periculo mortis evaserim, non ideo ex omnibus malis meis erutus sum. Donec mea peccata vigebunt, meque obsidione vallabunt, in tuto esse, atque omni defunctum me periculo non arbitrabar. Itaque ne amoveas, Domine, misericordiam, & veritatem tuam a me. Quis recensere potest iniquitates nostras, ait S. Augustinus? Quis æstimare valet peccata, quæ ipsi committimus, & quæ alii causa nostra committunt? *Parva erunt nostra peccata*, subdit ille, *imponuntur aliena. Timeo mihi; timeo bono fratri; solere bonum fratrem*. Undequaque periculum. De J. C. po- C test explicari, qui consideratur omnium hominum peccatis circumdatus, eisque oneratus, ut pro omnibus piaculum fit. Se infinitis circumseptum malis, innumerabilibus peccatis plurimisque cruciatibus videt. Peccatum sæpius usurpatur pro pœna, quæ illum subsequitur: *Comprehenderunt me iniquitates meæ*. Hominum scilicet peccata, quæ super me cepi.

℣. 17. COR MEUM DERELIQUIT ME.] J. C. in agonia in horto olivarum.

℣. 18. AD ADJUVANDUM ME RESPICE.] Hebr. [13] *ad adjuvandum me festina*. Ab hoc versiculo ad finem usque Psalmi idem est ferme de verbo ad verbum ac integer Psalmus 69.

℣. 20. AVERTANTUR RETRORSUM, & REVEREANTUR.] Milites ad Jesum Christum capiendum missi, D bis retrorsum ceciderunt, ex quo ipse allocutus est eos Joan. 18. 6. Orat ille pro ipsorum conversione, & salute. Confusio, & pudor illis salutares sunt medicinæ.

℣. 21. FERANT CONFESTIM CONFUSIONEM SUAM, QUI DICUNT MIHI: EUGE, EUGE.] Hebr. [14] *Qui dicunt mihi, ah ah* per contemptum, atque ludibrium, *in pœnæ compensationem desolentur*; vel, *in turpitudinis suæ*, turpis scilicet, indignique facinoris *præmium ferant*. Sed hic legere malim, quemadmodum & in Psalmo 69. 4. [15]: *Avertantur statim erubescentes*. Se se ostendere non audeant præ rubore abscondant faciem suam. Hoc mirum in modum adimpletum est in Judæis incredulis, qui Gentium omnium ludibrium sunt, neque alicubi ferme se se ostentare audent.

℣. 23. EGO AUTEM MENDICUS SUM, & PAUPER: DOMINUS SOLICITUS EST MEI.] Hebræus, & Septuagin-

1 Hebræus ad litteram: *Tunc dixi: venio cum volumine libri scripti supra me*. Antiquitus volumina super humeros deferebantur. Job 31. 35. 36. vel super caput 4. Reg. 11. 12.

2 ותורתך בתוך מעי 3 70. Καὶ τὸν νόμον σου ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου. Ita Euseb. Th. Euthym. Nicephor. Psalter. Mediol. *In medio ventris mei*. Vide Hieronym. Epist. ad Suniam, & Fretellam.

4 Theodoretus. 5 Hieronym. hic. *Gratias tibi ago salvator mundi, quod magnam fecisti Ecclesiam tuam, a quatuor mundi partibus Evangelica prædicatione vocatam, tua passione collectam, tua resurrectione mundatam*.

6 בשרתי צדק בקהל רב 70. Εὐηγγελισάμην δικαιοσύνην ἐν ἐκκλησίᾳ μεγάλῃ. Ita Theodor. Heracl. & Theodoret. & Edit. Sixti V. & Complut. & Cod. Reg. & Colb. apud Ferrand. 7 Psal. 4. 1. 23. 5. 88. 15. 102. 6. &c.

8 Ita 70. Edit. Roman. Τὰ χείλη μου οὐ μὴ κωλύσω. Κύριε σὺ ἔγνως τὴν δικαιοσύνην μου, οὐκ ἔκρυψα ἐν τῇ καρδίᾳ μου τὴν ἀλήθειάν σου, καὶ τὸ σωτήριόν σου εἶπα. Ita Euseb. Apollinar. & Æthiop. *Justitiam meam*. Sic legunt August. Ambros. Psalter. S. Germ. 9 שפתי לא אכלא יהוה אתה ידעת (13.) צדקתך לא כסיתי

10 70. Edit. Complut. Τὰ χείλη μου οὐ μὴ κωλύσω, Κύριε σὺ ἔγνως. (13.) Τὴν δικαιοσύνην σου οὐκ ἔκρυψα, &c.

11 Sym. Περιφρουρησάτω με, 12 70. Edit. Complut. Τὸ ἔλεός σου, καὶ ἡ ἀλήθειά σου διαπαντὸς ἀντιλάβοιτό.

13 לעזרתי חושה 14 ישמו על עקב בשתם האמרים לי האח האח

15 Psal. 69. 4. ישובו על עקב בשתם pro ישמו

ptuaginta [1] : *Dominus de me cogitabit*, vel curam mei gerer. Jure David se pauperem, & egenum appellare potuit, se met coram Deo respiciens, coram quo omnis homo est pauper, juxta S. Augustini sententiam. Nomen *pauperis* illum aliquando significat, qui afflictus est, & humiliatus. Epitheta eadem J. C. secun- A dum ipsius humanitatem conveniunt; præsertim vero in Passione illius. Psalmus hic totus præsertim post ℣. 8. directe magis illum respicit, quam Davidem, non secus ac Psalmus sequens, qui hujus quædam veluti continuatio esse videtur.

1 אדני יחשב לי 70. Κύριος φροντιεῖ μου. In Psalmo 69. 7. legitur אלהים חושה לי *Domine, propera venire ad me.*

P S A L M U S XL.

Beati, qui ægros invisunt, & consolantur. Preces David, ubi de inimicis suis conqueritur. JESUS CHRISTUS in passione sua de Judæ proditione dolet, & a Deo Patre suam resurrectionem petit.

In finem Psalmus ipsi David.

A R G U M E N T U M.

Theodorus Heraclæota, et Venerabilis Beda ad litteram Psalmum hunc de Ezechiæ Regis morbo intelligunt. Rabbini vero, et Recentiorum plerique [1], de quodam morbo David interpretantur, in quem post peccatum suum cecidit paulo ante, quam Absalon ab eo palam deficeret, atque eo tempore, quo plerique inanium amicorum suorum ipsi terga vertebant. Verum Patres unanimi consensu docent, psalmum hunc eum doloris statum exhibere, ad quem Jesus Christus passionis suæ tempore redactus fuit; Judæ proditionem, aliorum vero discipulorum ejus levitatem, ac fugam.

Salvator ipse Joann. 13. 18. decimum Psalmi hujus versiculum ad proditorem Judam transfert, a quo ipse hostibus suis traditus fuit; ita ut non sine temeritatis nota possit aliquis infieias ire, Psalmum hunc Jesu Christi personam, atque passionem respicere [2]. Nos vero arbitramur, hunc esse trium præcedentium Psalmorum continuationem, & præsertim in undequadragesimi fine, atque in præsenti hoc universo Prophetæ consilium fuisse J. C. cruciatus nobis exhibendi sub imagine morbi sui, atque levissimæ amicorum suorum fidei. Confer Psalmos 34. & 54. qui non mediocrem habent cum hoc similitudinem.

1. BEatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum
Dominus. 2 Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat
eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus. 3 Domi-
nus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in in-
firmitate ejus. 4 Ego dixi: Domine, miserere mei: sana animam meam, quia
peccavi tibi. 5 Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur, & peribit no-
men ejus? 6 Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur, cor ejus congre-
gavit iniquitatem sibi. 7 Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum. 8 Ad-
versum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi. 9
Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit, non adjiciet,
ut resurgat? 10 Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: qui edebat panes
meos, magnificavit super me supplantationem. 11 Tu autem, Domine, miserere
mei, & resuscita me: & retribuam eis. 12 In hoc cognovi, quoniam voluisti
me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me. 13 Me autem propter inno-
centiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum. 14 Benedictus
Dominus Deus Israel, a sæculo, & usque in sæculum, fiat, fiat.

℣. 1. BEATUS, QUI INTELLIGIT SUPER EGENUM, & PAUPEREM: IN DIE MALA LIBERABIT EUM DOMINUS.] David hic celebrat charitatem, & fidem illorum ex amicis suis, qui ipsum ægrotantem non deseruerant, ut in Absalonis partes abirent, qui jam regnum appetere incipiebat. Ait autem a Domino ipsos bonis iri cu- A mulatum, atque cum calamitas ingruet [3] inde ereptum iri.

Ut aliis placet, ipse se met describit, lætaturque, eo quod semper misertus fuerit pauperum, & afflictorum, hoc sibi persuadens, in misericordiæ suæ præmium a Deo eo liberatum fuisse periculo, quod morbi sui tempore adierat. Hebræus, Chaldæus, Syrus, Arabs,

1 Rabb. Muis, Genebr. Jun. Pisc. Ferrand. Choisy, Bossuet. Vatab. Flamin. 2 Theodoretus.
3 Sym. Ἐν ἡμέρᾳ κακώσεως. Ita Genebr. Vatab. Flamin. alii passim.

Arabs, veteresque Græci Interpretes [1] non legunt A *pauperem*; sed simpliciter [2]: *Beatus, qui intelligit*, qui considerat, qui prudens est *super ægrum*, super illum, qui viribus effætus est, infirmatus, ad paupertatem redactus: *Dominus liberabit eum die mali*, tempore afflictionis, & calamitatis. Patres [3]: Beatus, qui novit J. C. pauperem pro nobis effectum: novissimo liberabitur infortunio terribili Judicii die.

℣. 2. DOMINUS CONSERVET EUM, & VIVIFICET EUM, & BEATUM FACIAT EUM &c.] Dominus illum remunerabitur, qui misericors est, & clemens, illi bonam valetudinem, ac vitam impertiens, eum bonis hoc in mundo, atque in altero cumulans, eumque liberans de periculo, ne inter inimicorum suorum manus decidat. Vel aliter [4]: *Dominus conservabit eum*, felicem ei valetudinem tribuet; & si ægrotaverit, *illi* B *vitam impertiet*, eum sanabit, atque de portis mortis eripiet. S. Ambrosius, Cassiodorus, & antiqua Psalteria Rhomense, Carnutense, ac S. Germani ad versiculi finem addunt; *Emundet in terra*, vel *de terra*, *vitam*, vel *animam ejus*. Dominus servet vitam illius ab omni scelere vacuam super terram. S. Augustinus, S. Ambrosius, Editio Sixti V. & antiqua Psalteria legunt: *Non tradet eum in manus inimici ejus*, pro, *in animam inimicorum ejus*, quod in Vulgata, ac in Hebræo legitur.

℣. 3. DOMINUS OPEM FERAT ILLI SUPER LECTUM DOLORIS [5] EJUS: UNIVERSUM STRATUM EJUS VERSASTI IN INFIRMITATE EJUS.] Tamquam mater filii sui ægrotantis amantissima ejus lectum versat, ut suavius cubet, & tranquillius quiescat [6]. Hebræus ver- C ti potest [7]: *Dominus sustinebit eum*, manum porriget illi, *super lectum infirmitatis ejus*; *mutabit*, vel susque deque vertet *universum stratum illius in morbo ejus*. Dominus manu apprehendet illum, opemque ei feret, ut de cubili consurgat, ei salutem reddet, & lectum doloris in quietis thalamum illi convertet. Cum æger esset, per se ipse convaluit; ita hoc explicant Eusebius, S. Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, & S. Augustinus. Aliter: Manu ægrum *sustinebis*, *ejusque lectum jubebis auferri*.

In Oriente nulla sunt in domibus posita cubilia: vespere super pavimentum sternuntur, mane vero complicata auferuntur. Cum Jesus Christus ægroto illi, qui duodequadraginta annis laboraverat, salutem reddidit, præcepit illi, ut consurgeret, & lectum suum D illinc auferret Joann. 5. 8. Psalmista hic ait, Dominum illud ipsum, circiter facturum illi, qui erga ægros misericordiam exercuerit. Quidam [8] hoc in morali explicat sensu: Subvertisti lectum ejus, evulsisti illum ab iis omnibus, quæ terræ eum hærentem detinebant; eique omnia periculosæ adhæsionis objecta ademisti.

℣. 4. SANA ANIMAM MEAM, QUIA PECCAVI TIBI.] Ad te confugi, Deus meus, in ægritudine mea; fidenter dixi tibi, sana animam meam a vulneribus, quæ illi peccata inflixere, & corpus meum a morbo, quo illud affecisti, ut animam meam punires. Symmachus [9]: Cum tibi dicebam. *Domine, miserere mei, sana ani-* E *mam meam, quamvis te læsi*. ℣. 5. Inimici mei mala locuti sunt de me; mihi mala procurarunt &c. Patres hoc explicant de Jesu Christo in Olivarum horto, ubi patrem suum orat, ut a se calicem Passionis amoveat, & se tamquam coram suprema Dei Majestate constitutum considerat, veluti omnibus hominum sceleribus obnoxium. *Quia peccavi sibi*.

℣. 5. INIMICI MEI DIXERUNT MALA MIHI &c.] Inimici David eum periculoso morbo correptum videntes, ac imperii novis rebus studentes propter secretum eum Absalone fœdus, dicebant intra se: Quando morietur. Judæi, & præsertim Sacerdotes, ac Pharisæi gloriæ Jesu Christi invidentes, & illins objurgationibus, ac veritatibus, quas illis obtrudebat, defatigati, ipsi quoque ajebant: Quomodo hominem hunc de medio tollemus [10]? Reliqua pars Psalmi hujus directe magis, quam quod hactenus præcessit, ad Jesum Christum spectat. Vide Eusebium, & Athanasium.

℣. 6. ET SI INGREDIEBATUR, UT VIDERET, VANA LOQUEBATUR.] Illi ex inimicis meis, qui quamdam amicitiæ speciem servabant, me ægrotantem identidem invisebant, de vanis tantummodo, inanibusque rebus colloquebantur. Vel potius; ficte, ac dolose me alloquebantur, se miseratione affici simulabant, dum cor illorum procul erat a me [11]. Accedebant dumtaxat, ut valetudinis meæ statum explorarent, ut in conjuratione sua quid consilii capiundum esset, intelligerent: Vix autem de cubiculo meo egressi simul conveniebant, ut adversum me aliquid molirentur.

℣. 7. EGREDIEBATUR FORAS, & LOQUEBATUR IN IDIPSUM.] Hoc de Judæis, & Pharisæis explicatur, qui subinde ad Jesum Christum accedebant, eum tentaturi, ut ab eo aliqua elicerent verba, ejusque sermones audirent, inde ipsum accusandi, eumque in Principum suspicionem, ac Populorum odium vocandi arrepturi occasionem. Nunc ab eo percontantur; liceatne tributum dare Cæsari Matth. 22. 17. modo num fas date libellum repudii uxori suæ Matth. 19. 3. utrum mulier in adulterio deprehensa lapidibus sit obruenda Joan. 8. 3. an Mortuorum Resurrectio certus sit articulus de fide &c. Matth. 22. 24. Intelligitur quoque de Juda [12], qui Jesum Christum sequebatur, & qui in illius aderat comitatu, cum corde sceleribus omnibus inquinatissimo, quærens dumtaxat illius prodendi, atque avaritiæ suæ satisfaciendi occasiones.

Quædam varietas adest in versiculi hujus interpunctione, atque distributione. Ita S. Hieronymus Hebræum vertit [13]: *& si veniret, ut visitet, vana loquetur cor ejus, congregabit iniquitatem sibi, egrediens foras detrahet* ℣ 8. *simul adversum me murmurabant omnes odientes me*. S. Augustinus, Cassiodorus, Antiqua Psalteria, & Carnutense ita legunt: *Et ingrediebantur, ut viderent, vana locutum est cor eorum, congregaverunt iniquitatem sibi* ℣. 7. *Egrediebantur foras, & loquebantur*. Ubi videmus in plurali numero poni, quod in Vulgata habetur in singulari, & ab ipsis omitti particulam *Si*. S. Ambrosius, Didymus, Euthymius similiter eam prætereunt, non secus ac plurima Exemplaria Septuaginta [14]; Verum adest in Hebræo, atque in melioribus Exemplaribus Græcis. Immo S. Hieronymus ad Suniam, & Fretel. eam inveniri testatur, & in Septuaginta, & in omnibus antiquis Interpretibus. Præterea, illi deinde legunt: *Vana locutum est cor ejus*, quam legendi rationem S. Ambrosius, Euthymius, Nicephorus, et pleraque Exemplaria Septuaginta sequuntur; cum e contra Dydimus, S. Chrysostomus, Theodorus Heracleænsis, et Hesychius id subsequentibus addant, uti Vulgata, et S. Hieronymus: *Cor ejus congregavit iniquitatem sibi*.

VER-

---

1 Vide Euseb. & Theodoret. 2 אשרי משכיל אל דל ביום רעה ימלטהו יהוה Aquil. Symm. Theodoret. דל Πτωχὸν. 3 Ambros. August. Hieronym. Theodoret. Euseb. Athanas.

4 יהוה ישמרהו ויחייהו ונו Aquil. Symm. Theodoret. Hieronym. in futuro. *Dominus custodiet eum, & vivificabit eum*. Symmach. Φυλάξει αὐτὸν καὶ περιτώσει αὐτόν. Καὶ μακαρισθήσεται ἐν τῇ γῇ.

5 Symm. *Lectum miseriæ*. Aquil. *Grabatum miseriæ*. Apud Ambros. hic. 6 Muis, Genebr. Flamin.

7 יהוה יסעדנו על ערש דוי כל משכבו הפכת בחליו 8 Gregor. Moral. in Job. lib. 23. cap. 15. Cassiod. hic. 9 Symmach. Ἐμοῦ λέγοντος, Κύριε, οἰκτείρησόν με, ἴασαι τὴν ψυχήν μου. Καὶ εἰ ἥμαρτόν σοι.

10 Hieronym. Theodoret. 11 Genebr. Muis, Flamin. alii. 12 Athanas. Ambros. August.

13 ואם בא לראות שוא ידבר לבו יקבץ און לו יצא לחוץ ידבר (vers. 8.) יחד עלי יתלחשו

14 70. Edit. Roman. Καὶ εἰ εἰσεπορεύετο τοῦ ἰδεῖν, μάτην ἐλάλει ἡ καρδία αὐτοῦ, συνήγαγεν ἀνομίαν ἑαυτῷ, ἐξεπορεύετο ἔξω καὶ ἐλάλει ἐπὶ τὸ αὐτό. (8.) Κατ' ἐμοῦ ἐψιθύριζον. Edit. Complut. & alii libri. Καὶ εἰσεπορεύετο, &c.

℣. 9. VERBUM INIQUUM CONSTITUERUNT [1] ADVERSUM ME. NUMQUID QUI DORMIT, NON ADJICIET, UT RESURGAT?] Jesus Christus hic loquitur. Inimici mei accusaverunt, ac per summum nefas damnaverunt me. Crediderunt, me perdere posse in nullam reditus spem, me morte plectentes; perinde quasi resurgere non possem. Aliter: Judæi ceperunt adversum me injustissima consilia, me morti addixerunt, et in conventu suo dixerunt: Illi necessario nex est inferenda. Num mortuus homo reviviscet? Si satis habuerimus, illum comprehendere, in carcerem trudere, vel castigare, poterit fortasse aliquando effugere e manibus nostris: sed eum semel occubuerit, non amplius curam nobis ingeret. *Verbum iniquum*: Hoc verbum, vel hæc res injusta est, ut Patribus videtur [2], Judæorum criminatio, qua Jesum Christum Regni appetentem esse, vel in Beelzebub Dæmonia ejicere, vel seditiones serere, vel obstare, quominus Cæsari tributum penderetur, accusabant.

Qui hoc de Davide interpretantur, id præcedenti versiculo adnectunt. Inimici mei conjurabant simul, & vota nuncupabant pro morte mea. Ajebant autem: si semel mortuus fuerit, num reviviscere poterit? Tune nos erimus liberati in perpetuum. Vel juxta Hebraicum textum [3]: Hæc ipsi dicebant: *lethali morbo laborat, neque consurget umquam e strato, in quo jacet*. Vel [4]: Reus est nefarii sceleris; numquam e morbo convalescet. Vel, magnum crimen, vel supplicium cecidit super eum; numquam inde emerget. Supplicium sæpissime pro peccato usurpatur. Symmachus, & S. Hieronymus [5]: *Inimici mei effundebant sermones injustos. Qui cecidit, non resurget*: vel qui obiit, non reviviscet.

℣. 10. ETENIM HOMO PACIS MEÆ, IN QUO SPERAVI, MAGNIFICAVIT SUPER ME SUPPLANTATIONEM.] De Juda proditore loquitur; eumque ita designat, ut errare nequeamus. Jesus Christus ipse hoc nos admonuit Joan. 13. 18. Ille *homo pacis meæ* vocatur, homo scilicet, cum quo nihil mihi erat, cum quo amice versabar. Ipse prodidit me, satellitibus, quos ad me capiendum adduxit, signum tribuens osculum [6], signum videlicet pacis, & amicitiæ. *In quo speravi*, cui memet credidi adeo, ut illi eleemosynarum, & victus mei curam commendarem. *Qui edebat panes meos*. Jesu Christi mensæ assidebat; neque perhorruit sacratissimo illius Corpore vesci, & Sanguine potari.

Absalon, & qui adhæserant illi, pluribus sæculis ante in persona sua Judæ perfidiam expresserant. David poterat directe ad eos respicere hæc enuntians; sed Spiritus Sanctus, quo afflabatur, remotius, longeque majoris momenti objectum spectabat. Hebræus ita reddi potest [7]: *Et homo etiam pacis meæ, ille, in quo confido, & qui manducat panem meum, elevavit calcaneum suum super me*. Calce me ferire voluit, velut recalci-

A trans, & pede petens. Plato simili usus est locutione loquens de Aristotele, qui ab eo secesserat, ut seorsim gymnasium instrueret: Ille nos calce petit, tamquam pullus matrem suam [8]. Homo pacis meæ significare potest amicum, illum, cui magis cordi esse deberet felicitas mea, qui studere deberet, quomodo mihi gratificari posset; vel homo, qui me valere jubet, atque in meos ruit amplexus, eum obvius occurrit. Officium hoc dandi, reddendique salutem, non amicitiæ solum nota erat, verum & species quædam debiti inter notos, & amicos. *Qui manducat panem meum*, qui mensæ meæ assidet; hæc circumstantia mirum in modum perosum efficit hominis facinus, amicum suum prodentis. Apud antiquos [9] nihil magis nefarium, atque indignum habebatur, quam hospitalitatis, ac

B mensæ leges perfringere, ubi simul familiariter vescebantur. Symmachus [10]: *Sed homo, qui mecum in pace vivebat, cui memet credebam, & qui mecum panem meum comedebat, elevatus est contra me post tergum meum*.

℣. 11. RESUSCITA ME, & RETRIBUAM EIS.] Jesus Christus Patrem suum orat, ut ipsum resuscitet. Pervicacibus quidem, incredulisque Judæis palam ostendit, se de illis ultionem sumere posse. Ejus quippe in illos vindicta horribili fragore detonuit, eorum civitate, ac Republica eversa, iis vero in omnes terrarum partes dissipatis.

℣. 12. IN HOC COGNOVI &c.] Maximum Divinitatis Jesu Christi argumentum, quod habeamus, illud est, quod numquam permisit Deus, ut adversus illum posset aliquid Judæorum nequitia, & Dæmonis ra-

C bies. Potuerunt quidem illum persequi, vexare, plectere, crucifigere, necare; sed eos ipse confudit per gloriosam Resurrectionem suam, & per victoriam, quam de Inferno, Mundo, Dæmone, Idololatria, peccato, ac morte amplissimam retulit.

℣. 13. ME AUTEM PROPTER INNOCENTIAM SUSCEPISTI.] Jesus Christus secundum suam humanitatem ne minimum quidem erratum umquam committere potuit. Ipse est agnus Dei, & victima propitiationis, quæ licet justissima, & innocens, hominum peccata expiavit. Ipse semet humiliavit ad mortem usque, & mortem Crucis, ut injuriam Paternæ inflictam gloriæ repararet. Quamobrem nomen, & gloriam meritus est super omne nomen, omnemque gloriam, tam in Cœlo, quam in terra. Vide Hebr. 2. 9. Philip. 2. 9.

D ℣. 14. A SÆCULO USQUE IN SÆCULUM. FIAT. FIAT.] S. Augustinus legit: *Dicet omnis populus: Fiat, fiat*. Chaldæus: *Justi dicant, Amen, Amen*. Hic finis est primi Psalmorum Libri, juxta Hebræorum divisionem. Voces [11]: *Amen, Amen* in sermonis initio, passim ad affirmandum usurpantur; quo in sensu eas adhibet Jesus Christus in Evangelio [12]: *Amen, Amen dico vobis*. Verum in sermonis fine pro consensus, atque approbationis nota desumuntur. *Ita est*; vel *ita sit* [13].

---

1 August. *Disposuerunt*. Arnob. *Cogitant*. Ambros. *Proposuerunt*. Psalter. Roman. *Mandaverunt*. Mediolan. *Statuerunt*. 2 Ambros. Athanas. August. alii. 3 דבר בליעל יצוק בו ואשר שכב לא יוסיף לקום *Res perniciosissima, vel verbum Belial, vel morbus gravissimus effusus est ei*. 4 Rabb. Salom. Kimchi, Munst. Vatab. Pisc. Muis, Marian. Tigur. Ainsw. alii. 5 Symm. Λόγον παράνομον ἐξέχυτο, καὶ πεσὼν οὐκ ἀναστήσεται. Hieronym. *Verbum impietatis infundebant sibi; qui dormivit, non addet, ut resurgat*. Aquila: Ὁ κοιμηθεὶς, οὐ προσθήσει τοῦ ἀναστῆναι. 6 Matth. 26. 48.
7 גם איש שלומי אשר בטחתי בו אוכל לחמי הגדיל עלי עקב August. *Ampliavit super me calcaneum*. Aquil. Κατεμεγαλύνθη μου πτέρνα. 8 Diogen. Laert. in Aristot. lib. 5. Ælian. lib. 4. cap. 9.
9 Vide Plutarch. Sympos. lib. 7. quæst. 4. Athanas. lib. 8. cap. 16. Archiloch.
10 Symmach. Ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος ὁ εἰρηνικός μου, ᾧ ἐπεποίθειν, συνεσθίων μου ἄρτον ὁ μου κατεμεγαλύνθη με ἀκολουθῶν. 11 אמן ואמן, *Amen, & Amen*. 70. Γένοιτο, γένοιτο. Aquil. Πεπιστωμένως. *Fideliter, fideliter*.
12 Vide Matth. 6. 13. 24. 47. Luc. 12. 44. 13 Num. 5. 22. Deut. 27. 15. Psal. 71. 19. &c.

Finis Primi Libri Psalmorum.

SECUN-

SECUNDUS PSALMORUM LIBER
APUD HEBRÆOS.

PSALMUS XLI.

Auctor flagrat desiderio, Templum Domini iterum videndi. Summo dolore conficitur, sibi dicentes audiens; Ubi est Deus? Consolatur vero spe revidendi patriam suam, & Dei sui Tabernaculum.

In finem, intellectus filiis Core.

ARGUMENTUM.

En primus filiorum Core Psalmus; quorum nomine plurimos deinceps inscriptos videbimus [1]. Chaldæus, Rabbinus Salomon, Eusebius, Hesychius censere videntur, Psalmum hunc, aliosque, qui eumdem præseferunt titulum compositos fuisse a tribus filiis Core, videlicet Asir, Heleana, et Abiasaph, qui miraculose servati fuerunt, cum pater eorum Core a terra absorptus fuit, cum adversus Moysem seditionem fereret. Num. 26. 21.

Alii tenent, hoc opus esse posterorum trium filiorum Core, qui fuerunt e Levitarum numero, qui in Templo Divinis recinendis laudibus vacabant [2]. Non desunt, qui putent, Davidem, cum Psalmum hunc fuisset elucubratus, illum dedisse choro filiorum Core in Tabernaculo canendum [3]. Nos vero cum satis magno antiquorum, recentiorumque Interpretum numero credimus conscriptum fuisse a filiis Core, qui Babylonem in captivitatem abducti fuerunt, vel ab eorum aliquo, ut captivitatis tempore se se consolarentur [4]; vel saltem hic sensus captivorum exprimi, licet fortasse a Davide Psalmus compositus fuerit, vel ab aliquo Prophetatum. Alii autem contendunt [5], Davidem ipsum Psalmum hunc elaborasse; cum ipse, Saule, vel Absalone persequentibus, procul ab Jerusalem, ac Templo Domini debuit commorari.

S. Augustinus, S. Hieronymus, Cassiodorus, & alii plures in Psalmo hoc deprehenderunt perfectorum Christi fidelium sensus per filios Core designatorum, qui ad cœlestem Patriam anhelant, & qui se hoc in mundo tamquam in exilio esse arbitrantur. Origenes homil. unica in libris Regum, S. Hieronymus in Psal. 84. & 85. Genebrardus in Psalmorum horum auctoribus quemdam suavitatis characterem, & spiritum, quo ad læta, jucundaque prædicenda afflabantur, invenere. Grotius [6] ait, præcipuam hanc illis fuisse vim ad consolandum, & cantum illorum hilaritatem, atque gaudium adferre. Re quidem vera Canticorum pleraque, quæ hoc inscripta nomine supersunt, lætitiæ effusiones continent propter certam spem futuri reditus in Patriam, atque in Domini Templum. Hæc sunt vera consolationis cantica pro Levitis in captivitate degentibus. Verum inter hæc identidem vel mæstitia, & dolor graphice delineantur, vel Auctor egregie exhibet tædium animæ, captivitate diutina, ac tristi defatigatæ. Psalmus 87. magnam habet cum hoc similitudinem: sed Psalmi 43. & 87. qui & ipsi sunt filiorum Core, lugubres potius sunt næniæ, quam epinicia. Quadragesimus vero quartus continet Epithalamium, quod plane Salomonis tempora respicit.

1. QUemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea
ad te, Deus! 2 Sitivit anima mea ad Deum, fortem, vivum: quando ve-
niam, & apparebo ante faciem Dei? 3 Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes
die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus? 4 Hæc recordatus
sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum Tabernaculi admirabi-
lis, usque ad domum Dei. 5 In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.
6 Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? 7 Spera in Deo, quoniam
adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus: 8 Ad meipsum anima mea
conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim a monte
modico. 9 Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum. 10 Omnia
excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt. 11 In die mandavit Dominus mi-
seri-

1 Psalmi quoque 43. 45. 46. 47. 48. 83. 84. 86. 89. præferunt nomen filiorum Core. Verosimillimum est Ps. 42. & 85. eorumdem Auctorum esse. 2 1, Par. 9. 19. 26. 12. & 2. Par. 20. 19.
3 Athanas. Vatab. Pisc. Jun. Gejer, alii. 4 Heracleot. Theodoret. Nicephor. Euthym. Hesych. Beda. Vide Rabb. Mol. Muis, &c. 5 Jansen. Gandav. Moller. Bossuet. Vatab. Jun. Marian.
6 Grot. hic. *Instruenti posteros Core, qui ad hilarandum animum, aptos modos habebant.*

sericordiam suam, & nocte canticum ejus. 12 Apud me oratio Deo vitæ meæ. Di-
cam Deo: Susceptor meus es. 13 Quare oblitus es mei? Et quare contristatus
incedo, dum affligit me inimicus? 14 Dum confringuntur ossa mea, exprobrave-
runt mihi, qui tribulant me inimici mei. 15 Dum dicunt mihi per singulos dies:
Ubi est Deus tuus? Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? 16
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

℣. 1. QUEMADMODUM DESIDERAT CERVUS AD FONTES AQUARUM, ITA DESIDERAT ANIMA MEA AD TE DEUS!] De medio Babylonis, ubi in miserrima, gravissimaque vivimus captivitate, ad te Domine, suspiramus! pacem, & felicitatem, qua olim fruebamur, tibi in domo tua servientes, toto pectore cupimus, Levitæ hic loquuntur, & ea iterum possidere bona desiderant, quibus per captivitatem orbati fuerunt. Cervus a canibus exagitatus summa pernicitate fluvium petit, vel lacum, ut ibi se se refrigeret. Animal hoc aquas diligit, idque præsertim in calidis regionibus, ubi ad levandam sitim sæpius ad fontes, vel rivos tenetur confugere. Naturalium rerum scrutatores [1] aliam nobis sitis illius causam aperuere; videlicet quod serpentes vorat, quorum virus in ejus viscera diffusum, urentem calorem parit, cui aquarum haustu medelam studet adferre. Non desunt, qui putent, cervum malo huic mederi, flumineos, vel aquæ dulcis cancros, comedendo. Hæc omnia dubio non carent: attamen Patres [2] ea adferre non abnuunt.

Isthæc vero [3] nondum satis mira videntur Rabbinis; qui asserunt, cervum præ omnibus animantibus esse maxime misericordem, & bruta siti laborantia ad illum confluere, ut illius opem exposcant: quorum precibus exoratus oculos primum ad Cœlum extollit, mox profundam effodiens foveam, illuc sua inserit cornua, & magnos clamores emittit. Tunc Deus efficit, ut ex ima fovea, maxima aquarum copia scateat. Hoc pacto Hebræi loci hujus textum explicant, quem ita reddunt [4]: *Quemadmodum cervus*, vel cerva *clamat secus fontes aquarum; ita animus meus ad te clamat, Deus meus!* Symmachus [5]: *Quemadmodum cervus desiderat*, vel *quemadmodum festinat* &c. Aquila [6]: *quemadmodum prata sitiunt imbrem*. Editio sexta [7]: *quemadmodum ager pluviam desiderat*. Ludovicus de Dieu vertit: *Non secus ac cervus ascendit ad fontes aquarum* [8], cum siti cogente planitiem deserit, ut illos ad montium radices inquirat. S. Augustinus, & S. Hieronymus id intelligunt de Fidelibus, & Justis, qui ad cœlestem suam patriam anhelant; vel de Cathecumenis, qui ardenti desiderio aquas Baptismatis accipiunt; immo S. Augustinus ait, in solemnitate Baptismatis Cathecumenorum Psalmum hunc concini consuevisse.

℣. 2. SITIVIT ANIMA MEA AD DEUM, FORTEM, VIVUM. QUANDO VENIAM, &c.] Apparere ante faciem Dei, apud Israelitas, & Levitas nihil significat aliud, quam ad Templum ejus accedere, in domum illius ingredi, ut ibi eum colant, ac venerentur [9]. Nulla alia re magis affligebantur Captivi Babylonis, ii videlicet, qui pietate florebant, quam suavissima viduari consolatione magnis solemnitatibus in atrium Dei sui conveniendi. Apud Christianos vero: *Quando apparebo ante faciem Domini?* omnino aliud significat. Quandonam cœlestem Patriam, Dei mei gloriam, vitæ æternæ felicitatem intuebor? Illuc Israelitæ secundum spiritum, & veri Fideles omnia vota, ac desideria sua extollunt.

Hebræus ad litteram [10]: *Anima mea sitit Dominum, Deum viventem*. Quando veniam, & *videbo faciem Domini?* Syrus, Arabs, & quædam ex Septuaginta exemplaribus [11] simpliciter legunt: *Sitivit anima mea ad Deum vivum*, quod arridet S. Augustino, S. Ambrosio de Isaac c. 1. S. Gregorio Magno Moral. in Job. l. 10. c. 6. S. Hilario in Psal. 62. Apollinari; neque discrepant Romana Psalteria, S. Germani; Carnutense, atque Æthiopicum. Sed alia Exemplaria Septuaginta [12] & plerique Patres a Vulgatæ lectione non differunt: *Ad Deum fortem, vivum*; Et Græci, ac Aquila imprimis nonnumquam Hebraicam vocem *El*, quæ Deum significat, *fortem* reddiderunt. Ante correctionem Clementis VIII. pleraque Latina Exemplaria habebant [13]: *Ad Deum fontem vivum*, verum hoc mendum est a verbo *sitivit* profectum; crediderunt enim naturale esse dicere, ipsum sitiisse ad fontem vitæ.

℣. 3. FUERUNT MIHI LACRYMÆ MEÆ PANES, DIE, AC NOCTE, DUM DICITUR MIHI QUOTIDIE: UBI EST DEUS TUUS?] Dies, noctesque lugeo, neque levamen ullum, aut quietem nisi in lacrymis meis invenio in medio Babyloniorum, qui per ludibrium quotidie interrogant me: Ubi est Deus tuus? Insipientes hi populi, qui Deos suos digito ostendebant, & qui eos videbant, attrectabantque, Deum invisibilem, atque ab omni prorsus materia sepositum, intelligere non poterant. Cæterum felicitate sua ebrii, cum se omnibus circum undique populis dominari viderent, illudebant victorum populorum Numinibus, perinde ac Chaldæorum arma propulsare non potuissent, & adoratores suos adversus illorum vim tueri.

Hebræus, Septuaginta, S. Augustinus, & antiqua Psalteria [14] legunt: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panis*, & non, *panes*. Symmachus [15]: *lacrymæ meæ sunt veluti panis qui mihi quotidie tribuitur*. Servis quædam panis, vel farinæ mensura in dies singulos tribuebatur. Hæc loquendi ratio: *lacrymæ meæ sunt panis meus*, deprehenditur etiam Psalmo 79. 6. eamque Ovidius imitatus est Metamorph. 10.

Cura, dolorque animi, lacrymaque alimenta fuere.

S. Augustinus per has lacrymas eas intelligit, quas Beatitudinis cupiditas parit: S. Hieronymus vero lacrymas doloris, & pœnitentiæ, quibus pascitur anima sperans, se per illas suorum peccatorum veniam consecuturam.

℣. 4. HÆC RECORDATUS SUM, & EFFUDI IN ME ANIMAM MEAM, QUONIAM TRANSIBO IN LOCUM TABERNACULI,] in Domum Domini. Recordatus sum vocum, injuriis, atque contumeliis tuæ Majestati illatis refertissimarum, quas crebro adeo Babylonii dixerunt mihi, & propter quæ tot lacrymas effudi; recor-

1 Ælian. Histor. lib. 2. cap. 9. & lib. 8. cap. 6. Appian. lib. 2. de Venat. Aristor. Histor. Animal. lib. 9. c. 5. Nicand. in Theriac. Plin. Histor. lib. 8. cap. 27. lib. 9. cap. 31. 2 Euseb. Didym. Heracleot. Theodoret. Hieronym. hic. Epiphan. Physiol. cap. 5. Nyssen, Comment. in Psalm. inscript. & alii.
3 Veteres Rabb. Author libri Jalkut, Rab. Salom. & Kimchi.
4 כאיל תערג על אפיקי מים כן נפשי תערג אליך אלהים 5 Sym. Ὡς ἐπόθει ἔλαφος. Alias, ἱμείρεσθαι, seu, ποθεῖν. Apud Euseb. hic. 6 Aquil. Ὡς αὐλῶνες πεπρασίασαι. 7 Ὡς τρέπων πεδίον προσιεσθῇ. 8 ערג Æthiopice & Arabice, significat *ascendere*. 9 Vide Deut. 16. 11. 15. 16. Exod. 23. 17. 34. 20. 1. Reg. 1. 22. Psal. 62. 2. 10 צמאה נפשי לאלהים לאל חי מתי אבוא ואראה פני אלהים
11 Edit. Rom. Ἐδίψησεν ἡ ψυχή μου πρὸς τὸν Θεὸν τὸν ζῶντα. 12 70. Edit. Complut. Πρὸς τὸν Θεὸν τὸν ἰσχυρὸν τὸν ζῶντα. Ita plures Græci. 13 Ita Bernard. Isidor. D. Thom. Sixti V. Alii pene omnes Latini Codices, tam impressi, quam manuscripti. Plures etiam post correctionem Clem. VIII.
14 August. Psalteria Roman. Carnut. &c. & Sixti V. 15 Sym. Ὡς ἄρτος συντάξεώς μου.

recordatus sum, & *effudi animam meam*; pœna ex dolore obii, animam exhalavi, defeci [1]. Verum me me collegi, vires meas recepi, simulac animum adverti ad promissiones tuas, quæ nobis reditum in Jerusalem, atque in augustum Templum tuum pollicentur. Ibi laudabo te, Domine, & coram te reviviscam. A

Rabbini, & Recentiorum Interpretum plerique ita Hebraicum textum vertunt [2]: *Ex gravi dolore languesco, cum magnificarum illarum solemnitatum recordor, cum olim in Templum proficiscebamur in medio confluentis populi, qui canebat & atque lætitiæ plausus emittebat*. Vel: Lætitia exulto, sperans me aliquando rursus visurum speciosas illas Israelitarum manus, quæ inter musicorum instrumentorum sonos, & concentus Canticorum in Templum se se conferebant. Pacis tempore hoc jucundissimum erat spectaculum, omnem Hebræorum nationem ex omnibus Judææ partibus Jerosolymam tribus præcipuis anni festivitatibus confluentem intueri. Non enim aliud audiebatur, quam hilares voces, gaudentium atque psallentium concentus. Innocuarum harum voluptatum privatio filios Core discruciat; vel iisdem tandem aliquando spes iterum fruendi ad lætitiam excitat; Textus enim in utroque sensu explicatur. B

Aquila vertit [3]: *Horum recordabor in medio eorum, transiens per locum umbrosum usque ad Domum Dei* &c. Symmachus [4]: *transibo in tentorium; deferar usque ad Domum Dei* &c. S. Hieronymus: *Horum recordatus sum, & effudi in me animam meam, quia veniam ad umbraculum, tacebo usque ad domum Dei*. Nemo non sentit, tantam hanc vertendi varietatem ab aliquo Textus discrimine proficisci [5]. Hunc ego loco huic vellem sensum appingere. *Recordor rerum harum*, scilicet contumeliarum quas in nos Babylonii ingerebant; *& dolore conficior, quod transibo*: hanc habeo fiduciam, quæ non erit inanis; transibo *in tectum magnificum*, Levitis destinatum, *usque in Domum Dei in medio cantuum, & laudum multitudinis ad festivitatem celebrandam congregatæ*. Certo certius est, in Templo tectum locum adfuisse pro Levitis, & Janitoribus, quemadmodum in 4. Regum librum c. 16. 18. ostendimus. Tegmen hoc *Musach* appellabatur, quod ab eadem fluit origine ac *Sach*, quam vocem isthic legimus. Levita, filius Core, Psalmi hujus Auctor, ait igitur, se Domini promissionibus fretum sperare, se tandem aliquando in Templum rediturum, ibique sub tecto, vel sub *Musach*, stationem suam habiturum, atque populum pro solemnitate congregatum, Levitasque canentes, fidibusque in Domini laudem psallentes, visurum. C D

℣. 5. In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis.] In Templo nonnumquam sternebantur Epulum charitatis, immo quædam a Lege ipsa præcipiebantur [6]. Sed Hebræus [7] significat potius hic cœtum populi in Templo congregati ad celebrandam solemnitatem cum sonitu instrumentorum, & Canticis laudis, quæ a Levitis, ut superius dictum est, concinebantur. Antiqua Psalteria in hoc loco discrepant. Alii [8]: *Confessionis soni festa celebrantis*; vel *soni festum celebrantium*: S. Augustinus: *Soni festivitatem celebrantis*. S. Gregorius Magnus in Job l. 30. c. 5. *Sonus ejulatis epulantis*: S. Ambrosius de interpell. David l. 2. c. 2. *Sonitus epulantis*. E

℣. 6. Quare tristis es anima mea? . . . . (℣. 7.) Spera in Deo, quoniam adhuc [9] confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.] Cur afflictaris ob exilii tui diuturnitatem, atque Babyloniorum convicia? Ambigis ne de veritate promissionum Domini, qui tibi felicem in Patriam reditum spopondit? Spera in misericordia ejus, & confide, futurum ut quondam, ut olim, in sacris atriis eum adoremus. Dominus ab Auctore vocatur, *Salutare vultus mei, & Deus meus*, videlicet, Deus meus, ad quem semper oculos & faciem converto, & ex quo uno salutem meam expecto. Quemadmodum dicitur, *Angelus faciei* [10], *panis faciei* [11] ad denotandum Angelum, qui Domini faciem intuetur, & qui stat ante faciem ejus, & panem, qui illi offertur ante ipsum, & super Altare illius; ita *salus faciei* illa est, quæ ex benigno Domini intuitu expectatur, vel quæ jugiter est ante oculos nostros, & quam summo studio præstolamur.

Hebræus habet [12]: *Cur te abjicis* (cur ad terram usque prosterneris) *o anima mea! Cur propter me conturbaris? Spera in Deo, quoniam ipsum adhuc laudabo; facies ejus nihil est aliud, quam salus*. Si nos respicere dumtaxat, atque in nos faciem dignatur convertere, salvi erimus. Aquila [13]: *Cur deprimis oculos?* Cur me conturbas. *Expecta Dominum, quoniam ipsum indesinenter laudabo, & salutem faciei ejus, Deus meus!* Dominum laudabo, & gratias agam illi ob ea, quæ in me contulit beneficia, quibus benigno adspectu suo me cumulavit. Symmachus [14]: *Cur te abjicis, anima mea? Cur me conturbas. Spera in Domino, quoniam illum in æternum laudabo, pro salute vultus ejus*; pro eo quod benigno vultu me respicere dignatus est; quod cum Aquila, & Vulgatæ sensu congruit.

Septuaginta Romanæ Editionis, S. Augustinus, Cassiodorus, & quædam antiqua Psalteria legunt: *Salutare vultus mei, Deus meus*, non autem, *Vultus mei, & Deus meus*. Hebræus utroque modo legi potest [15]: *Salutes vultus mei, Deus meus*: vel: *Salutes vultus mei, & Deus meus*. Sed plerumque Judæi, & Recentiores Interpretes addunt *Deus meus* subsequentis Versiculi initio: *Deus meus, ad me ipsum anima mea conturbata est*. Vulgatæ sensus, & lectio, quam secutæ sunt Septuaginta, nobis magis arridet, quam ea, cui adhærent nostrorum temporum Judæi, licet eam S. Hieronymus, & Symmachus, non autem Aquila, sequantur.

℣. 8. Ad meipsum [16] anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim, a monte modico.] Babyloniorum probra, qui sciscitabantur a me, ubi erat Deus meus, conturbaverunt animam meam. Verum eam confirmavi, atque sustinui, cogitans futurum ut adhuc tibi in Templo tuo debeam famulari; & Jordanis terram, montes Hermon, & parvulum montem Sion, ubi Templum ædificatum est, rursus adspiciam. Spes una reditus mei, Deus meus, consolari potuit animam meam, ne mœrore conficeretur. Per *montem hunc modicum* Chaldæus, & Judæi intelligunt

1 Vide Job. 30. 16. Jerem. Thren. 11. 11. 12. & 1. Reg. 1. 15.
2 אלה אזכרה ואשפכה עלי נפשי כי אעבר בסך אדדם עד בית אלהים 3 Aquil. Ἐν συσκίῳ παραβιβάζων αὐτοὺς ἕως οἴκου τοῦ Θεοῦ ἐν φωνῇ αἰνέσεως, καὶ εὐχαριστίας. 4 Symmach. Ἐξελεύσομαι εἰς τὴν σκηνὴν, διαβαστασθήσομαι ἕως τοῦ οἴκου μετὰ φωνῆς ᾄσματος, καὶ ἐξομολογήσεως. 5 סך, juxta Rabbinos, significat virorum agmen; viatorum manum. S. Hieronymus, 70. Aquila, Chaldæus id explicant de loco abdito. אדדם, quod deducitur a דדה, *lente incedere*, & quod Chaldæus derivavit a אר, *unus*; & S. Hieronymus a דום, *silere*, meliorem sententiam reddit legendo *Adirim* אדירים *magnifici*, cum 70. 6 Vide Deut. 12. 12. 16. 14. 27. 7.2. Esdr. 7. 12. Psal. 87. 3. 7 בקול רנה ותודה המון חוגג Aquila, Ὄχλου ἑορτάζοντος. Symmach. Πλήθους πανηγυρίζοντος. 8 Ita Edit. Latin. Complut. & Sixti V. 9 Septuaginta, S. Augustinus, Psalteria Mediolanen. S. Germani, Carnut. Arabs non legunt *adhuc*; sed extat in Hebræo.
10 Isai. 63. 9. מלאך פניו הושיעם 11 Exod. 25. 30. לחם פנים לפני תמיד 35. 13. & alias.
12 מה תשתוחחי נפשי ותהמי עלי הוחלי לאלהים כי עוד אודנו ישועות פניו.
13 Aquil. Τί κατακύπτεις . . . ἀνάμεινον τὸν Θεὸν, ὅτι διηνεκῶς ἐξομολογήσομαι αὐτῷ ταῖς σωτηρίαις τοῦ προσώπου αὐτοῦ, Θεός μου. 14 Symmach. Τί κατακάμπτῃ ἡ ψυχή μου, καὶ τί θορυβῇ κατ' ἐμοῦ; ἀνάμεινον τὸν Θεὸν, ὅτι διηνεκῶς ἐξομολογήσομαι αὐτῷ τὰς σωτηρίας τοῦ προσώπου αὐτοῦ. 15 ישועות פניו אלהי *Salutes vultus ejus, Deus meus*: vel ישועות פני ואלהי *Salutes vultus mei, & Deus meus*. 16 Psalter. Rom. *A meipso*.

gunt montem Sinai, ad cujus radices Hebræi conflaiunt, atque adoraverunt vitulum aureum. Non tamen modicus mons est Sinai, si illis fidem adhibeas, qui illum viderunt. Alii putant, Modicum hunc montem esse ipsum *Hermon*. Sed Montes Hermon trans Jordanem maxime procceri erant, & sublimes. Nonnulli tamen ajunt, quemdam montem Hermon fuisse citra Jordanem ad meridiem Campi Magni. Sed ambigendi locus est, utrum aliquis eo in loco fuerit mons, qui antiquitus Hermon nomine appellaretur. Rabbini quidam credunt, in Judæa montem adfuisse, vel etiam urbem, quæ *Mizar* dicebatur; quod nomen hic redditur *modicum*; verum urbis hujus, vel montis situm ignorant; & nemo plane id scivit unquam; nulla enim suppetit ratio, qua loci hi umquam fuisse probentur.

Ego vero crederem, Psalmistam hic de monte Sehir loqui. En porro, quomodo Hebraicum textum reddo [1]: *Se se abjicit anima mea, statum considerans, ad quem redactus eram; quamobrem tui recordabor, cum ero in terra Jordanis, & Hermon*, in regione *montium, in Sebir* [2]. Ut me consolarer, & languentem, exanimemque animum meum recrearem, illi dixi: Videbo Dominum in terra Jordanis, in Palestina, *in regione Hermon*, trans Jordanem, atque ad radices montium Galaad, & Hermon; videbo illum, & recordabor illius *in montibus nostris, & in Sehir*, in Montibus Juda, & Ephraim, ac in Sehir monte Idumææ. Anima mea dolore conficeris speciosam, uberemque regionem tuam, Jordanis fluvium, Montes Hermon, & Sehir concupiscens; consulare, hæc omnia rursus aliquando intueberis. Deus promisit tibi, se in patriam tuam te esse revocaturum.

℣. 9. ABYSSUS ABYSSUM INVOCAT, A VOCE CATARACTARUM TUARUM;] a voce aquarum, quas demittis, vel a strepitu cataractarum Cœli, quas aperis, ut in nos malorum cataclysmum dejicias, quemadmodum Diluvii tempore eas aperuisti, ut faciem terræ inundarent [3]. In Scripturarum Stylo [4] inundatio, & aquarum copia plerumque magnas calamitates significant. Nosmet malis, quorum nullus est finis, obrutos cernimus. Ea sibi invicem succedunt, alia ab aliis trahi quodammodo videntur. Patriæ nostræ excidium transmigratio in alienam terram excepit. Postea captivitas, & servitus ingruerunt. Servitus paupertatem invexit, contumelias, minas, convicia, labores, innumerabilesque calamitates. Hoc pacto vere dicere possumus, *Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt*, & irruerunt in me.

Hebræus ad litteram [5]: *Abyssus appellat abyssum, voce*, strepitu, tonitru, *cataractarum tuarum*, vel styllicidiorum, vel lapsuum aquarum. *Omnes procellæ tuæ*, afflictiones, & tormenta, quibus homines punis, *& fluctus tui transierunt super me*. Abyssus maris, vel aquarum inferiorum appellavit abyssum supe-

A riorum aquarum [6], videlicet immensa illa aquarum excipula, quæ Deus in nubibus tenet [7]. Ad eas autem vocandas utitur tonitru, quæ Dei vox est [8]. Hæ aquæ veluti ex consensu congregatæ sunt ut me obruerent, ac super me transirent. Aquæ cœlestes descenderant, ut aquarum maris copiam augerent, majoresque fluctus facerent, ac magis terribilem tempestatem cierent ad me submergendum. Hæc audacissima sane est metaphora, cujus ut pulchritudinem admireris, scias oportet, Hebræos in Cœlo putasse quædam aquarum excipula iis ferme, quæ in mari insunt, similia: ita ut Deus, ut pluviam immittat, nihil aliud facere debeat quam illa aperire, ac permittere, ut aquæ inde dilabantur.

℣. 11. IN DIE MANDAVIT DOMINUS MISERICOR-
B DIAM SUAM, & NOCTE [9] CANTICUM EJUS.] Quamvis tot calamitatibus, atque afflictionibus exagitor, tamen die, ac nocte Domini laudes enunciabo. In adversis æque, ac in prosperis Domini Providentiam venerabor, illius misericordiam, ac veritatem laudibus extollam. Nox tempus adversum, dies vero prosperum possunt significare. Vel juxta Hebræum [10]: *Præcipiet Dominus misericordiam per diem; noctu vero Canticum illius me occupabit*. Noctu laudes ejus concinam. Dominus emicare faciet super nos lumen misericordiæ suæ. Expectans, quoad afflictionum nox persliterit, eum laudibus extollere, laudesque canere non cessabo.

℣. 12. DICAM DEO: SUSCEPTOR MEUS ES.] Hebr. [11] Dicam Domino: *Petra mea* (℣. 1. 5.) *cur ob-*
C *litus es mei?*

℣. 13. QUARE OBLITUS ES MEI? ET QUARE TRISTIS INCEDO &c.?] S. Augustinus, S. Ambrosius, Cassiodorus, Antiqua Psalteria, Romanum, Carnutense, ac S. Germani nonnihil addunt: *Quare oblitus es mei, & quare me repulisti? Quare tristis incedo?* &c. Quod ex ℣. 2. Psalmi sequentis desumptum est.

℣. 14. DUM CONFRINGUNTUR OSSA MEA [12] EXPROBRAVERUNT MIHI, QUI TRIBULANT ME INIMICI MEI [13].] Babylonii nos laboribus opprimunt, atque inaudita crudelitate persequuntur. Sed ex omnibus malis, quæ per illos patimur, non aliud ægrius ferre possumus quam convicia, quæ jugiter in nos ingeruntur ab iis, qui nos interrogant: Ubi est Deus tuus? Unum hoc tantummodo me potest con-
D solari; videlicet quod tibi quondam laudes recinere debeo in Templo sancto tuo, atque Patriam meam mihi dilectissimam rursus intueri. En textum Hebraicum [14]: *Dum illi occidunt ossa mea*, dum mihi illa confringunt, *inimici mei in me tota die ingerunt probra, dicentes mihi; Ubi est Deus tuus?* Hoc pacto persecutores in J. C. Martyres deszviebant. Non satis erat illis, eos excruciare, eorumque ossa conterere; verum eos conviciis, probris, atque calumniis obruebant.

---

1 עלי נפשי השתוחח על כן אזכרך מארץ ירדן וחרמונים מהר מצער Symmach. Ἡ ψυχή μου κατατήκεται ὅτε ἀναμιμνήσκομαί σε ἀπὸ γῆς Ἰορδάνου, καὶ ἀπὸ ἑρμονιείμ ὄρος μικρότατον. 2 Lego מהר משעיר, pro מהר מצער
3 Genes. 7. 2. *Cataractæ cœli apertæ sunt*. 4 Psal. 31. 6. Nahum. 1. 8. Isai. 8. 8. 17. 13. 28. 2. Dan. 11. 10. &c. 5 תהום אל תהום קורא לקול צנוריך כל משבריך וגליך עלי עברו Sym. Ἄβυσσος ἄβυσσον ἐπιφωνεῖ, ἀπὸ ἤχου τῶν καταρρακτῶν σου. 6 Genes. 1. 7. 7 Vide Psal. 32. 7. Job. 26. 8.
8 Psalm. 27. 14. Job. 37. 4. 5. Psal. 28. 3. 4. 5. &c. 9 Edit. Roman. Καὶ νυκτὸς δηλώσει. August. & Cassiodor. *Nocte declarabit*, Psalter. Roman. & German. *Nocte declaravit*. Neutrum legit: *Canticum ejus*.
10 יומם יצוה יהוה חסדו ובלילה שירה עמי תפלת לאל חיי 11 אומרה לאל סלעי
12 August. *Dum confringit ossa mea*. Ita 70. Rom. 13 S. Augustinus, Psalteria Romana, Carnuten. S. Germani, Editio Sixti V. & 70. Romanæ edit. non legunt, *inimici mei*. Editio Complutensis, & Psalterium Mediolanense habent, *inimici mei*; non autem, *qui tribulant me*. Hebræus habet solum צררי, quod verti potest, *inimici mei*, vel, *qui tribulant me*. 14 ברצח בעצמותי חרפוני צוררי באמרם אלי כל היום איה אלהיך Sym. Ἐν τῷ κατακλᾶσθαι τὰ ὀστᾶ μου, ὠνείδιζόν με οἱ θλίβοντές με.

PSALMUS XLII.

Sequuntur questus, & Preces, quas Domino Babylonis Captivi effundunt.

Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Psalmo huic nullus præfigitur titulus in Hebræo, quemadmodum Græci ipsi [1], qui inscripserunt, *Psalmus David*, nos admonent. Rabbini putant, hunc a Davide fuisse compositum, cum apud Philisthinos se se recipere coactus fuit [2]. Syrus vero illum refert ad tempus, quo Jonathas certiorem fecit David, Saulem illi mortem se illaturum decrevisse. Ex sola Psalmi hujus lectione, patet, nihil aliud esse, quam superioris continuationem. Secundus hujus Psalmi Versiculus idem est ac sextus præcedentis, & sextus hujus idem ac tertius, & decimus quintus XLI. Nos illum cum Theodoro Heracleota, Theodoreto, Euthymio, Beda, & plerisque recentiorum Interpretum explicabimus, veluti orationem Judæorum captivorum Babylonis, qui spe reditus sui consolantur. Hic opus est filiorum Core, non secus ac superior, & ii, qui sequuntur.

1. JUdica me, Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me. 2 Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? 3 Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. 4 Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem meam. 5 Confitebor tibi in cythara, Deus, Deus meus; quare tristis es, anima mea? & quare conturbas me? 6 Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

℣. 1. JUDICA ME, DEUS, & DISCERNE CAUSAM MEAM [3] DE GENTE NON SANCTA AB HOMINE INIQUO &c.] Ad te provoco, Deus meus! Judica causam meam, tuere me adversus Babyloniorum calumnias, *gentis* hujus *non sanctæ*, populi hujus impii, perfidi, iniqui, & dolosi. Vel: Me tuere Deus meus! suscipe causam meam adversus Babylonios, Nationem hanc, impiam, & contra Nabuchodonosor, hominem injustum, atque dolosum. Hebr. [4] *Judica me, Domine; age causam meam*, esto mihi patronus, & Judex, *adversus Nationem hanc absque pietate*, misericordia, charitate; libera me de homine doloso, & perverso.

℣. 2. QUARE TRISTIS INCEDO, DUM AFFLIGIT ME [5] INIMICUS.] Heb. [6] *cur pulla veste indutus incedam, cum interim affligat me inimicus*, & illudat mihi? Chaldæus: Cur in tenebris ambulabo?

℣. 3. EMITTE LUCEM TUAM, & VERITATEM TUAM: IPSA ME DEDUXERUNT, & ADDUXERUNT IN MONTEM SANCTUM TUUM.] Textus Septuaginta [7], & Vulgatæ per præteritum tempus efferunt; sed Hebræus per futurum; quo in sensu intelligendum esse orationis decursus efflagitat. Domine, densissimis in tenebris versamur; immitte nobis lumen tuum. Impatienter præstolamur effectum promissionum tuarum, & misericordiæ tuæ. Mitte ad nos veritatem tuam. Ea, quæ per Prophetas tuos pollicitus es mihi, adimple. Educ nos de ista captivitate: Redde nobis lumen vultus tui, vel auxilii tui. Patres per *lucem*, & *veritatem* J. C. intelligunt [8]. S. Cyrillus pro *luce* Filium, pro *veritate* Spiritum Sanctum interpretatur. Rabbini veteres, Jarchi teste, similiter *lumen* de Messia explicabant.

IN MONTEM SANCTUM.] Usque ad Templum Jerusalem, in monte Sion positum. Hoc ardentissimum erat votorum omnium Israelitarum in captivitate degentium, ac præsertim Sacerdotum, ac Levitarum, revisendi Templum Domini, eumque instauratum, atque sacrificiorum usum, ut antea restiturum videndi. In sensu mystico mons Sanctus est Ecclesia J. C.

℣. 4. INTROIBO AD ALTARE DEI; AD DEUM, QUI LÆTIFICAT JUVENTUTEM MEAM.] Levitæ sacra non faciebant; quod privilegium Sacerdoribus tantum reservabatur: verum ad Altare Domini accedebant, ut ibi laudes illius canerent, instrumentis psallerent, donec victimæ comburebantur. Hebræus habet [9]: *Introibo usque ad altare Domini, usque ad Deum, qui est lætitia voluptatis meæ*, vel in quo gaudium omne, hilaritatemque meam constituo. Syrus & Arabs a Vulgata non recedunt: *Qui lætificat juventutem meam*, & vox *Gil* tam Hebraice, quam Arabice adolescentem potest significare [10].

℣. 5. CONFITEBOR TIBI IN CYTHARA.] Hoc erat Levitarum munus, instrumentis musicis in Templo psallere. Præcipuum filiorum Core officium erat, fores Domus Dei tueri; sed Musicorum quoque munere fungebantur. Hebræus [11] hic habet *Kinnor* pro cythara, & Symmachus *Psalterium*. Videri potest Dissertatio nostra de musicis Hebræorum instrumentis.

℣. 6. SPERA IN DEO.] Vide Psalmum superiorem vers. ultimo.

PSAL-

1 Edit. Complut. Euseb. Theod. Euthym. Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ, ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις. Beda, Theod. Hugo Cardin. legunt: *In finem Psalmus David*. 2 Ita Mariana, Choisy, Moller. Bossuet, Vatab.
3 Psalter. Sanct. German. *Discerne justitiam meam*. 4 שפטני אלהים וריבה ריבי מגוי לא חסיד מאיש מרמה ועולה תפלטני 70. Euseb. Theod. Euthym. Κρῖνόν μοι. Edit. Rom. Κρῖνόν με. Sym. Κρῖνόν μοι, καὶ ὑπερδίκησον τὴν δίκην μου. 5 Hebr. 70. non legunt: *Me*. 6 למה קדר אתהלך בלחץ אויב
7 Αὐτά με ὡδήγησαν καὶ ἤγαγόν με εἰς ὄρος ἅγιόν σου. Hebr. המה ינחוני יביאוני אל הר קדשך Vide Theodoret. Heracleot. 8 Ita August. Hieronym. &c. 9 ואבואה אל מזבח אלהים אל אל שמחת גילי Symmach. Ἵνα τὸ ἐλθεῖν πρὸς τὸ θυσιαστήριον τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὸν Θεὸν τὴν εὐφροσύνην τῆς εὐθυμίας μου.
10 Vide Hammond. 11 בכנור 70. Ἐν κιθάρᾳ. Symmach. Ἐν ψαλτηρίῳ.

PSALMUS XLIII.

Psalmista narrat miracula, quæ Deus olim pro Populo suo est operatus. Quæritur de calamitatibus, quibus obrutus est: meliorem statum sperat, atque enixis precibus ex illis eripi efflagitat.

In finem, Filiis Core, ad intellectum.

ARGUMENTUM.

Non convenit inter Patres de Psalmi hujus argumento. Alii quidem [1] hunc referunt ad Babylonis captivitatem; & sane si plerique Psalmi, qui nomine Filiorum Core inscribuntur, ad tempus illud sunt referendi, quemadmodum superius ostendimus, hoc magnum præjudicium est, hunc ipsum ad eamdem circumstantiam referri. S. Basilius, S. Chrysostomus, Theodoretus, Theodorus Antiochenus, Euthymius, Beda, & recentiores quidam Interpretes eum ad Antiochi Epiphanis persecutiones transferunt. Qui si contenderunt, Psalmi Auctorem tunc temporis vixisse, sententiæ eorum subscribere non possumus; nullum enim eo tempore novimus Hebræum Auctorem divino afflatum spiritu; & satis constat post Esdram, nullius amplius opera in Sanctarum Scripturarum Canonem inserta fuisse. Sin autem simpliciter intellexerunt, Psalmi hujus Auctorem Regis illius persecutiones fuisse vaticinatum, non adversabimur. Hoc enim systema nihil habet absurdum. S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, Hesychius, Psalmum hunc de Christianæ Religionis Martyribus interpretantur, & Apostolus ad Rom. 8. 36. locum hujus adfert, quem ad persecutiones transfert, quas primi Fideles patiebantur. Illis equidem totus Psalmi decursus quadrat. Verum prius inquirendum esse reor in Veteri Testamento historicum argumentum, pro cujus occasione Psalmus compositus fuerit, antequam ad Martyres nostros fiat applicatio. Itaque illum primum quidem de Babylonis captivis, mox vero de Sanctorum persecutionibus explicabimus.

1. DEus, auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis. 2 O-
pus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis, 3 Ma-
nus tua gentes disperdidit, & plantasti eos; afflixisti populos, & expu-
listi eos: 4 Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non
salvavit eos: 5 Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui:
quoniam complacuisti in eis. 6 Tu es ipse rex meus, & Deus meus: qui man-
das salutes Jacob. 7 In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo
spernemus insurgentes in nobis. 8 Non enim in arcu meo sperabo: & gladius
meus non salvabit me. 9 Salvasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos
confudisti. 10 In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in
sæculum. 11 Nunc autem repulisti, & confudisti nos: & non egredieris Deus in
virtutibus nostris. 12 Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui ode-
runt nos, diripiebant sibi: 13 Dedisti nos tamquam oves escarum: & in genti-
bus dispersisti nos. 14 Vendidisti populum tuum sine pretio: & non fuit multi-
tudo in commutationibus eorum. 15 Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, sub-
sannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro. 16 Posuisti nos in si-
militudinem gentibus: commotionem capitis in populis. 17 Tota die verecundia
mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me. 18 A voce exprobran-
tis, & obloquentis: a facie inimici, & persequentis. 19 Hæc omnia venerunt su-
per nos, nec obliti sumus te: & inique non egimus in testamento tuo, 20 Et
non recessit retro cor nostrum: & declinasti semitas nostras a via tua. 21 Quo-
niam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis. 22 Si
obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum:
23 Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis. 24 Quoniam
propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis. 25 Exurge,
quare obdormis, Domine? exurge, & ne repellas in finem. 26 Quare faciem tuam
avertis, oblivisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ? 27 Quoniam humiliata
est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster. 28 Exurge,
Domine, adjuva nos; & redime nos propter nomen tuum.

1 Origen. S. Cyrill. Vide & Kimchi, Muis, Moller. Ferrand. du Pin.

℣. 1. DEUS, AURIBUS NOSTRIS AUDIVIMUS ... (℣. 2.) OPUS, QUOD OPERATUS ES, &c.] Id nobis compertum est, Domine, & Patres nostri edocuerunt nos: Tu olim pro populo tuo innumerabilia fecisti miracula; Reminiscimur eorum, quæ fecisti in Ægypto, in mari rubro, & in deserto prodigia. Patres nostros summa amplexus fuisti benevolentia. Verum quantum omnia immutata sunt! In nos severitatem tantummodo exerces. Hebr. [1] *Operatus es opus in diebus illorum in diebus antiquis.* A

℣. 3. MANUS TUA GENTES DISPERDIDIT, & PLANTASTI EOS.] Chananæos exterminasti, & Patres nostros in locum eorum adduxisti. Vel ut allegoriæ omnis pulchritudo servetur: *Evulsisti* Chananæos, tamquam inutilem, nocuamque arborem, *& plantasti Patres nostros*, tamquam uberem vineam. Scriptura sæpius hanc figuram vineæ consitæ, & Dei manu in terra Chanaan excultæ, usurpat [2]. Hebræus verti potest [3], id præcedentibus adnectendo: *Mirabilia opera fecisti diebus Patrum nostrorum: Tu es a diebus antiquis. Manus tua extirpavit Nationes &c.* S. Ambrosius hoc ad Gentilium vocationem refert. B

AFFLIXISTI POPULOS, & EXPULISTI EOS.] Immisisti adversus illos nocuos muscarum exercitus, qui eos afflixerunt, & fugam corripere coegerunt [4]: Qui vero resistere voluerunt, omnes trucidati sunt. Aliis vero ingentem injecisti terrorem, qui immobiles effecti sunt, atque semet tuendo impares. Hebræus [5]: *Oppressisti*, afflixisti, male excepisti, percussisti *populos, & fecisti, ut germinarent*. Patres nostros multiplicasti, tamquam arborem, undequaque germina emittentem. Arboris allegoriam persequitur. Chananæos quidem grandine verberat, conteritque; Hebræos vero, fructus afferre facit. Aliter: *Populos afflixisti, & Patres nostros in libertatem asseruisti*. Ægyptios plagis tuis percussisti, Patres vero nostros de servitute eduxisti. C

Chaldæus totum hunc versiculum de inimicis Populi Dei explicat: *In manus tuæ virtute ejecisti Chananæos, & partem eorum plantasti in eorum terra, in medio filiorum Israel. Contrivisti gentes, & consumpsisti eas.* Posset quoque e contra totus de Israelitis intelligi: *Potens manus tua introduxit in terræ hujus possessionem Nationem* Hebræorum, *& tu plantasti eam. Tu pastor fuisti populi hujus, eumque in libertatem asseruisti*. Verum præferre malim sensum Vulgatæ, ac Septuaginta; vel hunc; *Evulsisti Chananæos, & plantasti populum tuum. Percussisti plagis tuis Ægyptios, & populum tuum in libertatem eduxisti.* D

℣. 4. NEC ENIM IN GLADIO SUO POSSEDERUNT [6] TERRAM.] Chananæi invisibili manu fuere percussi, ac victi terrore a Deo immisso multo magis, quam armorum vi: *Novi, quod Dominus tradiderit vobis terram*, ajebat Rahab ad exploratores Josue 2. 9. *etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ*. Et Josue paulo antequam vita excederet in Israelitarum concione, inquit 24. 12. Chananæos *tradidi in manus vestras: misique ante vos crabrones; & ejeci eos de locis suis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio, nec in arcu tuo*. E

℣. 5. SED DEXTERA TUA, & BRACHIUM TUUM, & ILLUMINATIO VULTUS TUI.] Hæc ea sunt, quæ illis victoriam refertissimam compararunt, auxilium manus tuæ, virtus brachii tui, benignus adspectus tuus, Angelus tuus Dux eorum.

COMPLACUISTI IN EIS.] Eis favere dignatus es; Eos elegisti, exterisque aliis terrarum populis prætulisti, qui in hoc illi essent meriti. S. Augustinus, S. Ambrosius, Cassiodorus, ac Romanum Psalterium legunt: *Quoniam complacuisti tibi in eis*.

℣. 6. QUI MANDAS SALUTES JACOB.] Tu potentissimus es Rex, qui præcipis, & salvos facis; unum tantummodo verbum dicas, satis est, ut vincula nostra confringas. Hebræus [7]: *Deus meus, tu noster es Rex: ede mandata tua pro salute Jacob*. Educ nos de hac servitute, in qua miserrime versamur.

℣. 7. IN TE INIMICOS NOSTROS VENTILABIMUS CORNU [8].] In te vim inveniemus, qua inimicos nostros subvertamus; Ad litteram: Per te inimicos nostros cornu petentes in aera projiciemus. Eadem facilitate, eos dissipabimus, qua taurus terram, vel paleam, quam forte iratus invenit, in aera spargit. Locutiones hæ Scripturis apprime sunt familiares [9].

SPERNEMUS INSURGENTES IN NOBIS.] Hebr. [10] *Eos pedibus obteremus*. Hæc omnia in præteritum tempus transferre mallem: Olim, Domine, spernebamus inimicos nostros, eos cornibus petebamus, pedibusque obterebamus.

℣. 8. NON ENIM IN ARCU MEO SPERABO.] Sentio quidem, Domine, mihi eo in statu, quo sum, abs te uno auxilium esse præstolandum. Vel per tempus præteritum efferendo: Tu, Domine, victoriam, atque robur tribuisti nobis, cum inimicos nostros fudimus. Non arcus, non gladius eas nobis de hostibus palmas compararunt: ii quippe numquam fiduciæ nostræ fuere argumentum.

℣. 9. SALVASTI ENIM NOS.] Fatemur, Domine, uni tibi salutis nostræ gloriam acceptam referimus. Nonnulli [11] in futurum tempus remittunt. Tu unus de miserrimo hoc statu liberalis. Verum Vulgatam sequi libet. Tu, Domine, salvasti Patres nostros.

℣. 10. IN DEO LAUDABIMUR TOTA DIE.] Ipsum unum, si quid nobis fauste, feliciterque cesserit, Auctorem feremus; Te unum libertatis nostræ fontem prædicabimus. Alienigenæ, qui reditus nostri testes erunt, omnem Deo gloriam referent. Hebræus [12]: *Dominum laudabimus tota die*; vel in eo lætabimur. Vel potius juxta sensum, quem superioribus versiculis proposuimus: Transactis sæculis, eo tempore, quo nos benefactis cumulabas, & antequam a populo tuo recederes, in te gloriabamur, Domine, ex nomine tuo gloriam captabamus, nosque tuos esse jactabamus. Hoc erat spei nostræ, & gloriæ argumentum: hinc triumphi, hinc hilaritatis plausus, hinc lætantium voces. Verum quomodonam omnia immutata sunt? *Nunc autem repulisti &c.*

℣. 11. NUNC AUTEM REPULISTI, & CONFUDISTI NOS.] Tu nos per contemptum abjecisti; preces nostras non audis, nullumque erga nos amoris signum ostendis, eo quod repulimus te, ideoque indignationem tuam meriti sumus: *Peccator non repellitur, quia ipse se repellit*, ait S. Ambrosius. Non dignaris amplius in nos respicere. Si adversus inimicos nostros prodire audemus, ab illis dissipamur, & in fugam conjicimur, quoniam non es amplius nobiscum, neque exercitus nostros tueris: *Et non exibis, Deus, in virtutibus nostris* [13].

℣. 12. AVERTISTI NOS RETRORSUM POST INIMICOS NOSTROS.] Olim eos fugabamus, hodie fugimus. Hebræus, & Septuaginta ad litteram [14]: *Fecisti ut terga magis verteremus, quam inimici nostri*. Adversum nos

---

1 פעל פעלת בימיהם בימי קדם   2 Vide Psalm. 79. 9. Isai. 5. 1. & seq. & Jerem. 2. 21, 12. 10. Ezech. 17. 6. Matth. 21. 33. 39.   3 בימי קדם ידך גוים הורשת
4 Exod. 23. 28. Deuter. 7. 20. Josue 24. 12. Sap. 12. 8.
5 תרע לאמים ותשלחם Aquil. Ἐξωθίσας αὐτούς. Symmach. Ἐξέλασας αὐτούς. תשלחם
6 August. *Hæreditate possederunt*. 70. Ἐκληρονόμησαν.   7 אתה הוא מלכי אלהים צוה ישועות יעקב Symmach. Ἐντειλαι περὶ τῆς σωτηρίας τοῦ Ἰακώβ.   8 August. non legit, *Cornu*.
9 Deut. 33. 17. 3. Reg. 22. 11. Psalm. 91. 11. Jerem. 48. 25.   10 נבוס קמינו
11 Theodor. Heracleot. Theodoret. alii.   12 באלהים הללנו כל היום Aquil. Ἐν τῷ Θεῷ καυχησόμεθα. Symmach. Τὸν Θεὸν ὑμνοῦμεν ὅλην τὴν ἡμέραν, καὶ τῷ ὀνόματί σου ἐξομολογησόμεθα εἰς τὸν αἰῶνα.
13 Symmach. Σὺν ταῖς στρατιαῖς ἡμῶν. Hebr. בצבאותינו 70. Ἐν ταῖς δυνάμεσιν.
14 תשיבנו אחור מני צר 70. Ἀπέστρεψας ἡμᾶς εἰς τὰ ὀπίσω παρὰ τοὺς ἐχθροὺς ἡμῶν.

nos pro hostibus nostris plura fecisti, quam quæ olim pro nobis adversus illos feceras. S. Ambrosius, S. Augustinus, Psalteria Romana, Mediolanensia, & S. Germani: *Avertisti nos retrorsum pro inimicis nostris*. Symmachus [1]: *Posuisti nos post inimicos nostros*. Illis adversum nos opem tulisti. Ipsi manubiis nostris onusti incesserunt: vel nos ipsi pars prædæ ipsorum sumus: *Qui oderunt nos, diripiebant sibi*.

℣. 13. DEDISTI NOS TAMQUAM OVES ESCARUM.] Tamquam oves, quæ ad lanium ducuntur, vel quæ belluarum præda deferuntur [2]: *Quasi gregem ad vorandum*, S. Hieronymus inquit.

IN GENTIBUS DISPERSISTI NOS.] Post bella a Regibus Assyriis, Chaldæisque adversus Reges Juda, & Israel bellata, & post Tribuum dispersionem sub Theglathphalassar, Salmanasar, & Nabuchodonosor Hebræi in omnes Orientis Provincias dissipati sunt, & asseri potest, dispersionem hanc adhuc vigere, cum plerique, qui iis in regionibus sedem sibi elegerant, numquam inde reversi fuerint.

℣. 14. VENDIDISTI POPULUM TUUM SINE PRETIO; & NON FUIT MULTITUDO IN COMMUTATIONIBUS EORUM.] Gratis populum tuum inimicis suis tradidisti; vel illum pretio vili, vel quasi pro nihilo vendidisti, & nihil in illius permutationem poposcisti. Ita quoque dicebat Isajas 55. 1. *venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac*; venite, gratis accepturi. Hebræus [3]: *Vendidisti populum tuum sine lucro, & sine fœnore*, vel sine utilitate. Vel: *Vendidisti populum tuum sine quæstu, neque expectasti, ut ingravesceret pretium emptionis eorum*. Eos tamquam malos servos primo offerenti tradidisti, quin expectares, donec illorum augeretur pretium [4]. Fecisti non secus ac illi, qui mercem aliquam cupiunt expedire; non tam lucrum capere quærunt, quam eam venumdare, ac abalienare. Isajas 52. 3. eodem ferme sensu Judæos allocutus dicebar: Consolare, popule meus; *Gratis venumdati estis*, & pro nihilo; *& sine argento redimemini*, quin ullum pro vobis pretium pendatur. Et 50. 2. *in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram*. Vos tamquam inutiles, vilesque servos abjeci, & matrem vestram, veluti meretricem, ac corruptæ sobolis matrem.

Septuaginta [5] inter se hoc in loco discrepant, eorumque diversitas in Versionibus quoque Latinis peperit varietatem. Exemplaria quædam legunt: *Vendidisti populum tuum pro nihilo; & non erat multitudo in jubilationibus eorum*. Neque aliter legit S. Augustinus, quod, uti explicant Diodorus, ac S. Athanasius, innuit: Tu tradidisti nos parvo hostium numero, qui ingentem de nobis, facilemque victoriam retulere. Græca vox *Alalagma* victoriæ clamorem significat. Vel: Nemo fuit inter nos, qui vocem suam, clamoremque emiserit, ut a te peteret misericordiam; quam lectionem S. Athanasius, Hesychius, & Psalterium Æthiopicum amplectuntur. Alii a Vulgata non recedunt [6]: *& non fuit multitudo in commutationibus eorum*. Non aderant mercatores, a quibus emerentur, vel pro illis nihil offerebatur, vel sine quæstu tradebantur [7]. S. Cyrillus Alexandrinus, Theodorus Heracleota, & Diodorus utramque legendi rationem agnovere; at posterior melior est. Aquila apud S. Ambrosium: *Vendidisti populum, ut non esset*.

℣. 16. POSUISTI NOS IN SIMILITUDINEM GENTIBUS; COMMOTIONEM CAPITIS IN POPULIS.] Cum de infelici populo sermo occurrit, nos in exemplum adducimur [8]. Hebræos adspice, inquiunt, vide, quem in miseriæ statum Deus impios populos adigat. Cum populo alicui gravissima quis imprecatur mala, hæc ait; Æque calamitosus fias, ac populus Hebræus; nosque adspiciens per ludibrium atque stuporem caput quatit [9]. Potest ne quis in statum redigi miseriorem. Ita Deus in impium genus suam ultionem exercet.

℣. 18. A VOCE EXPROBRANTIS, & OBLOQUENTIS.] Dum Chaldæi mihi dicunt: Ubi est Deus tuus? ac in me calumnias, atque probra ingerunt: seditionis, atque defectionis nomine me insimulant. Me enim perfidam, inquietamque nationem vocant, quæ per infidelitatem, perfidiamque, bellum, extremumque sibi conflavit excidium. Symmachus, & S. Hieronymus Hebræum vertunt [10]: *A voce exprobrantis, & blasphemantis*. Cum exprobrationes, atque blasphemias inimicorum meorum audio, exprobrationes quidem, & contumeliæ in me, blasphemiæ vero in te, Deus meus, evomuntur.

℣. 19. NEC OBLITI SUMUS TE, & INIQUE NON EGIMUS &c.] Neque perfregimus fœdus, quod nobiscum icisti. Filii Core hic suo, & Judæorum illorum, qui in medio captivitatis fideles Domino adhæserant nomine, loquuntur. Non irrisiones, non objurgationes, non hostium nostrorum contumeliæ, non probra, non convicia nos in idolorum cultum, in vanas superstitiones, in consuetudines Legibus, ritibusque nostris oppositas illexere. Hebræus verti potest [11]: *Non obliti sumus tui, neque mentiti sumus in testamento tuo*. Non defuimus muneri, & promissionibus nostris. Symmachus [12]: *non quæsivimus ambages*, inutiles rationes, nullas causas prætexuimus, ut *fœderis tui* legibus *solveremur*. Ad litteram; *non fefellimus fœdus tuum*.

℣. 20. ET NON RECESSIT RETRO COR NOSTRUM, & DECLINASTI SEMITAS NOSTRAS A VIA TUA.] Textus Hebræus, Græcus, & Latinus ad litteram habent: Cor nostrum non recessit retro, & tu dimovisti gressus nostros a via tua; quod perniciosum sane sensum adstruit. Sed Interpretum plerique [13] in altero membro prioris negationem supplent: tu vero *non declinasti semitas nostras a via tua*. Non permisisti, ut Legem tuam derelinqueremus, atque a recta mandatorum tuorum semita deflecteremus.

Non desunt tamen plurimi, qui mordicus ad litteram Hebræo [14], & Septuaginta adhæreant [15]. Scis, Domine, cor nostrum numquam a te recessisse, quamquam nobis occasionem objeceris, a via tua deflectendi per ea mala, quibus nos obrui passus es [16]. Tot calamitates potuissent nos concutere, atque de fidei proposito dimovere, nisi tibi, uti fideliter adhæsimus, hæsissemus. Aliter: *Declinasti vias nostras a semitis suis*. Ex quo tuum nobis præsidium, auxiliumque negasti, infelices facti sumus. In sævissimas delapsi sumus calamitates, ex quo nobiscum non ambulas, neque nos regis. Aliter [17]: Declinasti gressus nostros a viis tuis: nos in captivitatem redegisti ea in regione, quæ

1 Symmach. Ἔταξας ἡμᾶς ὀπίσω πρὸς τοὺς ἐναντίους, καὶ οἱ μισοῦντες ἡμᾶς διηρπάζον ἑαυτοῖς.
2 תתננו כצאן מאכל Symmach. Ἔδωκας ἡμᾶς ὡς βοσκήματα βρώσεως.
3 תמכר עמך בלא הון ולא רבית במחיריהם 4 Diodor. Ita Grotius.
5 Edit. Rom. & Complut. Ἀπέδου τὸν λαόν σου ἄνευ τιμῆς, καὶ οὐκ ἦν πλῆθος ἐν τοῖς ἀλαλάγμασιν αὐτῶν.
6 Alii libri: Καὶ οὐκ ἦν πλῆθος ἐν ἀλλάγμασιν αὐτῶν. Ita Codd. Reg. & Colbert. apud Ferrand.
7 Theodotion. Οὐκ ἦν πλεονασμὸς ἐν τῷ ἀλλάγματι αὐτῶν. Symmach. Ἀπέδου τὸν λαόν σου οὐκ ὑπάρξεως, καὶ οὐ πολλὴν ἐποίησας τὴν τιμὴν αὐτῶν. *Tradidisti populum tuum absque substantia, & non magnifecisti pretium eorum*.
8 Vide Deut. 28. 37. 3. Reg. 9. 7. Jerem. 24. 9. 9 4. Reg. 19. 21. Thren. 2. 15. Psalm. 21. 8.
10 מקול מחרף ומגדף Symmach. Ἀπὸ φωνῆς ὀνειδίζοντος, καὶ βλασφημοῦντος.
11 ולא שכחנוך ולא שקרנו בבריתך 12 Symmach. Οὐδὲ παρελογισάμεθα τὴν συνθήκην σου. Hieronym. *Obliti non sumus tui, nec mentiti sumus in pacto tuo*. 13 Abenezr. Kimchi, Varab. Muis, Pagn. Munst. Pisc. Geier. Castal. Syr. Bellar. Symmach. Οὐδὲ μετετέθη τὰ ὑποβήματα ἡμῶν ἀπὸ τῆς ὁδοῦ σου. Hieronym. *Nec declinaverunt gressus nostri a semita tua*. 14 לא נסוג אחור לבנו ותט אשרנו מני ארחך
15 70. Καὶ οὐκ ἀπέστη εἰς τὰ ὀπίσω ἡ καρδία ἡμῶν, καὶ ἐξέκλινας τὰς τρίβους ἡμῶν ἀπὸ τῆς ὁδοῦ σου. 16 Theodoret. Vide & Muis. 17 Theodoret. Heracl. & Euthym.

quæ propter civium nefaria flagitia usquequaque corrupta est; removisti nos a via Templi tui, quo, ut tibi inservíremus, jugiter confluere consueveramus.

℣. 21. HUMILIASTI NOS IN LOCO AFFLICTIONIS [1], & COOPERUIT NOS UMBRA MORTIS.] Hic Babylone in humiliatione, afflictione, tenebris, umbra mortis, & quodammodo in sepulchro versamur; hoc est in captivitate, exilio, servitute, procul a patria. Hæc Vulgata est Scripturarum ratio loquendi.

Hebræus [2]: *Confregisti nos in loco draconum maris, & abscondisti nos in umbra mortis*. Abjecisti nos usque in maris imum in medio magnorum piscium, & cete: Babylonios innuit. Nos in sepulchrum, ac in tenebricosum mortis regnum redegisti. Prophetæ [3] sæpius minitati sunt, Babylonem, & Jerusalem eum in statum abituras, ut marinis draconibus dumtaxat sedes B fiant, eodem ferme pacto, quo Sodoma, & Gomorrha, quæ aquis submersæ fuerunt. Aquila vertit [4]: *Confregisti nos in loco inhospitali*; Symmachus [5]: *in loco, qui sirenum sedes est*. Mortis umbra significare potest umbras similes umbris sepulchri, vel mortis, vel afflictionum, quæ sunt umbra, & imago mortis [6]; quas æque intolerabiles sunt, ac mors ipsa. Vel in

A spirituali sensu, umbra mortis est mors Martyrum [7]; quam nullus horror, nulli tristes eventus, qui mortem subsequi solent, consequuntur. Hæc nequaquam vera mors est, sed mortis umbra; atque in felicem vitam, æternamque beatitudinem desinit.

℣. 24. PROPTER TE MORTIFICAMUR [8].] Quotidie exagitamur, vexamur, irridemur propter Religionem. Babylonii utuntur vi, industria, minis, promissionibus, ut nos in idolorum suorum cultum pelliciant, quibus si resistimus, cruciatibus, igni, bestiisque objicimur, quod ipsum Daniel cum sociis experti sunt.

℣. 25. NE REPELLAS IN FINEM.] Num derelinquere nos cupis, quin umquam ad nos revertaris? In perpetuam ne servitutem nos hostibus nostris addixisti? Nullumne finem umquam hæc invenient mala.

℣. 27. HUMILIATA EST IN PULVERE ANIMA NOSTRA.] Vita nostra est quodammodo in sepulchri pulverem redacta. Ante te super pulverem, ac cinerem prostrati sumus [9]. In altissimæ humiliationis statu a te misericordiam petimus. Facies, corpusque nostrum omnino terræ, ac pulveri adhæsit.

1 August. *In loco infirmitatis* 70. Ἐν τόπῳ κακώσεως.
2 כי דכיתנו במקום תנים ותכס עלינו בצלמות Aquil. Ἐπεκάλυψας. 5. Edit. Ἐσκέπασας. Hebr. תכס
3 Vide Isai. 34. 13. 35. 7. Jerem. 9. 11. 10. 22 51. 37. 4 Aquil. Συνέθλασας ἡμᾶς ἐν τόπῳ ἀοικήτῳ, καὶ ἐσκέπασας ἡμῖν σκιᾷ. 5 Symmach. Ἐν τόπῳ σειρήνων.
6 Nicephor. hic. 7 Gregor. Moral. in Job lib. 4. cap. 17.
8 70. Θανατούμεθα. Psalter. Rom. Germ. Arnob. S. Ambros. *Morte afficimur*: Mediol. *Morte affligimur*.
9 Vide Isai. 49. 23. Mich. 7. 17.

PSALMUS XLIV.

Epithalamium Jesu Christi, & Ecclesiæ Christianæ. Descriptio pulchritudinis, ornamentorum, virtutis, justitiæ, veritatis Divini hujus Sponsi. Pulchritudo quoque, magnificentia, divitiæ Sponsæ ejus, quæ futura est mater frequentis, validæque posteritatis.

In finem pro iis, qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto.

ARGUMENTUM.

PRO HIS, QUI COMMUTABUNTUR . . . [1] CANTICUM PRO DILECTO. Qui textum hunc secuti sunt per hæc verba, *qui commutabuntur*, intellexere Fideles, qui vitiorum habitus exuunt, ut felici commutatione ad virtutis exercitationem migrent; alii [2] eos, qui ignorantiæ, vel Idololatriæ tenebras deserunt, ut veram Religionem amplectantur. S. Basilius vero ea de omnibus hominibus interpretatur, quorum vita jugibus vicissitudinibus, perturbationibusque est obnoxia.

Nos autem ita Hebræum vertimus [3]: *Psalmus ad erudiendum appositus, Moderatori Musices Filiorum Core inscriptus, ut instrumentis sex fides habentibus concinatur. Canticum dilectarum*, vel pronubarum, amicarum sponsæ. Hoc Epithalamium est illi ferme simile, quod Theocritus Idyll. 18. scripsit de nuptiis Helenæ, & Menelai (si tamen profana sacris componere licet,) ubi pronubæ sponsæ, sponsique laudes concinunt, eisque omne felicitatum genus comprecantur. Sponsus hic, ut ajunt, est Salomon; sponsa vero Pharaonis filia. Salomon, vel alius quipiam ævi illius Propheta Canticum hoc elucubratus est, quod deinde pronubis puellis traditum fuit in nuptiarum Regis solemnitate canendum; & mox Filiis Core in Templo veluti propheticum, ac divinum opus psallendum.

Sanctus Hieronymus Hebræum vertit. *Victori pro liliis filiorum Core, eruditionis Canticum amantissimi*. Aquila [4]: *Canticum Amoris Victori super lilia pro filiis Core sapientis*. Symmachus [5]: *Canticum eruditionis, victoriæ super flores pro filiis Core, super dilecto*. Dilectus hic est Salomon, qui *Jedidiah* vocatur, dilectus Domini [6]: Sed Hebræus habet *Jedidoth*, quæ vox *amores* potius significat. Canticum amoris, vel Epithalamium: vel potius: *Canticum dilectarum*: Pronubæ enim nuptiale carmen concinebant. Vox *Sosanim*,

1 August. & Psalter. S. German. & Carnot. *Pro his, quæ commutabuntur*.
2 Athanas. Cyrill. Euthym. 3 למנצח על ששנים לבני קרח משכיל שיר ידידות
4 Aquil. Τῷ νικοποιῷ ἐπὶ τοῖς κρίνοις τῶν υἱῶν Κορὲ ἐπιστήμονος ᾆσμα προσφιλίας.
5 Symmach. Ἐπινίκιον ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν, τῶν υἱῶν Κορὲ, συνέσεως ᾆσμα εἰς τὸν ἀγαπητόν.
6 2. Reg. 12. 25. *Vocavit nomen ejus, amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus*.

sanim, quam reddidere *lilla*, vel *flores* significare quoque potest instrumentum sex fides habens, vel Epinicion [1]. Vide nostram dissertationem de musicæ instrumentis.

Chaldæus, & Syrus Psalmum hunc ad Moysis tempora referunt; existimantque, cantatum fuisse a tribus filiis Core ex eo periculo elapsis, in quod pater eorum eeciderat, in honorem Moysis, & Seniorum, quos ille sibi elegerat, ut in populi regimine, & litium judiciis opitularentur. Nec longe abest ab hac sententia Genebrardus. Rabbini quidam, Coccejo teste, Psalmum hunc ad Abraham, & Saram, alii ad Davidis, & Bethsabee, alii ad Assueri, & Esther nuptias transferebant. Sed unanimis ferme Interpretum sensus asserit, in nuptiis Salomonis eum Ægyptii Regis filia fuisse compositum, atque in elatiori sensu de spiritualibus Jesu Christi cum Ecclesia sua nuptiis esse explicandum. Hæc Vulgata est Patrum, Christianorumque Interpretum sententia; cum hoc tamen discrimine, quod alii mordicus adeo spirituali huic adhæreant sensui, ut alium quemvis excludant, illud etiam de nuptiis Salomonis [2]. Alii [3] vero duplicem litteralem sensum inveniant. Primum historicum, & figuratum; nuptias scilicet Salomonis cum filia Regis Ægypti; alterum autem sublimiorem, qui eam continet veritatem, cujus prior illa tantum erat figura, & quæ re ipsa adimpleta est in Jesu Christi, & Ecclesiæ suæ conjunctione. Postremum hunc sensum in Commentariis persequemur in singulos versiculos, ea primum ostendendo, quæ ad Salomonem spectant, mox vero quemadmodum id, quod in Regis hujus persona, veluti in figura præcessit, fuerit in Jesu Christo adimpletum.

Rabbini [4] eum nobis consentiunt, Psalmum hunc ad Messiam referri. Verum inter ipsos, uti etiam inter nos discrimen hoc adest, quod aliqui illum de solo Messia explicant, alii vero de Salomone, vel Davide, & de Messia. Nos autem eorum utimur consensione ad ostendendum, Jesum vere esse Christum, quandoquidem psalmus hic adamussim illi singulis in partibus quadrat. Apostolus ad Hebr. 1. 8. illi hæc applicat Psalmi verba ex versiculis 7. & 8. deprompta; *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Reliqua pars Psalmi non est minus perspicua, neque minus gloriæ Jesu Christi suffragatur. Plures immo adsunt loci, qui ad litteram de Salomone explicari non possunt. Sponsus est Deus (℣. 7. & 11.) Filius Dei, & qui a Deo eodem inunctus fuit (℣. 8.) Hic bellicosus est princeps, & victor (℣. 4. 7.) Sed hi characteres nullo pacto Salomoni conveniunt, qui numquam in aciem descendit, & qui satis, superque sub extremum vitæ spatium se æque hominem, & æque humanis infirmitatibus obnoxium, ac exteros mortales ostendit. Sponsa vero est Regina, cujus filii in omnem terram erant dominaturi (℣. 17.) & cujus nomen celeberrimum futurum erat in futuras generationes (℣. 18.) & cui filiæ Tyri, atque urbes Tyro subditæ munera erant allaturæ, & vectigalia persoluturæ (℣. 14.) Sed nemo nescit, Roboamum, Salomonis filium, atque successorem nequaquam ex Pharaonis filia genitum; imperium vero illius, non solum in omnes terras non patuisse, sed neque ad omnem Israel se se extendisse; quoniam propter imprudentiam occasionem tribuit decem Tribuum secessioni. Præterea neque Salomon, neque Ægypti Rex, neque Roboam ullum obtinuere imperium vel in Tyrum, vel in urbes Tyro subjectas. Non igitur de Psalmo hoc dicendum est, quod de cæteris, qui Messiam directe respiciunt. Quidam loci adsunt, qui ad ipsum proprie tantummodo referuntur inter alios plurimos, qui communes sunt cum figuræ subjecto, & objecto historico Prophetiæ. Primus versiculus, atque secundus sunt veluti Auctoris prooemium. A ℣. 3. ad 11 pronubæ sponsum alloquuntur. In reliquo Psalmo eum Sponsa disserunt. Cantici totius stylus floridus est, elegans, venustus, qualis vere decet nuptiarum solemnitatem, et Magni Principis Epithalamium.

1. ERuctavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. 2 Lingua
mea calamus scribæ, velociter scribentis. 3 Speciosus forma præ filiis ho-
minum! diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æ-
ternum. 4 Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. 5 Specie tua,
& pulchritudine tua, intende: prospere procede, & regna. 6 Propter veritatem,
& mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. 7 Sagittæ
tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis. 8 Sedes tua, De-
us, in sæculum sæculi: virga directionis, virga regni tui. 9 Dilexisti justitiam,
& odisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ con-
sortibus tuis. 10 Myrrha, & gutta, & casia a vestimentis tuis, a domibus ebur-
neis: ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo. 11 Astitit Regina a
dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate. 12 Audi, filia, & vide,
& inclina aurem tuam: & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. 13
Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus: & ado-
rabunt eum. 14 Et filiæ Tyri in muneribus; vultum tuum deprecabuntur omnes
divites plebis, 15 Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, cir-
cumamicta varietatibus. 16 Adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus affe-
rentur tibi. 17 Afferentur in lætitia, & exultatione: adducentur in Templum Regis.
18 Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem ter-
ram. 19 Memores erunt nominis tui, in omni generatione, & generationem. 20 Pro-
pterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in sæculum sæculi.

Eru-

1 ששן significat *gratulationes*. Psal. 45. 8. 51. 10. 14. 105. 43. 118. 3.

2 Vide Genebr. hic. & Calov. Anti-Grot. Beza, Ferrand. 3 Muis, Jansen. Gandav. le Blanc, ad versic. 11. Bossuet, du Pin, Choisy, Grot. River. 4 Chald. ad vers. 2. 8. &c. Targ. ad vers. 7. Kimchi ad vers. 4. Abenezra, Rab. Salomo. Kabvenaki, & innumeri alii, etiam recentiores de Messia hunc Psalmum dumtaxat intelligunt, & Meir Arama consentire omnes ait, hunc Psalmum loqui de Messia. Muis, hic.

℣. 1. ERUCTAVIT COR MEUM VERBUM BONUM [1]; DICO EGO OPERA MEA REGI.] Insueto me ardore correptum sentio; divino afflatus sum enthusiasmo; cor meum illustria quædam prolaturum est; ego eximium Canticum editurus sum; Regi opus meum recitare volo; tibi, Princeps, Elogium hoc dedico. Hebr. ad litteram [2]: *Cor meum ebullit speciosum verbum*, vel pulchrum sermonem: *dico opera mea Regi*. Hæc *ebulliendi* locutio affabre Prophetæ enthusiasmum exprimit, qui se interiori correptum igne sentit, cui resistere nequit, & quo veluti invitus loqui cogitur. Symmachus [3]: *Cor meum commotum est bono sermone*. *Dico* isthic non significat dicare, vel dedicare, sed dicere. Propheta ita describit impetum Spiritus, quo animatur, & quo ad sensus suos effundendos adigitur [4]. Hic omnino divinus est Poeta, S. Hieronymus ad Principiam inquit, qui, quin profanorum Poetarum more Musas invocet, in ipso operis exordio ad eum se se convertit, cujus laudes est enarraturus.

Patres hoc [5] de æterna Filii generatione explicerunt. Pater Æternus produxit Verbum suum sibi æquale, ex corde, ex semet ipso, ex substantia sua; non quomodo creatas res extra se protulit. Per Verbum suum omnia creavit.

℣. 2. LINGUA MEA CALAMUS SCRIBÆ, VELOCITER SCRIBENTIS.] Lingua mea prolatura est Canticum eadem pernicitate, qua expeditus scriptor ea, quæ dictantur, exscribit. Plenus sum eorum, quæ mihi dicenda meditari non debeo; habenæ dumtaxat laxandæ sunt spiritui, quo afflatus sum. Cum Jeremias Prophetias suas dictavit Baruc [6], eas pronunciavit, quemadmodum si ex Commentario recitaret. Spiritus, qui erat in illo, eas dictanti suggerebat. Auctor quarti Libri Esdræ cap. 14. 39. 40. ait, cum ex allato poculo bibisset, se interiori igne aduri sensisse, mox dictare incœpisse, & dierum quadraginta intervallo, nec nocte, nec die cessasse. Prophetæ cum impetu loquuntur, & sermones eorum rite expedito Scriptori comparantur. Manilius l. 4. Astronom.

Quique notis linguam superet, cursimque loquentis.

Esdras in Scripturis [7] *scriba* doctus vocatur, & Hebræus hoc in loco habet [8]: *lingua mea est stylus Scribæ expediti*, & sapientis. Stylo utebantur ad scribendum in tabulis cera oblitis; & penna, vel potius *calamo* in papyro, vel membranis [9]. Nescio vero, utrum Salomonis tempore jam calamorum, & papyri usus invaluerat.

S. Augustinus hoc explicat de Verbi productione. Pater est veluti lingua, quæ parit Verbum; lingua hæc est tamquam stylus, qui efficit hoc Verbum permanens, non secus ac per Scripturam interius verbum, & cogitatio permanent, & tum absentibus, tum futuris sæculis communicantur. Juxta S. Hieronymum Jesus Christus ipse est calamus, vel stylus, qui in cordibus scribit. Ibi autem scribit Fidem, Spem, & Charitatem, idque ea pernicitate, ac velocitate, quæ nequit intelligi. S. Athanasius, & S. Ambrosius in Luc. l. 5. id de ea celeritate, qua filius Patris mandata perfecit, interpretantur.

℣. 3. SPECIOSUS FORMA PRÆ FILIIS HOMINUM [10] DIFFUSA EST GRATIA IN LABIIS TUIS.] Hic vere Canticum incipit. Pronubæ statim Sponsum alloquuntur; ejus primum speciem, elegantiam, venustatem, & præcipue gratiam, & decus in labiis ejus effusum; vel loquendi suavitatem, sermonis lepores, verborum gratiam commendant. Elogia hæc mirum in modum huic circumstantiæ conveniunt. In Salomone ea omnia effulgebant, quæ descriptionem hanc, hasque laudes merebantur.

Verum hæc omnia nihil erant, si veræ J. C. speciei conferantur, quæ magis in intimis animi perfectionibus consistebat [11], quam in exteriori corporis elegantia. Jesus Christus est speciosus in omnibus rebus, & in quovis statu, in eorum oculis, qui fidei lumine illustrantur, ait S. Augustinus. Speciosus in cœlo, speciosus in terra, speciosus in sinu Patris, speciosus in sinu Matris, speciosus in consanguineorum brachiis, speciosus in miraculis, in cruciatibus, in ludibriis; speciosus in Cruce, & in morte, speciosus in sepulchro, & Resurrectione. Si vera, & solida pulchritudo in Justitia consistit, pulcherrimus sane semper fuit Jesus Christus, quia semper Justissimus. *Summa enim, & vera pulchritudo Justitia est, si ubique Justus, ubique decorus*. Divina prorsus illi erat vis, ac virtus ad persuadendum. In operibus, & verbis potens erat Luc. 24. 19. Omnes verborum, quæ de illius ore prodibant, elegantiam admirabantur Luc. 4. 22. & inimici quoque ejus confitebantur, quod *numquam sic locutus est homo* Joan. 7. 46. Verbi illius virtus in Apostolorum ejus prædicatione præsertim enituit, nam brevi adeo temporis intervallo in omnem terrarum orbem diffusa est, uti S. Hieronymus animadvertit [12]. De corporali Jesu Christi pulchritudine videri potest Dissertatio nostra hac de re.

PROPTEREA BENEDIXIT TE DEUS IN ÆTERNUM.] Deus propter speciem tuam gratia sua, suisque favoribus te cumulavit. Hæc loquendi ratio est ex vulgo desumpta; perinde ac Deus, Salomonis forma, & elegantia illectus illi amicitiæ, ac benevolentiæ suæ signa præbuisset, in ipsum gratiam suam, omniumque benedictionum genera effundens. At verius asseri potest, gratiam hanc, ac Domini benedictiones in Salomonem effusas, & speciem illius, & elegans ingenium fuisse dona, quibus Deus illum ante quodvis meritum prævenerat. Hebræus [13] etiam ita reddi potest: *Diffusa est gratia in labiis tuis, eo quod benedixit te Deus*. Vel cum Rabbinis: *Diffusa est gratia in labiis tuis; propterea* ego dico, quod *benedixit te Deus*. Ex favoribus, quibus ab eo affectus fuisti, conjecturam capio. Scriptura 2. Reg. 12. 25. explicite ait, Regem hunc a Domino ab ipso nativitatis tempore amatum fuisse, & propterea a Nathan illi impositum fuisse nomen *Jedidiah*, amicus Domini. Quotnam favoribus illum prævenit Deus? præclara natura [14], sancta, felicique Institutione [15], magno animo, sublimi, perspicaci, & facili ingenio, mira sapientia [16], inaudita potestate, imperio vero, quod præ exteris tunc in Oriente latius patebat, immensis opibus, bonorum omnium affluentia [17]. En qui fuerit Salomon.

Verum hæc omnia nihil aliud erant, quam minima pars benedictionum, & gratiæ, quibus Jesu Christi humanitas fuit cumulata. Recepit ille benedictionum plenitudinem, atque inde factus est fons, onde eas nos quoque haurimus; ipse namque nobis ea omnia bona promeritus est, quæ per illius humanitatem sperare, & consequi possumus. Accepit ille primam gratiam, eam scilicet prædestinationis suæ ad gloriam hypostaticæ unionis cum Divinitate, eamque gratis accepit, absque ullo sui merito, sed ex mera Dei benedictione [18]: alias vero gratias, & infinitam gloriam, qua fruitur in Cœlo meritorum suorum virtute, atque in humi-

1 Tertull. contra Marcion. lib. 2. & 4. &c. *Sermonem optimum*.
2 רחש לבי דבר טוב אמר אני מעשי למלך 70. Ἐξηρεύξατο. *Eructavit*. Alius ἐξέβρασε.
3 Symmach. Ἐκινήθη ἡ καρδία μου λόγῳ ἀγαθῷ. 4 Chrysost. Theodoret. Basil. Euthym. Cassiodor. Genebr. Vatab. alii. 5 Athanas. August. Ambros. lib. de Bened. Patriarch. cap. 11. Quidam apud Euseb. alii. 6 Jerem. 36. 18. 7 1. Esdr. 7. 6. 8 לשוני עט סופר מהיר Symmach. Ἡ γλῶσσά μου ὡς γραφεῖον ὀξέως ταχύνει. 9 Hieronym. hic. 10 Tertull. advers. Jud. cap. 9. *Tempestivus decore super filios hominum*. Cyprian. Testim. 11. *Decorus specie super filios hominum*.
11 Chrysost. hic. 12 Hieronym. ad Principiam: *Omnis gratiæ multitudo in labiis Salvatoris effusa est, quæ in brevi tempore totum implevit orbem*. 13 הוצק חן בשפתותיך על כן ברכך אלהים לעולם
14 Sapient. 8. 20. 15 Prov. 31. 1. 2. 16 3. Reg. 4. 29. 30. Eccle. 1. 16.
17 Eccle. 2. 4. 5. &c. 18 August. de prædestinatione Sanctorum, cap. 15.

humiliationum, obedientiæ, passionis, & mortis præmium obtinuit [1]. A

℣. 4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime [2].] Specie, & gratia Salomonis celebrata, Pronubæ isthic illius bellicam virtutem commendant. Nullam præ cæteris summi viri laudem appetunt, quam fortitudinis, & gloriæ militaris. Nullibi sane legimus Salomonem bella intulisse: neque bellicæ laudes ejus uspiam a Scriptura laudantur; verum ut de aliquo hæc merito dici queant, satis est, si ille egregius futurus esse bellator existimetur, si occasio se obtulerit. Porro ille satis, superque animum suum in bella pronum ostendit, ingenti illo copiarum, equorum, & curruum numero, quos semper paratos in arcibus, quas ille communiverat, habebat [3]. Asseri potest, illi hostes tantummodo defuisse, ut militarem B scientiam, virtutemque in bellis ostenderet. Hebræus verti potest [4], *O Heros! accingere gladio tuo super femur tuum.* Hebræi gladium super femur gestabant, ut ex aliis pluribus Scripturæ locis innotescit [5]. Hebraica vox, quam Heroa reddidimus, vertitur nonnumquam Gigas [6], bellator, magnanimus vir, robustus.

Gladius, quo Jesus Christus se se præcinxit, ut adversus Dæmonem dimicaret, est, auctore Hieronymo, caro, qua ipse indutus est: vel potius, ut Patres cum Sancto Paulo ad Hebr. 4. 12. censent, est verbum illius penetrabilius omni gladio ancipiti. In ultione, atque ira sua impium subvertit ancipiti gladio, qui de illius ore egreditur, juxta S. Johannis visionem in Apocalypsi cap. 19. 15.

℣. 5. Specie, & pulchritudine tua intende: prosperè procede, & regna.] Imperii tui fines C latius protende, vel regnum tuum confirma. Textus Hebræus [7], & complures Veteres prima hujus versiculi verba superiori ita subnectunt. *Accingero, o Heros, gladio tuo super femur tuum cum majestate, & pulchritudine tua.* (℣. 5.) *& cum fulgore gratiæ tuæ evadas* victor in omnibus conatibus tuis; *ascende super currum tuum propter fidem tuam, mansuetudinem, atque justitiam.* Vel: Cape arma tua, *o Bellator; præcinge te specie, ac majestate tua, tamquam gladio;* (℣. 5.) *& cum fulgore gratiæ tuæ ascende super currum tuum, felix esto in bello propter verba veritatis tuæ, & mansuetudinem justitiæ tuæ.* Salomon hic nobis exhibetur, tamquam adolescens Heros, cujus egregia pulchritudo, armorum fulgore commendata super bellicum currum ante mili- D rum suorum copias effulget. Principes naturaliter gloriam, atque victorum, magnorumque Imperatorum nomen adfectant. Fideles haberi volunt in promissionibus, dictisque suis, mansueti, clementes in regimine, justi, & æqui in Judiciis. Hujus Epithalamii auctor has Imperatoris potentissimi dotes in Salomonis elogio collegit, quibus affabre immiscuit pulchritudinis, majestatis, & venustatis, quæ novo sponso, & nuptiarum celebritati conveniunt, enarrationem.

J. C. victoriæ, & regnum, in Nationes omnes, ac in omnem Terram extenditur: *Postula a me,* ait illi Deus Pater Psal. 2. 8. 9. *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea: & tamquam vas figuli confringes eos.* Arma, quibus usus est ad has victorias comparandas, & regnum hoc sibi constituendum, sunt nominis sui gratia, miraculorum fulgor, veritatis lumen, misericordiæ dulcedo, regiminis justitia.

℣. 6. Et deducet te mirabiliter dextera tua.] Manus dexteræ tuæ robore hostes tuos confringes. Nihil impervium erit virtuti tuæ, nihil brachii tui viribus inexpugnabile. Hebræus [8]: *Et dextera tua mirabilia te docebit.* Videbis hostes sævissimos sub manu tua labi. Terror brachii tui inimicos tuos perterrebit. Syrus: Virtus brachii tui efficiet, ut tua mandata colantur; vel terror manus tuæ hostibus tuis leges imponet.

℣. 7. Sagittæ tuæ acutæ. Populi sub te cadent; in corda inimicorum Regis.] Populi, qui eum te congredientur, ad armorum tuorum vim victi occumbent; & sagittæ, quas ejaculaberis, corda inimicorum tuorum perfodient. Nobiles quidem hæ sunt descriptiones, & mirum in modum adolescentis Bellatoris animum alliciunt. Hebræus verti potest [9]; *Sagittæ tuæ acutæ. Populi integri tibi subjicientur. Jacula tua in medio inimicorum tuorum cadent.* Nulla e sagittis tuis in irritum decidet, quin hostem confodiat. Nonnulli verba hæc *in corda,* vel potius *in corde,* quemadmodum Hebræus habet, Chaldæus, Septuaginta [10], S. Augustinus, & antiqua Psalteria, explicant pro *sponte,* libere, ex animo. *Sagittæ tuæ acutæ.* Populi sponte subjicientur tibi. Hostes tui ex se in tuam ditionem concedent.

Sensus hic admirabilis equidem est, si de Jesu Christi imperio, de verbi illius sagittis, & potentissimæ gratiæ jaculis, necnon de mirabilibus prædicationis Apostolorum effectis intelligatur: hi quippe Evangelii, ac Fidei jugo infinitos populos, antea inimicos, & alienigenas, eosque sine ulla vi, aut conatu, submiserunt [11]. Populi victi, atque divinis hisce telis confossi manum, a qua vulnus acceperе, venerantur, & submissionem suam tamquam beatissimam felicitatem, perfectissimamque libertatem diligunt. Septuaginta [12], & antiqua Psalteria hic addunt *potentissime* hoc pacto, *Sagittæ tuæ acutæ, potentissime* [13]: videlicet, o Heros. S. Augustinus! *Sagittæ tuæ acutæ, potentissime.* Animadverte hic auctoris artem, qui ad pernicitatem victoriarum Herois sui innuendam, statim ait, populos sub illius imperium venturos, simul ille arcum suum tetenderit, quin ictum ejus expectent: *Sagittæ tuæ acutæ (populi se ad pedes tuos prosternunt) confodiunt illæ cor inimicorum tuorum, o Rex.*

℣. 8. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui [14].] Ii, qui totum hunc Psalmum Salomoni applicare volunt, hoc in loco hærent. Alii apud Bossuet, & Estium, vertunt: *Thronus tuus, Rex, est Deus ipse.* Ipse constituit te, & tu super illo fundatus es. Vel [15]: *Thronus tuus, o Rex, est thronus Dei ipsius.* In 1. Paralipomenon 29. 23. scriptum est: *Seditque Salomon super solium Domini in Regem oro David patre suo.* Et 1. Paralipom. 22. 10. *Ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni ejus super Israel in æternum.* Et Psalm. 71. 1. *Deus judicium tuum Regi da: & justitiam tuam filio Regis.* Da illi gratiam exercendi auctoritatem tuam, & judicia faciendi in nomine tuo. Alii [16] hanc esse parenthesim ajunt, ubi auctor ad Deum convertitur, & dicit illi: Regnum tuum, o Deus, est regnum æternum; thronus tuus firmatus est in omnia sæcula.

Verum

2 Vide Chrysost. Jansen. Lindan. Genebr. Emmanuel Sa, Marian.
2 August. *Accingere gladium tuum super femur, potentissimo.*
3 Vide 3. Reg. 9. 23. & 2. Par. 8. 3. 4. 5. & seq.
4 חגור חרבך על ירך גבור
5 Vide Cantic. 3. 8. Exod. 32. 27. Judic. 3. 16.
6 Vide Genes. 6. 4. 10. 8. 9. 1. Par. 1. 10. Psal. 18. 6. Isai. 3. 2. 13. 3. & passim. Alias, ἰσχυρὸς, vel δυνάστης, vel μαχητὴς, vel πολεμιστὴς, vel δυνάστης.
7 חגור חרבך על ירך גבור הודך והדרך (5.) והדרך צלח רכב על דבר אמת וענוה צדק
8 ותורך נוראות ימינך Alias. *Καὶ ὁδηγήσει σε θαυμαστῶς ἡ δεξιά σου.* Alius. *Illuminabit te ad terribilia dextera tua.* Alius: Ὑποδείξει σοι, *Ostendet tibi.*
9 חציך שנונים עמים תחתיך יפלו בלב אויבי המלך
10 Ἐν καρδίᾳ τῶν ἐχθρῶν τοῦ Βασιλέως: Alius. Κατὰ καρδίας οἱ ἐχθροὶ τοῦ Βασιλέως.
11 Vide Euseb. Basil. Theodoret. alios.
12 70. Τὰ βέλη σου ἠκονημένα δυνατέ. Ita Chrysost. Euseb. Athanas. Theodoret. alii. Vide Hieronym. ad Suniam, & Fretell.
13 Ita legit Firmicus.
14 כסאך אלהים עולם ועד שבט מישר שבט מלכותך Aquil. Ὁ θρόνος σου, Θεὲ, εἰς αἰῶνα, καὶ ἔτι σκῆπτρον εὐθύτητος, σκῆπτρον βασιλείας σου. Sym. Ὁ θρόνος σου, ὁ Θεὸς, αἰώνιος, καὶ ἔτι.
15 Abenezra.
16 Kimchi, Chald.

Verum cur loci hujus violentæ, & longe petitæ explicationes quærendæ sunt, quandoquidem Judæi ipsi fatentur, Psalmum hunc Messiæ regnum respicere? Cur veritati gloriam non reddunt, fatentes, Messiam debere esse Deum? Nos vero hac in re nulla tenemur difficultate, quandoquidem adoramus Jesum Christum uti Deum verum, & verum hominem, & Apostolus ad Hebr. 1. 8. aperte docuit, hoc de Jesu Christo dumtaxat esse intelligendum. *Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi &c.* Hebraica vox *Elohim*, quæ hic occurrit in Textu, Judicem, Regemque significat; perinde ac Psalmista nomen *Elohim* cum Messiæ throno conjungens innuere voluisset, Jesum a Patre suo constitutum iri Judicem viventium, atque mortuorum [1], ipsumque possessurum thronum David patris sui; ac super verum Israel, super universam Ecclesiam suam regnaturum non annis triginta, vel quadraginta, non uno, vel altero sæculo, sed per omnem æternitatem, idque in perfecta justitia, & quin unquam a suprema æquitate, quæ illius propria est, ne latum quidem unguem aberret: *Virga directionis, virga regni tui* Luc. 1. 32. Vetera quædam Psalteria legunt [2]. *Virga recta est, virga regni tui.* S. Cyprianus l. 2 Testimon. *Virga æquitatis &c.*

℣. 9. DILEXISTI JUSTITIAM, & ODISTI INIQUITATEM; PROPTEREA UNXIT TE, DEUS, DEUS TUUS OLEO LÆTITIÆ PRÆ CONSORTIBUS TUIS [3].] Propterea, o Deus [4], Deus tuus ratione magis excellenti, atque perfecta unxit te præ consortibus tuis. Hic quoque Messiam Dei nomine appellatum [5] videmus, & unctum, non hominum, sed Dei ejusdem manu oleo lætitiæ; hoc est, Jesus Christus Unigenitus Dei Filius a Deo Patre suo delibutus est chrismate gratiæ, & donorum Spiritus Sancti longe abundantius, & sublimius, quam Angeli, Patriarchæ, & elatiores Sancti. *Præ consortibus tuis.* Plurimi Patres per hoc unctionis oleum, vel per hoc oleum lætitiæ, quo filius inunctus fuit, hypostaticam ejus cum humana natura unionem intelligunt [6]. S. Petrus Act. 10. 38. docet, Patrem Æternum dedisse Filio unctionem per Spiritum Sanctum, & eam omnipotentem virtutem, quam obtinuit. *Unxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute;* idque super omnes fratres illius: hoc est, Sanctos omnes excepisse dumtaxat partem spiritualis unctionis, cujus J. C. plenitudinem adeptus est.

Hebræus verti potest, ita ut & Jesu Christo, & Salomoni conveniat, hoc pacto [7]: *Diligis justitiam, & horres iniquitatem, propterea Dominus Deus tuus inunxit te oleo lætitiæ præ omnibus sociis tuis.* Laudatur Salomon propter ejus justitiam, æquitatis amorem, & cujuslibet iniquitatis odium. In harum virtutum præmium, elegit te Deus, de medio fratrum tuorum, ut te Regem Juda, illis posthabitis, constitueret. Deus rejecit Absalonem, Adonias illi acceptus non fuit: te unum elegit ex omnibus filiis David, qui tibi ætatis, & nativitatis jure præstabant. Hic quoque posset intelligi, quemadmodum vers. 3 *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, eo quod Dominus dedit tibi unctionem* gratiæ suæ, & prævenit te benedictionibus suis, atque te intrinsecus ad virtutem, atque justitiam finxit. Cordis tui rectitudo, & aversio tua ab iniquitate merum donum est Divinæ benevolentiæ. Particula; quæ vulgo vertitur *propterea*, significat quoque *quia* [8]. Aliter: Inunxit te Deus oleo lætitiæ; Te Regem Juda consecravit, ut justitiam, & veritatem diligeres; deditque te veluti locuples, pretiosumque munus populo.

℣. 10. MYRRHA, & GUTTA, & CASIA A VESTIMENTIS TUIS, A DOMIBUS EBURNEIS, EX QUIBUS DELECTAVERUNT TE.] Hæ domus eburneæ nihil erant aliud, quam eburneæ capsulæ, ubi vestes asservabantur cum odoribus, herbisque odoriferis, ut & illæ odorem perciperent, atque inde tineæ arcerentur. Veteribus in delitiis erant vestes aliquo odore imbutæ, quemadmodum in Genesi 27. 27. videmus, cum de vestibus Esau sermo esset. Amos 3. 15. & Ezechiel 27. 24. quoque de his eburneis arcis loquuntur, neque eæ ignotæ fuere profanis auctoribus. Martialis [9], & Juvenalis [10] his in loculis pretiosos lapillos asservari consuevisse dicunt, uti quoque aurum, argentum, & quidquid pretiosissimum erat. Alcestes apud Euripidem cedrinas capsas, in quibus vestes asservabantur, *domos cedrinas* vocat. Hæ autem odoræ vestes, & arcæ erant munera Salomoni Regi collata in nuptiarum ejus festivitate: Olim enim invaluerat mos his in celebritatibus munera deferendi, qui ad hanc quoque diem viget. Utitur auctor locutione, quæ magis adhuc antiquos mores ob oculos ponit: *Ex quibus delectaverunt te*, pro, quæ tibi in munus obtulerunt. Antiqui lætitiam non dissimulabant, munera accipientes, eratque apud illos inurbanitatis vitium, si quod ipsis offerebatur, respuerent.

MYRRHA est gummi odoriferum scatens ex arbore in Arabia haud longe ab Ægyptia spina abhorrenti. Hanc arborem Scriptura sæpius appellat lignum Sethim.

GUTTA est recens myrrha, & magis pretiosa, quæ ex arboris incisione ex se fluit. Græce *stacte* dicitur, quæ vox guttam significat; similis enim est guttæ liquoris; nam deinde obdurescit. Hebræus habet אהלות *ahalot*, & *aloes* esse censetur; non quidem planta hujus nominis, sed lignum, quod olim super Altaribus incendebatur [11]: Vide, quæ adnotavimus in Numeros cap. 24. 6.

CASIA cinnamomum esse perhibetur. Hebraica vox *Kesioth* fluit ab radice, quæ corticem auferre significat [12]; patet autem cinnamomum esse odorum corticem. Noverunt prisci plantam odoriferam nomine *casiam* in Italia satis communem, ex qua corollæ fiebant, & quam conserere consueverant ante alvearia pro apibus [13]: sed longe aliud erat a Casia Orientalium. Syrus, Abenezra, Munsterus, & versio Tigurina reddunt, *vestis plicaturas*. Plicaturæ vestium tuarum myrrham, & aloem Syriæ redolent. S. Hieronymus pro *casia* intelligit calamum odoriferum.

Quædam antiqua Latina Psalteria [14] pro, *a domibus eburneis*, legunt, *a gravibus eburneis*, quæ verba nullum inferunt sensum. Alii [15] mendum hoc castigare cupientes in aliud cecidere, legentes *a gradibus eburneis*; quæ varietas ex una tantum vocula Græca perperam explicata proficiscitur. Septuaginta [16] hic voce *bareis* usi sunt, quæ Palæstinis est propria, ad turres, vel domos in turrium formam ædificatas, & undequaque clausas significandas [17]. Aquila, & Symmachus reddidere [18]: *A Templis dentium*, vel *Templis*

1 Act. 10. 42. *Constitutus est a Deo Judex vivorum, & mortuorum.*

2 Psalter. Roman. Mediol. Gallic. S. German. Cassiodor. Arab.

3 Aug. *Præ participibus tuis.* 70. Παρὰ τοὺς μετόχους σου.

4 Symmach. apud Theophylact. in Hebr. 1. 9. διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε, Θεὲ, ὁ Θεός σου &c.

5 August. hic. Justin. Dialog. cum Tryph. Hieronym. ad Princip. Aquila. *Elohim* verbum Hebraicum non nominativo casu, sed vocativo interpretatur, dicens, Θεὲ, &c.

6 Athanas. Nazianz. Basil. Cyrill. Alex. Aug.

7 אהבה צדק ותשנא רשע על כן משחך אלהים אלהיך שמן ששון מחבריך 70. [illegible] aliius; [illegible]. Vide Euseb. in hunc loc.

8 Vide Genes. 18. 5, 19. 8. Psalm. 41. 7. Genes. 38. 26 &c. Vide Muis, Vatab. Rivet.

9 Martial. *Hos nisi de flava loculos implere moneta,*
Non decet. Argentum vilia ligna ferant.

10 Juvenal. Satyr. 13. Vers. 136. ... *Gemmaque princeps;*
Sardonichum loculis, quæ custoditur eburnis,

11 Cassiodor. in Cantic. 4. Isidor. lib. 17. Origin. cap. 8.

12 קציעות a קצע *Decorticare.*

13 Vide Dioscorid. lib. 1. cap. 12. & Matthiol. in eumdem.

14 Psalter. S. Germ. & Carnut.

15 Psalter. Roman. & Mediol.

16 70. Ἀπὸ βάρεων ἐλεφαντίνων.

17 Hieronym. ad Principiam. *Quidam Latinorum ob verbi ambiguitatem, a gravibus interpretati sunt, cum βάρεις verbum sit Ἐπιχώριον, Palæstinæ, & usque hodie domus ex omni parte conclusæ, & in modum ædificatæ turrium, Βάρεις appellantur.*

18 Aquil. & Sym. Ἀπὸ ναῶν ὀδόντων.

ptis eburneis. Hebræus [1]: *ab ædibus eburneis*. Chaldæus: *A Palatiis ebore obductis*, qualis facile erat domus Achab Regis Israel, quæ *Domus eburnea* appellata fuit 3. Reg. 22. 39. Verum eam, quam superius attulimus, explicationem genuinam esse reor, atque de capsis eburneis in domuum formam ædificatis, ubi pretiosæ vestes asservabantur, esse intelligendum.

Eximii odoris vestes, quibus J. C. indutus est, non aliud sunt, ex Patrum sententia [2], quam sancta ejus humanitas, gratia, virtutes, exempla, sanctissimum vitæ genus. Domus eburnea est S. Virgo, quæ Salvatorem in lucem edidit. Ita merito ab Ecclesia Christiana nuncupatur Domus, vel Templum eburneum propter illius puritatem, atque soliditatem. Demum transferri potest ad Christianas Virgines, & animas Sanctas, quæ J. C. sunt habitaculum [3]. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*.

℣. 11. FILIÆ REGUM IN HONORE TUO. ASTITIT REGINA A DEXTRIS TUIS IN VESTITU DEAURATO.] Filiæ Regum tibi sunt pronubæ, ipsæ venerunt, ut Reginam conjugem tuam prosequerentur, eique in magnifica hac celebritate adessent. Regina in medio earum micat, velut Sol inter sydera, induta iis omnibus, quæ magis ad ornatum, fulgorem, & decus poterant conferre. Adstitit illa ad dexteram tibi magnificis decorata indumentis, & gloriæ Regni tui consors. Hebræus habet [4]: *Filiæ Regum sunt inter charas tuas* sponsas, vel *in magnificis ædibus tuis*. Plures habes conjuges, omnes nativitate nobiles, & Regum filias: sed filia Pharaonis alias omnes longe exuperat, propter tuum erga illam studium, & locum, quem illi tribuere dignaris, cum ad dexteram tuam collocaus.

Nemo ignorat, in Aulis Regum Orientis, ubi permissa erat polygamia, Reges unam e conjugibus suis elegisse, quam super cæteras extollerent, & cui honorem, atque dignitatem Reginæ conferrent [5]. Verti quoque potest: *Filiæ Regum sunt apud te magnificis indutæ vestibus, quas tu ipsis largitus es: Sed Regina adstat ad dexteram tuam, auro ex Ophir undequaque circumdata*. Pronubæ, & aliæ conjuges tuæ magnificis quidem ornatæ sunt indumentis: Sed Regina auro dumtaxat, eoque nitidissimo exornata refulget. Aquila [6]; *Sponsa tua induta est tinctura de Ophir*; Symmachus [7]: *auro egregio*. Theodotion [8]: *diademate ex auro de Sophir*. *Circumdata varietate*, non est hic in Hebræo textu, sed solum ℣. 14.

Chaldæus nomine *Filiarum Regie*, quæ nuptiis interfuerunt, alienigenas populos intelligit, & Nationum regna, quæ Legem de Messiæ manu erant acceptura. Sed Patrum plerique [9] interpretantur de populis Gentilibus ad Christianam Religionem conversis, atque in Ecclesiam admissis; & pro Regina, quæ ad sponsi dexteram aderat. J. C. Ecclesiam intelligunt, omnibus ornatam virtutibus, omnique gratiæ genere, quam Deus in illam, ejusque filios effudit. Non desunt [10], qui ea, quæ de Ecclesia diximus, ad Sanctam Virginem transferant.

℣. 12. AUDI, FILIA, & VIDE, & INCLINA AUREM TUAM, & OBLIVISCERE POPULUM TUUM.] Hic pronubæ & conjugis sociæ ad ipsam suum sermonem convertunt. Eam autem, advenam fuisse liquet, quandoquidem eam suadent, ut patriam, cognatosque suos obliviscatur. Ultimum vale dic patriæ tuæ, ac parentibus tuis: Unum tantummodo sponsum tuum amore prosequere. Teneat ille, opus est, locum eorum omnium, quæ reliquisti. Ipse omnem amorem

A tuum, cultum, & obsequium meretur. *Audi*, & obtempera illi; *vide*, exploratam habeas voluntatem ejus; & *inclina aurem tuam* ad ea, quæcumque dixerit tibi, ipse factus est Dominus tuus, tuumque præsidium: *Ipse est Dominus tuus* ℣. 3. Nonnulli hunc versiculum explicant, perinde ac Salomon hic sponsam alloqueretur, eique connubii fœdera, & leges indiceret.

Verba hæc intelligi nequeunt, veluti Synagogæ dicta, quemadmodum optime Theodoretus animadvertit [11]. Non enim dici Hebræis potest, ut patriam, parentesque suos obliviscantur. Patres illorum egregia præbuere pietatis, religionis, & virtutis exempla. Patria eorum terra sancta est, insignibusque privilegiis decorata: sed ad Ethnicos, qui nuper ad J.
B C. fidem accessere, sunt transferenda. Illis enim suadetur, ut patriæ, parentumque suorum obliviscantur; quoniam patria eorum idololatriæ, & superstitionis dumtaxat exempla suppeditat, parentes vero in flagitiis, criminibusque vitam duxere; ipsi eorum oblivisci debent, si divini Sponsi amore se dignos præbere desiderant. J. C. Ecclesia, & cujuslibet fidelis viri anima simul sunt filia, & Sponsa Salvatoris: filia quidem, propter generationem, quam in Baptismate acceperunt, sponsa vero propter donum fidei, & gratiæ, quibus sunt cumulatæ. Vide Hieronymum, & Theodoretum hic.

℣. 13. ET CONCUPISCET [12] REX DECOREM TUUM: QUONIAM IPSE EST DOMINUS DEUS TUUS, & ADORABUNT EUM.] Tertio nunc Dei nomen Sacro Spon-
C so tribuitur, quod J. C. dumtaxat convenire potest. Ecclesia sponsa illius eum audit, illi obtemperat, ad voces illius est semper intenta, eum colit, & veneratur tamquam Dominum, & Deum suum; & hoc pacto ipsa sibi amorem, & gratiam hujus Regis gloriæ promeretur.

Hebræus [13] Dei nomen hoc in loco non legit; sed simpliciter habet, ut Septuaginta [14], veteresque Interpretes: *Et diliget Rex speciem tuam, eo quod ipse est Dominus tuus, & adorabis illum*. Non adest hic nomen *Jehovah*, proprium Dei nomen, sed *Adon*, vel *Adonai*, Dominus, Herus, quo nomine uxores viros suos appellant. Exempli gratia Sara cum Abraham loquens dicebat Genes. 18. 12. *Dominus meus vetulus est*. Qua in re adnotat S. Petrus in 1. Epist. c. 3. 6.
D sanctam hanc mulierem illi subditam fuisse, eique paruisse: *Ut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans*. Orientis Reginæ ad Reges viros suos non nisi summa cum humilitate accedebant. Bethsabee coram David ingressa ex consilio Nathan, *Summisso in terram vultu adoravit Regem*. 3. Reg. 1. 16. Et cum Esther Assuerum Regem adire voluit, se te continuit, donec Rex extendit sceptrum super illam, eamque deosculatus est; & tunc ad illum ausa est accedere Esth. 5, 1. Nullus, immo nec Regina quidem, coram Rege prodibat, non accersitus. Esth. 4. 11.

Septuaginta Romanæ Editionis, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Gregorius, & antiqua Psalteria Romanum, Mediolanense, & Arabicum Versiculi hujus finem sequenti hoc pacto adnectunt: *Et adorabunt*
E *eum* (14) *filiæ Tyri in muneribus*. Filiæ Tyri eum venerabuntur, eique offerent munera. Aquila, Symmachus, & Theodotion [15], non secus ac Rabbini id sejungunt, & legunt, *& adora eum*. Tu, sponsa, adora sponsum tuum, te coram ipso prosterne, ejusque supremum imperium fatere.

℣. 14. ET FILIÆ TYRI IN MUNERIBUS: VULTUM TUUM

1 מן היכלי שן 2 August. Basil. Cassiodor. Nicephor. 3 1. Cor. 3. 17. Vide August. Euseb. Genebr. 4 בנות מלכים ביקרותיך נצבה שגל לימינך בכתם אופיר 70. Th. 6. Edit. Βασιλισσα. Sym. & 5. Edit. Παλλακή. Aquil. Συγκοίτις. 5 Cantic. 6. 7. 8. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus; una est columba mea, perfecta mea*, &c. 6 Aquil. Ἐν βάμματι ὀφείρ. 7 Sym. Ἐν χρυσῷ πρωτείῳ. 8 Ἐν διαδήματι χρυσῷ ἐκ σωφείρ. 9 Chrysost. August. Athanas. Euseb. &c. 10 Athanas. Bernard. Ildefons. 11 Vide pariter S. Jo Chrysost. S. Hieron. S. Basilium. 12 August. Psalter. Romm. Mediol. S. Germ. Carnut. *Et concupivit*. 70. Ἐπιθυμήσει; alius, ἵνα ἐπιθυμήσῃ. *Ut concupiscat*. 13 ויתאו המלך יפיך כי הוא אדניך והשתחוי לו 14 70. Καὶ ἐπιθυμήσει ὁ Βασιλεὺς τοῦ κάλλους σου, ὅτι αὐτός ἐστι Κύριός σου, καὶ προσκυνήσεις αὐτῷ. 15 Aquil. Symm. Theod. Καὶ προσκύνησον αὐτῷ.

TUUM DEPRECABUNTUR OMNES [1] DIVITES PLEBIS.] A Ad sponsam semper est sermo, eique enarrantur honores, & commoda, quibus propter recentem Reginæ Israel dignitatem, fruetur. Videbis filias Tyri, munera tibi afferentes; & omnes divites, ac Principes Israel, vel Tyri humillimas tibi preces suas porrigentes, atque efflagitantes, ut ipsos in tuam tutelam accipias. Nonnulli [2] nomine *filiarum Tyri* urbes Tyro subditas intelligunt, & pro *muneribus* tributa, quæ Salomoni, ejusque uxori pendebant.

Scriptura sæpius munera vocat tributa, seu sponte, seu secus, a populis Regibus suis persoluta. Regum, & Paralipomenon libri non ajunt, Reges Tyri Salomoni subditos fuisse, sed inquiunt, Reges omnes, & populos regionum illarum, quæ ab Euphrate usque ad terram Philisthinorum, atque Ægypti parebant, illi B paruisse, atque attulisse munera [3]. Omnis igitur veritatis species adest, Phœnicum civitates, vel filias Tyri venisse, munera, & Salomoni, & Sponsæ illius oblaturas, saltem cum nuptiarum earumdem celebritas ageretur. Septuaginta Romanæ Editionis legunt [4]: *Filiæ Tyri adorabunt te cum muneribus. Divites populi faciem tuam exorabunt*. Complutensis editio [5] Vulgatæ omnino similis est [6]. Symmachus, & S. Hieronymus. Filia fortis tibi offeret munera. Hebr. *Filia Tyri*.

Patres, atque Interpretes nomine filiarum Tyri in spirituali sensu Ethnicorum, atque idololatrarum nationes intelligunt, quæ fidem J. C. susceperunt, & eidem una simul cum omnibus Divitibus terræ munera obtulerunt. Imperatores, Reges, Principes ipsi C accesserunt, ut J. C. veluti supremum Dominum suum agnoscerent; eum venerati sunt, omne obsequium testari, sibique honori vertunt, se se illius servos appellantes. Sponsa quoque alienigena est: Ecclesia namque ex Gentilibus populis coalescit, qui omni scelere, atque errore deposito, auspicatissimo eventu in fœderis partem ingressi sunt.

℣. 15. OMNIS GLORIA EJUS [7] FILIÆ REGIS AB INTUS; IN FIMBRIIS AUREIS, CIRCUMAMICTA VARIETATIBUS.] Reginæ, Ægyptii Regis filiæ, & Regis Salomonis uxoris, cujus elogium isthic conteximus, pompa atque magnificentia intra ædes ejus præsertim effulget [8]. Ibi iis omnibus exornata conspicitur, quæ magis pretiosa sunt, insignia, & decora. Orientis Reginæ numquam, vel perquam raro in D publicum prodibant; cumque prodirent, semper efferebant se velamentis obductas, & in lecticis, vel alia ratione absconditas: ita ut nemo judicium ferre posset de earum specie, vel elegantia, vel statura; quod ipsum ad hanc quoque diem usuvenire Viatores testantur. Pronubæ igitur isthic ajunt, Reginam Salomonis conjugem non ostendisse omnem speciem suam, omnemque mundum muliebrem, nisi intra ædes, ac in medio aliarum Regis uxorum, sive ad dexteram viri sui.

Hebræus [9]: *Omnis gloria filiæ Regis interior est pro auro contexto, quo est induta* (℣. 16.) *Deducetur* (vel gestabitur) *ad Regem cum vestibus Phrygio opere pictis. Virgines sequentur illam. Adducentur ad te ejus amicæ*. Quod intelligi potest de ea solemnitate, qua Regina Pharaonis Regis filia deducta fuit in conclave, illi paratum. Omnis pulchritudo, gratia, & ornatus ejus sunt abscondita. Tecto vehitur curru, ubi adspici A nequit. Vestes ejus auro internitent. Ornamentis Phrygio acu pictis est velata. Eam honestissimæ ancillæ, & amicæ prosequuntur. Hebraica vox quam reddidimus *aurum contextum* [10], aut vestes auro internitentes, significat texturæ genus longe densius, atque arctius consueto; qualis erat Saulis thorax, quem gladio suo confodere non poterat 2. Reg. 1. 9. & Summi Judæorum Sacerdotis tunica Exod. 28. 31. Verum hæc indumenta e pluribus liciis lineis erant contexta; sed Reginæ vestis ex auro erat composita. Virgilius Æneid. 1.

Pallam signis, auroque rigentem.

Septuaginta Romanæ Editionis [11], Didymus, S. Cyrillus [12], & Psalterium Æthiopicum legunt: *Omnis gloria hujus filiæ Regis Hesebon in fimbriis aureis ejus*. B Verum mendum Librarii fuit profectum ex Græca voce *Esothen*, intus, quam Scriptores in *Esebon* immutarunt, cum eam isthic non intelligerent.

Ecclesiæ, quæ est J. C. sponsa, species omnis interior est. Consistit autem in virtutibus, & gratiis, quibus Deus eam exornavit; in veritatum cœlestium cognitione, quam illi credidit; in Sacramentis, quæ fontes sunt gratiarum J. C. in invisibili Spiritus Sancti præsentia, qui eam regit, & a quovis errore præservat, in cœlestis sponsi sui protectione, qui illam adversus hostes tuetur. Aurea indumenta, quibus effulget, sunt charitas illius, quæ ad alienos quoque late patet, & quos, ut in sinum ipsius se se recipiant, invitat; amor erga inimicos suos, pro quibus Deo preces offert; benevolentia erga filios, quos usu Sa- C cramentorum alit, & quos juxta Sponsi voluntatem, ac exemplum in Domini timore, ac metu, atque in exercitatione virtutum innutrit.

Variæ vestes, vel variegatæ, quibus induta est, *circumamicta varietatibus* varia sunt munera Spiritus Sancti [13], quæ illi J. C. communicat; alii quippe scientiæ donum tribuitur, alii donum prophetiæ, alii donum miraculorum &c.

Versiculum hunc, & qui hunc subsequitur Chaldæus explicat de oblationibus, divitiis, quas exteræ gentes in templum Domini erant illaturæ, ac de muneribus, quæ ad Sacerdotes erant afferenda, quorum vestes auro intertextæ sunt, & phrigiis operibus exornatæ. Grotius per interiorem sponsæ pulchritudinem nativam illius venustatem intelligit, cui pretium ad- D debant fulgor, decor, & vestium suarum magnificentia.

℣. 16. ADDUCENTUR REGI VIRGINES POST EAM.] In superioris versiculi explicatione, hujus quoque juxta Hebræorum Interpretationem vidimus. Sed si Vulgatæ hærere velis, ita potest intelligi: Adducentur ad Regem Salomonem virgines aliæ inter speciosissimas ditionis suæ electæ: verum nulla reperietur sponsæ, cujus hic recinuntur laudes, similis. Virgines, quæ ad Regem adducuntur, & sponsam illius prosequuntur, idololatras nationes designant, quæ ad J. C. convertuntur. Cognatæ, & affines sponsæ, *proximæ ejus*, Judæos illos indigitant, qui J. C. fidem fuere amplexati. Utræque simul aulam, domumque Sponsæ constituunt; utræque in unum conjunctæ Ecclesiam componunt.

℣. 17. ADDUCENTUR IN TEMPLUM REGIS,] vel juxta Hebr. [14] *in palatium regis*. Adducentur Sponsa, puel-

1 S. Augustinus, & Psalterium Mediolanense non habent, *omnes*. 2 Muis, Vatab. Bossuet, Ferrand. Geier. alii. 3 2. Paralip. 9. 26. *Salomon exercuit potestatem super cunctos Reges, a flumine Euphrate, usque ad terram Philisthinorum & usque ad terminos Ægypti*. Et. 3. Reg. 9. 25. *Singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes & arma bellica, aromata quoque & equos, & mulos per annos singulos*.

4 70. Edit. Roman. Προσκυνήσουσιν αὐτῷ θυγατέρες Τύρου ἐν δώροις, τὸ πρόσωπόν σου λιτανεύσουσιν οἱ πλούσιοι τοῦ λαοῦ τῆς γῆς. 5 Edit. Complut. .... Καὶ προσκυνήσεις αὐτῷ. (14.) Καὶ θυγατέρες Τύρου ἐν δώροις, τὸ πρόσωπόν σου λιτανεύσουσιν οἱ πλούσιοι τοῦ λαοῦ. 6 Symmach. Θυγάτηρ κρατίστη. Hieronym. *Filia fortis*. Basil. Chrysost. Theodoret. Nicephor. Euthym. Regii & Colbertini Codices, apud Ferrand. legunt: *Filia Tyri*. Θυγάτηρ Τύρου. Et ita Hebr. בת צר 7 Hebr. 70. Edit. Complut. Psalter. Gallic. Athanas. Heracleot. Basil. Chrysost. Theodoret. Nicephor. Euthym. non habent, *ejus*. 8 Vide Kimchi, Abenezra, Muis, Vatab. Bossuet.

9 כל כבודה בת מלך פנימה ממשבצות זהב לבושה (16. לרקמות תובל למלך בתולות אחריה רעותיה מובאות לך

10 משבצות זהב 70. Ἐν κροσσωτοῖς χρυσοῖς. Alius: Διὰ συσφιγκτήρων χρυσῶν. *Aureis fibulis*.

11 70. Edit. Rom. Πᾶσα ἡ δόξα αὐτῆς θυγατρὸς τοῦ Βασιλέως Ἐσεβὼν, ἐν κροσσωτοῖς χρυσοῖς, &c.

12 Cyrill. lib. 2. de Adorat. in spiritu & verit. Ita & quædam exemplaria Latina apud Hieronym. Ep. ad Principiam. 13 1. Cor. 12. 4. Vide Theodoret. hic. 14 בהיכל מלך

puellæ ejus, & comites usque in interiores Regis ædes, usque in conclave Reginæ. Sequitur hic descriptio quæ ℣. 15. incœpit. Sponsa cum magnifica, & frequenti puellarum caterva usque ad Regis cubiculum deducetur. Solemnitas hæc noctu plerumque peragebatur, & pronubæ sponsam usque ad cubiculum ejus comitabantur, eamque in thalamo collocabant. Hæc omnia Gentilium populorum vocationem ad fidem, & J.C. Ecclesiam, vel animarum sanctarum in Cœlo beatitudinem adumbrabant [1].

℣. 18. PRO PATRIBUS TUIS NATI SUNT TIBI FILII [2]; CONSTITUES EOS PRINCIPES SUPER OMNEM TERRAM.] Versiculo 12. Pronubæ Sponsam adhortatæ fuerant, ut parentum, patriæque suæ oblivisceretur, atque in id unum incumberet, ut Regi viro suo placeret. Hic autem inquiunt, illam parentum loco, quos deserebat, quamprimum frequentis sobolis matrem futuram, filiosque ipsius totidem Principes, potentesque Reges futuros. Vota hæc, & promissiones loco huic belle respondent; verum adimpletæ nequaquam fuisse videntur, quandoquidem Ægyptii Regis filia nullos e Salomone, quos sciam, liberos genuit, & liquido patet, Regis hujus successorem ex eadem minime fuisse genitum.

Sed in spirituali sensu, J.C. Ecclesia feliciter fœcunda frequentem, fidelemque progeniem edidit, & pro impio, atque idololatra populo, quem reliquit, mater facta est plurimorum Sanctorum, perfectorumque hominum. Inter filios suos innumerabilem recenset Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & Doctorum seriem; & si fulgor hujus sæculi aliquid addere potest gloriæ illius, gloriari hic quoque potest se plus, quam reliquerit, invenisse; magnam enim Imperatorum, Regum, Principumque catervam suo subjectam imperio, suisque legibus vidit obtemperantem eadem humilitate, ac obedientia, qua simplicissimi, humillimique subditi parere queant. Vide Chrysostomum hic, et Augustinum.

℣. 19. MEMORES ERUNT [3] NOMINIS TUI, IN OMNI GENERATIONE.] Filii tui in æternum recordabuntur tui, nomenque tuum in omnia sæcula propagabunt. Nihil gratiosius, ac venustius adferri potest hoc pronubarum sermone; et omnes hæ laudes mirum in modum in Christiana Ecclesia sunt adimpletæ, cujus nomen, dotes, ac prærogativæ a filiis suis in omnia sæcula, ac in omnes terrarum plagas perlatæ fuerunt.

Hebræus legit [4]: *Memor ero*, vel efficiam, ut memores sint *nominis tui in omni generatione*. Numquam tui obliviscemur, Regina; Nomen tuum, et memoria tui nobis semper erit jucunda. Fruere felici sorte tua, neque earum obliviscaris, quas tuo dignabaris amore. Amicæ uxoris hoc pacto Epithalamium concludunt.

℣. 20. PROPTEREA POPULI CONFITEBUNTUR TIBI IN ÆTERNUM.] Hanc nos provinciam suscipimus, ad posteros nominis tui memoriam traducendi. Perpetuam efficiemus felicissimi hujus connubii memoriam; ejus felicitatem, et magnificentiam æternis laudibus celebrabimus, et qui post nos subsequentur, epithalamium hoc omnibus sæculis canere non cessabunt. Vaticinii hujus veritas satis per se patet. Post tot sæcula celebratur adhuc apud omnes populos Salomonis conjugium, cum Canticum hoc recitatur; et omnes terrarum Ecclesiæ enunciant, atque in omne tempus enunciabunt Spiritualium J. C. cum Sponsa sua Nuptiarum felicitatem.

1 Basil. Euseb. 2 יהיו בניך 70. Ἐγενήθησαν σοὶ οἱ υἱοί σου. Alius: Ἔσονταί σοι υἱοί σου. *Erunt tibi filii tui.* Editio Romana non legit, *tui*. 3 Ita 70. Edit. Roman. Μνησθήσονται. Ita August. Psalter. Rom. Arab. Æthiop. Hieronym. in Comment. 4 אזכירה שמך בכל דור ודור Ita 70. Complut. Μνησθήσομαι τοῦ ὀνόματός σου. Ita & Euseb. Basil. Hieronym. ad Princip. Chrysost. Theodoret. Euthym. Codices Reg. & Colbertini manuscripti apud Ferrand. Psalter. Gallic. Sanct. German. Carnut. Aquil. Sym. Th. Ἀναμνήσω τὸ ὄνομά σου.

PSALMUS XLV.

Gratiarum actio propter liberationem a periculis belli.

In finem, filiis Core, pro Arcanis.

ARGUMENTUM.

Vetera quædam græca Exemplaria olim in titulo non legebant: *Pro Arcanis*, quæ verba neque S. Johannes Chrysostomus legit; & Euthymius diversitatem hanc adnotat. S. Augustinus, S. Ambrosius, Beda legunt: *Pro Occultis*, & S. Ambrosius addit: *ipsi David*, quod nullo in textu invenitur. Hebræus verti potest [1]: *Psalmus traditus Moderatori Musices e familia Core, qui præsidet choro puellarum* canentium in Templo, vel in publicis Religionis solemnitatibus. Hebraica vox *Alamoth* in 1. Paralip. 15. 20. invenitur, & in titulo Psalmi IX. ubi eam explicuimus.

Chaldæus, & Judæi nonnulli putant, Psalmum hunc a filiis Core fuisse compositum, cum patre in pœnam murmurationis, & defectionis adversus Moysem tellure absorpto Num. 26. 11. ipsi non sine miraculo ab eo periculo liberati sunt. Ad hanc circumstantiam referuntur ea ℣. 3. verba: *Propterea non timebimus, dum turbabitur mare*. Beda, veteresque nonnulli apud Theodoretum credidere, hanc esse gratiarum actionem Judaici populi liberati de metu Phacee Regis Samariæ, & Razim Regis Syriæ Achaz in Juda imperante. 4. Reg. 16. 5. cui explicationi locum plane dederunt versiculi 3 & 4. quorum vide Commentarium. Theodoretus in Catena Barbari, & Theodorus Heracleota in Catena Corderii putant, Psalmum hunc fuisse compositum, cum Regnante Ezechia Assyrii, quibus præerat Sennacherib, deleti fuere. Alii [2] eum referunt ad bella Gog, & Magog; quæ postrema sententia maxime probabilis est, si bella Gog, & Magog pro bellis Cambysis intelligantur, & pax, quæ subsecuta est, pro ea, quam Darius Hystaspis filius toti Imperio donavit. De Muis, & plures alii recentiores id ad Davidem referunt, cum se pacatum in Regno suo vidit post victorias de hostibus suis relatas. 2. Reg. 8. & 1. Par. 18.

Nos vero arbitramur, filios Core de Babylone reversos, & tranquillam Jerosolymæ vitam ducentes in Templi alterius

1 על עלמות שיר למנצח לבני קרח Aquil. Νεανιοτήτων Symmach. Τῶν αἰωνίων על עלמות
2 Quidam apud Theodoret. & Kimchi.

terius Dedicatione Psalmum hunc, & sequentes duos cecinisse, ut gratias agerent Deo, quod de servitute fuissent liberati, & ob pacem toti Imperio concessam post Cambysis occubitum, & post turbas, quæ sub Magorum tyrannide Imperium susque deque miscuerant. Perpetuæ ferme allusiones Psalmi hujus cum capitibus 38. & 39. Ezechielis, quæ narrant bellum, & mortem Cambysis sub nomine Gog, & Magog, me cogunt, ut in hanc sententiam concedam; præterquamquod plerique Psalmi filiorum Core Babylonis captivitatem, vel tempus, quod illam subsequutum est, respiciunt. Patres [1] vero in sublimiori explicant sensu, de Ecclesia Christiana a persecutionibus liberata, quæ ob impetratam a Deo pacem gratias agit. S. Hieronymus eum de Gentilium vocatione, & Judæorum reprobatione interpretatur. Per hæc Inscriptionis verba: *Pro Occultis*; alii [2] ineffabile Incarnationis mysterium, alii arcana divinæ Providentiæ erga Ecclesiam suam mysteria interpretantur.

1. DEus noster refugium, & virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. 2 Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris. 3 Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine ejus. 4 Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. 5 Deus in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo. 6 Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra. 7 Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob. 8 Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: auferens bella usque ad finem terræ. 9 Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni. 10 Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. 11 Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.

℣. 1. DEUS NOSTER REFUGIUM, & VIRTUS; ADJUTOR IN TRIBULATIONIBUS, &c.] Hactenus Deus præsidium nostrum fuit, atque refugium; eduxit nos de captivitate, & servitute: quid autem non sperandum est nobis imposterum ab illius misericordia? Babylonis captivi in patriam suam redeuntes ita loquuntur. Hebræus [3]: *Dominus est præsidium nostrum, & virtus, & auxilium in gravissimis afflictionibus*, quibus *agitati fuimus*. Vel: *inventus est potens adjutor noster in afflictionibus nostris*. Antiqui Græci Interpretes [4]: Dominus *vere inventus est* adjutor noster in tribulationibus.

℣. 2. PROPTEREA NON TIMEBIMUS, DUM TURBABITUR TERRA.] Post præclara Dominicæ protectionis argumenta, quæ accepimus, nihil nos poterit perturbare. Terræ motus sævissimi, montium subversiones, eorumque in maris imum lapsus, si Dominus pro nobis steterit, non metum, non terrorem incutient [5]. Nomine motuum terræ, designat motus, turbas Provinciarum, bella, seditiones, Regnorum subversiones &c. Assyriorum Imperium corruere, illud vero Persarum constitui vidimus, & ignem belli in Provinciis omnibus exardescere intuiti sumus; verum nihil horum nos perturbavit, scientes Omnipotentem esse adjutorem nostrum, atque omnes has perturbationes in nostram cedere felicitatem experti sumus. Ezechiel loquens de adventu Gog, vel Cambysis adversus terram Israel, illud velut procellam, ac terræ motum describit subruentem, & validissima mœnia quatientem: *In die illa erit commotio magna super terram Israel .... subvertentur montes, & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram*, Ezech. 38. 19.

℣. 3. SONUERUNT, & TURBATÆ SUNT AQUÆ EORUM; CONTURBATI SUNT MONTES IN FORTITUDINE EJUS.] Latinus textus legendus esset cum S. Ambrosio, S. Augustino, & Psalterio Carnutensi *Aquæ ejus*, pro *aquæ eorum*. Aquæ maris agitatæ sunt. Hæ aquæ innuunt bella, populorum defectiones, magnos exercitus: *Montes conturbati in fortitudine* Domini, sunt Reges interempti, & Regna deleta, atque subversa. Asiam universam bello, & igni conflagrare vidimus. Persæ Minoris Asiæ Regna, & Babylonis imperium everterunt. Cyrus tamquam torrens irruit, omnesque Orientis Provincias inundavit. Nos imperterriti eum Babylonem vidimus ingredientem, & pro crudeli victore in illo patrem, ac beneficum redemptorem invenimus. Aliter, hoc sequentibus addendo. Maris aquæ agitentur, & conturbentur: editiora montium juga in medias abyssos subvertantur; interim Jerusalem pace fruetur. (℣. 4.) *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*.

Puræ, & abundantis aquæ lapsum lenem, diluvii opponit exundationi, & agitati maris fluctibus, de quo sermo fuit superiori versiculo: sicuti vero hi fluctus belli tumultus indigitabant, ita aquæ lene fluentes rerum copiam, pacemque significant: quem verum loci hujus sensum esse reor. Post Cambysis bella, & Magorum regni turbas sub Dario, Hystaspis filio, felici pace gaudemus.

Hebræus verti potest [6]: *Maris aquæ* terribilem *edunt strepitum*, omnino *turbidæ sunt*, & lutulentæ: *montes commoti sunt propter elationem*, inundationem (ad litteram) *superbiam ejus*. (Vers. 4.) *Fluvius cum rivis suis*, vel fluentis, *lætificabit civitatem, quæ est Sanctuarium, & habitaculum Altissimi*. Aquæ maris exagitatæ terribilem fremitum cieant, & fluctus, qui inter rupes confringuntur, montes commoveant: Jerusalem tamen irrigabitur lenibus rivulis, qui illam circumfluent. Ad Orientem Jerusalem aderat torrens Cedron, & fons Siloe; ad occasum vero fons Gehon.

Isajas loquens de bello Phacee, & Razin adversus Achaz, & hunc exprobrans, quod ad Assyrios confugisset, ut aliunde bellum hostibus inferentes eosdem a terris ipsius dimoverent, hac eadem utitur similitudine: *Pro eo, quod abjecit populus Siloe, quæ vadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ: Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam ejus: & ascendet super omnes rivos ejus, & fluet super universas ripas ejus*, Isai. 8. 6. Confer Psal. 22. 2.

Pro sensu spirituali, Ethnici, & pervicaces Judæi, inundationum, & maris fluctuum agitatione designati,

1 Basil. Chrysost. August. Theodoret.
2 Beda, Cassiodor. a i.
3 אלהים לנו מחסה ועז עזרה בצרות נמצא מאד
4 Ἐν θλίψεσιν εὑρισκόμενος. *Inveniens inventus est*. Legebant נמצא מצא pro נמצא מאד Chrysost. Ἐν θλίψεσιν εὑρισκόμενος.
5 Chrysost. Genebr. Flamin. Muis.
6 יהמו יחמרו מימיו ירעשו הרים בגאותו (4.) נהר פלגיו ישמחו עיר קדש משכני עליון Sym. Ἠχούντων, καὶ θολωθέντων τῶν ὑδάτων, καὶ σειομένων ὀρέων ἐν τῷ ἐνδοξασμῷ αὐτοῦ. Hieronym. *Sonantibus & intumescentibus gurgitibus maris, & agitatis montibus in potentia ejus*. Drusius, *in celebritate*.

ti, J. C. Ecclesiam turbarunt. Eam quidem agitare, vexare, affligere potuerunt; perdere vero non potuerunt. Postquam diu vexata fuit, demum in portum emersit, felici pace fruitur, & tranquillitate perfecta, neque ulli extrinsecus hostes eam lacessunt. Si quos inimicos habet, omnes intus sunt. Aquæ puræ fluvio placide fluenti irrigantur Ecclesia, hic vero est Spiritus Dei in animas Fidelium diffusus, et divinum verbum illius, quod in Scripturis Sacris continetur, vel uti Eusebius mavult, diversa Spiritus Sancti dona.

℣. 4. FLUMINIS IMPETUS LÆTIFICAT [1] CIVITATEM DEI &c.] Aquila, Symmachus, Theodotion, & S. Hieronymus vertunt [2]: *Divisiones fluminum lætificant civitatem Dei*. Rivuli fluminis copiose diffluentis irrigant, & sanctam civitatem lætificant. Rivuli hi, Chaldæo auctore, indigitant populos, qui Jerosolymam confluere debebant, Dominum in templo ejus adoraturi [3]: *in Sanctuario habitationis ejus*.

B

℣. 5. DEUS IN MEDIO EJUS NON COMMOVEBITUR.) Deus est in medio illius, ideo illa non commovebitur: Vel, Dominus non egredietur de medio ejus, numquam deseret illam. Septuaginta [4], S. Augustinus, S. Johannes Chrysostomus, Theodoretus, aliique nonnulli: *Dominus est in medio ejus, & ipsa non commovebitur*.

ADJUVABIT EAM DEUS MANE [5] DILUCULO.] Summa cum solicitudine curam illius geret. Jugiter illius saluti, atque incolumitati vigilabit: *Mane* plerumque attentionem, ac diligentiam significat [6]. S. Augustinus, Ecclesia in Officio suo in communi Virginum, quædam Exemplaria S. Ambrosii, & Romanum Psalterium legunt: *Adjuvabit eam Deus vultu suo*, benigno scilicet adspectu, quod expressum videtur ex Psalmo 20. 7. vel 139. 14. Psalterium S. Germani: *Deus de vultu suo*. Mediolanense: *Deus a matutino ad matutinum*. Editio Romana [7]: *Adjuvabit eam Dominus vultu*. Sed Complutensis est Vulgatæ simillima [8]. Aquila [9]; & Hebræus [10]: *Dominus adjuvabit eam, cum mane respiciet*, statim ac aurora fulgebit.

C

℣. 6. CONTURBATÆ SUNT GENTES, & INCLINATA SUNT REGNA: DEDIT VOCEM SUAM [11]; MOTA EST TERRA.] Dominus adversus Gentes suam ultionem exercuit. Omnes provinciæ Asiæ agitatæ, & conturbatæ sunt. Nos testes fuimus subversionis Regnorum, Rerum publicarum, & Imperiorum. Dominus emisit tonitru suum, ac vocem minacem. Omnis terra afflicta fuit, atque perterrita. Verum hæc mala ad nos usque non accesserunt; Jerosolyma pace gavisa est, & hæ populi reliquiæ nuper in patria sua de medio Nationum, collectæ sub Domini sui præsidio tranquilla pace lætatæ sunt. (℣. 7.) *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob*. Attingere videtur Auctor turbas, quæ post Cyri mortem Cambyse imperante contigerunt, qui bellum intulit Ægypto, quique in Judæa e vivis excessit, cum decresset, ut perhibetur, Provinciam hanc militum suorum, & Judaici nominis hostium aviditati trudere depopulandam. Vide nostram Dissertationem de Gog, & Magog. Hebræus

D

A

verti potest [12]: *Fremuerunt Gentes, inclinata sunt*, vel eversa sunt *regna: Dominus dedit vocem suam*; vel tonitru suum; *& liquefacta est terra* [13]. Quod ad litteram explicari potest de horribili procella, de qua loquitur Ezechiel, quæ Persarum exercitum profligavit, effecitque, ut milites mutuis sese vulneribus confoderent, & vel fulmine correpti, vel grandine, quæ super illos irruit, percussi interirent. Vide Ezech. 38. vers. 21. 22. In spirituali sensu explicatur de Nationum perturbatione, dum Evangelium prædicaretur.

℣. 8. VENITE, & VIDETE OPERA DOMINI.] Alienigenæ populi venite, omnipotentem Domini virtutem, & prodigia, quæ post belli tumultus, quod undique exarserat, nobis pacem elargitus, in terris emicare fecit, admiraturi: *Auferens bella usque ad fines terræ*. Bellum amovit, Cambysem de medio tollens, & ad solium evehens Darium Hystaspis filium, qui feliciter adeo Imperio reddidit tranquillitatem. Hebræus verti potest [14]: *Venite, & videte opera Domini, qui misit desolationem in terram, & qui cessare fecit bella usque ad extremos fines terræ*. Deus idem, qui ea permisit mala, quibus afflictari fuimus, Provinciis omnibus pacem restituit. Patres id explicant de pace, quæ in omni terrarum orbe vigebat, cum J. C. ortus est. Alii vero de pace a Constantino Ecclesiæ reddita interpretantur.

℣. 9. ARCUM CONTERET, & CONFRINGET ARMA; & SCUTA COMBURET IGNI.] Vel in tempus præteritum transferendo, & juxta Hebræum [15]: *Contrivit arcum, confregit hastam*, vel lanceam, telum, cuspidem; *combussit currus*. Syrus, & vetus quidam Græcus Interpres, ac recentiorum plerique hanc versionem sectantur: *bellicos currus combussit*. Verum Chaldæus, Arabs, Hammondius, Ferrandus non secus ac Septuaginta, & Vulgata pro *rotundis scutis* stant. Hebraica vox passim rotam significat: sed hic pro clypeo usurpatur, propter orbicularem formam fortasse. Præterea haud absurdum est, ut clypei, arcubus, sagittis, telisque junguntur. Clypei plerumque ex ligno, vel ex vimine corio, vel metallis obducto fiebant; ideoque comburi poterant, uti Virgilius docet Æneid. 8.

Scutorumque incendi victor acervos.

Ezechiel palam sermonem habet de armorum, scutorumque acervis, qui post cædem Gog ab Israelitis cremati fuere, Ezech. 39. ℣. 9. 10.

℣. 10. VACATE, & VIDETE, QUONIAM EGO SUM DEUS.] Diligenti examine quid fecerim perpendite, supremamque potestatem cognoscite. Omnia seponite, ut miraculis istis rite perpendendis vacetis, quorum nuper testes fuistis, & pacem hanc consideretis, quam terræ dedi eo tempore, quo omnis terrarum orbis belli, & tumultus incendio conflagraturus videbatur. Hebr. [16] *relinquite negotia vestra: & cognoscite, quod ego sum Dominus*. In Templum Dei vestri venire, labores vestros deserite, ut sancti Templi Dedicationem celebretis, & ejus magnalia concinatis.

---

1 August. *Fluminis impetus lætificant*. Ita 70. Τοῦ ποταμοῦ τὰ ὁρμήματα εὐφραίνουσι, &c. Ita & PP. Græci.
2 נהר פלגיו ישמחו עיר אלהים Aquil. Symmach. Theod. Hieronym. Τοῦ ποταμοῦ αἱ διαιρέσεις εὐφραίνουσι τὴν πόλιν τοῦ Θεοῦ.
3 קדש משכני עליון Symmach. Τὸ ἅγιον τῆς κατασκηνώσεως τοῦ ὑψίστου. *Sanctum habitationis Altissimi*.
4 70. Ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ αὐτῆς, καὶ οὐ σαλευθήσεται. 5 Ambros. non legit: *Mane*.
6 Jerem. 25. 3. 26. 5. 39. 19. Psal. c. 8. 62. 1. 5. 5. 87. 14. &c. Vide Chrysost. & Nicephor. & Genebr.
7 Βοηθήσει αὐτῇ ὁ Θεὸς τῷ προσώπῳ. 8 Τὸ πρὸς πρωῒ πρωΐ.
9 Aquil. Τοῦ νεῦσαι πρωΐας. 10 יעזרה אלהים לפנות בקר
11 August. Ambros. Psalter. Rom. *Dedit vocem suam Altissimus, mota est terra*. Ita Muis. 70. Edit. Complut. Ἔδωκε φωνὴν αὐτοῦ ὕψιστος. Ita Chrysost. & Æthiop. Psalter. S. Germ. *Dedit vocem suam excelsus*.
12 המו גוים מטו ממלכות נתן בקולו לפגות ארץ Aquil. Ἐσφάλησαν, כמו Symmach. Περιετράπησαν.
13 Ita Chald. R. Salom. Hieronym. Pagn. alii.
14 לכו חזו מפעלות יהוה אשר שם שמות בארץ משבית מלחמות עד קצה הארץ
15 קשת ישבר וקצץ חנית עגלות ישרף באש Alius, Καὶ ἁμάξας ἐμπρήσει ἐν πυρί. *Plaustra comburet igni*. Hier.
16 הרפו ודעו כי אנכי אלהים Interp. Græc. apud Chrysost. Ἐάσατε ἵνα γνῶτε. *Sinite ut cognoscatis*. Alius, Ἐλάσθητε. *Estote propitii*. Alius, Ἰάθητε καὶ γνῶτε. *Sanamini, & cognoscite*.

PSALMUS XLVI.

Psalmista Nationes ad Dominum laudandum invitat, ob magnitudinem, & infinitam potestatem ejus.

In finem pro Filiis Core, Psalmus.

ARGUMENTUM.

S. Augustinus legit in titulo: *In finem pro filiis Core, Psalmus ipsi David*. Chaldæus, & Lyranus Psalmum hunc esse putant quamdam gratiarum actionem filiorum Core pro victoriis, quæ Josue de Chananæis erat relaturus, & juxta sententiam hanc supponunt ab immediatis filiis Core fuisse compositum, qui liberati fuerunt ab eo supplicio, quo Deus patrem illorum male mulctavit, permittens, ut hiaret tellus sub pedibus ejus, eumque deglutiret. Theodorus in Catena Barberiana hunc explicabat tamquam Canticum Macchabæorum in gratiarum actionem ob victoriam ab ipsis adversus Antiochi Epiphanis duces relatam. Recentiorum plerique hunc transferunt ad solemnitatem translationis Arcæ de Cariath-iarim in Jerusalem, David regnante, vel de domo Obededom in Tabernaculum, vel denique de Tabernaculo Sion a Davide constituto in Templum a Salomone ædificatum. Nihil video, quod sententiæ huic adversetur, nisi quod *principes populorum* alienigenarum nequaquam conjuncti erant cum Deo Abraham, uti habemus ℣. 10. & quod tunc temporis infideles populi non poterant, ut nunc, ad Dominum laudandum invitari: *Omnes gentes plaudite manibus*.

Prophetæ, ac Psalmi pleni sunt promissionibus conversionis Gentilium, & eorum cum populo Domini conjunctionis. Pluribus etiam in locis promittitur Israeli imperium super populos, quibus olim subditi fuerant. Sed hæc vaticinia illud tantummodo respiciunt tempus, quod subsequutum est reditum de captivitate; immo nec tunc ad unguem adimpleta fuisse videntur. Ad litteram autem, & prout late patent, tunc solum impleta fuere cum Salvator advenit, ac Evangelium prædicatum est. Ad tempus hoc referendus est Psalmus iste cum Patribus, qui illum de Gentilium vocatione, & de J. C. in Cœlum Ascensione explicuerunt. Rabbini ipsi hunc de Messia interpretantur.

Potest quoque cum Theodoreto considerari velut Psalmi superioris continuatio. Nempe Auctor cum comprehendisset animo magnitudinem, ac potentiam Dei sui, qui post Cambysis mortem [1] Asiæ pacem reddidit, isthic Nationes omnes ad Dominum laudandum invitat easque, præcipue, quæ sub Dario, Hystaspis filio, qui plurimis bonis, ac honoribus Judæorum populum affecit, Judaica Religione initiatæ sunt. Rex ille magnopere favit Hebræis; permisit illis, ut Templi ædificium sub superioribus Regibus intermissum [2], perficeretur; uxorem duxit Esther [3], Mardochæum ad supremas dignitates evexit, & Scriptura palam testatur, quamplurimos Ethnicos tunc in Judæorum partes concessisse, eorumque Religioni nomina dedisse: *In tantum ut plures alterius Gentis, & sectæ, eorum Religioni, & cæremoniis jungerentur*. Esth. 8. 17.

Igitur Psalmus hic fortasse conscriptus fuit pro solemnitate dedicationis Templi secundi, quæ quidem summopere fuit magnifica, quemadmodum Esdras narrat l. 1. c. 6. 15. Neque a fide absonum est, summos Regis Præfectos, qui jussi fuerant a Dario Hystaspis filio, hoc in opere Judæis opitulari, eisque necessaria ad ædificandum, & ad sacrificia suppeditare, & qui diligentissime [4] jussis obtemperarunt, quemadmodum Scriptura testatur, celebritati huic interfuisse, atque multorum populorum comitatu, seu curiositatis, seu devotionis ergo, stipatos confluxisse. Ad hos alienigenas Principes, populosque suam convertit orationem Auctor; eosque ad Dominum ea in occasione laudandum invitat. In sublimiori sensu prædicit Gentilium populorum conversionem ad Christianam Fidem.

1. OMnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. 2 Quo-
niam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram. 3
Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris: 4 Elegit nobis
hæreditatem suam: speciem Jacob, quam dilexit. 5 Ascendit Deus in jubilo: &
Dominus in voce tubæ. 6 Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psal-
lite. 7 Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter. 8 Regnabit Deus su-
per gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam. 9 Principes populorum con-
gregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

℣. 1. OMNES GENTES PLAUDITE MANIBUS, &c.] Superior Psalmus ad Judæos præcipue habetur; hic vero est apostrophe ad alienigenas populos, qui ad Dedicationis templi solemnitatem confluxere. Nationes accedite, ut cognoscatis magnitudinem, ac vim Altissimi, Dei Israel; Eum agnoscere, & vereri ad- A discite. Hæc est prophetia vocationis Gentilium. Referri etiam potest ad ea, quæ secuta sunt cladem Gog, & exercitus ejus. Scriptura sæpe repetit, terribilem adeo, insignemque de eo ultionem Deum esse sumpturum, ut nationes omnes eum vereantur, & laudent [5].

JUBILATE DEO IN VOCE EXULTATIONIS.] Hebreus

1 Vide Comment. in Psalm. præcedent. & confer. Ezech. 38. 39.
2 2. Esdr. 6. 1. 14. 2 Vide Præfationem, & Comment. in Esther.
4 1. Esdr. 6. 13. *Quod præceperat Darius Rex, sic diligenter executi sunt.*
5 Ezech. 38. 16. 23. & 39. 7. 21.

breus [1]: *Clangite tuba* in nomine *Domini in vocibus Canticorum*, vel *edite voces lætitiæ*.

℣. 2. QUONIAM DOMINUS EXCELSUS, TERRIBILIS.] Hic est Deus Altissimus, ac terribilis. Magnitudinem, & majestatem ejus admiramini. Iræ, ac ultionis ejus effectus vetemini. Quantum valeat, jam nostis; vidistis enim quomodo nobis fuerit patrocinatus, & didicistis, quam terribilis sit: testes enim fuistis quo pacto inimicos, & persecutores populi sui male mulctaverit. Maximus, apertissimusque divinæ potentiæ, & virtutis effectus est Evangelii prædicatio, & Gentium conversio. Viæ, quibus ad hoc usus est Deus, conferantur cum ejus conatu, & mirabili eventu, quem, licet totus adversaretur Infernus, & mundi Principes, & humani cordis corruptio, consecutus est; fatebitur quilibet, Dei numquam magis enituisse magnitudinem, potestatem, atque virtutem [2]. Psalterium Romanum legit: *Quoniam Deus summus, terribilis, & Rex magnus super omnes Deos*.

℣. 3. SUBJECIT POPULOS NOBIS, & GENTES SUB PEDIBUS NOSTRIS.] Delevit olim Chananæos Deus, nobisque regionis illorum contulit imperium; Nos etiam tueri perstitit, Davide, ac Salomone imperantibus. Donec Reges nostri justitiam, veramque Religionem coluerunt, ipsi domini fuerunt hostium suorum, & gentium alienigenarum. Nos ipsi post reditum de captivitate nonne palam omnipotentis protectionis Dominicæ effectus sumus experti? Fœderatæ Gentes obstiterunt, ne rursus sedem nobis constitueremus, & Templum Domini ædificaremus [3]. Nunc vero eas tandem silere coegimus, easque pudore suffudimus. Cambyses de Ægypto reversus cum Judæorum terras, igni, ferroque populari meditaretur, a Deo cum toto exercitu percussus est ante gentium omnium oculos, quibus terribile hoc factum verum terrorem, summamque erga Deum Israel reverentiam injecit [4]. Prophetæ [5] palam prædixerant, Hebræos illis, a quibus subjecti, & male habiti fuerant, dominaturos; & Ezechiel loquens de morte Gog, & clade copiarum ejus ait, Judæos ablaturos esse spolia eorum a quibus exuti fuerant, ac depopulaturos eos, a quibus fuerant direpti. Hoc plane isthic ob auctoris animum versabatur.

Hebræus habet [6]: *Percussit morte*, vel peste [7] *Populos sub nobis, & Gentes sub pedibus nostris*. Si de Cambysis clade hoc intelligas, perspicua sane, & commoda est explicatio. Nationes, quæ Principis hujus exercitus componebant, Judaici populi præda fuere. Alii vertunt: *Congregavit*, tamquam oves in caulas suas [8]: *Gentes sub ditione nostra, & populos sub pedibus nostris*; quod demum adimpletum est post Antiochi Epiphanis persecutiones, cum Samaritani, Idumæi, Philisthiim, aliique nonnulli Judæis subjecti fuere. Symmachus [9]: *Nobis subjecit Reges*, & posuit nationes sub pedibus nostris. Patres hæc omnia explicant de Gentilium conversione, eorumque Fidei submissione, & Ecclesiæ obedientia.

℣. 4. ELEGIT NOBIS HÆREDITATEM SUAM; SPECIEM JACOB, QUAM DILEXIT.] Dominus elegit nos ex omnibus nationibus, ut essemus populus ejus; et sibi sedem suam in medio Israel constituit. Hebraica vox, quam Septuaginta [10] hoc in loco legerunt, significat pulchritudinem, & domum, aut villam amœnam, atque jucundam. At Hebræus, qui hodie extat, differt [11]: *Elegit nobis hæreditatem nostram, &*

A *gloriam Jacob, quam dilexit*. Ipse pro nobis hanc quam incolimus, terram elegit; ipse hanc nobis ab initio constituit, & cum eam Patribus nostris spopondisset, nos ad ejus possessionem invexit; ipse elegit speciem, gloriam, honorem Jacob; Arcam suam, Templum, Sanctuarium suum, quod amavit, et omnibus aliis mansionibus prætulit.

Templum Domini appellatur gloria, et ornamentum Jacob non semel in Scripturis: *Ecce ego polluam Sanctuarium meum*, ait Dominus in Ezechiele 24. 21. *superbiam imperii vestri, desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pavet anima vestra*. Templum quoque vocatur *locus habitationis gloriæ* Domini in Psalmo 25. 8. Symmachus [12]: *gloria*: Aquila, *excellentia*: quinta Editio, *subiectum gloriæ Jacob*. Romanum Psal-
B terium, & Cassiodorus legunt: *Elegit nobis hæreditatem sibi*, quod conforme est Complutensi Editioni.

In spirituali sensu Ethnici populi ad Christianam Religionem conversi, & illi Judaici nominis, qui J. C. fidem amplexati sunt, facti sunt hæreditas Domini. Christiana Ecclesia est electa hæreditas, vera species Jacob, eorum, qui vere fideles sunt, gloria, & felicitas.

℣. 5. ASCENDIT DEUS IN JUBILO, & DOMINUS IN VOCE TUBÆ.] Hoc est vaticinium de J. C. ascensione. Ascendit ille triumphans in cœlum, & quodammodo inter acclamationum plausus, atque instrumentorum sonitum, morte jam ac Dæmone victis. Hæ lætitiæ voces, atque hic tubæ clangor Apostolorum vocem significant, ubique terrarum J. C. prædicantium; vel
C Angelorum Salvatorem in cœlum concomitantium suavissimos concentus, vel sermones, quos beati illi spiritus habuerunt cum Discipulis, atque Apostolis in monte Olivarum: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum*, Act. 1. 11.

Psalmi hujus Auctor innuere fortasse voluit in solemnitate Dedicationis Templi, Dominum illuc venisse, ut sedem suam constitueret, & *ascendisse* juxta Hebræorum stylum, qui hoc verbo utuntur, cum alicujus adventum in editiorem locum significare volunt. Venit concrepantibus musicis instrumentis inter totius populi plausus, recentis habitationis suæ possessionem aditurus. Non credimus tamen, Arcam fuisse in Tem-
D plo secundo, quemadmodum ostendimus in Dissertatione in Macchabæos, videlicet, an Arca post captivitatem in Templum reducta fuerit.

℣. 6. PSALLITE DEO NOSTRO, PSALLITE, &c.] Instaurate lætitiæ clamores, & hilares cantus: Ecce venit, atque ad Templum suum accedit. Filii Core alios præcipue Levitas invitant, ut sedulo Omnipotentis Dei, ac supremi Regis Israel laudes concelebrent.

℣. 7. PSALLITE SAPIENTER [13].] Intelligenter, erudite. Hebraica vox [14] *Maschil*, eadem est, quæ frequenter adeo in Psalmorum titulis vertitur: *Intellectus*. Non desunt qui putent, hanc propriam esse Hebraicæ musices vocem, quæ vere illum significet, qui Musicorum choro præest, atque ex omnibus musices
E est scientissimus. Vestrum unusquisque, qui musicam, atque instrumentis psallere, nostis, totis nervis Dominum laudare contendat. Plerique eam explicant de ea attentione, ac reverentia, summaque gravitate, atque

1 הריעו לאלהים בקול רנה 70. Ἀλαλάξατε. Alius. Συμψάτε. Alius, Εὐφημήσατε.

2 Vide S. Chrysostomum in hunc locum. 3 2. Esdr. 4. 1. & seq. 5. &c. 4 Vide Ezech. 38. 39.

5 Isai. 60. 14. *Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi*. Idem 14. 2. *Erunt capientes eos, qui se ceperant, & subjicient exactores suos*. Ezech. 39. 10. *Diripient vastatores suos &c.* 6 ידבר עמים תחתינו ולאמים תחת רגלינו

7 דבר *Pestis* Exod. 5. 3. 9. 3. 15. Levit. 26. 25. Numer. 14. 12. & passim. Vide & Psalm. 2. 5. 2. Par. 22. 10. Psalm. 17. 48. 8 Vide Isai. 5. 17. Mich. 2. 12. Jun. Tremel. hic. Glass. Gramm. lib. 3. cap. 3.

9 Symmach. ὑπέταξε βασιλεῖς ἡμῖν. 10 Legerunt נוה יעקב pro גאון יעקב Τὴν καλλονὴν Ἰακώβ. Aliquando hanc vocem reddunt, ὡραιότης, *pulchritudo*. Psalm. 67. 17. Vel Εὐπρέπεια, *decor*. 2. Reg. 15. 25. & Εὐπρεπής. Job. 18. 16. seu Ὡραῖος, *speciosus*. Psalm. 64. 13.

11 יבחר לנו את נחלתנו את גאון יעקב אשר אהב 70. Κληρονομίαν ἑαυτῷ, seu αὐτῷ. Cæteri Interp. apud Euseb. *Hæreditatem nostram*. 12 Symmach. Τὴν δόξαν. Aquil. τὸ ὑπερῆφανον. 5. Edit. τὸ καύχημα Ἰακώβ. 13 August. *Psallite intelligenter*. S. Hieronym. *Canite erudite*. 14 משכיל 70. Συνετῶς.

atque sapientia, qua Deum alloqui, ejusque laudes celebrare decet. Ut sapienter aliquid facias, hoc primum requiritur, ut illud intelligas, ac probe teneas: *Nemo quicquam sapienter facit, quod non intelligit*. Quod Deus dignatus est ad sacrorum curam evocare, hi primum omnem eutam collocare debent, ut penitus calleant quidquid ad officii sui munera spectet, deinde ut rite iis persungatur. *Psallite sapienter*, S. Joannes Chrysostomus, & S. Augustinus censent, laudes, quæ Domino tribuuntur, conjunctas esse debere cum bonis operibus, fide, charitate, & recta vivendi ratione. Hoc autem *psallere sapienter* vocatur.

℣. 8. REGNABIT [1] DEUS SUPER [2] GENTES. DEUS SEDET SUPER SEDEM SANCTAM SUAM.] Dominus Deus noster supremum in omnes terrarum populos imperium exercet. Ille in Jerusalem sedet, ibique thronum suum collocavit. In Templo sancto suo magis aperta tribuit præsentiæ suæ signa. Sanctum igitur locum hunc summopere veneramini, Ministri Dei, qui ad eum honoris gradum vocati estis, ut ad altaria illius accedere possitis: illuc non nisi cum reverentia, eaque terrore quodam permixta ne gradum ferre audeatis.

Jesus Christus in Ecclesia sua regnat, regnat in cordibus fidelium. Regnum ipsius est totius æternitatis. Super omnes populos, omnibusque sæculis regnavit. Verum in Ethnicos, qui non noverant illum, violentum quoad ipsos, & præter eorum voluntatem exercebat imperium. Hodie vero regnat in populo, qui illum agnoscit, eumque in spiritu, & veritate veneratur. Dominatur in eorum corda, & voluntates. Ad dexteram Patris sedet, qui illi in Cœlo, ac in terra contulit, ut omnia posset. Hebr. 1. 3. & Matth. 28. 18.

℣. 9. PRINCIPES POPULORUM CONGREGATI SUNT CUM DEO ABRAHAM; QUONIAM DII FORTES TERRÆ VEHEMENTER ELEVATI SUNT.] Principes, qui citra Euphratem Provinciis præerant, ac Judææ præsertim, in Jerusalem convenere, solemnitatem spectaturi Dedicationis Templi, quod majori ex parte Regis Persarum Domini eorum sumptibus fuerat ædificatum. Principes hi, qui hoc in loco *Dii*, vel judices regionis ejus vocantur, summa dignitate, ac potestate præstabant, maximamque omni in regione exercebant auctoritatem. Judæi omnino ab eorum nutu pendebant, cum Regis Persarum subditi essent, ac vectigales.

In spirituali sensu: Principes exterorum populorum, Imperatores, & Reges Gentium congregati sunt cum Deo Abraham, Christianam fidem amplectentes. Promiserat olim Deus Patriarchæ Abraham, futurum ut *omnes gentes in semine illius benedicerentur* [3]; quod re ipsa in Evangelii prædicatione, & Gentium conversione adimpletum est.

Hebræus quemadmodum hodie punctis notatus est, habet [4]: *Principes populi congregati sunt cum populo Dei Abraham: quod hic* Deus *magnopere elevatus est super Deos clypeos terræ*. Exteri principes se se conjuncti sunt cum populo Domini: agnovere tandem, quam longe Deus Abraham omnibus terrarum Potestatibus excellet. Reges sæpe vocantur *clypei*, vel patroni populi [5], vel regionis suæ, quo nomine & Deus ipse aliquando appellatur [6]. Aliter: Principes, vel *magnifici populorum congregati sunt*, ut fierent populus *Domini Abraham: eo quod Deus est Dominus Principum*, & clypeorum *regionis, & ipse admodum elevatus est super illos*. Sensum hunc Septuaginta [7], & Græci Patres secuti sunt; eaque omnium optima est interpretatio.

Per hos *fortes terræ*, plerique [8] intelligunt Apostolos, qui re ipsa in omnem terram potestatem, atque auctoritatem toto cœlo superiorem auctoritati Regum maxime valentium exercuere. Hi enim veritatis vi, & miraculorum suorum virtute plures subegere Provincias, plurésque populos, majoremque effecerunt in terris, corde, moribus, sententiis, hominum vivendi ratione, mutationem, quam quæ ab ullo potentissimorum principum terræ fieri potuisset. Alii [9] intelligunt viros principes terræ, quorum potestas, auctoritas, vita, mors in Dei manibus sitæ sunt. Arnobius inanes Deos, Sanctus Augustinus superbos, vel divites mundi, interpretatur. Deus Abraham dominus est, ac Rex horum fortium terræ, horum clypeorum regionis; per infinitam potentiam suam eis dominatur, per gratiam vero, & fidem in eorum cordibus regnat.

1 Psalter. Rom. Mediol. German. Carnut. Colbert. Edit. Complut. *Regnavit*. Ἐβασίλευσε.
2 Psalter. Rom. Mediol. Carnut. *Omnes Gentes*. 3 Genes. 18. 18. 22. 18. Galat. 3. 8.
4 נדיבי עמים נאספו עם אלהי אברהם כי לאלהים מגני ארץ מאד נעלה
5 Psal. 88. 19. Osee 4. 18. 6 Genes. 15. 1. Deut. 33. 29. 1. Reg. 22. 3. 31. 36. Psal. 3. 4. 18. 3. & passim. 7 70. Ἄρχοντες λαῶν συνήχθησαν μετὰ τοῦ Θεοῦ Ἀβραάμ, ὅτι τοῦ Θεοῦ οἱ κραταιοὶ τῆς γῆς σφόδρα ἐπήρθησαν. Legendum esset in Vulgata: *Quoniam ipsius Dei fortes terræ*, &c. Aquila, Θυρεοὶ τῆς γῆς. 5. Edit. ὑπερασπισμοί. Ita Th. & Sym. apud Theodoret. 8 Chrysost. Theodoret. & Hieronym. hic.
9 Cassiodorus.

PSALMUS XLVII.

Domini Magnitudo in sancto illius Templo, ac in Jerusalem effulget. Ipse ea tuetur adversus conatus Regum, & Principum terræ, & gloriam suam usque ad extremos fines terræ emicare facit.

Psalmus Cantici filiis Core, secunda Sabbathi.

ARGUMENTUM.

Verba hæc tituli: *Psalmus Cantici*, vel uti cum Septuaginta [1] Sanctus Augustinus legit, *Laus Cantici*, vel juxta alios [2] *Canticum Psalmi*, synonima sunt, nihilque aliud significant, quam *Psalmum*, vel *Canticum*, vel innuunt hunc & musicorum voce, & fidium sono cani debuisse. *Secunda Sabbathi*, vel secunda hebdomadæ dies, non legitur in Hebræo textu, neque apud Eusebium, neque apud Sanctum Chrysostomum. Sanctus Am-

1 Ὠδὴ Ψαλμοῦ שיר מזמור 2 Euseb. hic, & Cod. Memmian. 2.

Ambrosius Dominicum diem intelligit, Sanctus Augustinus, & Sanctus Hieronymus diem Lunæ; eo fortasse quod apud Hebræos eo die psalmus hic canebatur [1]. Inter hunc, duosque superiores Psalmos manifesta apparet relatio, eademque apud Interpretes videtur sententiarum varietas, quoad argumentum Psalmi hujus, quæ fuit in quadragesimo sexto: alii hunc de Davide explicant ex omnibus hostibus suis liberato, & pacato fruente imperio; alii de Josaphat Ammonitarum, Moabitarum, ac Syrorum, qui semet invicem confoderunt, victore [2]; alii de Achaz de Regum Syriæ, & Samariæ faucibus erepto [3], & nonnulli de miraculosa clade exercitus Sennacherib 4. Reg. 18. & 19. & 2. Par. 32.

Patres hunc, non secus ac superiorem, de Gentilium vocatione, de Jesu Christi victoria adversus errores, ac idololatriam: & de gloria, pulchritudine, virtute Ecclesiæ Christianæ interpretantur. S. Chrysostomus, Nicephorus, atque Euthymius hunc referunt ad Iudæos de Babylonis captivitate liberatos; quam sententiam in commentariis sectabimur, psalmumque explicabimus, veluti continuationem Cantici, quod in secundi Templi dedicatione cecinerunt, ut Deo gratias agerent ob pacem populo concessam, atque opem, quod illis afferre dignatus est. Attingitur præcipue Cambysis clades, & Templi, ac Ierusalem bona commendantur.

1. MAgnus Dominus, & laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte
sancto ejus. 2 Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera
Aquilonis, civitas Regis magni. 3 Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam. 4 Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt: convenerunt in unum. 5 Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos. 6 Ibi dolores ut parturientis: in spiritu vehementi conteres naves Tharsis. 7 Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum. 8 Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio Templi tui. 9 Secundum nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua. 10 Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine. 11 Circumdate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus ejus. 12 Ponite corda vestra in virtute ejus: & distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera. 13 Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.

℣. 1. MAGNUS DOMINUS, ET LAUDABILIS NIMIS, IN CIVITATE DEI NOSTRI, IN MONTE SANCTO EJUS [4].] Postremus præcedentis psalmi versiculus repetendus est, ut huic adjungatur. *Dominus est Rex Regum, & Principum terræ. Ipse vehementer elevatus est. Ipse magnus est, & laudabilis nimis in monte sancto suo, atque in civitate sua*, in monte Sion, atque in Templo Jerusalem. Templum isthic *civitatem* vocat, non secus ac sequenti versiculo: *Civitas Regis Magni*; & in Ezechiele 40. 2. *dimisit me* Dominus, inquit ille, *super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum*. Civitas hæc est Templum, uti ex descriptionis decursu innotescit. Re quidem vera Domus Domini speciem referebat urbis satis munitæ, & ingentis, ubi Sacerdotes, Levitæ, & populi undique confluentis multitudo, quæ ibi aderat quotidie, frequentis civitatis imaginem præbebant. Templum Domini, & Civitas Sancta designant Jesu Christi Ecclesiam fundatam super firmam petram, vel super montem, qui est ipse Iesus Christus.

℣. 2. FUNDATUR EXULTATIONE UNIVERSÆ TERRÆ MONS SION, LATERA AQUILONIS, CIVITAS REGIS MAGNI.] Templum Domini tandem perfectum est; Civitas Dei magni ad Boream Jerusalem posita super montem Moria, inter psallentium instrumentorum sonos, atque regionis totius, imo & alienigenarum, qui ad hanc celebritatem confluxere, lætitiam hodie dedicatur. Vetus urbs Ierusalem a Iebusæis primum occupata, mox a David capta, erat ad meridiem posita montis Sion, super quem Templum assurgebat. Itaque

A tria hæc, Mons Sion, latus Aquilonis, & civitas Dei Magni unum, & idem significant. Isaias 14. 13. Templum Domini vocat *montem testamenti in lateribus Aquilonis*, & Ezechiel 40. 2. *Dei Magni civitatem* appellat, quæ omnia facili negotio J. C. Ecclesiæ applicantur.

Hebr. [5]: *Pulcher situs, totius terræ gaudium, mons Sion, latus Aquilonis, civitas Regis magni*; quod præcedentibus hoc pacto subnecti potest: Dominus est magnus, & adorabilis in monte sancto suo, in jucunda hac sede, in hoc loco, qui gaudium est, ac totius regionis gloria; in Sion, quæ est Magni hujus Regis domus, ubi illius magnitudo, ac majestas effulgent [6]. Ex pluribus Scripturæ locis [7] liquet, Templum fuisse totius Iudeæ lætitiam, gloriam, atque ornamentum. Chaldæus: *Mons Sion formosus es, tamquam sponsa, tu*
B *gaudium es hac in regione incolentium, tu es effluxus lateris Aquilonis, & civitatis Regis Magni*. In novo Testamento, nova Ierusalem, Ecclesia Christiana sub imagine recentis sponsę de cęlo descendentis, & iis omnibus, quę magis pretiosa sunt, exornatę exhibetur. Apoc. 21. 2. 9.

Septuaginta [8], & antiqua Psalteria nequaquam similia sunt hoc in loco. Complutensis editio legit: *Montes Sion, latera aquilonis, Civitas Regis magni* constituta sunt *super solidum terræ totius gaudium*, ad litteram *super gaudium, quod bene radices jecit*. Editio Romana, S. Chrysostomus, Theodoretus, & plurimi Græci manuscripti [9]; *solide fundas*, ad litteram, validas radices dat *montibus Sion cum gaudio totius terræ &c.* Dominus est fundator Sion, & conditor Templi sui. S Augustinus, & Cassiodorus, & antiqua Psalteria: *Dilatans exultationes universæ terræ mons Sion, late-*

1 Vide Genebr. & Grot. 2 2. Par. 20. 3 4. Reg. 16. 5. & seq.
4 Ambros. *In loco sancto ejus.* 5 יפה נוף משוש כל הארץ הר ציון ירכתי צפון קרית מלך רב
6 Vide Psal. 49. 2. 7 Thren. 2. 15. *Haeccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ?* Vide Psal. 25. 8. *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Psal. 28. 9. *In Templo ejus omnes dicent gloriam.* Psalm. 77. 61. *Tradidit in captivitatem . . . et pulchritudinem eorum in manus inimici.*
8 Εὐρίζων ἀγαλλιάματι πάσης τῆς γῆς, ὄρη Σιών, τὰ πλευρὰ τοῦ Βοῤῥᾶ, ἡ πόλις τοῦ Βασιλέως τοῦ μεγάλου. Ita Codices Regii quinque, & Colbert. 3. Apud Ferrand. & quid. apud Ambros.
9 70. Edit. Rom. Εὐρίζως ἀγαλλιάματι πάσης τῆς γῆς, ὄρη Σιών, &c. ut sup. Ita Codices Regii tres. Colbert. unus Aquil. Καλῷ βλαστήματι, χάρματι πάσης τῆς γῆς. *speciosο germine, gaudio universæ terrę.* Sym nach. *ab initio, prę finito splendore universę terrę.* Th. Εὐρίζῳ, *Bene radicata.* 5. Edit. Εὐκλάδῳ, *pulchris ramis prędita.*

latera Aquilonis &c. S. Ambrosius : *Dilatans exultationes universæ terræ mons Sion*. Dominus *magnam tribuit universæ terræ lætitiam* ; vel cum S. Ambrosio : Mons Sion magna tribuit lętitiæ argumenta universę terræ &c.

℣. 3. DEUS IN DOMIBUS EJUS COGNOSCETUR, CUM SUSCIPIET EAM.] Dominus cognitus est in Sion, ex quo tanto studio eum tueri cępit. Totus Israel, omnesque gentes jamdudum norunt, Dominum salutem esse, ac pręsidium Sion. Hebr. [1] : *Dominus cognitus est tamquam defensor ædium suarum*, domus Sion : se Templi sui protectorem edixit. Vel : Ex pulchritudine ędium suarum ipse earum dominus, & protector esse intelligitur. Ibi virtus, & potestas ejus effulget. Septuaginta [2] : *Dominus cognoscitur in turribus Sion*, vel in domibus ad turrium instar ędificatis, *cum suscipiet eam*.

S. Ambrosius, Cassiodorus, S. Hieronymus in corpore Commentarii sui, Psalteria Romanum, & Mediolanense legunt : *Deus in gradibus ejus cognoscetur*. Arnobius, & Psalteria S. Germani, & Carnutense : *In gravibus ejus* ; quod idem est mendum, quod jam in Psalmo 44. ℣. 9. deprehendimus, eodemque ex fonte dimanat. Græca vox *Bareis* magnas domos, vel res graves significat. *Turris fortissima nomen Domini*, Sapiens inquit Prov. 18. 10. *ad ipsum curret Justus, & exaltabitur*. Dominus est robur, ac præsidium Jerusalem, ita ut ipsa nullas hostium suorum vereatur insidias. Jesu Christi Ecclesia civitas est, contra quam nihilum pollent, & hominum furor, & Inferorum nequitia ; ab Omnipotente quippe fundata est, ac propugnata Matth. 16. 18.

℣. 4. QUONIAM ECCE REGES TERRÆ [3] CONGREGATI SUNT, CONVENERUNT IN UNUM.] En argumenta eorum, quæ modo dicta sunt, de fortitudine civitatis Sanctæ a Domino defensę. Cambyses, & Reges, qui illi parebant, congregati sunt adversus Judæam, & Jerusalem. Magog, Ros, Thubal, Mosoch [4], Persæ, Cusehim, Lybii, Gomer, Togorma, principes Aquilonis [5], Seba, Dedan, & Mercatores Tharsis [6] ad interitum Sion conjurarunt. *Ascendent sermones super cor tuum*, ait Ezechiel cap. 38. 11. ad Gog, qui idem est ac Cambyses, *& cogitabis cogitationem pessimam : Et dices : ascendam ad terram absque muro : veniam ad quiescentes, habitantesque secure : hi omnes habitant sine muro, vectes, & portæ non sunt in eis. Ut diripias spolia, & invadas prædam etc.*

Hoc etiam Ecclesiæ persecutoribus applicatur, cujus sensus affabre adeo in 2. Psalmo ℣. 2. 3. exprimuntur : *Astiterunt Reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus : Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum : qui habitat in cęlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos*.

℣. 6. IBI DOLORES UT PARTURIENTIS : IN SPIRITU VEHEMENTI CONTERES NAVES THARSIS.] Repente ira Domini adversus illos detonavit. Particula *Ibi* [7] innuit ultionis celeritatem, non secus ac ista similitudo parturientis [8].

Apostolus 1. Thessal. 5. 3. stuporem hominum descripturus, cum Judicii dies advenerit, ait, ipsos repentino, atque inevitabili terrore perculsum iri, tamquam mulierem ventrem ferentem, atque partus doloribus correptam. *Saba, et Dedan, & negotiatores Tharsis*, hoc est classis præfecti a Cambyse præpositi ; classem enim instruxerat, uti ex Herodoto l. 3. c. 11. 44. 45. liquet ; *& omnes leones ejus*, satellites, vel prætoriani duces, *dicent tibi : Numquid ad sumenda spolia tu venis? ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum, & aurum, & auferas supellectilem, atque substantiam... Et erit in die illa, in die adventus Gog super terram Israel, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo. Et in zelo meo, in igne iræ meæ locutus sum. Quia in die illa erit commotio magna super terram Israel. Et commovebuntur a facie mea pisces maris, & volucres Cœli, & bestiæ agri, & omne reptile, quod movetur super humum, cunctique homines, qui sunt super faciem terræ, & subvertentur montes, et cadent sepes, et omnis murus corruet in terram. Et convocabo adversus eum in cunctis montibus gladium, ait Dominus Deus, gladiusque uniuscujusque in fratrem suum dirigetur. Et judicabo eum peste, et sanguine, et imbre vehementi, et lapidibus immensis : ignem, et sulphur pluam super eum, et super exercitum ejus, et super populos multos, qui sunt cum eo, et magnificabor, et sanctificabor, et notus ero in oculis multarum Gentium, et scient, quia ego Dominus*.

Hæc eadem plane procella est, quæ terrorem in Cambysis terrestres copias immisit, atque classem, quę ad Mediterranei litora e conspectu terrestris exercitus, hoc est plane in Ptolemaidis portu, aderat, disjecit ; Cambyses enim stativa habebat ad Ecbatanas ad radices montis Carmeli [9], & exercitus ejus castra metatus erat in valle Jezrael. Ostendimus in Genesim 10. 4. naves Tharsis longas fuisse naves, atque ingentes, quæ in Tharsum Ciliciæ iter absolvere poterant. *Spiritus vehemens*, de quo hic sermo, est *ventus ab Oriente flans* juxta Hebraicum textum [10].

℣. 7. SICUT AUDIVIMUS, SIC VIDIMUS IN CIVITATE DOMINI VIRTUTUM ... DEUS FUNDAVIT EAM IN ÆTERNUM.] Nos experti vidimus illud, quod toties patres nostri narraverunt nobis, Templum scilicet Domini semper permansurum, atque divinæ præsentiæ virtute fortissimum, atque immobile futurum. Nos hodie certissimum promissionum tuarum intuemur effectum, quibus toties per Prophetas tuas pollicitus es, augustum hoc templum restitutum iri, atque semper duraturum [11]. Post tot bella, persecutiones, oppositiones, quas ædificium hoc passum est, quis credidisset futurum, ut aliquando absolveretur, illudque pacate dedicaremus inter exultantis populi tui gaudia, atque exterorum Principum plausus, ac studia, qui per ea sacrificia, quæ tibi offerri jubent præsentiam, ac majestatem tuam summo cum honore prosequuntur? 1. Esdr. 6. 8. 9.

Hæc omnia commode ad fideles, qui recens in Ecclesiam admissi fuere, transferuntur. Hi quippe summa cum voluptate hujus sponsæ Dei sui speciem, hanc veritatis arcem, hanc pacis visionem, hanc justitiæ columnam admirantur ; sibique magis in dies persuadent, eam commoveri non posse propter invictam Martyrum fortitudinem, & præsens Domini auxilium, qui semper illius invigilat incolumitati.

℣. 8. SUSCEPIMUS DEUS MISERICORDIAM TUAM IN MEDIO TEMPLI TUI.] In medio Templi tui ob ea, quæ populi tui misertus ei præstitisti, laudes tuas celebramus ; ac humillime tibi gratias agimus. Hic maxima, ac magis mirabilia potentis præsidii tui accepimus argumenta : Hic nos voti damnasti ; & veluti certissimum reconciliatæ amicitiæ pignus existimamus, quod nobis copiam facere dignatus es ædificii hujus felici eventu ad finem usque perducendi non sine Regiæ liberalitatis ope, infinita vero tua misericordia favente.

Hebræus [12] : *Præstolamur effectus clementiæ tuæ in medio Templi tui*. In te, Domine, speravimus, ad te humillimas preces fudimus in medio Templi tui ; neque nos nostra expectatio fefellit. Septuaginta [13], S. Am-

1 אלהים בארמנותיה נודע למשגב 2 70. Ὁ Θεὸς ἐν ταῖς βάρεσιν αὐτῆς γινώσκεται, ὅταν ἀντιλαμβάνηται αὐτῆς. 5. Edit. Ὁ Θεὸς ἐν ταῖς Βασιλείαις αὐτῆς γνωσθήσεται εἰς ὀχύρωμα.

3 *Terrę* abundat. S. Hieronymus abrasit hanc vocem a Psalteriis, quæ correxit. Vide Psalter. Gallican. Hieronym. ad Suniam. 4 Ezech. 38. 2. 3. 5 Ibid. vers. 5. 6 Ibid. vers. 13.

7 Vide Genes. 14. 10. Job. 35. 12. Psal. 35. 13. Mich. 4. 9. 10. &c. 8 Isai 13. 8. Jerem. 4. 3. 6. 24. Osee 13. 13. 9 Vide nostrum Commentarium in Ezech. 38. 39. & dissertationem de Gog, ac Magog.

10 ברוח קדים 70. Ἐν πνεύματι βιαίῳ. Symm. Διὰ ἀνέμου βιαίου. Aquil. Ἐν πνεύματι καύσωνι. In vento urenti.

11 Isai. 26. 1. 2. 44. 26. 28. 45. 13. Jerem. 42. 10. Ezech. 40. 12 דמינו אלהים חסדך בקרב היכלך

13 70. Ὑπελάβομεν, ὁ Θεὸς τὸ ἔλεός σου ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ σου. Ita legebant Sunia, & Fretella, apud Hieronym. & ita Codd. Græci apud Ferrand.

Augustinus; S. Chrysostomus, Theodoretus, Apollinaris, Arabs, Æthiops, antiqua Psalteria Mediolanense, & S. Germani legunt: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio populi tui*. Sed S. Ambrosius, S. Athanasius, S. Hieronymus, Aquila, Symmachus, Theodotion, quinta, & sexta Editio [1] non secus ac Hebræus: *in medio Templi tui*. Græcorum nominum Ναοῦ, & Λαοῦ similitudo, quorum illud *Templum*, alterum vero *Populum* significat, varietati huic aditum præbuit. Ethnici ad Christianam Religionem conversi suscipiunt Domini misericordiam in medio Templi ejus, ibi verbum illius audientes, ibi mysteriorum ejus participes effecti, atque tum communium Ecclesiæ precum consortes facti, tum privatim, quas uniuscujusque elicit devotio, ibi offerentes; Nos illic Christum ipsum recipimus. Ita Ambrosius.

℣. 9. SECUNDUM NOMEN TUUM, DEUS, SIC & LAUS TUA IN FINES TERRÆ.] Ubicumque cognosceris Domine, ibi etiam laudaris, atque adoraris: Ii tantum, qui per summam infelicitatem te ignorant, laudes tuas non annunciant. Verum quinam est populus, quæ regio, ubi nomen tuum ignoretur? Quem fugiunt prodigia, quæ olim in Ægypto, in Arabia, in terra Chanaan, ultra Euphratem, Babylone, Ninive, ac Susis fecisti. Clades Sennacherib, & eæ, quæ nuperrime Holoferni, & Cambysi illatæ fuere, omnibus in terris celebrantur.

Facta illa satis insignia fuere, atque ad tot Populos pertinuere, ut quantocyus eorum fama in omnes terrarum plagas diffusa fuerit. Quis autem ambigere potest, tu ne sis operum adeo mirabilium, atque terribilium origo? Tu ergo quamprimum omnibus in terris agnosceris, & adoraberis. Hoc autem perfecte non adimpletum est, nisi post Evangelii prædicationem, & post Ethnicorum populorum ad J.C. fidem conversionem.

JUSTITIA EST PLENA DEXTERA TUA.] Justitiæ nomen pro misericordia nonnumquam usurpatur [2], quo in sensu hoc in loco sumptum videtur propter rationem, quam cum superioribus habet: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui*, neque irrita fuit spes nostra; *Justitia est plena dextera tua*, ultionem sumpsit de inimicis nostris, ac tutata est innocentiam nostram, nosque favoribus cumulavit; quod sequentibus opponitur vers. 10. *Exultent filiæ Judæ propter Judicia tua Domine*, & propter supplicia, quibus adversus hostes earum [3], & populos, qui venerant servos tuos perdituri, animadvertisti. *Filiæ Juda* significant *civitates Juda* juxta vulgatam Hebræorum loquendi rationem, qui filias regionis alicujus vocant eas civitates, quæ a Principe Civitate dependent [4]. S. Ambrosius, S. Chrysostomus, Eusebius, S. Athanasius, & Manuscripti S. Augustini legunt: *Filiæ Judææ* [5], pro *Filiæ Judæ*.

℣. 11. CIRCUMDATE SION, & COMPLECTIMINI EAM; NARRATE IN TURRIBUS EJUS.] Vel potius juxta Hebraicum textum [6]: *circuite Sion, eam undique invisite, recensete turres ejus*. Hæc est ad populum, qui ad Dedicationis Templi solemnitatem convenerat, apostrophe. Confer te præsentem statum Sion cum eo, in quo erat antea. Templum circuite, circum illud obambulate, enumerate turres, quibus munitum est. Templum Jerusalem erat veluti arx civitatis. Situs erat munitissimus, omnesque portæ illius totidem turres erant, mirum in modum fortes, ac sublimes.

Eo tempore, de quo loquimur, mœnia Jerusalem nondum erat restaurata, atque tunc demum, Artaxerse Longimano Xersis Magni Successore imperante, propter Nehemiæ diligentiam restituta sunt 2. Esdr. 1. 3. 4. & seq. Ita Psalmi Auctor non loquitur de Jerusalem, sed de Sion dumtaxat, & de Templo, quod bis *Magni Dei Civitatem* vocavit.

℣. 12. PONITE CORDA VESTRA IN VIRTUTE EJUS, UT ENARRETIS IN PROGENIE ALTERA.] Oculos conjicite in urbem Jerusalem, vel simpliciter in Templum Domini; vim ejus perpendite, mansiones, & conclavia enumerate, eaque sedulo recensete, ut posteri intelligant, quid pro populo suo fecerit Deus, qui postquam in scelerum nostrorum pœnam permisit, ut Templum suum a Chaldæis everteretur, illud nobis restituere, ac in eum, quem admiramini, statum vocare dignatus est.

Hebræus [7]; *Ponite cor vestrum*, attentionem vestram, *in virtute ejus*, in antemurali, in opibus ejus; *considerate ædes ejus; ut id enarretis generationibus futuris*. *Antemuralis* nomine [8] intelligi potest murus exterior sex cubitorum altitudine [9], qui Templum circumdabat, & qui in Templo a Salomone ædificato non aderat. Pro *ædibus* Septuaginta legunt *Bareis* [10], quam eamdem vocem vidimus jam ℣. 3. Psalmi hujus, & quæ domos in turrium speciem, vel res magni ponderis, quæ *graves* a Latinis dicuntur, significat. Verum quemadmodum vox *graves* nullum hoc in loco sensum adstruit, Librarii *gradus* scripsere, quod mendum est ex alio mendo profectum. S. Ambrosius, Antiqua Psalteria, Romanum, Mediolanense, & Carnutense legunt: *distribuite gradus ejus*, pro, *domos ejus*.

℣. 13. IPSE REGET NOS IN SÆCULA.] Hebræus [11] potius significat: *ipse reget nos, quemadmodum pastor agit gregem suum*. Sed vox, quam Vulgata reddidit, *in sæcula* [12] crucem Interpretibus figit. Judæi legunt: *deducet nos in morte*, vel *ad mortem*, vel *usque ad mortem*, hoc est in perpetuum. Alii legunt: *ducet nos in secretum incomprehensibilibus Providentiæ suæ* regulis. Chaldæus: ducet nos in diebus juventutis nostræ. Ego tamen hanc vocem addere velim titulo Psalmi seq. hoc pacto [13]. *Psalmus filiorum Core inscriptus Moderatori Musices adolescentularum*. Titulus idem invenitur Psalmo 45. qui non secus ac iste, filiis Core tribuitur. Vide quoque Psalmum 9. 1. Certum autem est, novissimas has voces nihil ad Psalmi sensum conducere.

---

1 Ἐν μέσῳ τοῦ ναοῦ σου. 2 Vide Psal. 4. 1. 23. 5. 50. 15. 102. 18. 111. 8.
3 Nicephor. Euthym. 4 Ita 70. Symmach. Th. Ἀ. θυγατέρες τῆς Ἰουδαίας.
6 Vide Psalm. 44 13. 136. 8. Thren. 2. 2. Isai. 3. 16. &c. 6 סובו ציון והקיפוה ספרו מגדליה 70. Περιέλθετε. Alius, Περιέλθετε. Aquil. Περιτειχίσατε. *Muro circumdate*.
7 שיתו לבכם לחילה פסגו ארמנותיה למען הספרו לדור אחרון 8 חילה 70. Τὴν δύναμιν αὐτῆς. Symmach. Τὸν περίβολον. 9 Ezech. 40. 5. 10 Καταδιέλεσθε τὰς βάρεις αὐτῆς
11 הוא ינהגנו על מות 12 70. Εἰς τοὺς αἰῶνας. Symmach. τὸ διηνεκές. Id deduxerunt a עולם *sæculum*.
13 למנצח עלמות לבני קרח מזמור

PSALMUS XLVIII.

Divitiarum inutilitas. Nec eas possidenti vitam servare, nec alteri adferre possunt. Mors nequit evitari. Hæc omnes homines æquales facit. Impii se brutis similes præstant.

In finem, filiis Core, Psalmus.

ARGUMENTUM.

Psalmi hujus titulus nihil habet singulare. S. Ambrosius legit: *Psalmus David*. Psalmus hic ad erudiendum appositus est, atque ænigmaticus. Filii Core, vel qui ex illorum numero præcedentium Psalmorum Auctor est, hunc quoque obscuro, & parabolico stylo conscripsit, Antiquorum more, quibus lubitum erat documenta sua figuris, atque ænigmatibus involvere. Videtur autem scopus illius fuisse, captivos fratres suos consolandi, in ipsis divitiarum, gloriæ, & bonorum mundi hujus contemptum ciendi, eosque ad patientiam adversus Babyloniorum injurias hortandi, propositis Judiciorum Dei, ac Mortis cogitationibus: hæc enim omnes homines pares factura est, ac inanis hujus felicitatis finis, initium vero æternæ infelicitatis impiorum futura.

Psalmus hic multis tenebris, atque difficultatibus obsitus est. Patres illum explicant, tamquam Apostolorum, & Concionatorum generalem doctrinam de opum vanitate, vitæ brevitate, atque terrenarum rerum inconstantia. Eusebius, & S. Athanasius de postremo Judicio interpretantur. Quædam etiam vaticinia deprehenduntur de humani generis redemptione, ac Messiæ Resurrectione. Vide ℣. 8. 9. 15. 16. Plures adsunt hoc in Psalmo sententiæ, illis, quæ in Ecclesiastis libro inveniuntur, persimiles. Psalmus hic compositus est eodem ferme stylo ac liber ille Salomonis.

1. AUdite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.
2 Quique terrigenæ, & filii hominum; simul in unum dives, & pauper.
3 Os meum loquetur sapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam. 4
Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam. 5
Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. 6 Qui confi-
dunt in virtute sua: & in multitudine divitiarum suarum gloriantur. 7 Frater non
redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam. 8 Et pretium redem-
ptionis animæ suæ: & laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem. 9 Non vi-
debit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens, & stultus peri-
bunt. 10 Et relinquent alienis divitias suas: & sepulchra eorum domus illorum
in æternum. 11 Tabernacula eorum in progenie, & progenie: vocaverunt nomi-
na sua in terris suis. 12 Et homo, cum in honore esset, non intellexit: com-
paratus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. 13 Hæc via illorum
scandalum ipsis: & postea in ore suo complacebunt. 14 Sicut oves in inferno po-
siti sunt: mors depascet eos. 15 Et dominabuntur eorum justi in matutino: &
auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum. 16 Verumtamen Deus redi-
met animam meam de manu inferi, cum acceperit me. 17 Ne timueris, cum
dives factus fuerit homo: & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. 18 Quo-
niam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus. 19
Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi, cum benefeceris ei.
20 Introibit usque in progenies patrum suorum: & usque in æternum non videbit
lumen. 21 Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumen-
tis insipientibus, & similis factus est illis.

℣. 1. AUDITE HÆC OMNES GENTES.] Versiculus hic, & tres, qui subsequuntur, magnificum sunt exordium, ubi Auctor extollit magnitudinem, ac utilitatem eorum, quæ dicturus est, ut Auditorem attentum reddat. Non solum autem Judæos, sed generatim quoslibet homines, cujuslibet status, regionis, & conditionis alloquitur.

A OMNES, QUI HABITATIS ORBEM [1].] Omnes, qui terras incolitis. Hebr. [2]: *Omnes, qui habitatis sæculum* homines ætatis hujus, hujus temporis. Veteres quidam Græci interpretes [3]: qui delitescitis *in foraminibus sub terra*, in cavernis.

℣. 2. QUIQUE TERRIGENÆ, & FILII HOMINUM.] Seu ex humili, sive ex illustri progenie. Hic verus est sensus Hebraici textus, & Septuaginta. Hebræus [4]: *Filii*

1 Ambros. *Orbem terræ*. 70 Κατοικοῦντες τὴν οἰκουμένην. Legerunt חבל, pro חלד 2 כל ישבי חלד
3 Κατοικοῦντες τὴν καταδύσιν. Alius, τὴν ἐγκαταδύσιν. 4 גם בני ארם גם בני איש

filii Adam; *& filii viri generosi*. Septuaginta [1]: *filii terræ*, *& filii hominum*. Græci, & Latini *filii terræ* [2] vocabant, homines obscuro loco natos. Symmachus [3]: *Omne humanum genus*, universa hominum multitudo, *& quilibet homo singillatim*. Chaldæus: *Filii Adæ protoparentis*, *& filii Jacob*. Nemo est, qui non indigeat iis præceptis, quæ vobis traditurus sum; illis omnes attentas aures præbeant. Patres [4] pro *terrigenis* carnales, ac terrestres homines intelligunt, & pro *filiis hominum* justos, ab omni terreno affectu expeditos. S. Ambrosius duas has voces idem significare arbitratur; & S. Athanasius priorem illam de barbaris populis, alteram vero de cultis interpretatur.

℣. 3. OS MEUM LOQUETUR SAPIENTIAM, & MEDITATIO CORDIS MEI PRUDENTIAM [5].] Auctor præceptorum suorum utilitatem, & necessitatem exaggerat, ut sibi auditores conciliet. Ait autem, se prolaturum dumtaxat sermones sapientiæ, atque propositurum sensus prudentiæ plenos, ac voces suas fore fideles interpretes altissimæ sapientiæ, qua cor suum scatet. Hebræus plurali numero legit [6]: *Os meum proferet sapientias*, *& meditatio cordis mei prudentias*. Ego sapienter, prudenterque loquar, vobisque solida sapientiæ, ac prudentiæ tradam præcepta.

℣. 4. INCLINABO IN PARABOLAM AUREM MEAM; APERIAM IN PSALTERIO PROPOSITIONEM MEAM.] Edocebo vos ea, quæ ipse quoque e Sapientibus hausi; sum eorum Discipulus, vobis exponam ea, quæ mihi tradiderunt. Addit autem, se præcepta sua ad cytharæ sonum prolaturum. Veteres, quoad fieri poterat, in præceptis suis jucundum utili permiscebant, & pleraque illorum ligata oratione proponebantur, & canebantur [7]: Neque omittebatur instrumentorum sonus, ut facilius ethices documenta in mentes hominum illaberentur.

Nescio vero, cur illa ænigmatum, ac parabolarum integumentis involverent; nisi fortasse, ut majorem illis æstimationem, atque reverentiam conciliarent difficultate eadem intelligendi, & explicandi, vel ut curiositatem cierent, nova, & mira proponentes. Hoc nobis a natura inditum est, ut perspicacis, atque ad inveniendum celeris ingenii laudem captemus: suave est, quasdam veritates eruere, sed perplacent magis, atque magis diliguntur, cum studium in iis collocatum est, & vera earum sententia intellecta. Nimium quod ipsi vel invenimus, vel protulimus, amamus, & præcepta labore quæsita altius in animo, & in corde imprimuntur. Nobis propria fiunt, nosque magis ad ea complenda pelliciunt. Jucunda parabolarum species præceptorum austeritatem imminuit, atque seriis ethicæ documentis quamdam hilaritatem inducit.

Hebræus verti potest [8]: *Commodabo aurem parabolis*, quas ego proponam, velut Musicus, qui semet audit; *aperiam ænigmata mea ad sonitum instrumentorum*, ad sonitum *chinnor*. Alibi ad examen vocabimus, quid nam sit hoc instrumentum. *Parabolæ*, *& ænigmatis* nomen in Scripturis idem ferme significat [9]; & hoc nomine Hebræi non vera solum ænigmata, verum & omnes parabolicos sermones, sententiis refertos, atque poetico stylo conscriptos appellant. Patres quidam [10] putant, Psalmistam hic dicere, se attente auditurum vocem S. Spiritus loquentis: *Inclinabo in parabolam aurem meam*; seque lumine illius, atque afflatu percitum præcepta sua, vel ænigmata prolaturum.

℣. 5. CUR TIMEBO IN DIE MALA? INIQUITAS CALCANEI MEI CIRCUMDABIT ME.] Quid mihi metuendum erit die mortis meæ, vel die ultionis, et Judicii Dei? nihil aliud profecto, quam peccata mea. Hi soli sunt inimici, quos vereri debeo [11]. Si justus, et innocens fuero in oculis Dei, nihil mihi timendum erit ab inimicis: *Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas*. Propheta hic ænigmatice loqui incipit.

Hebræum [12] ad unguem Vulgata expressit: *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me*. Quod plures sensus potest admittere. Cur timebo in die afflictionis meæ, et iræ Domini? nisi quod tunc iniquitas mea, *iniquitas calcanei mei*, peccatum, quod supplantavit me, et velut Athleta, qui æmulum calcaneo apprehendit, eumque in terram dejicit, me præcipitem dedit; iniquitas, inquam, vel pœna peccati mei circumdabit me, atque apprehendet, ita ut manus ejus evadere nequeam. Aliter: Cur tanto terrore corripior propter diem Judicii Domini, quo iniquitas mea consurget adversum me, et me apprehendet? Tunc, ℣. 6. non potentia, non opes, non cognati, non amici eruere me poterunt de periculo, in quo versabor. Vel: quid mihi metuendum est die calamitatis meæ? Nihil aliud vereor, quam impium obsidentem, omnesque gressus meos explorantem, qui observat calcaneum meum, me supplantaturus, quomodo serpens, juxta Moysis locutionem, mulieris calcaneo insidiatur: *Tu insidiaberis calcaneo ejus*. Genes. 3. 15.

Nonnulli Patres [13] pro *iniquitate calcanei*, vel peccato suplantantis, originale peccatum intelligunt; & S. Ambrosius de concupiscentia videtur intelligere, quæ ad peccatum protrahit, potius quam de peccato: *Magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti*. S. Athanasius, Eusebius, & S. Basilius de peccato actuali; & alii de finali impœnitentia [14] interpretantur. Abenezra: Quid mihi timendum est tempore malo, tempore senectutis meæ [15], nisi quod iniquitatis meæ pœna in me irruat? Prior, quem insinuat Vulgata, sensus simplicior est, & facilior.

℣. 6. QUI CONFIDUNT IN VIRTUTE SUA, & IN MULTITUDINE DIVITIARUM SUARUM GLORIANTUR.] Monitum hoc ad divites, ac potentes sæculi spectat. ℣. 7. Non frater, non amicus, non homo quispiam ex hoc mundo liberabit te a die malo. Non igitur opibus tuis confide, neque propter fortunam tuam intumesce. Aliter [16]: *qui confidunt in opibus suis & qui gloriantur in bonorum suorum affluentia*. Irridenda prorsus vanitas est, ac imbecillitas commiseranda, ob bonorum magnitudinem intumescere, & perituris opibus confidere, quæ nullum afferre auxilium possunt, cum mors, vel calamitas immineat.

℣. 7. FRATER NON REDIMIT; REDIMET HOMO? NON DABIT DEO [17] PLACATIONEM SUAM, & PRETIUM REDEMPTIONIS &c.] Nemo glorietur ob existimationem, ac divitias suas; hæc omnia nihil illi proderunt die mortis suæ. Non frater, non amicus licet addictissimus, multoque minus extraneus, educent illum de hac necessitate [18]. Dives non se eripiet, expiationis victimas, vel sacrificia offerens Deo ad periculum evitandum, vel munera ad flectendum. Moriendi necessitas evitari non potest, & supremus Judex tunc se nec donis allici, nec sacrificiis molliri sinet. Non abutendum est tempore misericordiæ, antequam elabatur. Cito, ac diligenter fac, quod facere potes, vitæ tuæ tempore, Sapiens inquit [19], quoniam

1 Οἵ τε γηγενεῖς, καὶ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων. 2 Plato in Sophista. Persius Satyr. 6. vers. 56.
. . . . *Præsto est mihi Manius hæres*.
Progenies terræ, &c.
3 Symmach. Ἥ τε ἀνθρωπότης, ὡσπερεὶ δὲ καὶ εἷς υἱοὶ ἑκάστου ἀνθρώπου. 4 Basil. Nyssen. August.
5 August. *Intelligentiam*. 70. Σύνεσιν. 6 פי ידבר חכמות והגות לבי תבונות Quid. apud Chrysost. Καὶ μελετήσει ἡ καρδία μου σύνεσιν. 7 Vide Strabon. lib. 1. pag. 12. 13. 14.
8 אטה למשל אזני אפתח בכנור חידתי 9 Vide Ezech. 17. 1. 2. 10 Heracleot. Chrysost. Basil.
11 Hieronym. Theodoret. August. Chrysost. Basil. Athanas. 12 למה אירא בימי רע עון עקבי יסבני Quid. Ἐν ἡμέρᾳ πονηρᾷ; Alius, Ἐν ἡμέρᾳ κακοῦ. *In die mali*. 13 Hieronym. 14 Rabb. Quidam.
15 Vide Eccle. 12. 1. 16 הבטחים על חילם וברוב עשרם יתהללו 17 August. *Depropitiationem*. Ambros. *Propitiationem*. 18 Ita Euseb. Chrysost. Genebr. alii. 19 Eccle. 9. 10. Vide & Prov. 11. 4. *Non proderunt divitiæ in die ultionis. Justitia autem liberabit a morte*.

niam in tumulo, ad quem festinas, nihil amplius facere poteris. Tunc omnis sapientia, industria, & doctrina tua nihilum proderunt. S. Hieronymus id explicat de peccatore, qui scelera sua expiare non curat per pœnitentiam, nec redimere per eleemosynas. A

Hebræus [1]: *Frater certe non redimet; non dabit homo Domino pretium pro redemptione sua* ℣. 8. *Redemptio animarum ipsorum nimis est pretiosa*. Necquicquam divitiis, amicisque tua spes innititur. Nemo de te post mortem cogitabit, & nihil ab hac fatali necessitate subducere poterit. Fratres tui, & amici tui non inde rediment te. Omnes terrarum divitiæ te illinc non eripient. Vita magis adhuc pretiosa est; nihil est in terra, quo illa emi queat. Nihil accipiet Deus, ut tibi parcat, cum tuæ mortis hora advenerit.

Isajas c. 13. 12. loquens de Babylonis interitu, ait, B quod tunc *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo*, hoc est hostem prælaturum hosti suo vitam auferre, quam omnes divitias, atque thesauros accipere. Id ipsum hoc in loco dicas. Anima, & vita hominis nimis pretiosæ sunt. Nihil eas potest redimere de manu Dei. Cur igitur toto pectore incumbis, ut opes colligas, quandoquidem nec vitam tibi servare possunt, neque a morte liberare? S. Augustinus ita intelligit. Si J. C. qui est imago tua, non te redimit, poterit ne homo te redimere? S. Ambrosius absque interrogatione ita legit: *Frater non redimit; redimet homo, Christus scilicet*.

℣. 8. LABORABIT [2] IN ÆTERNUM, & VIVET ADHUC [3] IN FINEM.] Impii in altera vita immania patientur tormenta, quin mori possint [4]. Mortem, C tamquam maximum bonum optabunt, nec consequi poterunt. Græci Patres omnino ex adverso intelligunt [5]. Justus magnos pro pietate, & justitia in hac vita labores perpessus est; *laboravit in æternum*; vivet quoque in æternum, *vivet in finem*; & testis erit obitus pseudosapientium Mundi, quorum sapientiam S. Paulus stultitiam vocat [6]: *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes*.

Hebræus [7]: *erit ne in regno æterno, æternumque vivet? Non videbit ille corruptionem*, vel sepulchrum? Dives sperat ne se æterna felicitate fruiturum, & tranquillam ducturum vitam, quin mortis terrore turbetur unquam, & quin leges nulli evitandas subeat? Credit ne, dum reliqui hominum, imo sapientiores ipsi, atque doctiores fato cedunt, unum ipsum in D terris immortalem futurum? *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes?*

Alii in ironico sensu vertunt: Semper quidem pacatus erit, æternumque vivet, mortem non videbit, cum interim sapientes æque ac insipientes ex oculis illius evanescent. *Simul insipiens, & stultus peribunt*. En inanes hominis spes. Qui ejus opera, & actiones intuetur, hos sane illius sensus esse fatebitur.

Sunt, qui [8] versiculos 8. & 9. de Messia explicent. Vita ejus laboribus, ac doloribus erit referta: *Vir dolorum, & sciens infirmitatem*. Isai. 53. 3. sed æternum vivet & infinita coronabitur gloria in laborum, ac tribulationum suarum remunerationem. Mors ejus cæterorum hominum morti similis non erit: *non videbit corruptionem*. Psalm. 15. 10. Deus illum resusci- E tabit, ei requiem, æternamque vitam daturus.

S. Augustinus, S. Hieronymus, Beda, aliique nonnulli versiculum nonum explicant de impio, qui sibi forte in peccatis blandiatur, ac magis magisque obdurescat, ita ut Providentiam, & Justitiam Dei neget, considerans, sapientes quoque uti alios mori, eorumque conditionem nihilum differre, nisi quod sæpe permittit Deus, ut boni ab impiis opprimantur. Videri possunt hae in re improborum sensus ab Ecclesiaste expressi Cap. 3. ℣. 18. 19. 20. Explicatio, quam Hebraico textui appinximus, simplicior videtur, & melior.

℣. 9. SIMUL INSIPIENS, & STULTUS PERIBUNT. ℣. 10. ET RELINQUENT ALIENIS DIVITIAS SUAS. SEPULCHRA EORUM &c.] Sapiens, & insipiens, justus, & impius, bonus, & nequam pari morte auferuntur. Mors non respicit merita, nobilitatem, magnitudinem, vel divitias. Omnes homines æque legibus illius sunt obnoxii. Omnes ad sepulchrum tendimus; hæc nobis postrema habitatio est; ibique ad sæculorum usque finem nostra erit permansio [9]. Quid remanebit illis, qui bonis coacervandis vitam suam insumpserunt, nisi dolor alienis fructum laborum suorum relinquendi? *Et relinquent alienis divitias suas*. Videri potest, quid Ecclesiastes c. 2. 18. 19 loquatur de illorum stultitia, qui laborant pro hærede, qui demum laboribus illorum irridebit, eorumque collectas pecunias obliguriet. Nihil tristius, acerbiusque est homini, ait Pindarus Ode 10. quam morientem ignoto divitias suas relinquere. Verum nescio, utrum isthic Sapiens *alieni* nomine ignotum significet; ait dumtaxat, ipsos relicturos opes suas aliis, successoribus suis.

Pro his textus verbis: *sepulchra eorum domus eorum in æternum, tabernacula eorum in progenie, & in progenie*; Hebræus legit [10]: *Internum eorum est domus eorum in æternum, & sedes illorum in æternitatem*. Alii hoc sequentibus ita subdunt: *Dederunt nomen suum habitaculo suo, & domui sua super terram in progenies, credentes, semper in mundo se permansuros*. At Vulgatæ sensus, & Septuaginta [11] longe est melior, eumque sequuntur Chaldæus, Syrus, & Arabs, qui in Hebræo legerunt *Kibram*, sepulchrum eorum, pro *Kirbam* internum eorum. S. Johannes Chrysostomus hic in divitum ambitionem invehitur, qui magnificos sibi tumulos extruunt, eisque aurum interserunt, perinde ac post mortem quoque servare vellent opes suas, ambitionis, atque amoris sui hac in vita argumentum.

℣. 11. VOCAVERUNT NOMINA SUA IN TERRIS SUIS.] Quamvis immortalitatem sibi comparare voluerint, e nomine suo terras nuncupantes; eorum tamen in omnem sæculorum seriem habitaculum erit sepulchrum. Ambitiosi illi homines, qui tumidi fastu regionibus ingentibus nomina sua imposuere [12], Alexandri, Pompeii, Cæsares, qui nomina sua tot urbibus, & Coloniis indidere, & qui tot gloriæ suæ insignia posuere monumenta in provinciis, quas lustrarunt, ac subegerunt, hodie cum aliis mortuis permixti sunt, eorumque sepulchrum vix extat.

Hebræus verti quoque potest [13] *nomen sibi facere voluerunt super terram*, & hunc verum esse reor versiculorum 8. 9. 10. & 11. sensum. *Sperat ne homo vitam suam in sempiternum producturum esse* [14] *neque se visurum corruptionem, & sepulchrum, cum ob oculos suos sapientes occumbere videt? Insipientes, & stulti pariter moriuntur, & bona sua aliis relinquent. In generationum seriem non aliud habebunt receptaculum, neque mansionem aliam in sæcula, quam sepulchrum: famosi hi viri, qui tanta nominis sui celebritate in terris floruerunt*.

Sanctus Augustinus, Cassiodorus, & Psalteria, Romanum, ac Mediolanense legunt: *Invocabant nomina eorum in terris ipsorum*. S. Ambrosius: *Invocaverunt nomina*

1 אך לא פדה יפדה איש לא יתן לאלהים כפרו (8.) ויקר פדיון נפשם 2 70. Ἐκοπίασεν εἰς τὸν αἰῶνα. Ita Aug. & antiqua Psalter. *Laboravit in æternum*. 3 70. Chrysost. Theodoret. August. non legunt: *Adhuc*. Neque antiq. Psalter. Rom. Mediol. S. German. Carnut. 4 Ita Hieronym. Genebr. 5 Chrysost. Athanas. Euseb. Theodoret. 6 1. Cor. 1. 19. 20. *Nonne stultam fecit sapientiam hujus mundi?* 7 וחדל לעולם ויחי עוד לנצח לא יראה השחת Symmach. Ἀλλὰ παντελῶς τῷ αἰῶνι, ζῶν εἰς αἰῶνα διατελέσει ὁ τοιοῦτος. *Verum post mortem hanc temporalem, vives in æternum in altero mundo*. 8 Vide Hammond. Bossuet. Rab. Mos. Hadarsan. 9 Eccle. 12. 5. 7. *Ibit homo ad domum æternitatis suæ .... Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat*. 10 קרבם בתימו לעולם משכנתם לדור ודור 11 70. Καὶ οἱ τάφοι αὐτῶν οἰκίαι αὐτῶν. Legerunt קברם pro קרבם 12 Aquil. Ἐκάλεσαν ἐν ὀνόματι αὐτῶν ἐπὶ χθονός. Alius, ἐπεκάλεσαν ἐπὶ ὀνόματι αὐτῶν τὰς γαίας. 13 קראו בשמותם עלי אדמות 14 וחדל לעולם ויחי עוד Accipio חדל pro חלד *sæculum, ævum*. Vide Isai. 38. 2. Psal. 38. 5.

nomina terrum. Psalteria Carnotense, & S. Germani: A *Invocavit* &c. quod S. Augustinus, S. Hieronymus, Beda, Rufinus, Remigius, Haimonius de Ethnicorum consuetudine intelligunt, qui ad mortuorum sepulchra epulas deferebant, Manesque, tamquam præsentes, invocabant. Ab Ethnicis ad Christianos mos iste migravit; & S. Augustinus omnem sapientiam suam exerere debuit, atque auctoritatem exercere, ut morem hunc in Africa, ubi maxime vigebat, penitus antiquaret. Verum vix crediderim, locum hunc aliquam habere rationem ad veterem hanc superstitionem.

℣. 12. ET HOMO CUM IN HONORE ESSET, NON INTELLEXIT; COMPARATUS EST JUMENTIS INSIPIENTIBUS [1], & SIMILIS FACTUS EST ILLIS.] Si homo conditionis suæ dignitatem agnosceret, & naturæ suæ privilegia intelligeret, numquam se adeo B submitteret, ut viles, terrenasque res tanti æstimaret. Voluptates, honores, bona vitæ hujus illum non afficerent. Flocci faceret, quidquid est infra se, atque contemneret, & perhorresceret, quidquid illum ad brutorum animalium conditionem deprimit. Attamen jure ait Psalmista, hominem non agnoscere honorem, ac dignitatem suam, ipsumque se comparare, ac similem reddere brutis ratione carentibus, sensuum suorum humilitate, ac terrenarum, sensibiliumque rerum aviditate [2].

In hunc quoque sensum juxta Hebraicum textum potest explicari [3]: *Homo non manebit*, non habitabit; ad litteram *non traducet noctem in gloria sua. Comparatus est animantibus, ad silentium redigentur*. Homo non diu hac lucis usura fruetur: licet sublimis sit illius dignitas, ac magna potestas, eum a C morte non tuebuntur, ad sepulchri silentium redigetur, & morietur, non secus ac bruta ratione carentia. Vide ℣. 14. & Eccles. 3. ℣. 18. 19. Vel juxta lectionem Septuaginta [4], ac Vulgatæ, quam postremus Psalmi hujus versiculus, huic omnino simillimus, confirmat: *Homo in honore suo non intellexit*: ad moriendi necessitatem non animadvertit, in omne flagitii genus proruit; se brutis, quæ loquela carent, similem effecit; brutis scilicet stupidis, & quæ non loquuntur. Vel: facti sunt similes bestiis, in æterno silentio, in tumulo delitescent.

Rabbini, & Patres quidam [5] de primo homine hoc explicant, qui dignitatem suam non agnovit; & qui D priori statu delapsus jumentis similis factus est, propter laborandi, ac moriendi necessitatem. Hebræi mordicus litterali textui adhærentes, qui habet, *non traducet noctem in gloria sua*, tenent, Adam e Paradiso terrestri ejectum fuisse die eadem, qua introductus fuerat, ibique non habitasse, neque noctem transegisse. Verum tuto asseri potest, hanc nequaquam veram esse textus sententiam.

℣. 13. HÆC VIA ILLORUM SCANDALUM IPSIS, & POSTEA IN ORE SUO COMPLACEBUNT [6].] Prava vivendi hominum ratio, qua se flagitiosissime brutis simillimos efficiunt sceleribus suis, unica est eorum infelicitatis causa [7]; propter quod de dignitatis suæ gradu dejiciuntur: ea ipsis laqueus est, ac lapis offensionis, atque eam sibi in vanitatis, atque inanissimæ oble- E ctationis vertunt argumentum. Nihil magis commune, quam homines intueri, qui conditionis, ac Religionis suæ dignitatem flagitiis fœde dedecorent, ac eos etiam inveniant, qui sibi adulentur, ipsosque laudent, & in sententia sua detineant. Non desunt, qui eorum flagitia imitentur, denique ipsi sibi complacent, & plaudunt: *Quorum gloria in confusione ipsorum*, Philip. 3. 19.

Hebr. [8] *Via illorum mera est amentia, & posteritas eorum complacebit sibi in sermonibus suis* [9]: Vel, *qui post ipsos venerint, complacebunt sibi in ore suo*. Licet flagitiosissima sit illorum vivendi ratio, laudabitur tamen, & commendabitur ab illis, qui venient post illos; plurimos scelerum suorum imitatores habebunt. Verti potest: *Hæc illorum via; amentia mera, & qui illis successerint, complacebunt sibi in præceptis eorum*. Vana præcepta mundi plures habent asseclas, & probatores, quam justæ Sapientum sententiæ, quæ veritati, & rationi innituntur. S. Hieronymus, & Theodoretus hoc de peccatoribus explicant, qui in infernum ceciderunt propter improbitatem suam. Ipsos pœnitebit, & antiquas vias suas improbabunt: *in ore suo complacebunt*. Verum dolor, & confessio illis nihilum proderunt, in cruciatibus suis persistent, tamquam victimæ æternæ iræ Dei: *Sicut oves in inferno positi sunt*.

℣. 14. SICUT OVES IN INFERNO POSITI SUNT; MORS DEPASCET EOS [10].] Impii in inferno gregatim coacervabuntur, pabulum erunt mortis. Vel infernum de sepulchro explicando, ad sepulchrum redigentur, & tamquam belluæ morientur, quibus similes vixere. Mors auferet illos, eos tamquam gregem ovium depascet. Hebræus [11]: *In sepulchro positi sunt tamquam oves; mors illorum est pastor*. Eos ad sepulchrum agit, velut gregem ovium, quæ ad lanium ducuntur; ad mortem currunt sine sensu, sine dolore, sine pœnitentia, absque cogitatione. Symmachus [12]: *in ordinem positi sunt tamquam oves in inferno, mors erit pastor eorum*. Per crimina sua sese similes præbuere gregi victimarum in inferno devoratarum.

℣. 15. ET DOMINABUNTUR EORUM JUSTI IN MATUTINO, & AUXILIUM EORUM VETERASCET IN INFERNO A GLORIA EORUM [13].] Impii repente, cumque id minus cogitarint [14], Justorum potestati subditos se intuebuntur; eorum pastor, dux, præsidium, mors, cui se se tradiderunt (℣. 14.) derelinquet eos. Repente se omni gloria, omnique dignitatis suæ fulgore orbatos, atque a pristinæ felicitatis gradu dejectos videbunt.

In altera vita, res veluti ex opposito fluunt. Justi, qui isthic opprimuntur, paupertate laborant, atque versantur in tenebris; ibi fulgebunt, & erunt in gloria. Ibi dominabuntur iis, qui dominati fuerant in ipsos, tantoque honore decorabuntur, quanta prius in humilitate jacuerant. In morte impii testes erunt hujus immutationis, ac repente se subjectos, humiles, abjectos, atque cruciatibus afflictatos videbunt, pro imperio, quod exercebant, dignitatibus, quas obtinebant, & voluptatibus, quibus in hac vita fruebantur. Sæpe etiam in hoc mundo repente fortunam immutari permittit ita, ut impii sub Justorum pedibus statuantur: verum hoc accidit infrequentius. Vide Job 20. vers. 8. 9. 26. 27. 28. & c. 21. vers. 30. 31. &c.

Patres [15] per hanc vocem *in matutino* futuram intelligunt Resurrectionem. Justi erunt Judices impiorum; super hos elevabuntur, eorumque fulgebit gloria,

1 Ambros. *Jumentis, quæ sensum non habent*. August. *Jumentis insensatis*. 70. Ἀνοήτοις. Hebr. נדמו, *Silentibus*, vel *De quibus siletur*. 2 Theodoret. Hieronym.

3 וארם ביקר בל ילין נמשל כבהמות נדמו 4 70. Καὶ ἄνθρωπος ἐν τιμῇ ὢν οὐ συνῆκε. Legerunt hic יבין pro ילין sicut est vers. 21. 5 Vide Chrysostom.

6 August. Cassiodor. Psalter. Rom. German. Carnut. *In ore suo benedicent*. 70. Complut. Heracleot. Chrysost. Theodoret. Codices Gr. Regii, & Colbert. Εὐδοκήσουσι; Roman. Εὐλογήσουσι.

7 Theodoret. 8 זה דרכם כסל למו ואחריהם בפיהם ירצו

9 Symmach. apud Athanas. 10 Augustin. *Sicut oves in inferno positæ, Mors pastor est eis*.

11 כצאן לשאול שתו מות ירעם 12 Sym. Ὡς πρόβατα ᾅδῃ ἐτάχθησαν, θάνατος ποιμανεῖ αὐτούς.

13 Cassiodor. Psalter. Rom. & Mediol. .... *In inferno, & a gloria sua expulsi sunt*, Psalter. Sanct. German. *A gloria eorum, & a gloria sua expulsi sunt*. 70. Ἐκ τῆς δόξης αὐτῶν ἐξώσθησαν.

14 Chrysost. Theodoret. Basil. Euseb. Athanas. Heracleot. 15 August. Hieronym. Theodoret. Chrysost. Ambros. Vide & Genebr. Vatab. Flamin.

ria, dum interim confusione, atque desperatione improbi afficientur. Tunc dives, qui Lazaro negavit micas panis de mensa sua, nequicquam aquæ guttam petet ad sitis ardores leniendos [1]. Preces, pœnitentia, lacrymæ, tunc nihilum peccatoribus proderunt. Flamma eorum non extinguetur, nec vermis interibit [2]. Syrus hunc sensum tribuit vers. 14. 15. *Via nostra est via lapsus pro illis. Tandem veluti jumenta pasci debebunt, derelinquentur in inferno, & mors eorum pastor erit. Justi dominabuntur illis mane, sepulchrum corrumpit speciem eorum, ipsique, se de fastu*, & gloria sua *decidisse videbunt*.

Hebræus [3]: *Justi dominabuntur illis mane, & rupes eorum ad eos confringendos*, dumtaxat inserviet: *Infernus erit domus eorum*. Justi ex oppressione in qua jacent, consurgent. Tempus aderit, quo illi, qui eos persecuti sunt, iis subditi erunt. Quæ illorum vis est in terris, divitiæ, existimatio, potentia, in eorum summam infelicitatem vertentur. Ad sepulchrum redigentur, neque aliam mansionem, aliamve habebunt hæreditatem [4]. Aliter: Justi impiorum domini fient. Dominus, qui est rupes, & refugium bonorum, aliorum erit interitus, & excidium. Super illos decidet, eosque confringet. Ad illum confugere quidem volent, sed eorum preces, lacrymasque contemnet. Eorum habitaculum erit Infernus, vel Sepulchrum. S. Hieronymus ita reddit, secundum Hebræum: *Subjicient eos recti in matutino, & figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum*. Aliæ plures Authographi Textus Versiones possent afferri, at hæ cæteris præstare videntur. Auctor belle in totum Psalmi decursum, obscurum, ænimagticumque stylum servat.

℣. 16. VERUMTAMEN DEUS REDIMET ANIMAM MEAM DE MANU INFERNI, CUM ACCEPERIT ME [5].] Patres id explicant de J. C. Deus non relinquet me inter brachia mortis, de sepulchro educet me, & resuscitabit. Alii [6] intelligunt de animabus Sanctorum Patriarcharum, quos post suam resurrectionem ex inferis educet. Chaldæus, & Rabbini quidam [7] de Purgatorio id explicant: *Dominus de Inferno educet me, & partem habitationis suæ dabit mihi in sæculum futurum*. Simpliciter de Justo potest intelligi, qui in hoc mundo ab impiis vexatur. Meliorem præstolor sortem in alia vita: *Cum Dominus acceperit me* [8]; & eduxerit de hoc mundo, eripiet me de Inferno, vel sepulchro, atque in Cœlis excipiet me. Hæc est spes mea.

℣. 17. NE TIMUERIS, CUM DIVES FACTUS FUERIT HOMO &c.] Ne invideas, neque ulla te capiat indignatio adversus illos, quos divites, fortunatosque intueris. Hæc bona, & hæ divitiæ brevi permanebunt. Confer Psalmum 36. ubi Psalmista prolixius exponit vanitatem divitiarum.

℣. 18. NEQUE DESCENDET CUM EO GLORIA EJUS [9].] Non sequetur ipsum in sepulchrum. Mors illi auferet omnia, pro quibus adeo superbit, ac intumescit. Divitiæ cum homine ascendunt, non item
A vero cum eodem descendunt, ait S. Ambrosius: *Gloria hominis cum ascendente ascendit; sed cum descendente non descendit*.

℣. 19. QUIA ANIMA EJUS IN VITA IPSIUS BENEDICETUR. CONFITEBITUR TIBI, CUM BENEFECERIS EI.] Dives dum vivit laudibus celebratur, & dum bene agit, benedicitur: sed post mortem nomen ejus oblivionis caligine obruitur. Hic igitur solus, ac legitimus divitiarum est usus; aliis gratificari, & mammona iniquitatis amicos sibi comparare, ut docet J. C. in Evangelio Lucæ 16. 9. Hac ratione thesauri in cœlo præparantur, in terra vero hominum benedictiones, favoresque promerentur. Aliter: laudatur impius in prosperitate sua, benedictionibus cumulatur, cum bene agit; sed post obitum in tenebrarum regionem, at-
B que mortuorum regnum ingredietur: *Introibit usque in progenies patrum suorum, & usque in æternum non videbit lumen*.

Hebræus [10]: *Benedicit animam suam dum vivit; & felix diceris, cum tibi gratificaris*. Impius sibi plaudit, atque in vita sua vivit opipare; ac homines adeo corruptos invenit, qui illum laudent, cum iis omnibus, quibus potest, se voluptatibus ingurgitat. Hæc est mundi consuetudo. Felices censentur illi, qui in deliciis versantur, & qui nullam possunt voluptatem respuere. Hæc loquendi ratio *benedicere animam suam* voluptatem sibi procurare significat. Ne forte sit inter vos, ait Moyses Deut. 29. 19. *qui cum audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei &c.* Et J. C. in
C Evangelio Lucæ 12. 19. nobis quemdam ex his divitibus exhibet animam suam benedicentem, & dicentem: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: *stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, quæ autem parasti, cujus erunt?* quod cum sequenti vers. convenit.

℣. 20. INTROIBIT USQUE IN PROGENIES PATRUM SUORUM: & USQUE IN ÆTERNUM NON VIDEBIT LUMEN.] Impius in alteram vitam migrabit, atque in sepulchrum efferetur, ubi æternæ tenebræ squalent. Hebræus, Aquila, Symmachus, Theodotion, & Syrus legunt in persona secunda [11]: *Introibis usque in progenies patrum suorum, & illi usque in æternum non videbunt lumen* [12]. Impius æque diu ac patres sui vi-
D vet, &, ut ipsi, ad æternas tenebras redigetur. Vel cum Chaldæo: Justus æque diuturna vita fruetur, ac patres sui, ad felicem senectutem perveniet: sed impii in altera vita lumen non videbunt. Singulis his explicationibus suum pretium non deest. Priorem vero præferrem.

℣. 21. HOMO CUM IN HONORE ESSET, NON INTELLEXIT &c.] Hic idem omnino est ac vers. 12. præter quam quod in Hebræo isthic legimus [13]: *Jabin; non intellexit*, & vers. 12. *Jalin; non habitavit*, vel traduxit noctem.

---

1 Luc. 16. 20. & seq. 2 Marc. 9. 43. 45. 49.
3 וירדו בם ישרים לבקר וצורם לבלות שאול מזבל לו Aquil. Χαρακτὴρ αὐτῶν κατατρίψαι ᾅδην ἐκ κατοικητηρίου αὐτῶν. *Character eorum conterat infernum ex domicilio eorum*, quod nullam sententiam reddit. Sym. Τὸ κρατερὸν αὐτῶν παλαιώσει ᾅδης. *Fortitudinem illorum antiquabit*, & inutilem reddet *infernus*.
4 Vide Chrysost. 5 Ambros. *Cum acceperit eam*.
6 Basil. Euthym. Cassiodor. 7 Rabb. Kabuenacht apud Genebr.
8 Vide Muis, hic, & Genes. 5. 24. Jonas 4. 3. 9 Ambros. hic. Cæsar. Leo Papa serm. 6. de Jejunio noni mens. Psalter. Roman. Sanct. Germ. Carnut. Mediol. *Neque simul cum eo descendet gloria domus ejus*.
10 כי נפשו בחייו יברך ויודך כי תיטיב לך Symm. Εὐφημίσεται σε, ἐὰν καλῶς αὐτῷ ποιῇς.
11 תבוא עד דור אבותיו עד נצח לא יראו אור 12 Aquil. Th. 6. Edit. Οὐκ ὄψονται. Symmach. Οὐ θεάσονται. 5. Edit. Οὐκ ὄψεται. 13 Vers. 12. בל ילין Vers. 21. ולא יבין

PSALMUS XLIX.

Supremus Judex ante Tribunal suum vocat Populum omnem, Sacerdotes, & Judices. Exprobrat inanem eorum in sacrificiis fiduciam, hypocrisim, injustitiam, cum impiis consuetudinem, eisque iram suam, terribiliaque supplicia intentat.

Psalmus Asaph.

ARGUMENTUM.

Qui omne Psalterium Davidi tribuunt, & eorum etiam plurimi, qui non omnium Psalmorum eum auctorem ferunt, tenent ab eo Rege hunc fuisse compositum, atque traditum Asaph in Tabernaculo recinendum [1]. Alii [2] putant, Asaph auctorem esse duodecim Psalmorum, qui nomine illius inscribuntur [3]. Scriptura de Asaph sæpius loquitur, qui Davidis, & Salomonis ævo celeberrimo Musicorum choro præerat [4]. Hic David Regis Musices Magister erat 1. Par. 25. 2. ejusque chorus nablis personabat 1. Par. 15. 20. immo illius interfuisse videtur non solum Psalmis modulos apponere, eosque concinere, verum etiam ingenium eosdem componendi ei non defuisse; immo Scriptura hac in re quodammodo illum Davidi comparat: *Præcepitque Ezechias, & principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, & Asaph* 2. Par. 29. 30. Et tempore Nehemiæ narratur 2. Esdr. 12. 45. *in diebus David, & Asaph ab exordio* fuisse Principes Levitarum ad laudes Domino recinendas constituti. Nullum igitur absurdum est, ipsum esse posse eorum auctorem Psalmorum, qui nomine illius inscribuntur.

Difficultas vero ea est, quod Psalmorum plerique tempore plurimum a Davidis sæculo seposito compositi fuisse videntur. Alii quidem ad captivitatis tempus, alii ad illud post reditum de Babylone, & alii ad novissima Regum Juda tempora spectant. Sed Asaph sub finem Salomonici Regni, non serius, vixisse potuit. Oportet igitur, vel Psalmorum horum titulos falsos esse, vel non unum dumtaxat Musicum, Prophetamque fuisse, qui Asaph nomine appellaretur [5]: vel posteros Asaph semper Canticis, quæ ipsi elucubrabantur, primi patris sui nomen apposuisse; quæ postrema sententia mihi magis arridet. Plures superius Psalmos sumus intuiti nomen filiorum Core præferentes; inferius etiam quosdam videbimus [6] Moysis nomine inscriptos, & qui plane opus erant posterorum Moysis, qui erant Levitæ. Credimus, Psalmum 77. qui nomine Asaph inscribitur, ad tempus Regis Asa spectare, 82. vero ad Josaphat, & 78. 79. 83. Babylonis captivitatem respicere. Chaldæus illud, quem isthic præ manibus habemus, ad reditum de Babylone refert [7].

Psalmorum, qui attribuuntur Asaph, stylus a Davidico longe differt. David enim scripsit disertius, & facundius, atque cum venustate & Attica quadam facilitate, quæ in aliis Psalmorum Auctoribus non deprehenditur. Asaph magis laconicus est, & obscurus. Molletus ad vers. 1. Psal. 72. stylum hujus Persii, & Horatii carminibus comparat. Genebrardus ad Psal. 72. 1. animadvertit, præcipuam Asaph laudem fuisse in tristibus rebus describendis, querulisque, & luctuosis Canticis componendis; quod inde factum est, quod qui plerosque hos Psalmos elucubratus est, calamitosis, & difficillimis temporibus degebat, cum regnum corruptum esset, ac dissipatum. Hinc ex profectæ sunt invectivæ, & acres, acerbæque querimoniæ.

Grotius Psalmum undequinquagesimum refert ad tempus famis a Deo immissæ, David vivente, propter injustam persecutionem, qua Saul Gabaonitas afflixerat 2. Reg. 21. 1. Alii [8] putant fuisse compositum, cum Deus edixit Davidi, velle, ut sibi Altare in area Ornan Jebusæi extrueretur, & hunc esse locum, quem sibi pro Templo ædificando elegerat [9]. Judæi nonnulli apud Munsterum hunc explicant de Judicio, quod Messias exercere debet, qui isthic *Judex Judicum*, vel juxta Vulgatam, *Deus Deorum* vocatur. Plerique vero intelligunt de novissimo universali Judicio, vel de secundo Filii Dei adventu, qui sane palam versiculis 1. 3. 4. 5. 22. designatur. Opponit Auctor primi adventus J. C. silentium ultioni, quam exercebit in altero; illius misericordiam hujus severitati. Videtur etiam veterum sacrificiorum abolitio, & inutilitas, cum carent justitia, & charitate.

Nonnulli Patres [10] hunc superioris continuationem esse putant, & sequi descriptionem Judicii, quod Deus adversus impios debet exercere; hic vero ad suos, Judæos scilicet, respexisse videtur, dum Psalmo 48. alienigenas, & Infideles spectabat. Sed hunc cum Psalmo quinquagesimo conferentibus, uterque tempore Babylonicæ captivitatis compositus fuisse videtur. In 49. ab Auctore exhibetur Supremus Judex populum suum ad Judicium convocans, eique edicens, se non cruenta sacrificia poscere, sed justitiam, pietatem, innocentiam, & præcipue laudum victimas efflagitare. Intererat autem captivitatis tempore animos addere oppresso populo, qui omnem jam abjecerat spem, actumque penitus existimabat, eo quod nulla amplius Domino in Templo ejus sacrificia offerebat, atque desperabat futurum, ut criminum suorum veniam consequeretur, ac Dei sui flecteret misericordiam. Ostendendum igitur erat, alia adesse sacrificiorum genera, aliasque vias Domino litandi, populusque docendus erat, ut cruentas hostias juxta eorum pretium tantummodo æstimaret.

In Psalmo quinquagesimo Auctor Deo offert laudis sacrificium, preces, contritique cordis victimas, de quibus superiori Psalmo locutus est. Hæc est velut quædam orationis formula pro captivis Babylonis: Peccatorum suorum veniam exposcunt: Deum orant, ut ipsos hyssopo purificet, ad lustrales aquas, qui-

1 Ambros. in tit. Psal. 72. Varab. Pisc. Ferrand. 2 Hieronym. in Psalm. 72. & in Matth. lib. 12. Chald. Muis, Bossuet. Genebr. Hammond. 3 Psalm. 49. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82.
4 1. Par. 6. 39. 15. 17. 21. 16. 5. 7. 37. 5 Muis, & Hammond. ad Psalm. 72. Boch. de Animal. par. 1. lib. 2. cap. 39. 6 Psalm. 89. *Oratio Moysi hominis Dei.*
7 Vide Chald. ad vers. 8 13. &c. 8 Jun. Marian. 9 1. Par. 21. 18. & 22. 1.
10 Chrysost. Theodoret. Euseb.

bus in patria ad sese expiandos utebantur, alludentes: cum obtestantur, ut sibi cor, & spiritum novum tribuat, os aperiat, ut quæ postulat ille laudum sacrificia, ipsi queant offerre: dicunt illi, si holocautomata ipsi essent accepta ea in regione in qua aderant, se libenter litaturos fore: sed pretiosiorem se illi hostiam offerre, cor dolore contritum ipsi exhibentes: cum denique obsecrantur, ut muros Sion instauret, ipsos vero de captivitate liberet, polliciti, tunc re vera se illi hostias, & holocausta oblaturos. Hoc, mea quidem sententia, verum est litterale systema horum Psalmorum. Alias præterea afferemus conjecturas in Psalmum quinquagesimum.

1. DEus Deorum Dominus locutus est: & vocavit terram, 2 A solis ortu us-
que ad occasum: ex Sion species decoris ejus. 3 Deus manifeste ve-
niet: Deus noster, & non silebit: 4 Ignis in conspectu ejus exardescet:
& in circuitu ejus tempestas valida. 5 Advocabit cœlum desursum: & terram di-
scernere populum suum. 6 Congregate illi Sanctos ejus: qui ordinant testamentum
ejus super sacrificia. 7 Et annuntiabunt cœli justitiam ejus: quoniam Deus judex
est. 8 Audi, populus meus, & loquar: Israel, & testificabor tibi: Deus, Deus
tuus ego sum. 9 Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu
meo sunt semper. 10 Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis
hircos. 11 Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus, & bo-
ves. 12 Cognovi omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri mecum est. 13 Si
esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus. 14 Num-
quid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo? 15 Immola Deo
sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua. 16 Et invoca me in die tribulatio-
nis: eruam te, & honorificabis me. 17 Peccatori autem dixit Deus: Quare tu
enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? 18 Tu vero o-
disti disciplinam: & projecisti sermones meos retrorsum. 19 Si videbas furem,
currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. 20 Os tuum abun-
davit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. 21 Sedens adversus fratrem tuum
loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & ta-
cui. 22 Existimasti inique, quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra fa-
ciem tuam. 23 Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non
sit, qui eripiat. 24 Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam
illi salutare Dei.

℣. 1. DEUS DEORUM, DOMINUS LOCUTUS EST, ET VOCAVIT TERRAM AB ORTU SOLIS USQUE AD OCCASUM.] Dominus, Deus Israel appellat terram, Israelitas, populum suum in Judicium. Eos citat ante tribunal suum ab oriente ad occidentem, & ubicumque adsint. Plurimi Interpretes censent, Deum, supremum Mundi Judicem, isthic in judicium accersere omnem terram, omnesque mundi nationes: sed ex decursu aperte liquet, hic agi dumtaxat de Israelitarum judicio, idque *terræ* nomine esse intelligendum. Vel: Deus terram universam appellat non judicandam, sed testem futuram Judicii, quod adversus populum suum erat prolaturus: ita ut versiculus primus idem sit ac quintus: *Advocavit cœlum desursum, & terram discernere populum suum*, qui novissime allatus sensus mihi magis arridet.

Hebræus [1]: *Deus, Deorum, Dominus* [2]; vel Fortis, Deus, Dominus [3] *locutus est, & vocavit terram ab oriente, usque ad occidentem*. Qui priorem sequuntur versionem, pro *Deo Deorum* intelligunt Deum Judicum, Principum, Regum, una cum S. Chrysostomo, ac Theodoreto; vel Deum Angelorum cum S. Justino Martyre: vel Sanctorum, & Justorum cum S. S. Athanasio, & Augustino. Ab Hebræis Deorum nomine Angelos, Principes, dignitate præstantes viros appellari nemo unus ignorat. Deus igitur terram omnem vocavit judicio, quod habiturus erat adversus populum suum, adfuturam. Qui vero pro altera Versione stant, in tribus Dei nominibus *El*, *Elohim*, *Jehova* mysterium Trinitatis inveniunt [4], vel ad magnitudinem, & severitatem Judicii hujus probandam, argumentum; cum Sacer Auctor de industria conservarit nomina Dei, quæ vim, potestatem, Judicis auctoritatem, & infinitum, absolutumque ejus dominium significant; majorem hominibus reverentiam, ac terrorem incussurus, cum ad illius conspectum accederent.

℣. 2. EX SION SPECIES DECORIS EJUS. DEUS MANIFESTE VENIET; DEUS NOSTER, ET NON SILEBIT.] Judicis majestate, ac potestate descripta, locum ostendit, ubi ille apparebit; in Sion nempe veniet, populum suum in Babylone captivum judicaturus. In Jerusalem eum omni majestatis magnitudinisque suæ fulgore palam prodibit; ejusque adventum omnes intelligent. Majestatis splendor, tonitruum, & grandinis strepitus, lumen, ac motus ignis præsentiam illius annunciabunt. Vide sequentem versiculum. Universus hic apparatus, iratum, ultoremque Deum ob oculos ponit. Locutiones hæ in figurato, ac metaphorico sensu sunt intelligendæ, si de Judicio, quod habiturus est Deus in populum suum, explicentur. Verum si de secundo J. C. adventu eas interpretemur, quo in sensu Patres accepere, nihil in se continent, quod nequeat ad litteram explicari.

Hebræus [5]: *Fulgebit*, cum splendore apparebit e *Sion*, e loco *perfectæ pulchritudinis suæ*. Sæpius, & Sion

1 אל מלהים יהוה רבר ויקרא ארץ ממזרח שמש עד מבואו
2 Syr. 70. Θεὸς Θεῶν, Κύριος. Pagn. Muis, Genebr. Pisc. *Dominus*, Aquil. Symmach. Theodot. Γοχυρὸς, Θεὸς, Κύριος.
3 Chald. Hebr. Hieronym. *Fortis*, *Deus*,
4 Ita Hier. Theodoret. Esr.
5 מציון מכלל יפי אלהים הופיע יבא אלהינו ואל יחרש

Sion, & Jerosolymæ tribuitur epithetum *pulchritudinis Jacob* [1]. Nonnulli [2] hoc ad Deum ipsum referunt. Egredietur de Sion ille, cujus pulchritudo adeo perfecta est, ac tanta majestas: *Non silebit*. Non dissimulabit hominum scelera, eos accusabit, eos redarguet, damnabit, atque severissime puniet. *Silere* nonnumquam significat quiescere. Ex decursu liquet, [3] isthic de suppliciis agi. Non silebit; animadvertet. J. C. in primo adventu suo apparuit, tamquam lumen in mundo, ipse de Sion egressus est, & veritatis radios in omnem terram effudit. Siluit, & edixit, se neminem judicare, Joan. 3. 17. & 8. 15. & 12. 47. sed in altero adventu, tamquam terribilis Judex gloria, & majestate circumdatus apparebit, non silebit terribilem, atque irrevocabilem in impios sententiam proferet. Vide Theodoretum, et Hieronymum.

℣. 4. IGNIS IN CONSPECTU EJUS EXARDESCET, ET IN CIRCUITU EJUS TEMPESTAS VALIDA.] Hinc Judicis adventus cognoscetur; Ex igne, tempestate, terrore, tumultu. Scriptura [4] sæpius Dominum iratum exhibet, igne circumdatum, fulminibus, fulgoribus, procellisque stipatum. Qui apparatus omnipotentem Judicem decet ad scelus puniendum, ultionemque exercendam descendentem. Hoc pacto descendit in Sinai Exod. 19. 18. & Danieli apparuit ignitam habens faciem, & veluti torrentem flammarum de illius ore egredientium, Dan. 7. 10. Hebr. [5] *Ignis in conspectu ejus devorabit, ac horribilis erit visu in circuitu ejus*. Ignis iste obvium quidlibet absumet, metum, terroremque injiciet, & circum se, & in Dei circuitu. Vel præcedet illum ignis devorans, & rapidus in similitudinem turbinis, vel tempestatis. Patres [6] ignem hunc de inferno interpretantur.

℣. 5. ADVOCABIT COELUM DESURSUM, & TERRAM DISCERNERE POPULUM SUUM.] Vel illum judicare, vel Judicio ejus adesse. Hæc Sacrorum Scriptorum est consuetudo in rebus magni momenti, atque odiosis, ad inanimas res orationem convertere, ac præsertim ad Cœlum, & Terram, easque testes eorum, quæ dicenda sunt, invocare: *Testes invoco hodie cœlum, & terram*, ait Moyses Deut. 4. 26. si impietati, vel idololatriæ adhæseritis, *cito perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possessuri estis*. Et Deut. 32. 1. *Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei*. Et Isajas 1. 2. *Audite Cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est*. Et Jeremias 2. 12. *Obstupescite Cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, ait Dominus; duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. *Cœlorum* nomine hoc in loco, alii [7] Angelos, Virtutesque cœlestes intelligunt: alii [8] Apostolos; nomine vero *terræ* intelligunt homines, qui habitant terram, vel *Justos*, ut Chaldæus interpretatur, vel terrestres homines cum S. Hieronymo. Simplicius tamen explicatur de Cœlo, ac Terra, quæ ab Auctore tamquam sensus, & rationis participes exhibentur. Utrumque autem supremus Judex appellat judicio, quod novissimo die habiturus est [9], hircos ab agnis, & justos ab impiis sejungens, interfuturum Matth. 25. 32. 33.

℣. 6. CONGREGATE ILLI SANCTOS EJUS, QUI ORDINANT TESTAMENTUM [10] EJUS SUPER SACRIFICIA.] Verba hæc palam [11] Israelitas designant, qui *Sancti* Domini appellantur, eo quod ad Sanctitatem vocati sunt, ac electum populum, & Domino consecratum efficiunt [12]: *Gens sancta*. Moyses eodem etiam illos nomine appellat in Deuteronomio [13], alibique passim [14]. In Hebraico textu nomen est *Chasidim* [15], quod frequenter adeo in Psalmis [16] invenitur, ad fidelem populum designandum, prout Ethnicis opponitur. Theodoretus hoc intelligit de Moyse, Aarone, Eleazaro, Phinees, & iis, qui post hos Sacerdotis munere in Templo functi sunt. Deus vocat illos, non damnaturus, sed edocturus, ne magno habeant in pretio ea sacrificia, quæ ab ipsis offerebantur.

S. Chrysostomus, Theodorus Heraclæota, Hesychius, aliique nonnulli putant alloqui de illis Judæis, ac Sacerdotibus, qui Legem omnem, ac perfectionem in animantium sacrificiis collocabant. Dominus eos isthic ad aliquid perfectius elevat, eisque ostendit, quanam in re verum sacrificium consistat, & quæ idea de extrinsecis ritibus sit habenda. Eusebius, S. Athanasius, & S. Hieronymus credunt, Psalmistam hoc in loco illud ipsum innuere, quod apud S. Matthæum scriptum est, quod Filius Dei in secundo adventu suo: *mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum, usque ad terminos eorum* Matth. 24. 30. Hebræus ad litteram [17]: *Congregate mihi pios meos, misericordes, amicos meos, qui sacrificiis suis mecum fœdus fecerunt*. Ex omnibus terrarum populis Judæi dumtaxat victimas Domino offerebant. Soli erant cum quibus fœdus icere dignatus fuerat, soli a quibus ipse sacrificia reciperet. Privatus sane quidam esse poterat, veluti Job, & Melchisedech inter Gentiles, qui superiori lumine afflati, ac præveniente gratia fulfulti Deo poterant in spiritu, & veritate famulari; sed isthic loquimur de integro populo, quem Dominus elegerit, & apud quem veram Religionem posuerit.

℣. 7. ET ANNUNTIABUNT COELI JUSTITIAM EJUS; QUONIAM DEUS JUDEX EST.] En qua de causa Dominus Cœlos vocarit, scilicet ut ipsi universæ terræ annunciarent Dominum justum esse, & viventes, ac mortuos judicaturum; Cœli erunt veluti præcones, qui ubicumque prædicabunt, diem Domini advenisse, infinitam esse Justitiam ejus, ad ipsum pertinere judicium. Hebræus ita reddi potest [18]: *& Cœli annuntiabunt Justitiam ejus*, dicentes: *Dominus est Judex*. *Cœlorum* nomine S. S. Augustinus, & Hieronymus isthic intelligunt Apostolos, & eos, qui Domini Justitiam annunciant. S. Athanasius, Chaldæus, Rabbini, & recentiores quidam Interpretes Angelos, vel Cœlestes Virtutes intelligunt.

℣. 8. AUDI POPULUS MEUS, ET LOQUAR [19]: ISRAEL, ET TESTIFICABO TIBI.] Hactenus est prooemium Psalmi; Asaph Lectorem præparat ad Judicium Domini audiendum; nunc vero Dominus ipse loquitur, atque judicium facere incipit. Populum suum testem vocat, eumque, ut veritatem dicat, hortatur, veluti Judex, qui reo dicit: Da gloriam Deo, dic nobis veritatem, adjuro te per Deum vivum. Vel, contra illum testes vocat Cœlum, & terram, vera ea esse crimina, quæ Israeli est ipse exprobraturus. Confer Psalmum 80. 9.

℣. 9. NON IN SACRIFICIIS TUIS ARGUAM TE, HOLOCAUSTA AUTEM TUA IN CONSPECTU MEO SUNT SEM-

1 Psal. 47. 2. Thren. 2. 1. 2 Tigur. Castal.
3 Vide versiculum sequentem, & versiculos 21. 22. 4 Deut. 32. 22. Psal. 10. 17. 9. 20. 10. 96. 3.
5 אש לפניו תאכל וסביביו נשערה מאד Aquil. Ἐλαλαχθήσεται σφόδρα Th. & 6. Edit. Κατηγίσθη.
6 Athanas. August. Chrysost. 7 Chald. Rabb. Kimchi, & Abenezra, & Athanas. & Theodoret. ad vers. seq. Muis, Genebr. Vatab. 8 Hieronym. August.
9 Idem in hunc loc. 10 August. *Qui disponunt Testamentum*.
11 Nicephor. Rabb. Muis. 12 Exod. 19. 6. 1. Petri 2. 9.
13 Deut. 14. 2. *Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo*. Vide & Num. 16. 3.
14 Num. 16. 3. Deut. 7. 6. 14. 21. 26. 19. 33. 3. 15 אספו לי חסידי כרתי בריתי עלי זבח
16 Psal. 3. 4. 11. 2. 16. 10. 17. 26. 19. 5. 30. 24. 31. 6. 36. 28. 51. 11. 78. 2. 89. 9. 97. 10. &c.
17 Vide Heb. Sup. Aquil. Sym. Th. Συναγάγετε μοι τοὺς ὁσίους μου, 18 ויגידו שמים צדקו כי אלהים שפט הוא
19 August. 70. Complut. Chrysost. Athanas. *Et loquar tibi*. Καὶ λαλήσω σοι.

SEMPER.] Ne credas, exprobrationes meas respicere A sacrificia tua, vel Legis cæremonias, alia habeo majoris momenti, quæ tibi objiciam; quod scilicet debitum mihi honorem minime præstas, neque ea, quæ toties mihi pollicitus es, opere adimples. ℣. 14. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*. Hæc abs te peto. Prophetæ Isajas 1. 2. & seq. Jeremias 7. 20. & seq. & Psalmista Psalmo sequenti ℣. 17. 18. 19. eodem fere modo de veteribus sacrificiis loquuntur. Deus sensim Judæos præparabat ad Legem novam accipiendam, videndamque figurarum Mosaicæ Legis abrogationem [1]. Prophetæ sedulo incumbebant, ut illi pro merito sensibiles hos ritus æstimarent, eosque ad aliquid perfectius attollerent. Hebræus hoc pacto verti potest [2] in altero membro prioris repetita negatione: *Non arguam te in sacrificiis tuis*; B *perinde ac holocausta tua in conspectu meo non essent semper* [3]; quasi ea mihi offerre neglexisses; qui sensus aptior videtur. In captivitate nulla umquam sacrificia offerebantur, neque ea sibi offerri Deus postulabat.

℣. 10. NON ACCIPIAM DE DOMO TUA VITULOS &c.] Vel juxta Hebræum [4]: *non accipiam de domo tua boves, neque de caulis tuis hircos*. Hircorum nomine arietes quoque, & oves intelligit. Adnotandum est Deum de piscibus non loqui; ii quippe in sacrificiis non offerebantur; sed quadrupedes, aves, ac speciosissimos agrorum fructus recenset, eo quod bobus, hædis, arietibus, & avibus litabatur, atque exquisitissimorum fructuum primitiæ, & oblationes ad ipsum afferebantur.

℣. 11. JUMENTA IN MONTIBUS, ET BOVES.] Opponi videntur bestiæ, quæ in montibus pascuntur, capræ, & oves, feris nemorum, de quibus antea locutus est. S. Hieronymus, Chaldæos, Rabbinorum, C recentiorumque Interpretum plerique ita Hebræum [5] vertunt: *Mille mihi sunt in montibus animantia*. Mille greges in montibus habeo. At Septuaginta, Syrus, Rabbinus Moyses, ac Ferrandus priorem versionem sequuntur, quæ optimum sensum adstruit.

℣. 12. COGNOVI OMNIA VOLATILIA COELI: ET PULCHRITUDO AGRI MECUM EST.] Cognoscere hoc in loco possidere significat; non secus ac Psalmo 138. 2. *Domine, tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam, intellexisti cogitationes meas &c*. Tu earum dominus es, eas prout tibi libet, moderaris. Ita apud Isaiam 37. 28. Dominus alloquens Sennacherib, dicit illi: *Habitationem tuam, & egressum tuum, & introitum tuum cognovi, et insaniam tuam contra me*. Audaciam tuam confringere, teque pessum mittere, quan- D documque mihi libitum fuerit, potero veluti venator, qui novit ferarum lustra, ac vias.

Aliter: Aves cognovi, eas possideo, *in numerato habeo*, tamquam dominus, qui servorum suorum nomenclaturam habet, vel Dux, qui militum suorum habet recensionem. Locutionis hujus vis ex opposita magis deprehenditur: *Te non novi*; mihi alienus es, nihil mihi tecum. *Populus, quem non cognovi, servivit mihi* ait David Ps. 17. 44. Et Moyses loquens ad Hebræos, eos exprobrat Deuteronom. 29. 26. quod adorassent Deos, *quos nesciebant, et quibus non fuerant attributi*, Deos alienos. Et Deuter. 9. 24. *semper fuistis rebelles a die, qua nosse vos cœpi*: ex quo vos in populum meum E elegi. Hic Dominus ait, se omnes volucres cœli cognoscere, scilicet eas non esse extra potentiæ suæ fines.

Pulchritudo agri significat, ut Theodoretus hic ait, omnes terræ fructus, velut S. Cyrillus Alexandrinus l. 10. contra Julian. omnes maturos fructus agri. Hæc omnia sunt *mecum*, in me: eorum dominus sum, de illis quodcumque placeat, hoc facio. Hebr. [6]: *Bestiæ agri sunt mecum*. Chaldæus, & Veteres Rabbini Hebraicam vocem *Ziz* avem interpretantur. Chaldæus in Bibl. Complut. *Gallus agrestis canit coram me*. Vel: *Gallus agrestis, cujus pedes sunt super terram, et caput ad Cœlum usque attollitur &c*.

℣. 13. SI ESURIERO, NON DICAM TIBI.] Nihil mihi opus est tui, ut mihi escam suppedites, licet illa indigerem. Terra universa mea est, omniaque mihi vendicare possum absque ullius auxilio.

℣. 15. IMMOLA DEO SACRIFICIUM LAUDIS &c.] Hæc abs te peto sacrificia; hic mihi acceptus est cultus. Redde mihi vota tua, offer mihi preces tuas, immola mihi sacrificium laudis, *vitulos labiorum tuorum*, quemadmodum a Propheta Osee 14. 3. nuncupantur. Religio vera consistit in interiori cultu, ac obedientia, quam creatura suo Creatori debet, eum in spiritu, & veritate adorando, in cordis oratione, in humili, sinceraque infirmitatis suæ confessione fideliter, jugiterque quæcumque bona Domino illorum fonti, atque origini accepta referendo. Hebræus [7]: *Immola Domino laudem, et redde Altissimo vota tua*. Dominum honorat laudis sacrificium, ait Asaph in Psalmi fine, & summa fides, qua illi præstantur ea omnia, quæ ipsi promissa fuere: *displicet enim ei infidelis, et stulta promissio*, ait Sapiens Eccle. 5. 3. S. Augustinus legit: *Redde Altissimo preces tuas* [8], pro *vota tua*.

℣. 16. INVOCA ME IN DIE TRIBULATIONIS, ERUAM TE, ET HONORIFICABIS ME.] Deus sibi honorem a precibus nostris deferri arbitratur. Hæc confidentiæ nostræ nota est, & omnipotentiæ ejus confessio. Oratio perfectus est actus religionis, qui adorationem, fidem, spem, & charitatem complectitur. Queritur sæpe in Prophetis suis Deus, quod populus suus ad ipsum preces non effundit, sed in propriis viribus confidit, ad exteros Deos confugit, vel carneis brachiis innititur. Hoc maximum probrum est, quod inferri possit Deo, non confidere in eo. Vetus quidam auctor dicebat, Deos non a Sculptore, neque ab Artifice fieri, sed ab eo, qui illis adorator accedit. Martialis l. 8. Epigr. 24.

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus
Non facit ille Deos: Qui rogat, ille facit.

Similiter quoque diei potest, Deum quodammodo negari, atque lacessi ab eo, qui cum affligatur, ad illum non confugit; quemadmodum illum colit, Deumque fatetur, qui vota sua illi nuncupat, & ejus opem implorat. Ipse pollicetur: *Eruam te*; verum exigit, ut illi honorem hunc præbeamus: *Et honorificabis me*, cujus ipse majorem in modum zelotypus est. *Gloriam meam alteri non dabo* Isai. 42. 8. Ea, in qua affligeris, captivitate meum posce præsidium, & te liberabo. Nihil præter laudem, & infinitæ potentiæ meæ a te confessionem exposco.

℣. 17. QUARE TU ENARRAS JUSTITIAS MEAS? &c.] Hæc est adversus hypocritas invectiva, qui de Lege, ac fœdere Domini sermones miscere non cessant, dum interim cor illorum procul abest ab eo, neque aliud inquirunt, quam proximum suum per nefas opprimere, atque in omne flagitiorum genus irruere. *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, ait Sapiens Eccle. 15. 9. Mundus hoc hominum genere scatet, qui, ut Apostolus 1. ad Tit. c. 1. 16. Deum operibus negant, dum interim ore fatentur, & qui, ut per Isaiam 29. 13. queritur Dominus, *labiis suis glorificant me, cor autem eorum longe est a me*; eorum denique hominum, quorum manus sunt manus Esau, vox autem dumtaxat est vox Jacob, qui tamquam Sancti loquuntur, vivunt vero tamquam scelesti: *Vox quidem vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau*, Genes. 27. 22. Hebræus ad litteram [9]: *Quid tibi commune est cum enarratione præceptorum meorum, ut de fœdere meo loquaris?* Senes illi, qui Babylone Susannæ stuprum inferre fuerant adnisi, & qui per summum nefas eam in judicium vocarant [10], præceptorum horum maxime indigebant.

1 Vide Chrysost. & Aug. hic. 2 לא על זבחיך אוכיחך ועלותיך לנגדי תמיד
3 Vide Vatab. Pagn. Münster. Gejer. Castal. 4 לא אקח מביתך פר ממכלאותיך עתודים Aquil. Symm. & 5. Edit. עתודים Κριούς. *Cornuta animalia*. 5 בהמות בהררי אלף *Pecudes in montibus millium*. Alii: *Jumenta, vel bestiæ in montibus mille*. 6 וזיז שדי עמדי 7 זבח לאלהים תודה ושלם לעליון נדריך
8 Ita 70. Ἀπόδος τῷ ὑψίστῳ τὰς εὐχάς σου. 9 מה לך לספר חקי ותשא בריתי עלי פיך
10 Dan. 13.

℣. 19. SI VIDEBAS FUREM, CURREBAS CUM EO &c.[1]] Cum illis una in scelus ruis. Hebr. [2] *Si vides furem, curris cum eo*, consentis cum illo, amicus, & socius fis illius, *portio tua est cum adulteris*, cum illis tamquam frater, & amicus versaris. Eos laudas, eos approbas; hoc nonne est ad malum concurrere? inquiunt S. Chrysostomus, & Augustinus.

℣. 20. OS TUUM ABUNDAVIT MALITIA; ET LINGUA TUA CONCINNABAT DOLOS [3].] Hebræus [4]: *mittis os tuum ad malum*. Laxas linguam tuam, ut calumnieris, os aperis, ut fratris tui existimationem discerpas; *& lingua tua facit velut catenam fraudum*; dolos invicem veluti catenæ annulos connectit, vel tamquam duo animalia, quæ eidem jugo subjiciuntur. S. Augustinus hoc de illis explicat, qui, quod vident, malum dissimulant, ne illud reprehendere, & castigare teneantur.

℣. 21. ADVERSUS FILIUM MATRIS TUÆ PONEBAS SCANDALUM &c.] Hebræus [5]: *contumeliis onerasti*, indignissime dedecore adspersisti, *filium matris tuæ*. Illusisti ei, in eum convicia ingessisti, probris læsisti. Hæc omnia volui, ac nequitiæ tuæ testis fui, & tacui: *Hæc fecisti, & tacui*. Dissimulavi, distuli supplicium tuum, ut te ad conversionem allicerem [6]; verum non profuit patientia mea, nisi ut proterviæ tuæ fieret accessio. *Tacui, quia non statim vindicavi, sed sustinui*, ait S. Hieronymus. Satis habui, si te per Prophetas meos commonefacerem, neque statim in te animadvertere volui: *Tacuit a supplicio, non tacuit a verbo*, ait S. Augustinus in Psal. 100.

℣. 22. EXISTIMASTI, INIQUE [7], QUOD ERO TUI SIMILIS; ARGUAM TE, ET STATUAM CONTRA FACIEM TUAM.] Ostendam tibi fœditatem, & nequitiam vitæ tuæ, & efficiam, ut pudore suffundaris. *Videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas*, ait Sanctus Augustinus. Judicii mei die audientibus omnibus tibi omnia scelera tua exprobrabo. Hoc omnium suppliciorum gravissimum reprobis erit, se met, ac peccata, & scelera sua ob oculos mundi totius revelata intueri. In desperationis suæ excessu [8]: *tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus: operite nos.* Nequicquam cupient in nihilum verti; neque se occulere poterunt, neque facere, quin vivant, videant, ac infinitam suam sentiant infelicitatem.

Hebræus ita reddi potest [9]: *Credidisti me futurum, vel esse tibi simillimum, arguam te, & statuam ante oculos tuos*; at quid statuet, non ait. Plurimi legunt [10]: *statuam te ipsum*: alii [11]: statuam ante oculos tuos *scelera tua*. Quidam [12]: *statuam illa*, quidquid fecisti, omnes injustitias tuas. Chaldæus: *statuam ante te judicium tormentorum sæculi futuri*. Aliter: Accersam te, & redarguam te in oculis tuis. S. Hieronymus Præfat. in lib. 18. in Isaiam: Exponam ante oculos tuos omnia scelera tua, ut omnes intelligant, te omnibus illis obnoxium esse malis, quæ in aliis reprehendis. Non similis ero tui; flagitia tua non approbabo, non dissimulabo scelera tua; ea puniam, ea persequar.

℣. 23. NEQUANDO RAPIAT, ET NON SIT, QUI ERIPIAT.] Ne te mors de viventium numero tollat [13]; quin aliquis te liberare queat, vel te Deus ipse de terris auferat, ut ad Judicium ejus prodeas. Hebr. [14] *Ne te rapiam, & nemo te possit liberare*. S. Augustinus legit: *Nequando rapiat ut leo, & non sit, qui eripiat*.

℣. 24. SACRIFICIUM LAUDIS HONORIFICABIT ME; ET ILLIC ITER, QUO OSTENDAM ILLI SALUTARE DEI [15].] Hoc unum ab homine efflagito, scilicet ut mihi laudis offerat sacrificium. Hoc pacto ipse promerebitur, ut salvem illum, cumque favoribus meis cumulem. Deus ab homine exorari vult, precibus flecti, opem suam posci, misericordiam, ac potentiam suam agnosci, & cum fuerit clementiam expertus, tunc ab illo sibi laudum, & gratiarum actionis sacrificia offerri. Nihil hoc facilius, nihil æquius.

Hebræus [16] prout hodie punctis distinguitur, habet: *Qui immolat sacrificium laudis honorificabit me, & illi, qui viam suam regit, ostendam salutare meum*. Ipse infinitam potentiam meam confitens, & laudibus nomen meum celebrans, mihi gloriam tribuit: Hæc ea sunt, quæ ab hominibus peto, sacrificia. Bonis cumulabo, ab omni periculo illos eruam, qui ad mandatorum, Legumque mearum normam, suam vivendi rationem instituunt. Cum Syriaca Versione reddi quoque potest: *Qui a mihi offert sacrificium laudis, glorificat me, et illic ostendam ipsi viam salutis meæ*. Non in victimis, cruentisque sacrificiis salus consistit; sed in sacrificio laudis, in precibus, in interiori adoratione, in justa beneficiorum Dei confessione. S. Johannes Chrysostomus legit [17]: *Sacrificium laudis honorificabit me, et hæc erit via, quam ostendam illi, videlicet, salutare meum*.

---

1 August. *Concurrebas ei*, Συνέτρεχες αὐτῷ. 2 אם ראית גנב ותרץ עמו ועם מנאפים חלקך

3 Cyprian. Ep. 42. *Complectebatur insidias*. August. hic. *Amplexa est dolositatem*. 70. Περιέπλεκε δολιότητας.

4 פיך שלחת ברע ולשונך תצמיד מרמה 5 בבן אמך תתן דפי

6 Rom. 2. 4. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. 7. *Inique*, non est in Heb. sed in 70. Rom. & Complut. sic legitur; Ὑπέλαβες ἀνομίαν. *Suspicatus es iniquitatem*.

8 Luc. 23. 30. Isai. 2. 19. 9 דמית היות אהיה כמוך אוכיחך ואערכה לעיניך

10 Clem. ad Corinth. Ep. 1. c. 35. Aug. hic, & in Psalm. 100. Elig. hom. 8. *Statuam te*. Hieronym. in versione. *Proponam te ante oculos tuos*. 11 Edit. Complut. Græc. & Latin. Παραστήσω κατὰ πρόσωπόν σου τὰς ἁμαρτίας σου. Ita & Chrysost. & Theodoret. 12 Hieronym. in Comment. Faust. apud Canis. lib. 5. Regul. S. Basil. initio. Ita & Syr. 13 Theodoret. Hieronym. 14 פן אטרף ואין מציל

15 Nicephor. Euthym. Complut. Regii, & Colbert. Codd. apud Ferrand. Σωτήριόν μου. *Salutare meum*.

16 זבח תודה יכבדנני ושם דרך אראנו בישע אלהים Symmach. Θυσιάζων ὑπὲρ αἰνέσεως δοξάσει με, καὶ τῷ ἀτάκτως ὁδεύοντι δείξω σωτήριον Θεοῦ. *Qui sacrificas, ut me laudet, me glorificat, & ostendam salutare Domini moderate incedenti*. 17 . . . . Καὶ ἐκεῖ ὁδὸς ἣν δείξω αὐτῷ, τὸ σωτήριόν μου. 70. Καὶ ἐκεῖ ὁδὸς ᾗ δείξω αὐτῷ &c.

PSALMUS L.

Fervens oratio animæ afflictæ, ac pœnitentis. Cor contritum, & humiliatum Deo magis acceptum est, quam hostiæ, & holocausta. Domino victimæ offerentur, cum muri Jerusalem fuerint instaurati.

In finem, Psalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee.

ARGUMENTUM.

Titulus hic nullo indiget Commentario; historia, de qua est sermo, fusius descripta est 2. Reg. 12. Septuaginta Complutensis Editionis, S. Chrysostomus, ac Theodoretus post ea verba *ad Bethsabee*, addunt

Uxo-

Uxoris Uriæ. Creditur autem [1], e regiis ædibus Nathan egresso, postquam Davidem sceleris illius redarguerat, Princeps hic pœnitentia ductus præsentem Psalmum composuisse, atque confessione sua adeo humili, & peccati sui magnitudinem, & infinitam Domini misericordiam omnibus hominibus ostendisse. Videtur isthic perfectum exemplar veræ pœnitentiæ [2], ac antidotum pro illis, qui vel innocentiæ jacturam non fecere, vel gratiam iterum sunt consecuti. S. Augustinus l. 22. contra Faustum c. 87. S. Hieronymus in Amos 7. & Cassiodorus hic in David, ac Bethsabee Figuram inveniunt J. C. & Christianæ Ecclesiæ, ex infidelibus nationibus compositæ, quæ, licet magna esset eorum impuritas, & origo obscura, factæ sunt Sponsa Jesu Christi veri filii David, qui & ipse in Scripturis, David, & unctus Domini vocatur. Vide Ezech. 34. 23. & 37. 24. Osee 3. 5.

Nonnulli Psalmum hunc attribuerunt Manasse Regi Juda, dum captivus esset Babylone: alii ab aliquo Judæo tempore captivitatis post victam, dirutamque Jerusalem, ac Templum, compositum fuisse arbitrantur. Theodorus Heraclæota, S. Chrysostomus, S. Basilius, ac Theodoretus crediderunt, David Psalmum hunc elucubrantem ad duo diversa respexisse; quorum primum suum erat peccatum cum Bethsabee, & mors Uriæ; alterum vero captivitas populi Babylonica; cujus sensus eo pacto exprimit, ut & sibi applicari possit, & satis simplex videatur. Quidam attamen extant loci [3], quibus probari videntur muri Jerusalem tunc diruti fuisse, atque nulla amplius tunc sacrificia ibi offerri consuevisse, quæ circumstantia nulla ratione regno David conveniunt. Auctor Dominum orat, ut benigne excipere velit Sion, ac muros Jerusalem restituere, atque pollicetur tunc victimas, & holocausta super illius altare oblatum iri ℣. 20. 21.

Abenezra [4] ait, Sapientem quemdam virum nationis suæ genere Hispanum credidisse, postremos Psalmi hujus Versiculos, quos modo citavimus, a religioso quodam Judæo, qui tempore Babylonicæ captivitatis degebat, & qui devotionis ergo Psalmum hunc recitabat, adjectos fuisse. Haud spernenda quidem conjectura. Videtur enim, similis ferme additio facta fuisse in Cantico, quem cecinere in celebritate Arcam in Jerusalem transferendi, cum David regnaret [5]. In hoc cantico rogatur Deus, ut congreget populum suum inter nationes dispersum; quæ oratio nullam habet cum Regno David rationem, non secus ac illud, quod in Psalmi hujus fine legimus. Hoc autem notatu dignum est, quod utrumque tolli potest, quin aliquid sensui dematur, vel Psalmi œconomia subvertatur. Cæterum nisi Rabbini conjecturam admiseris, dici potest, titulum, quem Psalmo huic præfixum videmus, postmodum fuisse appositum; reliqua enim ad unguem pœnitenti huic Regi convenire deprehenduntur, exceptis postremis duobus versiculis, qui ut dictum est, palam Babylonis captivitatem respiciunt.

In superioris Psalmi fronte novam proposuimus sententiam quoad similitudinem, quæ inter utrumque 49. & 50. deprehenditur. Hunc vero explicabimus, primum quidem de David pœnitente, mox vero de captivis, S. Chrysostomi, ac Theodoreti exemplum sequentes, qui duo hæc nequaquam sejungenda esse duxerunt.

1. MIserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. 2 Et se-
cundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. 3
Amplius lava me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me. 4
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est sem-
per. 5 Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus
tuis, & vincas, cum judicaris. 6 Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: &
in peccatis concepit me mater mea. 7 Ecce enim veritatem dilexisti: incerta, &
occulta sapientiæ tuæ, manifestasti mihi. 8 Asperges me hyssopo, & mundabor:
lavabis me, & super nivem dealbabor. 9 Auditui meo dabis gaudium, & læti-
tiam: & exultabunt ossa humiliata. 10 Averte faciem tuam a peccatis meis: &
omnes iniquitates meas dele. 11 Cor mundum crea in me, Deus: & spiritum re-
ctum innova in visceribus meis. 12 Ne projicias me a facie tua: & spiritum san-
ctum tuum ne auferas a me. 13 Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu
principali confirma me. 14 Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te conver-
tentur. 15 Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ: & exultabit
lingua mea justitiam tuam. 16 Domine, labia mea aperies: & os meum annun-
tiabit laudem tuam. 17 Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holo-
caustis non delectaberis. 18 Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum,
& humiliatum, Deus non despicies. 19 Benigne fac, Domine, in bona voluntate
tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem. 20 Tunc acceptabis sacrificium justitiæ,
oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

℣. 1. MISERERE MEI, DEUS, SECUNDUM MAGNAM MISERICORDIAM TUAM.] Gravi morbo magna afferenda sunt pharmaca; vulnus meum lethale est, ac periculosum, Domine; scelera mea plurima sunt, atque inveterata, tua indigeo magna misericordia, ut convalescam [6]. Verum quidem est, te per Prophetam tuum A mihi declarasse, te jam peccata mea remisisse [7]; hoccine tamen gemitus meos inhibere potest, quominus cæcitatem meam, & cordis mei nequitiam deplorem? Num cessandum mihi est, quominus lacrymis meis turpissimas has sordes eluam? Denique confidere debeo, te mihi scelera mea condonaturum, absque dolore, ac pœnitentia [8]; & ulcera adeo gravia sanari posse, atque

1 Chrysost. & alii plerique. 2 August. Hieron. 3 Vers. 19. 20.
4 Vide Muis ad vers. ult. hujus Psal. 5 1. Par. 16. 35. & Psalm. 105, 47.
6 Euseb. Ath. Aug. Theodor. hic. Hieron. contra Jovinian. l. 2. 7 2. Reg. 12. 13. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* 8 Vide Ambros. Apolog. David.

que horribilem adeo tabem abſtergi, cum aliquot tantum effuderim lacrymas, aliquot ſuſpiria emiſerim, ac ſimpliciter ſcelus meum fuerim confeſſus [1]. Reparandum ſcandalum eſt, quod peperi in Iſrael; Juſtitiæ tuæ; quam læſi, mihi ſatisfaciendum eſt, & cor, quod lethaliter adeo vulneravi, ſanandum. Hebræus, Chaldæus, Syrus non legunt *magnam*, ſed ſimpliciter *miſericordiam tuam*.

℣. 3. AMPLIUS LAVA ME [2] AB INIQUITATE MEA.] Lacrymarum mearum fons non exareſcat, cor meum ſuſpiria emittere non ceſſet, donec a te prorſus veniam obtinuero. Non ſatis eſt, non eſſe amplius noxium; volo præterea, ſi fieri poteſt, memoriam uſque criminis mei oblitterare, ac minima illius veſtigia delere, pravos illius effectus cum in me, cum in aliis abolere. Anima vere pœnitentia ducta numquam ſatis ſe pœnituiſſe putat. S. Petrus flere non deſinit peccatum ſuum, quo Deum ſe noſſe negarat. David ad extremum uſque ſpiritum adulterium, atque homicidium a ſe patratum expiavit. S. Paulus ſemper ſe ſe humiliavit coram Deo, & hominibus, eo quod Eccleſiam fuerat perſecutus. Non ſatis eſt veræ pœnitentiæ futura evitare peccata, ni ſemper præterita defleat delicta. *Perfecta pœnitentia eſt futura cavere peccata, & lugere præterita* [3]. Juſtus nuſquam cura vacat propter peccata ſibi remiſſa. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu* Eccli 5. 5. Si a Deo puniri nolumus, noſmet puniamus. *Ideo nolo, ut me punias, quia ego peccatum meum punio*, inquit S. Auguſtinus; *ideo peto ut ignoſcas, quia ego agnoſco*. Patres [4] verba hæc, *amplius lava me*, de Baptiſmo intellexerunt a J. C. inſtituto, qui prorſus omnia tollit peccata.

℣. 4. PECCATUM MEUM CONTRA ME [5] EST SEMPER.] Illius numquam oblivifcor, jugiter illius dolore, ac pudore ſuffundor, cum mihi perſuaſum ſit, hanc unam eſſe rationem efficiendi, ut tu obliviſcaris illius, ſi illius indeſinenter meminero, ejuſque veniam humillime popoſcero. *Si tu ponis illud ante te, Deus illud non ponit ante ſe*, ait S. Hieronymus [6]. Hæc omnia belle transferri poſſunt ad captivos Babylonis, qui coram Deo fatentur, peccata ſua omnium malorum ſuorum eſſe originem, & qui ab illo humiliter veniam expoſcunt.

℣. 5. TIBI SOLI PECCAVI, ET MALUM CORAM TE FECI, UT JUSTIFICERIS IN SERMONIBUS &c.] Scelus meum efficiet, ut magis magiſque juſtitia tua effulgeat, atque victor eorum ſis, qui per ſummum audaciæ facinus judicum perſonam ſibi vendicantes de tua agendi ratione judicium ferent [7]. Si errata mea cum illa, quam erga me exercuiſti, clementia conferrentur, nemo aderit, qui non fateatur, te juſtitia, ac miſericordia plenum eſſe, me vero injuſtitiæ, & ingrati animi nomine non redarguat. Aliter: Hodie ſcelera mea confiteor, Deus meus, ut omnes intelligant te juſtum eſſe, ac ea, quæ pollicitus es, fideliter exequi, de venia ſcilicet iis omnibus elargienda, qui ad te per pœnitentiam fuerint reverſi [8], ut pudore ſuffundantur quicumque te crudelitatis, vel infidelitatis in promiſſionibus tuis auſi fuerint inſimulare.

Verba hæc: *ut juſtificeris* &c. ſuperioribus duobus verſiculis addi queunt. Miſerere mei, Domine, & abſterge ſordes meas, ut ea, quæ mihi alias pollicitus es, vera inveniantur [9], & qui aliter putant, confundantur. Denique complures hoc intelligunt pacto [10]: humillime tibi peccatum meum, Domine, confiteor, & agnoſco, te ſummo jure per Prophetam tuum mihi iniquitatem meam exprobraſſe, & ſi mecum in Judicium ingredi volueris, fieri non poſſe, quin damner. Particula *ut* non ſemper cauſam infert, ſed crebro eventum, & effectum ſimpliciter innuit. Verba hæc: *Et vincas, cum judicaris*, vulgo explicantur, perinde ac ſignificarent, Deum ſemper victorem e judicio diſcedere, quandocumque illum judicare quis vult. Sed ratio, qua Textus apud Septuaginta conſtructus eſt [11], intelligi quoque poteſt in ſenſu activo; & S. Hieronymus contra Jovinianum vertit: *Ut vincas, cum judicabis*. S. Auguſtinus vero utroque modo illud interpretatur.

Hebræus [12] hunc quoque ſenſum poteſt admittere: *In te, in unum te peccavi, & malum feci in oculis tuis; ut juſtus ſis in verbo tuo, & innocens in judicio tuo*; vel potius, *juſtus deprehendaris in promiſſione tua*. Ad pedes tuos provolutus, Deus meus, & peccatum meum, meamque ingratitudinem, tuam vero æquitatem, ac juſtitiam confiteor. Quodvis ſuppliciorum genus mereor, ſi in me diſtricto judicio velis animadvertere. Cum ſcelera mea perpendo, nullam renuo pœnam. Juſtitia, & æquitas tua cum iniquitate, ac improbitate mea comparatæ magis magiſque effulgebunt, majoreſque videbuntur. Aliter: libenter fateor me in te unum peccaſſe; ſcio enim te juſtiſſimum eſſe in verbis tuis, & in Judiciis integerrimum. Reo, qualis ego ſum, conſolationi eſt, ſi Judicem habeat, juſtitia, atque æquitate donatum, ſimilem tibi. Chaldæus ſcitum ſane ſenſum adfert; *coram uno te peccavi, & ſcelus ante oculos tuos commiſi, ideo purificabis me verbo tuo, & innocentem me declarabis ſententia tua*.

Verum quomodonam poteſt Deo David dicere, ſe in illum dumtaxat peccaſſe? *Tibi ſoli peccavi*? Nonne injuria affecerat Bethſabee, ac Uriam? Nonne populo ſuo ſcandalum attulerat? Nonne Domini hoſtes blaſphemias evomere fecerat [13]? Patres [14] reſpondent, David, utpote Regem, nullam ſibi in terris auctoritatem ſuperiorem habuiſſe, ideoque vitæ ſuæ rationem uni Deo reddendam ipſi fuiſſe, ac præterea nullum in terris Judicem agnoviſſe; dum privati, qui peccant, una & Dei Majeſtatem, & Regum auctoritatem offendunt: *De populo ſi quis erraverit, et Deo peccat, et Regi*, ait Caſſiodorus; *nam quando Rex delinquit, ſoli Deo reus eſt, quia hominem non habet, qui ejus facta dijudicet*. Non ideo tamen dicendum eſt, Regem Dei Legibus, atque Juſtitiæ, & Religionis, atque erga ſubditos ſuos charitatis exercitationi obnoxium non eſſe, ſed cum ille Leges infringit, nemo adeſt, qui poſſit inquirere, eique diem dicere, quemadmodum cum privatis fieri conſuevit. Hoc Hebræorum eſt axioma [15] neminem a Regibus judicari, & Reges a nemine. Unum dumtaxat judicem Deum habent: quamobrem dicebat David in Pſalmo 16. 2. *De vultu tuo judicium meum prodeat*; hoc eſt a te ipſo. Pronuntia ſententiam meam, nemini hoc faciendi jus eſt, præter te unum. Rabbini quidam, ut commentitia ſui Sanhedrin jura tueantur, hoc privilegium ad Reges Iſrael dumtaxat coarctant; nam Reges

1 Vide Chryſoſt. & Theodoret. & Eſt. hic. 2 Auguſt. & Fulgent. *Magis, ac magis lava me*. Hebr. הרב כבסני *Multiplica lavare me*. 70. Ἐπιπλεῖον πλῦνόν με. S. Amb. *In multum lava me*.
3 Caſſiodor. hic. 4 Ambroſ. Apolog. David. Euſeb.
5 Auguſt. Pſalter. Rom. Edit. Complut. *Coram me eſt*, &c. 6 Vide Hieron. hic, & Chryſoſt. & Ambroſ. Apolog. David. cap. 9. *Bonæ mentis eſt, vulnus ſentire peccati . . . Ubi enim doloris ſenſus, ibi etiam ſenſus eſt vitæ*. 7 Vide Theodoret. & Chryſoſt. 8 Flamin. Vatabl.
9 Genebr. 10 Vide Nicephor. Euthym. 11 Καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε.
12 לך לבדך חטאתי והרע בעינך עשיתי למען תצדק בדברך תזכה בשפטך Symmach. Νικᾷς κρίνων. *Vincere cum judicas*. Aquil. νικήσῃς. *Vincas cauſam tuam*. Theodoret. Νικήσῃς.
13 2. Reg. 12. 14. *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini*. 14 Ambroſ. Apolog. David. c. 10. *Rex utique erat, nullis ipſe Legibus tenebatur; quia liberi ſunt Reges a vinculis delictorum, neque ullis ad pœnam vocantur Legibus, tuti ſub Imperii poteſtate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius*. Arnob. in Pſal. *Omnis, qui ſub judicio vivit, peccat Deo, & Legibus mundi; hic autem Rex ſub nullo alio, niſi ſub Deo agens, ipſum ſolum ſuper poteſtatem ſuam metuens, Deo ſoli peccavit*. Vide Chryſoſt. Iſidor. Peluſiot. lib. 5. Ep. 383. Didym. Nicephor. Euthym. Lyran. Abenezra, alios.
15 Gemarr. Hieroſolym. Grot. hic. Selden. de Synedriis, lib. 3. cap. 9.

ges Juda, inquiunt illi, & subditos suos judicabant, & a Sanhedrin judicabantur.

Alii [1] ita explicant: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci*. Tu unus testis es sceleris mei, tu unus ultor iniquitatis meæ. Scelus meum magnum est, sed reliquis hominibus ignotum. Ille unus, qui sibi a me satisfieri, petere posset, Urias videlicet, non extat amplius. Verum hæc explicatio rem, quæ nullo pacto probari possit, supponere mihi videtur, hoc est, scelus David hactenus latuisse post unius anni ferme intervallum, ex quo fuerat consummatum. Nathan profecto David ait 2. Reg. 12. 12. *Tu fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel*: sed statim subjicit: *quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini &c.* Quod probat, flagitii hujus rumorem non apud Israelitas solum, verum & apud exteros increbuisse. Quomodo autem latere potuisset illius adulterium? Ignorabatur ne filius Bethsabee nuperrime natus, sceleris illius fructus fuisse? Latebat ne, quid accidisset, cum David misit, qui Uriæ uxorem auferrent? Nonne satis ostendit Joab, sibi compertum fuisse hoc iniquitatis mysterium, cum nuncio, quem ad Regem mittebat, obsidionis Rabbat eventum enarraturo, ait 2. Reg. 11. 20. *Si eum videris indignari, & dixeris: Quare accessistis ad murum, ut præliaremini? &c. dices: etiam servus tuus Urias Hethæus occubuit*. S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus ita explicant. Peccavi tibi, qui unus es Justus, atque irreprehensibilis.

Theodoretus [2] primum quidem de Davide explicat, dicens: Tu præ cæteris magis læsus es scelere meo; ideo summo dolore conficior, quod Majestatem adeo clementem, & misericordem læserim, & tot benefactis, favoribusque hæc adeo indigna retulerim. Mox vero de captivis Babylonis interpretatur, qui Deum testem invocare poterant innocentię suę erga Chaldæos; Haud ægre fatemur, nos sontes esse coram te, Domine; verum quid fecimus Babyloniis, a quibus per summam injustitiam opprimimur?

℣. 6. ECCE ENIM IN INIQUITATIBUS CONCEPTUS SUM, ET IN PECCATIS CONCEPIT ME MATER MEA.] Nosti, Domine, quæ sit hominum infirmitas, & quanta propensionis nostræ in malum violentia [3]. Scis nos omnes peccatores nasci, atque pollutos pro communicatione peccati protoparentis nostri. Neque hoc aio, ut parentes meos servos tuos insimulem: malum, de quo conqueror omnibus hominibus est commune, neque me excusare contendo, perinde ac insuperabili necessitate ad malum raperer. Tu mihi, Domine, necessariam contulisti opem, ut pravis animi studiis resisterem, si ab illis superari noluissem. Ita Patres [4], atque Interpretum plerique de originali peccato intelligunt. Chaldæus [5], & Rabbini nonnulli referre videntur ad pravam parentum affectionem, quam in ipso generationis actu habebant. Sed Judæi generatim loquendo, uti nos, locum hunc de originali peccato intelligunt [6], vel saltem de concupiscentia, quæ ab illo procedit [7].

Grotius fere semper singularis, ac sępe perniciosus in suis Theologicis sententiis putat, Davidem per hæc verba: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, nihil aliud significare, quam, non hodie solum Majestatem tuam lædere incœpi, verum sæpe ab ipsis usque teneris unguiculis offendi [8]: Jam peccatorum habitum peperi, numquam a criminibus destiti. Tenet autem, Prophetam isthic ut alibi hyperbolem adhibere aliis, quæ passim inveniuntur in Bibliis, persimilem. Exempli gratia Job inquit c. 31. 18. *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum*; & David Psalm. 21. 10. & 11. *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ: In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris a me*: & Psal. 57. 4. *alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa*. Et Isaias 58. 8. *transgressorem ex utero vocavi te*. Quæ omnia nihil aliud innuunt, quam antiquam, inveteratamque nequitiam, & pravum ingenium; illud vero, quod ait Job, ingenitam clementiam, naturalemque miserationem.

Verum ad eruditos, sapientesque Lectores provocamus. Afferrine potest apertior, atque dilucidior textus pro originali peccato, quam ille, quem explicamus? In peccato esse conceptum, concretum ex corruptione, ac iniquitate, ab ipso matris utero jam noxium, hoccine nun significat in originali peccato esse conceptum? Verum non deest his in vocibus hyperbole, Grotius inquit. Hoc tamen probandum est, quod etiamsi probaretur, definire oporteret, usquequo se se hæc extendat hyperbole, atque utrum ad justas voces reducta, & simpliciter ad Prophetæ mentem explicata, verum sit, necne asserere, Davidem in ipsa corruptione, & culpa genitum esse; atque ab ipso conceptionis, & nativitatis exordio sontem fuisse. Non loquor de Ecclesiæ, Patrum, Interpretum, ipsorumque Judæorum, qui isthic de originali culpa sermonem esse agnoverunt, auctoritate; Hæc enim neque Pelagianos, neque Socinianos, neque alios hujusmodi farinæ viros afficiunt, qui cum Scripturas in jocum vertere, atque maxime sacram auctoritatem aspernari consueverint, ea tantum ad probandum admittunt argumenta, quæ illis arrident, & qui licet apertissimos textos in rem suam torquere norunt, cum suis erroribus non suffragantur.

Sanctus Chrysostomus, ac Theodoretus per hæc verba *mater mea*, primam intelligunt mulierem, totius humani generis parentem, per quam peccatum in orbem ingressum est, & quæ facta est origo tot malorum, quibus universum hominum genus obruitur. Hebræus ad litteram [9]: *Ecce genitus sum*, vel natus *in iniquitate, & mater mea fovit me* [10], concepit, & gestavit me in sinu suo, *in peccato* [11]. Abenezra in caput 14. Job animadvertit, peccatum originale [12], vel concupiscentiam, quæ illius effectus est, septemplici nomine in Scripturis vocari. Primo, malum Genes. 6. 16. Secundo, præputium cordis, Deuteron. 10. 16. Tertio, inimicos Prov. 26. 24. Quarto, scandalum, vel lapis offensionis Isai. 57. 14. Quinto, cor lapideum Ezech. 36. 16. Sexto, illud, quod ab aquilone est, Joel. 2. 20. Septimo, sordes, vel impuritas Psal. 50. 6. Quædam ex his nominibus in dubium vocari possent, & addi illa, quæ peccato huic in novo Testamento assignantur: verum hoc parvi refert. Sanctus Augustinus legit: *In peccatis mater mea, me in utero aluit*. Sanctus Ambrosius, Sanctus Hilarius, Psalteria Romanum, ac Mediolanense, *peperit me*, pro *concepit me*. Symmachus [13]: *Gestatus sum in sinu matris meæ propter injustitiam, & mater mea edidit me in lucem in peccatis*.

℣. 7. ECCE ENIM VERITATEM DILEXISTI; INCERTA,

---

1 Vide August. Chald. Kimchi, Marianam, Genebr. Ferrand. Bossuet.

2 Vide & Chrysost. & Euseb. & Athan. & Flamin.

3 Genes. 6. 5. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.*

4 Origen. sæpius V. G. in Ep. ad Rom. cap. 6. 5. & Lib. 4. & 7. contra Cels. Homil. 8. in Levit. & Tract. 9. in Matth. Athanas. hic, & Euseb. Hilar. in Psalm. 58. & in Psalm. 118. v. 175. Ambros. Apolog. David. c. 11. Chrysost. in hunc Psal. Hieron. Theodoret. Aug. hic, & Oper. imperfecti contra Julian. lib. 4. cap. 129. & Lib. 3. cap. 31. & Lib. 4. cap. 126. 128. 133. & Lib. 6. cap. 12. &c.

5 Chald. *Ecce in iniquitatibus cogitavit pater meus generare me, & in peccato fomitis pravi incaluit de me mater mea*. Ita & Rab. Joseph Ben-Sechajæ, & Rab. Ahaha.

6 Vide Genebr. hic, & Calov. Antigrot.

7 Muis in hunc loc.

8 Vide du Pin hic.

9 הן בעון חוללתי ובחטא יחמתני אמי

10 יחמני Hammond. *Conceptionis actum significat*. Ita Pisc. Gejer. Rabb. Vide Genes. 30. 38. 31. 10. Isai. 57. 5.

11 Vat. Grot. alii.

12 יצר הרע putat Genebrardus significari peccatum originale. Muis, & alii docent concupiscentiam tantum innui.

13 Symmach. Ἐν ἀδικίᾳ ὠδινήθην, καὶ ἐν ἁμαρτίαις ἐκύησέ με ἡ μήτηρ μου.

TA, & OCCULTA SAPIENTIÆ TUÆ MANIFESTASTI MIHI.] Ego, Domine, nihil aliud sum, quam peccatum, & corruptio ab ipso meæ nativitatis exordio. Tu vero, Deus, petis a me sincerum veritatis amorem, meque Prophetiæ spiritu, mysteriorum tuorum, atque tuarum veritatum magis absconditarum cognitione donasti: quod ipsum longe gravissimum efficit scelus meum, majoremque constat meæ ingratitudini invidiam. Munda ergo me a sordibus meis: ℣. 8. *Asperges me hyssopo, & mundabor* &c. Aliter juxta Hebræum [1]: Peccator sum ab utero matris meæ, in iniquitate conceptus sum; *& vis veritatem in interiori parte; ostendis mihi sapientiam in secreto*. Quænam inter me, ac te, Deus meus, interest oppositio! nihil aliud sum, quam tenebræ, & lues; & tu a me petis æquitatem, sapientiam, & veritatem. Homo adeo infirmus, corruptus, & inconstans, qualis ego sum, tuerine potest innocentiam, fidem servare, sapienter vivere? Miserere ergo famuli tui, Deus meus, & absterge me ab omnibus sordibus meis ℣. 8. *Asperges me &c.* Confer Job 14. ℣. t. 2. 3. 4. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; & dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in Judicium? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es* ab omni sorde, ac infirmitate vacuus? Reor autem, hoc ipsum isthic Prophetam innuere velle.

℣. 8. ASPERGES ME HYSSOPO, & MUNDABOR.] Hyssopi ramo lustrali aqua imbuto leprosi adspergebantur, cum antea in aqua eadem passerculi cruor esset emissus. Hoc autem ad lepram mundandam inserviebat Levit. 14. 6. Domine, peccata mea leproso me simillimum effecere. Tabo usquequaque diffluo. Scelera mea efficiunt, ut me oculi tui fastidiant, ac perhorrescant. Asperges me hyssopo, ac mihi salutem, innocentiam, puritatemque restitue. Rabbini ajunt [2], David vere leprosum fuisse, & morbum hunc iis communicasse, quos hirquis oculis intuebatur; & re ipsa hanc ægritudinem in Goliath, atque in Joab ipsum immisisse. Verum hæc facta anecdota, quæ uni Rabbinorum narrationi innituntur, nullam fidem merentur. Apud Judæos domus etiam, & homines ex mortui præsentia polluti adspergebantur hyssopo, quam lustrali aqua inficiebant, cum cinere vitulæ rufæ ad hoc ipsum immolatæ composita.

Non censebat David, hujusmodi aspersiones posse crimina abstergere; immo neque cruentis sacrificiis virtutem hanc tribuebat, quemadmodum aperte docet infra ℣. 17. 18. verum alludit ad ritum hunc, qui figurativus erat, atque symbolicus. Munda me gratia tua ab omnibus interioribus maculis, non secus ac præcipis Sacerdotibus tuis, ut expient leprosos, & qui per mortui præsentiam, vel contactum polluti sunt, hyssopi, & lustralis aquæ aspersione. In id genus aspersionibus hyssopus adhibebatur, quemadmodum a nobis aspergillum adhibetur: seu quod hyssopo virtus aliqua ad detergendum, atque expiandum apposita tribueretur, seu ramorum, atque foliorum forma præ cæteris ad hoc ipsum aptior esset, quod mihi magis fidei consonum videtur.

Patres hyssopi nomine in figurato sensu intelligunt, alii quidem [3] Baptismum; alii Jesu Christi passionem; alii Sanguinem ejus, & Sacramenta; alii [4] pœnitentiam, & humilitatem. Si hunc locum ad Babylonis captivos transferre velis; credi potest, cum illis lustralis aqua, & aliæ expiationis species, quibus vulgo in patria utebantur, deessent, a Domino petere, ut illis gratia sua supplere, eosque a sordibus dignetur abstergere; quandoquidem vetitum erat ibi hoc præstare cum iis ritibus, qui in Lege præcipiebantur.

℣. 9. AUDITUI MEO DABIS GAUDIUM, & LÆTITIAM, & EXULTABUNT OSSA HUMILIATA.] Tu mihi loqueris ad cor [5], atque intrinsecus mihi dices: Peccata tua tibi remissa sunt [6]; Tunc ossa mea confecta, languentia, & quodammodo mortua, ac in cinerem redacta, *contrita*, ut ait Hebræus [7], consurgent, reviviscent, præ gaudio exultabunt. Facili negotio locus hic ad captivos Babylonicos referri potest.

℣. 10. AVERTE FACIEM TUAM A PECCATIS MEIS.] Si peccator scelerum suorum non obliviscitur, tu eorum obliviscere; si ea semper ob oculos habet, tu ab illis tuam faciem averte. *Bene rogat, ut Deus avertat faciem a peccato tuo, si tu inde non avertis faciem*, ait S. Augustinus. Hebræus verti potest [8]; *Averte iram tuam a peccatis meis*. Facies sæpe ponitur pro ira, atque vindicta. Peccatum per gratiam remittitur, inquit Sanctus Ambrosius, per Sanguinem Jesu Christi obliteratur, per charitatem cooperitur.

℣. 11. COR MUNDUM CREA IN ME, DEUS, & SPIRITUM RECTUM INNOVA &c.] Dixi, Domine [9]: cor meum, & spiritus meus ab ipso meæ conceptionis exordio corrupti sunt; huic vero corruptioni major adhuc per actualia scelera mea facta est accessio. Pravus habitus roboravit in me improba studia, quibus ad malum ferri sentiebam. In te uno vulnerum meorum medicinam reperire possum. Crea in medio mei cor novum; purum mihi largire spiritum, recentem mihi animam tribue, pravo hoc fermento vacuam, atque ab his sordibus abstersam. Ezechiel 36. 26. Dei nomine captivis Babylonicis se cor novum daturum pollicebatur, ut in viis ejus ambularent, neque a justitia deflecterent. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos; & dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Quæ omnia mirum in modum verbis Psalmi ex æquo respondent. Videntur autem Babylonis captivi hic poscere, ut Prophetæ sui promissiones adimpleantur.

Pro his verbis: *Spiritum rectum innova &c.* Hebræus legit [10]; *Innova intra me spiritum stabilem*, constantem, rectum. Plurimi id de Spiritu Sancto intelligunt, cujus instaurationem petit Propheta. Innova, vel auge in me Spiritum Sanctum, afflatum tuum, lumen, gratiamque tuam. Sed simpliciter explicare malim. Animam, novumque cor tribue mihi, quod tamen purum sit, & rectum, pro corde, & anima coinquinata, qua hodie animatus sum.

℣. 12. SPIRITUM SANCTUM TUUM NE AUFERAS A ME.] Ne Prophetiæ spiritum mihi eripias [11]. Origenes in libros Regum Edit. Huet. p. 35. ait, neminem amittere Prophetiæ gratiam, qua semel donatus fuerit, ni scelus aliquod patret, quo illa se indignum præbuerit. Hoc autem post peccatum suum verebatur David. Petit igitur, ut Deus eam illi servet, vel restituat; complures enim [12] censent, Deum illam a David amovisse, quoad in peccato permansit, eam vero post confessionem, ac pœnitentiam reddidisse. S. Johannes Chrysostomus, ac Theodoretus contrarium tenent. Sanctus Augustinus hic ait, quod *cum quisque sibi irascitur, & sibi displicet, sine dono Spiritus Sancti non est, quamvis veniam deprecetur*. Habet jam Spiritum Sanctum, qui optimos in eo motus ciet, licet hic nondum in corde illius sedem posuerit, *Moventem, sed nondum inhabitantem*, uti inquiunt Theologi.

℣. 13. REDDE MIHI LÆTITIAM SALUTARIS TUI, & SPIRITU PRINCIPALI CONFIRMA ME.] Remitte mihi peccatum meum, & educ me de abysso, in quam cecidi; redde mihi lætitiam, salutem, ac robur. Ego tristitia confectus sum, atque in interitus periculo versor; opem fer, & animos adde. Hebræus ad litteram [13]: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & per spiri-*

1 הן אמת חפצת בטחות ובסתום חכמה תודיעני 2 Vide Basnage, hist. des Juifs, l. 4. c. 19. art. 6.
3 Theodoret. Chrysost. Ambros. 4 Aug. Bernard. 5 Gen. 34. 3. Isai. 40. 2.
6 Hieronym. Theodoret. 7 עצמות דכית 8 הסתר פניך מחטאי
9 Vide ℣. 7. 10 ורוח נכון 11 Origen. Homil. 6. in Num. Theodoret. & Hieron. hic. Ita & Chald. Rabb. Libb. Lyr. alii. 12 Vide Athanas.
13 השיבה לי ששון ישעך ורוח נדיבה תסמכני

Spiritum liberalitatis confirma me. Textus non innuit, utrum David de sua, an Dei liberalitate loquatur; utrum efflagitet, ut Deus sibi Spiritum suum elargiatur suæ liberalitatis effectu, sibique vitam quodammodo reddat, lætitiam restaurans, atque de periculo educens; an confirmari petat sancto liberalitatis spiritu, magnitudinis, magnificentiæ, liberalitatis, qui principum proprium est: etenim apud Hebræos liquet Reges magnificos, & liberales [1] peculiari ac distincta denominatione fuisse appellatos, eisque *Magnificentiæ* titulum apponi consuevisse, quemadmodum *Majestatis* nomen hodie Regibus defertur.

Postremus hic sensus probabilior videtur. A Deo petit David hanc animi magnitudinem, quæ Regum est propria. Refert Scriptura 1. Reg. 10. 9. Saulem simul ac Regia unctione fuit delibutus, in alium hominem fuisse immutatum, ac Deum illi dedisse cor novum: *immutavit ei cor aliud*; cum vero a Deo reprobatus fuit, atque a Regno expulsus, Spiritum Sanctum ab eo recessisse, & super David quievisse, qui Samuelis manu fuerat inunctus. *Directus est Spiritus Domini a die illa in David, & deinceps . . . Spiritus autem Domini recessit a Saul*. 1. Reg. 16. 13. Verebatur David, ne a Domino reprobaretur, vel jam reprobatus fuisset, quemadmodum suo prædecessori contigerat: ideo hoc postulatum urget, ac trifariam diversimode repetit ℣. 11. *Spiritum rectum innova in visceribus meis*. ℣. 12. *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me*. ℣. 13. *Spiritu principali confirma me*.

Patres quidam [2], per triplicem hanc repetitionem Spiritus recti, Spiritus sancti, Spiritus principalis, SS. Trinitatem intelligunt. *Spiritus Principalis* Patrem designat; *Spiritus rectus* filium; *Spiritus Sanctus*, vel Propheticus, Spiritum Sanctum. S. Chrysostomus, Theodoretus, Nicephorus, Euthymius per *Spiritum principalem* rationis imperium intelligunt, ejusque in omnes subjectos affectus dominium. Hæc equidem genuina est Græcæ vocis *hegemonicon* [3] apud Philosophos [4] explicatio. In Job c. 30. 15. nomen *principalis* animam significat: *persecutus est inimicus animam meam*, principalem meam, *velut tempestas*. Isthic verti posset: *Spiritus principalis meæ confirmat me*. S. Augustinus, Eusebius, S. Athanasius pro *salutari* Jesum Christum intelligunt [3]: imo & S. Hieronymus reddit: *Redde mihi lætitiam Jesu tui*.

℣. 14. DOCEBO INIQUOS [5] VIAS TUAS.] Nequaquam ingratus ero miserationibus tuis, eas ubique prædicabo. Impios edocebo, coercebo illos, eosque adigam, ut ad te revertantur. Insigne exemplum ero misericordiæ tuæ, neque posthac ullus aderit peccator, qui de sua salute desperet, si me excipere, mihique favere dignaberis.

℣. 15. LIBERA ME DE SANGUINIBUS,] ac præsertim de cæde Uriæ [6], cujus cruor clamat, atque adversum me ultionem efflagitat. Vel libera me de pœna mortis [7], quam juste adeo meritus sum. Vel denique: Parce sanguini meo, & populorum meorum. Haud ita facile est versiculos 12. 13. 14. 15. ad Babylonis Captivos traducere.

ET EXULTABIT LINGUA MEA JUSTITIAM TUAM.] Alacriter prædicabit beneficia, quibus eam prævenisti, ac veniam, quam mihi largitus es. Hebræus [8]: *lingua mea concinet justitiam tuam*. Justitia crebro pro

A clementia, & misericordia [9] usurpatur: Neque enim in re videtur, quod noxius Judicis sui justitiam imploret; verum ad illius misericordiam confugit [10]; Septuaginta misericordiam sæpius reddunt vocem eam, quæ justitiam significat. Symmachus hoc in loco *misericordiam* legit [11], quo in sensu a S. Basilio, Theodoreto, & plerisque Interpretum explicatur. Verum his omissis, peccator, qui fidenter, atque in cordis amaritudine ad Deum se se convertit, & qui veniam consecutus est, jure quidem Domini justitiam celebrat lætitiæ Canticis; quandoquidem Justitia hæc aliquid de jure suo remittere voluit, ut misericordiæ locum tribueret. Antiqua nonnulla Psalteria legunt [12]: *Exaltabit lingua mea* pro *exultabit*, verum hoc bipalmare mendum est. Septuaginta [13] a Vulgata non di-
B screpant.

℣. 16. DOMINE LABIA MEA APERIES &c.] Cum Domine mihi peperceris, tunc tecum alloqui audebo, atque laudes tuas prædicabo [14]. Id autem de Captivo populo explicando: Tu, Domine, labia mea aperies, edocebisque me ut reddam tibi sacrificium laudis, quod a me hoc in exilio postulas. Vide Psalmum 49. ℣. 15. 24.

℣. 17. SI VOLUISSES SACRIFICIUM, DEDISSEM.] Si scelus meum ex eorum criminum genere fuisset, quæ sacrificiis expiantur, numquam defuissem, quominus piacula offerrem: verum scio, te aliud, quam animantium mortem, exposcere. Cor te læsit; voluntas a te defecit; utramque tibi per dolorem, atque pœnitentiam immolari opus est. He-
C bræus ad litteram [15]: *Sacrificium tibi non places, & si tibi holocaustum obtulero, illud non erit acceptum tibi*.

℣. 18. SPIRITUS CONTRIBULATUS. COR CONTRITUM, & HUMILIATUM, DEUS, NON DESPICIES [16].] Propheta satis hic veterum sacrificiorum in se ipsis aperit inutilitatem ad peccatorum veniam obtinendam. Deus aliquid majus poscit, quam victimarum sanguinem; vult autem cor contritum, ac dolore confectum, spiritum contribulatum, atque pœnitentia ductum, animam humiliatam, atque scelera perhorrescentem. Ad Deum non nisi per sinceram conversionem revertimur: nulla sine charitate vera est conversio, & quo perfectior charitas, eo magis etiam perfecta conversio est. Dolor, metus, cordis contritio ad amorem viam sternunt, & reconciliationis gra-
D tiam merentur.

Hebræus [17]: *Sacrificium Domino acceptum est spiritus dolore contritus. Cor contritum, atque confractum a Deo numquam despicietur*. Propheta trifariam cordis exprimit contritionem, ut melius intelligatur. Apud Homerum Odyss. M. *cor contritum* significat cor abjectum, animo destitutum, pavidum. Babylonis Captivi, non secus ac David dicere poterant Deo, hunc ab ipsis non sacrificia, sed sinceram conversionem, veramque pœnitentiam expetere. Fac, Domine, ajebant Daniel & socii illius in ardenti fornace, *ut possimus invenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium &c.* Dan. 3. ℣. 39. 40.

E ℣. 19. BENIGNE FAC DOMINE, IN BONA VOLUNTATE TUA SION: UT ÆDIFICENTUR MURI JERUSALEM [18].] S. Chrysostomus, Theodoretus, & alii nonnul-

---

1 Luc. 22. 25. *Qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*. 1. Reg. 2. 8. *Ut sedeat cum Principibus*. Hebr. נדיבים עם נדיבים Vide 1. Par. 29. 6. & 2. Par. 35. 8. Job. 12. 21. 21. 28. Ps. 46. 10. & passim.
2 Aug. Cassiodor. Hieronym.
3 70. Πνεύματι ἡγεμονικῷ στήριξόν με.
4 Vide Libell. de Macchab. seu περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ. Et Philon. de Nobilit. initio. Vide Chrysost. hic.
5 Aug. Psalt. Rom. Carnut. S. Ger. *Doceam iniquos*.
6 Exod. 22. 2. 3. Deut. 12. 8. &c.
7 Ita Chrys. Athan. Amb. alii passim.
8 תרנן לשוני צדקתך
9 Psal. 4. 1. 21. 32. 23. 5. 68. 32.
10 Deut. 6. 25. 24. 13. Psal. 23. 5. 32. 5. 102. 6. Isai. 1. 27. 28. 17. 56. 1. 59. 16. &c.
11 Sym. apud Didym. Theodoret. Διαλαλήσει ἡ γλῶσσά μου τὴν ἐλεημοσύνην σου.
12 Psalter. Rom. Mediol. Edit. Sixti V.
13 70. Ἀγαλλιάσεται. Exultabit.
14 Vide Ambros. & Chrysost.
15 כי לא תחפץ זבח ואתנה עולה לא תרצה
16 οὐκ ἐξουδενώσει. *Non despicies*. Aug. Amb. Psalt. Rom. Med. Carn. *Non spernet*.
17 זבחי אלהים רוח נשברה לב נשבר ונדכה וגו
18 August. Hieronym. Theodoret. Euthym. 70. Edit. Complut. Codices Reg. & Colbertini quinque: *& ædificentur*. Hebr. תבנה *Ædificabis*.

nonnulli [1] locum hunc transferunt ad innuendum murorum Jerusalem ab Chaldæis eversorum excidium. David Prophetiæ spiritu hoc malum prænoscens, ex eo jam tempore Dominum obtestabatur, ut ea mœnia instauraret. Patendum tamen est, nihil magis perspicuum esse hoc versiculo, & sequenti pro tempore Babyloniex captivitatis. Judæi postquam peccatum suum Domino confessi sunt, eum precantur, ut oculos suos ad Sion convertat, ac muros Jerusalem restauret. Tunc autem, ajunt illi, tibi offeremus sacrificia, atque aris tuis holocausta cumulabimus.

Qui hoc explicant de tempore David [2], putant Jerusalem tunc non fuisse muris circumdatam. Et sane Regum libri bis testantur, muros Jerusalem a Salomone fuisse ædificatos [3]. David post peccatum suum, ajunt, verebatur, ne Deus ab eo suam averteret misericordiam, & Jerusalem hostibus traderet. Bellum, quod tunc adversus Ammonitas ardebat, erat periculosum; & meminerat David verborum Nathan, qui ab eo descendens dixerat 2. Reg. 12. 10. *non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum*; quamobrem orationem suam concludit, Dominum obtestatus, ne sanctam civitatem suam derelinquere velit, sed permittere, ut muri, & propugnacula illius absolvantur.

Verum licet hæc pugnent argumenta, mihi persuadere nequeo, Jerusalem absque muris fuisse tune, cum Natham Davidem ob patratum scelus redarguit. Nemo ignorat quænam esset hujus urbis fortitudo, cum Jebusæis devictis eam David cepit 2. Reg. 5. 6. Hæc provinciæ illius fortissima erat arx, ideoque eam elegit David, ut ibi imperii sui sedem statueret. Quomodo ergo post decimum quartum ab ejus expugnatione annum facta fuit civitas absque muro? Dicet aliquis, Davidem, ut eam fortiorem, latioremque efficeret antiqua demolitum fuisse propugnacula, recentia ædificaturus. At sapiens adeo Princeps, ac prudens Imperator veteres muros subvertisset ne, antequam consuluisset urbi, si forte aliqua hostium repente irrueret incursio? At esto erraverit David; eo in statu reliquisset ne Jerusalem reliquo regni sui intervallo, quod viginti annis perstitit; ita ut Salomon filius ejus eam claudere, & communire debuerit? Hoc sane mihi a fide procul abhorrere videtur.

Præterea cur promitteret, se Domino sacrificia super Altare illius oblaturum, cum muri Jerusalem fuerint instaurati, perinde ac aliter pietati suæ satisfacere non potuisset? Non ne hoc ipsi integrum erat, cum vellet? Unde vero hæc festinatio vovendi sacrificia Deo, quandoquidem paulo superius edixerat, si Dominus voluisset holocausta, ipsum ea illi fuisse oblaturum; sed sacrificium, quod Deo acceptum est, esse cor contritum, & humiliatum? At enim hoc certe liquet, muros Jerusalem a Salomone extructos fuisse. Verum equidem est; sed ille longe ampliorem eam civitatem fecit: cumque Templum, ædesque suas in monte Sion ædificasset, hanc civitatis partem antiquæ Jerusalem adjungere voluit, ideoque debuit muros subvertere, ut ex duabus civitatibus unam efficeret. Reor sane, duos postremos Psalmi hujus Versiculos ad litteram intelligi non posse, nisi de captivis Babylonicis, seu quod huic Psalmo adjecti fuerint ab aliquo Prophetarum Captivitatis tempore; seu quod David repentino correptus enthusiasmo animum ad urbem, ac Templum a Chaldæis subversum converterit.

℣. 20. TUNC ACCEPTABIS SACRIFICIUM JUSTITIÆ, OBLATIONES, & HOLOCAUSTA.] Addunt eruentis victimis sacrificium justitiæ, rati, eas sine hoc Domino acceptas esse non posse. *Sacrificium justitiæ* innuere potest sacrificia, quæ ex debito offeruntur; ea, quæ vota fuere, & quæ præcipiuntur a lege, vel simpliciter opera justitiæ, & pietatis [4]. Hebræus [5]: *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, holocaustum, & oblationem, quæ integra prorsus igni consumitur*. Postrema vox *Calil* dicitur de holocaustis animantium, & oblatione frugum, & farinæ, quæ in flammas conjiciebantur, ac penitus adurebantur. Videtur etiam, *sacrificium justitiæ* hoc in loco esse eadem holocausta, ac oblationes, atque hic designari dumtaxat consueta sacrificia, quæ in templo offerre tenebantur. Post reditum nostrum, Domine, ea, quæ debemus, persolvemus, super altari tuo cremabuntur holocausta, quæ in lege tua præcipiuntur, & oblationes secundum ritus, ac cæremonias præscriptas.

a Kimchi apud Muis, & Cocc. 2 Muis, Geier. Menoch. Tir. Ferrand. Alii passim. 3 3. Reg. 3. 1. *Donec compleret murum Jerusalem per circuitum*. Et 3. Reg. 9. 15. *Ad ædificandam Domum Domini, murum Jerusalem*. 4 Vide Psal. 4. 6. 5 אז תחפץ זבחי צדק עולה וכליל

PSALMUS LI.

Invectiva in Doeg Idumæum, qui Saulem adversus Davidem irritaverat, & fuerat causa necis Sacerdotum Domini, qui erant in Nobe.

In finem, Intellectus David, cum venit Doeg Idumæus, & nuntiavit Sauli: Venit David in domum Achimelech.

ARGUMENTUM.

Cum intellexisset David, Saulem ipsius excidium decresse, secessit apud Achis, Regem Geth. In itinere suo, per Nobe transivit, ubi tunc aderat Tabernaculum, ibique sumpsit gladium Goliath, & aliquot panes in viaticum [1]. Doeg Idumæus e Saulis familiaribus, cum forte ibi adfuisset, certiorem fecit Regem suum eorum, quæ contigerant: Rex vero statim accersitos Sacerdotes de Nobe coram se trucidandos voluit, misitque, qui civitatem Nobe popularentur. Abiathar filius Summi Sacerdotis Achimelech fugam corripuit, & Davidem monuit eorum, quæ propter ipsum mala Sacerdotibus, ac civitati Nobe contigerant. David tunc Psalmum, quem legimus, composuit [2], qui invectivam in Doeg Idumæum complectitur. *Idumæus* autem hic appellatur, vel quod erat ex semine Esau, vel quod diutius in Idumæa vixerat.

Achimelech, de quo in titulo sermo est, tunc summus erat Sacerdos: & ipse tunc Davidi gladium Goliath, & panes

1 1. Reg. 22. 1. 9. 20. 2 Ita Theodoret. Chrysost. Euseb. Euthym. Adnotandum est, D. Chrysostomi homiliam in Psalmum 51. eamdem esse cum Eusebii Commentario in hunc eumdem Psalmum.

Propositionis, qui die antecedenti a facie Domini ablati fuerant, dedit. Septuaginta, complura Vulgatæ Exemplaria [1], S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Athanasius, Theodoretus, S. Hilarius, S. Augustinus, S. Hieronymus legunt *Abimelech* pro *Achimelech*. At postrema hæc legendi ratio bona est. In Regum libris, ac in Hebraico Psalmi hujus textu constanter vocatur *Achimelech*. Theodoretus, & Beda præter sensum, qui in titulo exprimitur, credunt etiam haberi posse tamquam responsionem probris, ac blasphemiis Rabsacis [2]. Plurimi in facinore Doeg considerant imaginem proditionis Judæ, ac in psalmo hac in occasione composito, invectivam adversus hunc proditorem. Cassiodorus intuetur Doeg tamquam figuram Anti-Christi, qui J. C. in membris ejus novissimo die est persecuturus.

1. QUid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? 2 Tota die inju-
stitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum. 3 Dile-
xisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis, quam loqui æqui-
tatem. 4 Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. 5 Propterea Deus
destruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo: & radicem
tuam de terra viventium. 6 Videbunt justi, & timebunt, & super eum ridebunt,
& dicent: 7 Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum; sed speravit in
multitudine divitiarum suarum: & prævaluit in vanitate sua. 8 Ego autem, sicut
oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, & in sæcu-
lum sæculi. 9 Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti: & expectabo nomen tuum,
quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.

℣. 1. QUID GLORIARIS IM MALITIA, QUI POTENS ES IN INIQUITATE [3]?] Hæc est apostrophe ad Doeg. Præclarum equidem triumphum, quod Unctos Domini ad interitum vocaveris! Egregium laudum tuarum, gloriæque argumentum, quod tibi e voto cesserit innocentes opprimere! Dignum meherde tuæ existimationis, & potentiæ facinus, o vir *Potens*, locuples, auctoritate valens! *Doeg potentissimus erat pastorum Saul*, ait Scriptura 1. Reg. 21. 7.

Si *tota die*, e versiculo sequenti, huic adnectatur, ita reddi potest Hebræus [4]: *Cur gloriaris in malitia, o potens! Misericordia Domini est tota die*. Cur indigne adeo abuteris auctoritate tua, cum Domini misericordia quotidie pro servis suis adeo diversimode se se ostentet? Non ne vereri debebas Sacerdotes Domini, B ac metuere, ne Omnipotentis clementiam offenderes, qui eos aperte adeo patrocinio tuetur? Septuaginta [5] isthic contrarium omnino in sensum sumpsere Hebraicam vocem *Chesed*, quæ vulgo misericordiam significat, pro nequitia, & improbitate, quo in sensu alibi etiam in Scripturis explicatur [6]. Hebræus posset quoque per interjectionem hoc pacto verti. *Cur gloriaris in malitia, o potens? Misericordia Domini!* ℣. 2. *tota die injustitiam cogitavit lingua tua*. Aliter: *Cur gloriam tuam in improbitate tua collocas, o vir potens? Præclaram misericordiam!* Egregium equidem facinus tuum! Tota die meditaris, ut injustum aliquid committas.

℣. 2. TOTA DIE INJUSTITIAM COGITAVIT LINGUA TUA: SICUT NOVACULA ACUTA FECISTI DOLUM.] C Lingua tua est veluti novacula acuta, sed dolosa, quæ pro pilis carnem cædit, quæ profunda infligit vulnera, non superfluos pilos abradit. Hebraica vox *Taar* significare potest forfices, quibus oves tondentur, vel etiam novaculas [7]. Textus ita reddi potest [8]: *Lingua tua cogitavit, ut malum faceret*, noceret, affligeret, falleret *tota die*. *Dolum facis, tamquam forfices acutæ*. Hebræi dicunt, linguam cogitare, meditari, perpendere, cum de industria profert pravos sermones, per- A niciosos, mendaces, vel cum sapienter verba sententiis referta, atque ab justitia non abhorrentia, pronuntiat.

Potuisset Doeg, quin fidei, quam Regi suo debebat, officeret, nequaquam ea narrare, quæ viderat in Nobe, quandoquidem David tunc in alienam ditionem migrarat, Regis illum persequentis injustitia erat manifesta, & Summus Sacerdos Achimelech ex simplicitate cordis, atque optima fide egerat, putans immo Regis interesse, si ipse Davidi ea arma, & viaticum, quod posset, suppeditasset. Si Doeg suum esse crediderat, ea Regi aperire, quæ noverat, veritatem ne dissimulare debuerat, ac nigrum virus adspergere, strictim inquiens, Achimelech pro David consuluisse Dominum (quæ circumstantia in Regum B libris non legitur), illique commeatus, ac ensem Goliath tradidisse? Cur Summi Sacerdotis, quam merebatur, testatus non est, innocentiam, dicens, illum omnia ignorasse, & ne minimam quidem illi incessisse suspicionem, de consilio David, quemadmodum ex omni illius sermone, agendique ratione constabat? Jure ergo eum Psalmista acutæ novaculæ comparat, qui pro pilis carnem ipsam cædit; eique objicit, quod potius iniquitatis, quam justitiæ verba dilexerit. (℣. 3.) *Dilexisti iniquitatem, magis, quam loqui æquitatem*.

℣. 4. DILEXISTI OMNIA VERBA PRÆCIPITATIONIS.] Tu præ animi alacritate Sauli ea dixisti, quæ in summum interitum præcipites dederunt Domini Sacerdotes. Tu eos sponte in mortis abyssum conjecisti, tu fecisti, ut illi naufragium paterentur. He- C bræus ad litteram [9]: *tu dilexisti omnes sermones deglutionis, o lingua fallax*. Vel; Amas verba naufragii, & linguam dolosam. Septuaginta [10], S. Augustinus, S. Hilarius, S. Athanasius, Theodoretus, Psalterium S. Germani, aliique antiqui MSS. [11] postremum hunc sensum sectantur, & legunt: *Dilexisti omnia verba submersionis, linguam dolosam*. Psalterium Romanum: *in lingua dolosa*.

℣. 5. PROPTEREA DEUS DESTRUET IN FINEM.] Hæc Prophetia est interitus Doeg. Quid de ipso factum

1 Ita Edit. Sixti V. & Complut. Ita Codd. Reg. 769. & Memm. 2. apud Ferrand. & plures Codd. apud Aug.
2 4. Reg. 18. 19. 3 Aug. sic legit: *Quid gloriatur in malitia, qui potens est? In iniquitate tota die injustitiam cogitavit*, &c. Hilar. *Quid gloriaris in malitia, potens iniquitatem tota die*.
4 מה תתהלל ברעה הגבור חסד אל כל היום 5 70. Compl. Τί ἐγκαυχᾷ ἐν κακίᾳ ὁ δυνατός, ἀνομίαν ὅλην τὴν ἡμέραν ἀδικίαν ἐλογίσατο, &c. Eodem ferme pacto Eusebius legit; habet enim: Ἀνομίαν ὅλην τὴν ἡμέραν, καὶ ἀδικίαν ἐλογίσατο, &c. Editio Romana Vulgatæ prorsus similis est. 6 Vide Levit. 20. 17. & Prov. 14. 37.
7 Vide Judic. 16. 19. 8 כל היום הוות תחשב לשונך כתער מלטש עשה רמיה
9 אהבת כל דברי בלע 10 70. Ἠγάπησας πάντα τὰ ῥήματα καταποντισμοῦ, γλῶσσαν δολίαν.
11 Ita Codices Reg. & Colbert. apud Ferrand.

ctum fuerit, Scriptura non adfert; sed Judæi narrant, A Doeg in monte Gelboe obiisse, ac una cum Saule Domino suo sibi necem conscivisse, atque Davidem Regno potitum sex filios ipsius occidisse juxta ea, quæ isthic dicuntur: Destruet *radicem*, vel progeniem tuam, *de terra viventium*.

EMIGRABIT TE DE TABERNACULO TUO.] Ejiciet te de domo tua. Hebræus non legit *tuo*; sed dumtaxat: *ejiciet te de Tabernaculo* [1], vel de domo, aut ædibus vel tuis, vel Saulis, vel etiam de tabernaculo Domini [2], unde arripuisti occasionem Sacerdotes criminandi. Non audebis coram Domini Sacerdotibus accedere, quorum majores per summam indignitatem, ac cædem pessum misisti. Liquet, cum nemo e Satellitibus Saulis manus suas in Sacerdotes, ac Unctos Domini auderet inferre, Doeg unum hoc ausum eos B jugulasse 1. Reg. 22. 18.

℣. 6. VIDEBUNT JUSTI, & TIMEBUNT; & SUPER EUM RIDEBUNT &c.] Videbunt Justi supplicium Doeg, ac divinæ ultionis, quæ nullum umquam scelus impune patitur abire, verebuntur effectus; ridebunt ob ejus excidium, non autem illi insultabunt, neque ob infortunium illius lætabuntur. Justus non esset Justus, si illi deesset Charitas, & erga proximum suum miseratio, sed gaudebit, quod Justitia Domini effulget, & scelus punitur. Timebit in hoc mundo, & lætabitur in altero, ajunt SS. Hieronymus, & Augustinus. Domini Judicia nos in hac vita perterrent, quia adhuc in via sumus, & labi possumus, impius vero potest resipiscere. Verum in novissimo Dei Judicio lætabimur, videntes justitiam, quam in peccatores exer- C cebit; quoniam tunc extra periculi aleam erimus, & impius extra quamlibet spem [3]. Supplicium Doeg apud Hebræos in adagium abiit.

℣. 7. ECCE HOMO, QUI NON POSUIT DEUM ADJUTOREM SUUM, SED SPERAVIT IN MULTITUDINE DIVITIARUM SUARUM &c.] Adnotavimus jam Doeg ditissimum fuisse inter pastores Saul; quod sane haud spernendum erat iis in locis, ubi omnes divitiæ in gregibus erant positæ. Hebræus [4]: *Ecce homo*, fortis ille vir, *qui non posuit Dominum pro arce sua*, præsidio suo; *sed speravit in multitudine divitiarum suarum &c.*

℣. 8. EGO AUTEM SICUT OLIVA FRUCTIFERA.] David non loquitur hic de præsenti statu suo; nimis enim tunc vexatus, atque exagitatus erat a Saule, eum persequente; verum se tandem aliquando pace, atque prosperitate fruiturum sperat, dum jacuerit Doeg eo in statu, quem versiculis 5. & 6. vidimus.

℣. 9. CONFITEBOR TIBI IN SÆCULUM; QUIA FECISTI] hæc erga me, & adversus Doeg. Spero, me olim profunda lætaturum pace, in qua Providentiam, Justitiamque tuam celebrabo, Laudabo te, eo quod me de tot periculis eripueris, atque de hostibus meis ultionem poposceris. In lætitia cordis mei revolvam ea omnia, quæ pro me fecisti. Verbum *facere* nonnumquam absolute, ac sine addito [5], quemadmodum hic, usurpatur; sed orationis decursus sensum aperit, in quo illud est intelligendum.

ET EXPECTABO NOMEN TUUM; QUONIAM BONUM EST IN CONSPECTU SANCTORUM TUORUM.] Quod nomen hoc dulce est, atque consolationem adfert servis, & amicis suis, hæc summa est hilaritatis, atque spei meæ [6]. In uno te, in nomine tuo, in præsentia tua omnem vim meam collocabo, quod clemens es, atque misericors erga Sanctos, ac fideles servos tuos. Nonnulli ita verba textus ordinant. Expectabo in conspectu Sanctorum tuorum, auxilium nominis tui, *quoniam bonum est*. Sed prior sensus præstat.

1 יסחך מאהל 70. Rom. Μετοικιεῦσαί σε ἀπὸ σκηνώματός. Ita & Codices aliquot Vulgatæ. Sed Edit. Complut. ἀπὸ σκηνώματός σου. *De tabernaculo tuo*. 2 Greg. Nyssen. Abenezra, Muis, Geier.
3 Genebr. hic. 4 הנה הגבר לא ישים אלהים מעוזו ויבטח ברב עשריו יעז בהותו
5 Psal. 36. 1. *Spera Deo, & ipse faciet*. 38. 10. *Non aperui os meum, quoniam tu fecisti*. 105. 13. *Cito fecerunt, obliti sunt*, &c. 108. 21. *Fac mecum propter nomen tuum*. 6 Sym. Ὅτι Χρηστὸν τὸ ὄνομά σου, &c. Confer. Psal. 53. 8 *Confitebor nomini tuo, quoniam bonum est*. Vide & 99. 5. & 134. 3.

PSALMUS LII.

Corruptio, & impietas iniquorum. Eorum ingens terror, & confusio. Dominus de Captivitate populum suum revocabit.

In finem, pro Maeleth: intelligentiæ David.

ARGUMENTUM.

IN FINEM PRO MAELETH &c. Hebræum ita vertimus [1]: *Psalmus ad erudiendum, Davidis pro Præside*, vel Moderatori *Choreæ* [2]. S. Hieronymus, Beda, ac Cassiodorus, atque non pauca Psalteria [3] legunt *Amalec* pro *Maeleth*, quod merum Librarii mendum est. Psalmus hic idem est ac decimus tertius cum parvo aliquo discrimine, quod in Commentario adnotabimus: quod ipsum plane causa fuit, ut Psalmus hic cum aliis David Psalmis collocaretur, quin repetita evitare studerent eo consilio, quod iniere, in corpus unum omnia colligendi carmina, Spiritu Sancto afflante conscripta. Duo hi Psalmi unus post alium disponi potuissent, si ea juxta temporis, vel argumenti ordinem disponere voluissent; verum promiscue collocati sunt, prout subinde inveniebantur, atque occurrebant.

Theodorus, Euthymius, & recentiores quidam Interpretes putant, Davidem isthic Rabsacis impietatem describere. Alii [4] in Antiochi Epiphanis persecutionem, & Macchabæorum tempus rejiciunt; alii vero ad mala, quæ fidelibus allaturus est Antichristus. Alii generatim eum explicant, tamquam invectivam adversus Atheos, & impios, qui Davidis ævo vivebant. Nos vero hunc Babylonicæ captivivitatis tempus

1 למנצח על מחלת משכיל לדוד 2 Aquil. Ἐπὶ χορείᾳ. Th. Ὑπὲρ τῆς χορείας. *Pro chorea*. Sym. Διὰ χοροῦ, *Pro choro*. מחלת, choream significat Psal. 30. 12. 149. 3. Judic. 21. 13. Cantic. 6. 12.
3 Ita Codd. Manuscripti Reg. 158. 122. Colb. 158. Ita & Edit. Sixti V. &c.
4 Rabb. Salom. Lyr. Muis.

pus respicere, atque Auctorem Babyloniorum captivitatem describere arbitramur. Postremus Versiculus aperte docet, tunc reditum, ac finem hujus captivitatis fuisse expectatum. Patres autem isthic Naturæ humanæ descriptionem esse putant, qualis erat ante J. C. adventum.

1. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. 2 Corrupti sunt, & abomi-
nabiles facti sunt in iniquitatibus: non est, qui faciat bonum. 3 Deus
de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens,
aut requirens Deum. 4 Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est,
qui faciat bonum, non est usque ad unum. 5 Nonne scient omnes, qui operan-
tur iniquitatem, qui devorant plebem meam, ut cibum panis? 6 Deum non in-
vocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. 7 Quoniam Deus dis-
sipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit
eos. 8 Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum converterit Deus captivitatem
plebis suæ, exultabit Jacob, & lætabitur Israel.

℣. 1. DIXIT INSIPIENS IN CORDE SUO.] Insipiens sæpe pro impio nuncupatur. Dementiæ est, stultitiæ, ac impietatis, Deum, ac Providentiam negare. Divinitatis indicia ubicumque in natura collucent. Omnes creatæ res clamant [1]; *ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

℣. 2. CORRUPTI SUNT, & ABOMINABILES FACTI SUNT IN INIQUITATIBUS [2].] Cor suum corrumpere inceperunt, ex quo in errorem, & flagitia prolapsi sunt; in incredulitatem, atque obdurati animi pertinaciam cecidere [3]. Impii, licet explicite Dei existentiam non negent, eam tamen operibus negant, inquit S. Augustinus. Psalteria quædam legunt [4]: *abominabiles facti sunt in voluntatibus suis.*

℣. 3. DEUS DE COELO PROSPEXIT &c.] Providentia ejus apertos habet oculos super ea omnia, quæ B in terris accidunt. Ipse discernit, & judicat quidquid isthic inferius agitur; verum nihil videt nisi flagitia in operibus, errores in mentibus, corruptionem in cordibus. Hæc est earum rerum, quæ Babylone, atque in sublimiori sensu, quæ in mundo ante J. C. adventum fiebant, descriptio. Vide Rom. 3. vers. 9. 10. 11. 12.

℣. 4. OMNES DECLINAVERUNT, SIMUL INUTILES FACTI SUNT.] Justitiæ, ac veritatis viam reliquere: *Inutiles facti sunt*; vanitatis, atque mendacii amatores; omnia illorum studia vana sunt; frustra laborant, & illud, quod unice necessarium est, contemnunt. Hebræum ita reddo [5]; *Omnes corrupti sunt, omnes fœtent*: prior quidem vox rubiginem, quæ metallis adhærescit [6], altera vero corruptæ carnis putorem signi- C ficat; Job 15. 16.

NON EST USQUE AD UNUM.] Hoc de Babyloniis intelligitur. Ne unus quidem adest, qui corruptione vacet. Boni ubique rari sunt, sed hac in civitate ne A unus quidem invenitur; ni fortasse bonus aliquis Judæus, veluti Daniel, ejusque socii.

Rari quippe boni; numerus vix est totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

℣. 5. NONNE SCIENT OMNES, QUI OPERANTUR INIQUITATEM?] Nonne tandem aliquando oculos aperient, ut intelligant, me supremum illorum Dominum esse? Numquam ne Providentiam, Justitiamque meam, & quæ ipsis impendet calamitas, si in flagitiis suis perstiterint, agnoscent?

DEVORANT PLEBEM MEAM UT CIBUM PANIS [7].] Babylonii populum meum absumunt, & devorant, sine ulla miseratione, & religione dilaniant. Eum, ut ita dicam, in quotidianam sibi escam convertunt.

℣. 6. TREPIDAVERUNT TIMORE, UBI NON ERAT TIMOR.] Ingenti, inanique timore correpti fuere. Vide Psal. 13. 5.

℣. 7. DOMINUS DISSIPAVIT OSSA EORUM, QUI HOMINIBUS PLACENT [8] &c.] Hebr. [9] *Quoniam Dominus dissipavit ossa eorum, qui obsident te*, vel te obsederunt. Babylonios innuit, qui ceperant, atque subverterant Jerusalem; *operuisti eos confusione; quoniam Deus rejecit*, contempsit *illos*. Eos rejecisti, sprevisti, confudisti, Domine, propter eorum superbiam, nimiamque impotentiam. Hoc non legitur in Psalmo 13. pro quo ibi hæc leguntur, quæ isthic non extant [10]: *Quod Dominus est in medio populi justi, consilium pauperis confudisti, quoniam Dominus spes ejus est.*

℣. 8. CUM CONVERTERIT DOMINUS CAPTIVITATEM PLEBIS SUÆ [11].] Cum Juda in patriam terram redierit, tunc gaudio exultabit. Judæi Babylone captivi de proxima libertate sua non ambigebant, Prophetarum Jeremiæ, Isajæ, & Ezechielis promissionibus innixi. Patres hoc intelligunt tamquam votum Patriarcharum, Liberatoris sui adventum præstolantium.

---

1 Psalm. 99. 3. Vide August. Confess. lib. 10. cap. 6. 2 Psalm. 13. 1. *In studiis suis*. Hebr. התעיבו עלילה *Abominabiles facti sunt consulte*. Hic. התעיבו עול *Reddiderunt abominabilem iniquitatem*.
3 August. hic. *Capit corruptio a mala fide. Inde itur in turpes mores, inde in acerrimas cupiditates. Gradus isti sunt*. Theodoret. Α᾽στι[illegible] τοῖς ἀσεβοῦσι ὁ ωονηρὸς βί[illegible].
4 Psalter. Rom. Carnut. S. German. 5 הכל Psalm. 14. כלו סג יחדו נאלחו סר יחדו נאלחו
6 Vide Prov. 14. 14. & Psalm. 118. 119. Ezech. 22. 18. 19. 7 August. *In cibo panis*. 70. Ε᾽ν βρώσει ἄρτου. 8 Psalter. Roman. & Mediolan. *Ossa hominum sibi placentium*, S. Hilar. *Ossa placentium hominibus*. Psalter. S. German. *Consilia hominum sibi placentium*.
9 כי אלהים פזר עצמות חנך הבישתה כי אלהים מאסם Aquil. Symmach. O' [illegible] Θεὸς διεσκόρπισεν ὀστᾶ ἀνθρωπαρεσκόντων ὑμῖν τό. 10 כי אלהים בדור צדיק עצת עני תבישו כי יהוה מחסהו
11 August. *In avertendo Deus captivitatem, &c*. Psalter. Rom. & S. Germ. *Dum avertet*. Mediol. *In convertendo*. 70. Ε᾽ν τῷ ἐπιστρέψαι, &c.

PSALMUS LIII.

David Domini opem implorat adversus inimicos suos, sibique de illis victoriam pollicetur; atque in gratiarum actionem Deo vovet sacrificia.

In finem in carminibus. Intellectus David, cum venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos?

ARGUMENTUM.

Ziph oppidum erat in meridionali Palæstinæ plaga. Cum David in montes, ac nemora huic loco finitima se se recepisset; Ziphæi Saulem admonuere, qui statim cum exercitu adfuit. David autem in altero erat montis latere, & Saul cum exercitu suo in altero illi opposito. Nullum periculum gravius hoc illi imminere poterat, & David se se ex inimici sui manibus eripere non valebat. Eo temporis momento Sauli nuntium allatum est, Philisthinos in Palæstinam fecisse irruptionem: quamobrem destitit ille ab incepto, atque rediit, ut hostium impetum propulsaret [1]. David hic primum refert periculum, in quo versabatur, mox fiduciam suam in Domini ope testatur, ac tandem pro evitato periculo gratias agit. Psalmus hic post periculum compositus fuit, uti aliorum plerique generis ejusdem; unde fit, quod isthic varios sensus suos, quos deinceps concepit, enarret, terrorem, sollicitudinem, confidentiam, tranquillitatem, gratiarum actionem [2]. Syrus ait, hanc fuisse orationem David, cum imperavit Joab, ut Absalonem bello persequeretur. Patres hoc explicant de persecutionibus, quas ab hostibus suis patitur Ecclesia [3]; vel de J. C. Passione [4].

1. DEus in nomine tuo salvum me fac: & in virtute tua judica me. 2
Deus, exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei. 3 Quo-
niam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam
meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum. 4 Ecce enim Deus
adjuvat me: & Dominus susceptor est animæ meæ. 5 Averte mala inimicis meis:
& in veritate tua disperde illos. 6 Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor no-
mini tuo, Domine: quoniam bonum est. 7 Quoniam ex omni tribulatione eripuisti
me: & super inimicos meos despexit oculus meus.

℣. 1. DEUS IN NOMINE TUO SALVUM ME FAC.] A Nomen Domini est ipse Dominus: Per te ipsum salva me. Per nominis tui virtutem te oro, ac obtestor: *Turris fortissima nomen Domini*, ait Sapiens Prov. 18. 10. Nullam in meritis, in virtutibus meis, vel in hominum robore, sed omnem in nomine tuo spem colloco.

IN VIRTUTE TUA JUDICA ME.] Esto Judex inter Saulem, & me, Domine; innocentiam meam, atque persecutoris justitiam probe tenes. Ziphæos puni, qui per summum nefas, atque injustitiam prodiderunt me, meque adversario meo detexerunt. Antiqua Psalteria legunt: *Et in virtute tua libera me.*

℣. 3. QUONIAM ALIENI INSURREXERUNT ADVERSUM ME.] Ziphæi, fratres, atque contribules mei (Ziph erat in Tribu Juda) tamquam hostem, alie- B num, atque ignotum exceperunt me. Antiquitus *alienorum* nomine hostes intelligebantur [5]. David Psalmo 17. 46. hoc ipso nomine alienos vocat fratres, concives, subditos suos, qui ab illius fide defecerant, in ipsum arma ceperant, cumque hosti tradere adnisi fuerant: *Filii alieni mentiti sunt mihi*: & Prophetæ sæpius alienam generationem appellant Judæos infideles, qui Idolorum cultui se addixerant.

FORTES QUÆSIERUNT ANIMAM MEAM.] Saulem, ejusque copias intelligit. Hebræus significat potius violentos homines, terribiles, crudeles, atque cum levi Textus immutatione ita totus versiculus legi posset [6]: *Superbi insurrexerunt adversum me, & crudeles quæsierunt animam meam.* Chaldæus legit *sedim*, superbos, ut nos quoque legimus. Et Psalmo 85. 14. qui huic omnino geminus est, similiter legimus: *Superbi insurrexerunt contra me, & crudelium cœtus quæsivit animam meam.* Ratio inter *superbos*, ac *violentos homines* magis aperta est, quam inter *alienos*, & *crudeles*, qui Dominum ob oculos non habent.

℣. 4. ECCE ENIM DOMINUS ADJUVAT ME.] David in medio maximorum periculorum se tutum putat. Providentiam Domini admiratur, qui insperato illud de manu Saulis eripuit, permittens, ut eo temporis puncto nuntium irruptionis Philisthinorum Regem hunc averteret, cum unus tantum illi gradus reliquus esset, ut Davidem arriperet. Hebræus in præteritum tempus verti potest [7]: *Dominus suscepit defensionem meam, & est cum sustinentibus vitam meam.* Dominus pro me se stare pollicitus est, in partes meas concessit. Hæc omnia de J. C. explicantur, quem Judæi inimici illius persecuti sunt, ex quorum manibus semper elapsus est, donec ipse illis semet tradere voluit, impositum sibi a Patre opus absoluturus; cum semper ostendisset, sibi integrum esse & animam suam ponere, & illam recipere: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*, Johan. 10. 18.

1 Vide 1. Reg. 23. 19. 26. 27. 2 Vide regulam a nobis propositam in titul. tertii Psalmi.
3 August. 4 Hilar. Hieron. 5 Job. 15. 13. Psal. 108. 11. Isai. 1. 7. 61. 5. Jerem. 51. 51. Thren. 5. 2 Ezech. 7. 21. &c. Cicero lib. 1. de Offic. *Hostis apud majores nostros dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.* Vox Latina *hostis* venit e Græco ξένος, *quilibet, ignotus.*
6 קמו עלי ועריצים בקשו נפשי (Lege זדים) כי זרים Confer Psalmum 18. 14. Vulg. *Ab alienis.* Hebr. *A superbis* מזדים Vide & 118. 85. 122. 69. 78. Vide Muis hic.
7 הנה אלהים עזר לי אדני בסמכי נפשי

℣. 5. AVERTE MALA INIMICIS MEIS.] Eorum futurum excidium portendit. Hebræus verti potest [1]: *reddet ille malum, quod merentur, iis, qui mihi laqueos posuere, atque in veritate tua dele eos*. Fac illis juxta minas tuas, ac experiantur, te Deum esse veritatis, seu impiis pœnas irroges, seu bonos remunereris.

℣. 6. VOLUNTARIE SACRIFICABO TIBI.] In gratiarum actionem ob miraculosam opem, quam mihi largiri dignatus es. Offeram tibi sacrificium gratiarum actionis, sacrificium voluntarium [2] pro mea liberatione, illudque ex toto corde offeram tibi, simulac mihi licuerit promissionem meam adimplere. Eusebius explicat de cordis, voluntatis, ac laudum sacrificio. Sacrificium J. C. omnino voluntarium fuit [3]: *Oblatus est, quia ipse voluit*.

CONFITEBOR NOMINI TUO, QUONIAM BONUM EST.] Nomen tuum mihi nomen est consolationis, atque suavitatis. Hoc est fiduciæ, & amoris mei argumentum. Vide Psal. 51. 11.

℣. 7. SUPER INIMICOS MEOS DESPEXIT OCULUS MEUS.] Eos sine ullo metu, tuo suffultus auxilio, despexi. Hebræus simpliciter [4]: *Oculus meus vidit inimicos meos*. Septuaginta [5], S. Augustinus, & antiqua Psalteria similiter: *Respexit oculus meus inimicos meos*. Vidi eos, qui mihi obesse non poterant amplius, vidi in eos Dei vindictam irruere [6]. Vidi eos, neque accesserunt ad me. Deus eripuit me de manibus eorum.

1 וישוב הרע לשררי באמתך הצמיתם 2 Levit. 3. 1. & seq.
2 Isai. 53. 7. Vide Psalm. 39. 9. Johan. 10. 17. 18. Hieron. hic. 3 ובאיבי ראתה עיני
5 Ἐν τοῖς ἐχθροῖς μου ἐπεῖδεν ὁ ὀφθαλμός μου. 6 Ita Chald. Genebr. Flamin.

PSALMUS LIV.

Oratio David in imminenti periculo; Columbæ alas poscit ad fugam capessendam. Inimicorum suorum dolos describit. Omnem spem in Domino collocat, & se persequentium vaticinatur excidium.

In finem, in carminibus: intellectus David.

ARGUMENTUM.

Psalmus hic calamitatis, & persecutionis tempore compositus fuit. Nonnulli illum referunt ad David, cum illum Saul persequebatur [1]; alii ad Absalonis defectionem [2], alii ad proditionem Achitophel. Vetus quidam Græcus Auctor [3], & Venerabilis Beda illum explicant de Onia filio Summi Sacerdotis Oniæ, qui Menelaus dicebatur [4], qui sibi summi Sacerdotii aditum interclusum videns in patria sua, in Ægyptum secessit, ibique Templum Onionis ædificavit juxta graphidem Templi Jerosolymitani. Patres hunc ad J. C. transferunt a Juda proditum, & Romanis a Judæis traditum, vel ad Christianam Ecclesiam, quam & Ethnici persecuti sunt, & Hæretici prodiderunt. Nos ad litteram eos sequemur, qui de Davide intelligunt, Jerosolymis egresso, ut Absalonis filii sui impotentiam effugeret: & in sensu spirituali de J. C. passione. Psalmus hic magnam habet similitudinem cum Psalmo 34. quem de Saulis persecutione explicuimus, & cum 40. quem intelligimus de David gravi morbo laborante post Absalonis proditionem. Quædam similia deprehenduntur, præsertim vero prava fides, atque falsorum amicorum ejus perfidia.

1. EXaudi, Deus, orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: in-
tende mihi, & exaudi me. 2 Contristatus sum in exercitatione mea: &
conturbatus sum a voce inimici, & a tribulatione peccatoris. 3 Quoniam
declinaverunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi. 4 Cor meum con-
turbatum est in me: & formido mortis cecidit super me. 5 Timor, & tremor ve-
nerunt super me: & contexerunt me tenebræ. 6 Et dixi: Quis dabit mihi pen-
nas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? 7 Ecce elongavi fugiens: & mansi
in solitudine. 8 Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus,
& tempestate. 9 Præcipita, Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniqui-
tatem, & contradictionem in civitate. 10 Die ac nocte circumdabit eam super mu-
ros ejus iniquitas: & labor in medio ejus, & injustitia. 11 Et non defecit de pla-
teis ejus usura, & dolus. 12 Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuis-
sem utique. 13 Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: ab-
scondissem me forsitan ab eo. 14 Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus
meus. 15 Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus
cum consensu. 16 Veniat mors super illos: & descendant in infernum viventes.
17 Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum. 18 Ego autem ad
Deum

1 Theodoret. Euthym. 2 Anonym. Paraphrast. apud Corder. tom. 2. pag. 41.
3 Kimchi, Rabb. alii. Muis, Ferrand. Bossuet. 4 Vide 2. Macch. 13. & 4. 30. . . . . 34. & Joseph. Antiquit. lib. 12. cap. 15. & 13. cap. 6.

Deum clamavi: & Dominus salvabit me. 19 Vespere, & mane, & meridie narrabo;
& annuntiabo, & exaudiet vocem meam. 20 Redimet in pace animam meam ab
his, qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum. 21 Exaudiet
Deus, & humiliabit illos, qui est ante sæcula. 22 Non enim est illis commuta-
tio, & non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo. 23 Contami-
naverunt testamentum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus: & appropinquavit cor
illius. 24 Molliti sunt sermones ejus super oleum: & ipsi sunt jacula. 25 Jacta
super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuatio-
nem justo. 26 Tu vero Deus, deduces eos in puteum interitus. 27 Viri sangui-
num, & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te, Domine.

℣. 1. EXAUDI [1] DEUS, ORATIONEM MEAM.] David significat sollicitudinem, & periculum in quo versabatur, crebris hisce repetitionibus [2]: *Exaudi orationem meam, ne despexeris deprecationem meam*, ne avertas oculos *a me*; *intende mihi, & exaudi me*. Humilis adeo, ac fervens oratio, fieri nequit, quin voti damnetur: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, Eccli. 35. 21.

℣. 2. CONTRISTATUS SUM IN EXERCITATIONE MEA, & CONTURBATUS SUM &c.] Periculi adspectus illico turbavit me: attentio mea agitata fuit, ac oratio distracta ad rumorem defectionis Absalon. In hac agitatione dixi vers. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Celeriter in desertum aufugi: *Ecce elongavi fugiens*. At statim confirmatus sum: *Expectabam Dominum, qui salvum me fecit*. Omnem fiduciam meam in Domino constitui, qui de periculo educet me. Hoc re ipsa evenit, quemadmodum ex decursu innotescet. S. Augustinus *exercitationis* nomine intelligit ærumnas, quas in medio improborum boni patiuntur; Eusebius vero, & S. Athanasius interiorem pœnam, qua affligebatur considerans cruciatus, quos Dei Filius a Judæis aliquando erat passurus.

Hebræus [1]: *emisi clamores doloris in* profunda *periculi consideratione: Turbatus sum*; atque afflictatus *propter clamores inimicorum meorum, & dolorem, quem mihi infert impius*. Rumor defectionis filii mei, atque totius ferme populi seditionis, necnon proditionis amicorum, ac familiarium meorum, me dolore confecit, mihique turbas ingessit. Summis undique difficultatibus præpeditus sum; nec quo me vertam, scio. Consilii incertus, anceps, ac fluitans quæro, utrum consistere debeam, an fugam corripere; bellum differre, an in incertam belli aleam omnia committere; in arce contineri, an in deserta confugere. Hanc consiliorum dubietatem, qua urgebatur in hoc, tribusque subsequentibus versiculis, David exponit. Symmachus [4]: *Dolore confectus sum, dum intra me cogito, & usquequaque confusus, & agitatus sum propter vocem inimici, ac mœrorem, quem mihi incutit impius*. Impius hic est Absalom, vel Achitophel. In sublimiori sensu, turbatur J. C. ad suæ Passionis adspectum: *Cœpit contristari, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. 26. 37.

℣. 3. QUONIAM DECLINAVERUNT IN ME INIQUITATES, & IN IRA MOLESTI ERANT MIHI [5].] Ipsi quodammodo falsis criminibus me obruerunt; falso in me ea omnia ingesserunt scelera, quæ animo fingi possunt, ut fuco illinirent proditionem suam, atque inconstantes, levesque populos seducerent. Absalom populo objectabat commentitiam patris sui ignaviam, ejusque juri dicundo negligentiam [6], atque effœtam ætatem, propter quam neque bellum gerere, neque A imperii negotia procurare per seipse poterat. His vero addit aliquam simultatis causam, quam adversus Regem, vel præfectos illius prætexere poterat. Itaque repente David immutatus est in Regem imbecillem, inertem, reipublicæ regundæ imparem, crudelem, sanguinis sitientem, & quidquid præterea potest excogitari; nam simulac calamitate affligeris, atque ærumnosus es, statim in te omnes omnia scelerum, vel imprudentiæ genera ingerere non desinunt.

Hebræus [7]: *Mihi omnem attribuunt iniquitatem, & furore me persequuntur*. Nequissimorum flagitiorum nomine me accusant, atque sine miseratione ulla me insectantur. Vel iniquitatem pro supplicio explicando: Me malis obruunt, atque summo furore lacessunt. Symmachus [8]: *conjecerunt in me iniquitatem*, B *& in ira sua se mihi hostes professi sunt*. J. C. accusatus fuit tamquam seductor, publicæ pacis turbator, violator Legis, dæmoniacus, blasphemator. Sacerdotes, Pharisæi, Populus illum acerrime persecuti sunt, eique inter cruciatus turpissimam necem intulerunt. Hoc in sensu locum hunc Patres intelligunt.

℣. 4. COR MEUM CONTURBATUM EST IN ME, & FORMIDO MORTIS &c.] Pergit David terrorem, ac tumultum describere, in quo ad filii sui defectionis nuntium versabatur. Hæc descriptio mirum in modum convenit J. C. in horto Olivarum Patrem suum exoranti, ut terribilem illum calicem amoveret. Hebræus [9]: *Cor meum intra me sensit dolores similes doloribus parturientis*: Repentinos, acerrimos, atque inevitabiles; *& lethalis terror corripuit me*, irruit in me. Hoc ipsum C versiculo sequenti exprimitur nomine tenebrarum: *Et contexerunt me tenebræ* [10]. Ego tamquam tenebris, atque horroribus mortis obsitus fui. Quidquid civile bellum, defectio, domestica discordia, mors, captivitas, in se habent horroris, terrorisque, sese oculis meis obtulit. J. C. in Horto videbat cruciatus, quos laturus erat, infirmitatem levitatemque Apostolorum suorum, Judæ perfidiam, Judæorum scelus, omnium hominum nequitiam. Hæc illum tanto dolore afficiebant, ut per sudorem sanguinem, & aquam emitteret.

℣. 6. QUIS DABIT MIHI PENNAS SICUT COLUMBÆ.] Columba pernicissime volat. David cum inter tot difficultates hæreat, in solitudinem sese recipere cupit, ut hostium suorum furorem eludat, atque per voluntarium secessum ea omnia evitet mala, quæ secum bella D domestica solent afferre. Cur abire non possum, atque tamquam volucris avolare? ne tot, tantaque videam mala, & causa sim, ut tantum sanguinis effundatur? David consilium suum maturavit, ex Jerusalem sese recepit, trans Jordanem aufugit. Eventus docuit consilium hoc initum fuisse prudenter. Alia in occasione cum veri, vel falsi illius amici eum hortarentur, ut in desertum aufugeret, insidias, quæ ipsi a Saule struebantur, evitaturus, ait Psal. 10. 1. *In Domino confido: quomodo*

1 Hilar. *Inauri, Deus*. Ita & Psalm. 139. 7. *Inaurire* pro *exaudire* inusitatum est, sed exprimit perfecte Græcum Ἐνώτισαι. 2 האזינה אלהים תפלתי ואל תתעלם מתחנתי הקשיבה לי וענני
3 אריד בשיחי ואהימה מקול איב מפני עקת רשע 4 Symmach. Κατενύχθην προσλαλῶν ἐμαυτῷ, καὶ συνεχύθην ὑπὸ φωνῆς ἐχθροῦ, ὑπὸ συνοχλήσεως ἀσεβοῦς. 5 August. *In ira adumbrabant me*. Legebant Septuaginta Ἐσκότουν, pro ἐνεκότουν μοι. 6 2. Reg. 15. 2. 3. 4. & seq.
7 כי ימיטו עלי און ובאף ישטמוני 8 Symmach. Ὅτι ἐπέρριψαν κατ᾽ ἐμοῦ εἰς ἀσέβειαν, καὶ μετ᾽ ὀργῆς ἐναντιώθησάν μοι. 9 לבי יחיל בקרבי ואימות מות נפלו עלי
10 ותכסני פלצות Aquil. Εἴλησις. *Convolutio*. Symmach. Φρίκη. *Tremor. horror*.

modo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem Sion ? Hic autem oppositam omnino sententiam amplectitur. Verum tunc fretus innocentia sua, Divini certus erat auxilii ; nunc vero haud ignorabat Nathan Prophetæ minas [1], qui illi dixerat futurum, ut videret sanguinem suum in ipsum assurgere, domus illius pollueretur, nec gladius umquam de ipsius familia egrederetur. Dei manum venerabatur, atque humiliter minas adimpleri videns, Omnipotentis judicio cedebat, & obtemperabat.

℣. 7. MANSI IN SOLITUDINE. (8) EXPECTABAM EUM, QUI SALVUM ME FECIT A PUSILLANIMITATE SPIRITUS &c.;[2]] Me met ultra Jordanem recepi, ibique eum præstolabar, qui educturus erat me de eo squalore, in quo jacebam. Ibi David divinam opem expectavit, & paululum recreari cœpit : hactenus enim jugi terrore fuerat conturbatus. Verum ex quo Chusai subvertit consilium Achitophel, & David intellexit. Absalonem in ipsum castra non movere, Jordanem traduxit [3], neque dubitavit amplius, quo minus divinum adesset auxilium, ac partes Absalonis dissiparentur. Noverat quidem, hujus generis conatus, præcipue in populo levi, atque inconstanti ad primum impetum exardescere ; remque in eo verti, ut mora interferatur, atque montibus se se recipiendi commodum relinquatur.

Hebræus [4] : dixi : *In desertum me me recipiam, et festinabo, ut evitem ventum vehementem procellæ ac turbinis.* Filii, ac populi sui rebellionem tempestati comparat, summa celeritate pertranseuntis, sed cujus primus impetus est formidabilis. David prudentissime existimavit, sibi ad tempus cedendum esse furori populi ad seditionem concitati, atque in solitudinem confugiendum.

℣. 9. PRÆCIPITA, DOMINE, DIVIDE LINGUAS EORUM.] Dele, Domine, inimicos meos, eos in abyssum dejice ; linguas eorum, quemadmodum in Babylonica turri, confunde [5], nec se mutuo intelligant, neque in consiliis suis possint convenire. Subscripsit Deus precibus David, quas isthic effundit, & quas legimus etiam in 2. Regum 15. 31. *Infatua quæso, Domine, consilium Achitophel.* Permisit Deus, ne Absalon monitis Achitophel adhæreret, sed aures præberet consilio Chusai, amici David. Hebræus ad litteram [6] : *Degluti eos, Domine, et divide linguam eorum.* Hiet tellus eos voratura, sicuti deglutivit Core, Dathan, & Abiron, & confusio inter illos, non secus, ac inter Babylonicæ turris ædificatores, obrepat.

QUONIAM VIDI INIQUITATEM, & CONTRADICTIONEM IN CIVITATE.] Sermo fortasse est de civitate Hebron, ubi Absalonis defectio incœperat. Urbem hanc in partes suas perfidus filius pellexit : scatet illa flagitiis, iniquitate, luxu, confusione. De Jerusalem quoque potest intelligi, ubi compertum, exploratumque erat Davidi, complures partium Absalonis adesse. Vidi iniquitatem, & discordiam in hac civitate. Hoc me coegit, ut eam relinquerem, & in agros, atque in desertum me me reciperem. Re equidem vera intelligi nequit, cur David Jerusalem deseruisset, quin saltem ibi aliquot copias relinqueret, quæ illam adversus Absalon tuerentur, si ignorasset, urbem facinorosis, atque seditiosis esse refertam, quos Absalonis amici a Rege alienatant. Aufugere maluit, quam in periculo versari, ne inimico suo traderetur. Symmachus hoc pacto reddit vers. 9. 10. 12. [7] *Vidi injustam violentiam, & iniustitiam, die, ac nocte muros eius circumdantem. Vidi dolorem, & afflictionem in medio illius, vidi violentias, iniurias, calumnias a publicis plateis illius inseparabiles.*

℣. 10. DIE, & NOCTE CIRCUMDABIT EAM SUPER MUROS EJUS INIQUITAS &c.] Hæc habet Hebræus [8] præcedentibus additus : *Vidi iniquitatem, & contentionem*, jurgia, & secessionem *in civitate.* ℣. 10. *Hæ die, ac nocte circumeunt super propugnacula eius.* Iniquitas, & dissidium sunt veluti excubiæ miseræ hujus civitatis ; *& scelus, ac labor*, vel peccatum [9], *sunt in medio eius.* ℣. 11. *Crimen*, vel doli, insidiæ, *sunt* in sinu illius, *usura, & fraus non cessant in medio publicarum platearum eius.* Hæc est descriptio Jerosolymæ Davidi infidelis, quæ eidem magis congruebat tempore J. C. cum divinum hunc Salvatorem illius hostibus tradidit. S. Hilarius legit : *Circumdabit super muros eius, & iniquitas, & labor in medio eius.*

℣. 12. QUONIAM SI INIMICUS MEUS MALEDIXISSET MIHI [10] &c.] Si quæ mihi hodie accidunt, alienus quidam mihi inferret mala, ea paterer sine querela. Si injuriæ, atque contumeliæ ab inimico timentur, tibi caves, ne ab eo quid tibi detrimenti inferatur ; sed adversus infidelem amicum, & proditorem nulla jam expediri possunt arma ; jam captus es, antequam caveas, ne capiaris. Hebræus ad litteram [11] : *Non enim inimicus est, qui me oneret opprobriis, ut patiar ; ℣. 13. Non est homo, qui me oderit, atque insurgat in me, ut ab illo me abscondam.* Adversus hostem nobismet ipsis cavemus ; illis nosmet minime tradimus ; sed proditoris ictus, quomodo possunt evitari ?

℣. 14. TU VERO HOMO UNANIMIS &c.] De Achitophel sermo esse censetur [12]. Ex 2. Regum 15. 12. liquet, hunc Davidis Consiliarium fuisse, qui cum reliquorum solertissimus, sapientissimusque haberetur 2. Reg. 16. 23. nihil majori affecit mœstitia Davidem, quam nuntium, quo admonitus est, hunc in Absalonis partes concessisse. Vide 2. Reg. 15. 31. Videtur autem jampridem a Rege abhorruisse, atque hortator, auctorque fuisse Absaloni, ut hoc facinus aggrederetur. Hebræus [13] : *Tu vero homo, homo mihi æqualis*, eadem præditus dignitate, qui tamquam alter ego habebaris ; *Caput meum*, Magister, Consiliarius meus, cujus omni in re consilia sectabar. Chaldæus credit, Achitophel Davidis Præceptorem fuisse. *Amicus meus*, necessarius meus, quem consulebam, & cui nihil celabam. Symmachus [14] ; *Qui eiusdem es studii, amicus meus, & notus meus.* Hæc omnia de Juda explicantur ita, ut nemo veritatem, atque aptitudinem explicationis non sentiat.

℣. 15. QUI SIMUL MECUM DULCES CAPIEBAS CIBOS : IN DOMO DEI &c.] Tu, qui una mecum familiariter eadem utebaris mensa, & qui me ad Tabernaculum comitabaris, quo simul Dominum adoraturi proficiscebamur. Tu sacrosancta hospitalitatis, amicitiæ, ac Religionis jura violasti, abusus amore meo, qui eo usque processerat, ut te mensæ meæ, meorumque sacrificiorum, atque pietatis actuum participem face-

1 2. Reg. 12. 11. 12.
2 Hilar. & Edit. 70. Rom. non habent, *Spiritus*.
3 2. Reg. 21: 22. 23.
4 אלין במדבר אחישה מפלט לי מרוח סעה מסער Aquil. Symmach. Th. 5. Edit. apud Hieronym. ad Suniam & Fretell. *Festinabo ut salver a spiritu tempestatis & turbinis.*
5 Genes. 11. 7. *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.*
6 בלע אדני פלג לשונם Symmach. Καταποντισθῆναι ποίησον, δέσποτα, καὶ ἀσύμφωνον ποίησον τὰς γλώσσας αὐτῶν. *Submerge, Domine, & redde linguam eorum sibi ipsi contrariam : immitte divisionem in eorum sermones.*
7 Symmach. Ὅτι ἐθεώρησα βιαίους ἀδικίας, καὶ ἀδικητίας ἐν τῇ πόλει ἡμέρας, καὶ νυκτὸς κυκλώσαι αὐτὴν τὰ τείχη, ὀδύνη καὶ ταλαιπωρίαι ἔσω αὐτῆς, ἐπηρείας ἔσω αὐτῆς, ἀχώριστον ἀπὸ τῶν πλατειῶν αὐτῆς ζημίαν, καὶ ἐπίθεσιν.
8 יומם ולילה יסובבה על חומותיה ואון ועמל בקרבה 70. Complut. Ἡμέρας καὶ νυκτὸς κυκλώσει αὐτὴν ἐπὶ τὰ τείχη αὐτῆς Καὶ ἀνομία καὶ κόπος ἐν μέσῳ αὐτῆς. *Die ac nocte circumdabit muros ejus : Et injustitia & labor in medio ejus.* Edit. Rom. non legit, καὶ ante ἀνομία.
9 *Labor* passim accipitur pro peccato. Vide Psalm. 10. 7. 14. 139. 10. Isai. 59. 4. Habac. 1. 3.
10 Hilar. *Si inimicus meus improperasset mihi, supportassem utique,*
11 כי לא אויב יחרפני ואשא לא משנאי עלי הגדיל ואסתר ממנו
12 Chald. Kimchi, Muis, Menoch. Tir. Geler. alii.
13 ואתה אנוש כערכי אלופי ומידעי
14 Symmach. Ἀλλὰ σὺ ἄνθρωπε ὁμόθυμε, καὶ συνήθης μου, καὶ γνώριμε.

facerem. Hebræus [1]: *Dulces simul nobis erant, atque familiares secretorum communiones; pergebamus ad Domum Dei in medio multitudinis*, quæ nos subsequebatur; vel illuc ibamus *conjunctim*, vel *celeriter*, diligenter. Rabbini enim docent in Templum celeri gradu eundum, lento verò inde revertendum.

A

℣. 16. VENIAT MORS SUPER ILLOS; ET DESCENDANT IN INFERNUM VIVENTES.] Infideles hi amici digni sunt, qui subita morte puniantur, & a terra deglutiantur, uti olim Core, Dathan, & Abiron, qui contra Dominum, & Moysem famulum ejus insurrexerunt Numer. 16. 30. Ignorabantne, me a Domino populi sui Regem constitutum fuisse, mihique illum & posteritati meæ Regnum fuisse pollicitum? Propheriæ, vel minæ David adimpleræ fuerunt. Impius Achitophel videns Chusai de se victoriam retulisse, ejusque consilium suo fuisse prælatum, desperatione adactus se se infelici morte suspendit 2. Reg. 17. 23. Absalon fusus, fugatusque a Ducibus Patris sui, pependit ab arbore, ubi illum Joab triplici ictu lanceæ confodit 2. Reg. 18. 14. Populus vero, qui Principem hunc secutus fuerat, vel armis militum David cæsus, vel in præruptis saltus, ubi prœlium consertum est, locis interiit. Immo Scriptura 2. Reg. 18. 8. narrat, *multo plures* fuisse, *quos saltus consumpserat de populo, quam hi, quos consumpserat gladius in die illa*. Hebræus legit [2], *Mors seducat* illos, illis imponat, eos decipiat &c.

B

℣. 17. QUONIAM NEQUITIÆ IN HABITACULIS EORUM.] Hebræus aliter intelligi potest [3]: *Quoniam mala sunt in medio eorum, in ipsis*. Permittet Deus, ut habitacula eorum, ut illi ipsi malis obruantur. Sed Vulgaræ sensus videtur simplicior: Eos puniet, propter nequitiam, qua diffluunt. Sanctus Augustinus, S. Hilarius, & antiqua Psalteria legunt: *Quoniam nequitia in hospitiis eorum* [4].

C

℣. 18. EGO AUTEM AD DOMINUM CLAMAVI: & DOMINUS SALVABIT ME [5].] Hebræus [6], & antiqui Interpretes: *Clamabo ad Dominum, et Dominus salvabit me*. Inimici mei peribunt, eosque subita, ac repentina morte Dominus percutiet: ego vero omne robur meum in Domino constituo, & spero me ab ipso salvatum iri.

℣. 19. VESPERE, & MANE, & MERIDIE NARRABO &c.] Apud Hebræos dies vespere inchoabat; quamobrem Propheta *vesperam* primum præfert. Ter in die orabant, vespere, mane, & meridie. *Homo ter in singulos dies orare debet* [7]. Rabbini inquiunt; dies enim ter immutatur, ac variatur, cujus consuetudinis in ipsa quoque captivitate Daniel diligentissimus erat observator: *Tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat* Dan. 6. 10. Quam praxim amplexata est Christiana Ecclesia, licet longe aliter: In Apostolicis constitutionibus l. 7. c. 25. trium tantummodo orationis horarum mentio est. Hebræus [8]: *Vespere, mane, et meridie, meditabor; turbatus ero; et ipse exaudiet vocem meam*. Me voti damnabit toties, quoties afflictatus ero, & ad ipsum confugiam. Hic sensus est omnium maxime simplex.

D

℣. 20. REDIMET IN PACE ANIMAM MEAM AB HIS, QUI APPROPINQUANT MIHI; QUONIAM INTER MULTOS ERANT MECUM.] Dominus eruet me de manibus rebellis filii mei, ac eorum, qui illius partibus favent.

E

A Ipse iterum mihi pacem elargietur, & pudore operiet, *qui appropinquant mihi* [9], qui me lacessunt, qui mihi vim inferunt, & qui frequenti adeo in numero sunt: nam ut Scriptura 2. Reg. 15. 13 testatur: *Toto corde universus Israel sequitur Absalom*.

Alii [10] vertunt; Redimet animam meam, vel vitam meam, de inimicis meis; *quoniam plurimi sunt propugnatores mecum*. Misit Angelos suos, qui adversus hostes illius me tuebuntur. Elisæus Propheta simili usus est loquendi ratione, ut animos faceret cuidam e Discipulis suis innumeras hostium copias prospicienti: verum non intuenti magnam angelorum vim, qui in ipsius auxilium accesserant: *Plures nobiscum sunt, quam cum illis* 2. Reg. 6. 16.

Intelligi quoque potest de militibus, qui venerunt B ad David, & qui ante quam Absalon adveniret, Regi operam suam non derrectarunt; nam Joab Regii exercitus imperator justo præfuit exercitui, eo in prælio, quo Absalonem superavit. Chaldæus [11]: *Verbum illius fuit auxilium meum in frequentibus afflictionibus meis*. Syrus parum aliter Hebræum legit: *Illi simultas est mecum*: mecum lite contendunt. Septuaginta [12], S. Augustinus, & Psalterium Mediolanense: *In multis erant mecum*: quod Sanctus Augustinus de Schismaticis interpretatur, qui plurima habent cum Ecclesia, verisque Fidelibus communia; puta, Scripturas, eadem Sacramenta, eamdem pluribus in articulis fidem; sed Communione differunt, atque unitatem perfringunt; quod eorum scelus est, atque infelicitas. Symmachus [13]: *Plurimi venerunt ad me*.

C ℣. 21. EXAUDIAT [14] DEUS, & HUMILIABIT EOS, QUI EST ANTE SÆCULA [15].] Hebræus [16] ita verti potest: *Dominus audiet, & respondebit illis (ille, qui est ante sæcula (℣. 22.) & qui nulli obnoxius est mutationi* [17] *hominibus his, qui Dominum non verentur*. Dominus attentas habet aures iis omnibus, quæ inimici mei jactitant adversum me. Eorum in me audit criminationes, atque in se ipsum blasphemias. Dies aderit, qua æternus hic, atque immutabilis Deus illis vocem suam ostendet. In furore suo loquetur ad impios hos homines, qui illum minime timent. Aliter: *Audiet, & affliget eos ipse, qui est Judex Æternus*, ad litteram, *qui sedet ab initio*. Inimici mei *vivendi rationem non mutant, neque Dominum verentur*: *Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum*; qui postremus sensus D plures asseclas jactat [18]. De malo in bonum non commutantur. Eusebius, & Sanctus Athanasius ita explicant: *Non erit pro illis redemptio*. *Commutatio* nonnumquam redemptionem significat Psal. 43. 13.

℣. 22. EXTENDIT MANUM SUAM IN RETRIBUENDO.] David post periculum plane Psalmum hunc elucubratus est: hic enim varii deprehenduntur sensus, quibus affectus fuit, antequam de Jerusalem egrederetur, & ad primum defectionis Absalon nuntium: illius confidentia Jordane trajecto, atque animi grati confessio post relatam victoriam a Joab. Isthic autem ait, Dominum extendisse manum suam in Achirophel, Absalonem, ac eos, qui adhæserunt ipsis. Hebræus differt [19]: *attulit mortem contra amicos suos*, contra eos, qui in pace vivebant cum ipso. Impius lacessivit eos, qui læta pace fruebantur, & ne cogitabant quidem de illo.

℣. 23. CONTAMINAVERUNT TESTAMENTUM EJUS; DIVI-

---

1 אשר יחדו נמתיק סוד בבית אלהים נהלך ברגש Aquil. Ὁι ὁμοῦ ἐγλυκαίνομεν ἀπόρρητα. Symmach. Ὅτι ὁμοῦ ἐκοινολογούμεθα γλυκείας ὁμιλίας. Idem; Ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ ἀνεστρεφόμεθα συνδιατώμενοι.
2 ישימות עלימו 3 כי רעות במגורם בקרבם 4 70. Ἐν ταῖς παροικίαις αὐτῶν.
5 Hilar. & antiqua Psalteria, *Et Dominus exaudivit me*. Ita 70. Καὶ ὁ Κύριος εἰσήκουσέ με. Ita Athan. &c.
6 אני אל אלהים אקרא ויהוה יושיעני 7 Vide Muis hic.
8 ערב ובקר וצהרים אשיחה ואהמה וישמע קולי 9 קרב accipitur aliquando pro *aggredi*, & pro *præliari*. Vide Job. 38. 23. Psal. 67. 34. &c. 10 Pagnin. Vatab. Munst. Muis, Abenezra, Symm. Πολλοὶ γὰρ ἐγένοντο πρός με. 11 כי ברבים היו עמדי Syriac. בריבים 12 70. Ἐν πολλοῖς ἦσαν σὺν ἐμοί.
13 Sym. Πολλοὶ γὰρ ἐγένοντο πρός με. 14 August. & Hilar. *Exaudiet me Deus*.
15 Psalter. Rom. addunt: *Et manet in æternum*.
16 ישמע אל ויענם וישב קדם סלה אשר אין חלפות למו ולא יראו אלהים 17 למו aliquando usurpatur pro לו uti Job. 22. 2. Psalm. 10. 7. Vide Muis hic, & Kimchi. 18 Vide Chald. Patres, & Interpretes passim. Aquil. Ὁυκ εἰσὶν ἀλλαγαὶ αὐτοῖς. Symmach. Ὁυ γὰρ ἀλλάσσονται.
19 שלח ידיו בשלמיו Aquil. Ἀπέστειλε χεῖρα αὐτοῦ ἐν εἰρηνικοῖς αὐτοῦ. Symmach. Th. Ἐξέτεινε τὴν χεῖρα αὐτοῦ εἰς τοὺς εἰρηνεύοντας πρὸς αὐτόν.

DIVISI SUNT AB IRA VULTUS EJUS ; & APPROPINQUAVIT COR ILLIUS .] Absalon , & conjurati ejus Domini fœdus perfregerunt ; pedibus divinas ; humanasque leges conculcaverunt ; Deus dissipavit eos in ira vultus sui , respexit eos in furore suo , effecitque , ut evanescerent , quemadmodum ad solis calorem nix liquescit. Eos perculit , abjecit , vicit terribili irritati vultus sui splendore . Ut eos deleret, intuitu solum , adspectuque suo usus est . *Quem interficiet spiritu oris sui* , ut ait Sanctus Paulus 2. Thessal. 2. 8. loquens de victoria , quam Jesus Christus de Antichristo est relaturus . Postrema Judicii die , Supremus Judex separabit justos ab impiis , lumine vultus sui [1] : *divisi sunt ab ira vultus ejus* . Vel cum Theodoreto ; Facies impiorum divisa est , & quasi personata propter iram . Prava eorum voluntas cum illisoris habitum induxit , qui eorum studiis convenit , ut tutius perdant illos , qui aliquam sibi suspicionem ingeront , & quos perdere decreverunt . Eusebius , & S. Athanasius hoc explicant de novissima Judæorum dispersione , in qua hactenus versantur .

Hebræus [2] : *polluit fœdus illius ; os habet butyro suavius , & cor promptum est ad dimicandum* . Inimicus meus sanctissimas societatis , humanitatis , & amicitiæ leges perfregit (loquitur de Achitophel .) Ex labiis ejus fluunt lac , & mel . Speciosissima , atque utilissima quæque pollicetur iis , quos in partes suas pellicere studet ; cum interim cor ejus odio tumeat , ac jam jam ad dimicandum , atque effundendum sanguinem paratum sit . Verbum *appropinquandi* isthic decertare significat , non secus ac ℣. 20.

℣. 24. MOLLITI SUNT SERMONES EJUS SUPER OLEUM : [3] ET IPSI SUNT JACULA .] Absalon , ut sibi viam ad Regnum sterneret , & blanditiis sibi Israelitarum corda deliniret , quotidie mane ante fores Regiæ domus aderat , & eos alloquens , quibus aliquod erat negotium , *dicebat ; De qua civitate es tu ? Qui respondens aiebat : ex una tribu Israel ego sum servus tuus . Respondebatque ei Absalon . Videntur mihi sermones tui boni , & justi ; sed non est , qui te audiat constitutus a Rege : dicebatque Absalom : Quis me constituat Judicem super terram , ut ad me veniant omnes , qui habent negotium , et juste judicem ? Sed cum accederet ad eum homo , ut salutaret illum , extendebat manum suam , et apprehendens osculabatur eum* 2. Reg. 15. 2. 3. Hæc ea sunt , quæ Absalon agebat , ut ad noxios , inhumanosque fines suos perveniret . Hi ipsius erant sermones , qui simulata dulcedine illiti lethale virus velabant . Ita quoque Judas proditionis suæ signum dedit osculum , atque salutationem . *Quemcumque osculatus fuero* , ait ille satellitibus , *ipse est, tenete eum , et ducite caute* Marc. 14. 44. Symmachus [4] : *Sermones ejus lenius fluunt , quam oleum , licet acuti sint* , tamquam gladius .

℣. 25. JACTA SUPER DOMINUM CURAM TUAM &c.] Antiqua Psalteria [5] : *Jacta in Deum cogitatum tuum* . Propheta feliciter adeo expertus toties opem Domini omnes homines hortatur , ut omnem fiduciam suam in Deo collocent , atque omnia ab ejus expectent miseri-
B cordia . Hebræus [6] : *Jacta super Dominum pondus tuum* , id , quod te affligit ; vel id , *quod tibi dat* : onus , quod tibi imponit ; malum , quod tibi evenire permittit ; *& sustinebit te* , nutriet te . Vide Psalmum 21. 8. in Hebræo .

℣. 26. DEDUCES EOS IN PUTEUM INTERITUS .] Ad sepulchrum rediges eos : eos disperdes : in ea decident mala , unde emergere non poterunt , ait Theodoretus . *In gehennam* deduces eos , Chaldæus ait , vel *in Infernum* , uti S. Hieronymus reddit . Deus non deducit illuc eos tamquam causa , & auctor sceleris , atque interitus eorum , sed eos illuc mittit tamquam scelerum ipsorum Judex , & vindex .

℣. 27. NON DIMIDIABUNT DIES SUOS .] Nondum expleto curriculi , quem naturaliter absoluturi erant ,
C dimidio præceps mors velut ex insidiis adorta illos abripiet . Scriptura sæpius has minas usurpat adversus peccatores [7] . Absalon , Achitophel , totque alii ante tempus suum præmatura morte a Domino percussi, manifesta sunt veritatis harum prædictionum argumenta . Sed quamvis pluribus sæculis viveret impius , vitæ illius diuturnitas semper brevis est , si æternis , quæ Deus illi destinat , suppliciis comparetur . Non vivit Deo : & si permittit Deus , ut in hoc mundo vivat , aut ideo vivit , ut convertatur , aut per ipsum Justus exerceatur . Vide Sanctum Augustinum initio expositionis in hunc Psalmum .

---

1 Vide Hieronym. 2 חלל בריתו חלקי מחמאות פיו וקרב לבו Symmach. *Λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτοῦ , καὶ ἡ καρδία αὐτοῦ πόλεμος* . 3 Hilar. Cassiod. Psalter. Carnut. & S. German. *Mollierunt sermones ejus*. Psalter. Rom. & Mediol. *Mollierunt sermones suos* . 4 Symmach. *Ἁπαλώτεροι οἱ λόγοι αὐτοῦ ἐλαίου , ὄντες ἀκοντιστικοί* 5 Psalter. Roman. Mediol. Sanct. German. S. Hilar. 6 השלך על יהוה יהבך והוא יכלכלך 7 Vide Job. 21, 21. Isai. 65. 20. Psal. 101. 25.

PSALMUS LV.

Fervens afflictati viri , atque in medio inimicorum suorum positi Oratio . In Domini auxilio sperat , eique gratias agit voti damnatus , atque liberatus .

In finem : pro Populo , qui a sanctis longe factus est . David in tituli inscriptionem , cum tenuerunt eum Allophili in Geth ,

ARGUMENTUM.

Cum intellexisset David ex Jonatha amico suo , Saulem illum de medio tollere decresse , se se recepit apud Achis Regem Geth . Neque diu in Principis hujus aula versatus est , quin agnosceretur ; cumque Achis certior fuisset factus , Davidem acerrimum Philisthinorum hostem in sua aula commorari , David , ut ex hoc periculo emergeret , se insanum simulavit , atque velut Epileptico morbo laborans , jussu Regis ejectus fuit [1] . Tunc secessit ille in speluncam Odollam quadringentis ex cognatione sua , aliisque , qui sibi fideles adhæserunt [2] , stipatus hominibus . Eo in specu duabus de causis Psalmum hunc dicitur conscripsisse .

Primum

---

1 1. Reg. 21. 10. 11. 12. & seq. 2 1. Reg. 22. 1. 2. 3.

Primum quidem, ut populum consolaretur, qui erat secum, & qui tædio afficiebatur, eo quod a communione sacrorum abesset: *Pro populo, qui a sanctis longe factus est*; deinde vero ut gratias ageret Deo, quod ipsum de Philisthinorum manu eripuerat, dum in Achis Gethæi aula commorabatur: *Cum tenuerunt eum Allophili in Geth*. Vox *Allophili* apud Septuaginta, plerumque Philisthinos designat. Hæc autem titulus iste significare videtur; sed cum Psalmus in se ipso perpenditur, nihil deprehenditur quod sit idoneum consolandis sociis David in ipsorum a sanctis absentia.

Vetus quidam Latinus Interpres apud Corderium, in titulum hunc scitam sane adfert animadversionem. Ait autem, eos, qui Psalmis titulos addidere, eos appinxisse juxta eorumdem mentem, & captum, & alium ratum se in hoc Psalmo deprehendere sensus Captivorum Babylonis, qui diuturnam suam captivitatem, atque a Domini Templo absentiam deplorabant, isthæc titulo apposuisse verba: *pro Populo, qui a Sanctis longe factus est*; alium vero existimantem, David hic eum expressisse terrorem, quo captus fuit, cum in Achis aula se detectum agnovit, hæc alia addidisse: *Pro David, cum tenuerunt eum Allophili in Geth*; cumque utrumque hunc titulum Librarii invenissent, eos exscripsisse, simulque conjunxisse, Lectori optionem inter duas hasce sententias relinquentes. Theodoretus, Euthymius, & Auctor Commentarii in Psalmos, qui S. Basilii nomine circumfertur, in eadem, ac auctor iste, versati sententia videntur, quandoquidem Psalmum hunc & de Captivis Babylonis, & de David in Achis aula interpretantur.

Alii [1], quin illis vel titulus, vel conjectura Veterum in Psalmi hujus argumentum negotium facesserent, recentes quæsivere vias, eumque explicuerunt, tamquam orationem Macchabæorum, dum eos Antiochus Epiphanes persequebatur. Alii [2] hunc transtulere ad David a Ziphæis proditum, qui Saulem admonuere, illum in ipsorum desertis delitescere [3]. Patres [4] hoc in Psalmo deprehendunt sensus J. C. in Passione ipsius. David iis in persecutionibus, quas perpessus est, non obscura fuit divini hujus Prothotypi imago.

Hebræus tituli textus hunc potest sensum admittere [5]: *Moderatori Musices super illum constituto chorum, qui Columba muta appellatur, in absentia*; vel *super Columbam mutam, eorum, qui absunt* (quod verbum causa extitit, ut Babylonicis Captivis attribueretur). *Inscriptus David*, vel attributus David, *cum Philisthini eum tenuerunt in Geth*. Vel ut verba hæc magis naturali ordine collocentur: *Psalmus inscriptus nomine David, cum Philisthini eum tenuerunt in Geth; ad Musices Moderatorem choro præpositum, qui Columba muta vocatur*. Convenit *illis, qui absunt*, atque in captivitate versantur. Symmachus [6]: *Canticum victoriæ de Columba, pro extraneo, qui acriter pepulit Davidem, hominem illum adeo humilem, atque innocentem, cum Philisthiim eum tenuerunt in Geth*. Varias Interpretum de hac Inscriptione sententias non adfero: nimis enim multæ sunt; atque tricas, & obscuritatem tantummodo ingererent. Psalmum autem explicabimus de David e Philisthinorum manibus elapso.

1. Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me. 2 Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me. 3 Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo. 4 In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: non timebo, quid faciat mihi caro. 5 Tota die verba mea execrabantur: adversum me omnes cogitationes eorum, in malum. 6 Inhabitabunt, & abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt. 7 Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: in ira populos confringes. 8 Deus vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo. 9 Sicut & in promissione tua: tunc convertentur inimici mei retrorsum. 10 In quacumque die invocavero te: ecce cognovi, quoniam Deus meus es. 11 In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: 12 In Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo. 13 In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi. 14 Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.

℣. 1. Miserere mei, quoniam conculcavit me homo.] Alii Hebræum ita reddunt [7]: *Miserere mei Domine, quoniam homo deglutivit me*, vel *quod persecutus est me ad extremum usque spiritum*. Tu vides, Domine; hostes dumtaxat, atque persecutores undique invenio. In ipsa patria mea Saulem, aulicosque illius habeo adversus me, in Philisthinorum regione populus omnis a minimo ad summum infestus est mihi. Quo me vertam, Domine, ut pacem inveniam, atque effugiam ex tot adversariorum meorum manibus, me undique semper quærentium, jugibusque præliis mihi vim inferentium? *Tota die impugnans tribulavit me*. vel cum S. Augustino, Cassiodoro, & Psalteriis antiquis: *Tota die bellans tribulavit me*.

℣. 2. Conculcaverunt me . . . quoniam multi bellantes adversum me.] Non Saul unus, vel etiam Achis me persequuntur; sed quamplurimi circumstant mihi, animam meam auferre quærentes. Hebræus [8]: *qui mihi struunt insidias*, qui observant vestigia mea, *deglutiunt me*, vel pedibus conculcant me, vel summo anhelitu persequuntur me. Hic eadem occurrit vox, ac versiculo superiori. *Quoniam multi ex superiori loco præliantur in me*; vim faciunt in me ex freti loci opportunitate, quam eminentioris situs confert altitudo. Postrema vox, quam reddidimus, *ex loco superiori*, a Vulgata, & a Septuaginta sequenti versiculo adnectitur: *Ab altitudine &c.* Aquila [9] e plu-

1 Ita Theodoret. & citat. Interpr. Græc. apud Corder. & Beda Venerabil.
2 Ferrand. 3 1. Reg. 23. 19. & seq. & 26. 1. &c.
4 Hilar. August. Hieron. 5 למנצח על יונת אלם רחקים לדוד מכתם באחז אותו פלשתים בגת
6 Symmach. Ἐπινίκιος ὑπὲρ τῆς περιστερᾶς, ὑπὲρ τοῦ ἀλλοφύλου ἀπωσμένου τοῦ Δαυὶδ, τοῦ ταπεινόφρονος καὶ ἀμώμου, ὅτε κατέσχον αὐτὸν οἱ Φιλισαῖοι ἐν Γέθ. Aquil. ὑπὲρ περιστερᾶς ἀλάλου.
7 כי שאפני אנוש 8 שאפו שוררי כל היום כי רבים לחמים לי מרום
9 Aquil. Ὅτι πολλοὶ πολεμοῦσί μοι. ὕψος.

plures adsunt hostes, *qui dimicant adversum me, o Deus Altissime!* Symmachus [1]: *Plures elatiores me mihi bellum inferunt.*

℣. 3. AB ALTITUDINE DIEI TIMEBO: EGO VERO IN TE SPERABO.] Omnia mihi metum incutiunt. Dies, qui alios consolatur, meas solicitudines instaurat, timenti, ne detegar aliquando. Noctu contremisco, in regione ignota, ubi omnia mihi adversantur. Unica spes mea in te posita est, Deus meus! Aliter: *plena etiam die timebo; sed tu es objectum spei meæ.* Si me deseris, Domine! inter tot pericula quid fiet de me; quandoquidem in ipso meridie mihi struuntur insidiæ, & inimici mei non abscondunt se, ut mihi vim inferant?

Plurima Exemplaria Septuaginta [2], Theodoretus, S. Hilarius, Psalterium Mediolanense, Arabs, & Syrus negative legunt: *Ab altitudine diei non timebo;* vel nihil verebor etiam plena die, quoniam tu es spes mea, meumque præsidium. Licet majori adhuc in numero essent inimici mei, & ego in ipso meridie essem in medio eorum, nihil ab illis metuerem, tuo fretus auxilio. Sed neque Hebræus neque veteres Versiones hanc negationem apponunt; & S. Hieronymus ad Suniam, & Fretellam eam palam rejicit, veluti additionem Textui Septuaginta appositam. Ita vero explicat ille: Non timebo frequentem hunc inimicorum numerum, qui me undique lacessent, sed metuam *altitudinem diei;* fulgorem Majestatis tuæ, inaccessum lumen, quod te undique circumdat. Theodoretus per *altitudinem diei* prosperitatem hominum mundi hujus intelligit.

Qui separant ab hoc versiculo *ab altitudine*, ipsi quoque inter se discrepant. Symmachus [3]: *In me spem meam constitui, in die, quo timore concutiar.* Qui negationem apponunt: *Non timebo plena die, sed in te sperabo.* Alii: *timebone plena die? Nequaquam: sed omnem in te fiduciam collocabo.* Ego vero secundum, atque tertium versiculum ita reddere vellem juxta Hebraicum textum; *Plurimi hostes mihi bellum inferunt diluculo. Num timor incessit in me? Omnem spem meam in te colloco.*

Antiqua Latina Psalteria non sibi constant. S. Hilarius: *Ab altitudine dierum non timebo; quia multi, qui debellant me, timebunt.* Non metuam altitudinem dierum, quoniam magnus hic inimicorum numerus, qui me bello lacessunt, timore corripietur. S. Augustinus, & Cassiodorus, Romana Psalteria, & S. Germani: *Conculcaverunt me inimici mei tota die, ab altitudine diei; quoniam multi, qui debellant me, timebunt.* Psalterium Mediolanense .... *Inimici mei tota die: Ab altitudine diei non timebo: quoniam multi, qui debellant me. Ab altitudine diei non timebo; quia in te sperabo.* Psalterium Carnutense non legit: *ab altitudine diei:* cætera S. Augustino simillimum est.

℣. 4. IN DEO LAUDABO SERMONES MEOS 4, IN DEO SPERAVI; NON TIMEBO, QUID FACIAT MIHI HOMO.] Deo gratias agam ob ea, quæ mihi pollicitus est, me Regio chrismate inungens. Spero autem, ea omnia, quæ de me dixit, adimpleturum, & quamvis homines mihi adversentur, non deero, quin spem meam in ipso constituam. Versiculus hic idem est ac undecimus. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: In Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.* Saul me persequitur, Philisthiim nequicquam me perdere cupiunt, non cessabo laudare verba, & promissiones, quibus recepit Deus, se mihi protectionem suam non denegaturum. Nihilum ab hominibus timeo, salutis meæ pignus habeo promissiones Dei. Eusebius ait, verba laudis fuisse veluti antidotum contra mœstitiam, atque animi lapsum.

℣. 5. TOTA DIE VERBA MEA EXECRABANTUR; ADVERSUM ME OMNES COGITATIONES EORUM IN MALUM 5.] Ego ita reddere mallem: Rejiciant sane per contemptum, quidquid loquor: omnem industriam suam exerant, ut mihi malum afferant; secreta habeant ad me perdendum concilia; non tamen res illis cedet e voto: suum ipsi interitum festinabunt; Deus non eruet illos e morte. *Pro nihilo salvos facies illos* &c. Frustra sperant, se a te salvos factum iri. Hebræus [6]: *Tota die verba mea me affligunt, omnes eorum cogitationes vergunt in malum.* Vel: *Tota die mihi suscitant prava negotia*, ad litteram, vexant negotia mea, *omnes cogitationes eorum tendunt in malum.* Vel denique cum Symmacho [7]; *quærebant tota die de me miscere sermones.* Ego tota die argumento eram sermonibus eorum. Confer Psalmos 37. ℣. 13. 14. & 68. ℣. 13. Ego factus sum vulgi fabula, & omnium inimicorum meorum ludibrium.

℣. 6. INHABITABUNT, & ABSCONDENT &c.] Secreto conveniunt, consilium inituri ad me perdendum: omnes gressus meos explorant. Hebræus ita reddi potest, atque præcedentibus conjungi [8]; Inimici mei mihi tota die adversentur, scrutentur in verbis, atque viis meis, unde mihi negotium facessant: *Conveniant, & abscondant se; omnes gressus meos vestigent* ℣. 7. uti vitæ meæ insidias struunt, sic tu ipsos illos perdes.

℣. 7. SICUT SUSTINUERUNT ANIMAM MEAM 9; PRO NIHILO SALVOS FACIES ILLOS &c.] In ipsos, te auctore, malum relabetur, quod mihi studebant inferre. Ipsi me perdere, vitamque meam auferre quærebant, tu perdes illos, eisque necem infliges. *Pro nihilo salvos facies illos*, uti S. Augustino, & Cassiodoro placet, significat: *Salvos facies illos* mero misericordiæ, & gratiæ tuæ effectu. *Gratis data gratia tua.* Si in ipsis eorum merita coronaveris, tua quoque munera coronabis. Alii [10]: Pro nihilo umquam salvos facies illos: nihil umquam illis poterit veniam promereri; eos cordis sui nequitiæ, ac pervicatiæ trades. Septuaginta [11] in quibusdam Exemplaribus, Theodoretus, Apollinaris, Euthymius: *Eos cadere facies pro nihilo;* hoc est dissipabis eos, atque sine labore prosternes. Eos exterminare, tibi nullius est difficultatis.

Hebræus [12]: *quoniam expectant animam meam*, avidi sunt sanguinis mei; frustra *sperant incolumes fore*, atque Domini ultionem evitaturos. Vel: *Sperantne in iniquitate sua periculum evadere posse? Deus in ira sua hos populos conteret.* Aliter: *Quoniam quærunt perdere me*, & dixerunt, *non est salus illi*, vel, *e manu nostra effugere non poterit: Dominus prosternet illos in furore suo.* Sensus hic est idem, ac Versionis Syriacæ, qui hoc in loco mihi maxime arridet. Verti quoque posset: *Cum vitæ meæ insidias posuere, iniquitatem tantummodo peperere.* Hunc inde fructum perceperunt. Symmachus [13]: *insidiati sunt vitæ meæ;* ad litteram, *expectaverunt animam meam; eu eam liberabis de manu illorum propter iniquitatem ipsorum.* Non permittes, ut impiorum manu peream. S. Hieronymus: *plantas meas observabunt, expectantes animam meam: quia nullus est salvus in eis; in furore populos detrahes, Deus!* Vulgata: *In ira populos confringes.* Græcus textus Septuaginta [14] verti potest, *Confringes*, conteres, vel *deduces*, prosternes, quemadmodum S. S. Hilarius, & Augustinus legerunt: Hebræa vox proprie *in terram dejicere* significat. Prosternes

1 Symmach. Ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με ὑψηλότεροι. 2 Ἀπὸ ὕψους ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι. Ita Edit. Complut. & Reg. & Colb. Codd. apud Fert. 3 Sym. ἧ ἐν ἡμέρᾳ φοβηθῶ, σοὶ πέποιθα. Ita fere Chald.

4 S. Hilar. Cassiodor. Psalter. Roman. & S. German. addunt: *Tota die.*

5 Hilar. & Aug. *Omnia consilia eorum in malum.* 6 כל היום דברי יעצבו עלי כל מחשבותם לרע

7 Symmach. Δι' ὅλης τῆς ἡμέρας λόγους περὶ ἐμοῦ ἐφρόντιζον. 8 גורו יצפוני חמה עקבי ישמרו

9 Aug. *Sicut sustinuit anima mea*, Psal. Roman. German. Carnut. Cassiodor. *Sicut expectavit anima mea.* Hilar. & Psalt. Mediol. *Sicut expectaverunt animam meam.* 10 Menoch.

11 70. apud Theodoret. ὑπὲρ τοῦ μηδενὸς σώσεις αὐτούς; id est Ῥᾳδίως σοι ἐστὶ, καὶ λίαν εὔκολον ὦσαι αὐτοὺς, καὶ καταβαλεῖν, καὶ ἀφανίσαι θελήσαντι. In aliis codd. 70. ὑπὲρ τοῦ μηδενὸς σώσεις αὐτούς.

12 כאשר קוו נפשי על און פלט למו באף עמים הורד אלהים 13 Symmach. Παρεδρεύοντες τὴν ψυχήν μου διὰ τὴν ἀδικίαν ῥύσῃ ἐκ αὐτῶν. 14 Ἐν ὀργῇ λαοὺς κατάξεις. Aquil. Καταβίβασον, *Dejicias*. Symmach. Κατασεῖσον, *Commove.*

sternes eos, ut salvos facias, inquit S. Augustinus. *Irasceris, & deducis; saevis, & salvas; terres, & vocas.*

℣. 8. DEUS, VITAM MEAM ANNUNTIAVI TIBI [1]: POSUISTI LACRYMAS MEAS IN CONSPECTU TUO.] Promisisti, Domine, te me in calamitate mea exauditurum, neque umquam derelicturum in angoribus meis. Modo hoc palam expertus sum, cum eduxeris me de manu Philisthiim inimicorum mihi infestissimorum [2]. Hebraeus [3]: *Nosti, quid secretius in me sit*, vel *scis fugas meas*, itinera, cursus meos; *posuisti lacrymas meas in vase tuo, nonne diligentem earum rationem habes?* Adcerant olim praeficae, quae lacrymas, quas in funeribus effundebant, colligentes in phialis, quas lacrymatorias vocabant, excipiebant. David isthic ait, lacrymas suas nequaquam inanes fuisse, easque Deum veluti in utre collegisse, earumque diligentem rationem habuisse. Symmachus 4: *Quidquid est intra me, tibi est exploratum; accepisti lacrymas meas in te ipso, cumque earum rationem inieris, nonne rejicies inimicos meos cum ignominia?* Cassiodorus, & Psalteria Romanum, atque S. Germani: *posui lacrymas meas in conspectu tuo*. Orationis decursus imperativo modo legi vellet: Nosti, Domine, penitiora animae meae; *pone lacrymas meas in vase tuo, nonne eas ponere vis in libro tuo?* ℣. 9. Tunc fugient inimici mei, neque consistere poterunt coram me &c.

℣. 9. TUNC [5] CONVERTENTUR INIMICI MEI RETRORSUM.] Si preces meas audire, & lacrymas meas haud aspernari dignaberis, inimici mei fugam capessere cogentur, atque retrorsum ruere. Vel sequentibus addendo: Inimici mei fugient, & subvertentur, statim ac meas preces audiveris: *Tunc convertentur .... in quacumque die invocavero te*. S. Augustinus, & Psalterium Romanum legunt: *Convertantur inimici mei retrorsum, in quacumque die invocavero te*. Corruant inimici mei, simulac ad te confugero.

℣. 10. ECCE COGNOVI, QUONIAM DEUS MEUS ES.] Id fere praecedentibus adnectitur: *Quacumque die te invoco, agnosco te esse Deum meum*. Novos quotidie misericordiae tuae effectus experior, & qualibet in occasione intelligo, te Deum meum esse, ac patronum meum. Nuperrime insigne percepi tuae clementiae argumentum, feliciter ex Achis, & Saulis manibus elapsus. Hebraeus [6]: *Scio, mihi Deum esse*. Vel: *hoc scio, mihi Deum esse*. Haec est spes mea, haec fortitudo mea. Huc semper redit cogitatio mea.

℣. 11. IN DEO LAUDABO VERBUM &c.] Vide ℣. 4. Haec species est versiculi intercalaris. Promissio, ac fides Dei laudum mearum sunt argumentum.

℣. 12. IN ME SUNT, DEUS, VOTA TUA, QUAE REDDAM LAUDATIONES TIBI [7].] Non obliviscar umquam sacrificiorum, quae vovi tibi in calamitate mea, neque laudum, & gratiarum actionis, quas tibi debeo. Non liquet ex Historia, Davidem aliquid vovisse Deo, cum fuit in Achis Aula deprehensus; verum illa perquam raro id generis circumstantias memorat. Simpliciter quoque intelligi potest de sacrificiis laudum [8], quae promittebat Deo, & quae eidem persolvebat, Psalmum hunc concinens. *Non oblitus sum sacrificiorum laudis, quae vovi tibi, Deus meus*. En rei hujus argumentum Psalmus iste, quem in tui nominis honorem concino.

℣. 13. QUONIAM ERIPUISTI ANIMAM MEAM DE MORTE.] Eruisti me de periculo mortis, in quo versabar. Nequaquam permisisti, ut labaret pes meus, atque in Saulis, & Aulicorum Achis laqueos inciderem. Septuaginta Editionis Complutensis, S. Augustinus, Cassiodorus, Psalteria Romanum, & Carnutense legunt: *Eripuisti animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu*; quod ex Psalmo 114. ℣. 8. desumptum est. Sed Romanae Editionis Septuaginta, uti & Hebraeus, non legunt; *Oculos meos a lacrymis*.

UT PLACEAM CORAM DEO IN LUMINE VIVENTIUM.] Tu eduxisti me de manibus inimicorum meorum, ut me aliquando patriae meae restitueres, ubi lumine, ac vita fruar in medio populi mei. Reditum suum in terram Juda, *lumen viventium* appellat 9, ut eum opponat exilio suo, & statui, in quo versabatur, quem tenebricosae nocti, & mortis cuidam generi comparat, propter assidua pericula, quibus erat obnoxius. Patres hujus luminis nomine [10] intelligunt Jesum Christum lumen mundi; vel Coeli beatitudinem [11], vitae hujus tenebris oppositam. Hebraeus ad litteram [12]: *Ut ambulem in conspectu Domini in lumine viventium*. In conspectu Domini ambulare, illi placere significat, & eo modo vivere, qui conspectu illius dignus sit [13].

1 Amb. *Nuntiabo*. Aug. *Enuntiavi*. 2 Aug. *Dixisti te exauditurum flentem: credidi, flevi, exauditus sum, inveni te misericordem in repromittendo, veracem in reddendo*.
3 נדי ספרת אתה שימה דמעתי בנאדך הלא בספרתך 4 Sym. Τὰ ἔνδον μου ἐξηρίθμησας σύ, ἔθου τὰ δάκρυά μου ἔνδον σου, μὴ ἔχε ὅπως ἐξηρίθμησας, τότε ἀποστραφήσονται οἱ ἐχθροί μου ὀπίσω. Vide Euseb. hic.
5 August. Cassiodor. Psalt. Rom. German. Carnut. non legunt; *Tunc*. Neque id habent 70. sed Hebraeus, & Chald. habent. 6 זה ידעתי כי אלהים לי 7 Aug. *Quae reddam laudis tibi*. Antiq. Psalt. & S. Hilar. *Laudationis tibi*. 70. Ἐν ἐμοί, ὁ Θεός, εὐχαί, ἃς ἀποδώσω αἰνέσεώς σου. *In me, Deus, vota*, vel *preces, quas reddam laudis tuae*. 8 August. Euseb. Mar. Pisc.
9 Muis, Pisc. Ainsv. Ferrand. Vatabl. Hebr. apud Genebr. Flamin. 10 Hier. Euseb.
11 Theodoret. August. Athanas. 12 להתהלך לפני אלהים באור החיים
13 Genes. 5. 22. 6. 9. 24. 40. 3. Reg. 8. 25. 9. 4. Psal. 114. 9.

PSALMUS LVI.

David vehementer afflictatus Divinam opem implorat; eique gratias agit periculo defunctus, & laudes ejus apud omnes nationes se enuntiaturum pollicetur.

In finem: ne disperdas. David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam.

ARGUMENTUM.

Haec verba; *Ne disperdas*, inveniuntur quoque in fronte Psalmorum 57. 58. & 74. Plerique [1] putant, Psalmum hunc esse orationem, qua David Deum obtestatur, ne ipsum perdat: *Carmen deprecatorium*. Alii cen-

1 Rab. Salom. Jun. Vat. Grot. Gejer. Pisc.

[1] censent his verbis Prophetam reprimere animi sui studium, quo ad ultionem de Saulo sumendam rapiebatur; perinde ac legeretur: *Ne disperdas Unctum Domini*. Alii [2] esse putant cantionis initium, ad cujus numeros Psalmus hic canebatur. Ego vero hoc simpliciter reor esse monitum Auctoris Psalmi, vel ejus, qui Psalmos collegit. Cave, ne perdas, vel pessum mittas hoc opus; cum reverenter tuere, velut Opus divinum, jugiterque mansurum. Ita Auctor Apocalypseos 22. 18. 19. & ad illius exemplum Veteres quidam Ecclesiastici auctores in fronte, vel ad calcem Operum suorum preces, vel minas addebant adversus illos, qui aliquid adjicerent, adimerentve. S. Hieronymus, S. Augustinus, & Cassiodorus credunt, prophetam innuere voluisse prophetico spiritu ea, quæ in Jesu Christi passione contigerunt. Cum Pilatus Cruci titulum affixit, Judæi illum obtestati sunt, ut ea deleret verba: *Rex Judæorum*: sed abnuit Prætor, ac respondit: *quod scripsi, scripsi*, manum ulterius non addam. S. Hilarius, hanc J. C. ad Patrem suum orationem esse putat. Ne permittas, me in sepulchro manere, atque corruptionem, putredinemque pati.

Quoad ea, quæ sequuntur: *cum fugeret a facie Saul in speluncam*, referri potest vel ad illius recessum in speluncam Odollam, simulac e Philisthinorum manibus elapsus est [3], quemadmodum superiori Psalmo intuiti sumus, vel cum in specum Engaddi se se recepit [4], ubi Saul inscius se se tradidit in manus David, illuc naturali impellente necessitate, ingressus, & ubi David pallii ipsius oram præsecuit. Posteriorem hanc sententiam sectabimur. Theodorus, Beda, & Veteres quidam [5] eum transferunt ad Macchabæorum tempus, non secus ac superiorem. Sancti Augustinus, Hilarius, & Hieronymus eum de J. C. passione interpretantur.

1. MIserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.
2 Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. 3
Clamabo ad Deum altissimum: Deum, qui benefecit mihi. 4 Misit de
cœlo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me. 5 Misit Deus mi-
sericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulo-
rum leonum: dormivi conturbatus. 6 Filii hominum dentes eorum arma, & sa-
gittæ: & lingua eorum gladius acutus. 7 Exaltare super cœlos, Deus: & in o-
mnem terram gloria tua. 8 Laqueum paraverunt pedibus meis: & incurvaverunt
animam meam. 9 Foderunt ante faciem meam foveam: & inciderunt in eam. 10
Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam. 11
Exurge, gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo. 12 Con-
fitebor tibi in populis, Domine: & psalmum dicam tibi in gentibus. 13 Quo-
niam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas
tua. 14 Exaltare super cœlos, Deus: & super omnem terram gloria tua.

℣. 1. MISERERE MEI, DEUS, . . . QUONIAM CONFIDIT IN TE ANIMA MEA.] In se cupit Deus, hominem confidere: *Beneplacitum est Domino in eis, qui sperant in misericordia ejus*. Psal. 146. 11. Tenetur ille & promissionibus suis, & sui nominis gloria eos protegere, ac tueri, qui humanam opem non quærunt, & qui in Domino omnes cogitationes suas, omnemque spem collocant: *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*. Psal. 54. 23.

℣. 2. ET IN UMBRA ALARUM TUARUM SPERABO [6], DONEC TRANSEAT INIQUITAS.] Undique urgeor, Domine; inimici mei me observant, mihique struunt insidias. Quocumque secedam, Saul, & qui partibus ejus favent, me comprehendere student; ubinam auxilium, atque præsidium reperiam, nisi sub alis tuis, Deus meus. Huc fidenter me recipio, tamquam pullus sub alas matris suæ [7] expectans, donec transeat iniquitas; vel cum Hebræo [8], *donec malitia*, vel *insidiæ*, vel *interitus*, vel *calumnia* transeat. Hebraica vox *Havoth* passim in Psalterio, Proverbiis, & Job occurrit; verum ejus significatio non satis distincte innotescit. S. S. Hilarius, Augustinus, & Athanasius per hæc verba, *donec transeat iniquitas*, finem sæculorum intelligunt.

℣. 3. CLAMABO AD DEUM, QUI BENEFECIT MIHI.] Toties misericordiam tuam expertus audeo ad te confugere, cum tantum mihi periculum imminere videam, Saulem nempe cum exercitu me persequendo adeo occupatum, perinde ac repellere vellet hostes, qui imperio illius potiti fuissent. Hebræus [9]: *Clamabo ad Deum* fortem, *qui ulciscitur me*, vel qui me remuneratur, juxta opera mea, vel *qui in mei gratiam ea perficit*, quæ pollicitus est. Chaldæus: *Deus fortis, qui adduxit araneam, quæ in aditu speluncæ meæ suam telam contexeret*, & qui effecit, ne me inimici cognoscerent. Hæc aranearum circumstantia in introitu speluncæ, quo se receperat David, Rabbinicum est anecdotum.

℣. 4. MISIT DE COELO [10], & LIBERAVIT ME; DEDIT OPPROBRIUM &c.] Quem misit? Angelum suum [11], vel manum suam [12], vel auxilium suum, vel potius misericordiam suam, & veritatem, de quibus loquitur inferius. Non semel jam animadvertimus, David plerumque Psalmos suos post periculum fuisse elucubratum, ac primum exprimere consuevisse metum, curamque suam, preces, atque solicitudines; mox vero confidentiam, ac tandem impetratum auxilium. A Ziphæis proditus, & feliciter e manibus Saulis elapsus, in desertum Engaddi recessit. Saul illuc quoque persecutus est me; sed mihi Dominus auxilium misit de Cœlo, tetendit manum suam, meque de hoc periculo eduxit.

Saul confusione suffusus est, & quadam opprobrii specie affectus: *Dedit in opprobrium conculcantes me*. Deus tradidit illum in manus David in spelunca, atque

1 Basil. Theodoret. Euthym. | 2 Abenezra, Ferrand. Hamm. Muis.
3 Euseb. Muis, Du Pin. Vide 1. Reg. 22. 1. 2. & seq. 4 Athan. Kimchi, Genebr. alii. Vide 1. Reg. 24. 1. 2. & seq. 5 Vide apud Paraphr. Græc. Corderii.
6 Psalt. Rom. & Germ. *Spero*. 7 Vide Ruth 2. 12. Psalm. 16. 8. 60. 5. 62. 8. Matth. 23. 37. &c.
8 עד יעבר הוות Hieron. *Donec transeant insidiæ*. Ita Aquil. Ἐπιβουλή. Symmach. Ἐπηρεαστής. *Obtrectator*, seu *calumniator*. 9 אקרא לאל גמר עלי Hieronym. *Invocabo Deum ultorem meum*.
10 S. Hilarius legit: *Misit e cælo*. Quod de J. C. Incarnato explicat. 11 Chald. Kimchi, Ainsw. alii.
12 Gejer. Ainsw. Vide pares Ellipses 2. Reg. 6. 6. Exod. 9. 15. Psal. 17. 17.

que invitus fateri debuit, se vitam ab unica subditi sui, & illius, quem ipse persequebatur, clementia servatam obtinere; atque confiteri coactus fuit, Davidem ipso fuisse justiorem: *Justior tu es, quam ego*; 1. Reg. 24. 18. sibique bonum pro malo reddidisse. Veniam quodammodo ab eo petit; cumque tamquam Regem suum obtestatur, ut ipsius generi pareat, neque memoriam ejus deleat, cum fuerit ad Regnum evectus. *Nunc scio*, dicit ei Saul 1. Reg. 24. 21. *quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel. Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei*. Hoc autem opprobrium est viro adeo feroci, qualis erat Saul. Hebræus habet [1]: *misit*, vel *mittet de Cælo, & salvabit me: Opprobrium illi, qui ad mortem usque*, ad extremum usque spiritum, *persequitur me*; vel *illi qui me vult deglutire* [2]: Vel: *rubore eum suffunde, qui me persequitur*.

℣. 5. MISIT DEUS MISERICORDIAM SUAM, & VERITATEM SUAM &c.] Dominus recordatus est misericordiæ suæ, ac veritatis promissionum suarum; duas hasce virtutes misit, veluti potentiæ suæ ministras; quæ evulserunt me de faucibus leunculorum, qui jamjam me erant devoraturi &c. Videtur isthic sublimis, atque animatus Poeseos stylus, qui rebus omnibus motum, ac vitam impertit. Parum fuisset asserere, a Deo Angelum missum fuisse, vel Deum ipsum ad opem ferendam descendisse: verum ait, ipsum legasse misericordiam, ac veritatem; quæ ad fidelem sibi servum liberandum accederent. Periculum nequaquam satis pro re fuisset expressum, si dixisset, Saulem coactum fuisse fateri, se Davidis clementia victum fuisse; verum ait, se ereptum fuisse de rictu, ac dentibus leunculorum, a quibus jamjam erat vorandus. In spelunca eram clausus; Saul cum militibus suis illuc ingredi potuissent, ibique me, meosque ad unum trucidare: Permisit Deus, ut ille solum ingrederetur, me non videret, & ego oram pallii ipsius præcidere possem, quin ille cognosceret. En in simplici, historicoque stylo quid sibi velint ea, quæ in sublimi figuratoque exponuntur.

In Hebræo quædam varietas non deest [3]: *Dominus misit misericordiam, & veritatem suam; anima mea est in medio leonum. Dormivi*. Vel, juxta S. Hieronymi versionem. *Mittet Deus misericordiam suam, & veritatem suam. Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium*. Vel sequentibus addendo: *Anima mea cubat in medio leonum. Filii hominum penitus inflammati sunt; dentes eorum totidem sunt lancea, ac sagittæ*. Chaldæus. *Anima mea excitata est*, ac ira succensa, *tamquam in medio flammarum. Dormiam tamquam in medio carbonum, quos filii hominum succendunt*. Vulgata vero præ his omnibus meliorem adstruit sensum. Patres locum hunc de J. C. in Passione ipsius interpretantur.

℣. 6. FILII HOMINUM DENTES EORUM ARMA &c.] Saul, & qui favent illi, ira, & furore armati sunt adversum me; similes Leonibus, qui me veluti prædam suam quærunt. Non tamen consueti sunt Leones; sed dentes eorum sunt tela, ac sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Speciosam equidem poesim, pulcherrimasque dicendi rationes. Judæi erant veluti Leones, qui J. C. persequebantur, ejusque mortem a Pilato enixe petebant.

℣. 7. EXALTARE SUPER COELOS, DEUS; & IN OMNEM TERRAM GLORIA TUA.] Hæc est apostrophe ad Dominum, atque veluti intercalaris concentus in hoc Cantico. Repetitur etiam extremo versiculo. Invenitur autem, nec semel [4] in Psalmis, veluti invocatio, & oratio ad Dominum; perinde ac diceretur illi; usque quo aures mihi præbere dissimulabis, & periculum, in quo versor intueri? Consurge, Domine, qui habitas in Cœlis, ostende te hostibus meis, illos exarma, eorum superbiam contere, & gloria tua in omnem terram effulgeat. Hoc mirum in modum de J. C. Resurrectione, & Ascensione explicatur [5].

℣. 8. LAQUEUM [6] PARAVERUNT PEDIBUS MEIS, & INCURVAVERUNT ANIMAM MEAM.] Aliam isthic orditur allegoriam, a venatore desumptam, qui feris laqueos ponit, easque prosternit. Hebræum ita reddere vellem [7]: *tetenderunt retia gressibus meis, & laqueum animæ meæ*. Prior vox laqueum, vel rete significat; altera vero innuere potest instrumentum, quod vi curvatur, ut elaterio illius fera, quæ petitur, capiatur. Alii vertunt: *tetenderunt laqueos pedibus meis, & incurvaverunt animam meam*; vel *anima mea incurvata est*; cecidit sub manu illorum. Versiculo sequenti loquitur de alio insidiarum genere, fovea nempe, quæ ramis, humoque congesta obducitur, & in quam animantia, quin id sciant, prolabuntur. Effodit mihi foveam Saul, sed ipse eadem captus est. Me in spelunca quærebat claudere, ut ibi me comprehenderet, atque interimeret; at se met ibi conclusit, & inconsulto se met in manus meas tradidit. Nonne etiam hoc pacto Hebræus verti posset [8]? *tetenderunt laqueos*, retia, *gressibus meis; anima mea agilis fuit*, & super ea saliit. *Foderunt ante faciem meam foveam, & primi inciderunt* in eam.

℣. 10. PARATUM COR MEUM, DEUS, . . . CANTABO, & PSALMUM DICAM.] David periculo defunctus, isthic lætitiam suam, animumque gratum testatur. Paratus sum, Domine, momentum elabi non patiar. Nunc tuas laudes celebrare incipiam. Canticis meis, meorumque instrumentorum sono laudabo te. Plurima Septuaginta, ac Vulgatæ exemplaria [9] legunt: *Psalmum dicam in gloria mea*, vel in musicis instrumentis meis; quod ex Psalmo 107. 1. desumptum videtur. Sed neque Hebræus, neque Chaldæus, neque Romana Editio Septuaginta legunt: *in gloria mea*. S. Augustinus, Arnobius, Cassiodorus, Remigius, Romana Psalteria legunt: *Psalmum dicam Domino*; & S. Hilarius: *Psalmum dicam tibi*. Psalmus 107. ex hoc, & sequentibus versiculis constat. S. Augustinus eum J. C. applicat: Paratus sum ad ea omnia, quæ jusseris, subeunda. Eusebius, & S. Athanasius: paratus sum ad Prophetiæ spiritum accipiendum.

℣. 11. EXURGE, GLORIA MEA; EXURGE PSALTERIUM, & CYTHARA: EXURGAM DILUCULO.] Parata estote instrumenta, ut simulac surrexero, Domini laudes concinere possitis. Isthic quoque vestigium deprehenditur, speciosæ, audacisque poeseos, quæ rebus inanimis sensum, actionemque tribuit, ut operi majestas, & decor accedat. Miram hanc artem Rabbini ignoravere, ideoque sine ulla necessitate ad ridiculum commentum confugerunt, ut facillimam hanc rem explicarent. Rabbinus Salomon ait, Davidem de thori sui cervicali suspendisse lyram, quæ noctu ex se met personabat, statim ac boreas flare incœpisset; atque tunc Sanctum Regem consurgere consuevisse, atque Legem Domini lectitasse. *Gloria mea* significare potest *animam meam*, vel *linguam meam*, vel *Psalmos meos*, vel uti, mavult S. Athanasius, spiritum prophetiæ. Sed in hoc loco naturaliter potius significat *instrumenta mea*. Hebr. [10] *exurge gloria mea, exurge meum nablum, & cinnor; ego mane vos excitabo*; vel *excitabo auroram*; vel *summo mane expergiscar*.

1 ישלח משמים ויושיעני חרף שאפי 2 Vide Psalmum præcedentem ℣. 1. 2.
3 ישלח אלהים חסדו ואמתו נפשי בתוך לבאים אשכבה להטים Sym. Ἐν μέσῳ λεόντων εὐθαρσῶς ἐκοιμήθην. *Dormivi audacter in medio leonum*. Aquila: Ἐν μέσῳ λεαινῶν κοιμηθήσομαι λάβρως. *Dormivi inter leones voraces & famelicos*. 4 Vide Psal. 7. 7. *Exaltare in finibus inimicorum meorum*. 20. 14. *Exaltare, Domine, in virtute tua*. 93. 2. *Exaltare, qui judicas terram*. Et 107. 6. *Exaltare super Cælos, Deus, & super omnem terram gloria tua*. 5 Vide Euseb. Athan. Aug. S. Hilar. 6 Aug. *Muscipulam*. Hilar. *Laqueos*.
7 רשת הכינו לפעמי כפף נפשי כרו לפני שיחה נפלו בתוכה 8 Accipio כפף ac idem sit cum חפף, quod Arabice significat agilem esse, levem, rapidum. 9 Ita Edit. Complut. tam Gr. quam Lat. Psalt. Arab. Apollinar. & alii quidam. 10 עורה כבודי עורה הנבל וכנור אעירה שחר

sciar. Patres hæc omnia de Salvatoris Resurrectione interpretantur.

℣. 12. CONFITEBOR TIBI IN POPULIS.] Grati animi mei sensus non intra domus meæ parietes, neque intra familiam, amicosque meos, vel etiam populi mei cœtum continebo; sed in medio Gentium erumpent, atque per omnem terram laudes, atque beneficia tua, Domine, prædicabo. Hodie Prophetiam David perfecte in Psalmis adimpletam videmus, qui omnibus linguis, & in omnibus terrarum plagis concinuntur. Hoc etiam perfectius adimpletum est in J. C. persona, atque in laudibus, quibus universa A Christiana Ecclesia Deum prosequitur; propter illius Incarnationem, Resurrectionem, Ascensionem, ac regnum æternum.

℣. 13. MAGNIFICATA EST USQUE AD COELOS MISERICORDIA TUA.] Clementia tua erga me, & summa fides, qua promissiones tuas exolvisti, infinitæ sunt; toto cœlo ea excedunt omnia, quæ maxima in terris sunt, & ad cœlos usque extolluntur. Hæ locutiones passim in Scripturis occurrunt [1]. J. C. in Ascensione sua super omnes Cœlos ascendit, nobisque per Apostolos suos, qui sunt veluti nubes, aquam in terras effundentes, veritates suas communicavit [2].

1 Vide Psal. 35. 6. Ps. 107. 5. Psal. 78. 3. 2 Hieron. ad Psal. 107.

PSALMUS LVII.

Invectiva in pravos Consiliarios, qui Saulem in David irritabant. Preces, & vaticinia adversus illos. Peribunt illi, & omnes Justitiam, ac Providentiam Domini cognoscent.

In finem: ne disperdas: David in tituli inscriptionem.

ARGUMENTUM.

In Psalmi hujus titulo nihil adest non antea explicatum. Non pauci credunt [1], hanc esse præcedentis continuationem, & David, postquam pepercit Sauli in spelunca Engaddi, videntem, quod Rex iste minimum deerat, quin ipsum persequi pergeret, Canticum hoc elucubratum esse adversus Consiliarios, & Aulicos ejus, qui Regem in ipsum excitare persistebant, atque maligne illi ficta referentes, iram ipsius jugiter exacerbabant. Eorum improbitatem describit, eisque divinam ultionem ignitis propemodum, acerrimisque verbis minatur. Sermonem suum multiplici similitudine exornat, atque absolvit descriptionem pœnarum, quas illis præparat Deus.

Nonnulli Psalmum hunc [2] in illud referunt tempus, quod eam noctem subsecutum est, qua David in Saulis castra descendit; ubi Regem stertentem invenit, neque passus est, ut Abisai eum, uti volebat, lancea confoderet; sed satis illi fuit Regis hastam, ac vas aquæ, quod prope illius cervical aderat, auferre 1. Reg. 26. 7. 8. Actus hic clementiæ David furorem Saulis extinguere non valuit, nisi ad brevissimum tempus. Aulici, & Consiliarii illius, quin pravum ejus spiritum sedare adniterentur, eum in dies magis irritabant [3]. Contra has serpentum linguas hic invehitur Psalmista.

Beda, Theodorus, & Vetus Paraphrastes Græcus, a Corderio editus, hunc ad Macchabæorum tempora transferunt, post Jonathæ, Simonis, & Filiorum ejus occubitum. Explicari quoque potest de Sacerdotibus, ac principibus Judæorum, qui J. C. mortem decreverunt, eumque per summam injustitiam damnarunt [4]; vel haberi simpliciter tamquam invectiva adversus impios, & hypocritas [5]. Eam nos sequimur hypothesim, quæ de Consiliariis Saul illum intelligit post factum illud in spelunca Engaddi, de quo Psalmo superiori locuti sumus.

1. SI vere utique justitiam loquimini: recta judicate filii hominum. 2 Etenim
in corde iniquitates operamini: in terra injustitias manus vestræ concinnant.
3 Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero: locuti sunt fal-
sa. 4 Furor illis secundum multitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obtu-
rantis aures suas. 5 Quæ non exaudiet vocem incantantium: & venefici incan-
tantis sapienter. 6 Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum
confringet Dominus. 7 Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens: intendit
arcum suum, donec infirmentur. 8 Sicut cera, quæ fluit, auferentur: superce-
cidit ignis, & non viderunt solem. 9 Priusquam intelligerent spinæ vestræ rha-
mnum: sicut viventes, sic in ira absorbet eos. 10 Lætabitur justus, cum viderit
vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris. 11 Et dicet homo: Si uti-
que est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.

SI VE-

1 Theod. Euthym. Niceph. Ferrand. Vide & Rab. Sal. 2 Kimchi. Muis.
3 Vide 1. Reg. 24. 10. *Quare audis verba hominum loquentium; David quærit malum adversum te?* Vide & Psal. 56. 6. 4 Vide Hieron. & Cassiodor. 5 Aug. Hilar.

ỳ. 1. SI VERE UTIQUE JUSTITIAM LOQUIMINI, A RECTA JUDICATE [1] FILII HOMINUM.] Quandoquidem juri dicundo operam navatis, & Rex consiliis vestris præbet aures, judicate ergo æquitatem, atque oppressam innocentiam tuemini. Cur justitiæ Leges infringitis me persequentes, & fidem adhibentes calumniis, quæ falso in me jaciuntur, quin ne audire quidem me velitis, & purgandi mei locum tribuere? Verti quoque posset: *Profecto egregii Judices estis; juxta æquitatem judicatis, o filii hominum!* Ironice dictum adversus aulicos, & Consiliarios Saul. Vel cum Hebraico textu [2]: *Siccine, o cœtus, jus reddis, & juxta æquitatem judicatis, o filii hominum?* Aliter: *Mutam profecto justitiam exercetis; æque judicatis, o filii hominum.* Hoc quoque dictum ironice. Vosne constituti estis Judices, ut silentium servaretis, cum innocens esset defendendus? Chaldæus postremam hanc versionem secutus est: *Creditis me, ut fas est, vos exercere justitiam, eo quod silentium servatis, dum adversum me peroratur? Judicate in æquitate o filii hominum!*

B

ỳ. 2. ETENIM IN CORDE INIQUITATES OPERAMINI: IN TERRA [3] INJUSTITIAS MANUS VESTRÆ CONCINNANT. [4]] Invidia, pravisque consiliis in me tumentes audacter, exequimini ea, quæ clam adversum me cogitastis, Regis, quem seducitis, auctoritate suffulti. Saulis Consiliarios alloqui pergit. S. Augustinus animadvertit, Prophetam dicere: *in corde iniquitates operamini*; quoniam cor vera est mali causa, & sufficit voluisse malum, licet perfici nequaquam possit, ut noxius habearis: *Quidquid vis, & non potes,* C *factum Deus computat.* Addit ulterius peccatores peccata peccatis superaddere, & iniquitatum congeriem alias aliis innexas patrare: *Injustitias manus vestræ connectunt*; ita enim ipse legit. Qui legunt *concinnant*, hoc pacto explicant; Adnitimini injustitiæ vestræ æquitatis speciem adstruere; scelus virtutis specie contegitis.

Hebræus [5]: *Iniquitatem operamini in cordibus vestris in regione: manus vestræ injustitiam appendunt.* Animam corruptam habetis, & manus vestræ tenent libram, veluti jus dicturi sitis; sed iniquitatis dumtaxat judicia profertis. Vel: Corda vestra repleta sunt injustitia, & manus vestræ tenent libram injustam. Aliter juxta Chaldæum: *Cur malum operamini super terram, & cur manus vestræ involutæ sunt in sceleribus?* quem sen- D sum præferrem propter nexum, quem habet cum primo versiculo.

ỳ. 3. ALIENATI SUNT PECCATORES A VULVA &c.] At nequicquam vos ad justitiam adhortor; inveterati peccatores estis, neque ad frugem revocari potestis. Novi nequitiam vestram, atque improbitatem ab ipso matris vestræ sinu; numquam frugi fuistis, estis genus a prima usque origine corruptum. Ita summam illorum iniquitatem exaggerat.

ỳ. 4. FUROR ILLIS [6] SECUNDUM SIMILITUDINEM SERPENTIS; SICUT ASPIDIS SURDÆ, & OBTURANTIS AURES SUAS.] Saul, aliique persecutores mei, sunt, tamquam serpentes furore correpti, qui me persequuntur. Serpentes etiam nonnumquam incantari possunt; at hi surdi sunt, neque sedari possunt um- E quam; vel, se surdos præbent, & inutiles reddunt meas incantationes. Eos vicies convici, me non solum vitæ, ac regno Saulis insidias nequaquam struere; quin immo summa observantia, atque benevolentia eum

A fuisse prosecutum. Eum ipsum coegi, ut id fateretur. Verum licet hæc omnia innocentiam meam palam testentur, nihilominus me perduellionis reum, rebellem, facinorosum, atque gravissimis dignum suppliciis prædicant. Quod isthic ait Propheta de aspide aures obturante, ne venefici vocem percipiat, alludit consuetudini, quæ tunc vigebat, incantandi serpentes, ac prohibendi, ne mordeant. Hoc autem fusius singulari in Dissertatione ad examen vocabimus. Hebræus habet [7]: *Venenum eorum est simile veneno aspidis surdæ: aures sibi obturat*; vel simplicius, *tamquam venenum aspidis surdæ, cujus aures obturatæ sunt.* De quodam aspidis genere ferunt, surdam esse, ac in viridi cute flavas habere maculas, & quæ omnium una est periculosissima.

B ỳ. 5. QUÆ NON EXAUDIET VOCEM INCANTANTIUM, & VENEFICI INCANTANTIS SAPIENTER.] Scriptura sapientiæ nomen tribuit arti incantandi serpentes, quemadmodum hoc ipsum artibus, rebusque omnibus adjungit, quæ industriam, ac studium exposcunt. Vox hæc *Sapienter* nihil aliud significat, quam scite, callide, prudenter. Hebræus reddi potest [8]: *qui non audit vocem murmurantium*, incantantium, qui submissa voce loquuntur; *eorum qui scite utuntur incantationibus.* Antiqua latina Psalteria non secus ac Græca non sibi constant in hoc loco. Septuaginta Romanæ Editionis [9]: *Quæ non audiet vocem incantantium, & medicamentorum a Sapiente medicatorum.* S. Augustinus similiter legit. *Quæ non exaudiet vocem incantantium, & medicamenti medicati a sapiente.* S. Hilarius ferme si- C militer: *... vocem incantantium medicamentis medicatis a sapiente.* Editio Septuaginta Complutensis [10]: *Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici, dum a sapiente*, hoc est a prudenti incantatore *incantatur.* Lectionem hanc secutum est vetus Romanum Psalterium anno 1508. editum, eamque adoptavit Lucifer Calaritanus: *Quæ non audiet vocem incantantium, & venefici, quæ incantatur a sapiente.* Psalterium Romanum editum 1663. *Et veneficia, quæ incantantur a sapiente.* Psalteria Mediolanense, S. Germani, & Carnutense: *Et venefici, qui incantatur a sapiente.*

ỳ. 6. DEUS CONTERET DENTES EORUM IN ORE IPSORUM: MOLAS LEONUM &c.] Horum serpentum dentes confringet, horum leonum molares dentes in pulverem rediget. Psalmo præcedenti ỳ. 5. hostes suos D leonibus comparavit, isthic autem eos serpentibus confert. Plurimi in imperandi modum transferunt [11]: *Domine contere dentes eorum in ore ipsorum &c.* Alii in tempus præteritum [12]: *Contrivit Dominus dentes eorum &c.* David divino fretus auxilio, minime dubitat, quo minus aliquando inimici sui deleantur, eumque in statum redigantur, ut sibi amplius resistere nequeant.

ỳ. 7. AD NIHILUM DEVENIENT, TAMQUAM AQUA DECURRENS.] En aliam similitudinem, quæ mirum in modum exprimit illorum interitum. Evanescent sicut aqua, quæ fluit, ac dissipatur; velut aqua torrentis, qui exarescit, & momento solum temporis fluit; velut aqua in terram effusa, quæ statim solis ardore consumitur. S. S. Augustinus, & Hilarius legunt: *Contemnentur velut aqua &c.* & Septuaginta [13] eumdem E sensum possunt admittere. Sed longe præstat Vulgatæ sensus.

INTENDIT ARCUM SUUM, DONEC INFIRMENTUR.] Non cessabit Deus ejaculari in eos, donec ne unus quidem supersit, non abjectus, neque telis ejus confossus.

 Hæc

1 Beda: *Recte judicate.* Psalter. Rom. *Recta judicate.* Arnob. *Juste judicate.* S. Hil. *Directa judicate.*
2 האמנם אלם צדק תדברון מישרים תשפטו בני אדם
3 Plerique hæc verba, *in terra*, primo membro adscribunt. Athanas. Euseb. August. Vatab. alii.
4 August. *Connectunt.* Hilar. *Complectuntur.* 70. Συμπλέκουσι.
5 אף בלב עולת תפעלון בארץ חמס ידיכם תפלסון
6 August. *Indignatio illis.*
7 חמת למו כדמות חמת נחש כמו פתן חרש יאטם אזנו
8 אשר לא ישמע לקול מלחשים חובר חברים מחכם
9 70. Rom. ἥτις οὐκ εἰσακούσεται φωνὴν ἐπᾳδόντων, φαρμάκου τε φαρμακευομένου παρὰ σοφοῦ. Ita Theodot.
10 70. Complut. ἥτις οὐκ εἰσακούσεται φωνὴν ἐπᾳδόντων, φαρμακοῦ τε φαρμακευομένου παρὰ σοφοῦ. Aquil. ἐπαείδειν ἐπῳδὰς σεσοφισμένου. *Incantare incantationem sapientis.* Symm. Ἐπαοιδοῦ ἐπῳδὰς σεσοφισμένου; *venefici incantantis; docti incantatoris.* Quinta Edit. φαρμακευόντων φαρμακούς. *Incantantis incantationes;* vel *incantationes irridentis.*
11 הרס שנימו בפימו Ita Hieron. & alii passim.
12 Ita August. Hilar. Psalr. Germ. Carnut.
13 70. Ἐξουδενωθήσονται ὡσεὶ ὕδωρ διαπορευόμενον.

Hæc autem habet Hebraicus totius versiculi textus [1]: *dissipabuntur velut aqua ; abibunt : Emittent tela sua ; illa erunt tamquam spicæ*. Inimici mei in vaporem abibunt, tamquam aqua effusa. Si voluerint sagittas suas in me contorquere, hæ adeo erunt infirmæ, atque inutiles, ac palearum festucæ. Aliter: Cum sagittas suas jaculabuntur, hæ tamquam festucæ conterentur; vel: in auras abibunt, & nihil ferient. Vel, ad Deum referendo: Intendet arcum suum, & intorquebit sagittas suas; & adversarii mei exterminabuntur [2].

℣. 8. SICUT CERA, QUÆ FLUIT; AUFERENTUR: SUPERCECIDIT IGNIS &c.] Dissipabuntur, quemadmodum cera igni apposita liquescit. Deus super illos dejiciet ignem iræ suæ [3], neque amplius subsistent, neque videbunt diem. Sensus hic perspicuus est: sed Hebræus, qui extat hodie, longe differt [4]: *evanescet tamquam cochlea, quæ consumitur, atque arescit; tamquam abortivum mulieris non videbunt solem*. Peribunt uti cochleæ, quæ repentes consumuntur; cum horrore abjicientur, tamquam abortivum, quod numquam solem adspexit.

Aquila [5]: *Perit, tamquam vermis terræ arescentis*, ad litteram, tamquam intestina terræ exsiccatæ; *non secus ac abortivum non videbunt solem*. Symmachus [6]: *Sint veluti membrana, quæ fœtum, nondum animatum, neque viventem involvit; & tamquam mulieris abortivum, ne umquam videant solem*. Theodotion similis est Septuaginta quoad priorem versiculi partem; aliis vero Interpretibus quoad alteram: *dissipabuntur, tamquam cera, quæ liquescit, & sicut abortivum, quod numquam vidit solem*. Hæc omnis varietas ex Hebraica voce *Schablul* proficiscitur; quæ hic tantum invenitur, & cujus significatio non satis paret. Chaldæus: similes fient cochleæ, quæ humectat locum, qua transit; *tamquam abortivum, ac talpa cæca, quæ non vidit solem*. Versio Septuaginta, præsertim vero quoad priorem versiculi partem, longe melior videtur, quam Rabbinica; non enim dici potest cochleam rependo liquescere.

℣. 9. PRIUSQUAM INTELLIGERENT SPINÆ VESTRÆ RHAMNUM [7]; SICUT VIVENTES, SIC IN IRA ABSORBET EOS.] Antequam spinæ inimicorum meorum ad *rhamni* magnitudinem perveniant, delebit Dominus omnes viventes. Eos igitur isthic spinis comparat, quæ undique aculeis præfixæ sunt, & ad quas nemo audet accedere. Sed nos admonet, eorum potestatem non diuturnam futuram, neque spinas has ad rhamni altitudinem perventuras, antequam evellantur a Deo. Sensus hic satis perspicuus est, ac plures huic adstipulantur [8]. S. Hieronymus: Antequam peccata tua ad suum finem perveniant, & spinæ cogitationum tuarum altitudinem arborum peccati assequantur, Dominus te puniet non iratus, sed quasi iratus.

Alii [9] ita explicant: Antequam spinæ vestræ, effectus vestri, filii vestri adolescant, Deus vos dissipabit, atque disperdet. Veteres nonnulli aliter textum legunt [10]: *Antequam rhamnus vestras spinas produxerit, Dominus vos adhuc viventes in furore suo exterminabit*. Antequam iniqua, & nefaria consilia vestra expleatis in me, in caput vestrum ira Domini erumpet. Deglutiet vos, *absorbet vos*, vel *absorbebit vos*, quemadmodum legit S. Hilarius [11].

Hebr. [12] *Antequam ollæ vestræ senserint calorem spinarum* acconsatum, *ira Domini velut turbo eas evertet, & carnem adhuc crudam vel viventem auferet*. Non relinquet vobis integrum, ut nefaria consilia vestra exequamini; arripiet vos tamquam famelicus homo, qui de olla carnem crudam adhuc aufert, antequam ignis calore foveatur. In Palæstina perraro ligna inveniebantur, & passim adhibebantur spinæ ad ignem alendum: *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti*, ait Sapiens [13]. Et Isajas 19. 18. *succensa est quasi ignis impietas, veprem, & spinam vorabit*; & 33. 12. B *Spinæ congregatæ igni comburentur*: & apud S. Matthæum 6. 30. lilium, quod hodie ornatius est, quam Salomon in omni gloria sua, *cras in clibanum mittitur* ad eum calefaciendum. Hebræi crudam carnem *vivam* vocant. *Da mihi carnem vivam*, ajebant filii Heli, *ut coquam Sacerdoti; non enim accipiam a te carnem coctam, sed vivam*, 1. Reg. 2. 15.

Cloppenburgius vertit: *Antequam ollæ tuæ sentiant ignem spinarum, adveniet turbo, qui auferet & ignem, & carnem adhuc crudam*. Ludovicus de Dieu: *Antequam illi recogitent, spinæ vestræ fiunt rhamnus, adolescent, & quilibet eorum metuet illas, quemadmodum cruda caro timet ignem*. Prior versio ex Hebraico textu desumpta melior, ac simplicior videtur.

℣. 10. LÆTABITUR JUSTUS, CUM VIDERIT VINDI- C CTAM [14]; MANUS SUAS LAVABIT IN SANGUINE PECCATORIS.] Justus lætatur cum videt impium affectum supplicio; non quod fratris sui calamitati insultet, sed quod videat Providentia Domini eos non negligi, qui improborum irrisionibus obnoxii fuere [15]. Lætabitur, non tamen in hac vita, ut S. Hieronymus inquit [16]. Lavabit manus suas in sanguine, non crudelitatis, & ultionis ergo; sed impiorum cruor ea in copia effundetur, ut eo & manus, & pedes ablui queant, ut inquit Hebræus [17]. Eo quodammodo madescet. S. Hilarius inquit, Justum manus suas in peccatoris sanguine abluere, se purum, atque nullo imbutum sanguine servando inter impios, qui jugiter fratrum suorum sanguine polluuntur. Videbit ultionem, quam sumet Deus, quin illius participes Sancti sint, & tunc hi D lætabuntur, quod eorum opera in æternitate gloria coronabuntur. Theodoretus ait, Justum abluturum manus suas, *non in sanguine*, sed *super sanguine impiorum*; veluti declaraturi, sibi nullam fuisse partem, vel necessitudinem cum illis. Sed hæ explicationes remotiores videntur; primæ vero sunt magis simplices.

℣. 11. ET DICET HOMO: SI UTIQUE EST FRUCTUS JUSTO.] Hebræus ad litteram [18]: *Et dicet homo: certe pro Justo est remuneratio; certe Dii sunt*, vel Judices, vel Angeli, *qui judicant super terram*. Vel simpliciter: *Deus est, qui judicat super terram*. Hebraica vox *Elohim*, quæ plerumque cum singulari numero construitur, cum *Deum* significat, isthic plurali in nume-

---

1 ימאסו כמו מים יתהלכו למו ידרך חציו כמו יתמללו 3 Ita Chald. *Syr.* 70.
3 Euseb. Athanas. Hilar. 4 כמו שבלול תמס יהלך נפל אשת בל חזו שמש Hieron. *Quasi vermis tabefactus pertranseant; quasi abortivum mulieris quod non vidit solem*. Rabb. & recentiores plerique: *Quasi limax defluunt, &c.* 5 Aquil. Ὁμῶς γῆς ἐντέρῳ τηκὸν πορεύσεται, ἔκτρωμα γυναικὸς οὐ μὴ θεωρήσωσιν ἥλιον.
6 Ὥσπερεὶ χόριον διαλυθὲν διαφθαρεῖ, ἢ ἔκτρωμα γυναικὸς, ἵνα μὴ ἴδωσιν ἥλιον.
7 S. Hilar. & Augu. *Priusquam producat spinas vestras rhamnus*. Cassiod. *Priusquam producant spinæ vestræ rhamnos*. Psalter. Roman. an. 1663. *Priusquam producat spinas vestras rhamnus*. Psalter. Rom. 1508. *Priusquam producat spinas vester rhamnus*. Psalter. S. Germ. *Priusquam producant vestras rinus*.
8 Ita Symm. Πρὶν ἢ αὐξηθῆναι αἱ ἄκανθαι ὑμῶν ὡς γενέσθαι Ῥάμνον, ἔτι ζῶντας ὡς ὀλοξήρους λαίλαψ ἀρεῖ. Ita Theodoret. Euseb. Athanas. Genebr. Menoch. Vatab. Drus. alii passim.
9 Muis, Vat. ex Chald. & Kimchi. 10 Vide August. Cassiod. Psalter. Roman.
11 Hilar. *Absorbebis vos* 70. Καταπίεται ὑμᾶς. Edit. Complut. Καταπίεται αὐτούς. *Absorbet eos*. August. *Combibit eos*. 12 בטרם יבינו סירותיכם אטד כמו חי כמו חרון ישערנו
13 Eccl. 7. 7. Vide & Exod. 22. 6. *Si egressus ignis invenerit spinas &c.* Judic. 9. 14. 15. *Egrediatur ignis de Rhamno, & devoret cedros Libani*. 118. 12. *Exarserunt sicut ignis in spinis*.
14 Cassiodor. Psalter. Rom. & Carnut. & 70. Edit. Roman. addunt, *Impiorum*. Εὐφρανθήσεται δίκαιος ὅταν ἴδῃ ἐκδίκησιν ἀσεβῶν. 15 Theodoret. Vide & Euseb.
16 Vide ad Psalm. 51. 8. & August. ibidem. 17 פעמיו ירחץ בדם הרשע
18 ויאמר אדם אך פרי לצדיק אך יש אלהים שפטים בארץ

numero usurpatur; quod nonnullos impulit [1], ut crederent, de Angelis esse sermonem. Verum non desunt alii loci, ubi nomen hoc eadem constructione Dominum significat; puta, cum Abraham ait [2], *Deos sibi* A *imperasse*, ut peregre proficisceretur, patriamque terram relinqueret. Et Josue Dominum alloquens [3]: *Hi sunt Dii sancti*. Et in libro Regum [4]: *Esne populus similis tibi, quem Dii de Ægypto redemerint?*

1 Kimchi, Abenezra, Muis. 2 Genes. 20. 13. התעו אותי אלהים 3 Josue 24. 19. כי אלהים קדשים הוא
4 2. Reg. 7. 23. אשר הלכו אלהים לפדות

PSALMUS LVIII.

Oratio hominis in extremo periculo positi, atque hostibus circumsepti. Eum prævenit Domini misericordia. Minæ adversus hostes. Gratiarum actio pro liberatione.

In finem: Ne disperdas. David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, & custodivit domum ejus, ut eum interficeret.

ARGUMENTUM.

Saul malo obsessus spiritu, cum frustra conatus esset Davidem coram se fidibus personantem confodere, decrevit eum occidere, eumque domi suæ quiescentem noctu capere 1. Reg. 19. 10. Nocte igitur satellites misit, qui ædium illius aditus omnes custodirent, ut crastina die mane eum possent comprehendere, ac obtruncare. David cerrior factus periculi ab uxore Michol, per fenestram dimissus aufugit. Post hoc periculum Psalmum, quem explicaturi sumus, dicitur composuisse. Hoc in sensu Rabbini, ac omnes ferme Interpretes illum explicant juxta Inscriptionem, quæ in Hebræo, Chaldæo, ac Septuaginta invenitur. Cui sententiæ locum plane dederunt ℣. 7. & 17. *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes*. Crediderunt enim, his verbis designari satellites Saul missos ad Davidem capiendum.

Verum cum universa hujus Psalmi conspicitur œconomia, facile intelligitur, naturaliter ad hanc circumstantiam referri non posse. Statim enim deprehenditur homo validis circumseptus inimicis, qui vitæ illius insidiantur, licet nulla ipsis causa præbita fuerit illi nocendi. Hæc equidem potest Davidi convenire descriptio. Sed non æque ad ipsum ea, quæ sequuntur, referri possunt. Deum obtestatur, ut ipsum de Nationibus vindicet, ut eas in ira sua visitet, neque his iniquitatum artificibus parcat ℣. 6. *Intende ad visitandas omnes gentes*. Ait illos circum civitatem noctu venturos, eamque ululantes veluti famelicos canes, quin umquam ingredi liceat, circumituros. Bis orationem, vel prædictionem hanc repetit. Canes hos, hos viros sanguinum nobis exhibet blasphemias, vel verba acuto gladio similia evomentes, sermonibus, ac mendaciis suis circumvenire quærentes. Contra hos nuncupat vota, vel tristes enuntiat prophetias, ac prædicit, eos tamquam famelicos canes iri dissipatum; se vero Domini vim, & misericordiam celebraturum.

Certo liquet, eos, de quibus conquerendi locus erat Davidi, nequaquam Gentiles fuisse. Urbem non circuibant, sed tantum Davidis ædes. Satellites hi, cum Saulis facerent mandata, nequaquam merebantur, ut in illos David terribiles adeo minas intentaret. Hi non fucum facere, non mendaciis, ac dolo ipsum decipere quærebant, sed aperta vi utebantur. Nequaquam erant extra civitatem, sed intra.

Nullam intuemur in Historia sacra circumstantiam, cui Psalmus hic commodius referri queat, quam Nehemiæ eo tempore, quo muros Jerusalem instaurare orsus est. Opus illius primum quidem Sanaballat, Tobias Ammonites, Arabes, Philisthiim, Ethnici, & Samaritani, qui morabantur in Palæstina, contemnebant 2. Esd. 4. 1. &c. sed mox non parum progredi viderunt, infrenduerunt ira, atque congregati sunt, Jerusalem oppugnaturi. Nehemias admonitus, excubias, vigiliasque ubique disposuit, populoque præcepit, ut laborantes semper prope se haberent arma, ut quovis tempore hostium impetum possent propulsare. Hi vero consilium suum detectum videntes, eos aperta vi aggredi ausi non sunt, sed Nehemiam interficere quæsivere, in insidias in agris positas eum adducentes, ad fœdus sanciendum e civitate evocatum 2. Esdr. 6. 1. &c. Nec fefellere Nehemiam doli, eorumque postulata elusit. Ad minas deinde ventum est, dixeruntque, se Regi Persidis scripturos, ipsum ab eo defectionem meditari, ac Judæ Regnum appetere. Nehemias hos sermones aspernatus facile calumnias evertit, ac opus absolvit. Tunc Ethnici, qui eas incolebant terras, & Judæorum hostes perterriti sunt, atque illud adimpletum est, quod hic ait Propheta: *Convertentur ad vesperam, & famem patientur, ut canes, & circuibunt civitatem; ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, & murmurabunt*. Ergo Psalmus hic plane opus est Esdræ, qui tunc vivebat, vel Nehemiæ ipsius ad populum excitandum ad murorum Jerusalem substructionem, eumque adversus hostes suos confirmandum.

Theodorus apud Anonymum Corderii, & Venerabilis Beda Psalmum hunc ad Macchabæos transferunt. Syrus hunc a Davide compositum autumat, cum illi nuntiatum fuit, propter ipsum Sacerdotes Nobe a Saule interemptos. Patres [1] hic intuiri sunt J. C. in Sepulchro, & a militibus custoditum sub figura David domi suæ a Satellitibus Saulis circumsepti. Apertæ hic deprehenduntur Prophetiæ vocationis Gentilium, dispersionis, ac reprobationis Judæorum, ac tandem reditus eorum ad Ecclesiam J. C.

1. ERipe me de inimicis meis, Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me. 2
Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris sanguinum salva me.
3 Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes. 4 Neque
iniqui-

1 August. Hieron. Theodoret.

iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri, & dire-
xi. 5 Exurge in occursum meum, & vide: & tu, Domine Deus virtutum, Deus
Israel. 6 Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus, qui ope-
rantur iniquitatem. 7 Convertentur ad vesperam: & famem patientur ut canes,
& circuibunt civitatem. 8 Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum:
quoniam quis audivit? 9 Et tu, Domine, deridebis eos: ad nihilum deduces om-
nes gentes. 10 Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus
es. 11 Deus meus, misericordia ejus præveniet me. 12 Deus, ostendet mihi
super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliviscantur populi mei. 13 Dis-
perge illos in virtute tua: & depone eos protector meus, Domine: 14 Delictum
oris eorum, sermonem labiorum ipsorum: & comprehendantur in superbia sua. 15
Et de execratione, & mendacio, annuntiabuntur in consummatione: in ira consum-
mationis, & non erunt. 16 Et scient, quia Deus dominabitur Jacob, & finium
terræ. 17 Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes: & circuibunt
civitatem. 18 Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, &
murmurabunt. 19 Ego autem cantabo fortitudinem tuam: & exaltabo mane mise-
ricordiam tuam. 20 Quia factus es susceptor meus, & refugium meum, in die tri-
bulationis meæ. 21 Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus
meus, misericordia mea.

℣. 1. ERIPE ME DE INIMICIS MEIS, DEUS MEUS.] Vides regionem omnem, nationes integras, Arabes, Ammonitas, Philisthiim Samaritanos insurgere in exiguam hominum manum, in reliquias Juda, nuper in Jerusalem congregatas. Ad te unum, Deus meus, confugimus; ab uno te nostram liberationem speramus.

A

℣. 2. DE VIRIS SANGUINUM,] de his inimicis meam, civiumque meorum sanguinem sitientibus. Vitæ Nehemiæ præsertim insidiabantur. Quater usque illum ex urbe evocare conati sunt, ut in insidias adducerent, ibique interimerent. 2. Esdr. 6. 2. 3. 4.

℣. 3. CEPERUNT [1] ANIMAM MEAM: IRRUERUNT IN ME FORTES.] Vitæ meæ insidiati sunt; ad litteram, me comprehenderunt. Vel juxta Hebraicum textum [2], *posuerunt insidias animæ meæ*. Septuaginta [3]: persequuntur animam meam, quemadmodum venatores feras exagitant. Hæ loquendi rationes satis ostendunt aviditatem, furorem, studium inimicorum Nehemiæ. Eos autem *fortes* appellat. Sanaballat erat Samaritanorum Princeps. Tobias, & Gossem quoque Principes erant, vel capita Arabum, & Ammonitarum. Magna, & iis in terris auctoritate, & in Persidis aula existimatione præstabant. Hi erant hostes, e quibus Nehemias Deum petit, ut liberetur.

B

℣. 4. NEQUE INIQUITAS MEA, NEQUE PECCATUM MEUM &c.] Nihil contra illorum personam, vel utilitatem admisi. Non quæro illorum interitum, vel supplicium. Nehemias omnium erat justissimus, æquissimus, integerrimus. Summo animi ardore patriæ suæ felicitatem, fratrumque suorum pacem cupiebat: verum hanc propriæ dumtaxat tranquillitatis impendio, atque sine ullo quæstu procurabat.

C

Felicissime, ac justissime hæc omnia J. C. applicantur, quem Judæi, ii sanguinum viri, inimici violenti, atque injusti persecuti sunt, & cui per summum ingrati animi vitium pro tot bonis, quæ acceperant, gravissima mala rependerunt. Nemo hoc de se umquam verissime prædicare potuit: *sine iniquitate cucurri, & direxi*. Verba hæc pressius sumpta in J. C. ore dumtaxat vera sunt [4]. Hebræus isthic mendosus videtur, habet enim [5]: *cucurrerunt, & sine iniquitate vixerunt*; quod nequaquam de Nehemiæ hostibus potest intelligi. Sed alius illi sensus potest appingi [6]: *sine ulla iniquitate*, quæ in me fuerit, *currunt* adversum me, *& se se confirmant*. Nullam ipsis justam persequendi mei causam tribui. Festinant, undique currunt copias lecturi, & exercitum suum aucturi, armantur, atque nulla adducti ratione, pro libidine in nos impetum faciunt. S. Augustinus, Cassiodorus, & antiqua Psalteria Romana legunt, *dirigebar*, pro *direxi*; Carnutense vero, ac S. Germani, *dirigebant*.

℣. 5. EXURGE IN OCCURSUM MEUM [7], & VIDE.] Accurre in auxilium mihi; ad adjuvandum me festina: vide nequitiam, ac injustitiam eorum; cordis mei rectitudinem, & periculum, in quo versor, considera. Hæc omnia J. C. Passioni apprime conveniunt.

℣. 6. INTENDE AD VISITANDAS OMNES GENTES: NON MISEREARIS OMNIBUS, QUI OPERANTUR INIQUITATEM.] Emicet ultio tua adversus populos, qui adeo injuste nos oderunt; summa cum severitate in eos animadverte. Hoc est infelicitatis eorum vaticinium. Nehemias eadem ferme ratione orabat, Deo ostendens improbitatem Sanaballat, ac eorum, qui illi adhæserant: *Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui; converte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captivitatis. Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur*. 2. Esdr. 4. 4. 5.

Verbum *visitandi* in utramque seu bonam, seu malam partem a Scriptura usurpatur; æque & remunerari, & punire significat. Hic vero sermonis decursus nos cogit, ut in sensu posteriori intelligamus. Quando Nehemias Dominum obtestatur, ut absque misericordia inimicos suos puniat, eos impœnitentes, atque correctionis impotes esse arbitratur, ait S. Augustinus. David prænoscens futurum, ut J. C. de Cruce pro inimicis suis oraret, ait Theodoretus, Deum orat, ne illius hac in re preces audiat; sed summa cum severitate gravissimam persecutorum ejus persequatur iniquitatem. Eusebius hic animadvertit, Evangelicæ prædicationis initio, Deum pluribus flagellis Nationes visitasse, ut eas disponeret ad se se colligendum, atque Evangelii vocem audiendam. S. Augustinus in hæc verba, *non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*, animadvertit omne peccatum, vel

1 Hilar. & Psalter. Mediol. *Captaverunt animam meam*. August. *Venati sunt*. Cassiod. Psalter. Roman. an. 1508. S. German. Carnut. *Occupaverunt*. Psalter. Roman an. 1663. *Aucupaverunt*.
2 כי הנה ארבו לנפשי Hieronym. *Insidiati sunt animæ meæ*.
3 70. Ἐθήρευσαν τὴν ψυχήν μου.
4 Vide Hieronym. & Theodoret. hic. Vide & Hilar. & Athan.
5 בלי עון ירצון ויכוננו
6 Symm. Μὴ οὔσης ἀνομίας ἐπιτρέχοντες ἑτοιμάζουσί με. Ita Theodoret. Chald. & alii plerique.
7 Hilar. August. antiq. Psalter. *In occursum mihi*.

vel a pœnitente homine, vel ab ultore Deo esse puniendum. *Iniquitas omnis parva, magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante.*

℣. 7. CONVERTENTUR AD VESPERAM; & FAMEM PATIENTUR, UT CANES, & CIRCUIBUNT CIVITATEM.] Sanaballat, ac Tobias cum copiis suis non ausi plena die lacessere Judæos, eos noctu incautos aggredi meditabantur. Verum hoc præcaverat Nehemias; atque imperaverat, ut populus partim die, partim nocte excubias, vigiliasque permutarent, alternisque vicibus vel quiescerent, vel vigilarent. Ipse vero, & qui in ipsius aderant domo, jugi labore distinebantur, quin umquam vestes exuerent, ne deprehenderentur incauti 2. Esdr. 4. 22. itaque hostes, qui consilium inierant eos fallendi, ab injusto conatu secedere coacti sunt. *Dixerunt hostes nostri: nesciant, & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus . . . . & dissipavit Dominus consilium eorum.* 2. Esdr. 4. 11. 12. 15. Ita adimpletum fuit illud, quod isthic Auctor Psalmi refert: Venient noctu tamquam famelici canes, ululabunt, & circuibunt civitatem, quin ingredi possint; quoniam locos, qui nondum muris erant clausi, armari milites tutabantur.

Hebræus ad litteram [1]: *revertentur*, vel simpliciter venient [2] *ad vesperam; ululabunt*, latrabunt, *tamquam canes.*

E Patribus quidam [3] hoc de Judæis intelligunt, qui tandem errorem suum agnoscent, atque ad J. C. revertentur, cum per tot sæcula in sua pervicaci obstinatione permanserint. S. Hilarius, & Theodoretus de integra eorumdem Judæorum ruina, atque eorum in omnes terras dispersione post captam Jerusalem, ac Templum a Romanis dirutum, interpretantur. Titus eos primum oppugnavit [4], sed imperator Adrianus eos sub annum 137. expugnavit, cumque illos de Palæstina ejecerit, illis edixit, ut non solum illuc non reverterentur, sed ne procul quidem, atque ex edito loco eam auderent adspicere. Interdictum hoc Tertulliani [5], & S. Cypriani [6] tempore adhuc vigebat. S. Hilarii ævo [7] licebat quidem Judæis illuc proficisci, atque ad Jerusalem accedere, quin tamen in eam ingredi auderent. Eusebius in Psal. 48. & S. Hieronymus [8] non semel referunt edictum hoc quoad Jerusalem suis quoque temporibus viguisse; quæ omnia mirum in modum iis conveniunt, quæ hic ait Propheta: Revertentur, veluti canes, & circuibunt civitatem, quin tamen illuc ingredi audeant. Fames, de qua mox est sermo, est fames verbi Dei [9], cujus verum sensum amiserunt.

℣. 8. ECCE LOQUENTUR IN ORE SUO, & GLADIUS IN LABIIS EORUM [10], QUONIAM QUIS AUDIVIT?] Lingua eorum tamquam gladius acutus, labia eorum mortis dummodo verba proferunt. Vide similes locutiones in Psalmis 9. ℣. 7. 26. & 11. ℣. 5. & 63. 4. & 56. 5. & 119. 2. Neminem verentur. *Quis audivit?* Quis nos audit, & consilia nostra scrutari potest? Hoc pacto Providentiam negant, perinde ac non posset Deus peniriora cordis eorum pervadere; iis similes, de quibus alio in Psalmo sermo est, qui dicebant [11]: *Dominus oblitus est malum, quod fecimus, faciem suam avertit in æternum: audacter loquimur, nos domini sumus labiorum nostrorum; quis noster Dominus est?* Symmachus [12]: *se se effundunt in verba*, veluti fons, e quo affluenter aqua dimanat, *exeunt ex labiis eorum, tamquam gladii, ac si nemo intelligeret eos.* Hoc referri potest ad ea, quæ Sanaballat, ac socii illius in Samaritanorum cœtu effutiebant: *Quid Judæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num sacrificabunt, & complebunt in una die? Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt. Sed & Tobias Ammonites proximus ejus ait: ædificent, si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.* 2. Esdr. 4. 2. Vel ad verba, quæ Sanaballat Nehemiæ per nuntios dixit 2. Esdr. 6. 2. *Veni, & percutiamus fœdus pariter* &c.

℣. 9. ET TU, DOMINE, DERIDEBIS EOS; AD NIHILUM DEDUCES OMNES GENTES.] Vel potius juxta Græcæ vocis vim [13]: *Contemnes omnes gentes*; flocci eas facies, *pro nihilo habebis*, uti legunt quædam antiqua Psalteria [14]. Hebræus [15]. *Tu, Domine, deridebis eos, ac omnes gentes illudes.* Samaritanorum licet, Arabum, & Ammonitarum irrisiones, conatus, ac nequitia adversentur, Jerusalem tamen instaurabitur, & adversarii populi tui ad desperationem redigentur, atque erubescent. Eventus hæc vaticinia probavit. Scriptura sæpius ait, Deum impios [16] deridere, verum id in longe alio sensu intelligendum est ab eo, quem deridendi verbum adstruit, cum de hominibus est sermo. Deus neminem irridet, ac nemini insultat. Majestas, ac Natura illius infinite sublimior nequaquam patiuntur, ipsum ad hanc descendere consuetudinem, quæ semper quamdam æqualitatis speciem supponit, & quamdam ex aliena calamitate lætitiam. Sed permittit, ut ii eum in humilitatis statum proruant, qui ipsos irrisionibus similium sibi, atque inimicorum suorum dignos efficiat.

℣. 10. FORTITUDINEM MEAM AD TE CUSTODIAM &c.] Tibi acceptum referre debeo, quidquid sum; tibi quidquid possum, submitto. Neminem in veteri Testamento intuemur, qui minus viribus suis fretus fuerit, magisque humilitate præstiterit, Nehemia. Numquam ea, quæ fecit enarrat, quin addat, ea Domini opitulante manu, qui cum ipso erat, perfecta; in opere vero murorum Jerusalem instaurandorum, nulla alia in re magis confidit: *Indicavi fratribus meis manum Dei mei, quod esset bona mecum.* 2. Esdr. 2. 18. Et cum Sanaballat, ac socij illius, ei terrorem incutere voluere, quærentes ab eo, num ab Rege Persidis vellet deficere, simpliciter respondit 2. Esdr. 2. 20. *Deus Cœli ipse nos juvat, & nos servi ejus sumus: surgamus, & ædificemus.*

Hebræus habet [17]: *Tibi servabo fortitudinem eorum, quod Dominus est altitudo mea*, arx mea. Tibi reservabo ultionem de impotentia eorum, quoniam tu es præsidium meum. Aliter cum Vatablo: *Habet ille vim in manu; sed tu es præsidium meum; Dominus est arx mea.* Vel: Donec inimicus meus, Sanaballat exercebit potestatem suam in terra hac, in tua protectione confidam. Sed malim sequi Septuaginta, & Chaldæum [18], qui legunt: *Tibi reservabo fortitudinem meam.* Habebo te veluti firmum præsidium meum. Videtur autem Hebraicus textus parvulam hic passus fuisse immutationem, quæ sensum perturbat.

℣. 11. DEUS MEUS, MISERICORDIA EJUS PRÆVENIET ME.] Hebræus [19]: *ipse est Deus meus, misericordia ejus præveniet me* [20]. Dominus, objectum spei meæ,

1 ישובו לערב יהמו ככלב ויסבבו עיר Hieronym. *Revertantur ad vesperam, & latrent ut canis, & circumeant civitatem.* Symmach. Ἀνακάμψουσι ἑσπέρας, καὶ συνηχήσουσι ὡς κύων, κυκλεύσουσι πόλιν.
2 Vide Muis, hic. & 2. Par. 19. 8. 3 Vide August. Cassiodor. 4 Euseb. Histor. Eccle. lib. 4. c. 6.
5 Tertull. contra Jud. cap. 13. & Apolog. cap. 21. 6 Cyprian. de Idolor. vanit.
7 S. Hilar. hic. 8 Hieronym. in Sophon. 1. *Ut possint ruinas suæ deflere civitatis pretio redimunt.*
9 Euseb. Hilar. Athanas. 10 Hilar. *Gladius in ore eorum.* 11 Psal. 10. secund. Hebr. vers. 4. 10. 11. & 11. 5. 12 Sym. Αὐτοὶ μὲν ἀποβλύζουσι τοῖς στόμασιν αὐτῶν, ὡς μάχαιραι τοῖς χείλεσιν αὐτῶν, ὡς οὐδενὸς ἀκούοντος. 13 Ἐξουδενώσεις πάντα τὰ ἔθνη. Symmach. Ἐπιγελάσεις πᾶσι τοῖς ἔθνεσι.
14 August. Arnob. Hilar. Hieronym. in Comment. Cassiodor. Psalter. Roman. Mediol. Sanct. German.
15 ואתה יהוה תשחק למו תלעג לכל גוים 16 Psal. 59. 13. 72. 20. 78. 65.
17 עזו אליך אשמרה כי אלהים משגבי 18 Legerunt עזי, *Fortitudo mea*, pro עזו. Vide Genebr. Muis, Druf. Hamm. 19 אלהי חסדו (vel חסדי) יקדמני 20 Ita legit Hieronym. ad Suniam. Nonnulli vetusti codices, habebant: *Voluntas ejus præveniet me.*

meæ, Deus, qui suis me cumulat donis, me sua præveniet gratia. Præveniet postulata mea, ac desideria, inquit Theodoretus.

℣. 12. DEUS OSTENDET MIHI SUPER INIMICOS MEOS [1]: NE OCCIDAS EOS; NE QUANDO OBLIVISCANTUR POPULI MEI.] Vel potius juxta Hebræum [2]: *ne occidas eos*, Deus, *ne* nimis cito *obliviscatur populus meus* supplicii eorum. Diu iræ tuæ pondus sustineant; non celeri, ac immatura morte abripiantur. Diuturnum supplicium ferant [3], ne populus meus obliviscatur aliquando effectuum ultionis tuæ, sed te vereri, tua formidare judicia, suam in te spem collocare percipiat. Ad id enim prosunt supplicia, quæ Deus in hac vita adversus peccatores exercet. Patres hoc explicuerunt [4] tamquam orationem aliquam contra Judæos. Domine, ne disperdas penitus populum hunc impium: ex eis quosdam ad nos erudiendos, atque ut populo tuo sint exemplo, conserva. Disperge illos in omnes terrarum plagas, ut fideles tui legum tuarum minime obliviscantur. Prisci [5] enim legebant: *Nequando obliviscantur legis tuæ*, pro: *nequando obliviscantur populi mei*. Judæi autem in omnes terras dissipati, certissimi testes sunt Legis Jesu Christi, institutionis Ecclesiæ illius, ac ultionis Domini [6]. *Ut ejus ipsius, cujus fuerunt negatores, persecutores, interfectores, ubique sint testes, per ipsam Legem, quam nunc obliviscuntur: in qua est ille prophetatus, quem non sequuntur.*

℣. 13. DISPERGE ILLOS IN VIRTUTE TUA, & DEPONE EOS, PROTECTOR MEUS, DOMINE.] Ne occidas illos, sed eos dumtaxat dissipa, atque humilia, ut errorem suum agnoscant, ac revertantur ad te. Hebræus vehementior est [7]: *Agita eos in virtute tua*, subverte, in fugam conjice extorres, ac vagi vivant; *& prosterne eos*, vel, *destrue illos*, cum Divo Hieronymo, *o Domine, qui es clypeus noster*. Symmachus [8]: *transfer illos* in regionem extraneam, *virtute tua, & destrue eos, Domine, protector noster*. S. Hilarius, antiqua Psalteria, Romanum, Mediolanense, ac S. Germani: *Disperge eos in virtute tua, & destrue eos, protector &c.* S. Augustinus: *Disperge eos.... & depone &c.* Haberi hoc potest Rhetoricum schema, quod Correctio vocatur ℣. 9. *Domine, ne occidas eos, ne populus meus tui obliviscatur*, vel *non obliviscatur supplicii eorum*. Verum quid dixi? *Disperde eos, dissipa*, contere eos in virtute tua, ut brachii tui pondus sentiant. Idem ferme ajebat Isaias 26. 11. *Domine exaltetur manus tua, & non videant: videant, & confundantur zelantes populi.*

His tamen explicationibus fateor non omnem tolli hujus locutionis difficultatem: *Domine, ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei. Disperge illos, depone eos* &c. Qua ratione ductus Nehemias hostium suorum mortem deprecetur, non video; cum eodem tempore Deum obtestetur, ut eos dispergat, conterat; neque aliam adferat rationem, nisi hanc, *ne obliviscantur populi mei*, vel *ne eorum populus meus obliviscatur*. Nihil autem hac in re satis distinctum video. Ita tamen reddi possent versiculi 12. & 13. *Deus meus præveniet me miserationibus suis, earum mihi præbebit specimen in ultione, quam adversus hostes meos exercebit. Domine, occide eos [9], ne lacessant populum meum* [10] (℣. 13.) *disperge eos in virtute tua, & contere illos, Deus, clypeus meus*. Orationem hanc cum ea confer, quæ legitur in Nehemia 2. Esdr. 4. ℣. 4. 5.

℣. 14. DELICTUM ORIS EORUM, SERMONEM LABIORUM IPSORUM; & COMPREHENDANTUR &c.] Propter scelus, quod ex ipsorum ore prodiit, ac sermones labiorum eorum, deprehendantur in superbia sua. Ita Chaldæus, ac Interpretum plerique [11] hunc locum intelligunt. Supplent *propter*, vel *in pœnam* pravorum sermonum ipsorum. Alii [12] hoc explicant pacto: Sermones ipsorum sunt peccatum, ac tot scelera patrant, quot verba pronuntiant. Cassiodorus, & Romana Psalteria legunt: *delicta oris eorum, sermo labiorum*. Symmachus [13] id cum præcedentibus addit: *Destrue illos in pœnam sceleris oris eorum, ac sermonum labiorum ipsorum, & qui mendacium, atque imprecationem proferunt, deprehendantur in superbia sua*. Eusebius, S. Augustinus, Theodoretus, S. Hieronymus id explicant de Judæis, quorum calamitas profecta est a nefariis vocibus, quas coram Pilato protulerunt, minitabundi petentes, ut ipsis traderetur J. C. licet ab eo innocens agnosceretur.

℣. 15. ET DE EXECRATIONE, & MENDACIO, ANNUNTIABUNTUR IN CONSUMMATIONE: IN IRA CONSUMMATIONIS &c.] De Judæis intelligitur, qui scelere uno omnium maxime gravi se inquinarunt, falso Jesum Christum accusantes, eumque injuste damnari volentes, atque in furoris excessu dicentes: *sanguis ejus super nos, & super filios nostros* Matth. 27. 15. Omnibus sæculis injusta illorum crudelitas, execratio, blasphemia, in se ipsos imprecatio, cum se necis hujus auctores jactitarunt, prædicabitur. Fœdissima sceleris eorum immanitas præsertim apparuit *in die consummationis*, & ultionis, cum Jerusalem a Romanis capta fuit, atque tempore dispersionis eorum, quod adhuc subsistit. Intelligi quoque potest de Nehemiæ, ac Judaici populi hostibus. Deus puniet ipsos ob mendacium, atque dolum eorum; omnes illorum nequitiam, improbamque fidem agnoscent. Latinus Textus in antiquiis Psalteriis [14] est valde obscurus, & longe differt a Vulgata, neque inde ad loci hujus explicationem lux aliqua accedere potest.

En Hebræum [15]: *Quandoquidem maledicta, & mendacia tantummodo proferunt, dele eos in ira tua, diripe eos, & non sint amplius* [16]. Vel, omnium fabula fiant, ac *omnes de iis loquantur veluti de hominibus invisis, ac male confectis. Dele eos in furore tuo, extermina illos.*

℣. 16. ET SCIENT, QUIA DEUS DOMINABITUR JACOB [17] &c.] Cum hostes Nehemiæ intellexissent, licet

---

1 Sym. Τοὺς ἀποτειχίζοντάς με. *Qui me expellunt ex suis urbibus; vel qui mœnia mea diruerunt*. וראני בשוררי
2 אל תהרגם פן ישכחו עמי 3 Chald. *Ne occidas eos subito, ne forte obliviscatur populus meus*. Ita Muis, Tig. Vat. Geier. alii passim. 4 August. Hieronym. Euseb.
5 S. Hilar. *Deus ostendit mihi inter inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliviscantur Legis tuæ*. August. *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis, ne occidas eos: Nequando obliviscantur Legis tuæ*. Psalter. Mediol. *Ostende me inter inimicos meos... Nequando obliviscantur Legis tuæ*. Psalter. Roman. *Deus meus, ostende mihi bona inter inimicos meos, ne occideris eos, nequando obliviscantur Legis tuę*. 70. Edit. Rom. & Complur. Μὴ ποτε ἐπιλάθωνται τοῦ νόμου σου. Th. τοῦ λαοῦ μου. Ita & 70. apud Hieron. ad Suniam. Sym. Τοῦ νόμου σου. Euseb. Τοῦ λαοῦ σου.
6 Aug. Ep. 149. nov. Edit. n. 9. 7 הניעמו בחילך והורידמו מגננו ארני
8 Symmach. Ἀνάστατον ποίησε τῇ δυνάμει σου, καὶ καθελε αὐτοὺς, ὑπερασπιστὰ ἡμῶν Κύριε. 70. Διασκόρπισον, & κατάγαγε &c. 9 Lego, *El*, *eharghem*, pro, *Al eharghem* אל תהרגם
10 Verbum שכח quod vulgo significat *oblivisci*, usurpatur etiam pro *invadere*.
11 Ita Athanas. Theodoret. Hieronym. Muis, Varab. Pagn. Munst. Castal. Ezra, alii.
12 Geier. Hammond. 13 Symmach. Καθελε αὐτοὺς.... τῇ ἁμαρτίᾳ τοῦ στόματος αὐτῶν, τῷ λόγῳ τῶν χειλέων αὐτῶν, συλληφθήτωσαν μετὰ τῆς ὑπερηφανίας αὐτῶν, Ἀρὰν καὶ ψεῦδος λαλοῦντες.
14 August. *De maledicto, & mendacio annuntiabuntur consummationes in ira consummationis, & non erunt*. S. Hilar. *Convellentur consummatione, consummatio in ira consummationis, & non erunt*. Psalter. Rom. *Compellantur in ira consummationis &c.* Mediol. *Compellentur in consummatione, in ira consummationis*, &c. S. German. *Convellentur, consumantur in ira consummationis*, &c. 15 ומאלה ומכחש יספרו כלה בחמה כלה ואינמו
16 Ita Chald. Syr. Sym. Ἀρὰν καὶ ψεῦδος λαλοῦντες συντέλεσον, ἐν θυμῷ ἀνάλωσον, ἵνα μὴ ὦσιν.
17 Hilar. *Et scient, quia Deus Jacob dominatur finium terrę*. Ita Hieron. ad Suniam, sic legit: *Scient, quia Deus dominabitur Iacob, finium terræ*. Et conjunctio addita est; & ordo est: *Scient, quia Deus Iacob dominabitur finium terrę*.

cet ipsi summa ope obstitissent, muros Jerusalem fuisse perfectos, terror illis incessit, ait Scriptura; Nationes omnes finitimæ trepidaverunt, atque hoc Dei opus esse intellexerunt 2. Esdr. 6. 16. *Factum est, cum audissent inimici nostri, ut timerent universæ Gentes, quæ erant in circuitu nostro; & conciderent intra se ipsos, & scirent, quod a Deo factum esset hoc opus*. Judæi post Jesu Christi Resurrectionem, atque Ecclesiæ institutionem coacti sunt Deo gloriam reddere, & manus illius potestatem fateri. Ii omnes, qui erant præordinati ad vitam, crediderunt; sed alii in obstinatione sua obduruerunt.

℣. 17. CONVERTENTUR AD VESPERAM &c.] Vide ℣. 6. Sanaballat videns urbem Jerusalem mœnibus clausam, neque ullos hiatus murorum conspiciens, jam de spe lapsus, futurum ut vi potiretur viro forti Nehemia, eum per proditionem de medio tollere decrevit. Quater usque per legatos illum invitavit, ut in Ono descenderet [1], ubi fœdus communiter feriretur. Sed cum Nehemias se se excusasset, ad eum scripsit, per Gentes rumorem exiisse, & Gossem retulisse, illum ac Judæos ab Rege deficere voluisse; hoc consilio muros Jerusalem instaurasse; accusari quoque, quod Prophetas subornasset, qui in populo dicerent: In Judæa nunc Rex est: ipsi metuendum esse, ne hæc fama ad

A Regis Persarum aures perveniret, quod ut malum averteret, opus esse, ut ipsum conveniret, atque amicitiam secum instauraret. Hoc autem Nehemias appellat circuire civitatem, tamquam famelicum canem, quin possit vel civitatem ingredi, vel saturari; sed frustra tantum ululare, atque latrare. *Si non fuerint saturati, & murmurabunt*. Vel cum Symmacho [2]: *Sunt veluti canes urbem circumeuntes, qui undique currunt, ne noctem jejuni transigant*. In spirituali sensu intelligi potest de Judæis dispersis, qui frustra saturari quærunt Sacrorum Bibliorum lectione, cujus veram significationem amisere, J. C. rejicientes, qui finis est, & consummatio legis totius, ac Prophetarum.

℣. 19. EGO AUTEM CANTABO FORTITUDINEM TUAM, & EXALTABO MANE MISERICORDIAM TUAM [3].]
B Post tot omnipotentis misericordiæ tuæ argumenta, Domine, atque tot protectionis tuæ effectus in me, & sanctam civitatem tuam, quam ex hostium nostrorum contumeliis eripuisti, nonne tibi gloriam omnem acceptam referre debeo, & ubique annuntiare misericordiam, ac fortitudinem tuam? Annuntiabo eas *mane*. Sedula cura quamprimum hoc munere perfungi curabo.

℣. 21. DEUS MEUS MISERICORDIA MEA.] Deus, a quo tot clementiæ, atque misericordiæ effectus accepi.

---

1 2. Esdr. 6. 2. & seq. 2 Symmach. Ὡς κύνες περιερχόμενοι πόλιν. Ῥεμβόμενοι ἵνα μὴ ἀχόρταστοι αὐλισθῶσι. 3 August. *Cantabo potentiam tuam, & exultabo mane misericordia tua*. Hilar. *Cantabo virtuti tuæ*, &c.

PSALMUS LIX.

Luget Psalmista, quod Deus populum suum afflixerit, eumque obtestatur, ut ipsum liberet, votique damnet. Divino autem favente auxilio sibi pollicetur victoriam de Sichem, Galaad, Manasse, Ephraim, Moab, Idumæa, & Philisthiim.

In finem: Pro his, qui immutabuntur. In tituli inscriptionem ipsi David in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ, & Sobal, & convertit Joab, & percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.

ARGUMENTUM.

Creditur vulgo David Psalmum hunc composuisse, cum post devictam Syriam, Moabitidem, atque regionem Philistiim, misit Joab Idumææ infesta arma illaturum. Sed cum attentius ad examen tituli verba vocantur, cumque Regum, & Paralipomenon historia conferuntur, non modicæ diversitates deprehenduntur. Primo, ait, Davidem succendisse *Mesopotamiam*, quod nullibi aperte in Regum libris refertur; ubi equidem legimus ab eo fusas, fugatasque auxiliares copias, quæ ex transeuphratæa regione Regi Adarezer, atque Ammonitis opem attulerant, ac terram illam Davidi deinde vectigalem fuisse [1]. Et Hebræus textus [2], qui vertitur, *succendit*, significat potius, *prælio fudit*, vicit. Secundo, dicitur Joab *percussisse Idumæam in valle Salinarum, ac duodecim millia virorum* ab eo cæsa fuisse, quod primo Paralipomenon libro 18. 12. adversatur, qui Abisai, filium Sarviæ, hanc retulisse victoriam narrat, & non duodecim, sed duodeviginti Idumæorum millia eo in prœlio cecidisse. Immo in 2. Regum 8. 13. victoria hæc Davidi attribuitur, uti mos est Regibus adscribere eos triumphos, quos de hostibus imperatores eorum reportant. Verum hoc minime obest, quominus similem quoque Joab victoriam de populo eodem retulerit; & Scriptura 3. Reg. 11. 15. aperte ait, Joab missum ad contumulandos Idumææ mortuos, ibi mares omnes, quotquot invenit, obtruncasse. Ita fieri potest, ut victoria, de qua hic sermo, ea sit, quam Joab retulisse, locus allatus testatur. Chaldæus discrimen duodecim, ac duodeviginti millium conciliaturus, ait duodecim ea millia fuisse Hebræorum, qui de exercitu David, & Joab ceciderunt.

Non igitur difficultates, quæ in titulo occurrunt, me impellerent, ut sensum, quem titulus exhibet, relinquerem; sed eæ, quæ in ipso Psalmi hujus decursu inveniuntur, longe majoris momenti mihi videntur; neque dimoveri possum, quominus cum Euthymio, ac Theodoreto hoc esse Canticum rear, quod Babylonis captivi cecinerunt. Primo quidem, magnam animadverte similitudinem inter Psalmum hunc, & Psalmos 43. 10. 73. 1. 88. 39. 107. & 136. ℣. 8. 9. qui eodem captivitatis tempore fuerunt conscripti.

---

1 2. Reg. 10. 16. 19. & 1. Par. 19. 19. 2 בהצותו את ארם 70. legerunt, בהציתו

scripti. Secundo, describitur hic Israel in agitationis, tumultus, ac desolationis statu, quod nullatenus conguit tempori, quo David bella suscepit, de quibus in titulo sermo est. Tertio, cum David bellum hoc intulit Idumææ, jam dominus erat Sichem, Socoth, Ephraim, ac Manasse; Psalmi vero hujus auctor sibi promittit dumtaxat victoriam, atque possessionem regionum illarum. Quarto denique a Domino petit, ut dilectos suos liberet, eosque de oppressionis jugo eripiat, atque, ut olim, dignetur exercitum Israel præcedere; quod naturaliter ad captivum populum libertatem, reditumque suum postulantem refertur.

Quoad verba titulum componentia, hunc illis sensum juxta Hebraicum textum appingimus [1]: *Testimonium ad erudiendum dicatum Moderatori Musices cum instrumento decachordo concinendum; & Davidis nomine inscriptum, cum Syrum duorum fluviorum delevit*, vel populos Mesopotamiæ, *& Syrum Soba; & cum Joab reversus est, & percussit Edom in valle Salinarum, & occidit duodecim millia virorum*. Syria Soba est *Cælesyria*, vel Syria cava. Pleraque veterum Exemplarium tum Græcorum, cum Latinorum legunt [2]: *Mesopotamiam Syriæ, et Syriam Sobal*. Nomen *Testimonii ad erudiendum* hoc in loco æquivalet nominibus Cantici, Psalmi, monumenti ad erudiendum appositi. Qui Psalmos collegit, hunc Davidis nomine inscripsit, conjectans, iis in circumstantiis, quas in titulo expressit, fuisse compositum. Verum simplex illius auctoritas tanti non est; & S. Hilarius, S. Augustinus, ac Theodoretus non dubitarunt fateri, Psalmi titulum nullam habere cum materia Psalmi rationem. Si titulo hærere vellemus, Canticum hoc Epinicion esse deberet, atque lætitiæ cantus: sed ubique ferme conqueritur auctor, quod Deus populum suum dereliquit, neque ut alias, benigne cum ipso operatur. Vide Eusebium hic.

Venerabilis Beda hunc ad Macchabæorum tempus refert. Syrus putat, a Davide fuisse compositum, cum defatigatus persecutionibus Saulis apud Philisthæos se recepit [3]. S. Hilarius putat, hunc conscriptum fuisse, cum Propheta Nathan prædixit, Messiam de semine David nasciturum. Sed Nathan hæc vaticinatus est earum victoriarum tempore, quæ in titulo innuuntur. S. Augustinus, & S. Hieronymus eum ad Jesum Christum, & Ecclesiam ejus referunt. Eusebius, & S. Athanasius has esse putant Judaici populi propter scelus suum in Jesum Christum per omnes Gentes dispersi querimonias. Muis Psalmum hunc *Carmen excellentissimum* vocat.

1. DEus repulisti nos, & destruxisti nos: iratus es, & misertus es nobis. 2
Commovisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia
commota est. 3 Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compun-
ctionis. 4 Dedisti metuentibus te significationem: ut fugiant a facie arcus. 5 Ut
liberentur dilecti tui: salvum fac dextera tua, & exaudi me. 6 Deus locutus est
in sancto suo: Lætabor, & partibor Sichimam, & convallem tabernaculorum me-
tibor. 7 Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim fortitudo capitis
mei. 8 Juda rex meus: Moab olla spei meæ. 9 In Idumæam extendam calcea-
mentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt. 10 Quis deducet me in civitatem
munitam? quis deducet me usque in Idumæam? 11 Nonne tu, Deus, qui repu-
listi nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris? 12 Da nobis auxilium de
tribulatione: quia vana salus hominis. 13 In Deo faciemus virtutem: & ipse ad
nihilum deducet tribulantes nos.

℣. 1. DEUS, REPULISTI NOS, ET DESTRUXISTI NOS &c.] Fatemur, Domine; scelera nostra justæ iræ tuæ effectus nobis promeruere. Nosmet Gentibus tradidisti, atque destruxisti. Juda, ac Israel populi olim adeo frequentes, ac validi, modo in turpissimam captivitatem, ac servitutem redacti sunt, populorum opprobrium, atque Nationum fabula. Sed tu ipse, Deus meus, qui nos percussisti, nos etiam sanabis; ac tua nos misericordia recipiet, quos tua justitia punivit. Tu noster medicus es, Salvator noster; nobis mortem intulisti, & nos quoque ad vitam revocabis. *Ego occidam, et ego vivere faciam: Percutiam, et sanabo* Deut. 32. 39. In spirituali sensu: Deus iratus est nobis, & misertus est nostri. Iratus quidem, omnes homines propter unius culpam condemnans, misertus vero, J. C. tribuens, qui malum hoc reparavit, nobisque gratiam, & justitiam contulit superabundantem. Vide S. Hilarium in hunc locum, & S. Paulum Rom. 5. ℣. 9. 10. & seq.

Hebr. [4] *Domine repulisti nos, et dispersisti*, in frusta concidisti; *ira tua accensa est, revoca nos*, fac, ut de exilio nostro revertamur. Vel [5]: *iratus es, ad nos redi*, nobis tuam gratiam redde. Aquila [6]: *iratus es,* A *et nos subvertisti*. Symmachus [7]: *succensuisti, et nos* in varias terras *dispersisti*. Hæc omnia in hypothesi captivi populi commode satis explicantur; non item vero de statu Hebræorum sub florenti David imperio.

℣. 2. COMMOVISTI TERRAM, & CONTURBASTI EAM: SANA CONTRITIONES EJUS, QUIA COMMOTA EST.] Auctor audaci sublimis Poeseos conatu, Judæam nobis exhibet, veluti personam, quæ violenter deturbata in lapsu suo penitus contrita est. Assyrii, & Chaldæi Judæam igni, ferroque vastarunt, Jerusalem, ac Templum demoliti sunt; miserabilis ea regio hodie inculta est, ac diruta. Judæa olim adeo florens, hodie in squalore jacet, neque consurgere potest propter gravissima vulnera, quibus pene confossa est.

℣. 3. OSTENDISTI POPULO TUO DURA; POTASTI B NOS VINO COMPUNCTIONIS [8].] Effecisti, ut acres scelerum nostrorum stimulos experiremur. Tamquam rebelles filios, inobedientes, fugitivosque servos nos male mulctasti. Nos alienigenis populis venum dedisti, atque in vincula conjecisti: Iræ tuæ vino, calice illo, quem iniquis omnibus perporandum tradis, nos inebriasti [9]. Hebræus [10]: *Dura*, severe *populum tuum excepisti*, effecisti, ut terribiles tuæ indignationis effectus

1 למנצח על שושן עדות מכתם לדוד ללמד בהצותו את ארם נהרים ואת ארם צובה וישב יואב ויך את אדום בגיא מלח שנים עשר אלף 2 Ita 70. Theodoret. Hilar. August. Psalter. Roman. Mediol. Carnut. S. Germ.
3 1. Reg. 27. 4 אלהים זנחתנו פרצתנו אנפת תשובב לנו
5 Chald. Pagn. Jun. Muis, Munst. 6 Aquil. Θυμωθεὶς μετέστρεψας ἡμᾶς. 7 Symmach. Ὠργίσθης, καὶ περιέαγες ἡμᾶς. 8 August. *Vinum stimulationis*. 70. Οἶνον κατανύξεως. Aquil. Οἶνον καρώσεως. *Vino soporationis*. Symmach. Οἶνον σάλου. *Vino conturbationis*. 9 Vide Jerem. 25. 15. Isai. 51. 7. Psalm. 74. 9. 10 הראית עמך קשה השקיתנו יין תרעלה

ctus experiretur: *Jussisti nos bibere vinum turbatum*, fæcibus suis permixtum. Vinum hoc gravissimorum scelerum noxiis destinatum est, illud ad fæces usque, extremamque guttam ebibere coguntur [1], dum in jucundis convivlis, quæ Deus suis amicis insternit, merum illis præbet mundum, atque defæcatum. *Convivium vindemiæ defæcatæ* Isai. 25. 6. Nonnulli id explicant de vino medicamentis quibusdam ad soporem immittendum permixto, quod sontibus ante supplicium tribuebatur, ut doloris sensus illis adimeretur. Vide, quæ adnotata sunt in Amos 2. 8. ac in S. Matthæum 27. 34. & Marcum 15. 23. *Myrrhatum vinum*. Alii legunt *vinum virulentum*, vel mortiferum; ad litteram, *vinum tremoris* [2].

℣. 4. DEDISTI METUENTIBUS TE SIGNIFICATIONEM, UT FUGIANT A FACIE ARCUS, UT LIBERENTUR DILECTI TUI.] Olim, Domine, ac felici tempore, cum gratia tua fruebamur, nihil ab hostibus nostris verebamur: eos a nobis per potentiam tuam semovebas, vel dilectis tuis signum tribuebas, ut aufugerent, atque a telis furoris eorum se se protegerent. Aliquid hodie pro nobis aggredere, o Deus; expedi brachium tuum, & salva nos: *Salvum fac dextera tua, et exaudi me*. Propheta videtur isthic alludere ad ea, quæ belli tempore apud Hebræos fieri consueverant. In montibus quædam nautici mali species erigebatur, cumque ad arma concurrendum esset, vel hostes irruerent, vexillum in mali vertice elevabatur [3], ut populus fugere posset, ac in montes, vel in locos situ munitos se se recipere. S. Hieronymus signum hoc de illo explicat, quod in Baptismate accipimus; Eusebius, Theodoretus, & S. Athanasius de Confirmatione, vel Crucis signo, quod in frontibus nostris imprimitur, intellexerunt.

Hebræus [4]: *Dedisti metuentibus te signum*, vel *vexillum, ut fugiant propter veritatem*, vel a facie veritatis; *ut amici tui liberentur*. Verum quid sibi vult hoc *fugere a facie veritatis*, vel *propter veritatem*? Hoc nempe, juxta Chaldæum, propter promissionum tuarum veritatem. Vel: eos liberabis per veritatem tuam. Sed longe præstat sequi lectionem Septuaginta, Syri, S. Hieronymi [5], & antiquorum Interpretum [6], qui non secus ac Vulgata legerunt, *a facie arcus*. Discrimen omne in Hebræo positum est in ratione, non legendi, sed scribendi *Keshet*. Cum *theth* in fine veritatem significat, cum *thau* arcum [7]. Ita igitur locum hunc reddo: Olim signum dedisti, ut nos sub vexillo tuo congregares, ut hostium nostrorum tela evitaremus; ut *dilecti tui arma corriperent* [8], ac se se tutarentur adversus illos, qui vim accederent illaturi. Hodie, Domine, hoc ipsum nobis præsta. Tuere nos in fortitudine brachii tui. Vel potius, præcedentibus subnectendo: Nos, Domine, summa cum severitate mulctasti; inebriasti nos vino trepidationis. Sed tandem malorum nostrorum misertus signum extulisti, ut nos de inimicorum nostrorum manibus educeres. Vide Isaiam 11. 12. *Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel*.

℣. 5. SALVUM [9] FAC DEXTERA TUA, & EXAUDI ME.] Vel cum Hebræo [10]: *Salvam fac dexteram tuam, et exaudi me*. Salva populum tuum, *populum dexteræ tuæ*, quem in virtute brachii tui redemisti de Ægypto; populum hunc, quem elegisti, & protexisti. Vel potius: Salvum fac de captivitate illum, qui esse debet *homo dexteræ tuæ*. Hæc eadem est oratio, ac illa, quam Asaph in captivitate faciebat: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi* Psal. 79. 18. Hic populi liberator, vel Cyrus erat, vel Zorobabel. In sensu vero sublimiori est J. C. in Scripturis *Patris dexteræ* nuncupatus. Vide Eusebium

℣. 6. DEUS LOCUTUS EST IN SANCTO SUO.] Psalmi auctor hic relevat spes suas propter ea, quæ Prophetæ polliciti fuerunt Judæ, futurum ut aliquando in patriam suam reverteretur, & antiquæ hæreditatis suæ possessionem repeteret. Memini, Domine, te Prophetis tuis dixisse post elapsum quorumdam annorum intervallum, populum tuum patriæ suæ iri restitutum [11]: *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum*. Per hæc verba: *in sancto suo*, intelligi potest; Sanctuarium, Templum, propheta, vel J. C. ipse, ut vult Eusebius, ac S. Hieronymus in Psal. 107. 7.

PARTIBOR SICHIMAM, & CONVALLEM TABERNACULORUM METIBOR.] Partiri, ac metiri terram verba sunt proprietatis, ac dominii. Dominabor regioni Samariæ, ubi erat Sichem, ac terræ trans Jordanem, ubi erat vallis *Socoth*, vel Tabernaculorum. Juda non restituetur solum in Jerusalem, ac intra fines antiquos, verum imperium suum in Samariam, atque in regiones trans Jordanem extendet. Verbo, secessio inter Juda, ac Israel cessabit, nullum amplius erit inter tribus dissidium, sed iterum sub Juda congregabuntur. *Juda Rex meus*. Hæc omnia ad litteram adimpleta sunt post reditum de captivitate; quemadmodum satis aperte prophetæ promiserant [12]. Hoc autem figura erat conversionis alienigenarum gentium ad J. C. fidem, & earum in Ecclesia Christiana conjunctionis.

℣. 7. MEUS EST GALAAD, & MEUS EST MANASSES; & EPHRAIM FORTITUDO CAPITIS MEI.] Galaad terram trans Jordanem designat. Montes cognomines terras Israel in orientali plaga claudebant. Manasses, & Ephraim pro Tribubus omnibus, quæ diutius adeo a Juda secretæ fuerant, usurpantur. Judæi de captivitate reversi veterem possedere terram, quæ patribus illorum paruerat, & novos adhuc recens acquisitos agros iis addidere. Post Macchabæos præsertim eorum imperium in Samariam ultra Jordanem protensum est, in Idumæa, in Moabitide, ac terra Philisthiim, ut paulo infra enarratur. Psalmi auctor ait *Ephraim esse capitis sui fortitudinem* [13]: hoc est Tribum hanc illi suppeditasse milites maxime omnium strenuos, atque Duces scientia rei militaris maxime insignes. Vel, Ephraim esse robur, ac fulcrum Regni sui. Hoc autem perfectam unionem, integramque submissionem significat. Post Captivitatem nullum amplius discrimen fuit inter Ephraim, & Juda. Quoad dominationem, ac regimen Juda semper præfuit universo populo, qui de captivitate reversus est.

℣. 8. JUDA REX MEUS.] Auctor Psalmi semet considerat veluti nationis corpus repræsentantem. Juda præest omnibus Tribubus. Hebræus [14]: *Juda est legislator meus*, leges imponit, jubet, absoluta cum auctoritate gubernat. Zorobabel caput tribus Juda, & domus David se ducem præbuit populo de Babylone revertenti. Psalmista hic videtur alludere ad ea, quæ dicuntur in Genesi 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium*. Juda, ut Patres censent, J. C. designabat. Divinus hic Salvator ex hac Tribu prodiit, ipse Rex est populi antea captivi, mox vero redempti, atque simul conjuncti. Ille ipse nos in promissæ terræ possessionem adducit. Aquila vertit [15]: *Juda exaltus est examinator meus*: similiter & Theodotion [16]. Symmachus [17]: *Juda est imperator meus*, ipse meo nomine imperat.

MOAB OLLA SPEI MEÆ.] Sortes nonnumquam mittebant-

1 Psal. 74. 9. 10. 2 רעל In Linguis Orientalibus proprie significat *tremere*.
3 Vide Isai. 5. 26. 11. 12. 18. 3. 30. 17. 33. 23. *Sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queat*.
4 נתתה ליראיך נס להתנוסס מפני קשט למען יחלצון ידידיך 5 Hieronym. *Dedisti metuentibus te signum, ut fugiant a facie arcus*. 6 Nemo Patrum, quod sciam, in antiquis interpretibus Græcis varietatem notat in hunc locum. 7 קשט *Veritas*, קשת *arcus*. 8 חלץ significat *armare*. In hoc sensu usurpatur a Syriaca. 9 August. *Salvum me fac*. 10 הושיעה ימינך ועננו
11 Jerem. 25. 11. 12. 29. 10. 12 Isai. 11. 13. 51. 11. Jerem. 31. 8. 16. 17. 21. & passim.
13 מעוז ראשי Sym. Κραταίωσις τῆς ἀρχῆς μου. 14 יהודה מחקקי 15 Aquil. Ἰούδας ὁ ἀκριβαστής μου.
16 Theodot. Ἰούδας ἀκριβαζόμενός μου. 17 Sym. Ἰούδας ὑποτάσσων ὁ ἐμός.

tebantur in vas aqua repletum. Fertur quidam pro lapide nomen suum præferente, uti alii consueverant, in vas jecisse terræ mollis globulum; qui solutus non rediit amplius inde; ideoque melior pars illi, qui hunc jecerat, cessit. Ad hanc fortasse veterem consuetudinem isthic Psalmi auctor alludit. A

Hebræus[1]: *Moab est lebes lavacri mei*. Est vas, in quo abluor, labrum balnei mei. In Templo Domini Sacerdotes se se in capacioribus æneis vasibus abluebant. Alii id intelligunt de pelvi ad pedes abstergendos, uti olim vulgo, præsertim post iter emensum consueverat. Alii[2] hoc de matula intelligunt. Hæc omnia innuunt, ipsum Moabitas submissurum, eosque veluti mancipia vilissima excepturum. Symmachus[3] eumdem sensum, ac Septuaginta secutus est. *Vas et fiduciæ meæ*. Verbum *rachac*, quod Hebraice abluere significat, Syriace[4] pro *confidere* usurpatur. Moabitæ post Macchabæos Judæ paruerunt[5]. B

℣. 9. IN IDUMÆAM EXTENDAM CALCEAMENTUM MEUM.] Illuc arma feram, eamque vincam. *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam*; ajebat Dominus Josue, & Israelitis Deut. 11. 24. Chaldæus: *Statuam pedem super guttur Idumæis*. Alii: præbebo Idumæis soleas meas dissolvendas, ipsi mihi calceos detrahent, ac vilissimorum mancipiorum munere fungentur. Aliter; iis tradam soleas meas deferendas, quemadmodum olim cum servis fieri consueverat[6]. Demum non desunt, qui putent, extendere pedem in Idumæam, esse quamdam adeundæ possessionis rationem. Vetus hic mos hodie quoque vigere perhibetur. Cum Alexander Magnus in Asiam exercitum suum traduxisset, simulac prætoria navis ad oram appulit, telum emisit, tamquam bellum Asiæ indicturus, ac prior in littus prosiluit armatus, ac præ gaudio saliens, veluti regionis illius possessionem aditurus[7]. *Cum delati in continentem essent, primus Alexander jaculum velut in hostilem terram jecit, armatusque de navi triumphanti similis prosiluit; atque ita hostias cædit, precatus, ne se Regem illæ terræ invitæ accipiant*. Hircanus Idumæa potitus est, Idumæosque ad Circumcisionem suscipiendam coegit[8]. C

MIHI ALIENIGENÆ SUBDITI SUNT[9].] Alienigenarum nomine, Septuaginta, ac Latini Interpretes, qui Versiones juxta illorum textum concinnarunt, Philisthiim intelligunt. In Psalmo 107. 10. qui huic similis est, reddunt; *Mihi alienigenæ amici facti sunt*; qui verus est Hebraici textus in hoc loco sensus[10]. *Palæstina mecum fœdus feriet*; vel, *feri fœdus meum*; vel juxta Syriacam versionem; *Emittam clamores lætitiæ super Palæstinam*. De Philisthiim triumphum agam. Populi hi a Macchabæis, eorumque successoribus fuere devicti[11].

℣. 10. QUIS DEDUCET ME IN CIVITATEM MUNITAM?] Quænam sit hæc munita civitas, quilibet juxta sibi propositam sententiam conjectando assequi adnititur. Alii hanc Idumeæ caput esse putant, urbem Petram, situs sui robore insignem. Alii de Bozra in Arabia versus montes Galaad interpretantur; alii de *Rabba*, vel Philadelphia Ammonitarum Metropoli; Chaldæus de Tyro Phœniciæ principe. Nos vero simpliciter explicamus de Jerusalem, aliisque locis, de quibus supra fuit sermo. Verum quomodonam vos caram patriam vestram revisuros confiditis? Quomodonam captivus, desolatus, dispersusque populus spem hanc potest concipere? Quomodo in ditionem suam redigere Sichem, Galaad, urbes Manasse, & Ephraim? Quomodo Palæstinam, atque Idumæam submittere? Quis vires suppeditabit, quibus difficile adeo opus aggrediamur? Tu, Domine, promissiones tuas explebis. Tuo freti præsidio hæc meditamur. Patres[12] nomine *civitatis munitæ* Ecclesiam intelligunt. S. Hilarius, S. Augustinus, & antiqua Psalteria[13] legunt: *Quis deducet me in civitatem circumstantiæ?* Urbem mœnibus circumseptam.

℣. 11. NONNE TU, DEUS, QUI REPULISTI NOS?] A quonam felicem hunc eventum expectare debemus, nisi a te, Deus exercituum? Audi, Domine, tu ipse, qui nos abjecisti, atque in gravissimam hanc captivitatem redegisti, nos hinc erues, promissiones tuas explebis, atque, ut olim, te exercituum nostrorum ducem videbimus: *Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris?* Vel: *Nonne tu*, qui paulo ante repulisti nos, & noluisti ducere exercitus nostros? Sed simulac nos deducere, & comitari dignaberis, invicti erimus: *In Deo faciemus virtutem &c.*

---

1 מואב סיר רחצי Aquil. Λέβης λουτροῦ μου.   2 Vide Gejer. Plaut. Mostell. act. 2. scen. 1. v. 40. *Ego vos pro matula habeo, nisi, &c.* Idem in Pers. act. 4. scen. 3. v. 64. *Numquam ego te tam esse matulam credidi.*
3 Symmach. Μωὰβ λέβης ἀμεριμνίας μου.   4 רחץ Vide Dan. 3. 28.
5 Vide 1. Macchab. 5. 6. 25. 26. 36. & seq. Vide & 4. Macchab. cap. 11. Et Joseph. lib. 13. Antiquit. c. 17.
6 Matth. 3. 11. *Cujus non sum dignus calceamenta portare*. Vide Marc. 1. 7. Luc. 3. 16. Johan. 1. 27. Æschyl. in Agamem. Terent. Heautontimor. &c.   7 Diodor. Sicul. Arrian. Justin.
8 Joseph. Antiqu. lib. 13. cap. 17.   9 Hilar. & August. *Mihi allophyli subditi sunt*.
10 עלי פלשת התרועעי   11 Vide 1. Macc. 4. 15. 5. 68. 13. 43. 14. 7. 16. 9. 10. 2. Macchab. 12. 6. & seq. Vide & Joseph. lib. 13. Antiq. & lib. 4. Macchab.   12 Euseb. Athan.
13 Psalter. Roman. Mediol. S. German. Carnut. 70. Εἰς πόλιν περιοχῆς. Symmach. Εἰς πόλιν περιπεφραγμένην. עיר מצור

PSALMUS LX.

Oratio populi in extremas terras relegati. Deus eum voti damnavit, atque in ejus hæreditatem restituit. Diuturnam Regi suo vitam precatur, & pollicetur se jugiter misericordiam, ac veritatem Domini celebraturum.

In finem: In Hymnis David.

ARGUMENTUM.

Hebraica vox[1], quæ in titulo redditur, *in Hymnis*, significat, vel mulieres musicis instrumentis personantes, vel ipsa instrumenta. Vide Psalmum 4. 1. Kimchi, Muis, & alii nonnulli tenent, Psalmum hunc fuisse a

---

1 למנצח על נגונות Hilar. legit: *In finem hymni David*.

se a Davide compositum, cum eum Saul persequeretur, & ipse a Tabernaculo abesset, neque integrum illi esset eo ad Religionis cæremonias accedere. Sententiæ huic opponitur, quod David tunc Regio nomine nondum fuit appellatus, quemadmodum isthic ℣. 6. vocari dicunt. Sed systematis hujus propugnatores contrarium asserunt. Abigail hoc ipsum nomine nuncupavit [1], atque contendunt, Davidem ipsum hoc sibi nomen in Psalmo 63, 10. sumpsisse [2]. Ferrandus, & alii quidam a Davide Psalmum hunc scriptum autumant, dum ille abesset tempore, quo Absalon defecerat; & credunt, Prophetam innuere suum recessum in Mahanaim ultra Jordanem per hæc verba: *A finibus terræ ad te clamavi*.

Theodoretus hunc præcedenti psalmo connectit; & hanc esse credit orationem Judæorum in Babylonica servitute degentium; vel potius orationem esse eorumdem, jam ex captivitate liberatorum, vel saltem de sua liberatione, ac reditu non amplius ambigentium. Sententiam hanc sequuntur Theodorus Heraclæota, S. Athanasius, Euthymius, antiquus Græcus Paraphrastes a Corderio editus, & Venerabilis Beda, qui semper veteribus hisce Græcis interpretibus adhæret. Nihil in hoc Psalmo deprehendimus, quod huic non conveniat hypothesi, & quod nos absterreat, ne eam in Commentario nostro sequamur. S.S. Augustinus, & Hieronymus hanc esse dicunt orationem Ecclesiæ Christianæ a Deo petentis opem inter tot, quæ ipsi undique circumstant, calamitates. S. Hilarius simpliciter de homine æterna bona sperante interpretatur.

1. EXaudi, Deus, deprecationem meam: intende orationi meæ. 2 A finibus
terræ ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.
3 Deduxisti me, Quia factus es spes mea; turris fortitudinis a facie ini-
mici. 4 Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum
tuarum. 5 Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti hæredita-
tem timentibus nomen tuum. 6 Dies super dies regis adiicies: annos ejus usque
in diem generationis, & generationis. 7 Permanet in æternum in conspectu Dei:
misericordiam, & veritatem ejus quis requiret? 8 Sic psalmum dicam nomini
tuo in sæculum sæculi: ut reddam vota mea de die in diem.

℣. 1. EXAUDI, DEUS, DEPRECATIONEM MEAM.] A De sævissimæ captivitatis squalore, doloribus, ærumnisque confectus, crudelibus inimicis, ac impotentibus Dominis circumseptus, tibi, Deus meus, humillimas preces effundo; exaudi deprecationem meam.

℣. 2. A FINIBUS TERRÆ AD TE CLAMAVI.] Procul a patria mea, patrumque meorum hæreditate, in ignota alienaque terra relegatus, in medio populi inimici, ac barbari, in Chaldæa dispersus; trans Euphratem, atque in diversis vasti Chaldæorum imperii Provinciis. Amor Patriæ Babylonicis captivis eam longe remotiorem, magisque sepositam, quam re ipsa foret, repræsentabat. Psalmo 64. ℣. 6. 8. regio trans Euphratæa *extremitas terræ vocatur*.

DUM ANXIARETUR COR MEUM IN PETRA EXALTASTI ME.] B Vel extulisti me in editam, inaccessamque rupem. Meas audire preces dignatus es, Domine; eduxisti me de sollicitudine, & squalore, in quo versabar; mihi libertatem reddidisti, ac Cyro mentem immisisti, ut nos in patriam nostram remitteret. Hebræus [3]: *In afflictione cordis mei adduxisti me super rupem, quæ adeo sublimis erat, ut illuc numquam pervenire potuissem* (℣. 4.) *Quoniam est spes mea, ac munita turris adversus hostes meos*. Rupes hæc, quo ex se perventurum animo despondera, est libertas, quam ei reddidit Cyrus, atque suus redditus in patriam. In sensu vero spirituali est J. C. [4] liberator noster, consolator noster, nostra spes, ac fortitudo.

℣. 4. INHABITABO IN TABERNACULO TUO IN SÆCULA; PROTEGAR IN VELAMENTO ALARUM TUARUM.] C Psalmorum, qui fuere conscripti vel in ipsa, vel post ipsam Babylonis captivitatem, plerique Levitas, vel Sacerdotes auctores jactitant; quamobrem frequenter adeo ardens eorum deprehenditur desiderium Templum iterum videndi, ibi Dominum laudandi, ibique totius vitæ curriculo permanendi, atque officii sui munere perfungendi. Inhabitabo, plerumque consistam in domo tua, Deus meus, tamquam familiaris tuus: ibi requiescam, & protegar sub umbra alarum tuarum, veluti avicula in nidulo suo sub alis matris suæ jacens. Simplices hæ similitudines, atque ex agrestibus vulgatisque rebus desumptæ suaviores sunt, aptioresque consolando iis in circumstantiis, de quibus hic agitur, quam allegoriæ ex nobilibus magnificisque rebus depromptæ. Patres nomine Tabernaculorum æternorum Cœli beatitudinem intelligunt.

℣. 5. DEUS MEUS [5], EXAUDISTI ORATIONEM MEAM.] Hebræus [6]: *Quoniam, Deus, exaudisti vota mea*. Sensum eumdem, & Septuaginta possunt admittere [7].

DEDISTI HÆREDITATEM TIMENTIBUS NOMEN TUUM.] Populo tuo Patrum suorum hæreditatem reddidisti, cum de captivitate eduxisti, atque in patriam suam remisisti. Adnotavimus jam, Psalmum hunc post captivitatem, vel eo tempore, quo Cyrus Edictum proposuit, quo illis facultas fiebat in Judæam redeundi, fuisse conscriptum. Primum quidem deprehenduntur sensus captivi populi, mox vero ejusdem liberati.

℣. 6. DIES SUPER DIES REGIS ADJICIES &c.] Nobis Regem tribue [8], cujus regnum felix erit, atque diuturnum. Hæc sunt vota, & preces captivorum, qui innixi promissionibus Prophetarum sibi florens, atque gloriosum imperium pollicebantur. Non permisit Deus, ut sensibiles effectus tunc responderent spei, ac menti illorum, ut aciem suam ulterius assuescerent, ne si in Zorobabel, exempli gratia, omnem splendorem, potentiam, ac majestatem, quæ illis promissa fuerat, essent intuiti, non crederent, sibi aliquid ultra sperandum esse, atque in hoc Principe omnem Prophetiarum magnitudinem, omnemque promissionum extensionem esse completam. Sed nihil simile experti, naturaliter intelligere debebant, hoc in Messiæ, quem jampridem præstolabantur, regno esse adimplendum. Et equidem Chaldæus, & antiqui Rabbini fatentur, Textus verba pressius sumpta nonnisi in Messiæ persona adimpleri. Quæ Patrum quoque est sententia [9], qui alio quovis excluso de J. C. hoc interpretantur.

1 1. Reg. 25. 25. 2 An Psalmus Davidis sit, ambigitur. Vide nostrum Commentarium.
3 בעקת לבי בצור ירום ממני תנחני (4) כי היית מחסה כי 4 Euseb. August. Theodoret. Jerem.
5 Hebr. 70 August. Hilar. & antiq. Psalter. non habent: *Meus*.
6 כי אתה אלהים שמעת לנדרי 7. 70. *Εἰσήκουσας τῶν εὐχῶν μου*.
8 Vide Psalmum præcedentem vers. 8. & Psalm. 27. 8. 9 Vide Hieron. Theodoret.

℣. 7. PERMANET [1] IN ÆTERNUM IN CONSPECTU DEI. MISERICORDIAM, & VERITATEM EJUS, QUIS REQUIRET.] Auctor alludit ad promissiones, quas fecerat Deus domui David, se nempe illi Reges traditurum, quorum numquam generatio deesset [2]. *Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies Cæli .... Misericordiam meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea: neque profanabo testamentum meum &c.* Rex, quem nobis tribues, Domine, regnum æternum possidebit in persona sua, mox etiam in persona filiorum suorum. *Permanebit in æternum in conspectu Dei*, quin Deus illum a facie sua rejiciat, vel Rex infidelitatibus suis Deus derelinquat? Quis autem intelligere potest ea munera, quibus illum, Domine, cumulabis, & fidem, qua ea omnia, quæ patribus nostris pollicitus es, exequeris? Sanctus Augustinus legit: *Misericordiam, & veritatem ejus, quis requiret ei?* Septuaginta [3], ac Romana Psalteria: *Quis requiret eorum?* Psalterium Sancti Germani: *Quis requiret eum?*

Recentiores nonnulli ita Hebræum reddunt [4]: *præpara misericordiam, & veritatem, quæ eum deducent.* Supponunt autem, Hebræum *man*, non significare *quis?* sed a *manah* derivant, recensuit, præparavit. Ast non ambigimus, quo minus hoc in loco *man* significet, *quis?* Sermonis decursus hunc sensum postulat; neque dubio locus est, quin ea vox Chaldaice istud significet. Hæc omnia mirifice de J. C. regnoque illius æterno, justitiæ, misericordiæ, ac veritatis refertissimo explicantur.

℣. 8. SIC PSALMUM DICAM NOMINI TUO &c.] Pergam, Domine, in omne tempus, quoad vixero, ea facere, quæ hodie, cum promissionum tuarum, speique nostræ fructu lætabimur. Hic loquitur Levita, qui reliquum vitæ suæ transmissurum esse pollicetur in Domino laudibus recinendis in Templo illius, votum, quod Babylone captivus conceperat, persoluturus.

1 August. Psalter. Roman. & S. German. *Permanebit in æternum* 70. Διαμενεῖ εἰς τὸν αἰῶνα.
2 Psalm. 88. 30. 34. 37. 38.
3 70. Edit. Roman. Ἔλεος καὶ ἀλήθειαν αὐτοῦ τίς ἐκζητήσει αὐτῶν.
4 חסד ואמת מן ינצרהו

PSALMUS LXI.

David in imminenti periculo ad patientiam se excitat. Omnem spem suam in Domino collocat, qui plenus est misericordiæ, ac potentiæ, & qui reddit cuique secundum opera illius.

In finem: pro Idithun. Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Hebraica Psalmi hujus inscriptio [1] verti potest: *Psalmus David, inscriptus Moderatori Musices, qui præest choro*, vel familiæ *Idithun*. Liquet, Idithun unum fuisse ex præcipuis Musicis tempore David [2]. Familia ejus semper deinde Cantorum in Templo munere perfuncta est. Eusebius credere videtur, ipsum Psalmi hujus auctorem fuisse. S. Basilius, Theodorus, antiquus Paraphrastes Græcus editus in Catena Corderii, Theodoretus, Euthymius, Beda credunt, Psalmum hunc Macchabæorum sensus exhibere, cum bella Antiochi Epiphanis ingruerent. Alii hunc referunt in tempus persecutionum Saulis in Davidem, vel fugæ David ab Absalone ejecti. Nec desunt in Psalmo quædam, quæ sententiæ huic suffragari videntur. 1. David, vel Psalmi Auctor ait ℣. 4. *se cucurrisse in siti*; quod significare potest præcipitem illius fugam e Jerusalem. 2. ait persecutores suos illi dignitatem adimere voluisse; quæ sane mens erat Absalonis. Hoc autem systema sequemur in Commentario.

Syrus hunc refert ad prælium, quod commissum est inter exercitum Isboset, cui præerat Abner, & copias David, quibus præfectus erat Joab, cum Azael frater Joab ab Abner fuit interfectus [3]. Lyranus vero tunc fuisse compositum opinatur, cum David rediit de Moabitide, quo se receperat. S. Hieronymus, & alii nonnulli hunc Psalmum tamquam mere moralem explicat, ubi Propheta præclara iis suppeditat monita, qui in afflictione versantur. Referri quoque potest ad J. C. & ad Ecclesiam illius ab hostibus exagitatam.

1. NOnne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. 2 Nam
& ipse Deus meus, & salutaris meus: susceptor meus, non movebor
amplius. 3 Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos:
tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ? 4 Verumtamen pretium meum cogitavarunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. 5 Verumtamen Deo subjecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia
mea. 6 Quia ipse Deus meus, & salvator meus: adjutor meus, non emigrabo.
7 In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilii mei, & spes mea in Deo
est. 8 Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum. 9 Verumtamen vani filii hominum, menda-

ces

1 למנצח על ידותון מזמור לדוד Aquil. Περὶ τοῦ Ἰδιθούμ. Symmach. Διὰ Ἰδιθοὺμ εἰς Δαυίδ.
2 1. Par. 25. 3. & seq. 3 2. Reg. 12. 11.

ces filiis hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. 10 Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere. 11 Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

A ℣. 1. NONNE DEO SUBJECTA ERIT ANIMA MEA; AB IPSO ENIM SALUTARE MEUM?] David in corde suo fervere sentiens ultionis, atque indignationis sensus adversum filium suum, & illos, qui in ejus partes concesserant, eos his reprimit verbis. Heus anima mea, nonne Deo obtemperabis, neque illi submittes, qui est patronus tuus, ac Salvator tuus? Ignorasne, ea omnia, quæ eveniunt, a Providentia esse disposita? Nonne te admonuit Propheta dicens 2. Reg. 12. 11. *Suscitabo super te malum de domo tua?* Dubitasne de illius potentia, & misericordia? Nonne ab ipso omnem opem, tuamque salutem præstolari debes? Sentit quidem Justus mala, & injurias, sed sensui, ac dolori resistit.

Hebræus [1]: *Sane anima mea silebis coram Deo, a quo omnis illius salus procedit.* Vel: Sed tandem, sile, anima mea &c. Quod filius meus me persequatur, quod homo ex vulgi fæce, qualis est Semei, me contumeliis lacessat, quod me prodant, ac derelinquant amici mei, cave anima mea, ne a te obmurmurationem, ac impatientiam extorqueat; sile, ac Domini opem expecta. *Silere*, significat quiescere, patienter ferre: *Subditus esto Domino, et ora eum*; ait Propheta Psal. 36. 7. & Jeremias Thren. 3. 26. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* B

℣. 2. NAM & IPSE DEUS MEUS &c. [2]] Heb. [3]: *Certe ipse est rupes mea, salus mea, arx mea*, vel elevatio mea; *non turbabor*, non movebor, non concutiar. Sufficit, me scire Deum esse præsidium, patronumque meum, ne inter tot pericula animos despondeam. Si periculi adspectus levem aliquem motum ciet; si inimicorum meorum improbitas me vexat, atque affligit, non ideo tamen de animi consensu deturbabor, neque animæ meæ pax perturbabitur. Chaldæus: *In die gravissimæ afflictionis meæ non commovebor.* Quidquid accidat, constans ero, atque immobilis. Versiculi 5. 6. 7. iidem ferme sunt ac primi duo. C

℣. 3. QUOUSQUE IRRUITIS IN HOMINEM; INTERFICITIS UNIVERSI VOS [4], TAMQUAM PARIETI? &c.] Quousque injusti persecutores mei, irruetis in me, veluti canes in prædam, me devoraturi? Usquequo simul omnes adversum unum hominem irrumpetis, ut mihi necem inferatis, meque subvertatis; illis similes, qui vim faciunt in parietem jam labantem, ac jamjam casurum? Quis furor, quæ turpitudo, quæ injustitia?

Hebræus habet [5]: *Quousque laqueos tendetis*, vel obesse, atque contumelias inferre quæretis? Vel: usquequo irridebitis hominem hunc, calamitosum hunc, me scilicet? *Usquequo simul universi eum occidetis, perinde ac parietem jam inclinatum, et maceriam ruinas jam minitantem everteretis?* Eos cædis insimulat; quoniam hæc illis voluntas erat, atque sanguinem ejus sitiebant [6]. Semet parieti labanti, ac jamjam prolapsuro comparat, ut pudorem inimicis inferat, qui per summum dedecus in illum irruebant, qui impetum eorum propulsare non poterat. Alii ita reddunt [7]: *Usquequo irruetis in miserum hunc hominem, cum interfecturi? Universi vos similes estis parieti inclinato, ruinamque minitanti.* Nemo ad vos audet accedere, ne sub pondere vestro conteratur. Vel: Vos estis tamquam murus omnino pendens; lapsus vester imminet; nihil vos fulcit; momento cadetis. Isajas parem ferme similitudinem habet c. 30. 13. *Erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus.* Peribitis, atque cum minus id verebimini, corruetis. S. Hieronymus hanc, velut Symmachi, adfert explicationem: sensum naturalem inversum habetis; ita ut cum recti sitis, nihilominus perniciossime ad excidium pervoletis.

℣. 4. VERUMTAMEN PRETIUM MEUM COGITAVERUNT REPELLERE.] Me scilicet regno orbare, honorem meum, atque existimationem delere meditati sunt. S. S. Hilarius, & Augustinus, atque antiqua Psalteria [8] legunt: *Verumtamen honorem meum cogitaverunt repellere*; quod conforme est Septuaginta, Absaloni, & iis, qui partibus ejus studebant, non alia mens erat, quam Davidi regiam dignitatem auferendi, ac indignum facinus suum quodam fuco obtegendi, per calumnias, quas contra ipsum ferebant, ut si fieri posset, illum suprema auctoritate indignum ostenderent.

CUCURRI IN SITI. ORE SUO BENEDICEBANT, & CORDE SUO MALEDICEBANT.] Simulac Davidi nunciatum fuit, Absalonem in Hebron Regem inauguratum fuisse, non dubitavit amplius, quin rebellis filii partes validæ nimis essent in Jerusalem, & aulicorum plerique, qui eum benedictionibus cumulabant, ac maxime fideles ipsi hærere videbantur, clanculum filio ipsius studerent, & hi prima qualibet occasione eum desererent. Satis noverat plerorumque hominum levitatem, infidelitatem, ingrati animi vitium. Statim igitur consilium cepit ab urbe excedendi, atque in aliquem munitum locum in agris se se recipiendi, quo eum sequi non possent, nisi qui illius partium vere essent, & ubi nihil sibi metuendum esset a proditoribus, & fictis amicis. Neminem coegit, ut secum aufugeret; ii tantum eum secuti sunt, quos libera, ac recta voluntas, atque erga ipsum benevolentia impulerunt: *Surgite, fugiamus*, ait illis 2. Reg. 15. 14. *neque enim nobis erit effugium a facie Absalon: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam, et percutiat civitatem in ore gladii . . . . Egressus est ergo Rex et universa domus eius pedibus &c.* D

Hebræus [9]: *Cucurrerunt ad mendacium*; vel *dilexerunt mendacium. Ore suo me benedicebant, atque intra se ipsos maledicebant.* Queritur David præcipue de simulatorum amicorum perfidia, atque populorum suorum inconstantia, qui immerito, nulla ducti ratione, eum dereliquerant, ut in partes Absalonis abirent. Textus Septuaginta ita reddi potest [10]: *Cucurri in siti*; vel *cucurrerunt in siti*, quem postremum sensum vulgo [11] Græci secuti sunt. Festinantes cucurrerunt ad san-

1 אך אל אלהים דומיה נפשי ממנו ישועתי 2 Ambros. sic legit: *Etenim ipse Deus meus, adjutor meus, defensor meus, non movebor amplius.* 3 אך הוא צורי וישועתי משגבי לא אמוט רבה Aquil. Οὐ μὴ σφαλίσωμαι πολλάκις. *Non multum errabo.* 4 August. legit: *Quousque opponitis super hominem: interficite omnes, &c.* Ἕως πότε ἐπιτίθεσθε ἐπ' ἄνθρωπον φονεύετε πάντες ὑμεῖς. Cassiodor. Psalter. Rom. *Interficitis universos.* Mediol. *Interficitis omnes vos.* Ambros. *Interficientes universos.*

5 עד אנה תהותתו על איש תרצחו כלכם כקיר נטוי גדר הדחויה Aquil. Ἕως τίνος ἐπιβουλεύετε. Symm. Ἕως τίνος ματαιοπονεῖτε. *Quousque in vanum laborabitis?* 6 Vide Theodoret. Euthym. Hieronym. *Quis habet voluntatem occidendi, etiamsi non percutias, occidis.* 7 Vide Muis hic.

8 Cassiodor. Psalter Roman. Mediol. S. Germ. Carnut. 70. Πλὴν τιμήν μου ἐβουλεύσαντο ἀπώσασθαι.

9 ירצו כזב בפיו יברכו ובקרבם יקללו Aquil. Εἰς διαψεύσματα: *Cucurrerunt in mendacio* Symm. Εἰς ψεῦσμα; 5. Edit. Εἰς ψεῦδει. 10 Ἔδραμον ἐν δίψει, pro Ἐν ψεύδει. Mendum est amanuensis, ait Eusebius.

11 Theodoret. Euthym. Euseb. Heraclæot. Interp. Corderii; sed Ambros. utramque lectionem agnoscit.

sanguinem meum effundendum. Omnes præpropere vias A
ad me perdendum scrutati sunt.

℣. 5. VERUMTAMEN DEO SUBJECTA ESTO [1].] Hebræus [2]: *Sed, anima mea, tace Domino*. In silentio præstolare auxilium, & effectus promissionum ejus. Ipse est spes mea, & expectatio mea: *Ab ipso patientia mea*. Vide vers. primum.

℣. 6. ADJUTOR MEUS, NON EMIGRABO.] Inimicorum meorum impetus non timebo. Hic eædem occurrunt voces ac in vers. 2. *Susceptor meus, non movebor amplius*. Hebræus [3]. Ipse est altitudo mea, *non commovebor*. Deus est arx mea; me inde nemo ejiciet.

℣. 7. DEUS AUXILII MEI; ET SPES MEA IN DEO EST.] Hebræus [4]: *Dominus est rupes fortitudinis meæ; ipse est spes mea*, gloria mea, felicitas mea.

℣. 8. SPERATE IN EO, OMNIS CONGREGATIO POPULI [5]; EFFUNDITE CORAM ILLO CORDA VESTRA.] B
Vos omnes, qui secuti estis me, atque fideliter mihi adhæsistis, constanter Domino servite, in eo omnem spem vestram ponite, effundite corda vestra coram illo, quid vobis opus est, ostendite, scelerum vestrorum veniam exposcite, favores illius intelligite, omnia ab illius clementia expectate. Hebræus [6]: *sperate in eo omni tempore: effundite coram illo corda vestra*. Aperite illi ea, quibus indigetis, dolores vestros, ac vestra desideria cum summa cordis sinceritate; cum lacrymis, & pœnitentia confitemini illi scelera vestra. Confer Psalmum 41. 3. Thren. 2. 19. Psalm. 141. 7. 101. 1.

ADJUTOR NOSTER IN ÆTERNUM.] Verba hæc *in æternum* non inveniuntur in Hebræo, neque in Chaldæo, vel Syro, aut Græco, uti neque apud S. Hilarium, & S. Augustinum. Hoc pacto reddere voluerunt Hebraicam vocem *Sela*, quæ nihil addit sensui Textus, & quæ non semper vertitur *in æternum*. C

℣. 9. VERUMTAMEN VANI FILII HOMINUM; MENDACES FILII HOMINUM IN STATERIS &c.] Ne animos despondeatis, neque impatientia abripi sinatis, licet summam in hominibus injustitiam deprehendatis. Scio apud illos, dolos, astus, atque infidelitatem dumtaxat inveniri: Sed Dominus erit præsidium, atque protector vester. Omnes illorum conatus ne minimum quidem vobis oberunt. *Stateræ dolosæ* isthic possunt ad litteram intelligi de prava in commerciis fide, fictisque mensuris; vel in sensu figurato, de falsis, dolosisque Judiciis, quæ fiunt, de injustitiis, quæ admittuntur, D
de injustis præjudiciis, quæ adversus proximum concipiuntur [7]: *Statera dolosa abominatio est apud Dominum; et pondus æquum voluntas ejus*, ait Sapiens Prov. 11. 1. *Pondus, et pondus, mensura, et mensura, utrumque abominabile est apud Deum* Prov. 20. 10.

Hebræus [8]: *Equidem filii hominum sunt vanitas; filii hominis illustris sunt mendacium. Simul omnia in statera* ponantur, *nihil nisi vanitas invenietur*; æque leves erunt ac nihilum. Vel: in altera lance ponantur illi, vanitas vero in altera, adhuc vanitatem præponderare deprehendes. Sensum hunc Chaldæus proposuit, eumque Rabbini, ac Interpretes non pauci secuti sunt. Sed Syrus, Arabs, Septuaginta, veteres Græci Interpretes, ac S. Hieronymus de dolosis stateris, atque de fraudibus in commerciis intellexerunt; & vereor, ne Hebræorum explicatio nimis subtilis sit, E
atque perquisita. Theodotion [9]: *Filii hominum*, plebeii, *nihil aliud sunt quam vapor, illustrium autem virorum filii nihil, quam mendacium similes motui stateræ*. Non secus ac in statera nihil firmum est, & certum, sed modo attollitur, modo deprimitur, licet vel minimum pondus addatur; ita homo ipsa levitas est, atque inconstantia. S. Hieronymus: *Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri. In stateris dolosis fraudulenter agunt simul*.

℣. 10. NOLITE SPERARE IN INIQUITATE .... DIVITIÆ SI AFFLUANT [10], NOLITE COR APPONERE.] Populo suo commonefacto, ne ab hostibus exagitatus ad impatientiam se abripi sinat, præcepta hic tradit contra se se locupletandi per iniquas vias desiderium. Hæc documenta haud erant inutilia inter belli furorem, quod in Judææ meditullio exarserat inter Israelitas diversarum Tribuum, in quo frater arma in fratrem, & amicus in amicum distrinxerat. Quocumque belli fortuna inclinaret, periculum erat, ne lucri cupiditas utrosque ad vim exercendam, atque injustitias committendas impelleret. Eos igitur hortatur, ut injustas has bonorum acquirendorum vias deserant, manusque suas a qualibet vi, atque rapina coerceant. Demum suadet, ut liberaliter bonis a Deo concessis utantur. Novissimum hoc monitum ad divites spectat: hi divitiarum quibus fruuntur, partem aliis conferant, neque illis affectum, atque animum suum adjiciant.

Hebræus ad litteram [11]: *Ne confidatis in fraude*, in calumnia, in impotentia, ne utamini armis, quæ vobis præ manibus sunt, ut quod vestrum non est, usurpetis: *Ne post vanitatem abeatis propter bona male parta*. Vel: Ne insana injuste ditescendi ambitione abripiamini. Vel denique: ne perperam spem vestram iis in bonis collocetis, quæ per vim rapuistis: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Quomodo hoc? ait S. Augustinus Ep. 3. nov. ed. cogitatione ab illis abhorrendo, atque vota ad meliora bona convertendo: *Quid si sensibilia nimium delectant? fiat, ut non delectent. Unde fit? consuetudine iis carendi, appetendique meliora*.

℣. 11. SEMEL LOCUTUS EST DEUS; DUO HÆC AUDIVI: QUIA POTESTAS DEI EST, & TIBI DOMINE MISERICORDIA.] Semel dumtaxat eum populo suo locutus est Deus eum traderet illi legem suam in Sinai, sed tunc duas magnas veritates nobis aperuit, quas memori mente retinui, & quæ alte in corde meo insculptæ sunt; hoc est ipsum æque potentem esse, & misericordem, ac reddere unicuique secundum opera illius. Re quidem vera cum tradidit Deus Decalogum Moysi, dixit illi Exod. 20. 5. 6. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*. Patet in his verbis contineri duo illa, de quibus loquitur Propheta: scilicet 1. supremam potestatem, ac infinitam Domini misericordiam; & 2. justitiam ejus, qua unicuique reddit secundum opera ejus. Hinc autem arguere vult David, populo suo caute esse vivendum, & omne injustum facinus, licet secretissimum esse evitandum; & Deum sæpe ea prohibere, quod factum. jus belli, vel pariter, vel probat.

S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, Theodoretus, aliique [12] putant voces has: *semel locutus est Deus*, innuere infallibilem, ac invariabilem Verbi Divini veritatem. Deus, cujus verba immutabilia sunt, promisit, se acceptarum homines prout bene essent operibus suis meriti, vel secus, atque justitiam & misericordiam suam erga ipsos depromptum, prout boni essent, vel mali. Cum omni igitur omnipotentis justitiæ suæ severitate in illos ani-

---

1 Ambros. *Subjecta est*. August. *Subjicietur*. 2 אך לאלהים דומי נפשי כי ממנו תקותי

3 משגבי לא אמוט Aquil. Symmach. Οὐ σφαλήσομαι. Non fallar; non aberrabo.

4 צור עזי מחסי באלהים 5 70. Πᾶσα συναγωγὴ λαοῦ. S. Hilar. *Omnis cœtus plebis*. Aug. *Omne consilium plebis*. Ambros. *Omnes conventus plebis meæ*. 6 בטחו בו בכל עת עם שפכו לפניו לבבכם Aqu. Ἀμεριμνεῖτε ἐν αὐτῷ, ἐν παντὶ καιρῷ λαός. *Populi, in eo confidite in æternum*. 7 Vide Basil. Theodoret. Euthym. Euseb.

8 אך הבל בני אדם כזב בני איש במאזנים לעלות המה מהבל יחד

9 Theodotion. Πλὴν ἀτμὶς υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων. ψεῦδος υἱοὶ ἀνδρός, ὡς ῥοπὴ ζυγοῦ. Symma. Αὐτοὶ ματαιότητι ὁμοῦ. *Evanescunt simul* המה מהבל יחד 10 Ambros. Hilar. August. *Divitiæ si fluant*. 70. Πλοῦτος ἐὰν ῥέῃ.

11 אל תבטחו בעשק ובגזל אל תהבלו חיל כי ינוב אל תשיתו לב Symmach. Πλοῦτος ἐὰν καρποφορῇ, μὴ πρόσεχε τῇ καρδίᾳ. *Si divitiæ vestræ augentur, nolite cor apponere*. 12 Genebr. Tir. Men. Geier. &c.

animadvertet; si illorum sceleribus læsus fuerit; omnem illis misericordiæ suæ effectum ostendet, si fideles fuerint, eique obtemperaverint.

Alii [1] putant, *semel*, *& duo* significare, Deum sæpius fuisse locutum. Non semel in Scripturis edixit se justum esse, ac misericordem, se æque & erga bonos clementem, & adversus impios esse severum. Trecentis equidem in locis duas has veritates nobis Scriptura testatur; & hæc explicatio mihi ad litteram magis videtur accedere. Confer Job 39. ult. *Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, & alterum, quibus ultra non*

A *addam*. Nimis locutus sum., & numquam os vellem aperuisse. Vide quoque 2. Esdr. 13. 20. & 1. Macchab. 3. 30. Philipp. 4. 16. ubi *semel*, *& bis* pro sæpe indefinite usurpantur. Ad hunc eumdem sensum referri illud potest, quod frequenter adeo dicitur in Amos [2]: *Super tribus sceleribus, & super quatuor non convertam*, ubi *tria*, & *quatuor* plura significant.

S. Augustinus, & Cassiodorus hæc verba, *semel locutus est Deus*, de Verbi generatione interpretantur. Deus unum dumtaxat Verbum produxit.

---

1 Vatab. Muis, Castal. Gejer. alii. 2 Amos 1. 3. 11. 1. 4. 6.

PSALMUS LXII.

Propheta exprimit summum, quo flagrat desiderium, videndi rursus Domini Tabernaculum. Alitur autem spe auxilii Dei sui. Inimicorum suorum prædicit interitum, suamque vaticinatur felicitatem.

Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ.

ARGUMENTUM.

Cum esset in deserto Idumææ [1]. Non legimus uspiam, Davidem in ullum Idumææ desertum se se recepisse; sed satis diu vixit in montibus Juda in finibus Idumææ, & in iis, quos Idumæi diutius possederunt post Babyloniceam servitutem, uti ex Macchabæorum libro innotescit. Hebræus, Chaldæus, Complutensis Editio Septuaginta, ac Manuscripti plures [2] legunt *Judææ*, pro *Idumææ*. Sed Romana Editio, S. Hilarius, S. Augustinus, S. Hieronymus, Beda, Cassiodorus, Arabs, Antiqua Psalteria [3], & communes Vulgatæ Editiones *Idumææ* legunt, non *Judææ*. Ea tamen lectio, quæ *Judææ* habet, citra controversiam melior est. Res autem in eo est posita, ut intelligamus, quanam in occasione David Canticum hoc fuerit elucubratus. Nam asserere, ipsum composuisse in deserto Judææ, hoc nimis late patet, diu enim, atque tot diversis in locis ibi permansit.

Plerique putant [4], Davidem eum conscripsisse, postquam ex Achis aula aufugiens in desertum Ziph se recepit. Alii [5] putant, eum elucubratum fuisse in solitudine, *in campestribus deserti*, quo post Absalonis defectionem concesserat [6]. Qui postremam hanc tuentur sententiam, animadvertunt, ℣. 9. Davidem inimicorum suorum mortem protendere, & versiculo ultimo sibi Regis nomen tribuere: *Rex vero lætabitur in Deo*, quam nominis dignitatem Saulis tempore numquam sibi vindicavit. Qui vero contrariam tenent sententiam, asserunt, Davidem ob oculos habuisse Saulis cladem, ac mortem in eo, quod ait ℣. 9. in postremo autem ipsum usum fuisse jure suo, se Regem appellando, ac dicendo se hac præditum dignitate post Saulis occubitum, Domini laudes celebraturum. Denique ajunt, ipsum tunc fuisse in deserto non Juda, sed Beniamin, vel Ephraim. Haud parvi momenti est, oppositas adeo conciliare sententias; verum prior melioribus inniti videtur argumentis.

Beda, & antiquus Patris Corderii Paraphrastes, quem sæpe memoravimus, alio intuitu Psalmum hunc considerarunt. Quin illis inscriptio aliquid negotii facesseret, eum ad Judæos Babylone captivos retulerunt: quæ sententia commode quidem probatur, præsertim si Levita, vel religiosus aliquis Judæus, qui futuræ libertatis jam a Cyro concessæ certus, vel jam in via positus Jerusalem rediturus, supponitur, summum, quo Templum Dei quamprimum videndi flagrat, desiderium testari. Una illa occurrere mihi videtur difficultas, quod scilicet ignoratur, quis ille sit Rex, de quo postremo versiculo Auctor loquitur. Sed noster Græcus Paraphrastes intelligit Zorobabel, quem alibi Regis nomine vidimus designari, psalmis 59. 9. & 60. 7. Hoc systema in Commentariis sequemur. Hic est præcedentis continuatio. S. Hieronymus illum explicat de adventu J. C. S. Chrysostomus in Ps. 140. hunc in Ecclesia *Psalmum matutinum* vocari testatur.

1. DEus, Deus meus, ad te de luce vigilo. 2 Sitivit in te anima mea, quam
multipliciter tibi caro mea. 3 In terra deserta, & invia, & inaquosa:
sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.
4 Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te. 5 Sic
benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas. 6 Sicut adipe,
& pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum. 7 Si
memor

---

1 Hilar. *Cum esset in desertum Idumææ.* 2 Ita Codices Regii, & Colbert. plerique, apud Ferrandum hic. Ita & Euseb. Athanas. Theodoret. Euthym. & Corderii Paraphrast.
3 Psalter. Rom. & alia. Item Codices Reg. 138. 222. Colbert. 1. & 1339.
4 Theodoret. Athanas. Theodorus, Euseb. Kimchi, Muis, Munster. Gejer. alii.
5 Ferrand. du Pin. 6 Vide 2. Reg. 15. 28. & 17. 16. 29.

memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te : quia fuisti adju-
tor meus. 8 Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te:
me suscepit dextera tua. 9 Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introi-
bunt in inferiora terræ ; Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. 10
Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo : quia obstructum
est os loquentium iniqua.

℣. 1. DEUS, DEUS MEUS, AD TE DE LUCE VIGILO [1].] Tuæ Majestatis recordatio, Deus, & amor tui, quo summopere afficior, somnum mihi adimit, atque summo excitat mane, ut de tua magnitudine, ac misericordia colloquar. Statim ac aurora prodit, consurgo, te adoraturus, ac laudaturus. Deus mane quæri vult, ac diligenter, quemadmodum manna, quæ ante solis ortum colligebatur; inertes enim, qui serius eam collecturi cunctabantur, liquescentem jam inveniebant. Hebraica vox [2] quæ hic redditur *vigilo*, fluit ab *aurora*, & significat *diligenter*, ac summo mane *perquirere*.

℣. 2. SITIVIT ANIMA MEA [3] : QUAM MULTIPLICITER TIBI CARO MEA ?] Ardor, quo conficitur anima mea, ad corpus usque transit, atque in ipsam carnem agit. Langueo, morior, me calor absumit, ac sitis adurit. Ad te confugio, atque te gusto summa cum aviditate, atque ea voluptate, qua aliquis ardenti siti confectus, si fontem invenerit, aquam magnis haustibus ebibit. Sensus sitis, vehementior est, atque intolerabilior fame. Non igitur Auctor verba invenire poterat, magis propria, magisque ardorem suum significantia. Locus ubi aderat, arida erat solitudo ; & dispositio, in qua erat, siti laborans, has ipsi naturaliter similitudines suppeditabant. Patres hanc sitim explicant de ea cupiditate, qua Justi Cœli gloriam exoptant. Cor, animusque hæc sitit bona, ait D. Hieronymus ; sed non nisi operibus illuc via patet : *Anima quidem* desiderat Deum : sed ad desideratum finem carnis laboribus pervenitur.

Hebræus [4] : *Anima mea te sitit : caro mea te desiderat* [5]. Vel cum aliis [6] : *Caro mea exarescit*, languet. Syrus [7] : Caro mea te quærit oculis, ipsa habet languentes oculos. Hebraica vox *Camach* isthic dumtaxat invenitur, & quidquid effutiant Rabbini, ejus significatio penitus latet. Aquila [8] : *Ipsa se extendit*, vel volatum suum arripuit ; vel intenta est. Septuaginta [9], ac Theodotion vocem eam accepere veluti compositam ex particula *che*, & *mah*. Quomodonam? *Quomodonam caro mea te* sitit ? Postremum hunc sensum præferrem, nam *chemach*, ut verbum, certe Hebraicum non est. Ita porro hunc versiculum intelligo, illum cum sequentibus connectens [10] : *Non secus ac caro mea* te sitit (verbum hoc ex præcedenti versiculo mutuor) *in terra hac exsiccata, arida, & sine aqua* ; ℣. 7. *Ita videbo te in Templo sancto tuo*. Voluptas, qua fruar, videns Templum tuum, atque ingrediens in atrium tuum exæquabit ardens illud desiderium, quo flagro possidendi tui. Non secus ac homo diuturna siti laborans, avidissime perbibit aquam fontis diu perquisiti ; ita maxima cum voluptate videbo cæremonias Tabernaculi tui, ad quas per tot annos suspiro.

℣. 3. IN TERRA DESERTA, & INVIA, & INAQUOSA, SIC IN SANCTO APPARUI TIBI.] Cum longe adeo absim a Tabernaculo tuo, Domine, & nequeam realiter, ac personaliter ibi interesse coram te, illuc in spiritu feror ; atque in medio hujus deserti mihi repræsento gloriam tuam, Arcam, & sacrificia tua, perinde ac adessem, eaque hisce oculis intuerer. In medio cordis mei Tabernaculum mihi exhibeo, ubi te adoro, atque ea, quæ debeo, persolvo. At sensus, quem in præcedenti versiculo textui Hebraico tribuimus, longe melior est, ac aptior. Quemadmodum sitiens in medio solitudinis invenit fontem, atque summa cum voluptate se recreat ; ita de exilio reversus rursus tuum Tabernaculum videbo.

UT VIDEREM VIRTUTEM TUAM, & GLORIAM TUAM.] Divinæ virtutis, & gloriæ nomine Domini Arcam intelligit ; quod nomen illi non raro tribuit Scriptura [11]. J. C. quoque virtus, & gloria Patris vocatur 1. Cor. 1. 24. & ardentius Sanctorum Patrum desiderium in eo versabatur, ut illius adspectu, atque præsentia tandem fruerentur [12].

℣. 4. QUONIAM MELIOR EST MISERICORDIA TUA SUPER VITAS ; LABIA MEA LAUDABUNT TE.] Misericordiam, & dona tua omnibus mundi bonis antefero ; vitam etiam, ac lucem flocci facio, absque tua misericordia. Donec Tabernaculum tuum non videbo, neque Jerusalem redibo, donec mihi gratiam tuam, tuamque respues benevolentiam ; vita mihi invisa erit, dura, non ferenda : hoc in exilio mihi videbor tamquam mortuus, & redactus ad tumulum. Remitte ergo mihi peccata mea ; fac, ut experiar misericordiam tuam, & labia mea numquam deerunt, quo minus te laudibus celebrent. Sunt, qui reddant [13] : *Misericordia tua melior est omni viventium omnium clementia*. Theodoretus, & Chaldæus hoc intelligunt de molli divitum, ac impiorum vita. Misericordia tua melior est, quam simul omnes mundi voluptates. S. Hilarius : *Plus in misericordia Dei spei est, quam in vita*. Dei Misericordia melior est vita præsente ; hanc enim subsequitur mors pœna peccati; at Dei misericordia nobis æternitatis beatitudinem tribuit. Nec longe abhorret Eusebii, ac S. Athanasii interpretatio.

℣. 5. SIC BENEDICAM TE IN VITA MEA . . . . .

℣. 6. SICUT ADIPE, & PINGUEDINE REPLEATUR ANIMA MEA.] Te benedicam quousque vivam, sicuti anima mea replebitur, ac saturabitur. Vel : Sicuti me dulcedine, & omnium bonorum genere me replebis ; ita non cessabo laudare te. Hæc omnia mirum in modum quadrant Levitæ, qui Babylone egressus per deserta iter facit, in patriam suam reversurus. In Templo tuo, Domine, famulum tuum omni bonorum genere cumulabis ; saturabitur ille, ac summa lætitia cor illius afficietur. Tunc tibi uni laudando vacabo. Gratitudo mea eo major erit, & voluptas

1 Hilar. *Ad te diluculo vigilo*. 2 אשחרך ab שחר aurora. 3 Hilar. August. *Sitivit tibi anima mea*. Ita Edit. Roman. Ἐδίψησέ σοι. Alii : *Sitivit te*. Ita Edit. Complut. Ἐδίψησέ σε. 70. Et omnes Interpretes apud Hieron. ad Suniam : *Sitivit tibi*. 4 צמאה לך נפשי כמה לך בשרי
5 Symmach. Ἱμείρεται. כמה Ita Chald. Rabb. Hieronym. Munst. Pagn. Tig.
6 Abenezra, Jun. Tremel. Pisc. alii. 7 Syr. מסכא *Intuetur, expectat; languidos, seu habetes habet oculos*. 8 Aquil. Ἐπετάθη. *Extensa est*, seu Ἐτετάθη. *Intenta est*. 9 70. Rom. & Complut. Ποσαπλῶς. Ita legendum contendit Theodoret. non πῶς ἁπλῶς ; ut legit. Euseb. *Quam simpliciter*. Quod habet S. Hilar. in Latino. 10 Lego כמו, sicut, pro כמה ; litera ה legitur sæpe pro vau ו. Vocula כן sic, vers. sequentis supponit antea כמו *sicut* ; non secus ac in vers. 5. . . . . כן אברכך כמו חלב ודשן תשבע vers. 6 Duo comparationis membra se se invicem appellant. 11 Psal. 77. 61. *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici*. 1. Reg. 4. ult. *Translata est gloria ab Israel, eo quod rapta esset arca Dei*. 1. Par. 6. 41. *Consurge Domine, tu, & arca sanctificationis tuæ*. Vide & Psal. 150. 1. 12 Vide Hieronymiastrum. 13 כי טוב חסדך מחיים

luptas mea eo jucundior, quo tristior erat status e A
quo me eduxisti, & captivitas mea acerbior.

In nomine tuo levabo manus meas.] Hic naturalis est Deum deprecantium, eumque testem invocantium gestus, manus ad Cœlum extollere [1]. Levitæ in Templo noctu Dominum benedicentes manus suas extollebant ad Cœlum: *In noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum*. Psal. 133. 5. Judæi extra Templum ad Sanctum hunc locum manus suas attollebant orantes [2]. S. Paulus 1. Timoth. 2. 8. vult *viros orare in omni loco, levantes puras manus*. Patres manibus puris bona opera designari interpretantur.

℣. 6. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.] Hebræus [3]: *Sicuti anima mea saturabitur adipe, & carnibus delicatis*. Utrumque Auctographi nomen significat adipem, sed Hebræi hac B
utuntur voce, ut quidquid in rebus omnibus, carne, pane [4], vino, oleo, agris, exquisitissimum est, innuant [5]. Vesci adipe apud illos idem est, ac delicatissimas epulas manducare. *Qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur*, ait Sapiens. Prov. 21. 27. *Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine*, ait Jeremias 31. 14. quod maximam habet rationem cum eo, quod hic ait auctor Psalmi, se laudes Domini enunciaturum in abundantia adipis, quo in templo illius saturabitur.

Labiis exultationis laudabit os meum.] S. Hilarius, S. Augustinus, Arnobius, Cassiodorus, & antiqua Psalteria: *labia exultationis laudabunt nomen tuum*. Labia mea cum hilaritate nomen sanctum tuum celebrabunt. Hebræus ad litteram [6]: *Os meum* C
laudabit te labiis lætitiæ, vel laudis.

℣. 7. Si [7] memor fui tui super stratum meum [8], in matutinis meditabor in te.] Mane vix expergiscar, cum statim de cubili meo de te cogitabo. Vel: cum nominis tui memoria mihi succurret mane in cubili meo, cum vix experrectus fuero, nequaquam negligam illam, tamquam inanem cogitationem, quam dissipat somnus, servabo eam, in ea versabor, hæc erit meæ meditationis argumentum. Hebræus [9]: *Si reminiscor tui in strato meo, meditabor de te in vigiliis*. Vel: cum recordabar tui, per cunctas noctis vigilias in ea recordatione morabar; noctem integram transigebam, animo meo repetens magnalia tua, atque prodigia. Numquam deero quominus rem magnam adeo, ac suavem mediter [10]. Vel sequen- D
tibus adnectendo: omnibus vigiliis noctis recogitabo, (℣. 8.) *te mei suscepisse præsidium, ac fore ut postea gaudeam sub velamento alarum tuarum*, atque sub protectione tua.

℣. 8. In velamento alarum tuarum exultabo.] Numquam gratiæ illius obliviscar, qua de captivitate me eduxisti, atque in tutelam tuam excepisti. Hebræus [11]: *Cantabo* abditus *sub umbra alarum tuarum*. Laudes tuas in sancto Templo tuo prædicabo, ibi tuto, ac in pace consistam.

Adhæsit anima mea post te; me suscepit dextera tua.] Per amorem, ardensque possidendi tui desiderium adhæsit tibi anima mea. Aperui tibi cupiditatem meam tibi inserviendi, atque per totum vitæ meæ curriculum Templo tuo famulandi; E
sollicita desideria mea respexisti, vota, precesque meas audivisti, me sub alis tuis, atque in tutelam tuam excepisti.

℣. 9. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam; introibunt in inferiora terræ.] Babylonii summo furore persecuti sunt me; vitam mihi auferre conati sunt, me gravissimis obruendo laboribus; verumtamen mihi tribuit Deus vim, omnibus tribulationibus resistendi; egressus sum de manibus inimicorum meorum; eos vero ira Domini confringet; peribunt, atque ad sepulchrum redigentur, vel etiam, terra eos adhuc viventes deglutiet [12]; quæ est exaggeratio. Chaldæi, & Babylonii præsertim plurima ab hostibus suis perpessi mala sunt, cum Monarchia a Chaldæis ad Persas migravit. Eorum narrationem Prophetæ nobis reliquerunt [13]; neque ambigi potest, quominus eorum vaticinia expleta fuerint; licet profana Historia nihil satis explicitum hac in re afferat.

Patres hoc de J. C. post ipsius Passionem intelligunt. Alloquitur Deum Patrem suum ℣. 8. Adhæsit tibi anima mea, & dextera tua me de sepulchro eduxit. ℣. 9. Sed Judæi mihi infensi, qui me occiderunt præcipites dabuntur in Infernum [14]. *In inferiora terræ*. Vulpium, hoc est Dæmonum erunt præda [15]: *Partes vulpium erunt*; Romanorum gladio peribunt: *Tradentur in manus gladii &c.* Hebræi dicunt *manum gladii* pro manu armata [16], vel pro *militis potentia*.

℣. 10. Rex vero lætabitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.] Babylonii Regnum Juda delere voluerunt, ac ita inutiles reddere Domini promissiones, qui Davidi pollicitus fuerat, sceptrum in familia ejus æternum esse permansurum. Verum Deus eorum conatum elusit. Davidis progeniem servavit Zorobabel illustre nobilissimæ hujus sobolis germen, & Caput captivorum Babylonico jugo liberatorum lætabitur in Deo, restitutum videns majorum suorum solium. Judæi qui illum secuti, una cum eo Jerusalem redeunt, qui eum veluti Regem colunt, & per illius vitam jurant, quemadmodum Judæi consueverant, gloriabuntur, & laudabunt Dominum, videntes Chaldæos hostes atque calumniatores suos erubescere, ac turpi silentio nulla ulterius in ipsos ingerere convicia.

Licet Zorobabel numquam Coronam gestarit, neque regiam auctoritatem in Juda exercuerit, ex quo populus hic primum Regibus Persidis, mox Alexandro, & successoribus ejus paruerit usque ad Pontificatum Judæ, vel Aristobuli Asmonæi; attamen inter suos summa reverentia, ac singulari observantia colebatur. Hoc liquet ex Aggæo Propheta qui c. 2. 24 ait, illum a Domino electum, ut veluti annulum digito suo insereret, atque ab eodem præfectum fuisse populo suo. Vidimus jam in Psalmis 59. 9. & 60. 7. eum ipsum Legislatoris, vel Regis nomine designatum, & a Zacharia 3. 8. & 6. 12. vocatur *germen* domus David, veluti exhibens J. C. cui uni pressius ad litteram conveniunt omnes denominationes, & omnia elogia, quæ a Prophetis tributa fuere Zorobabel.

Patres [17] hoc in loco J. C. intelligunt *Regis* nomine; qui verus est hujus loci sensus, juxta primam Spiritus Sancti intentionem; cum Deus sapientissima providentia sua nequaquam permiserit, ut re ipsa Zorobabel regiam dignitatem possideret, ne hinc Judæi, & increduli occasionem arriperent J. C. reiiciendi, & unice hærendi figuræ, quin ad Prototypum, remque significatam ascenderent.

Consuetudo jurandi per vitam Regis apud Hebræos ex omni Scriptura innotescit [18]. Theodoretus, Muis, & alii

1 Tertull. De oratione Dominica. 2 Psal. 27. 2. Vide Eccli. 48. 22.
3 כמו חלב ודשן תשבע נפשי 4 Psal. 80. 17. 147. 14. 5 Genes. 27. 28.
6 שפתי רננות יהלל Sym. Διὰ χειλέων ἀφθόνων ὑμνήσει στόμα μου. 7 Edit. Sixti V. *Sic memor*, &c. Ita & Genebr. & Psalter. Rom. 8 August. *Si memoratus sum tui super stratum meum, in diluculis meditabar in te*. 9 אם זכרתיך על יצועי באשמרות אהגה בך Sym. Ἀναμιμνησκόμενος σου ἐπὶ τῆς στρωμνῆς μου, κατ' ἑκάστην φυλακὴν ἐμελέτων σε. 10 Vide Athanas. hic, & Aquil. Ἐν φυλακαῖς φθέγγομαι ἐν σοί.
11 בצל כנפיך ארנן Sym. Καὶ σκεπόμενος ἐν ταῖς πτέρυξί σου εὐφρανοῦμαι. 12 Confer Num. 16. 30. 31. Psal. 54. 16. 13 Isai. 13. 1. & seq. 14. 22. 21. 9. Jerem. 25. 12. 14 Euseb. Hieron. August.
15 Hilar. Euseb. 16 Jerem. 18. 21. Ezech. 35. 5.
17 Euseb. Hilar. August. Hieronym.
18 1. Reg. 1. 26. 20. 3. 2. Reg. 15. 21.

& alii nonnulli [1] in hoc sensu intelligunt ea verba : *laudabuntur omnes, qui jurant in eo*. Sed alii [2] ea referunt ad Deum. Qui jurant in nomine Domini, qui eum colunt, Religionem illius profitentur, erunt A in gloria. Jurare in nomine numinis alicujus; illud venerari, ejusque Religionem sequi significat [3]. Prior sensus ad litteram magis mihi videtur accedere.

1 Vide Hamm. Castal. Bossuet, du Pin. 2 Chald. Kimchi, Ezr. Rab. Sal. Genebr. Geier. Men. Tirin.
3 Deut. 6. 13. Isai. 45. 23. 65. 12. Sophon. 1. 5.

PSALMUS LXIII.

Propheta a Deo petit, ut a nequitia, ac impotentia inimicorum suorum præservetur. Eorum furorem, ac insidias describit; Calamitatem vero, & excidium portendit.

In finem, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Rabbini Psalmum hunc explicant de Daniele in leonum foveam conjecto, quæ sententia Interpretibus nostris arridet [1]. Nihilominus cum Textus Cantici admodum vagus sit, plerique [2] Psalmum hunc Davidi tribuunt, a Saule, vel ab Absalone [3] exagitato. Ego vero plura isthic deprehendere videor, quibus eum, uti superiorem intelligere cogor, tamquam Captivorum Babylonis querimoniam. Descriptio, quam Auctor inimicorum suorum hue adfert, illi penitus conformis est, quam frequenter adeo vidimus, Babyloniorum Judæos persequentium. Eorum impietas, crudelitas, impotentia, mala, quæ illis Auctor minitatur, effectus, quæ supplicii illorum intuitus in omnium mentibus erat pariturus; hæc omnia in omnibus fere Psalmis, quos Prophetæ in Captivitate conscripserunt, deprehenduntur. Patres hoc intelligunt in sublimiori sensu de J. C. quem Judæi persecuti sunt, vel de Ecclesia tot persecutionibus exagitata. S. Hilarius tenet, Psalmum hunc ad nullam circumstantiam Historiæ David, vel alius cujuspiam referri; sed simplicem esse viri Justi inter præsentis vitæ pericula orationem.

1. EXaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: a timore inimici eripe
animam meam. 2 Protexisti me a conventu malignantium: a multitudine
operantium iniquitatem. 3 Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: in-
tenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. 4 Subito
sagittabunt eum, & non timebunt: firmaverunt sibi sermonem nequam. 5 Narra-
verunt ut absconderent laqueos: dixerunt: Quis videbit eos? 6 Scrutati sunt ini-
quitates: defecerunt scrutantes scrutinio. 7 Accedet homo ad cor altum: & exal-
tabitur Deus. 8 Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum: & infirmatæ sunt
contra eos linguæ eorum. 9 Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: & timuit
omnis homo. 10 Et annuntiaverunt opera Dei: & facta ejus intellexerunt. 11
Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

℣. 1. EXAUDI DEUS, ORATIONEM MEAM, CUM DEPRECOR [4] A TIMORE, INIMICI ERIPE ANIMAM MEAM,] vel libera eam de terribili hoste, qui me persequitur, atque opprimit. Fac, ne mihi obesse queat: vel eripe me de manibus illius, ex hac educens captivitate. Vel denique: Virtutem mihi tribue, qua timori obsistere queam: animos mihi fac inter ea, quæ mihi circumstant mala, ne permittas, ut meæ calamitati succumbam. Hebr. [5]. *Audi Domine vocem meditationis*, vel orationis *meæ, præserva vitam meam de timore inimici.*

℣. 2 PROTEXISTI ME A CONVENTU MALIGNANTIUM.] Hactenus Domine me protexisti adversus inimicos meos, confirmasti me adversus Babylonios, qui B me afflixerunt; ne permittas, me injusta eorum tyrannide opprimi. Hebræus [6], Chaldæus, Syrus, Septuaginta [7], Arabs, Æthiops, & Græci vel futuro tempore, vel imperandi modo legunt: *Proteges me*, vel *protege me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem*. Scriptura sæpius in Psalmis Babylonios *operantes iniquitatem* appellat [8].

℣. 3. QUIA [9] EXACUERUNT, UT GLADIUM LINGUAS SUAS; INTENDERUNT ARCUM REM AMARAM.] Hebræus [10] ac veteres Interpretes: *acuerunt linguam suas tamquam gladium: eduxerunt sagittas suas*, hoc est *amaros sermones suos*. Aperte vim fecerunt in me maledicis, ac virulentis linguis suis, sermonibus improbis, atque mendacibus. Chaldæus: *Acuerunt linguas*

1 Vide Muis, Geier. Lyran. 2 Euseb. Theodoret. Euthym. Beda, Kimchi, Muis, &c.
3 Vide Ferrand. hic.
4 S. Hilar. August. Psalter. Rom. S. German. Carnut. *Exaudi, Deus, orationem meam dum tribulor*. 70. Rom. & Complut. Εἰσάκουσον τῆς φωνῆς μου ὁ θεὸς ἐν τῷ δέεσθαί με πρὸς σέ. Alii non legunt πρὸς σέ. Hilar. *Dum precor ad te*.
5 שמע אלהים קולי בשיחי מפחד אויב תצור חיי 6 תסתירני מסוד מרעים מרגשת פעלי און *Abscondes me a secreto malignorum; a tumultu operariorum iniquitatis*. Vide Sym. 7 70. Σκέπασον με ἀπὸ συστροφῆς πονηρευομένων. 8 Psal. 5. 7. 13. 5. 35. 13. 52. 58. 3. & 6. 9 Euseb. Athanas. Hilar. *Qui*, pro *Quia*.
10 אשר שננו כחרב לשונם דרכו חצם דבר מר Sym. Ἐπλήρωσαν τόξον ἑαυτῶν λόγῳ πικρῷ. *Impleverunt arcum suum sermonibus amaris*. Aquil. Ῥῆμα πικρόν. Th. Λόγον πικρόν.

guas suas; velut gladium, tetenderunt arcum suum, & sagittas suas lethifero amaroque veneno imbuerunt. Psalmista sæpius fraudis, & calumniarum nomine Babylonios incusavit; & sæpius linguas eorum acutis gladiis, venenatisque telis comparavit [1]. S. Hieronymus, Eusebius, ac S. Hilarius hæc omnia ad hæreticos transferunt, quorum sermones æque perniciosi sunt, & corrupti, ac sagitta veneno imbuta.

℣. 4. UT SAGITTENT IN OCCULTIS [2] IMMACULATUM. SUBITO SAGITTABUNT EUM &c.] Se se abscondunt, ut tutius feriant, & nec opinanti lethale vulnus infligant. Nihil vel ab hominibus, vel a Deo sibi verentur. Eos in flagitiis suis confirmat impunitas; obdurantur, & incalescunt. *Firmaverunt sibi sermonem nequam*; vel uti S. Hilarius legit, *verbum malum*; Arnobius, *verbum injustum*. S. Augustinus; *Obfirmaverunt sibi sermonem malignum*. Ita potest explicari; *Mutuo se confirmant in pravis consiliis suis*, vel improbis sermonibus suis [3].

℣. 5. NARRAVERUNT [4], UT ABSCONDERENT LAQUEOS; DIXERUNT: QUIS VIDEBIT EOS [5]?] Sæpius impii se se abscondunt ob malum patrandum, non tam ob timorem, ne ab hominibus reprehendantur, atque plectantur, quam ut eos facilius decipiant, omnem illis adimendo diffidentiam secreta illa, atque impereeptibili ratione, qua eos aggrediuntur [6]: Non volunt palam haberi nefarii, ac perniciosi; sed in medio fœdissimarum iniquitatum suarum aliquam existimationis, & honoris speciem servare desiderant. Aliam veluti personam induunt, laqueos suos abscondentes. Verum Dei ne oculis delitescunt? *Dixerunt: quis videbit eos?*

℣. 6. SCRUTATI SUNT INIQUITATES; DEFECERUNT SCRUTANTES SCRUTINIO [7].] Injustitiam suam aliquo æquitatis prætextu velantes, me impium haberi voluerunt; verum eorum calumniæ in ipsos relapsæ sunt. Ita Judæi frustra adlaborabant, ut contra J. C. falsos testes perquirerent. Eos ipsorum prodebat nequitia; fallacia undequaque se se aperiebat. Babylonii, ut aliquam prætexerent causam belli, quod Judæis inculerant, atque crudelitatis, qua in eos sæviebant, ipsos rebellionis, infidelitatis, inconstantiæ, inobedientiæ, impietatis arguebant. Satis liquet, quo pacto exceptus fuerit Daniel, eo prætextu, quod ei Regis non parebat imperio, quo Idololatria jubebatur. Confer Psalmos 13. 24. 25.

Alius textui sensus potest appingi [8]; *Inimici mei quæsiverunt adversum me iniquitates*. Me eorum scelerum, quorum innocens eram, insimulaverunt; *atque ad ea invenienda omnem improbitatem suam exstruxerunt*. Nihil intentatum reliquerunt; curribus, & equis adnisi sunt, omnem animi sui nequitiam impenderunt, ut nomini meo infamiam adspergerent [9]. Vel: *Omnes nervos intendimus ad accusationes inveniendas*; perinde ac ipsi de patrato malo gloriarentur.

℣. 7. ACCEDET HOMO AD COR ALTUM; & EXALTABITUR DEUS.] Licet omni nisu contendat homo, ut se super similes sibi extollat, ac justam Domini ultionem effugiat; improbitas, & ambitio illius vanæ sunt; Deo semper integrum erit, eos in ordinem cogere, ac deprimere, & efficere, ut ulterius manus suæ pondus sentiant. Aliter: Quamtumvis secreta sint hominis consilia, quantumvis ea celare adnitatur, Deus semper illi supereminere, ac injustos animi meatus lustrare novit. Eusebius, S. Hilarius, & S. Athanasius per *cor altum* intelligunt virum sapientem, atque doctorem.

Quædam antiqua Latina Psalteria [10], Septuaginta [11], & Græci Patres legunt: *Accedet homo, & cor altum*. En Hebraicum textum [12], qui præpeditior est in his versiculis 6. 7. 8. *Quæsiverunt iniquitates contra me. Omnes consumpsimus perquisitiones nostras* (℣. 7.) *ad effodiendum interiora hominis, & cor profundum.* (℣. 8.) *Dominus repente contorsit in illos sagittas suas, ipsi vulnerati sunt* telis ejus, vel se ipsos vulneraverunt, *& linguæ eorum eos cadere fecerunt super se ipsos.* Frustra impii adnisi sunt, ut me fontem invenirent; sed res illis e voto non cessit. Imum cordis mei pervadere voluerunt, & scrutari secretiores cogitationes meas; sed scientia hæc uni Deo reservatur. Dominus nequitiam, ac temeritatem illorum puniturus deprompsit in eos sagittas iræ suæ, sub manu illius ceciderunt. Linguæ eorum, quibus usi fuerant, tamquam spiculis venenatis adversum me, in ipsos conversæ sunt. Calumniæ, quibus tenebras nomini meo offundere studuerunt, eorum dumtaxat existimationem læserunt, eosque pudore operuerunt.

Syriaca versio satis commodum sensum adfert. *Improbi perquisiverunt; & perierunt scrutantes iniquitatem in interiori, at imo cordis hominis. Consurget Dominus, & ejaculabitur in illos sagittas suas, cum minus opinabuntur; & linguæ eorum erunt absque defensione.* Aquila [13]: *Fodiet usque ad imum cordis, atque interiora hominis. Et Dominus vertet illos, veluti lapidem fundæ. Sagittæ repente contortæ*, quin ipsi sentiant, *eos confodient, & linguæ eorum eos super se cadere facient*. Symmachus [14]: *Inimici mei quæsiverunt iniquitatem omnes simul; effoderunt usque ad interiora, & imum cor hominis. Dominus ergo conjiciet sagittas suas in illos. Subito, atque inexpectato ictu vulnerabuntur; & decident in terram a linguis suis* prostrati. Theodotion [15]: *Dominus torquebit sagittas suas contra hominis cogitationem, & contra cor profundum &c.* Verum ne recedamus a Vulgata, & Septuaginta, quorum lectio plerumque sanior est, quam quæ ab hodierno Hebraico textu exhibetur.

℣. 8. SAGITTÆ PARVULORUM FACTÆ SUNT PLAGÆ EORUM.] Deus in irritum abire jussit omnes eorum conatus in me. Illorum tela ad me pervenire non potuerunt; vel si pervenere, nullum umquam mihi vulnus inflixerunt. Tales eorum ictus sunt, veluti si parvulorum manu sagittæ emitterentur [16]. Vel: Sagittæ a parvulis emissæ lethales fuerunt inimicis meis; profunda illi vulnera intulerunt. Vide Hieronymum.

INFIRMATÆ SUNT CONTRA EOS LINGUÆ EORUM.] Linguæ inimicorum meorum, quæ tamquam gladii, atque sagittæ acutæ erant [17], omni adversus me vi caruerunt. Eos tantum vulnerarunt, qui utebantur illis. Ipsi inimici mei lethalibus vulneribus confossi sunt. Antiqua tum Græca, cum Latina Psalteria hoc in loco

---

1 Psal. 13. 3. 36. 14. 119. 3. &c. 2 Hilar. *In obscuro*. August. *In abscondito*.

3 Sym. Ἐκράτυναν λόγον πονηρόν, συνηγόρευσαν τὸ κρύψαι παγίδας. יחזקו למו דבר רע.

4 Hilar. Psalt. Roman. S. Germ. Carnut. *Disputaverunt*. Mediol. *Disposuerunt*. Symmac. *Consuluerunt*.

5 Syr. Arab. Arnob. Cassiod. *Quis videbit nos?* 6 Vide Euseb.

7 70. Ἐξέλιπον ἐξερευνῶντες ἐξερευνήσεις. Ita Theodoret. Euseb. Euthym. August. *Defecerunt scrutantes scrutationes*. Cassiodor. Psalter. Roman. & Mediol. *Scrutantes scrutinium*. Edit. Roman. Ἐξερευνῶντες ἐξερεύνησιν, ut Vulg.

8 יחפשו עולות תמנו חפש מחפש 9 Vide Theodoret. Hieronym. Kimchi, Muis, Bossuet, Lud. de Dieu, Cocc. & alios. 10 Psalter. Gallican. Hilar. in Cod. Reg. 769. Item Cod. Reg. 138. 222. Colb. 1. 158. 1339. Memm. 2. apud Fess. 11 70. Προσελεύσεται ἄνθρωπος, καὶ καρδία βαθεῖα. Euseb. Εἰς καρδίαν βαθεῖαν.

12 (6.) יחפשו עולות תמנו חפש מחפש (7.) וקרב איש ולב עמק (8.) וירם אלהים חץ פתאום היו מכותם ויכשילוהו עלימו לשונם

13 Aquil. Σκελλίσει σκαλεύσμος.... ἔγκατον ἀνδρός, καὶ καρδία βαθεῖα. Καὶ ῥοιζήσει αὐτοὺς ὁ Θεός, βέλει παραχρῆμα ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν. Καὶ ἐσκανδάλισαν αὐτοὺς ἐπ' αὐτοὺς αἱ γλῶσσαι αὐτῶν.

14 Sym. Ἐξερεύνησαν ἀνομίας, συμπάντες ἐξερευνῶν ἐξερεύνησιν, ὃς ἐγκάτου ἑκάστου καρδίας βαθείας. Ἀκοντίσει δὲ αὐτοὺς ὁ Θεός. Βέλος αἰφνίδιον ἔσονται αἱ πληγαὶ αὐτῶν, καὶ πταίσει καθ' ἑαυτῶν ταῖς γλώσσαις αὐτῶν.

15 Theodot. Καὶ διανοίας ἀνδρός, καὶ καρδίας βαθείας κατατοξεύσει ὁ Θεός. 16 Vide Theodoret. hic.

17 Sup. vers. 3.

loco inter se varia sunt. Alia habent [1]: *Linguæ eorum eos contempserunt*. Alia [2]: *linguæ eorum infirmatæ sunt contra illos*: Hebræus ad litteram [3]; *linguæ eorum fuerunt illis lapis offensionis*.

℣. 9. CONTURBATI SUNT OMNES, QUI VIDEBANT EOS.] Cum Dominus de Babyloniis ultionem exposcet, tunc populis terror, ac tumultus incedet. Cum magnum hoc impetium eversum fuerit, gentes omnes laudabunt Deum Jacob, ejusque magnalia, ac infinitam potentiam prædicabunt. *Et annuntiaverunt opera Dei* &c. Hæc omnia futuro tempore effetuntur in Hebræo, Chaldæo, S. Hieronymo, aliisque Interpretibus.

℣. 11. LÆTABITUR JUSTUS IN DOMINO &c.] Gaudio summo afficiemur eo tempore, quo ultionem

A adversus inimicos nostros explebis. Initium eorum calamitatis erit etiam felicitatis, ac libertatis nostræ. *Laudabuntur omnes recti corde*. Gentes omnes benedictionibus, laudibusque populum tuum cumulabunt: Nos summa cum observantia, atque reverentia tamquam populum Omnipotenti Deo acceptum respicient [4]. *Laudabuntur omnes recti corde*. Hebræus [5]. *Omnes recti corde gloriabuntur*, se tuos esse jactabunt. Sibi gloriæ vertent, quod Populus Domini appellabuntur; quemadmodum Magni Principis servi ex nomine, ac dignitate Domini sui sibi honorem accedere putant. Hunc gloriæ statum opponit captivitati, in qua ab omnibus contempti erant, atque despecti.

1 Edit. 70. Ἐξουθένησαν αὐτὸν αἱ γλῶσσαι αὐτῶν. *Despexerunt eum linguæ eorum*. Hil. *Nihil habuerunt contra ipsos linguę eorum*. Psalt. Rom. & Carnut. *Pro nihilo habuerunt contra eos*, &c. Psalt. S. Germ. *Pro nihilo habuerunt eum, & infirmatę sunt super ipsos linguę eorum*. 2. Edit. Complut. Καὶ ἐξησθένησαν ἐπ' αὐτοὺς αἱ γλῶσσαι αὐτῶν. Ita August. *Infirmatę sunt super ipsos*. 3 ויכשלוהו עלימו לשונם

4 Vide Deut. 4. 6. 8. 32. 43. Psal 45. 9. 62. 12. 104. 3. & 5. 12. &c. 5 ויתהללו כל ישרי לב

PSALMUS LXIV.

Actio gratiarum pro impetrata pluvia, ac terræ reddita fertilitate post diuturnam ariditatem.

In finem, Psalmus David. Canticum Jeremiæ, & Ezechielis, populo transmigrationis cum inciperent exire.

ARGUMENTUM.

Hæc tituli verba: *Canticum Jeremiæ, & Ezechielis, populo transmigrationis cum inciperent exire*, in Hebræo [1], Chaldæo, & Syro non leguntur. Antiqua Exemplaria Septuaginta, quæ erant in Hexaplis Origenis ea non legebant, Theodoreto teste [2]; & ad hanc diem Exemplaria, in quibus reperiuntur, discrepant inter se: alia enim addunt *Aggæum* [3], & alia [4] innuunt, Psalmum hunc compositum fuisse sub reditum de captivitate, non autem in ipso Captivorum discessu, quemadmodum pleraque referunt. Denique non pauca sunt [5], quæ penitus hanc additionem omittunt, sed hæc tantum afferunt verba: *In finem, Psalmus Cantici David*; vel simpliciter, *Psalmus David*.

Hoc autem certum est, & omnes confitentur Interpretes, titulum hunc nequaquam magnæ esse auctoritatis. Theodoretus explicite ait, illum, a quo additus fuit, historiam, ac veram Psalmi occasionem omnino ignorasse. Et equidem sive de populo explicetur jamjam Babylonem profecturo, vel inde jamjam egrediente, vel denique de Judæis Jerusalem reversis; titulus nullo pacto potest aptari argumento. Jeremias numquam Babylone fuit, Ezechiel quidem ibi fuit, sed inde non rediit. Jeremias erat cum populo, qui in captivitatem erat abducendus, non item vero Ezechiel. Itaque duo hi Prophetæ simul esse non potuerunt, ut Canticum hoc componerent, neque ante, neque in ipsa, neque post ipsam captivitatem. Hic igitur titulus rejiciendus est, quamcumque sequaris hypothesim, ex tribus, quas proposuimus. Itaque interpretum plerique eum penitus abjiciunt, & Psalmum hunc explicant, quin ne minimum quidem titulo attendant.

Sanctus Augustinus, S. Hieronymus, & Beda Venerabilis hunc explicant de Captivorum Babylonis reditu in Jerusalem. Theodorus Heraclæota de Judæis reditus sui jam certis, atque ad iter se se expedientibus. Ferrandus illum Aggæo adscribit, quem illum composuisse putat, ea in occasione quam nuper memoravimus, cum jam iter susceptutus esset, ut in Judæam reverteretur. Rabbini quidam, ac Interpretum nostrorum nonnulli [6] putant, hunc a Davide fuisse compositum, ut Deo gratias ageret ob pluviam, & fertiliatem, quam post diutinam ariditatem, ac inopiam regioni ille concesserat. Psalmus 28. *Afferte Domino, Filii Dei &c.* simile habet argumentum. Syriaca versio hunc transfert ad tempus translationis Arcæ in Sion. S. Hilarius, aliique Patres [7] ibi quasdam deprehendunt prophetias ad Gentilium vocationem spectantes.

En porro systema, quod in Commentario nostro in hunc Psalmum sectamur. Post reditum de captivitate, cum Populus restaurasset Altare Holocaustorum, & nonnihil e Templi substructionibus inceptum esset, intervenit edictum ab aula Persidis, quo ædificium illud prosequi prohibebantur 1. Esdr. 4. 5. Judæi ergo destitere ab incœpto, omnesque curas suas converterunt, ut sibi metipsis privatas ponerent domos, seque in regione ea confirmarent, quæ diutius adeo fuerat deserta. Hoc diu obtinuit: sed tandem Dominus eorum negligentia in cultu suo, ac domus suæ instauratione irritatus, eos inopia, atque siccitate afflictavit. Prophetæ [8], Aggæus, Zacharias, & Malachias populo ostenderunt, hæc flagella negligentiæ eorum esse pœnam, eosque

1 למנצח מזמור לדוד שיר 2. Theodoret. Ita & Græc. Paraphr. a Corderio editus.

3 Ita Basil. Arnob. Lyr. Genebr. Psalter. antiqu. Reg. 222. Colbert. 1. 158. 1339. Memm. 2. & Carnut. *Canticum Jeremiæ, & Aggai de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci*.

4 Ita Hieronym. in Comment. *Canticum Jeremię, & Ezechiel de Captivitate*.

5 Ita Psalter. Roman. Gallican. Euseb. Hilar. Ita Edit. 70. Rom. 6 Muis, ex Abnezra.

7 Euseb. Athanas. 8 Vide 1. Esdr. 5. 1. & Agg. 1. 6. & 11. 10. Zachar. 8. 11. 12. Malach. 3. 9 10.

eosque ad laborem hortati sunt [1]; & demum cum Darius, filius Hystaspis, Judæis magis faveret [1], iterum templo ædificando manum admoverunt; Rex iste illis opitulatus est [2], & statim Deus erga Judæos consuetæ benevolentiæ deprompsit effectus. Illis immisit pluviam, redditque terræ illorum fertilitatem [3]. Ea in occasione Canticum hoc compositum fuit, plane a Sacerdote aliquo, vel Levita, uti videbimus in vers. 5. & 6. Videtur autem in quadam e præcipuis solemnitatibus cantatum fuisse propter ea vers. 2. verba: *ad te omnis caro veniet*. Ostendemus autem in Commentarii decursu, quam rationem habeat Psalmus iste cum allatis hactenus circumstantiis.

1. TE decet hymnus, Deus, in Sion: & tibi reddetur votum in Jerusalem.
2 Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet. 3 Verba iniquorum prævaluerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.
4 Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis. 5 Replebimur
in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. 6 Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe. 7
Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum
maris, sonum fluctuum ejus. 8 Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant
terminos a signis tuis: exitus matutini, & vespere delectabis. 9 Visitasti terram,
& inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. 10 Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio ejus. 11 Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus lætabitur germinans. 12 Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate. 13 Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur: 14 Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

℣. 1. TE DECET HYMNUS, DEUS, IN SION, & TIBI REDDETUR VOTUM IN JERUSALEM.] Postrema hæc vox, *Jerusalem* non legitur in Hebræo textu; neque in Syriaca versione, neque in Septuaginta Romanæ Editionis. Versiculus hic, & subsequens sunt veluti proœmium quoddam prophetæ, qui psalmum hunc concinnavit. Justum est, o Deus, ut in Sion veniamus, illuc tibi gratias acturi, ac persoluturi vota, postquam populum tuum benigno vultu respicere, agrisque ubertatem, & copiam reddere dignatus es. Venimus, Domine, in Templum sanctum tuum, ea, quæ debemus, in medio populi tui cœtu adimpleturi.

Hebræus [4], *Tibi, Domine, laus convenit in Sion, & tibi vota reddentur*. Vel, *silentium te laudat in Sion, o Deus, & tibi vota redduntur*. Nihil aliud, quam silentium purum, & simplex omnipotentis Dei cognitio, illi offerri potest, tamquam sacrificium illius acceptum Majestati, inquit Porphyrius de Abstin. l. 2. Laudes ipsæ, quas tibi cœlestes Spiritus tribuunt, ait Chaldæus, habentur veluti altissimum silentium, o Deus, cujus Majestas residet in Sion. Grotius simpliciter intelligit, ac si legeretur: *Favete linguis*. Silentium servetur, donec Deus laudatur. S. Hilarius adnotat, Deum nequaquam accipere preces, quæ illi extra Ecclesiæ Catholicæ communionem, extra Sion effunduntur: *Vota tantum Ecclesiasticæ religionis utilia sunt*.

℣. 2. EXAUDI ORATIONEM MEAM: AD TE OMNIS CARO VENIET.] Exaudi preces, quas tibi hodie in generali populi totius cœtu effundo. Hebræus verti potest [5]: *Audi orationem*; vel, Tu, qui preces exaudis. *Omnis caro veniat ad te*. Magne Deus, qui ad te venientium vota, humilesque preces non respuis; omnes terrarum populi solicita cura in templo tuo venerentur, suas nostris vocibus addant, laudes tuas celebraturi [6]. Hæc est prædictio vocationis Gentilium ad Ecclesiam J. C. in qua congregati sunt omnium conditionum, omniumque regionum homines; vel est prophetia de universali Judicio, in quo omnes homines generatim coram Supremo Judice judicandi prodibunt.

℣. 3. VERBA INIQUORUM PRÆVALUERUNT SUPER NOS; & IMPIETATIBUS NOSTRIS TU PROPITIABERIS [7].] Samaritani sollicitationibus suis obtinuerunt, ut nobis abrogaretur concessa a Cyro facultas Templum tuum instaurandi [8]. Regis imperio obtemperavimus, ac domus tuæ ædificatio intermissa est. Negligentia nostra te, Domine, ad iram succendit, & nos in ira tua percussisti. Verum tandem nobis parces, quandoquidem prophetarum tuorum dictis obsecuti sumus, atque rursus sanctum habitaculum tuum ædificare incœpimus. S. Augustinus, S. Hilarius, Eusebius, & S. Athanasius verba hæc ad Nationes referunt, quæ Christi Religionem suscepere; & quæ isthic Majorum suorum errores, & scelera confitentur.

Hebræus [9]: *Verba iniquitatis*, vel *res peccati*; verbo, *peccata prævaluerunt adversum nos*; *tu remittes*, vel expiabis *scelera nostra*. Hebraice nomen, quod *res*, etiam *verba* significat. *Res peccati* sunt peccatum ipsum. Symmachus [10]: *Sermones impiorum dominati sunt mihi*, non procul a Vulgata. Hic autem sensus Hebræo potest appingi: Fatemur, Domine, peccatum nobis fuisse dominatum. Nimis negleximus cultum tuum, & gloriam domus tuæ, ac dum nostrum quilibet adnititur, ut commode, ac decenter habitet [11], Templum tuum relinquitur imperfectum. Dum quilibet bona cumulare studet, Ministri tui inopia laborant; eo quod non satis fideliter primitiæ Domui tuæ persolvuntur [12]. Verum tandem se se collegit populus tuus, & tu illi pepercisti. Cœlum aperuisti, quod tandiu clausum tenueras; nobis pluviam dedisti, agrisque nostris ubertatem reddidisti.

℣. 4. BEATUS, QUEM ELEGISTI &c.] Sacerdos, vel Levita hic loquitur, & Deo gratias agit, eo quod electus fuerit, atque assumptus ad ministerium illius; quod ipsum sequenti versiculo prosequitur. S. Hilarius, Eusebius, aliique nonnulli hoc intelligunt de ele-

1 1. Esdr. 5. 2. 3. 4. & Agg. 1. 14. & 11. 1. 2. 3. Zacch. 4. 9.
2 1. Esdr. 6. 1. 2. & seq. 3 Vid. Agg. 2. 17. 18. 19.
4 לך דמיה תהלה אלהים בציון ולך ישלם נדר 5 שמע תפלה עדיך כל בשר יבאו Eusebius non legit, *meam*, neque Hebræus. 6 Vide Jerem. 66. 23. *Erit mensis ex mense, & veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea.* 7 S. Hilar. S. August. *Impietates nostras tu propitiabis*. Ita 70. Edit. Rom. Τὰς ἀσεβείας ἡμῶν σὺ ἱλάσῃ. 8 1. Esdr. 4. 5. 6. & seq. 9 דברי עונות גברו מני פשעינו אתה תכפרם
10 Symmach. Λόγοι ἀσεβῶν κατεδυνάστευσάν με. 70. Λόγοι ἀνόμων ὑπερεδυνάμωσαν ἡμᾶς.
11 Agg. 1. 4. *Numquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?*
12 Malach. 3. 9. 10. *Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea.*

electione, vel prædestinatione, qua Deus fideles suos assumit.

℣. 5. REPLEBIMUR IN BONIS DOMUS TUÆ.] Servi tui, Domine, Sacerdotes, & Levitæ, qui Templo tuo inserviunt, bonis replebuntur, vivent in abundantia. Sed præsertim postquam populum tuum clementer respicere dignatus es, agrisque ejus reddere fertilitatem, quilibet affluenter decimas affert, primitias, oblationes pro Altari tuo, & pro Ministrorum tuorum alimonia. Inter cæteras causas, quibus Dominus fuerat irritatus, non postrema ea erat, quod neglexerat populus afferre in Templum primitias, & alia, quæ debebat, & quod cibus deerat in domo Domini. *Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea*, ajebat Malachias 3. 10. *& probate me super hoc, si non aperuero vobis cataractas cæli &c.* S. Hilarius per hæc *bona domus Dei* exteriores gratias intelligit, quas ibi Deus in fideles suos effundit, scientiam, prophetiam, fidem, miracula. S. Augustinus, & Eusebius ea explicant de gratiis humanitatis Jesu Christi, quæ est Templum Divinitatis: *In quo habitat omnis plenitudo Divinitatis* Coloss. 2. 9.

SANCTUM EST TEMPLUM; MIRABILE IN ÆQUITATE.] Quam sanctum est Templum tuum! quam terribile! Quænam debet esse Ministrorum tuorum sanctitas! Quænam illorum coram te reverentia! Quænam eorum æquitas, & innocentia! Flagella, quibus haud ita pridem populum suum Deus percusserat propter eorum negligentiam in servitio, ac instauratione Domus Dei, hæc expromunt Auctoris verba. Aperte ostendis, Domine, summam venerationem, qua Templum tuum colendum est, ea severitate, qua iis decorem illius contemnentes animadvertis.

Hebræus [1]: Replebimur bonis domus tuæ, *sanctitate Templi tui*. O Deus, *terribilis in justitia exaudi nos*. Vel: *Sanctum est Templum tuum; exaudies nos modo terribili in justitia tua*. Sed Vulgatæ Versio, quæ eadem est ac Septuaginta, ea melior est.

℣. 6. SPES OMNIUM FINIUM TERRÆ, & IN MARI LONGE.] Tu, qui es spes omnium gentium, usque ad fines terræ, ac maris. Vel potius: Tu, qui es spes populi tui in extremis terrarum, mariumque finibus dissipati. Nam post desolatam a Nabuchodonosor Jerusalem, & Regnum Israel a Regibus Assyriis eversum, Hebræi in omnibus terrarum partibus erant dispersi, in insulis, & in Continente, uti ex Historiis, Prophetisque innotescit [2]. Hoc explicatur de Gentilium conversione ad fidem J. C.

℣. 7. PRÆPARANS MONTES IN VIRTUTE TUA; ACCINCTUS POTENTIA [3].] Psalmista hic Domini potentiam commendare, & misericordiæ illius effectus describere incipit propter imbrem, quem post diutinam siccitatem affluenter largitus est. Tu, Domine, infinita potentia tua, montibus soliditatem, atque immobilitatem contulisti [4]. Sunt, qui intelligunt de nemoribus, quibus a Deo montes vestiuntur; alii de imbribus, quibus irrigantur, & a quibus ubertatem acquirunt [5]. In finem Psalmi 28. ostendimus, pluviam sæpe fortitudinem Dei appellatam fuisse. Chaldæus: *Præparans escam capreolis montium in potentia sua, & qui accingitur baltheo in fortitudine sua.*

QUI CONTURBAS PROFUNDUM MARIS; SONUM FLUCTUUM EJUS.] Tu, Domine, cies procellas in mari, & elementum hoc ad imum usque agitas; tu extollis fluctus ejus, efficisque, ut horribilis tempestatum mugitus terribili modo audiatur. Septuaginta Editionis Complutensis [6], Theodoretus, Apollinaris, Euthymius, S. Augustinus, & plurimi veteres Manuscripti Græci, Latinique legunt: *Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus quis sustinebit.* Sed neque Hebræus, neque Chaldæus, neque Syrus, neque Septuaginta Romanæ Editionis, neque S. Hilarius, neque Æthiopica, & Arabica Psalteria hanc legunt additionem: *Quis sustinebit?* Re ipsa sensum non mutat. Hebr. [7] *Qui reprimis agitationem maris, elationem fluctuum ejus, tumultum populorum.* Novissima hæc verba a Vulgata initio subsequentis versiculi afferuntur: *Turbabuntur Gentes.*

℣. 8. TURBABUNTUR GENTES, & TIMEBUNT, QUI HABITANT TERMINOS [8] A SIGNIS TUIS.] Externi populi, & illi ipsi, qui longissime distant, perterriti sunt, videntes effectus potentiæ tuæ, cum repente placuit tibi aperire thesaurum tuum, atque imbrem in arentem, sterilemque terram demittere. Gentes omnes summa cum admiratione prodigium hoc intuiti sunt, neque id casu evenisse dicendum est, quippe Prophetæ tui [9] jam pridem illud fuerant vaticinati, atque aperte siccitatis, ac sterilitatis causas attulerant. Per hæc verba, *qui habitant terminos*, Hebræi sæpe Babylonios, ac populos trans Euphratem positos intelligunt [10]. Persæ, qui nobis dominantur, & ii ex fratribus nostris, qui adhuc Babylone versantur, cum stupore, atque terrore mirabiles hos omnipotentiæ tuæ videbunt effectus, ac te vereri percipient.

EXITUS MATUTINI, ET VESPERE DELECTABIS [11].] Lætitiam afferes Orienti simul, ac Occidenti. Ad mirabilium tuorum adspectum Oriens, atque Occidens lætabuntur. Nulla est adeo longinqua natio, quæ clementiæ tuæ effectus non sentiat. Loquitur de ubertate, quam terris communicat, imbres in omnes terras effundens. Alii putant, hic felicem, pacatamque regionem describi, quo populus sine ullo metu, vel cura meat, remeatque, ingreditur, egrediturque, mane ad laborem proficiscitur, vespere redit, summa cum pace, integraque cum libertate. Hebræus [12]; *laudaberis a populis, qui ortum, occasumque inhabitant*; vel *statues laudes tuas in ore hominum vespere, & mane.* Laudes tuæ interdiu, ac nocte celebrabuntur; quam loci hujus veram esse reor significationem. Symmachus [13]: *Laudatur mane, & vespere.* Patres, S. Hilarius, Eusebius, S. Hieronymus id explicant de precibus, quas Ecclesia Deo mane, ac vespere effundit.

℣. 9. VISITASTI TERRAM, & INEBRIASTI EAM, MULTIPLICASTI LOCUPLETARE EAM.] Post diutinam, molestamque adeo sterilitatem tandem aliquando visitasti terram, eam irrigasti, & quodammodo eam imbrium aquis inebriasti; eamque omnium fructuum, opumque genere locupletasti. Sensus hic perspicuus est ea in hypothesi, quam proposuimus. Hebr. [14]: *Visitasti terram, eique potum tribuisti.* Ludovicus de Dieu. *Visitasti eam* in ira tua per siccitatem, *& effecisti, ut imbrem desiderares*, sed tandem *eam effuse locupletasti.* Symmachus [15]: *Visitasti terram, & inebriabis eam; eamque magna fructuum copia locupletabis.*

℣. 10. FLUMEN DEI REPLETUM EST AQUIS [16].] Jordanes [17] magna imbrium, qui ceciderunt, copia exunda-

---

1 נשבעה בטוב ביתך קדש היכלך נוראות בצדק תעננו 2 Vide Jerem. 31. 8. Isai. 42. 10. 11. 12. 66. 19.
3 August. *Præparans montes in fortitudine sua.* (70. Ἐν τῇ ἰσχύι αὐτοῦ.) *Circumcinctus in potentia.*
4 Ita Sym. Ὁ ἑδράζων ὄρη τῇ δυνάμει αὐτοῦ. 5 Vide Muis, hic, & Psal. 103. 13. 146. 8.
6 70 Complut. Ὁ συνταράσσων τὸ κῦτος τῆς θαλάσσης, ἤχους κυμάτων αὐτῆς τίς ὑποστήσεται. August. *Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus quis sufferet?* Psalter. Rom. Cassiod. S. German. Carnut. *Quis sustinebit?*
7 משביח שאון ימים שאון גליהם והמון לאמים Aquil. Καταπαύων. Th. & 5. Edit. Καταπραΰνων. *Mitigans.*
8 Hilar. August. Psalter. Roman. Mediol. S. German. Carnut. *Qui habitant fines terræ.*
9 Agg. 1. 9. 10. 11. 17. 18. Malach. 3. 10. 11. 10 Vide Psal. 67. 26. 120. 8. 60. 2.
11 Quidam legunt: *Exitus matutini, & vespere delectabis.* Ita 70. Ἐξόδους πρωΐας καὶ ἑσπέρας τέρψεις.
12 מוצאי בקר וערב תרנין Hieronym. *Exitus matutini, & vesperi laudantes faciens.*
13 Symmach. Τὰς περιελάσεις τοῦ ὄρθρου, καὶ τὸ ἑσπέρας ὑμνολογοῦντι.
14 פקדת הארץ ותשקקה רבת תעשרנה 15 Symm. Ἐπισκέψω τὴν γῆν, καὶ μεθύσεις αὐτήν, πολυπλασίως πλουτιεῖς αὐτήν. 16 Hilar. Aug. Aqua. 17 Theodor. & Paraphr. Græc. Cord. in Catena. Euthym. Genebr.

undavit. Jordanes vulgo sub messem, non procul a Pentecoste [1] intumescit, propterea quod liquescunt nives Libani, & Montium Hermon, & Galaad, eodem ferme tempore, ac Euphrates. Scriptura quoque satis frequenter de his exundationibus loquitur, quas *Jordanis superbiam* appellat [2]. Alii per hoc *flumen Dei* magna flumina intelligunt [3], veluti Euphratem, Nilum, Orontem &c. Pluvia, quam dedisti, adeo vehemens fuit, ut majora flumina, flumina Dei, intumuerint. Chaldæus ita totum versiculum reddit. *Locupletasti eam hoc fonte Dei, qui originem suam habet in cælo, & qui plenus est pluviarum benedictionis. Præparabis messes eorum, postquam ita illum demiseris.* S. Hilarius, & Eusebius pro hoc fluvio Spiritum Sanctum, S. Athanasius Evangelicum verbum intelligunt.

PARASTI CIBUM ILLORUM; QUONIAM ITA EST PRÆPARATIO EJUS [4].] Velut amantissimus Pater terram irrigas, eique fœcunditatem largiris, ut escam hominibus suppedites. Hebræus [5]: *præparasti triticum eorum, quoniam ita illud præparas.* Imbrem terræ dedisti; atque ita copiosam messem præparasti, hactenus enim omnia plenæ, perfectæque messis indicia intuemur. Symmachus [6]: *dedisti fœcunditatem iis omnibus, quæ illi jecerunt in terram, atque ita ea confirmasti.* In Hebræorum stylo confirmare, sustinere, præparare, cum de frugibus,, terræque fructibus est sermo, eorum magnam tribuere copiam significat. Dicunt exempli gratia *confringere baculum panis* [7], pro charitatem invehere. Isaac ait ad Esau Genes. 27. 37. *Frumento, & pane stabilivi* fratrem tuum; & hoc cibo designabat S. Eucharistiam, quemadmodum S. S. Hilario, Athanasio, & Hieronymo placet.

℣. 11. RIVOS EJUS INEBRIA [8]; MULTIPLICA GENIMINA EJUS; IN STILLICIDIIS EJUS LÆTABITUR GERMINANS [9].] Aquæ pluviæ adeo affluentes sint, ut omnes rivi repleantur, & terra ad satietatem veluti cœlestibus aquis irrigata, abundanter proferat herbas in agris, & omnia fructuum genera producat.

Hebræus [10]: *Inebria*, vel *irriga sulcos ejus, dejice portas ejus*, vel humum elatam, quæ inter duos sulcos ab aratro relinquitur. *Emolli eam imbribus suis, benedic geniminæ ejus.* Vel potius: *Inebria porcas ejus.* Hebr. *Telamim*, hoc est elationes inter sulcos. *Effodi sulcos, liros.* Hebr. *Gedudim. Emolli eam*, tempera eam pluviis tuis. *Benedic*, fac, ut crescant, & multiplicentur *genimina ejus.* Postrema hæc versio melior est.

℣. 12. BENEDICES CORONÆ ANNI BENIGNITATIS TUÆ, & CAMPI TUI REPLEBUNTUR UBERTATE.] Coronabis, ut ita dicam, annum hunc fructuum, favorumque effusione. Hic nobis erit annus benedictionis, atque abundantiæ. Bona alia aliis sibi sine ulla intermissione succedent. Hoc jam promisit Dominus Levit. 26. 10. populo suo, si fidelis perstiterit, se illum benedictionibus cumulaturum, ipsos manducaturos annorum transactorum fructus, quasi jam pridem in horreis reconditos; quorum ea futura sit copia, ut nescientes, quo recentes collocare queant, veteres projicere cogantur: *Comedetis vetustissima veterum; & vetera novis supervenientibus projicietis.* Et ibid. ver. 5.

A *Dabo vobis pluvias temporibus suis; & terra gignet germen suum; & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem.* Hæc eadem vocatur *corona anni benignitatis*: catena quædam beneficiorum. Aggæus etiam ante sata hanc ubertatem prædixerat cap. 2. 20. *ex die ista benedicam.*

Hebræus [11]: *Coronasti annum benignitate tua, & magna itinera tua*, vel *currus tui*, vel *gressus tui adipe irrigabuntur.* Syrus: vituli tui herbis saturabuntur. Rabbini: *Nubes tuæ*, quæ sunt veluti currus tuus, *manabunt adipe.* Ita Amos pollicebatur c. 9. 13. *Ecce dies veniunt, et comprehendet arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen; et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt.* Hic Psalmista innuere vult, tantam B futuram esse frugum copiam, ut omnes viæ refertæ futuræ sint plaustris, quibus avehetur triticum, vinum, oleum, fructus, ac omne bonorum genus; verbo, pinguedinem in omnibus semitis emanaturam. Hæ hyperboles simili in occasione admirabiles sunt, easque Auctor in seq. ℣. persequitur.

℣. 13. PINGUESCENT SPECIOSA DESERTI, & EXULTATIONE COLLES ACCINGENTUR.] Hebræi desertum appellant ea, quæ nos prata, vel pascua appellaremus; inculta loca, & quæ ad armentorum pastionem duntaxat inserviunt. Ea in regione nihil, vel parum fœni colligitur; armenta enim fere semper in agros agi possunt. Auctor describit effectus pluviæ, de qua locutus est. Area, & montes inculti virescentes ridebunt, floribus decorabuntur. Vel potius; agri replebuntur C herbis, & montes onerabuntur bonis, racemis, oleis, & alio quopiam fructuum genere. *Stillabunt*, juxta Joelis loquendi rationem c. 3. 18. *montes dulcedinem, et colles fluent lacte.*

Hebræus [12]: *pascua*, vel *ovium caulæ stillabunt* adipe; butyrum, & lac per rivum, ut ita dicam, diffluent: *Torrentes mellis, et butyri*, ut ait Job 20. 17. *et valles quodammodo zona lætitiæ circumdabuntur.* Hæ locutiones magnam vim habent. Veteres nonnulli [13] legebant pro *speciosa deserti*, *montana deserti*; alii [14] *fines deserti*; quod discrimen oritur tantum ex legendi ratione, quam secuti sunt Septuaginta. Symmachus [15]: *pulchritudo deserti cooperietur tenebris*, vel nebulis.

℣. 14. INDUTI SUNT ARIETES OVIUM; & VALLES ABUNDABUNT FRUMENTO: CLAMABUNT: ETENIM D HYMNUM DICENT.] Plurimi aderunt ovium greges, quas præcedent arietes, quasi duces earum. Agri opulentis messibus induentur. Hæc omnia, Domine, effectus sunt benedictionis tuæ, & pluviæ, quam terræ tuæ dedisti. S. Augustinus supplet: *Induti sunt (exultatione) arietes ovium.* Arietes præ gaudio lasciviunt.

Hebræus parum aliter vertitur [16]. S. Hieronymus. *Vestientur agnis greges, et valles plenæ frumento, coæquabuntur, et canent.* Alii [17]: *pascua gregibus cooperta sunt, valles replebuntur frumento; edent clamores lætitiæ, et canent* cantica laudis. Hic sensus mihi magis arridet. Chaldæus: *Arietes reddent fœcundas oves; valles replebuntur frumento* &c.

---

1 Josue 3. 15. 2 Jerem. 12. 5. 49. 19. 50. 44. Zach. 11. 3.
3 Syr. Arab. Symmach. Ὀχετοῖς Θεοῦ μεστοῖς ὑδάτων. Menoch. Tir.
4 August. Hilar. antiq. Psalteria. *Ita est præparatio tua.* 70. Rom. & Complut. Ὅτι οὕτως ἡ ἑτοιμασία. In aliquib. Gr. Ἑτοιμασία σου. Quod probat Hieron. ad Sun. & Fretell. & Theodoret. & Arab. & Æthiop.
5 תכין דגנם כי כן תכינה 6 Symmach. Τελεσφορήσεις τὰ καταβληθέντα αὐτῆς, οὕτως ἥδρασας αὐτά.
7 Levit. 26. 26. Psal. 104. 16. Ezech. 4. 16. 8 August. *Sulcos ejus inebria.* Ita 70. Τοὺς αὔλακας αὐτῆς μέθυσον. 9 S. Hilar. August. Psalter. Roman. Mediol. Carnut. S. German. *In stillicidiis suis lætabitur, cum exorietur.* 10 תלמיה רוה נחת גדודיה ברביבים תמגגנה צמחה תברך Sym. Τὰς ψεκάσιν αὐτοῦ χαυνώσεις αὐτήν, & τὸ βλάστημα αὐτῆς. 11 עטרת שנת טובתך ומעגליך ירעפון דשן 12 ירעפו נאות מדבר וגיל גבעות תחגרנה
13 70. Complut. Ὡραῖα τῆς ἐρήμου; sed Edit. Rom. Ὄρη ἐρήμου. *Montes deserti.* Ita Apoll. in Æthiop.
14 Hilar. Ambros. August. Cassiod. antiqua Psalteria. 15 Symmach. Γνοφωθήσονται τὰ ὡραῖα τῆς ἐρήμου. Alius: Ὁμιχλωθήσονται αἱ νομαὶ τῆς ἐρήμου. 16 לבשו כרים הצאן ועמקים יעטפו בר יתרועעו אף ישירו
17 Pagn. Montan. Muis, Jun. Pisc. Cast.

PSALMUS LXV.

Adhortatio ad Dominum laudandum, ac celebranda mirabilia, quæ olim pro populo suo fecit. Gratiarum actio pro liberatione de Babylonis captivitate, proque hoc insigni benefacto sacrificia solemnia.

In finem: Canticum Psalmi resurrectionis.

ARGUMENTUM.

Hebraicus Textus, Chaldæus, antiqui Interpretes Græci, Septuaginta ipsi, qui erant in Hexaplis, Eusebius, S. Hilarius vocem hanc minime legerunt, *resurrectionis*. Sed ea, quæ hodie extant, Exemplaria Septuaginta, S. Augustinus, S. Basilius, Euthymius, Nicephorus, Theodoretus, Cassiodorus, ac plerique Manuscripti eam habent. Quædam etiam antiqua Psalteria [1] Davidis nomen in Textu hoc pacto addunt: *Psalmus David pro resurrectione*. Alia simpliciter [2]: *in finem. Psalmus David*, quin Resurrectionis meminerint, quæ vox plane a Græcis Christianis addita fuit propter ea ℣. 8. verba: *Qui posuit animam meam ad vitam*. Et equidem Psalmus universus commode explicari potest de Jesu Christi, ac etiam hominum post temporum finem, resurrectione; quemadmodum Patres ostenderunt [3].

Sed præter sensum, qui principalis, ac sublimior appellari potest, Patres [4], atque Interpretes [5] alium magis ad litteram, magisque immediatum, historicumque sensum deprehenderunt, hoc est, de Babylonicæ Captivitatis liberatione. Reor autem, hunc, & qui consequitur, psalmos superioris esse continuationem. Videmus isthic populum gaudio exultantem, Dominum suum laudantem, eique ob nuper redditam libertatem agentem gratias. Priora sua mala describit, veluti experimentum, quo per ignem, & aquam traductus fuit, & sævis, acerrimisque dominis subjectus. Persolvit vota, & sacra, quæ dum adhuc in servitute squaleret, pollicitus est. Mihi autem videtur, superiori psalmo, Sacerdos Domino suo gratias egisse, hic vero populus universus agit, sequens deinde psalmus laudum, & gratiarum actionis continuationem complectitur. Verum ibi Auctor explicite [6] loquitur de terræ fœcunditate, quæ erat effectus pluviæ, cujus descriptionem sumus intuiti psalmo 64. & de qua sermo non est in 65. nisi vaga quadam, & generali ratione. Hoc systema sequemur, uti & in psalmo 66. qui duo psalmi nequaquam a Davide compositi fuisse [7] feruntur, quandoquidem nomen ejus in fronte authographi textus non legitur.

1. JUbilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.
2 Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. 3 Omnis terra adoret te, & psallat
tibi: psalmum dicat nomini tuo. 4 Venite, & videte opera Dei: terribilis in
consiliis super filios hominum. 5 Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso. 6 Qui dominatur in virtute sua in æter-
num, oculi ejus super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semet-
ipsis. 7 Benedicite gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis ejus.
8 Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.
9 Quoniam probasti nos, Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.
10 Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra. 11 Transivimus per ignem, & aquam: & eduxisti nos
in refrigerium. 12 Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea,
quæ distinxerunt labia mea. 13 Et locutum est os meum, in tribulatione mea.
14 Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum
hircis. 15 Venite, audite, & narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit
animæ meæ. 16 Ad ipsum ore meo clamavi, & exaltavi sub lingua mea. 17
Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. 18 Propterea exaudi-
vit Deus, & attendit voci deprecationis meæ. 19 Benedictus Deus, qui non amo-
vit orationem meam, & misericordiam suam a me.

℣. 1. JUBILATE DEO OMNIS TERRA.] Vos omnes nuperrime in patriam vestram auspicato reversi, & qui sperata libertate fruimini, venite ad Templum Domini, accedite illi, A animi vestri gratitudinem lætitiæ plausibus, Canticisque vestris testaturi: *Date gloriam laudi ejus*. Laudibus vestris eam ipsi, quæ maxime debetur, gloriam tribuite. Hebr. ad litteram [8]: *Constituite gloriam laudis ejus*,

1 Ita Cassiodor. & Codex Colbert. 158. & Carnut. 2 Ita Psalter. Gallic. & Roman. an. 1508. & Cod. 138. 3 Vide August. Hieronym. Cassiodor. Heraclæot. Euseb. Athanas.
4 Ita Theodoret. Heraclæot. Euthym. Græc. Cordetii Paraphrast. Beda. 5 Muis, du Pin, alii plerique. 6 Psal. 66. 5. 7 Abenezra, Muis, alii. 8 שימו כבוד תהלתו Aquil. Δότε δόξαν ὑμνήσει αὐτοῦ Sym. Τάξατε εἰς τιμὴν τὸν ὕμνον αὐτοῦ.

ejus, vel in ipso laudando gloriam vestram collocate.

℣. 2. DICITE DEO: QUAM TERRIBILIA SUNT OPERA TUA [1], DOMINE!] Cum perpendo prodigia, quæ olim pro populo tuo in Ægypto, atque in deserto fecisti, eaque confero cum iis, quæ nuperrime pro nobis patrasti, nos de captivitate educendo, in patriam nostram redeundo, contra inimicorum nostrorum invidiam tuendo, ac tandem terræ nostræ fertilitatem reddendo, benedictionum tuarum, ac imbrium affluentia, temperare nequeo, quin dicam: Quam terribilia sunt opera tua, Deus! Quam longe supra intellectus nostri captum tuę potentię consilia attolluntur.

IN MULTITUDINE VIRTUTIS TUÆ MENTIENTUR TIBI INIMICI TUI.] Qui Providentiam, Sapientiamque tuam negare audent, ad mirabilia opera tua animum advertant, ac erubescant. Eos improbæ fidei, ac mendacii redarguis prodigiorum tuorum fulgore. Si non credunt, inexcusabiles sunt; satis est, oculos aperiant. Aliter: Prodigia hæc ea sunt, atque adeo mirabilia, ut nisi qui viderit ea, sibi queat persuadere. Inimici tui nihil credunt; nos vero qui ea sumus experti, eam, quæ te decet, gloriam reddimus. Vel: Ea est prodigiorum tuorum perspicuitas, ut hostes tui ea nequeant infeiari: Veritatis vi adacti, confitentur ore, vel saltem potentiam tuam non negant, licet eorum mens adhoc incredulitatis tenebris obruatur [2].

Alii vertunt: *Inimici tui tibi fidem non præstabunt*, infideles tibi erunt. Hæc communis est vocum harum significatio: *Mentiri alicui* [3]: Inimici tui potentiæ tuæ virtute coacti, se tibi submittent, teque Deum agnoscent; verum duplici corde; simulata erunt, ac dolosa eorum officia. Mentientur, & primo quoque tempore a te deficient. Sensus hic magis litteralis videtur. Ita quoque intelligi potest: Babylonii, Samaritani, aliique inimici populi tui, *mentientur tibi propter potentiam tuam*: pravam voluntatem suam dissimulabunt, at nobis amicos esse simulabunt [4], verum corde sententiam non mutabunt; adeo semper nobis infensi sunt, nostrisque invident utilitatibus. Equidem in 2. Esdr. 4. 1. 2. videmus, Samaritanos, cum intellexissent a Judæis impetratam fuisse ædificandi Templi facultatem, voluisse cum illis societatem inire, ac poposcisse, ut sibi liceret, tamquam ejusdem Religionis, aliquid in sacrum hoc ædificium conferre: *Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum*. Sed statim mentiti sunt Domino, adnitentes, ut opus illud absolvi prohiberetur 1. Esdr. 4. 20. S. Augustinus hoc de Judæis intelligit, qui calumniis, & mendaciis effecerunt, ut J. C. morte damnaretur, & tamen inviti plurimum gloriæ illius contulerunt.

℣. 3. OMNIS TERRA ADORET TE &c.] Non solum omnis Israel, sed omnes terrarum populi agnoscant magnitudinem, ac majestatem tuam, & annuntient prodigia, quorum testes fuerunt. Symmachus [5]: *Omnes, qui sunt super terram, adorabunt te, canent, & laudes tuas prædicabunt*. Septuaginta, S. Hilarius, S. Augustinus, & antiqua Psalteria ad hujus versiculi calcem addunt: *Altissime*, hoc pacto; *Psalmum dicant nomini tuo, Altissime*.

℣. 4. TERRIBILIS [6] IN CONSILIIS SUPER FILIOS HOMINUM.] Consilia ejus super omnes homines generatim, & super quemlibet singillatim terribilia sunt [7]. S. Hieronymus hoc in loco id explicat de reprobatione, ac Prædestinatione: *Terribile est, dum de una massa fuerunt creati, & alii eliguntur, & alii reprobantur*; S. Augustinus de vocatione Gentium, & reprobatione Judæorum.

Alii intelligunt de Domini Providentia in Mundi regimine; de elatione, & lapsu Imperiorum; de dispersione populorum, dispersorumque revocatione. Israel paulo ante oppressus, atque captivus, repente libertati restituitur, ac in patriam suam remittitur.

Hebræus [8]; Dominus *est terribilis in cogitationibus suis*, in consiliis, *magis quam filii hominum*. Deridet ut ita dicam, hominum consilia; Potentiam suam infinite superiorem esse ostendit ea ratione, qua exequitur consilia sua, licet mortales adversentur, usus viis illis, quæ hominibus numquam in mentem venissent.

℣. 5. QUI CONVERTIT MARE IN ARIDAM; IN FLUMINE PERTRANSIBUNT [9] PEDE; IBI LÆTABIMUR IN IPSO.] Comparat reditum de Babylone cum exitu de Ægypto, atque innuit, tunc visa fuisse prodigia præter propter illis similia, quæ patraverat Moyses, illinc populum Israel educens. Dixisses, recessisse maria, exaruisse flumina, subsedisse montes, consurrexisse valles, solitudines excultas, irrigatas, arborum umbris consitas fuisse: tantam Dominus populo suo de Babylone revertenti tribuit facilitatem.

Isajas hisce loquendi rationibus scatet. Exempli gratia 11. 16. *Et erit via residuo populo, qui relinquetur ab Assyriis: sicut fuit Israel in die illa, qua ascendit de terra Ægypti*. Et ℣. præcedenti: *Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti*, sinum, vel imum Erithræi maris, *& levavit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui*, vel vi venti sui; *& percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati*. Satis intelligitur, hæc omnia nequaquam pressius esse accipienda, non secus ac ea, quæ c. 50. 3. dicit loquens de eadem liberatione populi Babylone captivi: *numquid abbreviata, & parvula facta est manus mea, ut non possit redimere?... Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum, computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti*. Et Zacharias 10. 10. de facto eodem loquens: *Et reducam eos de terra Ægypti, & de Assyriis congregabo eos, & ad terram Galaad, & Libani adducam eos, & non invenietur eis locus. Et transibit in maris freto, & percutiet in maris fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis &c.*

Hæ profecto figuratæ Prophetarum locutiones locum tribuerunt Fabulæ, quæ in quarto Esdræ libro 13. 41. & in Judæorum libris legitur; hoc est, Hebræos captivos trans Euphratem, cum se vellent sejungere ab Nationum, cum quibus vivebant, sordibus, traduxisse Euphratem, atque se recepisse in regionem Arseret. Deus tunc in eorum gratiam illud ipsum miraculum operatus est, quod fecerat antea pro populo, Promissam Terram ingrediente. Sed cum Prophetarum locutiones in figurato sensu sumamus, neque locum Psalmi, quem ad examen vocamus, pressius intelligendum esse censemus. Auctor ait, se, fratresque suos lætatos esse in transitu Euphratis, ut in Judæam reverterentur: *Ibi lætabimur in ipso*, & flumen hoc adeo profundum, rapidum, & vehemens nullum timorem transeuntibus incussisse, quemadmodum Rubrum mare, & Jordanes nullum metum Hebræis injecerunt sub Moyse, & Josue.

Syrus, Septuaginta, & Arabs verba hæc: *ibi lætabimur in ipso*, sequentibus adnectunt, *qui dominatur in virtute sua in æternum*. Tunc lætati sumus in eo, cujus regnum æternum est, in J. C. Patres ajunt [10]. Sed alii id ad fluvium ipsum referunt. Lætati sumus in fluvio. Quin nos illum traducentes metueremus, immo nobis solatio, ac ludo fuit. Patres quidam [11] hoc de Baptismate, in quo regeneramur, intelligunt.

 OCULI

1 *Domine*, non est, neque in Hebræo, neque in 70.
2 Vide Theodoret. Chrysost. Kimchi, Genebr. Flamin.
3 Vide Psalmos 17. 46. *Filii alieni mentiti sunt mihi*. Psalm. 80. 16. *Inimici Domini mentiti sunt ei*. Deor. 33. 29. *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis*.
4 Vide 1. Esdr. 8. 36.
5 Symm. Πάντες οἱ ἐπὶ γῆς προσκυνήσουσί σε, μελῳδοῦντες ᾄσουσι τὸ ὄνομά σου.
6 70. Ὡς φοβερὰ. *Quam terribilis!* Ita Theodoret. Euthym. Cassiodor.
7 Vide Hilar. & Euseb.
8 נורא עלילה על בני ארם Symm. Φοβερὰ μὲν ἐνθυμήματα, ὑπὲρ υἱοὺς ἀνθρώπων.
9 Psalter. Roman. Mediol. S. German. Carnut. Cassiodor. *Flumina pertransibunt pede*. Vel: *Pertransiet*. Psalt. S. German. *Pertransit*. Carnut.
10 Euseb. Athanas. August. Hilar. &c.
11 Euseb. Hilar.

℣. 6. OCULI EJUS SUPER GENTES RESPICIUNT. QUI EXASPERANT [1], NON EXALTENTUR IN SEMETIPSIS.] Populi inimici, ac rebelles Domino, attendite, eo quod Omnipotens apertos semper in vos oculos habet, & cavete, ne superbia vos efferat. Babylonios præcipue, Samaritanos, aliosque Dei inimicos populos alloquitur. Loquitur etiam fortasse cum Judæis, qui Domini leges infringunt; vel cum Sacerdotibus, qui munere suo non funguntur. Videmus enim ex Aggæo 1. 4. 9. 11. 15. Zaccharia 7. 5. 6. 9. 10. 11. Malachia 1. 12. 13. 14. & 2. 11. 12. 13. plurimos tunc abusus in Juda obrepsisse. Esdras etiam l. 1. c. 9. 10. & Nehemias 2. Esdr. 5. 8. 13. plurimam nobis in populo, & Principibus Nationis ignaviam detegunt. Hebræus ad litteram [2]: *Oculi ejus respiciunt Gentes. Rebelles non eleventur*; quod Patres de Judæis incredulis, atque infidelibus interpretantur.

℣. 8. QUI POSUIT ANIMAM MEAM AD VITAM, & NON DEDIT IN COMMOTIONEM PEDES MEOS.] Reddidit mihi vitam, & libertatem, neque permisit, me in hac regione Idolorum cultui addictissima pollui, ut alios plurimos, sordibus Ethnicorum: Non enim de captivitate reversi sunt, nisi qui, ut ait Esdras l. 1. c. 5. 21. *se separaverant a coinquinatione gentium terræ ad eos, ut quærerent Dominum Deum Israel*. Libertatem appellat vitam novam, resurrectionem, non secus ac passim captivitatem mortis vocabulo designat. Hebræus [3], & antiqui Interpretes legunt, *vitam nostram, & pedes nostros* pro *vita mea*, & *pedibus meis*. Patres hoc intelligunt de Apostolis, quos Deus robore, & fortitudine in medio periculorum præcinxit.

℣. 9. PROBASTI NOS DEUS [4].] Hæc loquendi ratio communis est ad mala, & afflictiones vitæ innuendas, quibus Deus objicit suos, eorum virtutem probaturus. Vide infra vers. 11. *Transivimus per ignem & aquam*, & Psal. 16. 3. 20. 10. Prov. 17. 3. Eccli. 11. 5. Zacc. 13. &c. Babylonis captivitas, non secus, ac servitus Ægypti comparantur fornaculæ fusoriæ, in qua metalla purgantur. Vide Deut. 4. 20. & 3. Reg. 8. 51. *Eduxisti populum tuum de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ*. Daniel cum sociis suis Babylone re ipsa per ignem transiere, in illum ob negatum aureæ statuæ cultum conjecti [5].

℣. 10. INDUXISTI NOS IN LAQUEUM, POSUISTI TRIBULATIONES IN DORSO NOSTRO &c.] Permisisti, ut in Chaldæorum manus prolaberemur, qui ceperunt nos, quemadmodum venator prædam suam vel retibus, vel laqueis. Afflictionibus oppressi fuimus: fame in Jerusalem laboravimus, & post patriæ nostræ excidium ea omnia mala sumus perpessi, quæ captivitatem subsequuntur. Denique ut tot malis summa fieret accessio, tradidisti nos sævis, atque inclementibus Dominis, qui per summum contemptum, atque inhumanitatem nos oppresserunt. Hebræus ad litteram [6]: *Adduxisti nos in laqueos venatoris; posuisti vinculum*, vel catenam *sub renibus nostris; traduxisti homines in equis*, vel in curribus, super capita nostra. S. Hieronymus: *Introduxisti nos in obsidionem* [7]: *Posuisti stridorem* catenarum *in dorso nostro. Posuisti homines super capita nostra*. Hæc omnia de Apostolis, ac Martyribus explicantur, qui ut Religionem tuerentur, omnibus tormentorum generibus excruciati fuerunt.

℣. 11. TRANSIVIMUS PER IGNEM, & AQUAM, & EDUXISTI NOS IN REFRIGERIUM.] Ignis passim sævissima tormenta significat [8], aqua vero, diluvium, exundatio, designat quoque afflictiones, bellum, tribulationes [9]. Psalmista hic utraque simul conjungit, ad ea mala exaggeranda, quæ Babylone perpessi sunt. Liberasti nos ex igne, & aquis magnis, ut nos in Palæstinam adduceres, ubi pace fruimur, ac libertate. Hebræus [10]: *introduxisti nos* in terram *irrigatam*, & uberem, & in locum, ubi pacate spiritum ducere possimus. Ferunt Ægyptios [11] puritatem aquæ, & ignis symbolo designasse; quodvis enim expiationis genus per duo hæc elementa perficitur.

℣. 12. INTROIBO IN DOMUM TUAM IN HOLOCAUSTIS: REDDAM TIBI VOTA MEA, QUÆ DISTINXERUNT LABIA MEA.] Hebræi docent, hæc tantum vota obligare [12], neque satis esse vovere coram Deo, atque in animo, sed labiis esse proferendum, atque exprimendum id, quod vovetur. Dum in captivitate versarer, promisi, me tibi holocautomata oblaturum, allaturumque oblationes; hodie in Templo tuo, quod voveram, expleo.

℣. 14. HOLOCAUSA MEDULLATA OFFERAM TIBI CUM INCENSO ARIETUM [13].] Offeram scilicet optimas victimas, cum fumo carnium incensatum arietis. Hebræus verti posset [14]: *adolebo tibi pinguia holocausta, cum thimiamate; sacrificabo tibi arietes, boves, & hircos*. Malachias 1. 13. 14. Judæos de captivitate reversos objurgat, eo quod super Altare Domini infirmas, languentes, macidasque victimas offerrent, afferrentque eas oblationes, quas fratribus suis surripuerant. Sed Psalmista hic se, nonnisi pingues, & quales a Lege exiguntur, victimas oblaturum profitetur: *Holocausta medullata*.

℣. 15. NARRABO, QUANTA FECIT ANIMÆ MEÆ.] Educens me de captivitate, me meæ patriæ restituens, meque suis bonis, ac benedictionibus cumulans. Auctor Psalmi tamquam de se ipso singulari numero loquitur, sed considerabat se, tamquam exhibentem nationem omnem, eosque exprimit sensus, quos quilibet Israelita singillatim habere debebat.

℣. 16. AD IPSUM ORE MEO CLAMAVI, & EXALTAVI SUB LINGUA MEA.] Exilii mei tempore ad Dominum confugi; illi aperui cor meum, & coram illo humillimas preces effudi. Audivit ille petitionem meam, mihique reddidit libertatem, eo quod vidit cor meum mundum esse, atque omni iniquitate vacare: *Iniquitatem si adspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*. Sunt qui credant [15] locutionem hanc *exaltavi sub lingua mea*, huic oppositam, *ore meo clamavi*, innuere interiorem vocem, orationem cordis, abditam sub lingua, & in anima clausam per antithesim ad orationem oris, labiorum, & linguæ adminiculo expressam. Alii [16], Psalmistam innuere putant celeritatem, qua ipsum exaudiit Deus. Aperui os meum, ut ad ipsum clamarem; erat adhuc sub lingua mea verbum, neque ex labiis meis exierat, cum ille exaudivit me: cui sententiæ Symmachus suffragari potest [17]: *Invocavi eum verbis oris mei, & statim ac elevata est lingua mea &c.* Sed magis simplex est cum S. Hieronymo reddere: *Exaltavi in lingua mea*. Lingua mea laudes tuas, atque magnalia prædicavi [18].

℣. 17. INIQUITATEM SI ASPEXI IN CORDE MEO, NON EXAUDIET DOMINUS.] Vel si adspexissem iniqui-

1 August. *Qui amaricant*. Hilar. Cassiodor. Psalter. Roman. Mediol. Carnut. *Qui in iram provocant*. S. German. *Qui exacerbant*. 70. Οἱ παραπικραίνοντες. 2 הסוררים אל ירומו למו Aquil. Ἀφιστάμενοι. *Rebelles*. Symm. Οἱ ἀπειθεῖς. *Infideles*. Th. Ἐκκλίνοντες. *Qui secedunt*. 3 השם נפשנו בחיים ולא נתן למוט רגלינו

4 August. *Ignisti nos, Deus, sicut ignitur argentum*. 5 Dan. 3. 21.

6 הבאתנו במצודה שמת מועקה במתנינו הרכבת אנוש לראשנו 7 Ita Aquil. Ἐν ὀχυρώματι. Symm. Ἐν τῇ πολιορκίᾳ. 5. Edit. Εἰς περιοχήν. Urbes obsessæ retibus aliquando, vallisque implicabuntur, non secus ac aves retibus implicantur. Vide Platon. lib. 3. de Legib. & Herodot. Interpretes hi legerunt במצורה pro מצודה

8 Ezech. 15. 7. 30. 8. 9 Psalm. 31. 6. 68. 2.

10 ותוציאנו לרויה Sym. Εἰς ἀναψυχήν. *In latitudinem*. 11 Hor. Ægypt. Hieroglyp. 41.

12 Vide quæ diximus in Levit. 5. 4. 13 Hilar. August. antiq. Psalteria. *Cum incenso, & arietibus*.

14 עלות מחים אעלה לך עם קטרת אלים אעשה בקר עם עתודים

15 Ezra, alii, Muis, אליו פי קראתי ורומם תחת לשוני 16 Athanas. Theodoret. ex Symmacho.

17 Symmach. Αὐτὸν τῷ στόματί μου ἐπεκαλεσάμην, καὶ ὑψώθη παραχρῆμα ἡ γλῶσσά μου.

18 Ita Euthym. Syr. Kimchi, Pagn. Piscat. Ferrand. Castal. Tir. Vide Psalm. 9. 29. 14. 3. 65. 16. Cant. 4. 11.

quitatem in medio cordis mei, Dominus non exaudisset me. Sed quoniam corde puro, atque in innocentia obtuli illi preces meas: *Propterea exaudivit Deus*. Vel cum Septuaginta legendo, cum Symmacho, S. Augustino, Cassiodoro, & pluribus Psalteriis antiquis: *Non exaudiat Dominus*. Si vidi iniquitatem in corde meo, Deum oro, ne exaudiat me. Si in corde meo prava consilia delitescunt; si cum hypocrisi, ac simulate loquor, Dominus me disperdat. Nosti, Domine, qua sinceritate, atque rectitudine ad te locutus sum; ideo tu me exaudisti. Syrus: *Si vidisti iniquitatem in corde meo, ne exaudias me, Domine*. Aquila [1]: *Si video inutilitatem in corde meo, Dominus non exaudiet me*.

Deus semper exaudit preces, quæ recta, sinceraque A mente illi effunduntur. Iniquitas, & hypocrisis objectes sunt, qui preces nostras Deo invisas, injucundas, ac nobis inutiles reddunt. Certum est in quodam sensu, uti ait ille, qui cæcus natus fuerat apud S. Johannem [2], a Domino non exaudiri peccatores, sed eos dumtaxat, qui Deo serviunt, & voluntatem illius exequuntur, & opus esse, ut ait S. Paulus ad Timoth. 2. 19., quod *discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini*. Sed non ideo minus verum est, eum qui suam detestatur iniquitatem, & scelera sua Domino confitetur, ab ipso benigne exaudiri, veluti Publicanum illum, qui oratutus, ac veniam deprecaturus in Templum ascendit, Luc. 18. 14.

1 Aquil. Ἀνωφελὲς ἴδων ἐν καρδίᾳ μου, οὐκ εἰσακούσεται.
2 Johan. 9. 31. *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*

PSALMUS LXVI.

Propheta Deum orat, ut benedicat Populo suo. Cupit, ut omnes gentes agnoscant, & laudent Dominum; cui gratias agit ob fertilitatem terræ redditam.

In finem: in hymnis, Psalmus Cantici David.

ARGUMENTUM.

Hebraicus textus in titulo simpliciter legit [1]: *Musices Moderatori, qui præsidet psalliis, quæ psallunt instrumentis, Psalmus vel Canticum*. Nomen David ibi non legitur, uti neque in Chaldæo, Syro, & etiam quibusdam Septuaginta exemplaribus [2]. Patres [3] eum explicant veluti prophetiam adventus Messiæ, & Incarnationis J. C. Trinitatis Mysterium explicite designatur ℣℣. 5. 6. quemadmodum ℣℣. 2. 3. 4. 5. aperte Gentilium ad veri Dei cognitionem vocatio deprehenditur. Quoad litteralem, historicumque sensum reor, uti in superiore Psalmo dictum est, hunc ejusdem esse temporis, atque idem argumentum respicere: videlicet esse orationem Judæorum de Captivitate reversorum [4], & gratias agentium ob fructus, quos terræ suæ Dominus est elargitus per pluviam, atque benedictionem, quam agris post diutinam sterilitatem impertiit. Magna est conformitas inter hunc, & Psalmum 88. qui videntur cani consuevisse, cum primitiæ inferrentur in Templum die Paschatis, vel Pentecostes; vel etiam post exactas messes in Tabernaculorum solemnitate.

1. DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super
nos, & misereatur nostri. 2 Ut cognoscamus in terra viam tuam: in
omnibus gentibus salutare tuum. 3 Confiteantur tibi populi, Deus:
confiteantur tibi populi omnes. 4 Lætentur, & exultent gentes: quoniam judi-
cas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. 5 Confiteantur tibi populi,
Deus: confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum. 6 Benedicat
nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

℣. 1. DEUS MISEREATUR NOSTRI, & BENEDICAT NOBIS: ILLUMINET VULTUM SUUM SUPER NOS, & MISEREATUR NOSTRI.] Novissima hæc verba, *misereatur nostri &c.* in Hebræo, Chaldæo, Syro, & Romana Editione Septuaginta non extant, uti neque apud S. Augustinum, atque Apollinarium. Sed pleraque Græca Exemplaria Septuaginta, S. Hilarius, omnia ferme Latina Psalteria, & Arabica hanc additionem admittunt: *Et misereatur nostri*. Æthiopica versio: *& vivemus*. Hæc locutio, *illuminet vultum suum super nos*, vulgata est in Scripturis, ad benignos adspectus, atque benevolentiam significandam. *In hilaritate vultus Regis vita*, inquit Sapiens Prov. B 16. 15. Patriarchæ, & Prophetæ in exilio suo gemebant, Deumque obtestabantur, ut illis ostenderet *lumen vultus sui*, Messiam, filium suum, qui vocatur *splendor vitæ æternæ, & figura substantiæ Patris*. Hebr. 1. 3. Vide Psalmum 89. 17. *Sit splendor Domini Dei nostri super nos*.

℣. 2. UT COGNOSCAMUS IN TERRA VIAM TUAM: IN OMNIBUS GENTIBUS SALUTARE TUUM.] Liceat nobis cognoscere consilia tua, & voluntatem tuam, Leges, viasque tuas, ut eas perfecta semper fide sequamur. Omnes gentes terræ nobiscum jungantur, ut cognoscant, & prædicent beneficium, quod nobis contulisti, educens nos de captivitate, & nos in hac terra bonis cumulans. In sublimiori sensu Judæi petunt,

1 למנצח בנגינות מזמור שיר 2 Ita Euthym. Euseb. 3 Hieronym. Theodoret.
4 Ita Rabb. Muis, Ferrand. Græc. Corderii Paraphrast. Beda, alii.

tunt, ut Deus illis ostendat *viam suam*, Christum A
suum, quæ unica via est, per quam ad ipsum aditus patet: *Ego sum via, veritas, & vita*, Salvator ait Joan. 14. 6. *nemo venit ad Patrem nisi per me*. Nemo salvari potest nisi per divinum hunc, Salvatorem, de quo scriptum est Matth. 1. 21. *vocabis nomen ejus* JESUM; *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*.

℣. 4. EXULTENT GENTES; QUONIAM JUDICAS POPULOS IN ÆQUITATE, & GENTES IN TERRA DIRIGIS.] Omnes terrarum populi gloriam reddant justitiæ tuæ, videntes æquitatem judiciorum, quæ adversus Babylonios exercuisti, qui violenter adeo alias nationes oppresserant. Omnes gentes accedant adoratuæ liberatorem suum, ultorem suum, & Judicem suum [1]: Veniant, ut agnoscant Pastorem suum, Pa- B
trem, & Regem, qui regit, & consolatur omnes Gentes, easque in æquitate gubernat. Imperium tuum, Deus, super omnes Nationes extenditur; Justitia tua ab omnibus agnoscatur. Appareat Christus, atque super omnes homines suavem, atque amabilem dominationem constituat. Vide Zachariam 8. ℣. 21. 22. 23. *Hæc dicit Dominus exercituum: usquequo veniant populi, & habitent in civitatibus multis. Et vadant habitatores unus ad alterum dicentes: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum; vadam etiam ego. Et venient populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, & deprecandam faciem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: ibimus vobiscum; audivimus enim, quoniam Deus vobiscum est*.

℣. 5. TERRA DEDIT FRUCTUM SUUM.] Post siccitatem, atque sterilitatem, quæ ad summam inopiam redegerat populum tuum, ac terram tuam horribili solitudini similem fecerat, effundere tandem dignatus es benedictiones tuas, pluviam demittere, atque agris ubertatem tribuere. Vide Psalmum 64. & 84. Hic terræ fructus in spirituali sensu est J. C. qui non semel a Prophetis Davidicæ domus germen vocatur [2]. Terra, quæ eum produxit, est Sancta Virgo, quæ illum concepit, ac peperit sine ullo & Virginitatis suæ detrimento, & humano commercio. *Terra Sancta Maria*, ait S. Hieronymus, *de terra nostra, de hoc luto, de hoc limo, de Adam, dedit fructum suum. Vultis scire, quis sit iste fructus? Virgo de Virgine, Dominus de ancilla, Deus ex homine, filius ex Matre &c.*

℣. 6. BENEDICAT NOS DEUS, DEUS NOSTER; BENEDICAT NOS DEUS.] Patres, atque Interpretes in triplici hac divini nominis repetitione, mysterium Sanctæ Trinitatis deprehendunt. Ea ostendit etiam ardorem loquentis, & desiderium, quo flagrat, ut Deus cognoscatur, ametur, adoretur in omni terra, atque benedictiones suas in populum suum effundat.

1 Confer Psalmos 115. 13. & 97. 10. 2 Isai. 4. 2. 45. 8. 11. 1. Jerem. 23. 5. 33. 15. Ezech. 10. 14. 20. 29. Zachar. 8. 12.

PSALMUS LXVII.

Propheta Deum orat, ut appareat ante Populum suum, & dissipet hostes illius præsentia sua. Describit pompam incessus illius, & mirabilia, quæ operatus est in deserto, atque Populum universum excitat ad supremum hunc Dominum benedicendum, atque laudandum.

In finem, Psalmus Cantici, ipsi David.

ARGUMENTUM.

En Psalmum unum omnium difficillimum, & qui maxime omnium Interpretes, atque Commentatores exercuit. Muis ad finem Comment. in hunc Psal. non refugit asserere, singulos versiculos, imo singula verba totidem esse inextricabilibus difficultatibus præpedita: *In hoc Psalmo tot fere scopuli, tot labyrinthi, quot versus, quot verba*, ac merito vocari posse *crucem ingeniorum, & Interpretum opprobrium*. Stylus sublimis est, atque elatus, & Abenezra ait, hoc excellentissimum esse, vel ut illius verbis utar [1], Canticum esse *gloriosissimum*. Græcis, Latinisque Patribus satis fuit illum in allegorico, mysticisque sensibus explicare. Eum applicant adventui, Resurrectioni, Ascensioni J. C. Apostolorum prædicationi, & Gentilium conversioni [2]. Si qui, veluti Theodorus in Catena relatus, & Beda, illi historicum, atque litterale objectum attribuunt, illud semper, & particulariter non sequuntur, sed in Commentarii sui decursu spirituales interpretationes inquirunt. Has explicationes revereri fas est, eo magis, quod pleræque maxime naturales videntur, & ipse S. Paulus Apostolus hinc locum unum ad Salvatoris transtulit ascensionem [3].

Critici, qui præcipue litteralem sensum scrutantur, quoad Psalmi hujus argumentum abeunt in diversa. Chaldæus, & Rabbini quidam [4] Psalmum hunc de exitu de Ægypto, vel de rogata Lege in Sinai interpretantur. Alii eum [5] explicant, veluti Epinicion a Davide compositum post aliquam insignem de hostibus relatam victoriam, eam, pura, quam de Syris, & Idumæis reportavit. Rabbini non pauci, aliique Interpretes [6] eum referunt ad miraculosam victoriam, quam Ezechias retulit de Assyriis, cum Angelus Domini nocte una de illorum exercitu 185. militum millia percussit. Alii putant [7] compositum fuisse in solemnitate adventus Arcæ de Cariath-iarim in domum Obededom, vel isthinc in Templum.

Rabbinis, ac iis, qui illos sequuntur, concedi potest, majorem Psalmi partem versari in descriptione miraculorum, quæ in exitu de Ægypto, ac Legis rogatione contigerunt; verum certo certius est hæc ad alterius rei

1 נכבר כאר 2 Vide Hilar. Euseb. Athanas. &c.
3 Ephes. 4. 8. Vide vers. 19. hujus Psalmi. 4 Chald. Rab. Sal. Abenezra. Vide & Grot.
5 Vide Muis, River & Moller. 6 Kimchi, Ferrand.
7 Theodor. in Catena, Beda, hic. Bossuet.

rei occasionem referri, quandoquidem sermo est de Templo Jerusalem, de acquisitione terræ Chanaan, & de victoria de Jabin Rege Chanaan a Debora relata. Eorum sententia, qui hunc ad Ezechiæ tempora referunt, probari nequit. Psalmus compositus fuit ante decem tribuum secessionem, & cum Zabulon, & Nephtali adhuc erant cum tribubus Juda, & Benjamin conjunctæ; nec referri potest nisi ad tempus David. Isthic universum Israel pacatum, hilatemque intuemur. Solemne agmen describitur. Hinc fit, ut adeo crebro de Domini curru sermo recurrat, populus ad viam præparandam admoneatur, ac oretur Deus, ut servis suis felix iter concedat. In pompa hac non deerat Arca Domini, ideoque toties repetit David, Dominum esse in Sanctuario suo. Si loquitur de Templo, vel domo Domini in Jerusalem; de eo, tamquam re futura loquitur, vel hoc nomine Tabernaculum illud, quod ipse erexerat, designat. Hæc omnia nos in eam cogunt sententiam, quæ Psalmum hunc intelligit, tamquam Epinicion compositum a David pro celebritate translationis Arcæ de Cariath-Jarim in Jerusalem, vel de domo Obededom in Tabernaculum extructum in Sion.

Primus versiculus eadem continet verba, quæ sub Moyse in deserto dicebantur Num. 10. 35. cum Tabernaculum loco moveretur, atque Israel iter susciperet. Auctor loquitur postea de prodigiis, quæ in deserto contigerunt, cum Deus ibi legem tulit [1]: mox vero de insigni victoria de Jabin a Debora, & Barac relata [2], & mox de acquisita terra Chanaan, & Basan. Reliqua vero Psalmi pars in Domini laudes impenditur, gratiasque illi agendas propter ejus adversus hostes Israel auxilium. Quidquid hic diximus, in Commentarii decursu ostendemus. Interim en tibi litteralem totius Psalmi versionem juxta Hebraicum textum concinnatam, quæ ejusdem ideam adstruet distinctiorem.

Psalmus LXVII. (1.) Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & adversarii ejus fugiant a facie illius. (2.) Pereant impii a facie Dei, quemadmodum fumus evanescit *in auras*, & cera liquescit ad ignem. (3.) Justi autem lætentur, & exultent coram Domino, ostendant lætitiam suam coram Deo.

(4.) Canite *Cantica*, Domino; præcinite Psalmos nomini ejus; præparate, *vel elevate vias* illi, cujus currus deserta peragravit, illi, cujus nomen est Deus. (5.) Exultate coram eo, qui est Pater pauperum, & Judex viduarum. (6.) Dominus, cujus habitatio est in Sanctuario, qui frequentem illis tribuit posteritatem, qui soli erant, ac steriles. (7.) Et qui eduxit de servitute eos, qui erant in vinculis. Sed qui rebelles fuerunt, *verbo illius*, mortui sunt in solitudine.

(8.) Domine, cum incederes ante populum tuum, & transires per desertum, (9.) Terra mota est, & Cœli in pluviam liquefacti sunt coram Domino in Sinai, coram Domino, Deo Israel. (10.) Copiosissimum imbrem demisisti, Domine, in gratiam hæreditatis tuæ, eosque sustinuisti, cum præ nimia lassitudine laborarent. (11.) Grex populi tui ibi substitit; tu vero, Deus, misericordia tua *abundantem* pauperi escam præparasti.

(12.) Dominus *alia in occasione* Cantricibus *amplam Canticorum materiam* suppeditavit: En terribilem exercitum [3] (13.) Reges potentes fœderati sunt: principes bellatores congregati sunt; sed ea, quæ manet domi, dividet spolia; (14.) Et vos [4] columbæ argenteas pennas, alas vero aureas, habentes, quæ constitistis inter rivos vestros, *& in hæreditate vestra, quin fratribus vestris auxilium adferretis;* (15.) Cum Omnipotens fudit, fugavitque Reges *fœderatos*, *vos* candidæ factæ estis, tamquam nix Selmon.

(16.) Mons Dei, mons Basan; mons excelsus, mons Basan! Cur adversari estis *Domino* montes excelsi; (17.) Mons, quem Dominus elegit in habitationem sibi, & ubi in æternum permanebit? (18.) Currus Domini incedit stipatus decem millibus *Angelorum*, & ultra, & quem plura Sanctorum millia subsequuntur. Deus Sinai est in medio eorum, ipse est in Sanctuario suo. (19.) Ascendisti in excelsum, Domine; cepisti *magnum* captivorum *numerum;* a victis populis vectigalia accepisti. (20.) Dominus Deus constituit sedem suam inter rebelles, *qui ipsum excipere, & agnoscere renuebant*.

(21.) Benedictus Dominus in omne tempus. Suffert nos, *vel sarcinas nostras in via*, Deus hic, qui eduxit nos *de captivitate*. (22.) Deus noster est Deus salvator; est Deus, qui eripuit nos a morte, *& a sepulchro*. (23.) Dominus contrivit capita inimicorum tuorum; prostravit verticem capitum, *vel capillorum*, ambulantium in peccatis suis. (24.) Dominus dixit: liberabo *vos* de Basan, educam *vos* de mediis fluctibus maris. (25.) Pes tuus inficietur cruore inimicorum tuorum, & lingua canum tuorum erit sanguine adspersa.

(26.) Viderunt incessum tuum, Deus, incessum Dei mei, Regis mei, qui habitat in Sanctuario. (27.) Cantorum chori præcedunt *currum tuum*, post illum fidicines subsequuntur. In medio sunt puellæ cymbalis personantes. (28.) Vos, qui egressi estis de Ægypto, tamquam de fonte vestro benedicite Dominum in conciliis vestris. (29.) Ibi adest parvulus Benjamin, qui illis Regem tribuit. (30.) Ibi Principes Juda, qui sunt capita eorum, ibi Principes & Zabulon, & Nephtali.

(31.) Præcipe, Domine, infinita potentia tua; *perfice*, & confirma ea, quæ nobis operatus es. (32.) *Statim ac Templum tuum ædificatum erit* in Jerusalem, Reges offerent tibi munera; *tributa tibi persolvent*. (33.) Reprime sylvestres has belluas, quæ in arundinetis habitant: hunc cœtum taurorum, qui dominatur in medio vaccarum populorum, qui graditur super argentum, *atque illud pedibus obterit*. (34.) Dissipa populos, qui bella dumtaxat, ac prælia desiderant.

Festinanter afferentur tibi de Ægypto munera. Æthiops properabit, oblationes suas Domino allaturus. (35.) Regna terræ cantate Cantica, Altissimi laudes annuntiate, cui Cœlum est pro curru, quem ostendit ab initio. (36.) Ipse dat tonitrui suo vocem terribilem, atque potentem. Annuntiate potentiam, quam Dominus ostendit in gratiam Israel. Magnificentia, & virtus ejus apparent in nubibus. (37.) Deus terribilis est in adyto Sanctuarii sui; ipse est Deus Israel, ipse dat fortitudinem, ac potentiam populo suo. Benedictus sit Dominus.

1. EXurgat Deus, & dissipentur inimici ejus & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. 2 Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. 3 Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia. 4 Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi. 5 Exultate in conspectu ejus, turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, & judicis vidua-

1 Vers. 8. 9. 10. 11. 2 Vers. 12. 13. 14. 15. 16.
3 Judic. 4. 5. 4 Judic. 5. 15. 16.

viduarum. 6 Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit unius moris in
domo: 7 Qui eduxit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui
habitant in sepulchris. 8 Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, cum
pertransires in deserto. 9 Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei
Sinai, a facie Dei Israel. 10 Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati
tuæ: & infirmata est, tu vero perfecisti eam. 11 Animalia tua habitabunt in ea:
parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. 12 Dominus dabit verbum evangelizanti-
bus, virtute multa. 13 Rex virtutum dilecti, dilecti: & speciei domus dividere
spolia. 14 Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & po-
steriora dorsi ejus in pallore auri. 15 Dum discernit cœlestis reges super eam,
nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis. 16 Mons coagulatus,
mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos? 17 Mons, in quo bene-
placitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitavit in finem. 18 Cur-
rus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in san-
cto. 19 Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus.
20 Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum. 21 Benedictus Dominus
die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. 22 Deus
noster, Deus salvos faciendi: & Domini, Domini exitus mortis. 23 Verumta-
men Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in
delictis suis. 24 Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam in profundum
maris. 25 Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimi-
cis, ab ipso. 26 Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei: regis mei,
qui est in sancto. 27 Prævenerunt principes conjuncti psallentibus: in medio ju-
vencularum tympanistriarum: 28 In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus
Israel. 29 Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu. 30 Principes Juda,
duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali. 31 Manda, Deus, virtuti
tuæ: confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. 32 A templo tuo in Je-
rusalem, tibi offerent reges munera. 33 Increpa feras arundinis, congregatio
taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento. 34
Dissipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet
manus ejus Deo. 35 Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino: psallite Deo,
qui ascendit super cœlum cœli, ad Orientem. 36 Ecce dabit voci suæ vo-
cem virtutis: date gloriam Deo super Israel, magnificentia ejus super Israel: &
virtus ejus in nubibus. 37 Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit
virtutem: & fortitudinem plebis suæ, benedictus Deus.

℣. 1. EXURGAT DEUS, & DISSIPENTUR INIMICI EJUS.] Hisce vocibus agmen incipiebat, cum castra moverentur in deserto [1]. Hebræi iterum conjuncti sub Davidis imperio, excusso Philisthinorum jugo, qui eos tamdiu oppresserant, decreverunt, de Cariath-jarim in Jerusalem Arcam Domini afferre, eam collocaturi in Tabernaculo, quod a Davide fuerat extructum. Celebris hujus pompæ agmen ex iisdem vocibus cœptum est, quæ in deserto adhibebantur, cum populus movebat castra, & nubes, quæ dux erat Israel, elevabatur, atque procedebat, illi viam monstratura. Olim in Ecclesia his vocibus ad depellendos Dæmones utebantur [2]. S. Augustinus hoc explicat de J. C. resurrectione. *Inimici Domini*, uti libet Eusebio, & S. Augustino, sunt Judæi, ut autem S. S. Hilario, & Athanasio, Dæmones.

℣. 2. SICUT DEFICIT FUMUS DEFICIANT ... PECCATORES.] Hebr. [3] *Impii ejiciantur*, expellantur, dissipentur, *sicut fumus*. Philisthiim aliique inimici populi tui evanescant veluti fumus, & veluti cera liquescant &c.

℣. 3. JUSTI EPULENTUR.] Hebr. [4]: *Justi lætentur*. Scriptura narrat, Davidem cum populo suo ingenti exultasse gaudio, & innumeras ea in occasione obtulisse victimas, atque solemnia convivia facta fuisse 1. Par. c. 15. & 16.

℣. 4. ITER FACITE EI, QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM.] Vel potius cum Hebræo [5]: *Præparate viam*, elevate, pavimentum sternite, aggerem ducite, *illi, qui ducit currum suum in desertum*. Hæc est apostrophe ad populos locorum, qua Arca, & solemnis pompa erant pertransituræ. Præparentur viæ Domino, cujus currus, & Arca, agmen nostrum præcedit. Curam gerite, ut planæ sint viæ Deo illi, qui deduxit Patres nostros per desertum, atque invenit iter facile in medio teterrimæ solitudinis. *Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis; sicut fuit Israeli in die illa, qua ascendit de terra Ægypti*, ait Isajas 11. 16. Chaldæus: *Laudate illum, qui sedet super*

1 Num. 10. 35. *Surge, Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te a facie tua.*
2 Vide Quæst. ad Antioch. apud Athanas. tom. 2.
3 כהנדף עשן תנדף .... רשעים מפני אלהים , 4 וצדיקים ישמחו 70. Καὶ οἱ δίκαιοι εὐφρανθήτωσαν. Hilar. *Et justi lætentur*. August. *Jocundentur*.
5 סלו לרכב בערבות Symmach. Κατασκευάσατε τῷ ἐποχουμένῳ ἐν τῇ ἐρήμῳ. Hieronym. *Præparate viam ascendenti per deserta*. Aquil. Ἀποσκολοπίσατε. *A surculis mundate*.

super thronum gloriæ suæ in novo cœlo.

℣. 5. EXULTATE IN CONSPECTU EJUS. TURBABUNTUR A FACIE EJUS, PATRIS ORPHANORUM.] Verba hæc, *Turbabuntur a facie ejus*, neque in Hebræo, neque in Chaldæo, neque in Syro inveniuntur. Iis autem omissis ita reddi potest: *Exultate in conspectu ejus, qui est pater Orphanorum, & Judex, atque ultor viduarum.* Deus sæpe hæc sibi vendicat nomina, adeo digna infinita sua misericordia. Israelitæ de Ægypto egressi se met considerabant tamquam orphanos, atque derelictos, quorum Dominus curam susceperat, & quos de infestissimorum hostium manibus eduxerat.

℣. 6. DEUS IN LOCO SANCTO SUO; DEUS QUI [1] INHABITARE FACIT UNIUS MORIS IN DOMO.] Laudate Dominum, qui elegit sibi sedem in Tabernaculo suo, vel in Sanctuario suo, Deum illum, qui congregat populum suum in domo sua, vel qui efficit, ut eorum, a quibus opprimebatur, metu liberatus, pace in sua terra fruatur. Per hæc verba *cujus moris* designat Israel eosdem habuisse mores, eamdem consuetudinem, mentem eamdem. S. Augustinus legit, *unius modi*; antiqua Psalteria [2] *unanimes*, eos scilicet; quibus iidem erant sensus, cura eadem, eademque Religio.

Hebræus alium potest sensum admittere [3]: *Dominus inhabitare facit in domo eos, qui erant soli*, ac sine liberis. Eis domum ædificat juxta locutionem Scripturarum [4]; illis frequentem sobolem tribuit. Locus hic simillimus est alteri illi Psalmi 112. 9. *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Dat progeniem, domum, filios illi, quæ naturaliter sterilis erat. Deus pollicetur Davidi per Nathan Prophetam suum 2. Reg. 7. 11. *se illi ædificaturum domum*, florentissimam scilicet illi posteritatem elargiturum. Symmachus [5]: *dat domum iis, qui soli erant.* Editio quinta [6]: *Inhabitare facit in una domo qui soli vivebant.* Aquila [7]: *constituit in domo unicum filium.* Sed priores Versiones longe præstant, neque a nostra Hebraici textus Versione longe abhorrent. Judæi, qui erant in Ægypto sub Pharaone, erant veluti viri sine progenie, ac sobole; at Dominus eos multiplicavit, & illis frequentem filiorum numerum tribuit. Vide Exod. 1. 7. 12.

℣. 7. QUI EDUCIT VINCTOS IN FORTITUDINE.] Eduxit Patres nostros de Ægypto in virtute omnipotentis brachii sui. Sunt [8], qui Hebræum ita vertant [9]: *liberat eos, qui vincti erant in vinculis*, pro *in fortitudine*. Alii: *Eos liberavit feliciter*, vel in felici occasione. Hebraica vox non satis noscitur, atque hic dumtaxat invenitur; verum plurimam habet cum alia voce similitudinem [10], quæ procul dubio significat vincula. Itaque vertendum est: *Eos liberavit, qui catenis erant onusti.* Hic de Ægyptiorum servitute patres nostros eruit.

SIMILITER EOS, QUI EXASPERANT [11], QUI HABITANT IN SEPULCHRIS.] Hoc satis commode explicatur in spirituali sensu, de Gentilibus, quos J. C. de peccati morte, atque ignorantiæ sepulchro, in quo delitescebant, liberavit. Gratuita omnino liberalitate eos illinc eduxit, quamvis ab illis jugiter læderetur; neque meritum aliud ipsi præseferre possent, nisi scelera, atque flagitia.

Hebræus differt [12]: *Sed rebelles permanserunt in deserto.* Ægyptii [13], qui rebelles fuerunt præceptis tuis, & qui occalluerunt adversus flagella tua, usque ad mare rubrum persecuti sunt populum tuum; & ibi potens manus tua illos disperdidit. Cadavera illorum a fluctibus ejecta non aliud habuere tumulum, quam desertum, ubi putrefacta sunt. Vel: Eduxisti fideles tuos, ac filios tuos de Ægypto; sed ex illorum numero eos punivisti, qui in deserto obmurmurarunt contra te, ac fœdus tuum perfregerunt: percussisti eos, & cadavera eorum abjecta in deserto permanserunt [14]. Patres hoc intelligunt de hominibus a J.C. de peccati jugo liberatis. S. Athanasius *rebellium* nomine eos intelligit Spiritus, qui erant in inferno, & qui olim increduli fuerant, quibus J. C. prædicavit, ut refert S. Petrus 1. *Petr.* 3. 20.

℣. 8. DEUS, CUM EGREDERERIS IN CONSPECTU POPULI TUI, ... ℣. 9. TERRA MOTA EST; ETENIM COELI DISTILLAVERUNT.] Auctor Psalmi describere incipit miracula, quæ Deus operatus est in deserto post exitum de Ægypto. Moyses non ait explicite, terram motam fuisse in Sinai, neque ingentem aquarum copiam descendisse. Describit solum montem Sinai undequaque succensum, nubibus involutum, atque ad tonitruum ictus reboantem Exod. 19. 16. Hæc omnis tempestas proculdubio cessare non potuit, nisi in copiosum imbrem resoluta. Prophetæ sæpius uno in loco supplent, quod omissum fuerat in altero. Debora in Cantico suo Judic. 5. 4. 5. & Habacuc 3. 6. 10. eodem ferme pacto describunt pompam Domini per desertum incedentis, ac descendentis in Sinai. S. Hilarius, S Augustinus, Cassiodorus, antiqua Psalteria toties allata, legunt: *Cœli distillaverunt a facie Domini; mons Sina a facie Dei Israel.* Psalterium Mediolanense . . . . *A facie Dei, qui est in Sina; a facie Dei Israel.*

℣. 10. PLUVIAM VOLUNTARIAM SEGREGABIS [15], DEUS, HÆREDITATI TUÆ: & INFIRMATA EST; TU VERO PERFECISTI EAM.] Ea in occasione, Domine, affluentem populo tuo pluviam dedisti, quæ illos oppressos, & defatigatos recreavit. Hebr. [16] *Domine, fluere fecisti copiosissimum imbrem, & cum hæreditas tua* populus tuus *laboribus esset defessus, eum relevasti, ac sustinuisti.* Pluvia hæc duo potest significare, & pluviam ipsam, & mannam. Versiculus sequens aperte distinguit utrumque. Patres pluviam hanc de doctrina Evangelica in spirituali sensu; & de manna [17] in sensu litterali interpretantur. Hæreditas Domini est Ecclesia ipsius. S. Augustinus per *pluviam voluntariam* intelligit quoque Legem Moysis, quæ *infirmata est*, reddens infirmos illos, quibus irrogata fuit; *non quod ipsa infirma sit; sed quod infirmos facit, minando pœnam, hæc adjuvando per gratiam.* J. C. venit, ut eam perficeret, ac confirmaret. *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Matt. 5. 17.

℣. 11. ANIMALIA TUA HABITABUNT IN EA. PARASTI IN DULCEDINE TUA PAUPERI, DEUS.] Pluviam tribuens populo tuo in Arabiæ desertis, gregibus illius prospexisti. Tellus irrigata gramina protulit, atque hoc pacto populo tuo suppeditasti, unde aleret armenta sua in regione fere penitus sterili. Misericordia tua pauperum necessitatibus intenta, in medio deserti, incultæque terræ illis copiosam suavissimamque escam præparavit; mannam videlicet, quæ singu-

---

1 70. Euseb. Athanas. Hilar. non legunt: *Qui*, O Θεὸς κατοικίζει μονοτρόπους: 2 Cassiod. Psalter. Rom. S. Germ. Carnut. *Unanimes*. Μονοτρόπως. 3 אלהים מושיב יחידים ביתה Vide Var. Flamin. Muis, alios passim. 4 Exod. 1. 21. *Ædificavit eis domos*. 5 Sym. Δίδωσι μοναχοῖς οἶκον οἰκεῖν. 6 5. Edit. Κατοικίζει μονάζοντας ἐν οἴκῳ. 7 Aquil. Καθίζει μονογενεῖς ἐν οἴκῳ. 8 Pagn. Mont. Munst. Tig. Cast. Muis, Geier. Jun. &c. 9 מוציא אסירים בכושרות Sym. Ἐξάγει δεδεμένους ἐν ἀπολύσει. 10 קשורים *Vincula*. Job. 36. 8. Psal. 106. 10. 11 S. Hilar. *Eos qui exacerbabant*. August. *Amaricantes*. 70. Παραπικραίνοντας. Aquil. Οἱ ἀφιστάμενοι ἐσκήνωσαν λαμπρότητα. Sym. Οἱ δὲ ἀπειθεῖς κατεσκήνωσαν αὐχμώδεις ξηρότητα. Rebelles steterunt in desertis aridis & combustis. 12 אך סוררים שכנו צחיחה Vide Aquil. & Sym. supra. 13 Chald. 14 Heb. 3. 17. Num. 14. 32. *Vestra cadavera jacebunt in solitudine*. 15 August. Psalter. Rom. Mediol. Cassiod. *Segregans*. Psalt. Sancti Germani: *Segrega*. 16 גשם נדבות תניף אלהים נחלתך ונלאה אתה כוננתה Aquil. *Tu fundasti eam quæ laborabat*: Καὶ μεμοχθηκυῖαν σὺ ἥδρασας. Sym. Ἣν ἐξεπόνησας καὶ ἥδρασας. *Quam effecisti & fundasti*.
17 Ita Hilar. Athanas. Euseb. Aug.

singulis diebus, tamquam ros decidebat. In sensu spirituali, *animalia Dei* sunt animæ sanctæ, humiles, illi, qui gustarunt donum Dei.

℣. 12. DOMINUS DABIT VERBUM EVANGELIZANTIBUS; VIRTUTE MULTA [1].] Deus Ministris suis, Apostolis, Prædicatoribus, quos ad verbum suum enuntiandum dimittit, lumen, eloquentiam, ac scientiam, quæ necessariæ sunt, elargitur. Statuit in ore eorum, quidquid eos proferre vult, atque in sermonibus eorum vim, atque efficaciam inserit, ut alios afficiant ac persuadeant. Cum J. C. Apostolos suos misit Evangelium prædicaturos, ait illis Matth. 10. 18. *Cum tradent vos* Regibus, ac Præsidibus Provinciarum *nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini*, hoc enim Deus in ore vestro constituet. *Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri*. Luc. 21. 15.

Hebraicus textus in alio sensu accipitur [2]: *Dominus dedit Annuntiatricibus*, vel Psaltriis, mulieribus Epinicia canentibus, magna *sermonis*, vel cantus argumenta. In publicis festivitatibus, in triumphorum pompa consueverant mulieres lætitiæ Canticis victorum virtutem extollere. Post transitum maris rubri Maria soror Moysis, quæ aliis mulieribus præerat, canticum illud præcinuit: *Cantemus Domino gloriose*, Exod. 15. Et post victoriam de Jabino relatam, Debora composuit pulcherrimum illud Canticum, quod in libro Judicum c. 5. extat. Goliath victo a Davide, mulieres in omnibus civitatibus canebant: *Percussit Saul mille; & David decem millia*. 1. Reg. 18. 6. Denique Judith post cladem Holofernis in perenne facti monumentum solemne cecinit Epinicion, Judith 16. Psalmista hic ait, Deum posuisse in ore Cantricum præclarum Canticum post deletos Reges Chanaan, qui cum Jabino ad Hebræorum excidium fœdus percusserant. Adeo palam ad insignem hanc alludit victoriam, & sæpius etiam ad Cantici Deboræ verba, ut mirum sit, Interpretes ad ea minime attendisse. Hoc autem Psaltriæ recinebant: *Ingens exercitus* congregatus est; *Reges potentes; Principes bellatores fœdus inierunt* &c. Vide ℣. sequentem.

℣. 13. REX VIRTUTUM DILECTI, DILECTI; & SPECIEI DOMUS DIVIDERE SPOLIA.] Reges terræ cum omni vi sua in J. C. ditionem concessere, Filii scilicet illius adeo a Patre dilecti; & horum Principum exuviæ ad exornandas, locupletandasque Ecclesias inservient; quod re ipsa contigit paucis post J. C. Resurrectionem sæculis. Imperatores, ac Reges Christianam Religionem amplexati, magnificentiam suam in Templis ornandis, atque Ecclesiis locupletandis impenderunt. Vox. *dilecti* semel tantum in plerisque veterum tum Græcorum, cum Latinorum Exemplarium invenitur [3]. S. Hilarius ita legit: *Rex virtutum dilecti; & pulchritudinis domus dividere spolia*. Sententiæ adeo inter se hac de re discrepant, ut eas enumerare nimium esset operosum. Interpretes adi, si vis. Nobis vero satis erit, nostram hypothesim sequi.

Sensum hunc Hebræo tribuimus [4]: Psaltriæ dixerunt: *Frequens exercitus*; *Principes bellatores*, Reges cum exercitibus suis, *fœderati sunt, congregati sunt; sed ea, quæ manet domi, dividet spolia*. Jabin Rex Asor, & Principes socii illius [5] convenerunt in Thanaac, Mageddo, atque ad radices Tabor, ubi Barach, & Debora castra posuerant cum copiis suis, quæ decem millium numerum non excedebant. Repente Dominus terrorem ingentem in exercitum Jabin incussit, cui præerat Sisara. Cœlum stetit pro populo suo, omnibusque numeris absolutam Debora retulit victoriam. Sisara a Jahel interfectus est uxore Heber Cinæi; ita universa celeberrimi illius prælii gloria fuit penes duas mulieres, Deboram, & Jahel. Hoc autem Propheta innuere vult per hæc verba: *Quæ manet domi, divides spolia*.

Debora, quæ juxta patrium morem, suumque sexum domi suæ se se continere consueverat, Israeliticis præficitur copiis, eoque persungitur munere, quod ad Imperatorem exercitus tantummodo spectat. Hostem delet, ac spolia dividit, secundum veterem bellorum consuetudinem [6]. In cantico suo uxorem Heber Cinæi iisdem verbis, quibus isthic designat: *benedicta inter mulieres Jahel uxor Heber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo*. Judic. 5. 24. Symmachus [7]: *Principes exercituum fœdus inierunt, amici facti sunt; & illa, quæ domum regit, dividit spolia*.

℣. 14. SI DORMIATIS INTER MEDIOS CLEROS [8], PENNÆ COLUMBÆ DEARGENTATÆ &c.] Interpretes inutili ferme labore se se excruciant hoc in loco, ut distinctum appingant sensum huic Textui, qui insuperabili ferme difficultate præpeditus est. Ad eum referri possunt ea, quæ alio in loco S. Hieronymus in Zachar. 7. ait: *Neque enim, quod male versum est ex Hebræo, ulla ratione explanari potest*. Omnino igitur Interpretes derelinquimus, cum jam nobis persuasum sit de conatus illorum inutilitate: *Non inclinemur ad falsos Commentatorum conatus, qui de interpretationis errore venerunt*. Nos vero hac in re forsitan illis feliciores nequaquam erimus; attamen isthic aliquid novi reperies, neque ea invenies, quæ alibi toties legisti, quin illis animus acquiesceret.

Debora in Cantico, quod post victoriam de Jabino relatam, elucubrata est, exprobrat Tribus Ruben, & Gad, quæ trans Jordanem morabantur, eo quod nationi suæ opem ferre abnuerint, neque ad prælium adversum Jabin arma contulerint. Eos vero alloquens, iisdem ferme utitur verbis, quæ isthic in Hebræo textu inveniuntur [9]: *In hæreditatibus Ruben viri adsunt consumatæ prudentiæ. Cur permansistis inter rivos vestros*, vel in hæreditatibus vestris, *ut audiretis pastorum sibilos*, vel gregum balatus? Tribus hæc generosis, fortibusque viris adeo frequens, ne minimum quidem solicita in hæreditate sua, in medio fluminum terras suas irrigantium permansit, quin Fratribus suis a Jabino oppressis opem latura properaret. Arnon, Jabok, & Jordanes, quin plurimos adnumeremus fontes, maximas illuc vehunt aquas.

Isthic Psalmi hujus auctor negligentiam eamdem, sed acrioribus verbis, exaggerat. En Hebræum [10]: *Interim dum tranquilli*, atque veluti dormientes *in medio fluminum vestrorum* vel hæreditatum vestrarum *permanetis, o columbæ alas argenteas, aureasque pennas habentes, cum Dominus dissipavit Reges; veluti nix Selmon estis liquefacti*. Postrema hæc verba eorum ignaviam exprobrare videntur; atque non sine acrimonia ad ea alludere, quæ Jacob, paulo antequam ad plures abiret, dixit ad Ruben Gen. 49. 3. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, major in imperio: effusus es sicut aqua, non crescas*. Selmon erat mons tribus Ephraim, ubi nix diu persistere non poterat propter climatis calorem. Judic. 9. 48.

Aliter: *Quamvis tamquam dormientes inter flumina vestra permansistis, o columbæ argenteas alas, aureasque pennas habentes, cum Dominus fudit, fugavitque fœderatos Reges; candidi facti estis velut nix*. Qui sensus mihi magis naturalis videtur. I. Festivitatis, propter quam Psalmus hic compositus fuit, circumstantia non patitur, ut in eo objurgationes, atque probra adversus duas validas tribus interserantur. II. Naturale est, ut co-

1 Hilar. *Virtutibus multis*. 2 אדני יתן אמר המבשרות צבא רב ונו 3 Vide August. hic, Cassiod. Theodoret. Psalter. Roman. Mediol. Carnut. S. German. 4 צבא רב מלכי צבות ידדון ידדון ונוה בית תחלק שלל

5 Vide Judic. 4. & 5. 19. *Venerunt Reges, & pugnaverunt; pugnaverunt Reges Chanaan in Thanac*.

6 Vide Num. 31. 27. & 1. Reg. 30. 24. 7 Sym. Βασιλεῖς τῶν στρατιῶν ἠγαπήθησαν, ἀγαπητοὶ ἐγένοντο, καὶ ἡ διαίτα τοῦ οἴκου διανεμεῖ λάφυρα.

8 Psalter. Sancti Germ. *In medio fortium*.

9 Judic. 5. 15. 16. בפלגות ראובן גדלים חקקי לב למה ישבת בין המשפתים לשמע שרקות עדרים

10 אם תשכבון בין שפתים כנפי יונה נחפה בכסף ואברותיה בירקרק חרוץ בפרש שדי מלכים בה תשלג בצלמון

ut columbarum species ab earum candore celebretur, qui vulgatus erat in Syria color columbarum. Canticorum Sponsa oculos viri sui comparat columbis prope aquarum ripas commorantibus, & quæ ea præstant albedine, ut lacte ablutæ esse videantur. *Cant.* 5. 12. III. Denique Hebraicum nomen, quod hoc in loco invenitur, significat plane, *Nivis candorem exæquare*, non autem *nivis instar liquescere*, omnibus iis tribus in locis, ubi invenitur, *Isai.* 1. 18. *Psal.* 50. 9. & hic. Hæc autem est Auctoris sententia. Verum est, o tribus Ruben, & Gad, o columbæ argenteas alas habentes, tunc vos in pascuis vestris permansisse, neque aliquid contulisse viribus vestris ad eam victoriam, quam Debora reportavit; at postmodum magnam vobis nominis famam comparastis tum virtute, cum opibus vestris; permansistis inter flumina vestra, iisque abluti estis, atque candidi effecti, veluti nix Selmon.

Comparat Ruben, & Gad columbis; quæ similitudines frequentes sunt in Scripturis. Isaias 59. 11. Judæos comparat columbis gementibus in calamitatibus suis; & 60. 8. columbis ad turres suas revertentibus. Jeremias quoque 48. 28. de Moab locutus eadem utitur similitudine, non secus ac Ezechiel 7. 13. de Juda, & Osee 7. 11. & 9. 11. de Ephraim, & Nahum de Ninive verba facientes. Alæ aureæ, atque argenteæ designant utriusque tribus divitias, Gad scilicet, & Ruben, quibus columbarum nomen aptius isthic convenit, quod uberem, irriguamque terram incolebant, & quod Psalmista inquit, ipsas secus flumina sua permansisse potius, quam fratribus suis opem afferrent. *Pallor*, vel *viriditas* auri, de qua in Textu sermo est: *in pallore*, vel *viriditate auri* [1] epitheta sunt, quæ metallo huic passim a probatissimis auctoribus adduntur: *Inaurata pallidior statua*, ait Catullus, & Martialis l. 12. Ep. 5.

Miratus Scythicas virentis auri,
Flammas jupiter.

Per hæc verba, *inter medios cleros*, inter duas portiones, duasque hæreditates (hæc enim Græcæ vocis *Cleros* est significatio) Patres [2] vulgo utrumque intelligunt Testamentum; Ecclesia, & fideles inter duas partes, licet gravissimæ in eos desæviant persecutiones, semper nive puriores, atque candidiores persistent. Columba Spiritum Sanctum, & illius munera, vel J. C. Ecclesiam designat. Alæ columbæ, Concionatores significant; argentum vero speciem, eloquentiam: aurum autem charitatem, & Mysteriorum altitudinem. In id genus explicationibus quilibet abundare potest in sensu suo. S. Athanasius per duos hos *cleros*, Judæos, & Gentiles intelligit.

℣. 15. MONS DEI, MONS PINGUIS; (16.) MONS COAGULATUS [3], MONS PINGUIS, UT QUID SUSPICAMINI [4] &c.] Mons hic pinguis est Sinai, ut vult Chaldæus Paraphrastes; ut alii, Sion. In sensu spirituali est Ecclesia, vel ipse J. C. En autem Hebraicum hujus, & sequentis versiculi textum [5], qui nobis aditum ad magis litteralem explicationem aperiet. *Mons Dei, mons Basan; montes excelsi* [6], *mons Basan, cur prava meditamini consilia* [7]*?* vel cur adversamini, cur resistitis [8]? *Mons, quem elegit Dominus in habitationem sibi, ac ubi in æternum permanebit*.

Psalmi auctor orditur descriptionem acquisitionis terræ Chanaan de Chananæis, ac terræ Basan de Sehon, Og, Regibus Amorrhæorum, qui trans Jordanem regnabant. Per Apostrophem autem convertitur

A ad utriusque regionis hujus montes, tamquam exhibentes Reges, & habitatores earum, iisque dicit, eos nequiquam inire consilia adversandi voluntati Omnipotentis, qui in ipsis elegit habitaculum suum. Licet omnes exeratis conatus vestros, omnibusque viribus nitamini, ipse isthic in æternum permanebit. Vide explicationem ℣. 20. infra. Montes Chanaan vocat *Montes Dei*, *& montes excelsos* propter eorum antiquitatem, ubertatem, atque altitudinem. Hebræi nomen Dei iis rebus addunt, quarum magnitudinem, atque pulchritudinem commendare peroptant. Montes vero trans Jordanem *Montes Basan* simpliciter vocat, quoniam regio Basan celeberrima erat, atque uberrima terrarum illarum, & Rex Og adeo insignis, propter magnitudinem, ac virium suarum immanitatem, ibi

B imperitabat. Hæ victoriæ antecessere bellum Jabin, de quo superioribus versiculis sermo fuit. Verum in id genus carminibus, nequaquam requiritur, ut temporum ordo servetur.

Symmachus [9] aliter, ac alii Interpretes hos versiculos distribuit: *Cum Dominus divisit* hæreditatem suam; vel simpliciter, *cum eam partitus est Omnipotens, candida fuit nivis instar. Selmon mons Dei, mons fertilis, mons altissimus, mons omnium bonorum genere affluens: cur resistitis montes adeo excelsi?* Cur gloriantur ob altitudinem, atque ubertatem? Alius adest mons, majoribus insignitus privilegiis: ille scilicet, ubi Dominus suam sedem elegit.

℣. 18. CURRUS DEI DECEM MILLIBUS MULTIPLEX, MILLIA LÆTANTIUM; DOMINUS IN EIS, IN SINA,

C IN SANCTO &c.] Currus Dei stipatus est decem millibus, & ultra; hæc sunt millia Sanctorum, qui exultant præ gaudio: Dominus est in medio eorum, in Sanctuario suo, quemadmodum olim in Sinai: Vel potius: Est eum illis, venit de Sinai, est in Sanctuario suo. Hic incipit descriptio incessus Omnipotentis, qui venit, possessionem accepturus montium, de quibus fuit sermo, & ubi suam elegit habitationem. Venit de Sinai in medio totius populi sui, exercitus, atque Sanctorum, ascendit super currum, super Arcam, atque insidens Cherubin; quadrato agmine incedit, primum montes Basan in ditionem suam redacturus, & subacturus Reges Og, & Sehon, qui illi adversati ausi sunt. Hoc autem seq. ℣. enarratur.

Hebræus [10]: *Currus Domini* stipatus est *viginti milli-*

D *bus, millibus duplicatis* [11], infinito virorum, vel Angelorum numero; pluribus militum millibus; hic enim de Victore sermo est. *Dominus est in medio eorum in Sinai in Sanctuario suo*, vel potius: est in *medio eorum*. Deus de *Sinai est in Sanctuario suo*, in Tabernaculo suo, super Cherubim, qui illius Arcam cooperiunt. Scriptura sæpe nobis exhibet Dominum currui insidentem, veluti Regem, & tamquam Deum exercituum. Moyses illum his vocibus describit de Sinai in promissam terram venientem. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex* Deuter. 33. 2. 3. Hi Sancti, de quibus loquitur Moyses, sunt populus Domini, electa natio, multitudo servorum Dei, exerci-

E tus Omnipotentis, qui illum in deserto iter agentem concomitatur. Hæc omnia mirum in modum iis congruunt, quæ hic ait Psalmi Auctor Zacharias 14. 5. 6. prædicens Judæorum dispersorum reditum, ante illos venientem Dominum describit: *Veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo*. Denique Abacuc 3. 6. 9. 10. no-

1 70. Ἐν χλωρότητι χρυσοῦ. S. August. & S. Hilar. *In viriditate auri*. 2 Vide Theodoret. August. Hieronym. Origen. Homil. 27. in Luc. Ambros. lib. de Parad. cap. 3. & lib. de Tobia. cap. 5. Euseb hic.

3 Hilar. *Mons consecratus*. 4 Hilar. Psalter. Roman. S. German. Mediol. *Ut quid suspicitis?* Carnut. *Ut quid æstimatis?* Cassiod. *Ut quid suscepisti montes uberes?* 5 15. הר אלהים הר בשן הר גבננים הר בשן 16. למה תרצדון הרים גבננים ההר חמד אלהים לשבתו אף יהוה ישכון לנצח 6 Ad litteram, *mons caseatus*, vel mons *altitudinum*, multorum collium. 7 רצד Ex Arab. *machinari*, *insidiari*, *observare*.

8 Sym. Ἵνα τί περὶ ὑπερδιάζετε. *Quare ardenter contendistis?* Aquil. Ἐις τί ἐρίζετε, ὄρη ὀφρυωμένα. *Quare contenditis montes superbi?* ad litteram: *supercilliosi*. 9 Symmach. Ὁπότε κατεμέριζεν ὁ ἱκανὸς βασιλείαν αὐτῆς, ὡς χιονωθῆναι ἐν. Σελμὼν ὄρος Θεοῦ, ὄρος λιπαρὸν, ὄρος ὑψηλότατον, ὄρος λιπαρὸν; εἰς τί περισπουδάζετε τὰ ὄρη, τὰ ὑψηλά. 10 רכב אלהים רבותים אלפי שנאן אדני בם סיני בקדש

11 De rivo שנאן a שנה iterare. Vulgata quæ habet *Lætantium*, & 60. Εὐθυνούντων, *floridorum*, *uberum*, legisse videntur שמחים

10. nobis exhibet iter Domini de Sinai, & Pharan in promissam terram venientis eodem ferme modo, atque iisdem fere vocibus, ac Psalmista. Quod non patitur, ut ambigamus, utrum hic verus sit hujus loci sensus, & utrum innumeræ hæ militum copiæ, quæ currum Domini subsequuntur, sint Hebræorum, qui arcam illius in deserto comitabantur.

℣. 19. ASCENDISTI IN ALTUM; CEPISTI CAPTIVITATEM; ACCEPISTI DONA IN HOMINIBUS [1].] Processisti adversus feros hos montes Basan, & Chanaan, eos subegisti, inde maximum captivorum numerum retulisti; Amorrhæis vectigalia imperasti; eorum submissionem, atque tibi præstitos honores excepisti. David Victoris hostes suos superantis, eosque in servitutem asserentis allegoriam persequitur. *Accipere dona* in Scripturæ stylo, cum de Principe sermo est, significat subjectarum nationum tributa recipere [2]. *Capere captivitatem* idem est, ac captivos capere, & populum subigere [3]: *Ascendere in altum* passim usurpatur, cum ostendit gloriam suam, & quodammodo se super terram extollit, ut potentiam, ac Majestatem suam manifestet [4]. Hic etiam isto in sensu accipi potest, quemadmodum etiam in eo, quem proposuimus.

S. Paulus ad Ephes. 4. 8. locum hunc transfert ad J. C. Ascensionem, cumque aliter citat ab eo, qui legitur isthic. Dominus *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. S. Justinus Martyr Dial. cum Tryph. S. Hilarius, & antiqua Psalteria Romanum, & Carnutense [5] eum similiter citant. Quam varietatem conciliaturi Interpretes notant, Hebraicum verbum, quod *accipere* significat, significare etiam *dare* pluribus in locis [6]. Chaldæus, Abenezra, Syrus, Æthiops, & Arabs in hoc ipso sensu isthic interpretantur; & scite quidem de Salvatore explicatur, qui ad Cœlos ascendens secum veluti in speciem triumphi adduxit animas Sanctorum Patriarcharum, qui in Abrahæ sinu adventum illius præstolabantur. J. C. per mortem suam homines de peccati, at Dæmonis captivitate liberavit, post Ascensionem vero ad eos Spiritum Sanctum suum demisit, qui eos bonis, ac muneribus suis cumulavit. Sensum hunc optimi sequuntur Interpretes.

℣. 20. ETENIM NON CREDENTES INHABITARE DOMINUM DEUM.] Amorrhæi, & Chananæi, populi illi increduli, atque impii, licet inviti experti sunt, Dominum esse in medio nostri, atque virtutem omnipotentis manus illius senserunt. Hebræus [7]: *Accepisti dona ab homine*; vel hostibus tuis vectigalia imperasti; *iis etiam, qui adversabantur, ut Dominus Deus inter eos habitaret*, iis etiam rebellibus, qui jugum hoc pati nolebant, neque se tuo submittere imperio.

Veteres nonnulli [8] ita versiculos 19. & 20. distribuunt:... *Etenim non credentes inhabitare* (20.) *Dominus Deus benedictus; benedictus Deus die quotidie*. Sed Hebræus, Chaldæus, Syrus Vulgatæ conformes sunt.

℣. 21. BENEDICTUS DOMINUS DIE QUOTIDIE [9]: PROSPERUM ITER FACIET NOBIS DEUS SALUTARIUM NOSTRORUM.] Hic Psalmista ad primum sibi propositum redit argumentum. A Deo felix iter petit. Loquentem introducit populum, qui Arcam comitatur. Dominus Deus noster nos regere, atque ducem nobis esse dignetur in hac celebritate, quam pro illius gloria suscepimus. Accepta sit illi devotio nostra, pia Davidis consilia benedicat, qui arcam illius in civitate totius regionis Juda principe vult collocare.

Hebræus [10]: *Benedictus Dominus quotidie, qui nos onerat* bonis [11], *Deus iste, qui salvat nos*; nosque tuetur. Chaldæus: *nos præceptis onerat*. Ludovicus de Dieu vertit: *onerat nos afflictionibus, sed statim ex illis nos eruit*. Vel: *Aliquis ne malis nos onerat? Deus nos illis exonerat*. Malim tamen vertere: *Benedictus Dominus, qui fert ipse onera nostra, hic Deus Salvator noster*. Consoletur nos misericordia sua, vel nos ex hujus vitæ malis eripiat.

℣. 22. DEUS NOSTER, DEUS SALVOS FACIENDI; & DOMINI, DOMINI [12] EXITUS MORTIS.] Deus noster est Deus, qui salvos facit, & ipse potest nos a morte liberare. Vel Deus noster est Deus salutis, & dominus est viæ mortis. Vitam confert, & mortem; vulnus infert, & medelam; tum ad affligendum, cum ad consolandum omnipotens. *Dominus mortificat, & vivificat; deducit ad inferos, & reducit*; ait mater Samuelis in Cantico suo 1. Reg. 2. 6. Nos ab hostibus nostris eripuit, nos Philisthinis addixit; nostri deinde misertus est, & eduxit nos de eorum dominatione.

℣. 23. VERUMTAMEN DEUS CONFRINGET CAPITA [13] INIMICORUM SUORUM, VERTICEM CAPILLI &c.] Conteret Deus hostium suorum capita, superba capita eorum, qui sibi complacent in sceleribus suis. Ad litteram [14]: *Contrivit capita inimicorum suorum, verticem comæ illorum, qui in flagitiis suis perambulabant*. Symmachus [15]; *verticem capitis cooperti capillis illius, qui in suis sceleribus vivit*. Chaldæus: *Confringet caput hostium suorum: evellet capillos in flagitiis suis perambulantis*. Videtur autem innuere velle ultionem, quam Dominus contra Ægyptios ad transitum rubri maris exercuit. Capilli verticis in capite superbiam, ac sævitiam, vel fortasse caput simpliciter designant. Dejecit verticem capitis; cerebrum impiorum, qui in sceleribus suis callum duxere. Auctor Psalmi 72. ℣. 13. 14. eadem ferme ratione hoc ipsum exprimit: *Contribulasti capita draconum in aquis; tu confregisti capita draconis* &c.

℣. 24. DIXIT DOMINUS: EX BASAN CONVERTAM: [16] CONVERTAM IN PROFUNDUM MARIS [17].] Præcedenti versiculo dixit, Dominum contrivisse caput Ægyptiorum inimicorum suorum; hic autem promittit electo populo suo, se, quemadmodum de maris imo illum eduxit, ita ex omni vi Regum Basan erepturum. Vel: quemadmodum vos de rubri maris imo liberavi, & Og, atque Sehon, duos illos terribiles adversarios, subegi, ita vos ex omnibus hostibus vestris eripiam. Videbis eos sub pedibus tuis, conteres illos &c. *ut intingatur pes tuus*.

℣. 25. UT INTINGATUR PES TUUS IN SANGUINE; LINGUA CANUM &c.] Cædes Amorrhæorum erit tanta, ut pedes tui eorum sanguine imbuantur, & lingua canum tuorum cruentetur. Sanguis per rivulos diffluet. Videri possunt apud Moysem bella [18] ab ipso adversus Og Regem Basan, & Sehon Regem Amorrhæorum bellata, qui omnium primi ab Israel, vel potius a Domino superati fuerunt. Utriusque Regis populus fuit trucida-

1 Psalter. S. German. *Accepit dona in hominem*. Modiol. *In homines*. 70. Ἐν ἀνθρώποις; quidam libri; Ἐν ἀνθρώπῳ. Ita Hebr. באדם 2 Vide Judic. 3. 15. 17. 1. Reg. 10. 27. 3. Reg. 4. 21. 1. 25. 2. Paralipom. 9. 24. 17. 5. 11. 26. 8. 32. 23. &c. 3 Judic. 5. 12. 4 Psalm. 7. 8. 56. 7. 14. 107. 6. 112. 6. Vide Theodoret. 5 Hilar. *Ascendit in altum, cepit captivitatem, dedit dona hominibus*. At in suo Commentario legit: *Accepit dona*, &c. S. Augustinus utramque lectionem probat.

6 Vide Genes. 38. 6. 21. 34. 4. Exod. 21. 10. 25. 2. 32. 20. Judic. 14. 3. Osee 14. 2. 3. Reg. 3. 24. 17. &c. Vide Gejer. Rivet. Pococ. Miscell. cap. 2. 7 ואף סוררים לשכון יה אלהים Aquil. Καίπερ ἀπειθεῖς τοῦ κατασκηνῶσαι. 8 Ita 70. Aug. Psalter. Rom. Mediol. Carnut. Arab.

9 Edit. Rom. August. Psalter. Roman. *Benedictus Dominus de die in diem*.

10 ברוך אדני יום יום יעמס לנו האל ישועתנו 11 Muis, Jun. Castal. Pisc. alii.

12 S. Hilarius, S. Augustinus, duo Psalteria Romana, & Carnutense semel tantum legunt, *Domini*.

13 Hilar. & August. *Deus conquassabit capita* &c. 14 קדקד שער מתהלך באשמיו

15 Symmach. Κορυφὴν ἐντρίχου κακορρεμβοῦντος ἐν ταῖς πλημμελείαις αὐτοῦ.

16 S. August. Psalter. Rom. Sanct. German. Carnut.... *Convertar, convertar in profundum maris*. S. Hilarius legit semel tantum, *Convertar*. 17 Hebr. אמר אדני מבשן אשיב אשיב ממצלות ים

18 Num. 21. 23. 24. 33. 34. 35.

vidatus. *Pertransierunt universum populum eius usque ad internecionem*. Generatim quoque potest intelligi de inimicis populi Domini, qui deinde a Davide victi fuerunt, ut hæc prophetia adimpleretur.

℣. 26. VIDERUNT INGRESSUS TUOS, DEUS &c.] Reges hi, qui summa pertinacia te cognoscere, & populo tuo transitum præbere noluerunt [1], testes fuerunt incessus tui, & magnificentiæ bellici currus tui. Vide supra ℣. 18. 19. Experti sunt robur brachii Dei mei, Regis mei, qui permanet in Sanctuario suo. In his omnibus mirabilis est poesis, atque præclara inventio, ad describendum summa cum venustate ingressum Israel in hostilem terram, & victoriam, quam de validis Regibus retulit sub Domini auspiciis, cujus veluti pignus præsentiæ Arca incedebat in medio populi sui. Ait autem, omnes hos populos testes fuisse ingressus Domini, atque ad terribilis hujus Majestatis adspectum perterritos fugam corripuisse, neque ausos fuisse exercitui ejus adversari.

S. Hilarius legit: *Visa sunt itinera tua, Deus, itinera Dei mei &c.* S. Augustinus, & Psalteria Romanum ac Mediolanense: *Visi sunt gressus tui, Deus, gressus Dei mei etc.* Viæ, & gressus Domini sunt illius Incarnatio, Vita, Passio, Resurrectio &c. Eusebius, & S. Hilarius hic supponunt, in veteri Testamento, J. C. Patriarchis apparuisse, atque cum Moyse, & Prophetis locutum fuisse.

℣. 27. PRÆVENERUNT PRINCIPES CONJUNCTI PSALLENTIBUS IN MEDIO JUVENCULARUM TYMPANISTRIARUM.] Poetico lepore pergit descriptio agminis Omnipotentis. Dixerat superius [2], Dominum ascendisse super currum suum, multiplici Sanctorum myriade stipatum; nunc vero prolixiorem narrationem orditur, atque ostendit, quodnam erat eorum, qui triumphalem illius currum subsequebantur, officium. Hebr. [3]: *Cantores primi incedebant; mox vero, qui musicis instrumentis psallebant, et virgines denique tympanistriæ medium obtinebant*. Hic erat agminis ordo. Verti quoque potest: *Principes primi incedebant, post hos psaltriæ, in centro vero puellæ, quæ tympanum pulsabant*, vel vetus illud tympanum, cujus alibi descriptionem tradidimus.

℣. 28. IN ECCLESIIS BENEDICITE DEO: DOMINO, DE FONTIBUS ISRAEL.] In cœtibus vestris benedicite Deo; benedicite Domino vos, qui estis rivuli ex fonte Israel egressi. Ita plerique Interpretum post Rabbinos hæc explicant verba, *de fontibus Israel*. Fontes, vel aquæ Israel, pluribus in Scripturæ locis, posteritatem significant [4]. Psalmista sermonem suum ad hunc Cantorum, Cantricumque chorum convertit, eosque adhortatur, perinde ac præsens essent, ut Dominum laudent. In spirituali sensu hi fontes Israel vel Messiam, vel Apostolos, vel Spiritum Sanctum, vel sanctas Scripturas, vel Doctrinam Evangelicam ex Patrum sententia designant.

℣. 29. IBI BENIAMIN ADOLESCENTULUS IN MENTIS EXCESSU [5] (℣. 30.) PRINCIPES JUDA &c.] Quatuor dumtaxat tribuum nomina refert, verum sub his eas omnes complectitur. Beniamin natu minimus inter filios Israel, & caput Tribus; quæ præ cæteris omnibus minima erat, Beniamin adolescentulus, super alios amore suo, atque immodica lætitia insignis erat. Juda omnibus præerat cum principibus Zabulon, & Nephthali. In itineribus Deserti priorem locum Juda semper obtinebat, ad cujus dexteram Zabulon, ad lævam autem Issachar, et Nephtali incedebant Numer. 2. 3. et seq.

Hebr. [6]: *Ibi erat Beniamin adolescentulus, qui eos ducebat*. Præerat cantui, præcinebat, alios edocebat [7]. Vel: ibi aderat parvula tribus Beniamin, illa, quæ Israeli Regem dedit. *Principes Juda cum purpureis vestibus*, vel Principes Juda erant *rupes eorum*, robur, præsidium; vel *Capita* Duces eorum. Erant quoque *Principes Zabulon, et Nephthali*. Sub nomine Beniamin Patres intelligunt S. Paulum Apostolum, qui erat ex hac tribu.

℣. 31. MANDA, DEUS, VIRTUTI TUÆ [8]: CONFIRMA HOC DEUS, QUOD OPERATUS ES IN NOBIS.] Ex hoc loco ad finem usque Psalmi, nihil aliud occurrit, quam laudes, et gratiarum actiones Judæorum ducentium Arcam in Jerusalem. Perfice, Domine, omnipotenti virtute tua, quidquid in nobis incœpisti; absolve opus dexteræ tuæ. Tu nos de Ægypto eduxisti, introduxisti in hæreditatem tuam: nosque de Chananæis, Philisthiim, et Jebusæis victores fecisti, ne cesses nobis opitulari. Hebræus juxta ea puncta, quæ in Exemplaribus nostris videntur, habet [9]: *Præcepit Dominus in virtute sua. Confirma, Domine, quod pro nobis operatus es*. Vel cum S. Hieronymo: *Præcepit Deus tuus de fortitudine tua, conforta Deus, hoc quod operatus es in nobis*.

Patres hoc explicant veluti desiderium Justorum, et Prophetarum veteris Testamenti, qui a Deo petunt, ut illis demittat Verbum suum, fortitudinem suam, Virtutem suam, et exequatur eas promissiones, quibus jampridem illis pollicitus fuerat, se illis omnipotentem Liberatorem daturum. Explicari quoque potest veluti oratio Apostolorum, vel Justorum Ecclesiæ Christianæ, a Deo petentium, ut per gratiam suam, quod in ipsis incœpit, perficiat, justificationis, et perseverantiæ illis gratiam concedat, quemadmodum illos ad Fidem, et Religionem Christianam vocare dignatus est; denique ut Ecclesiam suam adversus impiorum, Hæreticorum, atque Infidelium impetus tueatur, et luminis, virtutisque suæ spiritum in Pastorum, Ministrorumque suorum animam effundat.

℣. 32. A TEMPLO SANCTO SUO, QUOD EST IN JERUSALEM: TIBI OFFERENT REGES MUNERA.] Prior hujus versiculi pars cum præcedentibus est connectenda. *Confirma Deus, quod operatus es in nobis in medio Templi tui*. Ostende pro nobis omnipotentem virtutem tuam in medio Sanctuarii tui. Perfice, Domine, quod in nobis operatus es. Vel: Perfice, quod operatus es in nobis, et effulgeat in medio Templi tui potentia tua, ut nobis afferat opem. Verum dubito, ne Textus hic ita expressus Davidi conveniat, in ea præsertim solemnitate, in quam psalmum hunc compositum fuisse supponimus. Eusebius, et Arabs aliter legunt; *Tibi offerent Reges munera in Templo Sancto tuo, quod est in Jerusalem*. Simulac nos hoc metu liberaveris, et arca tua in Jerusalem collocata fuerit, Reges advenæ ad tibi offerenda munera confluent. Symmachus [10]: *Confirma, Domine, quod operatus es in nobis propter Templum tuum, quod est in Jerusalem*.

Ita Hebræum textum reddere mallem [11]: *Statim ac Templum tuum erit in Jerusalem*, vel super Jerusalem, super verticem Sion, *Tibi offerent Reges munera*. Simul ac Tabernaculum tuum constitutum erit in Sion, Reges terræ venient adoraturi. Hæc est prophetia eorum, quæ contingere debebant, Davide, et Salomone imperantibus, quo tempore plurimi Reges principibus illis subditi venerunt tributum persoluturi, eisque omnia obsequii argumenta præbituri, velut Regibus a Domino constitutis. Verum toto cœlo perfectius hæ promissio-

1 Vide Num. 21. 21. 22. 23. 2 Vide vers. 18. 19.
3 קדמו שרים אחר נגנים בתוך עלמות תופפות 4 Muis, Vatabl. alii plerique. Vide Deuteron. 33. 28. *Oculus Israel in terra frumenti*. Hebr. *Fons Israel*: id est, *Israelita*. Isai. 48. 1. *Vos, qui vocamini nomine Israel, & de aquis Juda existis*. Num. 24. 7. *Fluet aqua de situla ejus, & semen illius erit in aquas multas*. Vide & Proverb. 5. 15. & Psal. 86. ult. 5 S. Hilar. *Ibi Beniamin junior in pavore*. August. *Adolescentior in extasi*. Cassiod. Psalt. Rom. & Mediol. *Adolescentior in pavore*. Psalt. S. Germ. *Adolescentia in pavore*.
6 שם בנימין צעיר רדם שרי יהודה רגמתם שרי זבולן שרי נפתלי
7 Theodoret. Παιδευτὴς αὐτῶν. Aquil. Βασιλεὺς ταύτης κρατῶν αὐτῶν.
8 August. & antiqua Psalter. *Manda, Deus, virtutem tuam*. 9 צוה אלהיך עזך עוזה אלהים זו פעלת לנו
10 Symm. Ἐνίσχυσον ὁ Θεὸς τοῦτο ὃ ἐποίησας ἡμῖν, διὰ τὸν ναὸν σου τὸν ἐπάνω τῆς Ἱερουσαλήμ.
11 מהיכלך על ירושלם לך יובילו מלכים שי

missiones adimpletæ fuerunt in Ecclesiæ J. C. institutione. Imperatores, atque potentissimi terrarum principes venerunt supremo universorum Domino, a quo omnis est potestas, et cujus omnis est in terras dominatio, munera, ac vota allaturi, eumque adoraturi.

℣. 33. INCREPA FERAS ARUNDINIS[1]: [2] CONGREGATIO TAURORUM IN VACCIS POPULORUM: UT EXCLUDANT EOS, QUI PROBATI SUNT ARGENTO[3].] Hæ feræ, quæ in arundinetis pascuntur, et hi tauri, qui sunt in medio armentorum, designant hostes Israel, Philisthiim, Chananæos, Ægyptios. David eos confert tauris furentibus, ac nimium obesis, et fortibus. Ubertas pastionum, et fertilitas regionis eorum per arundines, vel herbam, inter quam pascuntur, designatur. Ingens populi numerus, et armorum vis vaccarum gregibus exhibentur, in quarum medio ipsi regnant. Reprime, Domine, feroces hos, atque potentes hostes; eorum potestatem, atque desideria coerce, ne patiaris populum tuum ab illis subigi, neque pacem, quam tu Israeli elargitus es, ab iis perturbari. Philisthiim tunc temporis viribus prævalebant, David deinceps etiam magna adversus illos prælia sustinuit, et nonnisi multo post arcæ translationem in Jerusalem, Rex ille adeo potens effectus est, ut nomen illius finitimis gentibus undequaque terrorem incuteret. Israel timebat adhue, cum arca in Jerusalem translata est.

Plures Hebraico textui sensus possunt appingi [3]: *Reprime fortiter hanc feram arundinis, hunc cœtum taurorum in medio vitulorum; hos populos, qui incedunt super argenti* frusta. Reprimo Ægypti Regem, terribilem hunc crocodilum, ferox hoc animal, qui inter Nili arundineta moratur. Reprime Reges Æthiopum, qui taurorum instar in medio impotentis, superbique populi dominantur, non secus ac vituli nimium pingues, qui lasciviunt in gramine, & qui obvium quidlibet cornu petunt. Humilia populos hos nimium potentes, qui argentum pedibus calcant; adeo ea in regione vile argentum est. Isaias 51. 9. & 30. 7. Ezechiel [4], Psalmista Psal. 73. 13. non semel Ægypti Regem, Crocodilum, vel immanem piscem vocarunt, quod nomen synonymum videtur *feræ arundinis*. Crocodilus plerumque in Nilo victitat, delitescit inter calamos, qui in hujus fluminis ripa sylvescunt, & in fluvii hujus sabulo dormiunt. Tauri designare possunt principes Æthiopiæ, vel Ægyptii Regis purpuratos. Familiare est sacris auctoribus id genus similitudines adhibere, de principibus, validisque hostibus loquentes. Hæc autem explicatio eo mihi probabilior videtur, quod statim infra David prædicit, Ægyptios, Æthiopesque venturos, ut supremum Domini imperium recognoscant, eique manum in submissionis argumentum daturos. Fieri potest, ut Philisthiim Davidis virtutem veriti, adversus illum pellicere adnisi fuerint Reges Ægypti, & Chus, finitimos suos, vel ex utraque Gente plurimos conduxisse milites, quibus contra David in aciem descenderent.

Symmachus [5]: *Acriter increpa feras arundinis*, vel prati, *congrega magna* animantia *cum gregibus populorum; ea, quæ calce percutiunt* contra *populum, qui probatus fuit tamquam argentum in fornace*. En alium sensum, qui Hebraico textui tribui potest: *Acriter increpa ferocem hanc belluam; dominare gregi taurorum in vitulis populorum, qui argenti frusta pedibus obterunt* (℣. 34.) *Dissipa gentes has, quæ bella dumtaxat meditantur*. Hæc omnia ad Ægyptios transferri possunt, uti superius dictum est, vel Philisthiim. Reprime insolentiam inimicorum nostrorum; contere superbiam eorum, robur dissipa; prava consilia everte. *Pedibus obterunt argenti frusta*; aurum, argentumque contemnunt, tanta apud illos eorum est copia. Hyperbolice dictum eodem ferme pacto, ac illud quod legimus in 3. Reg. 10. 27. Salomonis tempore flocci fieri consuevisse aurum; æque enim ac lapides vulgatum erat. Vel Psalmista inanem horum populorum notare vult magnificentiam, qui sub calceis argenteos clavos deferebant, vel sandalia sua laminis ex hoc metallo exornabant. S. Clemens Alexandrinus Pædag. l. 2. cap. 2. Ægyptios hanc vanitatem habuisse testatur. In exercitu Antiochi Magni sub calceamentis clavos aureos gestabant. Vide Valer. Max. l. 19. c. 1.

℣. 34. VENIENT LEGATI EX ÆGYPTO: ÆTHIOPIA PRÆVENIET MANUS EJUS DEO.] Simulac hostiles has nationes represseris, quæ bella tantum requirunt, Ægyptus, atque Æthiopia supremæ Majestati tuæ se submittet, & manus tibi dabit in obsequii, atque submissionis argumentum. Hæc autem erat prophetia conversionis Gentilium, ac præsertim Ægypti, atque Æthiopiæ, qui primi omnium J. C. agnoverunt, & Evangelium receperunt. Isaias 19. 19. & Sophonias 3. 10. id ipsum vaticinati sunt; & in Actis Apostolorum 8. 27. videmus conversionem Eunuchi Reginæ Candacis ex Æthiopia. Eusebius, & S. Hilarius asserunt, Ægyptios non defuisse in Jerusalem, testes descensus Spiritus Sancti die Pentecostes, qui in Ægyptum reversi, ibi Evangelium prædicarunt, & facti sunt veluti Legati J. C. ea in regione; cujus circumstantiæ non meminit Scriptura. S. Hilarius credere videtur, Magos, qui veluti Gentilitatis primitiæ, J. C. in incunabulis positum convenerunt, ex ea regione fuisse profectos.

Symmachus [6]: *Ægyptii veniant, ut ostendant se: festinse Æthiopia præbere manum Domino*. Aquila: *Properabunt* munera *afferre ex Ægypto*; Æthiops celeriter manum suam Deo exhibebit. S. Hieronymus de more Symmachi versionem secutus est. Hebræus [7]: *venient Chasmanim de Ægypto: Chus currere faciet manus suas ad Dominum*. Chaldæus: *Nigri filii Cham venient de Ægypto, ut se proselytos faciant, & filii Chus venient, manus suas elevaturi in precibus coram Domino*. Hebraica vox *Chasmanim*, isthic in Textu invenitur. S. Hieronymus, & Aquila eam *celeriter* reddiderunt; Symmachus, *eos, qui apparent* repente; Rabbinus Salomon *munera*. Rabbinorum, recentiorumque Interpretum plerique eam explicant de Principibus, Optimatibus, opulentis, potentibusque viris. Judæi Italici *Chasmanim* vocant Cardinales. Assamonæorum nomen, Mattathiæ, & filii ejus tributum, quibus Macchabæorum agnomen additum fuit, idem est atque Chasmanim. Neque locus dubitandi esse potest, quin hoc nomen sit dignitatis, sed justam illius statuere significationem haud ita facile est. *Chascham* Arabice *opes* significat.

Chus, quod vulgo vertitur Æthiopia, accipitur modo pro Æthiopia proprie dicta, & modo pro ea regione, quæ est inter Palæstinam, atque Ægyptum, & quæ secus Orientales, occiduasque rubri maris oras extenditur. Nonnumquam etiam Scythas designat, & populos, qui olim secus Araxem commorabantur. Hic vero præcipue inferioris Ægypti Æthiopes denotari credimus, & eos, qui rubri maris littora incolebant, atque Davidis prophetiam ad litteram sub Salomone fuisse adimpletam, cum Ægyptus cum hoc Rege fœdus percussit per nuptias filiæ Pharaonis cum illo [8], & per commercium, quod inter utrumque populum initum est;

1 August. *Feras calami*. 70. Ἐπιτίμησον τοῖς θηρίοις τοῦ καλάμου. Hilar. & Psalter. Mediol. *Feras sylvæ*. Psalter. Rom. & Carnut. *Feras sylvarum*. Psalter. sancti German. *Bestias sylvæ*. Apud Theodoret. Quidam habent Δρυμοῦ, pro καλάμου.

2 Aug. Psalter. Roman & Mediol. *Ut excludantur ii, qui probati sunt argento*. Ita 70. Τοῦ ἐκκλεισθῆναι τοὺς δεδοκιμασμένους τῷ ἀργυρίῳ. Hilar. & Psalt. sancti German. & Carnut. *Ut non excludantur ii, qui probati sunt argento*.

3 גער חית קנה עדת אבירים בעגלי עמים מתרפס ברצי בסף

4 Ezech. 29. 3. *Ecce ego ad te, Pharao, Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum*.

5 Symmach. Ἐπιτίμησον τοῖς θηρίοις τοῦ καλάμου, συνόδῳ παμμεγέθων, τοῖς μετὰ συστροφῆς λαῶν, τοῖς διαλακτίζουσι τὸν δοκιμασθέντα, ὡς δοκιμὴν ἀργυρίου. Alii legunt: Τὸν ἀδόκιμον ὡς ἀδόκιμον ἀργύριον.

6 Symmach. Ἐλθέτωσαν ἐμφανεῖς οἱ ἐξ Αἰγύπτου, Αἰθιοπία σπευσάτω διδόναι χεῖρα τῷ Θεῷ. Aquil. Ὁρμήσουσι ἐνταφιασμοὶ ἐξ Αἰγύπτου. Αἰθίοψ δραμεῖται χεῖρα αὐτοῦ τῷ Θεῷ.

7 יאתיו חשמנים מני מצרים כוש תריץ ידיו לאלהים

8 3. Reg. 3. 1.

est [1]; eumque Arabia illi subjecta fuit, eique vectigalia pependit [2], atque Regina Saba ad illum accessit, sapientiam ejus auditura, eique munera allatura [3]. Verum perfecte tunc solum adimpleta fuit, eum post Evangelii prædicationem Gentes ad J. C. conversæ Christianæ Religioni initiatæ sunt. A

℣. 35. REGNA TERRÆ, CANTATE DEO &c.] Potentiam illius confitemini, justitiam illius adorate. S. Hilarius ita hunc versiculum legit: *Æthiopia præveniet manus ejus (35.) Deo, Regna terræ, cantate Domino, & psallite Domino; psallite Deo nostro, qui ascendit super Cœlum Cœli.*

PSALLITE DEO, QUI ASCENDIT SUPER COELUM COELI, AD ORIENTEM.] Hoc de J. C. ascensione explicatur, qui de monte Olivarum, qui ad Jerosolymæ orientem erat, ad Cœlum ascendit. Hinc fortasse apud B Christianos increbuit consuetudo ad orientem versa facie orandi. Hebræus, Chaldæus, Syrus, & plurima Exemplaria Græca Septuaginta non legunt hæc verba: *Psallite Deo* [4]; quæ est repetitio verborum, *Psallite Domino*, immediate præcedentium. Sed Sancti Augustinus, & Hilarius, omniaque vetera Psalteria id legerunt non secus ac Vulgata. Hebr. [5]: *Psallite illi; qui ducit currum suum super Cœlos: super Cœlos ab initio.* Si hærere velis Versioni, quæ habet *Ab Oriente*, explicari poterit, tamquam opposita vers. 4. ubi scriptum est. *Iter facite ei, qui ascendit super occasum.* Dominus super cœlorum verticem ambulat ab oriente ad occidentem. Vide Deut. 33. 26. *Ascensor Cœli auxiliator tuus; magnificentia ejus discurrunt nubes.*

℣. 36. ECCE DABIT VOCI SUÆ VOCEM VIRTUTIS.] C Tonitru illius ingenti cum mugitu erumpet. Ille terribilis hujus vocis fulgore mortales perterrebit. S. Hilarius, S. Augustinus, & pleraque Exemplaria Græca [6] legunt: *Ecce dabit vocem suam, vocem virtutis*, quod Hebræo haud est abnorme [7]. Per hanc Dei vocem Chaldæus intelligit Prophetiam; S. Athanasius vocem angelorum homines ad Judicium vocantium: Terribilem eam tubam, de qua Apostolus loquitur 1. Cor. 15. 52. *in novissima tuba.* Eusebius verbum Dei, vel divinum Verbum, cujus prædicatio mirum in modum efficax fuit, & potens.

DATE GLORIAM DEO SUPER ISRAEL.] Propter prodigia, quæ pro Israel operatus est. Vel juxta Hebraicum textum [8]: *date fortitudinem Domino*, potentiam illius recognoscite: *magnificentia ejus* effulget *super Israel; fortitudo ejus* emicat in *nubibus*. S. Hilarius, S. Augustinus, Eusebius, & S. Athanasius postremam hanc divisionem sequuntur, quæ præ cæteris aptior videtur. B

℣. 37. MIRABILIS DEUS IN SANCTIS SUIS. DEUS ISRAEL IPSE DABIT VIRTUTEM, & FORTITUDINEM PLEBI SUÆ.] Dominus est admirabilis in omnibus operibus suis; verum magnitudo, potentia, & misericordia illius nullibi magis enitent, quam in fidelium, servorumque suorum sanctificatione. Hic omnes gratiæ suæ impendit divitias, omnemque erogat liberalitatis suæ magnificentiam. Hebræus [9]: *Dominus Deus Israel est terribilis*, ex penitiori adyto *Sanctuarii sui. Ipse dabit populo suo robur, atque potentiam.* A Domino Israel omne robur obtinuit, ab illo omnia sperare debet. Deus illi victoriam tribuet de inimicis ejus, & fortitudinem, ut impetum illorum repellat; eum ex C adyto Sanctuarii sui, de throno suo exaudiet, ubi sedet super alas Cherubim arcam suam obtegentium.

---

1 3. Reg. 10. 18. 19. 2 3. Reg. 4. 25. & 2. Par. 9. 26. 14.
3 3. Reg. 10. 2. 3. 4 Vide Hieron. ad Suniam, & Fretellam, & notas Nobilii in Edit. Rom.
5 לרכב בשמי שמי קדם Aquil. Τῷ ἐπιβιβάζοντι ἐν οὐρανῷ οὐρανῶν ἀρχῆθεν, *qui ascendit super cælos cælorum ab initio.* Sym Τῷ ὀχουμένῳ ἐπὶ τῶν οὐρανῶν τοῦ οὐρανοῦ ἐκ πρώτης.
6 79. In multis Libb. Ἰδοὺ δώσει φωνὴν αὐτοῦ φωνὴν δυνάμεως. Edit. Rom. Ἰδοὺ δώσει ἐν τῇ φωνῇ αὐτοῦ, &c. Edit. Complut. Ἰδοὺ δώσει τῇ φωνῇ αὐτοῦ, &c. 7 הן יתן בקולו קול עוז
8 תנו עז לאלהים על ישראל גאותו ועזו בשחקים 9 נורא אלהים ממקדשיך אל ישראל הוא נתן עז ותעצמות לעם Hieronym. *Terribilis Deus de Sanctuario suo.*

PSALMUS LXVIII.

Oratio Justi injuste oppressi ab hostibus potentibus, atque crudelibus. Deum innocentiæ suæ testem vocat; Eumque pellicere in sui auxilium conatur proposita gloriæ ipsius ratione. Persecutorum suorum infelicitatem, reditum populi sui, restaurationem Jerusalem, & civitatum Juda prædicit.

In finem: pro iis, qui commutabuntur, David.

ARGUMENTUM.

Psalmi hujus titulus explicatus fuit in Psalmum 45. ubi primum occurrit. Hebræus vertitur [1]: *Moderatori Musices, Psalmus David pro liliis.* Vel potius [2]: *Psalmus David inscriptus Musices Præfecto ad instrumentorum octonas fides habentium sonum canendus.* Quoad Psalmi hujus argumentum in litterali, historicoque sensu desumptum, non satis convenit: sed Patres, atque Interpretes pro illius spirituali, ac prophetico sensu consentiunt. Uno enim ore fatentur ad Messiam spectare, atque apertissimas, maximeque perspicuas de Jesu Christi adventu, Passione, Resurrectione, Ecclesiæ institutione, Gentilium vocatione, ac Judæorum reprobatione, prophetias continere. Quidam etiam loci adsunt adeo perspicui, & qui ad unguem adeo J. C. conveniunt, ut nonnisi summa cum difficultate ad alios possint referri. Propheta Justorum afflictiones describens, effectu quodam Providentiæ graphidem concinnavit J. C. primi Justorum omnium, & fontis omnis Justitiæ [3].

---

1 למנצח על שושנים לדוד Hieronym. *Victori pro Liliis; David.* Aquil. Ἐπὶ κρίνων. Symmach. Ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν.
2 Vide ad Psalm. 49. 1. Jun. Tremell. Geier. Piscat. alios. 3 Vide sanctum Augustinum in hunc psalmum, & Muis.

Crediderunt nonnulli, Davidem isthic de Saulis persecutionibus conqueri; alii putant, ipsum perfidiam, atque defectionem Absalonis describere [1]. Rabbini quidam [2] hoc respiciunt, tamquam exemplar orationum, pro Justis omnibus, qui in afflictione versantur. Kimchi præsentem Judæorum statum designari arbitratur. Theodorus in Catena allatus, & Venerabilis Beda eum ad Macchabæos, atque ad persecutiones, quas perpessi fuerunt, referunt. Chaldæus eum transfert ad tempus Babylonicæ captivitatis, cum Sanhedrin de Jerusalem Babylonem translatum fuit, Nabuchodonosor imperante. Theodorus Heraclæota, Theodoretus, Euthymius, antiquus Græcus Interpres, a Patre Corderio editus ad idem tempus referunt. Auctor, qui Levita Babylone captivus fuisse videtur [1], humillimas preces suas coram Deo effundit contra Babyloniorum contumelias, atque crudelitatem, eorumque nequitiam acerrime insectatur. Suum vero squalorem, atqua calamitatem suam iis vocibus, eaque eloquentia describit, quæ aptissima ad miserationis affectum ciendum videtur: quapropter psalmus hic inter pulcherrimos est enumerandus.

In versiculis 1. 2. 3. & 18. 19. Auctor comparat captivitatem suam abysso aquarum, puteo, unde reditus non patet, vehementi tempestati. In versiculis 40. 41. & 42. Divina fretus misericordia futurum sperat, ut Sion reædificetur, atque civitates Juda reviviscant; Judam illuc ingressurum, ac rursus terras patrum suorum tamquam hæreditatem suam possessurum; posteritatem illius sedem suam ibi posituram, neque umquam ea possessione cessuram. Hoc systema in Commentariis pro historico sensu sequemur; verum simul applicabimus omnia ad Vitam, Passionem, & Resurrectionem J. C. juxta exemplum Apostolorum, & Evangelistarum, necnon & Salvatoris ejusdem, qui plures hujus psalmi locos usurparunt, eosque in hujus persona adimpletos fuisse ostenderunt.

1. SAlvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.
2 Infixus sum in limo profundi: & non est substantia. 3 Veni in altitudi-
nem maris: & tempestas demersit me. 4 Laboravi clamans, raucæ factæ
sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. 5 Multiplica-
ti sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. 6 Confortati sunt, qui per-
secuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui, tunc exolvebam. 7 Deus, tu
scis insipientiam meam: & delicta mea a te non sunt abscondita. 8 Non erubescant
in me, qui expectant te, Domine, Domine virtutum. 9 Non confundantur super me,
qui quærunt te, Deus Israel. 10 Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit
confusio faciem meam. 11 Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis
matris meæ. 12 Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobran-
tium tibi, ceciderunt super me. 13 Et operui in jejunio animam meam; & factum
est in opprobrium mihi. 14 Et posui vestimentum meum cilicium: & factus sum il-
lis in parabolam. 15 Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta: & in me
psallebant, qui bibebant vinum. 16 Ego vero orationem meam ad te, Domine:
tempus beneplaciti Deus: 17 In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veri-
tate salutis tuæ. 18 Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis, qui ode-
runt me, & de profundis aquarum. 19 Non me demergat tempestas aquæ, neque
absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum. 20 Exaudi me,
Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum
tuarum respice in me. 21 Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribu-
lor, velociter exaudi me. 22 Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos
meos eripe me. 23 Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reve-
rentiam meam. 24 In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me, improperium
expectavit cor meum, & miseriam. 25 Et sustinui, qui simul contristaretur, & non
fuit: & qui consolaretur, & non inveni. 26 Et dederunt in escam meam fel: &
in siti mea potaverunt me aceto. 27 Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, &
in retributiones, & in scandalum. 28 Obscurentur oculi eorum, ne videant: & dor-
sum eorum semper incurva. 29 Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ com-
prehendat eos. 30 Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit,
qui inhabitet. 31 Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem
vulnerum meorum addiderunt. 32 Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, &
non intrent in justitiam tuam. 33 Deleantur de Libro viventium: & cum justis non
scribantur. 34 Ego sum pauper, & dolens: salus tua, Deus, suscepit me. 35
Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude. 36 Et placebit Deo
super vitulum novellum: cornua producentem, & ungulas. 37 Videant pauperes,
& lætentur: quærite Deum, & vivet anima vestra. 38 Quoniam exaudivit pauperes
Dominus: & vinctos suos non despexit. 39 Laudent illum cœli, & terra, mare, &
omnia reptilia in eis. 40 Quoniam Deus salvam faciet Sion: & ædificabuntur ci-
vitates Juda. 41 Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam. 42 Et se-
men servorum ejus possidebit eam, & qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

SAL-

1 Bossuet. hic. 2 Kabuenaki. Vide & Muis. 3 Vide versic. 35. 36.

℣. 1. SALVUM ME FAC, DEUS; QUONIAM INTRAVERUNT AQUÆ USQUE AD ANIMAM MEAM.] Aquæ, Exundatio, tempestas in Prophetarum stylo magnas calamitates designant [1]: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam*; parum abest, ut submergar: aquæ usque in interiora mea pervaserunt; in apertissimo pereundi versor periculo: Id nihil aliud significat, quam afflictiones, quibus Judæi Babylone captivi opprimebantur [2]. Vide in Jona similem loquendi rationem: *Circumdederunt me aquæ usque ad animam*, qua eum innuit statum, in quo in piscis ventre, a quo deglutitus fuit, versabatur. Jonas 3. 6.

℣. 2. INFIXUS SUM IN LIMO PROFUNDI; & NON EST SUBSTANTIA.] Submersus sum in altissimo luto, cujus imum non invenitur. Vel potius; immersus sum in vase maris, neque pedem illinc recipere valeo. Lutum profundum est, atque tenax, cujus imum invenire, & unde emergere nequeo. Symmachus [3]: *submersus sum in cloacis*, vel abyssis, *quæ transvadari nequeunt, & quarum ima non inveniuntur*. Hæc omnia [4] ad J. C. referuntur, qui peccatorum nostrorum pondere oppressus, sævissimis suppliciis, atque morti turpissimæ se expositum vidit.

℣. 3. VENI IN ALTITUDINEM MARIS, & TEMPESTAS DEMERSIT ME.] Sensum eumdem alia, & alia effert ratione, ut magis ad vivum exprimat periculum illud, in quo versabatur. Pleno mari me met objeci, ac vehementi procella agitatus sum ita ut naufragium fecerim. Hebræus significat potius [5]: *In magna aquarum colluvie irretitus fui, atque earum rapidus fluxus pertraxit, & demersit me.*

℣. 4. LABORAVI CLAMANS; RAUCÆ FACTÆ SUNT FAUCES MEÆ; DEFECERUNT OCULI MEI [6] &c.] Ex quo in captivitate versor, Domine, jugiter, die, ac noctu clamito, ita ut mihi clamanti vox, spiritusque deficiant; indesinenter oculos ad cœlum attollo tuam opem opperiens, atque nimio in cœlos prospectu oculi mei confecti sunt, acies illorum infirmata. Tu vero precibus meis aures videris obstruere, neque meis calamitatibus affici, me non audis, neque festinas mihi allaturus auxilium. J. C. in agone positus Deum patrem suum enixis precibus efflagitat, ut a se calicem Passionis avertat; eamque orationem terusque repetit Matth. 26. 44. Sed Deus magis attentus ad clamores peccatorum hominum, & consilio filii sui, qui læsæ Justitiæ facere satis cupiebat, quam perfunctorio dolori, quo anima illius afficiebatur, reliquit, ipsum omnem sibi calicis amaritudinem perpotare.

℣. 5. MULTIPLICATI SUNT SUPER CAPILLOS CAPITIS MEI &c.] Babylonii me velut hostem insectantur, quin ullam umquam illis irascendi causam tribuerim. Injustum, & crudele nobis intulere bellum; civitates, Templumque nostrum subverterunt, nosque redegerunt in captivitatem. Tu id in scelerum nostrorum pœnam, Domine, permisisti. Sed quid fecerimus Regi Nabuchodonosor? Isthic Babylone omnes per summum nefas contumeliis, probrisque nos impetunt, ob id unum quod miseri sumus. J. C. omnium hominum maxime benignum, clementem, ac justum illi ipsi, quos maximis affecerat bonis, oderunt, contempserunt, illuserunt, persecuti sunt. Judæi fratres sui eum apprehendunt, accusant, condemnant, Cruci affigendum curant, ejusque insultant calamitati. Quodnam erat scelus illius, quæ culpa? vel potius quæ bona Judæis inimicis suis poterat erogare, quæ in ipsos large non effuderit? Ipse propter aliena peccata patitur: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit . . . . Vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra*. Isai. 53. 4. 5.

℣. 6. QUÆ NON RAPUI, TUNC EXOLVEBAM.] Hæc adagii species est, illi similis; Qui debitor est, exigit [7]; & alteri illi Jeremiæ 31. 29. 30. *patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt*; hoc est [8]; Patres nostri inique egerunt, nos vero iniquitatis eorum pœnam sustinemus. Poterant equidem Babylonis captivi ita cum Domino conqueri: nam licet plerique sontes essent, plurimi tamen aderant, qui non ita noxii erant, quemadmodum parentes illorum, qui pacati sua in patria fuerant defuncti. Plurimi etiam ea culpa omnino vacabant, quæ Divinam irritaverat iram, & propter quam sævissima in illos mala irruerunt; veluti Daniel, ac socii illius, & non pauci Sacerdotes, ac Levitæ, quorum sensus in Psalmis videntur, & qui nihilominus eamdem ac cæteri perpessi sunt, calamitatem. Talis erat procul dubio Cantici hujus Auctor. Locus hic mirum in modum convenit J. C. qui infinitæ suæ misericordiæ effectu, se pro nobis victimam offerre, ac se met pro nobis vadem Patri voluit præbere: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*; ad Galat. 3. 13. Et 2. Cor. 5. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.*

℣. 7. DEUS, TU SCIS INSIPIENTIAM MEAM [9]; & DELICTA MEA A TE NON SUNT ABSCONDITA.] Babylonis Captivus ita loquitur. Me veluti justum, atque sapientem obtrudere, non adnitor. Novi insipientiam, ac scelera mea; tuque, Domine, præ omnibus melius errores, & peccata mea cognoscis. Hoc te coram humiliter confiteor; peccavi; scelus commisi: hoc enim isthic insipientiæ nomen significat. Verum si reus sum, *tibi soli peccavi* [10]. Nihil habent, quod mihi exprobrent inimici mei; eorum habita ratione culpa vaco; eorum odium in me est injustissimum. Plerique Patres [11] per hanc insipientiam J. C. Passionem intelligunt, qui factus est stultitia in oculis Ethnicorum, ut loquitur Apostolus 1. Cor. 1. 23.

℣. 8. NON ERUBESCANT IN ME, QUI EXPECTANT TE, DOMINE VIRTUTUM.] Captivitas, & mala quæ patior, Domine, me minus adhuc, quam tui nominis gloria, Templi tui honor, servorumque tuorum expectatio afficiunt. Augustum nomen tuum ab hostibus nostris contumeliis impetitur. Templum tuum sub ruderibus jacet; tibi vero nullus habetur honos. Denique servi, ac fideles tui animos despondebunt, atque impatientia abripientur, si diutius opem nobis afferre distuleris. Vide ℣. 9. 10. 12. Ne permitas igitur Domine, inanem esse expectationem meam, ac preces meas inutiles, ne qui sperant in te, occasionem arripiant a te recedendi, ac omnem spem abjiciendi. J. C. Patrem suum orat, ut ab ipso resuscitetur, ne qui testes fuerant passionis, & mortis ejus, eum veluti simplicem hominem haberent, & Passio ipsius fieret lapsus, & scandali argumentum.

℣. 10. QUONIAM PROPTER TE SUSTINUI OPPROBRIUM [12].] Ob Fidem meam erga Sanctas leges, ritusque suos, Babylonii me contumeliis affecerunt, qui per jocum

---

1 Job. 22. 11. Psal. 17. 17. 31. 6. 143. 7. & passim. 2 Confer. Psal. 123. 4. 5. 143. 7. Thren. 3. 54.
3 Sym. Ἐβαπτίσθην εἰς ἀπεράντους καταδύσεις, καὶ οὐκ ἔστι στάσις. 4 Athanas. Hilar. August. Hieronym. alii passim. 5 באתי בעמקי מים ושבלת שטפתני Hieronym. *Veni in profundum aquarum, & flumen operuit me*. Vatab. *Fluxus aquæ operuit me*. Aquil. Κατοίγετ κατέπιεν, καὶ ῥοῦς ἐπέκλυσέ με. Sym. Ῥεῖθρον.
6 August. *Defecerunt oculi mei ab sperando in Deum meum*. Ita 70. Ἀπὸ τοῦ ἐλπίζειν. Sym. Ἐτελεύτησαν οἱ ὀφθαλμοί μου προσδοκῶντες τὸν Θεόν. 7 Muis, hic. 8 Jerem. Thren. 5. 6.
9 August. *Tu scis imprudentiam meam*. 70. Σὺ ἔγνως τὴν ἀφροσύνην μου. Sym. Ἀπειρίαν. *Imperitiam meam*.
10 Vide Psal. 13. 1. 73. 18. 35. 1. 6 Baruc. 5. 28. 1. Par. 21. 8. & passim.
11 Psal. 50. 6. 12 Athanas. Euseb. Hilar. August.
12 August. *Exprobrationem*. 70. Ὀνειδισμόν. Et pro, *Operuit confusio faciem meam*. S. Augustinus legit: *Operuit irreverentia*. Et S. Hilarius: *Operuit reverentia*. Psalter. Romanum: *Irreverentia*. Symmachus: Ἐκάλυψεν ἀσχημοσύνη τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. *Operuit ignominia faciem ejus*.

jocum quærebant a me ubinam esset Deus meus, ubi spes mea; perinde ac invisibilis Deus esset chimeræ genus, vel calamitosus populus infirmitatis Dei sui esset argumentum. Si eoram Idolis procumbere, eisque thus adolere, ut alii plurimi, voluissem, has omnes irrisiones, & probra evitassem, verum nihil me a te, Domine, potest divellere. Ne permittas igitur, ut hostibus meis succumbam, & inanis sit spes mea. J.C. omne opprobriorum genus pro Patris sui gloria perpessus est [1]. Se met sponte contumeliis objecit, ut superbiam nostram redargueret, atque expiaret. Injurias omnes passus, peccator haberi voluit, licet innocens esset, ut Patris sui justitiæ satisfaceret.

℣. 11. EXTRANEUS FACTUS SUM [2] FRATRIBUS MEIS.] A patria mea divulsus fui, familia mea dispersa, fratres, cognatique mei in longinquas terras traducti; & nunc nulla inter nos intercedit consuetudo, perinde ac ignoti essemus, neque ullum umquam cognationis, vel necessitudinis vinculum intercessisset. Aliter. Alii ab aliis separati sumus tamquam infelicia mancipia; & inter nos sumus veluti extranei [3]. Vel: Illi e fratribus meis, qui Babylonis superstitionem, atque impietatem sectati sunt, me veluti alienum, atque hostem considerant: ego vero nullam cum illis consuetudinem habere possum, ita ut alii ab aliis sejuncti procul vivamus. Triplex hic sensus Textui potest appingi, illum de Babyloniis explicando. Vide Psalmum 37. ℣. 12. & 13. ubi eædem occurrunt querimoniæ. Sed si ad J.C. referas, felicior sane erit applicatio [4]. Judæi fratres illius dereliquerunt eum, abjecerunt, crucifixerunt eum, Doctrinam ejus contempserunt, illius Ecclesiam persecuti sunt; ipse vero vicissim eos rejecit, ac reprobavit; perversis eorum sensibus, eorumque obstinationi dereliquit. Discipuli Domini Passionis tempore fugam corripuere, neque prodire ausi sunt, ut eum tuerentur; immo ex illorum numero Judas eum prodidit, ac illius tradidit inimicis.

℣. 12. ZELUS DOMUS TUÆ COMEDIT ME; & OPPROBRIA EXPROBRANTIUM TIBI CECIDERUNT SUPER ME.] Non nisi summo cum dolore Templi tui excidium prospexi; non nisi cum fremitu, atque horrore ea hausi opprobria, quibus nomen tuum fœdabatur. Zelus meus pro sancta domo tua, meumque odium adversus Babyloniorum impietatem, mihi apud fratres meos indignationem, invidiamque conflarunt, quoniam meam erga te fidem, meumque pro tua gloria dolorem, pertinaciam non ferendam, ac importunum zelum esse putarunt.

Cum J.C. agnovisset, Judæos profanasse Domum Patris sui sordidis, quas ibi exercebant, nundinis, eos flagellorum ictibus ejecit, dicens: nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Tunc, ait Evangelista Joannes. 2. 14. 15. 16. recordati sunt discipuli ejus, quia scriptum est: *Zelus domus tuæ comedit me*. Non minori profecto succensus est zelo, vel zelotypia pro Ecclesia sua, quæ ipsius est Uxor, & cujus servare nititur decorem, atque puritatem. Cum omni Zeli sui ardore in eos animadvertet, qui sanctitatem, unitatem, vel doctrinam illius, vitæ suæ pravitate, vel perniciosa sententiarum suarum singularitate viciarunt.

℣. 13. ET OPERUI IN JEJUNIO ANIMAM MEAM; & FACTUM EST IN OPPROBRIUM MIHI.] Dolorem meum in jocum verterunt, pietatem meam illuserunt. Cur Deus vester, inquiebant illi, Templum suum non servavit; vel cur, ne in captivitatem abriperemini, adversatus non est? Si vestris afficitur doloribus, si vestram novit afflictionem, cur vos non visitat, atque illhinc educit? Hæc, Domine, dicebant mihi inimici mei. Hebr. [5]: *Effudi lacrymas, dum anima mea jejunaret*. Cum opprimeretur, atque deficeret anima mea, in gemitus erupi. Vel: *Ploravi jejunans super statu animæ meæ*. Vel denique: *Afflictavi animam meam lacrymis, & jejunio*. Septuaginta [6]: *jejunio incurvavi animam meam*. Sed Septuaginta Editionis Complutensis, & pleraque Græca & Latina Exemplaria legunt [7]: *Et operuit in jejunio animam meam*: Aquila [8]: *Ploravi animam meam in jejunio*; mihimet veluti defuncto lacrymis parentavi. Symmachus [9]: *cumque plorarem animam meam jejunans, objurgatus fui*.

℣. 14. POSUI VESTIMENTUM MEUM CILICIUM.] vel saccum, ut legit Hebræus [10]. Septuaginta, S. S. Hilarius, & Augustinus; squalorem indui, lugubres vestes accepi. Lacrymis prosecutus sum excidium patriæ meæ, & Templi Domini, non secus ac in patris mei obitum in gemitus me me effudissem. Babylonii subsannaverunt me, & ego factus sum illorum fabula, atque ludibrium. Per saccum istum S. Augustinus J. C. humanitatem intelligit. Ne contemnas saccum hunc, ibi est pretium tuæ redemptionis. Saccus disruptus fuit in ejus Passione; & tu eductus fuisti de mortis; atque peccati servitute.

℣. 15. ADVERSUM ME LOQUEBANTUR, QUI SEDEBANT IN PORTA; & IN ME PSALLEBANT, QUI BIBEBANT VINUM.] S. Hilarius legit: *Adversum me detrahebant*; S. Augustinus, *insultabant*: antiqua Psalteria Romanum, Mediolanense, & Cassiodorus: *Adversum me exercebantur, qui sedebant in porta*. Nebulones omnes, atque vappæ, qui in platea conveniunt, de me tantum loquebantur, & perpotatores, qui in popinis versantur [11], cantiones adversum me concinnatas canebant. Fabula eram civitatis. Antiquitus conciliorum locus, ac publicæ plateæ erant prope portas civitatis. Hebræus [12] pro illis, *qui bibebant vinum*, legit, qui bibebant *sekar*, siceram scilicet, vel potius vinum ex palma depromptum [13], olim in Oriente vulgatissimum. Jeremias quoque Thren. 3. 14. non secus ac hujus Psalmi Auctor se populi sui cantionum factum fuisse argumentum conqueritur: *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die*.

℣. 16. EGO VERO ORATIONEM MEAM AD TE, DOMINE [14], TEMPUS BENEPLACITI DEUS.] Quin ob tot contumelias mihi illatas conquerar, ultionemque reposcam, ad te, Deus, confugio; te innocentiæ meæ, atque injustitiæ inimicorum meorum testem invoco; tibi causæ meæ judicium, atque infirmitatis meæ patrocinium remitto. Tempus jam est, Domine! impiorum nequitia ad cumulum accessit; satis diu exercita fuit servorum suorum patientia; tempus illud, de quo vaticinati sunt Prophetæ tui, non longe abest. Reminiscere promissionum tuarum: miserere populi mei oppressi.

Hebræus [15]: *Ego vero orationem meam ad te, Domine, converto*; hoc est *tempus reconciliationis* [16], vel beneplaciti tui. *Exaudi me in magnitudine misericordiæ tuæ*. Nonnulli hoc pacto intelligunt: *Ad te oratio mea, Domine, in tempore opportuno*. Vide Psalmum 31. 6. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*,

---

1 Rom. 15. 3. & Heb. 12. 2. 2 August. & antiqua Psalter. *Alienatus factus sum .... & hospes filiis matris meæ*. Hilar. *Exter .... & hospes*. 3 Vide Theodoret. 4 Vide Hilar. Euseb. August. Hieronym. Athanas. 5 ואבכה בצום נפשי ותהי לחרפות לי 6 70. Edit. Rom. Καὶ συνέκαμψα ἐν νηστείᾳ τὴν ψυχήν μου. Ita Æthiop. & Arab. Apollin. Κατέκλασα. *Jejunio fregi animam meam*.
7 70. Καὶ συνεκάλυψα ἐν νηστείᾳ τὴν ψυχήν μου. Ita Psalteria omnia antiqua. *Et operui*. Legerunt אכסה pro אבכה.
8 Aquil. Ἔκλαυσα ἐν νηστείᾳ ψυχήν μου, καὶ ἐγενήθη εἰς ὀνειδισμοὺς ἐμοί, καὶ ἔδωκα ἔνδυσίν μου σάκκον.
9 Symmach. Καὶ κλαίοντι μετὰ νηστείας τὴν ψυχήν μου, ἐγένετο εἰς ὄνειδος ἐμοί, καὶ τάσσοντι, καὶ ἔνδυμά μου σάκκον.
10 ואתנה לבושי שק S. Hilar. *Posui vestimentum meum saccum*. 70. Καὶ ἐθέμην τὸ ἔνδυμά μου σάκκον.
11 Vide Chald hic. 12 נגינות שותי שכר 13 Vide Chrysost. & Theodoret. in Isai. 5. 11.
14 August. *Ego vero oratione mea ad te, Deus*. Ita 70. Ἐγὼ δὲ τῇ προσευχῇ μου πρὸς σέ, Κύριε.
15 ואני תפלתי לך יהוה עת רצון אלהים ברב חסדך וגו׳ 16 Hieronym. *Mea autem oratio ad te, Domine, tempus reconciliationis est*. Sym. Ἐμοῦ δὲ ἡ προσευχή σοι, Κύριε διαλλαγῆς.

no, & Psalm. 101. 14. *Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus*. Oratio hæc applicari potest J.C. de Cruce pendenti, qui orat Patrem suum pro Judæorum persequentium salute. Parce illis, Domine; non enim sciunt, quod faciunt: hoc tempus est reconciliationis, & generalis veniæ.

℣. 18. ERIPE ME DE LUTO, UT NON INFIGAR [1].] Isthic afflictionem, & captivitatem suam iisdem vocibus exprimit ac superius ℣. 1. 2. 3. Hæc est abyssus aquæ, lutum altissimum, tempestas, quæ demersit me. In hæc verba: *Et de profundis aquarum*, potest animadverti, Hebræos, & plerosque antiquitus Infernum in aquarum imo constituisse. Job exempli gratia, inquit [2]: *Ecce gigantes gemunt sub aquis*. Hic autem innuere videtur Psalmista se fuisse mortuo, ac illi, qui jam ea in loca, ubi animæ post decessum commorantur, descendit, simillimum. In eorum regione versor, qui diei lucem non vident. Captivitas, ac servitus sunt veluti status mortis. Patres hoc explicant veluti J. C. orationem ad Patrem suum, ne ipsum in sepulchro relinquat, sed illinc per resurrectionem educat.

℣. 19. NEQUE [3] URGEAT SUPER ME PUTEUS OS SUUM.] Qui in foveam, vel puteum decidit, aliqua semper aliter spe futurum, ut illinc evadere possit, donec os putei apertum est. Clamare potest, opem petere, eique adferri potest auxilium. Sed si os putei superius obstruitur, nihil ultra reliquum est, quam mors, & desperatio [4]. Captivitas, ac servitus sunt malorum omnium cumulus; verum, Domine, ne removeas a nobis misericordiam tuam, ne revoces promissiones tuas, perfice ea, quæ per Prophetas tuos pollicitus es, fac, ut mala nostra finem inveniant. Chaldæus pro puteo infernum intelligit. Patres vero illum explicant de sepulchro, in quo positus fuit J. C. atque unde gloriosus emersit; vel de Inferis, quo post mortem suam, atque ante suam Resurrectionem descendit.

℣. 21. NE AVERTAS FACIEM TUAM A PUERO TUO.] Ne abjicias preces meas, ne eam mihi, quam efflagito, deneges gratiam.

℣. 22. PROPTER INIMICOS MEOS ERIPE ME.] Novi eorum nequitiam, & injustas eorum persecutiones in me. Si scelera mea tua misericordia me indignum efficiunt; tot inimicorum meorum flagitia nonne merebuntur, ut summa cum suppliciorum tuorum severitate in illos animadvertas? Ne permittas, ipsos de mea patientia triumphum referre, neque diutius meæ calamitati insultare.

℣. 23. TU SCIS IMPROPERIUM MEUM . . . & REVERENTIAM MEAM [5].] Tu testis es, quibus conviciis mihi illudentes quærant ex me: Ubi est Deus tuus? Nosti quas pariat contumelias, & qua propter illos confusione suffundar. Captivi Babylonici semper loquuntur. Hoc etiam explicatur [6] de irrisionibus, atque opprobriis, quibus in Passione J. C. fuit lacessitus, non secus ac ℣. 7.

℣. 24. IN CONSPECTU TUO SUNT.] Eos melius nosti, quam ego; mihi nihil reliquum est, nisi ut eos tibi ostendam.

IMPROPERIUM EXPECTAVIT COR MEUM &c.] Noveram quidem, Domine, eo in statu, in quem me redegisti, nihil mihi expectandum esse præter dolores, & contumelias inimicorum meorum. Ad omnia paratus eram; verum tamen inveni, expectationem meam longe superatam fuisse ab iis malis, quibus confossus sum.

A Heb. [7] *Improperium contrivit cor meum, & ego dolore confcior*. Syrus singularem hunc sensum, haud equidem spernendum, secutus est: *sana contritionem cordis mei, primamque appone medelam*. Symmachus [8]: *Contumeliæ contriverunt cor meum, & dolorem sensi*. Aquila [9]. Objurgationes contriverunt cor meum, & animos despondi. Patres hoc intelligunt de J. C. desiderio, quo flagrabat, patiendi, atque se opprobriis saturandi.

℣. 25. SUSTINUI, QUI SIMUL CONTRISTARETUR, & NON FUIT.] In hoc deceptus sum; putabam enim saltem fratres meos calamitatis meæ misericordia affectum iri, atque ex doloribus meis mœrorem esse percepturos; verum me mea fefellit opinio; nullam in ipsis nactus sum misericordiam, vel consolationem. Vide supra ℣. 11. 12. 13. Salvator inter cruciatus suos,
B nullum habuit, vel consanguineum, vel amicum, vel Discipulum, immo neque Deum Patrem, consolatorem. Doloris calicem, omnino merum, meracissimum nulla consolatione delinitum perpotavit.

℣. 26. DEDERUNT IN ESCAM MEAM FEL, & IN SITI MEA POTAVERUNT ME ACETO.] Tertullianus in lib. contra Judæos c. 10. legit: *Dederunt in potum meum fel*; & fel quidem est potius poculentum, quam esculentum; sed explicari ita potest; escæ meæ fel, potui meo acetum immiscuerunt; vel ipsum inclementer adeo ab hostibus suis fuisse excruciatum, ut quodammodo escam illi in fel, & potum in acetum converterint. Invisam, ac non ferendam illi vitam ipsam reddiderant, ita ut dolor, quo conficiebatur, amaritudine epulas, vinumque repleret. Hæc explicatio
C est figurata, neque aliter intelligi potest, si de Babylonicis captivis dumtaxat est explicanda.

Verum si id referas ad J.C. nonne juxta litterarum apicem omnia ad unguem adimpleta deprehendes? *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*, ait S. Matthæus 27. 34. & quatuor Evangelistæ [10] inquiunt præterea, CHRISTO de Cruce pendenti admotam fuisse spongiam aceto madidam: *Spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus*.

Hebræus aliquam patitur difficultatem [11]; non enim liquido constat, quid ea significet vox, quam *fel* reddidit Vulgata. Alii putant, illam proprie significare virulentum succum, qui ex serpentis, & aspidis præsertim capite exprimitur, quapropter a Chaldæo fel capitis aspidis nuncupatur: alii [12] herbam amarissimam,
D teterrimique odoris esse credunt, quæ *fel terræ*, vel *centaurea minor* vocatur. Jeremias non semel locutiones his similes adhibet, nominatim vero præcipue cum de Babylonis captivitate verba facit. Exempli gratia c. 8. 14. *Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis*; & 23. 15. *Cibabo eos absynthio, & potabo eos felle*, atque in Lamentationibus 3. 15. 19. *Replevit me amaritudine, inebriavit me absynthio*, vel felle; & paulo infra: *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ absynthii, & fellis*.

℣. 27. FIAT MENSA EORUM CORAM IPSIS IN LAQUEUM, & IN RETRIBUTIONES, & IN SCANDALUM [13].] Hoc est vaticinium, Babyloniorum calamitatem portendens. Mensa, quam mihi instruxerunt, & epulæ, quas mihi præpararunt [14]; hoc fel, & ace-
E tum, quo me alere cupierunt, fiant ipsis venenum, ac laqueus ad eos capiendos, & offendiculum, quo in terram decidant, justa iniquitatis, & crudelitatis eorum pœna. Chaldæus: *Mensa, quam mihi præparaverunt tempore luctus mei, sit pro illis laqueus; & sacrifi-*
tia

---

1 S. Hilar. *Ut non hæream*. August. Psalter. Roman. Mediolan. *Ut non inhæream*. 70. Ἵνα μὴ ἐμπαγῶ, Hebr ואל אטבעה 2 Job. 26. 5. Vide nostrum Comment. ibi; & Jon. 2. 6. 7. & S. Hilar. & Euseb. in vers. 4. & hic præcipue S. Hilarium in vers. 39. 3 August. *Neque coarctet*. Hilar. & Psalter. Sanct. German. *Neque contineat*. Psalter. Carnut. *Neque aperiat*. 70. Μηδὲ συσχέτω. *Neque claudat super me os suum*.
4 Vide Theodoret. hic. 5 August. *Opprobrium meum & verecundiam meam*. Psalter. Rom. & S. Hilar. *Verecundiam meam*. 6 Hilar. Euseb. August. Hieronym.
7 חרפה שברה לבי ואנושה 8 Symm. Ὀνειδισμοὶ κατέαξε τὴν καρδίαν μου, ἐπινόμην.
9 Aquil. Συνέτριψε τὴν καρδίαν μου, καὶ ἀπηγνοήθην. 10 Matth. 27. 48. Marc. 15. 36. Luc. 23. 36. Johan. 19. 29. 11 ויתנו בברותי ראש ולצמאי ישקוני חמץ
12 Vide Muis, & Bochart. & Comment. nostr. in Deut. 29. 18. 13 Hilar. *In laqueum, & captionem, & in retributionem, & in scandalum*. 14 Genebr. Muis, Titin.

cia [1] *eorum fint ipsis occasio scandali*. Ita vertere mallem: Mensa, quæ pacis & symbolum, & pignus esse deberet, fiat pro illis laqueus, & lapis offensionis; amici eorum maximo accepti eos prodant, fœderati eorum fidem non præstent; illi, quos convivio excipiunt, justam iniquitatum ipsorum pœnam infligant. Symmachus [2]: *mensa, quæ instructa est coram illis, fiat ipsis in laqueum, atque supplicium, ita ut capiantur*.

S. Hilarius, Eusebius, & S. Hieronymus hoc intelligunt veluti vaticinium status illius, ad quem post J. C. passionem redacti fuerunt Judæi. Eorum mensa, Sacræ illorum Scripturæ, extornæ, atque cæremoniales ipsorum consuetudines pro illis factæ sunt laqueus, & offendiculum. In Sacris Bibliis nihil aliud vel scrutantur, vel inveniunt, quam obstinationis, atque incredulitatis argumenta. Patres [3] locum hunc cum sequentibus, in sensu prophetiæ, non autem maledicti, vel imprecationis interpretantur. Vide Psalmos 5. 11. 54. 16.

℣. 28. OBSCURENTUR OCULI EORUM . . . & DORSUM EORUM SEMPER INCURVA.] Babylonii excæcabuntur, neque videbunt, quid vere prosit ipsis, neque periculum, in quod se objiciunt, Cyro resistentes. Rex iste eos capiet, subjiciet; imperium illorum subvertet, eos in servitutem rediget, quemadmodum ipsi alios redegerunt [4]; hoc enim innuit Auctor Psalmi per ea verba; *& dorsum eorum semper incurva*, fac ut sarcinis opprimantur. Xenophon Cyrop. l. 7. narrat, Cyrum, Babylone capta, Babyloniis præcepisse, ut Persas, tamquam Dominos suos respicerent. Juxta Hebræum verti potest [5]: *latera eorum semper labascant*, renes eorum sint semper infirmi, quin consistere valeant, velut qui sub nimio, quo onerantur, pondere succumbunt. Nonnulli id intelligunt, perinde ac legeretur: dele posteritatem eorum; vel eos steriles, atque impotentes redde.

Nihil hoc melius convenire potest Judæis, eum in statum, in quo per tot sæcula jacent, prolapsis; in teterrima tenebrarum caligine delitescentes, nonnisi pedetentim per obscuritatem incedunt, cœci in vero Scripturarum sensu, submissi, subjecti, & ubicumque versantur, despecti.

℣. 29. FUROR IRÆ TUÆ COMPREHENDAT EOS.] Furor, ait Theodoretus, significat supplicii & celeritatem, & impetum. Ira vero & diuturnitatem, & perseverantiam ejus designat. Ostende repente vim iræ tuæ, & ultrix manus tua diu in illos desæviat.

℣. 30. FIAT HABITATIO EORUM DESERTA [6], & IN TABERNACULIS EORUM NON SIT, QUI INHABITET.] Babylon post plurimas revolutiones, hodie adeo deserta est, ut locus, ubi olim fuerat, penitus ignoretur. Plures abierunt sæculorum ambitus, ex quo deserta est, atque in ruderibus suis jacet sepulta. Sub Persarum Imperio Susis dignitatem concessit Babylon, & paulatim de pristino decore decessit. Alexandri successores eam magis adhuc neglexerunt, cumque Romanum Imperium inciperet, jam ruderum cumulus erat: Darius, filius Hystaspis mœnia demolitus est [7]; Xerses illius successor celeberrimum Beli sepulchrum, quod civitatis illius pulcherrimus erat ornatus, evertit, teste Strabone l. 16. Reges Macedones sub Græcorum imperio eam omnino spoliarunt, ut Seleuciam a Nicanore conditam exornarent: *Babylon ad solitudinem rediit, exhausta vicinitate Seleuciæ*, inquit Plinius l. 6. c. 26. Strabonis ævo [8], jam jam solitudo erat mera; & vix in parvula tertæ suæ parte aliquot habitatores habebat, ait l. 2. c. 9. Diodorus Siculus, Strabonis coævus. Pausanias Arcad. c. 33. qui sub Antoninis scribebat, testatur, nihil reliquum fuisse, præter muros. Hoc itaque pacto adimpletæ fuerunt Prophetiæ, quæ Babylonis excidium portendebant. Vide Isajam 47.

Verum si hæc de Judæis explicueris [9], magis adhuc aperte adimpleta fuisse innotescet; celerius enim contigere, atque celebrius. Jerusalem eversa fuit septem circiter, ac triginta annis post J. C. Resurrectionem, atque ita eversa, ut lapis super lapidem relictus non fuerit, quemadmodum Salvator prædixerat Matth. 24. 2. & Judæi per aliquot sæcula ibi non commorari solum, sed neque illuc accedere, vel eminus eam prospicere ausi fuerint. Vide dicta in Psalmum 58. 7. Civitas Jerusalem, quæ hodie extat, nequaquam ibi posita est, ubi antiqua assurgebat. Primum quidem *Ælia Capitolina* vocata fuit, quo nomine etiam Eusebius, & S. Hieronymus eam vocant. Judæis numquam licuit se illic restitutos videre; sed Christiani civitati nomen Jerusalem reddidere, eique honorem addere conati sunt.

℣. 31. SUPER DOLOREM VULNERUM MEORUM ADDIDERUNT.] Hic extremus est crudelitatis, atque inhumanitatis effectus dolorem addere doloribus afflicti. Vetus adagium est: *Res sacra miser*; neque licet illius malo insultare, vel pœnam illius accrescere. Babylonii, quin ulla tangerentur misericordia erga Judæos captivos, illos immo probris, & contumeliis lacessebant. Vide ℣. 10. 13. 14. 23. 24. 25.

Hebræus [10]: *Colloquuntur de illorum dolore, quos percussisti*. Lætantur ob mala populi tui, quem in ira tua percussisti. Vel cum S. Hieronymo: *decernunt quomodo augeant dolorem eorum, quos afflixisti*. Chaldæus: *Obloquuntur de eo, qui se se affligit*, & luctum facit; *de illis e tuorum numero, qui interfecti sunt*. Ita persequebantur Tobiam, eo quod defunctis, justa persolveret [11]. Hæc ad J. C. referendo, asseri potest, Judæos per nequissimam improbitatem quæsivisse, quo pacto Passionis illius tempore dolorem adderent super dolorem illius, eumque saturarent opprobriis. Immo & post mortem eum persecuti sunt; corpus illius in tumulo custodiri curarunt, falsosque rumores in vulgus contra eum, ejusque discipulos ferere adlaborarunt. Permisit Deus, ut sacrum hoc Corpus etiam post mortem lethali vulnere confoderetur in latere, ut dolor, patientia, atque ignominia superabundarent, si tunc dolore affici potuisset.

℣. 32. APPONE INIQUITATEM SUPER INIQUITATEM EORUM; & NON INTRENT IN JUSTITIAM TUAM [12].] Deus, ut nefarios peccatores puniat, eos aliquando ipsis tradit, & permittit, ut de scelero in scelus, de abysso in abyssum præcipites ruant, ac denique in animi obstinationem, atque impœnitentiam. Scriptura loquitur, perinde ac Deus ipse, eos in iniquitatem eadere vellet, atque adlaboraret, ut ipsi peccatorum suorum mensuræ cumulum adderent; non quod ad id directe, atque positive concurrat, sed dumtaxat recedens ab illis, *derelinquens*, & eam denegans gratiam, quam toties contempserunt. *Non vulnerando, sed non sanando*, hic ait S. Augustinus, eosque cordis sui nequitiæ derelinquendo [13]: *Cum peccatum pœna peccati est, non Deus peccatum facit opere iniquo; sed ut peccatum sit pœna peccantis, facit opere justo*. Si peccatorem obdurat, non ideo illi inserit improbitatem,

---

1 Intellexit שלומים pro sacrificiis actionis gratiarum. Vide Hammon. & Cloppenburg.
2 Symm. Γένηται ἡ τράπεζα αὐτῶν ἐμπροσθεν αὐτῶν εἰς παγίδα, καὶ εἰς τιμωρίαν, ὥστε συλληφθῆναι.
3 August. Euseb. 4 Theodoret. Euthym.
5 ומתניהם תמיד המעד Aquil. Τὰς ὀσφύας αὐτῶν ἐνδελεχῶς ἀτόνωσον. *Dorsa*, vel *lumbos eorum indesinenter enerva*. Sym. Τὰς ὀσφῦς αὐτῶν διηνεκῶς ἐξαρθρωσον. *Infringe eorum renes*.
6 Symmach. Ἀοίκητος, Aquil. Ἠφανισμένη. 70. Ἠρημωμένη. Hebr. *Vastata* נשמה
7 Herodot. lib. 3. cap. 159. 8 Strabo lib. 16.
9 Euseb. Athanas. Hilar. August. Hieronym. alii. 10 ואל מכאוב חלליך יספרו Aquil. Διηγήσονται. *Enarrabunt*. Symm. Ἐξηγῦντο. *Enarrabant*. 11 Tobiæ 1. 22. 23. 11. 16. 17.
12 Aug. Psalter. S. Germ. & Carnut. *Non intrent in justitia tua*. Ita 70. Μὴ εἰσελθέτωσαν ἐν δικαιοσύνῃ σου.
13 August. lib. 4. Operis imperfecti contra Julian. c. 34.

tatem, sed ab eo gratiam suam recipit. Illum non impellit ad malum; sed illis non tribuit gratiam, quæ merus est misericordiæ ejus effectus [1]: *Ob hoc dicitur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur: non quia impellit, ut peccent.*

Aliqui [2] *iniquitatem* isthic pro pœna iniquitatis intelligunt. Eos malis obrue, & sentiant totum iræ tuæ pondus. Eos pro magnitudine scelerum suorum puni. Vel: Peccatorum suorum mensuræ cumulum addant, eorumque justissima pœna afficiantur [3]: ita ut primum iniquitatis nomen ipsam iniquitatem, posterius vero iniquitatis supplicium significet.

Judæi de iniquitate in iniquitatem prolapsi sunt J.C. persequentes, mox vero eo per summum nefas sublato, de infelicitate in infelicitatem proruerunt. Non ingressi sunt in *Justitiam Domini*, reprobati fuerunt, & paucissimi eorum credidere in J.C. atque Christianæ Religioni initiati sunt. Nomine *Justitiæ* intelligi quoque potest *misericordia*. Permitte, ut cadant de iniquitate in iniquitatem, neque fiant tuæ misericordiæ participes [4], neque ulla fruantur eorum bonorum particula, quæ Justis præparasti [5]. Sequens versiculus non parvam habet cum hoc similitudinem, & utrumque ita intelligere vellem: Domine, Babylonios eorum trade improbitati, scelerum suorum mensuram expleant; in impœnitentia moriantur, neque revertantur umquam ad te, neque sua umquam gratia fruantur: *Non intrent in Justitiam tuam*. Deleantur de numero viventium, pereant in iniquitate sua, neque in vitæ libro una cum Justis scribantur. Lapsus, & calamitas eorum æternum persistant, & in nullam reditus spem cadant; sed *Justi*, Israel populus tuus, ex calamitatibus suis se recipiant, & tandem diutina, ac felici vita fruantur.

℣. 33. DELEANTUR DE LIBRO VIVENTIUM, ET CUM JUSTIS NON SCRIBANTUR.] Hæc omnia in prophetico sensu, non autem veluti per imprecationem dicta, intelligenda sunt; alioquin nonnisi impius, atque perniciosus sensus illis posset attribui, præsertim si hoc de prædestinationis libro intellexeris. Quo enim in sensu optari liceret, ut aliquis reprobaretur, & nullam in Regno, atque in gratia Dei partem haberet? Votum hoc Deo ipsi esset injurium, qui sincere vult, omnes homines salvos fieri. Numquam de viventium libro aliquem expungit, qui semel inscriptus fuerit. Permittit tamen, ut prædestinati nonnumquam in scelus ruant, & justitiæ jacturam faciant; verum in illis decreta sua novit explere, neque eos umquam per finalem pœnitentiam perire permittit [6]. Auctor isthic portendit infelicitatem, impœnitentiam, atque pertinaciam Babyloniorum; in illis reprobationis tantum vestigia deprehendes.

Plurimi [7] de præsenti vita hoc simpliciter explicant. Deleantur de numero viventium, eorumque nomen non inveniatur amplius in Justorum, bonorumque virorum, quibus diuturnam, felicemque vitam Deus conservat, nomenclatura. Creditur ad veterem quorumdam Regnorum consuetudinem alludi, ubi habebatur census omnium subditorum viventium, quorum nomina expungebantur, statim ac ultima paterentur. Moyses bis censum habuit [8], & imperavit, ut universus Israel conscriberetur. Hoc ipsum David peragere voluit [9], verum quod inconsulto Domino istud aggressus est, factum illius reprobatum fuit, ac severissimis pœnis coercitum. Vide Exod. 32. ℣. 33. 34. Psal. 138. 16.

S. Hieronymus hoc ad Judæos refert. Animadvertit autem à Psalmista duos hic libros designari, *Librum viventium*, & *librum Justorum*. Prior ille est, in quo scripti erant Prophetæ, & Sancti veteris Testamenti; alter vero ille, ubi Justi, qui J.C. fidem amplexi sunt, recensentur. Judæi J.C. persecutores, *& a primo libro deleti sunt, & in secundo non sunt descripti.*

℣. 34. SALUS TUA DEUS SUSCEPIT ME [10].] Potentia tua, Deus, salvum me fecit: vel potius cum Hebræo [11]: *Salus tua, Deus, suscipiat me*; vel protegat me. Ab his periculis per infinitam misericordiam tuam me tuere.

℣. 35. LAUDABO NOMEN DEI CUM CANTICO.] Hoc innuere videtur, Auctorem Levitam fuisse, ex eorum numero, quorum erat, laudes Domini in Templo illius recinere. Simulac ex patria mea reversus fuero, gratitudinem, lætitiamque meam Canticis solemnibus ostendam.

℣. 36. PLACEBIT DEO SUPER VITULUM &c.] Hebræi [12] docent, numquam vitulos in sacrificium oblatos fuisse nisi trimos, & qui jam cornua emisissent. Virgilius Eclog. 3.

Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

Et magis adhuc aperte Juvenalis Satyr. 12.

Quippe ferox vitulus, Templis maturus, & aræ,
Spargendusque mero, quem jam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.

Chaldæus, & Arabs hoc explicant de bove saginato, cujus cornua, & ungulæ integræ sunt. Symmachus [13]: *Placebit Domino magis, quam Taurus divisas ungulas habens, & cornua.* Hæc simplex est poetica Tauri descriptio.

℣. 37. VIDEANT PAUPERES, & LÆTENTUR.] Judæi captivi ad paupertatem, atque humiliationem redacti, videant effectus misericordiæ tuæ erga me, atque lætentur. Liberatio mea, & salus mea illis lætitiam afferant, vel testes sint ultionis suæ adversus impios, & gaudeant, non propter illorum calamitatem, sed quod magis effulgebit gloria tua, & quod contumeliæ tuo nomini illatæ punientur. Vide Psal. 39. 4. 51. 8. 57. 11. 90. 8. 106. 32. 118. 74.

℣. 38. VINCTOS SUOS NON DESPEXIT.] Captivi populi sui preces audiit. In futurum tempus verti posset; exaudiet servos suos, qui squalent inter vincula, & in captivitate, qui sensus æquior videtur propter ea, quæ sequuntur.

℣. 39. OMNIA [14] REPTILIA IN EIS.] Pisces videlicet maris [15]. Hebræi reptilium nomine pisces omnes complectuntur. Creatæ res laudant Dominum, eo quod hominibus eas perpendentibus Deum laudandi argumentum suppeditant [16]: *Creatura sola ista laudat Deum, cum considerata ea laudatur Deus.*

℣. 40. DEUS SALVAM FACIET SION; & ÆDIFICABUNTUR CIVITATES JUDA.] Nihil apertius optari potest, ad reditum de captivitate intelligendum. Sion salvabitur; incolæ ejus in hæreditates suas reverten-

1 August. De diversis quæst. ad Simplic. num. 16. Vide & Muis, hic.
2 Athanas. Theodoret. 3 Vide Isidor. Pelus. lib. 3. Ep. 92.
4 August. De diversis quæst. ad Simplic. n. 15. *Ut obduratio Dei sit nolle misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur.* 5 Vide Theodoret. hic.
6 Vide August. hic. n. 19. & Est. hic. Genebr. Mariana, Muis, Bellarm.
7 Theodoret. in Caten. Corder. pag. 411. Vide & Heracleot. & Græc. Paraphrast. Corder. Ferrand. Hammon. Gejer. Grot. 8 Exod. 30. 12. 13. Num. 1. 2. & seq. Num. 26. 2.
9 2. Reg. 24. Vide & Psalm. 86. 10 Hilar. August. Psalter. Roman. S. German. & Carnut. *Salus vultus tui, Deus, suscepit me.* Ita 70. Edit. Roman.
11 ישועתך אלהים תשגבני 70. Edit. Complut. Ἡ σωτηρία σε, ὁ Θεὸς, ἀντιλάβοιτό με.
12 Kimchi in hunc loc. apud Muis. 13 Sym. Καὶ ἀρέσει τῷ Κυρίῳ μᾶλλον ἢ βοῦς ταῦρος διχηλῶν κερατίζων ותיטב ליהוה משור פר מקרן מפריס *Gratum erit Deo præ tauro, bove, cornuto, divisis ungulis.*
14 Psalter. Roman. Mediol. S. German. Carnut. *Omnia, quæ in eis sunt.* Hilar. Euseb. *In eo sunt.* Ita 70.
15 וכל רמש בם 70. Πάντα τὰ ἕρποντα τὰ αὐτῷ. 16 August. hic. Hilar. *Laus universa ex rerum admirabilitate profitisitur.*

tentur. Civitates Juda iterum ædificabuntur, ac frequenti populo, ut antea, habitabuntur. Hæc omnia contingent, Domine, statim ac locutus fueris. Hic reditus de captivitate erat figura redemptionis humani generis, & quædam veluti promissio vocationis Gentilium ad Christianam Ecclesiam, cujus Sion [1] erat imago.

1 Athanas. Euseb. August. Alii.

PSALMUS LXIX.

Propheta a Deo celerem exposcit opem adversus improbitatem, & nequitiam inimicorum suorum.

In finem, Psalmus David: in rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.

ARGUMENTUM.

Psalmi hujus inscriptio apud Antiquos non est uniformis. S. Hilarius, S. Athanasius, Cassiodorus, & Psalteria, toties citata, legunt: *In finem, Psalmus David: Quod salvum me fecit Dominus* [1]. S. Augustinus nullum Titulum legit. Theodoretus ait, novissima ea verba, *in rememorationem: quod salvum me fecit Dominus* [2] non adfuisse in Hebræo, neque in veteribus Interpretibus Græcis, neque in quibusdam Exemplaribus Septuaginta. Auctor hic Psalmum hunc refert ad Absalonis defectionem; quam sententiam proposuere Theodorus Heraclæota, Beda, vetus Paraphrastes Patris Corderii, Kimchi, Ferrandus, aliique nonnulli. Referri equidem potest ad hanc, vel aliam quamlibet circumstantiam, ubi Justus impiorum opprobriis, atque contumeliis expositus sit. Hic vero quasi de verbo ad verbum descriptos invenies postremos Psalmi 39. versiculos, si a duodevigesimo incipias.

Titulus verti potest juxta Hebraicum textum hoc pacto [3]: *Psalmus David, Moderatori Musices inscriptus, ut sit pro monumento*. Vel: *Psalmus memoria dignus a David Musices Moderatori inscriptus* Chaldæus: *Psalmus ad laudandum Deum per manus David super pugnum incensi* [4]. Nequaquam jugem hujus Psalmi explicationem trademus, ne veluti crambe repetita, ea quæ in psalmum 39. diximus, bis redeant in paginas. Quædam solum adnotabimus, quæ varia in variis Textibus occurrunt. Sequens Psalmus est hujus continuatio, qui videtur vulgatum fuisse precum apud Judæos, uti hodie quoque est, exemplar.

1. DEus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina.
2 Confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam. 3 Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala: 4 Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge. 5 Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant semper: Magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum. 6 Ego vero egenus, & pauper sum: Deus, adjuva me. 7 Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine, ne moreris.

℣. 1. DEus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina.] Hebræus [5]: *Domine in adjutorium meum: Domine ad adjuvandum me festina*. Psalmus 39. 14. [6] *Domine tibi placeat me salvum facere*: Vel, *ad me salvandum accurre*; *Domine festina ad me adjuvandum*. S. Hilarius, S. Augustinus, antiqua Psalteria, Apollinarius, & quædam Exemplaria Septuaginta [7] non legunt: *Domine ad adjuvandum me festina*. Hebræus non habet *intende* in priori hujus versiculi membro.

℣. 3. AVERTANTUR STATIM ERUBESCENTES, QUI DICUNT MIHI: EUGE, EUGE.] Hebraici Textus versiculi hujus explicatio peti potest ex Psalmo 39.

℣. 6. DEUS ADJUVA ME (℣. 7.) ADJUTOR MEUS [8] &c.] Hebr. [9], *Domine festina*, ut venias *ad me; tu es auxilium meum, & Salvator meus*. In Psalmo 39. 18. [10] *Dominus gerit curam mei. Tu es præsidium meum, & salus mea, Domine, ne differas*.

1 Ita Psalter. Rom. Gallican. seu Carnut. Reg. 222. Colbert. 1. & 1339. & Memm. 2. apud Ferrand.
2 Ea non legit Eusebius. 3 למנצח לדוד להזכיר
4 הזכיר accipitur aliquando pro incensum offerre. Levit. 2. 9. 16. Num. 5. 18. 26.
5 אלהים להצילני יהוה לעזרתי חושה 6 רצה יהוה להצילני יהוה לעזרתי חושה
7 Ita 70. Edit. Rom. 8 August. *Adjutor & erutor meus es tu, Domine, ne tardaveris.*
9 אלהים חושה לי עזרי ומפלטי אתה יהוה אל תאחר
10 אדני יחשב לי עזרתי ומפלטי אתה אלהי אל תאחר

PSAL-

PSALMUS LXX.

Propheta jam ætate confectus Domini auxilium adversus hostes implorat. Ait, se in ipsum semper speraturum, neque umquam ab laudibus illius prædicandis cessaturum; tunc præsertim cum de manu se persequentium fuerit liberatus.

Psalmus David: filiorum Jonadab, & priorum captivorum.

ARGUMENTUM.

Psalmo huic nullus Hebraice, Chaldaice, vel Arabice præfixus est titulus. In plurimis Septuaginta exemplaribus [1] post ea verba: *Filiorum Jonadab, priorum Captivorum*, isthæc adduntur: *Caret inscriptione apud Hebræos*. Quod vel ab eodem Interprete, qui eum, quem legimus titulum, apposuerat, vel ab aliquo post illum Critico additum est: non enim certum est, Psalmorum titulos opus esse Auctorum eorumdem, vel eorum, qui Psalmos collegere, nisi eos forte, qui in Hebraico textu inveniuntur. S. Augustinus, cujus exemplum omnes ferme sequuntur Interpretes, eam deserit inscriptionem, quæ ait, Psalmum hunc fuisse Rechabitarum, *filiorum Jonadab, & priorum captivorum*. Nullum adest in toto Psalmo vestigium, quod illis absolute conveniat, nosque impellat, ut hunc sub eorum nomine interpretemur. Veterum, & Recentiorum plerique, quoad litteralem sensum, eum referunt ad Davidem e Jerusalem a filio suo Absalone expulsum [2], & derelictum a pluribus, qui semper amici illius habiti fuerant. Psalmus universus illi ad unguem convenit; idque magis huic opinioni suffragatur, quod bis in Psalmo [3] ætate confectus dicitur fuisse.

Syrus eum de Saulis persecutionibus contra domum David intelligit; Theodoretus, & Beda, de Captivis Babylonis a Deo reditum suum deposcentibus; quæ posterior sententia haud equidem est contemnenda, si cum Theodoreto adolescentiam, de qua loquitur Psalmista, de eo tempore intelligas, quo Hebræus populus nuperrime de Ægypto egressus per desertum iter faciebat, senectutem vero de captivitatis ejus tempore interpreteris. Bellarminus Psalmi titulum probare conatur. Credit, Rechabitas, cum se se in Jerusalem recepissent, quemadmodum scribit Jeremias 36. 11. se sponte cum aliis Judæis, JoaKim regnante, dedisse Regi Nabuchodonosor: & hanc esse primam illam captivitatem, de qua hic sermo, secundam vero eam fuisse, quæ contigit Sedecia imperante.

S. Hieronymus [4] hoc aliter explicat. Filii Ionadab, qui plerumque in agris, atque sub pellibus morabantur, Chaldæorum irruptione coacti se se in Jerusalem recipere, ibi tamquam in captivitate, & carcere permanserunt; dum antea in solitudine perfecta libertate fruerentur: *Hanc primam captivitatem subjisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem, urbe quasi carcere sint reclusi*. Hæc autem prior est captivitas, quam passi sunt ante magnam Babylonis captivitatem, in quam aliquot annis post a Nabuchodonosor abducti fuerunt.

Tres vulgo captivitates Juda sub Nabuchodonosor distinguuntur. Prior contigit, Usserio teste, anno ab Orbe condito 3398. regnante EliaKim, vel JoaKim in Juda; altera anno 3405. cum Joachin, vel Jechonias Babylonem adductus fuit; tertia vero, & novissima sub Sedecia, cum civitas, atque Templum incensa fuerunt anno 3416. Rechabitæ ingressi sunt Jerusalem paulo antequam Nabuchodonosor civitatem caperet de manu JoaKim, ideoque esse potuerunt ex numero priorum captivorum, qui Babylonem fuerunt abducti. Verum hac in re nihil certi habetur, & Psalmus, quem sumus explicaturi, nullam nobis suppeditat lucem, ut liquido hoc agnoscamus. Videre potes Dissertationem nostram de Rechabitis, Jeremiæ libro præfixam.

Ego autem reor, Psalmum hunc esse continuationem præcedentis, & utrumque respicere primum quidem Absalonis bellum contra Davidem, & in sublimiori sensu, J. C. mortem atque passionem. Hæc est oratio, qua inter cruciatus suos, Patrem suum deprecatur, ubi de Judæ proditione, & Judæorum conqueritur crudelitate. Psalmus 69. est veluti præsentis procemium; at primi tres Psalmi hujus versiculi iidem ferme sunt, ac primi Psalmi 30. Hæ petitionum species contentæ, exempli gratia in Psalmis 69. & 39. 18. ac sequentibus, & isthic vers. 1. 2. 3. & initio Psalmi 30. generales erant orationum formulæ, quæ cum ferret occasio, aliis Canticis addebantur, quibus poterant aptari. Hinc fit, ut non semel inveniantur.

1. IN te, Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me,
& eripe me. 2 Inclina ad me aurem tuam, & salva me. 3 Esto mihi in
Deum protectorem, & in locum munitum: ut salvum me facias: 4 Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu. 5 Deus meus eripe me de
manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui: 6 Quoniam tu es
patientia mea, Domine: Domine, spes mea a juventute mea. 7 In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus. 8 In te cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis: & tu adjutor fortis. 9

1 70. Edit. Complut. Theodoret. Ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις. Nil ex his in Eusebio occurrit.
2 Kimchi, Ezra, Muis, Vatab. Ferrand. du Pin, Bossuet. Vide argumentum Psalmi 79. & Bellarmin. hic. Vide & Euseb. 3 Vide versiculos 6. 7. 10. 18. 19.
4 Hieronym. ad Paulin. de Instit. Monachi. Vide eundem Epist. ad Rustic.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.
10 Ne projicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelin-
quas me. 11 Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam
consilium fecerunt in unum. 12 Dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini,
& comprehendite eum: quia non est, qui eripiat. 13 Deus, ne elongeris a me:
Deus meus in auxilium meum respice. 14 Confundantur, & deficiant detrahen-
tes animæ meæ: operiantur confusione, & pudore, qui quærunt mala mihi. 15
Ego autem semper sperabo: & adjiciam super omnem laudem tuam. 16 Os meum
annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum. 17 Quoniam non cognovi lit-
teraturam, introibo in potentias Domini: Domine, memorabor justitiæ tuæ so-
lius. 18 Deus, docuisti me a juventute mea; & usque nunc pronunciabo mirabi-
lia tua. 19 Et usque in senectam, & senium: Deus, ne derelinquas me. 20
Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est. 21 Poten-
tiam tuam, &, justitiam tuam, Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia:
Deus, quis similis tibi? 22 Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & ma-
las: & conversus vivificasti me: & de abyssis terræ iterum reduxisti me. 23 Mul-
tiplicasti magnificentiam tuam: & conversus consolatus es me. 24 Nam & ego
confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam: Deus, psallam tibi in cithara, san-
ctus Israel. 25 Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi: & anima mea, quam
redemisti. 26 Sed & lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam: cum confu-
si, & reveriti fuerint, qui quærunt mala mihi.

℣. 1. IN TE, DOMIME SPERAVI; NON CONFUNDAR IN ÆTERNUM [1].] David a perfido filio ejectus, ab amicis melioris notæ proditus, a subditis suis derelictus, in Deo tantum suam spem collocat, neque hostium suorum conatus veretur. Spes sua eum invictum, immotumque reddit: *non confundar in æternum*. Nequicquam homo in creatura confidit: *Vana salus hominis* Psal. 59. 13. nulla enim solida spes est, nisi in Domino: *Spes autem non confundit* ad Rom. 5. 5. Spes omnium bonorum bonum suavius est, antiquus quidam ajebat Philosophus apud Laertium lib. 1. in Biante; cujus sententia apprime quidem solida fuisset, si fiduciam in Deo, de qua hic loquitur David, intellexisset.

IN JUSTITIA TUA LIBERA ME.] Me quidem peccasse scio, & malum hoc in me cecidisse fateor, in scelerum meorum pœnam. Tu Domine per Prophetam tuum [2], me monitum voluisti. Quid tamen adversus Absalonem, quid contra Achitophel, quid in omnem rebellem populum feci? Esto Judex meus, & me adversus illos tuere. Non desunt, qui isthic pro *justitia misericordiam* intelligant, quemadmodum alibi passim in Scripturis. Vide Psalmum 31. ℣. 1. 2.

℣. 3. ESTO MIHI IN DEUM PROTECTOREM, & IN LOCUM MUNITUM, UT SALVUM ME FACIAS.] In fuga mea, Deus, & eo squalore, in quo versor, protege me, sustine me, & præbe mihi asylum adversus inimicos meos. Hebræus habet [3]: *Sis pro me rupes, quæ mihi sit habitaculum, quo semper meme recipere valeam. Dedisti jam mandata tua, ut me salvum faceres, quoniam es rupes mea, & fortitudo mea*. Vidimus jam, nec semel, Hebræos, Deum suum vocare consuevisse, rupem, refugium, arcem, quo nomine David potiori jure eum vocare poterat in fuga sua, quam alia in occasione. Ait autem, Deum edidisse mandata sua ad eum salvum faciendum, atque Angelis suis præcepisse, ut eum ab hostibus illius tuerentur [4]. Vel simpliciter: dixit, & vi vocis ejus statim liberatus sum de persequentibus me [5]. Loquitur tamquam extra aleam periculi positus: adeo divini est certus auxilii. Geminus huic locus Psalmi 30. 2. clarior videtur, atque absolutior [6]: *Sis mihi tamquam rupes munita, & tamquam habitaculum inexpugnabile, ut me salvum facias: tu enim es petra mea, & arx mea*.

℣. 5. DE MANU PECCATORIS, & MANU CONTRA LEGEM AGENTIS.] Ne permittas, me in manus Absalonis labi, qui erga me omnes divinas, humanasque leges susque, deque permiscet. Libera me de insidiis Achitophel, impii illius, qui sanctissimas leges tuas pedibus obterit, Regem suum persequens, ut rebelli, & ambitioso filio velificetur.

℣. 6. QUONIAM TU ES PATIENTIA MEA.] Expectatio mea, spes mea [7]. Vide Psalmum 61. 6. *Quoniam ab ipso patientia mea*.

℣. 7. IN TE CONFIRMATUS SUM EX UTERO.] Hebræus [8]: *Super te innixus sum ab utero matris meæ*. Exceptus quodammodo fui super genua tua, tamquam parvulus super genua Patris sui. Ad veterem alludit consuetudinem, de qua alibi verba fecimus [9], collocandi pueros recens natos super patrum suorum genua, qui hoc pacto veram sobolem suam eos esse recognoscebant.

DE VENTRE MATRIS MEÆ TU ES PROTECTOR MEUS.] Hebræus potius significat [10]: *Tu mihi præsecuisti funiculum umbilici mei*, statim post nativitatem meam. Persequitur allegoriam suam. Symmachus [11]: *me respexisti ab utero matris meæ*.

℣. 8. IN TE CANTATIO MEA SEMPER.] Te semper veluti supremum benefactorem, patrem, & Regem duxi.

Prima dicte mihi summa dicende camena.

He-

1 August. Psalter. Rom. Mediol. Carnut. &c. *Deus, in te speravi, Domine, non confundar, &c.* Psalter. Sanct. German. *Domine, Deus, in te speravi*.
2 2. Reg. 12. 11.
3 היה לי לצור מעון לבוא תמיד צוית להושיעני כי סלעי ומצודתי אתה.
4 Confer Psalm. 90. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*.
5 Psal. 32. 9. *Ipse dixit, & facta sunt*.
6 היה לי לצור מעוז לבית מצודות להושיעני כי סלעי ומצודתי אתה.
7 כי אתה תקותי
8 עליך נסמכתי מבטן Sym. Σοὶ ἐπεστηρίχθην ἀπὸ γαστρός.
9 Genes. 50. 22. & Psal. 21. 11. *In te projectus sum ex utero*. 138. 13. *Suscepisti me de utero matris meæ*.
10 ממעי אמי אתה גוזי Vide Gejer. hic, & Ezech. 16. 4. *Non est præcisus umbilicus tuus*.
11 Symmach. Ἀπὸ τῆς ἐξελεύσεως τῆς μητρός μου, σὺ ἐπεσκέψω με.

Hebræum ita reddere mallem [1] : *semper fuisti objectum gloriæ meæ*. Me tuum esse semper gloriatus sum; meamque in eo gloriam verti existimavi, si beneficia tua in vulgus proferrem, meque famulum tuum confiterer.

TAMQUAM PRODIGIUM FACTUS SUM MULTIS; ET TU AUXILIATOR FORTIS.] Mea ad Regnum evectio tamquam prodigium habita fuit. Omnes admirati sunt, quod e Saulis persecutionibus evaserim. Tota vita mea est veluti juge prodigium. Verum quid in hoc mirum adeat; quandoquidem habeo te protectorem meum? Nihil arduum patrono omnipotenti. David omnia Deo refert accepta, eique gloriam reddit eorum omnium, quæ prospera sibi evenerunt. Hæc una est via ad recentia beneficia obtinenda. Nihil magis idoneum est ad bonitatis divinæ fontem exhauriendum, quam si tibi ejusdem gloriam vendices. Vide similem ferme locutionem in Isaia 8. 18. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel a Domino exercituum*. Et 11. 10. *Radix Jesse, qui stat in signum populorum*.

Sunt, qui hoc in alio intelligunt sensu: Omnes homines respiciunt me, tamquam tuæ severitatis exemplum, & tuæ justitiæ portentum; virum, in quem omnem ultionis tuæ rigorem exercuisti, ut insigni adeo ac terribili exemplo impiis terrorem incuteres. Ita quoque Deus nonnumquam efficiebat, ut Prophetæ sui ferrent signa eorum, quæ aliis facturus erat, ut suas promissiones, vel minas redderet apertiores. Vide Isaiam 19. 20. 20. 3. Ezech. 4. 3. 24. 24. Eusebius, S. Augustinus, & S. Hieronymus hoc ad J. C. personam referunt, qui in mundo apparuit veluti portentum, & homo aliis prorsus oppositus.

ỳ. 9. REPLEATUR OS MEUM LAUDE [2].] Recentes mihi præbe causas, laudes tuas enuntiandi. Educ me de hoc periculo, & numquam ab laudibus tuis celebrandis desistam. Hebræus [3] est brevior. *Os meum repleatur laude tua, tota die pulchritudine tua*, vel gloria tua. Liberationem suam ob id unum cupere videtur, ut voluptatem, & felicitatem Dominum laudandi consequatur.

ỳ. 10. NE PROJICIAS ME IN TEMPORE SENECTUTIS.] Quandoquidem meus pater es, & protector meus ab ipso meæ nativitatis exordio ad hanc usque diem (ỳ. 7.) poterisne nunc me derelinquere, cum senectus vires meas infirmarit, & minus aptum effecerit, hostibus meis resistendo? Absalon a patre defecit, cum David jam esset ætate provectior.

ỳ. 11. QUI CUSTODIEBANT ANIMAM MEAM.] Qui vitæ meæ insidiabantur: ad litteram [4] : qui observabant animam meam, simul consilium inierunt. Reor, inimicos suos innuere velle, qui omnia illius vestigia explorabant, ut eum perderent, & qui illi struebant insidias. Nonnulli [5] hoc intelligunt de satellitibus ejus, quorum erat ad illius incolumitatem invigilare. Sed collatio vocum *inimici mei*, cum iis, *qui observant animam meam*, nos cogit, ut in priorem sententiam concedamus. Confer 2. Reg. 11. 16. Job 10. 14. Ps. 55. 7.

ỳ. 12. DICENTES: DEUS DERELIQUIT EUM.] Ex iis malis, quæ ingruunt in me, inferunt inimici mei, me a te, Deus, fuisse derelictum. Ita homines judicare consueverunt. Sine ullo examine, quos vident calamitosos, condemnant; perinde ac res adeo ambigua, qualia sunt fluxa hujus vitæ mala, illis auctoritatem præbere posset ad judicandum, & condemnandum proximum suum. Norant quidem, Davidem peccasse, hoc verum est; verum, utrum Deus illi pepercisset, & calamitates, quæ in ejus familia contigerant, essent virtutis illius experimenta, vel supplicia ad peccata illius expianda, non norant. *Ne illudas umquam calamitoso viro*, Thales apud Stobæum serm. 3. ajebat, satis enim est, *Deorum iram in eum desævire*.

ỳ. 14. CONFUNDANTUR . . . DETRAHENTES ANIMÆ MEÆ.] Hæ sunt prophetiæ, non imprecationes, Patres inquiunt. Vide Psalmos 34. 4. 39. 15. 59. ỳ. 3. 4. Hebr. [6] : *Confundantur adversarii animæ meæ; rediguntur in nihilum*. S. Augustinus legit: *Confundantur . . . committentes animam meam*; qui irritant me, qui me lacessunt. Septuaginta: *calumniatores animæ meæ*. Hebræa vox proprie adversam in lite partem significat: *sathanes mei*.

ỳ. 16. OS MEUM ANNUNTIABIT JUSTITIAM TUAM.] Cum mihi litem adjudicaveris contra inimicos meos. Non recedit ab allegoria, quam versiculo decimo quarto incœperat. Qui injuste me provocarunt, ac mihi diem dixerunt, damnentur, ac rubore suffundantur. Ego vero ubique sententiæ tuæ æquitatem, & justitiam, qua secundum litem judicaveris, annuntiabo.

ỳ. 17. QUONIAM NON COGNOVI LITTERATURAM [7], INTROIBO IN POTENTIAS DOMINI.] Aliis politicæ astum, atque humanæ prudentiæ ambages relinquo. Achitophel, & similes ejus consiliorum suorum profunditate adnitantur, ut improbissimi conatus e voto cedant; norint alii politicæ suæ meditamentis, prout libitum ipsis fuerit, populorum corda, mentesque movere: Ego, Domine, omnem scientiam meam in eo colloco, ut adorem Providentiam tuam, eique me prorsus submittam, atque Justitiam, & infinitam potestatem tuam laudibus celebrem. Aliter; Mentis meæ acumen, Deus, brevi adeo limite coercetur, & scientia mea tuæ collata adeo incerta est, & caliginosa, ut me nihil prorsus scire, queam confiteri. Mihi satis est, cum reverentia adorare, & meditari justitiam tuam, ac infinitam tuam potestatem. Ita Salomon viventium omnium sapientissimus olim ajebat Prov. 30. 2. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum; non didici sapientiam, & non novi scientiam Sanctorum*.

Hebræus alium potest sensum admittere. Ita porro totus versiculus redditur [8] : *Os meum annuntiabit omnibus diebus* justitiam tuam, & *salutem, quam mihi procurabis; non enim scio numeros*. Recensere nequeo beneficia, quæ in me contulisti; verum ut aliqua ratione perfungar munere meo tibi ob ea gratias agendi, omnes vitæ meæ dies impendam ad ea prædicanda, tibique gratias agendas. Hic locus isto in sensu acceptus magnam habet cum illo rationem: *Multa fecisti, tu Domine Deus meus, mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi. Annunciavi, & locutus sum. multiplicati sunt super numerum* Psal. 39. 6. Symmachus [9] : *Nescio numerare*. Chaldæus, Theodoretus, Kimchi, Rabbinus Salomon, Muis, Grotius, Flaminius, & plerique aliorum Interpretum hanc sequuntur explicationem.

Verum sermonis decursus poscere videtur, ut ita explicetur: *Os meum annuntiabit justitiam, quam mihi reddideris*; narrabo omnibus diebus vitæ meæ *salutem, quam mihi procuraveris, & licet litteras nesciam*, ideoque pro meritis munere meo nequeam perfungi: (18) *non deero tamen, quin considerem potentiam tuam*; vel tua ope suffultus veniam in Templum tuum, *ac indesinenter annuntiabo justitiam tuam*. (ỳ. 19.) *Tu edocuisti me ab adolescentia mea, neque hactenus destiti ab laudibus tuis enarrandis*. Verbo: agnosco, & fateor deesse mihi eloquentiam, atque scientiam necessariam ad Cantica componenda, ac te satis digne pro Majestate tua laudandum; verum numquam deero, quominus annuntiem ma-

1 כך ההלתי תמיד Symmach. Ε'ις σε ἡ αἰνεσις μου διὰ παντὸς. Legit תהלתי pro ההלתי
2 Psalm. Roman. Mediol. Carnut. sancti German. *Laude sua*. Ita Hebr.
3 ימלא פי תהלתך כל היום תפארתך Sym. Ε'ν τῇ ἀτιμώσει σου μὴ ἀπορρίψῃς με. Id sequentibus adnectit: *Ne rejicias me in gloria tua*. 4 שמרי נפשי נועצו יחדו 5 Kimchi, Ferrand.
6 יבשו יכלו שטני נפשי Sym. Καταισχυνθήτωσαν, καὶ ἀναλωθήτωσαν οἱ ἀντικείμενοι τῇ ψυχῇ μου. Ita & Hieronym. *Confundantur, & consumantur adversarii animæ meæ*. 7 70. Complut. Ο'τι οὐκ ἔγνων γραμματείας. *Non novi litteraturas*. Edit. Rom. Ο'υκ ἔγνων πραγματείας. *Non novi negotiationes*. Ita August. Arnob. Cassiodor. Psalter. Roman. Mediolan. sancti German. Carnut. Hieronym. in Comment.
8 פי יספר צדקתך כל היום תשועתך כי לא ידעתי ספרות 9 Sym. Ο'υ γὰρ οἶδα ἐξαριθμῆσαι.

magnalia tua, atque in laudes tuas, si quid est in me, ingenii, quod mihi ab ipsis incunabulis es elargitus, impendam. Hoc autem, quantumcumque est, ad extremum usque spiritum ad laudes tuas celebrandas transmittam. Hoc unum autem a te peto, ne effœta hac in ætate me deseras: *Usque in senectam, & senium, Deus ne derelinquas me.*

Genebrardus hoc de Sacrarum Scripturarum cognitione interpretatur. Earum altitudinem perscrutari, atque mysteria detegere non valeo. Tuum est, Domine, edocere me, rerumque earum sensum aperire. Ut a te hanc scientiam consequar, in Sanctuarium tuum ingredior, atque potentiæ tuæ effectibus perpendendis operam navo. Confer Psal. 72. 17. *Existimabam, ut cognoscerem hoc. Labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei.* David præ manibus habebat legem Moysis, quæ subjectum erat studii, ac jugis meditationis suæ, quemadmodum non semel in psalmis ipse testatur [1]. Attamen se nequaquam satis peritum in illa putabat, atque hic se nequaquam satis intelligere, quidquid in ea continetur, haud perplexe profitetur. Eusebius, S. Athanasius, & S. Augustinus, hoc de cæremoniarum, ac litteræ Mosaicæ legis ad salutem inutilitate explicant.

℣. 18. DEUS, DOCUISTI ME A JUVENTUTE MEA; ET USQUE NUNC PRONUNTIABO &c.] Enarrabo scilicet mirabilia tua, quæ hactenus expertus sum. Vel: Domine, docuisti me ab adolescentia mea ad hanc usque diem: neque umquam ab laudibus tuis efferendis cessabo. Ex me nihil aliud sum, quam ignorantia, ac tenebræ. Quidquid scio, ex te didici. Omnem cognitionem meam ad unum te laudandum, tibique inserviendum impendam.

℣. 21. JUSTITIAM TUAM USQUE IN ALTISSIMA, QUÆ FECISTI MAGNALIA.] Justitia tua in editissimis usque locis effulsit, propter tot, tantaque, quæ ibi operatus es. Vel hoc præcedenti versiculo subnectendo: *Donec ad cælos usque potentiam tuam, atque justitiam extollam*, vitam meam tuere, Deus, & præbe mihi tempus efferendi magnitudinem justitiæ tuæ, atque mirabilium tuorum. Vel cum Hebræo [2]: *Donec annuntiem brachium tuum generationibus venturis, & potentiam tuam iis omnibus, qui venient post nos, ac justitiam tuam, Deus, usque ad* cœlorum *verticem, atque mirabilia, quæ fecisti. Quis est similis tibi?* Vel: *Quot fecisti mirabilia! Quis est similis tibi?* Vide psalmos 56. 11. 8. 2. 57. 35. 91. 6.

℣. 22. CONVERSUS VIVIFICASTI ME.] Centies ad mortis usque januas adstiti, atque in sepulchrum prope redactus fui; & repente ad me reversus es, me per manum assumpsisti, & quodammodo resuscitasti. Hæ omnes loquendi rationes indigitant ea pericula, quæ subiit David; & gratiam, quam Deus illi præstitit, ex illis incolumem eruens. *Abyssi terræ* isthic significant Infernum, locum, ubi mortui morantur [3], sepulchrum. Hoc ipsum est ac illud psal. 68. 17. *De profundis aquarum.* Explicatur autem de J. C. Resurrectione, & de reditu suo ex Inferis, quo ante Resurrectionem suam descenderat, ut, qui illic detinebantur, inviseret.

℣. 23. MULTIPLICASTI MAGNIFICENTIAM TUAM.] Multa in mei gratiam prodigia operatus es. Hebræus [4], Chaldæus, Syrus legunt: *multiplicasti magnitudinem tuam*; me meæ pristinæ gloriæ reddidisti, me de illis periculis eduxisti, quibus belli tempore expositus eram; de persecutionibus Saulis eripuisti me, me super solium collocasti, ibique servasti, licet ægre id ferrent omnes inimici mei. Fieri ne posset, ut nunc me derelinqueres? S. Augustinus, & antiqua Psalteria toties citata: *Multiplicasti justitiam tuam*; pro me ostendisti justitiam tuam; inimicos meos punivisti.

ET CONVERSUS CONSOLATUS ES ME.] Hebræus in futurum tempus transferri potest [5]: *reverteris ad me, & me consolaberis.* Psalteria Romanum, atque Mediolanense legunt: *Conversus, exhortatus es me.* Similiter & Septuaginta verti possunt [6]; qui, una cum S. Augustino, & antiquis Romanis Psalteriis ad finem hujus versiculi hæc superioris repetunt verba: *& de abyssis terræ iterum reduxisti me.*

℣. 24. IN VASIS PSALMI VERITATEM TUAM.] Hebr. [7]: *laudabo veritatem tuam in instrumentis Nabli.* Ubicumque tuæ veritatis effectus narrabo, & referam, quemadmodum omnes promissiones tuæ adimpletæ fuerunt. Psalmista hoc in versiculo exprimit duo præcipua instrumenta fidicularia, quæ Hebræis nota essent, *nablum*, & *cinnor*, vel cytharam.

℣. 26. LINGUA MEA MEDITABITUR JUSTITIAM TUAM [8].] Vel justitiam tuam enarrabit. Juxta nostram loquendi rationem, lingua non meditatur; sed profert ea, quæ mens est meditata. In Hebræorum stylo *meditari*, sæpe cogitate loqui significat.

1 Psalm. 1. 2. 62. 7. &c.
2 אגיד זרועך לדור לכל יבוא גבורתך וצדקתך אלהים עד מרום אשר עשית גדולות אלהים מי כמוך
3 Vide Euseb. & Rom. 10. 7.
4 תרב גדלתי Euseb. legit; Ἐπλεόνασας τὴν μεγαλωσύνην μου.
5 ותסוב תנחמני
6 70. Ἐπιστρέψας παρεκάλεσάς με.
7 אודך בכלי נבל אמתך
8 גם לשוני תהגה צדקתך

PSALMUS LXXI.

David Dominum orat, ut Salomonem, qui nuperrime ad thronum ascenderat, sua donet prudentia, & gratia. Regni illius magnitudinem, & felicitatem prædicit, & sub Salomonici regni figura Jesu Christi regnum describit.

Psalmus, in Salomonem.

ARGUMENTUM.

Græca quædam [1], & Latina Exemplaria [2] hujus psalmi titulo *Davidis* nomen addunt; ad innuendum ab hoc sancto Propheta fuisse compositum. Paulo antequam fato concederet, cum jam constituisset Regem Salomonem filium suum pro ipso, benedixit Domino, *qui dedit hodie sedentem in solio* ipsius, *videntibus*

1 70. Edit. Complut. Εἰς Σαλωμὼν Ψαλμὸς τῷ Δαυίδ. Ita Athanas.
2 Cod. Reg. 138. Colbert. 158. apud Ferrand.

Sus oculis ejus [1]. Tunc gaudio exultans, ob grati animi sensum Deo hoc Canticum cecinit, in quo cum obtestatur, & obsecrat, ut adolescentulum Regem, omnemque populum suis benedictionibus cumulet; mox vero divino afflatus enthusiasmo ad superius objectum ascendit, Messiæ magnitudinem, Regnique illius magnificentiam extollit. Hinc fit, ut in Cantico hoc tot loquendi rationes occurrant, quæ non nisi in figurato, hyperbolicoque sensu Salomoni possunt convenire, quæ ad J. C. si referas, ad litteram, ac pressius sumptæ ad unguem adimplentur. Vide versiculos 5. 11. 12. 17. Eusebius, & Chaldæus hunc psalmum eidem Salomoni tribuunt, tamquam ejusdem Auctori.

Interpretum plerique [2] duplici illum adspectu considerant; tamquam Salomonici regni felicitatem exhibentem; & in sublimiori sensu, tamquam Jesu Christi regnum describentem. Rabbini quoque non inficias eunt [3], psalmum hunc Messiæ convenire, licet ad Jesum Christum referri inficientur. Sed Patres, atque Interpretes perfectam adeo conformitatem deprehendunt inter Jesu Christi characteres, & eos, qui Messiæ hoc in psalmo, ex ipso Judæorum consensu, tribuuntur, ut vel cæcus sit, vel impius, oporteat, qui eos non agnoscat. Patres vulgo id de Jesu Christo dumtaxat intelligunt, cujus Salomon erat imago. Muis [4] non sine verisimilitudine conjicit, postremos duos versiculos huic psalmo fuisse appositos ab illis, qui psalmos collegere. Sunt autem veluti secundi hujus libri Psalterii conclusio [5]; illi satis similis, quæ legitur ad calcem quatuor aliorum librorum. Et equidem singulare esset, conclusiones quinque librorum Psalterii easdem ferme inveniri, fortuito prorsus, ac sine ullo eorumdem collectoris consilio. Hic autem postremus est psalmorum omnium, quos David elucubratus est, quemadmodum ex his verbis, quæ ad calcem leguntur, innotescit: *Defecerunt laudes filii Jesse*, & uti liquet ex circumstantia temporis, quo compositus fuit, diei nempe illius, quo Salomon filius ejus regio chrismate delibutus est. Sanctus enim propheta ad breve temporis spatium superstes fuit huic solemnitati, quæ omnia illius vota cumulavit.

1. DEus, judicium tuum regi da: & justitiam tuam filio regis: 2 Judicare
populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio. 3 Suscipiant
montes pacem populo, & colles justitiam. 4 Judicabit pauperes populi,
& salvos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem. 5 Et permanebit
cum sole, & ante lunam, in generatione, & generationem. 6 Descendet sicut
pluvia in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram. 7 Orietur in diebus
ejus justitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna. 8 Et dominabitur a mari
usque ad mare: & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. 9 Coram illo
procident Æthiopes: & inimici ejus terram lingent. 10 Reges Tharsis, & insulæ
munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent: 11 Et adorabunt eum
omnes reges terræ: omnes gentes servient ei: 12 Quia liberabit pauperem a potente:
& pauperem, cui non erat adjutor. 13 Parcet pauperi, & inopi: & animas
pauperum salvas faciet. 14 Ex usuris, & iniquitate redimet animas eorum: &
honorabile nomen eorum coram illo. 15 Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ,
& adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei. 16 Et erit firmamentum in
terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus: & florebunt
de civitate sicut fœnum terræ. 17 Sit nomen ejus benedictum in sæcula: ante solem
permanet nomen ejus. 18 Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes
gentes magnificabunt eum. 19 Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia
solus. 20 Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: & replebitur
majestate ejus omnis terra: fiat, fiat. 21 Defecerunt laudes David filii Jesse.

℣. 1. DEUS JUDICIUM TUUM REGI DA; & JUSTITIAM TUAM FILIO REGIS.] David in excellenti hoc Cantico, mirum in modum & Principum munera, & quid a Deo expetere debeant, ut digne illis perfungantur, edocet. Primum Regis munus est, populos suos judicare. Ille ipsis justitiam debet, quemadmodum ipsi debent illi obedientiam. *Constitue nobis Regem, ut judicet nos*, dicebant Israelitæ Samueli 1. Reg. 8. 5. & Salomon in oratione sua, quam coram Deo effudit: *Da mihi sapientiam, & intelligentiam, ut ingrediar, & egrediar coram populo tuo; quis enim poterit* A *hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare?* 2. Par. 1. 10.

Hebræus alium in sensum verti potest [6]: *Domine* supremus Judex, Elohim, da *Judicia tua Regi, & justitiam tuam filio Regis*. Concede Salomoni justitiam, sapientiam, & æquitatem tuam; ut quemadmodum sedet super solium tuum, & nomine tuo justitiam exercet, ita repleatur Spiritu tuo, & tuæ dumtaxat adhæreat voluntati. Hic, mea quidem sententia verus est hujus loci sensus: *Sedit Salomon super solium Domini*, ait Scriptura 1. Par. 29. 23. *in regem pro David patre suo*. Et Deus de Salomone loquens, ait 1. Par.

1 3. Reg. 1. 47. *Adoravit Rex in lectulo suo, & locutus est: Benedictus Dominus, Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* 2 Heraclæot. Beda, Muis, Bossuet, Ferrand. du Pin, Grot. Menoch. Cocc. Flamin. 3 Chald. Rabb. Salom. Ezr. Kimchi, Obadias, Midras, Thillim. Vide & Theodoret. hic. 4 Muis hic, ad vers. penult. & ad Psalm. 40. 14.

5. Primus liber absolvitur his verbis, 40. 14. *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, & usque in sæculum: Fiat, fiat.* Secundus his 71. 18. 19. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus: & benedictum nomen Majestatis ejus in æternum: & replebitur majestate ejus omnis terra: Fiat, fiat.* Tertius his 88. 53. *Benedictus Dominus in æternum: Fiat, fiat.* Quartus his verbis Psalmi 105. 48. *Benedictus Dominus Deus Israel, a sæculo, & usque in sæculum; & dicet omnis populus: Fiat, fiat.* Quintus denique, & ultimus per: *Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluja.*

6 אלהים משפטיך למלך תן וצדקתך לבן מלך

Par. 22. 10. *Ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni ejus super Israel in æternum*. Denique cum universus Israel audivisset judicium, quod adolescens hic Princeps de duabus mulieribus protulerat, quæ ultro citroque se se accusabant, eo quod filium suum jugulassent, *timuerunt Regem, videntes, sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium*. 3. Reg. 3. 27.

J. C. Rex Regum, & filius supremi Universorum Domini, a Deo Patre suo accepit judicium, & justitiam. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*. Matth. 27. 18. & pater *omne judicium dedit filio*. Joan. 5. 22. Neque judicabit ille juxta relationem oculorum, & testimonium aurium, ait Isajas 10. 3. 4. sed judicabit pauperes terræ in Justitia, & in æquitate sumet ultionem eorum, qui mites sunt corde.

℣. 2. JUDICARE POPULUM TUUM IN JUSTITIA [1]; & PAUPERES TUOS IN JUDICIO.] David quater usque, vel quinquies repetit in hoc Psalmo ℣. 2. 4. 12. 13. 14. filium suum judicaturum esse pauperes, illos protecturum, illis contumelias illatas ulturum, eosque ab injusta divitum, atque potentum oppressione tutaturum; ut adolescens ille Princeps intelligeret, hoc nequaquam esse, inter postrema Regum officia. *Dei judicium est*; Deut. 1. 7. & Principes, eorum vices gerunt, atque a Domino constituti sunt, ut ipsius locum teneant in Judiciis, quæ exercent: *Non enim hominis exercetis judicium, sed Dei*. 2. Par. 19. 6. Pauperes particulari præsidio tuetur Omnipotens; quapropter David illos hic Domini pauperes vocat: *Pauperes tuos*. Deus qualibet in occasione se illorum patrem, atque patronum profitetur. Populi, parvuli, infirmi peculiari modo spectant ad Deum: *Populum tuum*. Et hoc intuitu Reges illos debent considerare. Habent enim super se Judicem, cui Judiciorum suorum rationem sunt reddituri.

℣. 3. SUSCIPIANT MONTES PACEM POPULO, & COLLES JUSTITIAM.] Montes, & colles in figurato sensu nonnumquam pro Optimatibus viris, atque Principibus usurpantur; *Surge*, ait Dominus Michææ [2], *contende judicio adversus montes, & audiant colles vocem tuam. Audiant montes judicium Domini, & fortis fundamenta terræ*. Hoc loco David Dominum rogat, ut Principibus æquitatem, atque justitiam impertiat; ut illi judicent populos in æquitate, eosque tegant in pace. Vel simpliciori modo: Effunde Domine tantam pacis, & Justitiæ copiam sub recenti hoc regno, ut iisdem & montes, & colles repleantur; justitia, & pax usque ad montium cacumen eleventur, agros quodammodo inundent, & usque ad altissima regionis juga attollantur: quo in sensu etiam in Psalmo 35. ℣. 6. 7. legimus: *Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes. Justitia tua sicut montes Dei; judicia tua abyssus multa*.

Hebræus hoc pacto vertitur [3]: *Montes ferent pacem pro populo, & colles justitiam*. Regio universa profunda pace fruetur; ubicumque in ea accuratissima exercebitur justitia. Pacis, & æquitatis fructus adeo communes erunt, perinde ac eos & montes gignerent, & colles. Hæc figura est huic ferme similis: *Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte*. Joel. 3. 18. Salomon fuit Rex pacificus, quod nomine illius etiam innuitur; & hoc illi promiserat Dominus, illius nativitatem prædicens: *Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus; . . . . & ob hanc causam pacificus vocabitur. Et pacem, & otium dabo Israel cunctis diebus ejus*. 1. Par. 22. 9. Hæ tamen Salomonis dotes earum dumtaxat erant imagines, quæ ratione longe

A sublimiori in J. C. effulgebant: *Ipse enim est pax nostra*; ut ait S. Paulus ad Ephes. 2. 14. *qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens . . . . reconcilians ambos in uno corpore Deo per crucem*. Ipse nobis pacem reliquit [4], sed solidam pacem, & longe aliam ab ea, quam nobis exhibet mundus. Apostoli ejus *annuntiant, & prædicant pacem: annuntians bonum, prædicans salutem, dicentes Sion: Regnabit Deus tuus*. Isai. 52. 7.

Septuaginta Romanæ Editionis [5], & plurima antiqua Psalteria ita legunt; ac dividunt hunc Versiculum: *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam*. ℣. 4. *In sua justitia judicabit pauperes populi*. Sed Complutensis Editio Vulgatæ similis est. S. Augustinus utramque agnoscit lectionem, sed eam præ-

B fert, quam nos quoque sequimur.

℣. 4. JUDICABIT PAUPERES POPULI; . . . & HUMILIABIT CALUMNIATOREM.] Cognoscet causas pauperis, & pupilli, & ultionem exposcet ab opprimentibus illum; tuebitur eum adversus inimicos illius. Exterminabit calumniatorem, tyrannum, illum, qui contumeliis afficit, affligit, opprimit pauperem. Hæc propria est Hebraici textus significatio [6]. Non erit ex improborum Principum numero de quibus scriptum est Isai. 1. 23. *Principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos*.

Haud in postremis J. C. characteribus est ejus justitia: *Judicabit in justitia pauperes, & arguet in æqui-

C tate pro mansuetis terræ*. Isai. 11. 4. Dæmon est calumniator ille [7], quem prostravit, quem contrivit, cujus imperium subvertit. Ille nobis veram libertatem procuravit [8], vinciens fortem armatum, & spolia ejus auferens. Luc. 11. 21.

℣. 5. ET PERMANEBIT CUM SOLE, & ANTE LUNAM &c.] Permanebit ante Solem, & Lunam: vel potius [9] æque ac Sol subsistet, & ipse est ante Lunam. Regnum illius in æternum permanebit; at ipse quoque æternus est, & ante omnia tempora. Hoc probari nequit, nisi de J. C. explicetur, qui a Patre genitus fuit ab æterno, & ante stellarum creationem: *Ante luciferum genui te*. Psal. 119. 3. Ipse verus est Sol justitiæ, qui omnes homines, in mundum venientes illuminat. Psalmista ait, ipsum cum Sole

D permansurum; non quod, ait Theodoretus hic, durationi illius fines circumscribere contendat; sed quod nihil aderat in natura aptius ad æternitatis ejus ideam adstruendam, quam Sol, qui simul unum omnium excellentissimum est, lucidissimum, ac maxime durabile Corporum eorum, quæ nostris sensibus subjacent.

Iisdem ferme locutionibus utitur alibi Scriptura, loquens de regno David, & Salomonis: *Semel juravi in Sancto meo*, ait Dominus, Psal. 88. 37. 38. *si David mentiar: semen ejus in æternum manebit, & thronus ejus sicut Sol in conspectu meo; & sicut luna perfecta in æternum: & testis in cælo fidelis*. Et ibidem loquens de Salomone ℣. 28. 29. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ: in æternum servabo illi*

E *misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi, & ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli*. Novi equidem locutiones has esse hyperbolicas, si de duobus his Regibus intelligantur: sed intererat sapientiæ illius, quæ Prophetarum linguam moderatur, sub hyperbolicis his locutionibus suppeditare nobis argumenta veritatis earum prophetiarum, quæ ad J.C. referuntur. Cæterum sublime poeseos genus

1 Psalter. Roman. & S. Germ. *In sua justitia*. 2 Mich. 6. 1. 2.
3 ישאו הרים שלום לעם וגבעות בצדקה 4 Johan. 14. 27.
5 70. Edit. Rom. Ἀναλαβέτω τὰ ὄρη εἰρήνην τῷ λαῷ σου, καὶ οἱ βουνοί. Ἐν δικαιοσύνῃ κρινεῖ τοὺς πτωχοὺς τοῦ λαοῦ. Ita Æthiop. Psalter. S. German. Apollin. Tertull. lib. 4. contra Marcion. August. notavit utramque lectionem: sed Edit. Complut. legit uti Vulgata. Ἀναλαβέτω τὰ ὄρη εἰρήνην τῷ λαῷ, καὶ οἱ βουνοὶ δικαιοσύνην. Psalter. Roman. & Carnut. *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam*. vers. 4. *In sua justitia judicabit pauperes populi*. Rom. *Hujus populi*. 6 ידכא עשק *Infringet, conteret violentum, eum qui contumelia afficit, qui fraudat*. Septuaginta: Ταπεινώσει συκοφάντην. 7 Johan. 8. 44. 1. Johan. 3. 8. 8 Galat. 5. 1. & 4. 31.
9 70. Καὶ συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ, καὶ προσελήνου.

bus oculis ejus [1]. Tunc gaudio exultans, ob grati animi sensum Deo hoc Canticum cecinit, in quo cum obtestatur, & obsecrat, ut adolescentulum Regem, omnemque populum suis benedictionibus cumulet; mox vero divino afflatus enthusiasmo ad superius objectum ascendit, Messiæ magnitudinem, Regnique illius magnificentiam extollit. Hinc fit, ut in Cantico hoc tot loquendi rationes occurrant, quæ non nisi in figurato, hyperbolicoque sensu Salomoni possunt convenire, quæ ad J. C. si referas, ad litteram, ac pressius sumptæ ad unguem adimplentur. Vide versiculos 5. 11. 12. 17. Eusebius, & Chaldæus hunc psalmum eidem Salomoni tribuunt, tamquam ejusdem Auctori.

Interpretum plerique [2] duplici illum adspectu considerant; tamquam Salomonici regni felicitatem exhibentem; & in sublimiori sensu, tamquam Jesu Christi regnum describentem. Rabbini quoque non inficias eunt [3], psalmum hunc Messiæ convenire, licet ad Jesum Christum referri inficientur. Sed Patres, atque Interpretes perfectam adeo conformitatem deprehendunt inter Jesu Christi characteres, & eos, qui Messiæ hoc in psalmo, ex ipso Judæorum consensu, tribuuntur, ut vel cæcus sit, vel impius, oporteat, qui eos non agnoscat. Patres vulgo id de Jesu Christo dumtaxat intelligunt, cujus Salomon erat imago. Muis [4] non sine verisimilitudine conjicit, postremos duos versiculos huic psalmo fuisse appositos ab illis, qui psalmos collegere. Sunt autem veluti secundi hujus libri Psalterii conclusio [5]; illi satis similis, quæ legitur ad calcem quatuor aliorum librorum. Et equidem singulare esset, conclusiones quinque librorum Psalterii easdem ferme inveniri, fortuito prorsus, ac sine ullo eorumdem collectoris consilio. Hic autem postremus est psalmorum omnium, quos David elucubratus est, quemadmodum ex his verbis, quæ ad calcem leguntur, innotescit: *Defecerunt laudes filii Jesse*, & uti liquet ex circumstantia temporis, quo compositus fuit, diei nempe illius, quo Salomon filius ejus regio chrismate delibutus est. Sanctus enim propheta ad breve temporis spatium superstes fuit huic solemnitati, quæ omnia illius vota cumulavit.

1. DEus, judicium tuum regi da: & justitiam tuam filio regis: 2 Judicare
populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio. 3 Suscipiant
montes pacem populo, & colles justitiam. 4 Judicabit pauperes populi,
& salvos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem. 5 Et permanebit
cum sole, & ante lunam, in generatione, & generationem. 6 Descendet sicut
pluvia in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram. 7 Orietur in diebus
ejus justitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna. 8 Et dominabitur a mari usque ad mare: & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. 9 Coram illo
procident Æthiopes: & inimici ejus terram lingent. 10 Reges Tharsis, & insulæ
munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent: 11 Et adorabunt eum
omnes reges terræ: omnes gentes servient ei: 12 Quia liberabit pauperem a potente: & pauperem, cui non erat adjutor. 13 Parcet pauperi, & inopi: & animas pauperum salvas faciet. 14 Ex usuris, & iniquitate redimet animas eorum: &
honorabile nomen eorum coram illo. 15 Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ,
& adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei. 16 Et erit firmamentum in
terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus: & florebunt
de civitate sicut fœnum terræ. 17 Sit nomen ejus benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen ejus. 18 Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum. 19 Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. 20 Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: & replebitur
majestate ejus omnis terra: fiat, fiat. 21 Defecerunt laudes David filii Jesse.

℣. 1. DEUS JUDICIUM TUUM REGI DA; & JUSTITIAM TUAM FILIO REGIS.] David in excellenti hoc Cantico, mirum in modum & Principum munera, & quid a Deo expetere debeant, ut digne illis perfungantur, edocet. Primum Regis munus est, populos suos judicare. Ille ipsis justitiam debet, quemadmodum ipsi debent illi obedientiam. *Constitue nobis Regem, ut judices nos*, dicebant Israelitæ Samueli 1. Reg. 8. 5. & Salomon in oratione sua, quam coram Deo effudit: *Da mihi sapientiam, & intelligentiam, ut ingrediar, & egrediar coram populo tuo; quis enim poterit* A *hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare?* 2. Par. 1. 10.

Hebræus alium in sensum verti potest [6]: *Domine*; supremus Judex, Elohim, da *Judicia tua Regi, & justitiam tuam filio Regis*. Concede Salomoni justitiam, sapientiam, & æquitatem tuam; ut quemadmodum sedet super solium tuum, & nomine tuo justitiam exercet, ita repleatur Spiritu tuo, & tuæ dumtaxat adhæreat voluntati. Hic, mea quidem sententia verus est hujus loci sensus: *Sedit Salomon super solium Domini*, ait Scriptura 1. Par. 29. 23. in *regem pro David patre suo*. Et Deus de Salomone loquens, ait 1.

1 3. Reg. 1. 47. *Adoravit Rex in lectulo suo, & locutus est: Benedictus Dominus, Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* 2 Heraclæot. Beda, Muis, Bossuet, Ferrand. du Pin, Grot. Menoch. Cocc. Flamin. 3 Chald. Rabb. Salom. Ezr. Kimchi, Obadias, Midras, Thillim. Vide & Theodoret. hic. 4 Muis hic, ad vers. penult. & ad Psalm. 40. 14.

5 Primus liber absolvitur his verbis, 40. 14. *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, & usque in seculum: Fiat, fiat.* Secundus his 71. 18. 19. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus: & benedictum nomen Majestatis ejus in æternum: & replebitur majestate ejus omnis terra: Fiat, fiat.* Tertius his 88. 53. *Benedictus Dominus in æternum: Fiat, fiat.* Quartus his verbis Psalmi 105. 48. *Benedictus Dominus Deus Israel, a seculo, & usque in seculum; & dicet omnis populus: Fiat, fiat.* Quintus denique, & ultimus per: *Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluja.*

6 אלהים משפטיך למלך תן וצדקתך לבן מלך

Par. 22. 10. *Ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni eius super Israel in æternum*. Denique cum universus Israel audivisset judicium, quod adolescens hic Princeps de duabus mulieribus protulerat, quæ ultro citroque se se accusabant, eo quod filium suum jugulassent, *timuerunt Regem, videntes, sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium*. 3. Reg. 3. 27.

J. C. Rex Regum, & filius supremi Universorum Domini, a Deo Patre suo accepit judicium, & justitiam. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*. Matth. 27. 18. & pater *omne iudicium dedit filio*. Joan. 5. 22. Neque judicabit ille juxta relationem oculorum, & testimonium aurium, ait Isajas 10. 3. 4. sed judicabit pauperes terræ in Justitia, & in æquitate sumet ultionem eorum, qui mites sunt corde.

℣. 2. JUDICARE POPULUM TUUM IN JUSTITIA [1]; & PAUPERES TUOS IN JUDICIO.] David quater usque, vel quinquies repetit in hoc Psalmo ℣. 2. 4. 12. 13. 14. filium suum judicaturum esse pauperes, illos protecturum, illis contumelias illatas ulturum, eosque ab injusta divitum, atque potentum oppressione tutaturum; ut adolescens ille Princeps intelligeret, hoc nequaquam esse, inter postrema Regum officia. *Dei iudicium est*, Deut. 1. 7. & Principes, eorum vices gerunt, atque a Domino constituti sunt, ut ipsius locum teneant in Judiciis, quæ exercent: *Non enim hominis exercetis iudicium, sed Dei*. 2. Par. 19. 6. Pauperes particulari præsidio tuetur Omnipotens; quapropter David illos hic Domini pauperes vocat: *Pauperes tuos*. Deus qualibet in occasione se illorum patrem, atque patronum profitetur. Populi, parvuli, infirmi peculiari modo spectant ad Deum: *Populum tuum*. Et hoc intuitu Reges illos debent considerare. Habent enim super se Judicem, cui Judiciorum suorum rationem sunt reddituri.

℣. 3. SUSCIPIANT MONTES PACEM POPULO, & COLLES JUSTITIAM.] Montes, & colles in figurato sensu nonnumquam pro Optimatibus viris, atque Principibus usurpantur; *Surge*, ait Dominus Michææ [2], *contende judicio adversus montes, & audiant colles vocem tuam. Audiant montes judicium Domini, & fortia fundamenta terræ*. Hoc loco David Dominum rogat, ut Principibus æquitatem, atque justitiam impertiat; ut illi judicent populos in æquitate, eosque regant in pace. Vel simpliciori modo: Effunde Domine tantam pacis, & Justitiæ copiam sub recenti hoc regno, ut iisdem & montes, & colles repleantur; justitia, & pax usque ad montium cacumen eleventur, agros quodammodo inundent, & usque ad altissima regionis juga attollantur: quo in sensu etiam in Psalmo 35. ℣. 6. 7. legimus: *Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes. Justitia tua sicut montes Dei; judicia tua abyssus multa*.

Hebræus hoc pacto vertitur [3]: *Montes ferent pacem pro populo, & colles iustitiam*. Regio universa profunda pace fruetur; ubicumque in ea accuratissima exercebitur justitia. Pacis, & æquitatis fructus adeo communes erunt, perinde ac eos & montes gignerent, & colles. Hæc figura est huic ferme similis: *Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte*. Joel. 3. 18. Salomon fuit Rex pacificus, quod nomine illius etiam innuitur; & hoc illi promiserat Dominus, illius nativitatem prædicens: *Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus; . . . . & ob hanc causam pacificus vocabitur. Et pacem, & otium dabo Israel cunctis diebus eius*. 1. Par. 22. 9. Hæ tamen Salomonis dotes earum dumtaxat erant imagines, quæ ratione longe sublimiori in J. C. effulgebant: *Ipse enim est pax nostra*, ut ait S. Paulus ad Ephes. 2. 14. *qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens . . . . reconcilians ambos in uno corpore Deo per crucem*. Ipse nobis pacem reliquit [4], sed solidam pacem, & longe aliam ab ea, quam nobis exhibet mundus. Apostoli ejus *annuntiant, & prædicant pacem: annuntiant bonum, prædicant salutem, dicentes Sion: Regnabit Deus tuus*. Isai. 52. 7.

Septuaginta Romanæ Editionis [5], & plurima antiqua Psalteria ita legunt; ac dividunt hunc Versiculum: *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam*. ℣. 4. *In sua iustitia iudicabit pauperes populi*. Sed Complutensis Editio Vulgatæ similis est. S. Augustinus utramque agnoscit lectionem, sed eam præfert, quam nos quoque sequimur.

℣. 4. JUDICABIT PAUPERES POPULI; . . . & HUMILIABIT CALUMNIATOREM.] Cognoscet causas pauperis, & pupilli, & ultionem exposcet ab opprimentibus illum; tuebitur eum adversus inimicos illius. Exterminabit calumniatorem, tyrannum, illum, qui contumeliis afficit, affligit, opprimit pauperem. Hæc propria est Hebraici textus significatio [6]. Non erit ex improborum Principum numero de quibus scriptum est Isai. 1. 23. *Principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos*.

Haud in postremis J. C. characteribus est ejus justitia: *Judicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ*. Isai. 11. 4. Dæmon est calumniator ille [7], quem prostravit, quem contrivit, cujus imperium subvertit. Ille nobis veram libertatem procuravit [8], vinciens fortem armatum, & spolia ejus auferens. Luc. 11. 21.

℣. 5. ET PERMANEBIT CUM SOLE, & ANTE LUNAM &c.] Permanebit ante Solem, & Lunam: vel potius [9] æque ac Sol subsistet, & ipse est ante Lunam. Regnum illius in æternum permanebit; at ipse quoque æternus est, & ante omnia tempora. Hoc probari nequit, nisi de J. C. explicetur, qui a Patre genitus fuit ab æterno, & ante stellarum creationem: *Ante luciferum genui te*. Psal. 119. 3. Ipse verus est Sol justitiæ, qui omnes homines, in mundum venientes illuminat. Psalmista ait, ipsum cum Sole permansurum; non quod, ait Theodoretus hic, durationi illius fines circumscribere contendat; sed quod nihil aderat in natura aptius ad æternitatis ejus ideam adstruendam, quam Sol, qui simul unum omnium excellentissimum est, lucidissimum, ac maxime durabile Corporum eorum, quæ nostris sensibus subjacent.

Iisdem ferme locutionibus utitur alibi Scriptura, loquens de regno David, & Salomonis: *Semel juravi in Sancto meo*, ait Dominus, Psal. 88. 37. 38. *si David mentiar: semen ejus in æternum manebit, & thronus ejus sicut Sol in conspectu meo; & sicut luna perfecta in æternum: & testis in cælo fidelis*. Et ibidem loquens de Salomone ℣. 28. 29. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ: in æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi, & ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum eius sicut dies cæli*. Novi equidem locutiones has esse hyperbolicas, si de duobus his Regibus intelligantur: sed intererat sapientiæ illius, quæ Prophetarum linguam moderatur, sub hyperbolicis his locutionibus suppeditare nobis argumenta veritatis earum prophetiarum, quæ ad J.C. referuntur. Cæterum sublime poeseos genus

1 Psalter. Roman. & S. Germ. *In sua justitia*. 2 Mich. 6. 1. 2.
3 ישאו הרים שלום לעם וגבעות בצדקה 4 Johan. 14. 27.
5 70. Edit. Rom. Ἀναλαβέτω τὰ ὄρη εἰρήνην τῷ λαῷ σου, καὶ οἱ βουνοί. Ἐν δικαιοσύνῃ κρινεῖ τοὺς πτωχοὺς τοῦ λαοῦ. Ita Æthiop. Psalter. S. German. Apollin. Tertull. lib. 4. contra Marcion. August. notavit utramque lectionem; sed Edit. Complut. legit uti Vulgata. Ἀναλαβέτω τὰ ὄρη εἰρήνην τῷ λαῷ, καὶ οἱ βουνοὶ δικαιοσύνην. Psalter. Roman. & Carnut. *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam*. vers. 4. *In sua justitia judicabit pauperes populi*. Rom. *Hujus populi*. 6 ידכא עשק *Infringet, conteret violentum, eum qui contumelia afficit, qui fraudat*. Septuaginta: Ταπεινώσει συκοφάντην. 7 Johan. 8. 44. 1. Johan. 3. 8. 8 Galat. 5. 1. & 4. 31.
9 70. Καὶ συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ, καὶ προσελήνης.

nus hos loquendi modos in delitiis habet. Sermo simplicior friget, & languet. Neque Aratum Numen esse affirmavit Ovidius, cum ait: A

Cum Sole, & luna semper Aratus erit.

Hebræus habet [1]: *te verebuntur cum sole, & coram luna de progenie in progeniem*; populi te verebuntur, & colent, donec sol, ac luna subsistent, videlicet donec mundus permanebit. S. Hieronymus vertit: *Et timebunt te, quandiu erit sol, & ultra luna in generatione generationum*. Chaldæus: *Timebunt te ab ortu Solis, & ad Lunæ fulgorem rogabunt te*, hoc est, tibi noctu servient, atque interdiu.

℣. 6. DESCENDET SICUT PLUVIA IN VELLUS, & SICUT STILLICIDIA STILLANTIA SUPER TERRAM.] Patres [2] hoc de Verbi Incarnatione interpretantur. In uterum S. Virginis descendet tamquam ros, qui decidit in terram, leniter, sine strepitu, & clam adeo, ut neque ipse S. Joseph S. Virginis conjux id intellexerit. *Veniet*, inquit Oseas 6. 3. *quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ*. Mysterium hoc jampridem præfiguratum fuerat per rorem dilapsum in vellus, quod Gedeon in area sua exposuerat [3]; ad quod isthic videtur David alludere. Patres per hoc vellus vulgo Judæorum nationem intelligunt, quæ in Evangelio designatur nomine *ovis errantis de domo Israel*. Pro illis enim primum, mox vero pro hominibus omnibus venit, qui isthic terræ nomine designantur. *Stillicidia stillantia super terram*. B

Hebræus [4]: *Descendet sicut pluvia super herbam recisam, & sicut aqua guttatim in terram dilabens*. Chaldæus: *Velut copiosa pluvia, quæ decidit super herbas a locustis depastas, & tamquam gutta autumnalis pluviæ, quæ irrigat terram*. Hoc de Salomone explicando simul connecti possunt sextus, septimusque versiculus, & desumi ex versiculo septimo nominativum verbi *descendet*. *Justitia descendet tamquam pluvia super herbam, & sicut guttæ aquæ super terram. Pax ibi germinabit, & æque ac luna* persistet. Vel simplicius. Princeps hic erit populo suo idem, quod arenti terræ, sectisque pratis lenis imber, & ros abundans; qui herbas effætas rursus germinare, ac producere faciunt, tellurem humectant, eique ubertatem impertiunt. Ita Principe hoc regnum obtinente justitia, & pax florebunt, semperque suos fructus proferent. Alii supplent *verbum*, hoc pacto: *Verbum illius fluet, quemadmodum decidit imber in arentem terram, & super herbas succo carentes*. Verbum sæpius in Scripturis pluviæ comparatur [5]: Quænam fuerit eloquentia, & Sapientia Salomonis, satis liquet. *Veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab universis Regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus*. 3. Reg. 4. 34. Posttema hæc explicatio mihi arridet præ cæteris. C D

℣. 7. ORIETUR IN DIEBUS EJUS JUSTITIA, & ABUNDANTIA PACIS, DONEC AUFERATUR LUNA [6].] Regnum Salomonis, pacis fuit, atque Justitiæ. Sub regno illius, ait Scriptura 3. Reg. 4. 25. *habitabat Juda, & Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua a Dan usque Bersabee cunctis diebus Salomonis*. Tunc dedit Deus perfectam populo suo pacem [7], eumque super inimicos suos elevavit. E

Sed hæc tranquillitas, hoc regnum felix, & florens leve tantum erat specimen pacis J. C. Statim ac divinus hic Salvator in lucem prodiit, terra universa profunda pace lætabatur, & cum Augustus omnes Romani imperii Provincias in pacem redegisset, jam Templum Jani clauserat. Angeli, qui J. C. nativitatem annuntiaverunt, gloriam Deo omnipotenti, & hominibus pacem prædicavere [8]. Sub regno illius *justitia, & pax osculatæ sunt* Psal. 74. 11. Populi, quemadmodum Isajas 2. 4. prædixerat, ex gladiis suis vomeres, & ex lanceis alia ad terram exercendam instrumenta conflarunt. Hic princeps pacis imperium suum exercuit, non in unam Provinciam, vel Regnum unum dumtaxat; sed in omnem terram [9]. Non præstitit aliquorum annorum inducias, non incertam pacem, ac brevi duraturam, sed pacem æternam, & nullum finem habituram: *Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis*.

Hebræus ad litteram [10]: *Justus germinabit in tempore suo, & multitudo pacis usque dum luna non subsistet amplius*: Justi multiplicabuntur, & populi profunda pace fruentur. Sub tanto Principe, adeo Justo, ac Religioso, Justorum, piorumque virorum numerus augebitur. Justitia, & Religio fulcro indigent, ut inter homines consistant. Chaldæus: *Justi magno erunt in numero sub Regno illius: profunda pax ibi dominabitur, usque dum, qui Lunam venerantur, dispereant*. Omnes ferme Orientis populi Lunam adorabant sub nominibus Isidis, Asthartis, Alilat.

℣. 8. ET DOMINABITUR A MARI USQUE AD MARE; & A FLUMINE USQUE AD TERMINOS ORBIS TERRARUM.] Salomonis imperium tam late patuit, quantum Patriarchis Deus pollicitus fuerat; hoc est ab Euphrate in Orientali plaga usque ad mediterraneum in occidentali; & ab eodem Euphrate usque ad terminos Terræ promissæ in ora boreali, & meridionali. Terminabatur vero ad boream Syria; & ad meridiem Arabia, atque Ægypto. Confer hic dicta cum iis, quæ Deus Patriarchis, atque ipsi populo sub Moyse spopondit [11], & cum iis, quæ de Salomonici imperii extensione dicuntur in 2. Paralip. 9. 26. & in Psalmis 39. 12. & 88. 25. Exempli gratia: *Exercuit etiam potestatem super cunctos Reges a flumine Euphrate usque ad terram Philisthinorum, & usque ad terminos Ægypti*; & in Psalmis, *& ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus*. Et in 3. Regum libro 4. 24. *Ipse obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen a Thapsa usque ad Gazam, & cunctos Reges regionum illarum*. S. Hieronymus [12], ac post illum Interpretes confitentur hæc verba *orbis terrarum* nequaquam semper esse pressius intelligenda, ac sæpius nihil aliud innuere, quam regionem illam, de qua sermo est, ubi hæ voces occurrunt.

J. C. Imperium, prædicatio Evangelii ipsius, cognitio nominis ejus quocumque pervasit. Ubique adsunt veri adoratores in Spiritu, & veritate. Ecclesia ejus quocumque extenditur. Et licet hostes obsistant, & mundi corruptio adversetur, servat, servabitque titulos Universalis, vel Catholicæ. Dominus dixit filio suo ab initio: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam, terminos terræ*. Psal. 2. 7. 8. Patres per fluvium illum, de quo hic loquitur textus, unanimi consensu Jordanem intelligunt, ubi J. C. baptizatus fuit, & suam missionem incœpit.

℣. 9. CORAM ILLO PROCIDENT ÆTHIOPES, & INIMICI EJUS TERRAM LINGENT;] vel pulverem mor-

---

1 ייראוך עם שמש ולפני ירח דור דורים Sym. Φοβηθήσονταί σε ἕως ὁ ἥλιος, καὶ ἔμπροσθεν τῆς σελήνης.

2 Euseb. Theodoret. Athanas. Euthym. Hieronym. hic. Chrysost. in Psal. 50. alii.

3 Judic. 6 37. 38. 4 ירד כמטר על גז כרביבים זרזיף ארץ

5 Deut. 32. 2. *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina*. Job. 29. 23. *Expectabant me sicut pluviam; & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum*. Eccli. 39. 9. *Ipse* (sapiens) *tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ*.

6 August. Psalter. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut. Origen. homil. in Judic. *Donec extollatur luna*. 70. Ἕως οὗ ἀνταναιρεθῇ ἡ σελήνη. 7 1. Par. 33. 25. 8 Luc. 2. 14. 9 Isai. 2. 4.

10 Isai. 9. 6. 7. Vide pariter Zachar. 9. 9. 10. 11 יפרח בימיו צדיק ורב שלום עד בלי ירח Aquil. Βλαστήσει ἐν ἡμέραις αὐτοῦ δίκαιος, καὶ πλῆθος εἰρήνης. Sym. Ἀνθήσει ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ δίκαιος . . . . ἕως παλαιώσεως τῆς σελήνης. 12 Genes. 15. 18. Num. 34. 3. 4. & seq. Deut. 11. 24. Exod. 23. 31.

13 Hieronym. in Isai. 13. 4. 5. *Idioma est enim Sacræ Scripturæ, ut omnem terram illius significet Provinciæ nomine, de qua sermo est*.

mordebunt, venient repentes, atque prostrati coram te [1]. Populi, qui in Septuaginta, ac in Vulgata Æthiopes dicuntur, Hebraice *Ziim* appellantur [2]: Ziim prostrabunt se coram illo; & inimici ejus terram lingent. Sed diversos conferentibus locos, ubi nomen hoc invenitur, significare videtur populos secus aquas, in insulis commorantes; nautas, homines qui negotium mari, atque per navigationem exercent. Hujus rei argumenta fusius attulimus in Isajam 13. 21. David igitur hoc in loco innuere vult futurum, ut Salomon suum exerceat imperium non solum in principes Continentis, & in finitima Palestinæ, verum etiam in eos, cujus vita navigationibus, vel negotiis in mari, ac fluviis impenditur. Tales erant Philisthiim, qui littora Palestinæ incolebant, & populi, qui in ora Elanitici sinus, atque in orientalibus rubri maris ripis, & in Mediterranei littoribus ultra Tyrum, & Sidonem usque ad Orontis ostia habitabant, uti etiam qui super oras Persici sinus morabantur, atque per Euphratem merces suas deferebant. Cum autem hæ omnes regiones parerent, atque tributum solverent Salomoni, negotiatores quoque seu in mari, seu in fluminibus, quæ naves pati possent, illi obtemperabant. Scriptura alibi loquitur de classibus, quas ille in Hasiongaber instruebat, & quę trium annorum intervallo iter Ophir absolvebant [3].

In spirituali sensu maritimi populi, & qui continentem inhabitant, & qui in insulis commorantur J. C. subjecti sunt. Inimici ejus, Ethnici, Judæi, Dæmones repunt, & flectunt genua coram ipso; qui Ecclesiam illius persecuti sunt, experti quoque sunt robur brachii illius, victi, superatique sunt, & coram ipso pulverem mordere coacti. Persæ non nisi prostrati, atque terram deosculantes accedebant ad Regem [4]. Moscovitæ, Japponenses, & Sinenses hoc ipsum ad hanc diem facere consueverunt. Inimici J. C. terram coram ipso osculantur. Ethnici populi, qui præ cæteris maxime Religioni illius adversabantur, propter errores, quibus decepti fuerant, omnium maxime dociles fuerunt, & præ aliis maxime audientes verbo illius, cum placuit illi, eorum cor, & oculos aperire, ut veritatem viderent. Æthiopes antiquitus [5] habebantur veluti extremi terrarum populi ad utramque extremitatem ad ortum, & occasum sepositi. Nullus præter hunc populus aptior erat ad mirabilem Christianæ Ecclesiæ extensionem innuendam.

℣. 10. Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent.] Ex historia non liquet, Salomonem dominatum fuisse Ciliciæ, cujus caput erat Tharsus, neque Mediterranei maris imperium obtinuisse; immo tempore illius Phœnices Ciliciam possedisse videntur. Hyperbolice autem dictum censeri potest, quod ad Tharsum, atque insulas spectat: Cæterum enim Libri Regum, & Paralipomenon satis probant ipsum *accepisse munera*, hoc est vectigalia [6] Provinciarum Arabiæ [7]; & Regina Saba [8] ad id muneribus referta Jerusalem venit, ut Salomonem videret, & Sapientiæ illius testis esset. Scriptura ait explicite [9], Salomonis classem quolibet triennio in Tharsis proficisci, ac inde plurimas referre opes consuevisse. Scio quidem locum hunc quasdam pati difficultates, quas alibi ad examen vocavimus [10]; verum saltem dubitari nequit, quin ille,

A qui in Ophir naves dimittebat, non mitteret quoque in Tharsis, quæ civitas longe magis erat Judææ proxima.

Insularum nomine Interpretes docent intelligendam esse omnem regionem maritimam, & eam, ad quam ex Palæstina nonnisi mari iter patet. Verum quidem est, Asiam minorem [11], & insulas, quæ non longe ab illius littore absunt, insularum nomine in Scripturis designari; quo etiam nomine Macedonia, vel *Cethim* [12], & Peloponnesus, Hebraice *Elisa* [13], appellatur. Sed vulgatior vocis hujus usus idem significat, ac insulæ nomen apud nos, & eo in loco, quem explicamus, illud intelligimus simpliciter de Mediterranei, & rubri maris, immo & Oceani insulis, ad quas negotiationis ergo Salomonis classis appellebat.

B Pro *Regibus Arabum, & Saba*, Textus habet [14], *Reges Scheba*, & *Seba*. Prior est vel filius Jectan, cujus meminit Genesis 10. 28. vel filius *Rhegma*, Genes. 10. 8. vel unus ex filiis Jecsan, Genes. 25. 3. Alter vero *Seba* est filius Chus, Genes. 10. neque verearis in nomine illius æquivocum latere, ipse enim unus ita vocatur. Plerique populorum hujus nominis Saba, in Arabia, vel in Mesopotamia incolebant. Sub nominibus Regum Arabiæ, & Saba Patres intelligunt Gentes, quæ Christianæ Religioni nomen dederunt. Eusebius nomine *Regum* intelligi posse arbitratur Angelos tutelares, qui Provinciis præsident, & qui adducent populos, quorum cura illis demandata fuit, ad J. C. tribunal in altero ejus adventu.

℣. 11. Et adorabunt eum omnes Reges terræ [15]; omnes Gentes servient ei.] Pressius lo-
C quendo, hoc J. C. tantummodo convenit [16], qui *habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium*; cui omnis potestas data est in cœlo, & in terra Matth. 28. 18. & coram quo omne genu flecti debet, Cœlestium, terrestrium, & inferorum ad Philip. 2. 10. At in sensu historico dici potest, omnes regionis illius Principes, & gentes omnes Judææ finitimas Salomoni omne submissionis obsequium detulisse, atque veluti subditos ad illius imperium vectigalia solvisse. Hic Princeps *magnificatus est super omnes Reges terræ, divitiis, & sapientia. Et universa terra, desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus, & singuli deferebant ei munera vasa argentea, atque aurea, ve-*
D *stes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos per annos singulos*. 3. Reg. 10. 23. 24. 25. Adnotavimus jam, nec semel, munerum nomine tributa esse intelligenda. Ostendimus in ℣. 8. quam late pateret illius imperium.

℣. 12. Liberabit pauperem a potente; & pauperem cui non erat adjutor.] David perfecte noverat, quanam in re vera Regum gloria consisteret, & quænam esset via, insignem sibi apud Gentes famam comparandi. Hæc autem est, debilibus opem ferre, egenis opitulari, pauperes tueri. Præclaras hasce dotes Salomonis pluribus in locis hujus Psalmi commendat, ut earum amorem & filio, & aliis Regibus instillet. Non alia ratione magis fieri possunt existimatione, & amore populi digni: neque alia quapiam re
E magis similes fiunt Patri Cœlesti, quam pro pauperibus amorem hunc, solicitudinem, curamque erogando. J. C. amavit paupertatem in aliis, eam etiam in semetipso amavit; in paupertate vixit; & primam bea-

1 Vide Isai. 49. 23. 60. 14. Mich. 7. 17. 2 לפניו יכרעו ציים ואיביו עפר ילחכו Aquil. Ἐις πρόσωπον αὐτοῦ κάμψουσι. Αἰθίοπες. Sym. Ἔμπροσθεν αὐτοῦ κλιθήσονται Αἰθίοπες. 3 3. Reg. 10. 11. & 2. Paralip. 8. 18. 9. 10. 4 Quint. Curt. lib. 8. & lib. 5. *Procumbentes humi, quem paulo post in vinculis habituri erant, sustinuere venerari.* Valer. Maxim. lib. 7. cap. 3. *Continuo equis delapsi (ut est mos Persarum) humi prostratis corporibus, Darium Regem salutaverunt.* 5 Vide Euseb. & August. & Athanas. hic.

6 Vide Judic. 3. 15. & 1. Reg. 10. 27. & 3. Reg. 10. 25. & 2. Par. 18. 22.

7 3. Reg. 10. 15. 2. Par. 9. 14. 8 3. Reg. 10. 1. 2. & seq. 9 3. Reg. 10. 22. *Classis Regis per mare, cum classe Hiram, semel per tres annos ibat in Tharsis.* 10 Vide nostram Dissertationem de regione Ophir in tomo Geneseos. 11 Genes. 10. 5. Isai. 66. 19. Dan. 11. 18.

12 Jerem. 11. 10. Ezech. 27. 6. 13 Ezech. 27. 7. 14 מלכי שבא וסבא אשכר יקריבו Euseb. Ὁ Ἀκύλας, καὶ ὁ Σύμμαχος, ἀντὶ Ἑβραϊκῆ γραφῆ συντόμως τούτους βασιλεῖς Σαβὰ καὶ Σαβὰ εἰρήκασι.

15 Hebræus, Chaldæus, Syrus, Septuaginta Romanæ editionis, Psalteria Gallic. & alia vetera veluti Reg. 222. Colbert. 1. non legunt vocem hanc, *terræ*. 16 Apocalyp. 19. 16.

beatitudinum discipulorum suorum spiritus paupertatem fecit. *Liberavit pauperem a potente*; hoc est, juxta Sanctorum Patrum sententiam [1], naturam humanam de manu Dæmonis liberavit. Hebræus verti potest [2]: *liberabit pauperem de clamore, & afflictum, qui caret auxilio*. Eruet pauperem de iis malis, quibus exeruciatus doloris ejulatus emittit; eumque extremis vexatum calamitatibus salvabit. Sed S. Hieronymus, & plurimi notæ melioris Interpretes a Vulgata non recedunt.

℣. 13. PARCET PAUPERI, & INOPI [3].] Miserebitur pauperis; leniter, & clementer illum excipiet. Veluti pater potius, quam Rex, reget illum. Prohibet quidem in lege sua Deus, ne injustam erga pauperem foveas indulgentiam [4]: sed tamen æque prohibet summam erga debiles severitatem, atque sævitiam. B

℣. 14. EX USURIS, & INIQUITATE REDIMET ANIMAS EORUM: & HONORABILE NOMEN EORUM CORAM ILLO [5].] Eos liberabit de fœneratorum impotentia, atque afflictione impiorum. Ipso regnante usura, & avaritia gravissimis coercebuntur suppliciis. Vel: Populi tanta justitia, atque suavitate regentur, ut nullus futurus sit activo, aut passivo fœnori locus. Pauperes non adigentur amplius necessitate sua, ut fœnerentur, neque divites injustas has, illicitasque se se locupletandi rationes inquirent. Salomon servabit pauperes veluti amicos suos. Nomen eorum pretiosum erit coram ipso; non patietur, ipsos exterminari, nomen eorum de terra perire; familiam vero, & progeniem extingui violentia improborum. C

Hebræus [6]: *Liberabit animam eorum de fraude, & sanguis illorum pretiosus erit in oculis ejus*. Non permittet, ipsos labi in laqueos inimicorum suorum, atque eorum nequitia superari. Sanguis eorum, vita, incolumitas accepta est in oculis ejus. Ultionem exposcet de inimicis eorum, & illos humiliabit. S. Paulus in simili sententia ait Act. 20. 24. *Non facio animam meam pretiosiorem quam me*; & Psalmista inquit Psal. 115. 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*. Et Saul gratias agit Davidi, quod ipsum non occidisset; atque animam illius magno habuisset in pretio: *Eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie*, 1. Reg. 26. 21.

℣. 15. ET VIVET, & DABITUR EI DE AURO ARABIÆ, & ADORABUNT DE IPSO SEMPER [7].] Si *adorandi* verbum pro simplici exteriori actu, atque capitis, vel totius corporis flexione coram Rege, vel viro aliquo summæ dignitatis accipitur, quemadmodum passim in Scriptura usurpatur; nulla erit difficultas, si hoc de Salomone explicare velimus. Populi subditi illius, & alieni etiam eum illi honorem adhibebant, qui de more Regibus omnibus exhibebatur. Verum si de J. C. explices, Textus verba pressius sunt accipienda. Populi omnes, qui illum agnoscunt, latriæ adorationem illi præbent, eumque cultum supremum ei deferunt, qui Deo uni debetur. Omnibus sæculis vivit, & quidquid vitam habet, illam ipsi uni acceptam referre debet. Non Arabiæ aurum dumtaxat illi offertur, sed omnes mundi opes, atque divitiæ sunt in manu illius, easque, cuicumque libet, ipse distribuit. E Per ipsum ad Patrem Cœlestem preces nostras, atque

A adorationes extollimus [8]: *Quoniam per ipsum habemus accessum in uno spiritu ad Patrem*. Patres [9] hoc referunt ad Magorum adorationem. J.C. licet summo nisu Herodes eum persecuturus sit, & ad necem quæsiturus, vivet tamen, & a Magis aurum Arabiæ, & adorationes excipiet.

Hebræus [10] plures potest sensus admittere: *Vivet, & dabit ei de auro Saba, & jugiter orabit pro ipso, tota die benedicet ei*. Pauper vivet, & dabit Regi suo aurum de Saba, indesinenter pro illius incolumitate vota nuncupabit, eique benedicet. Hæc est descriptio felicis, pii, & contenti populi. Sine metu vivit, & sine ambitione; Regi suo imperatam solvit pecuniam, juges Deo preces effundit, & vota nuncupat pro Regis salute, eumque benedictionibus, ac laudibus cumulat. Vel de Salomone explicando: *Rex hic diu vivet*, plurimorum annorum decursu erit gaudium, & felicitas populorum suorum: *Propter peccata terræ, multi Principes ejus, & propter sapientiam . . . . vita Ducis longior erit* Prov. 28. 12. Persolvetur illi *pro tributo aurum Arabiæ*. Regio hæc olim divitiis suis erat celeberrima [11]; & Salomoni omnes Reges Saba munera deferebant [12]. Populi subditi illius pro ipso vota facient, ac *juges preces* effundent; *eumque* laudibus, & *benedictionibus cumulabunt*.

℣. 16. ET ERIT FIRMAMENTUM IN TERRA, IN SUMMIS MONTIUM; SUPER EXTOLLETUR SUPER LIBANUM FRUCTUS EJUS, & FLOREBUNT &c.] Nonnulli [13] putant, Latinum Textum haud mendo vacare, atque pro *firmamentum*, legendum esse *frumentum*. Alii putant [14] errorem hunc ex Græco fonte profectum, ubi positum fuerit *sterigma*, fulcrum, pro *dragma* pugillum. Sed hæ conjecturæ nulli satis solido argumento innituntur. Septuaginta Hebraicam vocem intellexere [15], perinde ac significaret vim panis, vel frumenti juxta familiarem loquendi rationem in Scripturis, ubi frumentum dicitur robur, firmamentum, vel baculus hominis: *Conteram baculum panis* [16], ajunt Prophetæ; & Psalmista loquens de annonæ charitate, quæ sub Joseph desæviit, hoc ait: *Omne firmamentum panis contrivit* Dominus, Psalm. 104. 16. Chaldæus sensum eumdem secutus est, & eruditi quidam Interpretes [17] Hebraicam vocem reddunt *abundantiam*, multiplicationem *frumenti*, ac vilem annonam: quod non abest ab interpretatione Septuaginta, & Vulgatæ, D optimumque hoc in loco sensum aperit.

Sed Rabbini, ac Recentiores Interpretes, qui plerumque illis adhærent, ita vertunt: *Videbitur pugillus tritici in terram projectus in vertice montium fructum afferre, & assurgere tamquam cedrus Libani: & homines exibunt de civitate*, vel de civitatibus, *quemadmodum herba de terra*. Aliter: In parvulo terræ spatio, quod manus volam, vel humani pedis plantam non excedat, si triticum satum fuerit, producet fructum, qui altitudinem cedrorum Libani exæquabit, & homines adeo frequentes erunt in civitatibus, ac herbæ in agris. Hæ omnes hyperbolycæ locutiones miram portendunt fertilitatem, magnumque subditorum numerum, Salomone feliciter imperante futurum: *In multitudine populi dignitas Regis*, ait Sapiens Prov. 14. E 28. & Scriptura de Regno Salomonis loquens 3. Reg. 4. 20. testatur, *Juda, & Israel innumerabiles fuisse, sicut*

---

1 Theodoret. August. Hieronym. 2 יציל אביון משוע ועני ואין עזר לו 70. Ἐρρύσατο, *Liberavit*. Ita Atanas. Euseb. August. Symmach. Ἐξελεῖται πένητα οἰμώζοντα *Liberabit pauperes qui clamabunt*.

3 יחס על דל ואביון 4 Exod. 23. 3. *Pauperis non misereberis in judicio*.

5 Psalter. Mediol. *Præclarum nomen ejus*. S. August. *Honorabile nomen ejus coram ipso*. Alii apud eum legunt, ut vulg. 6 מתוך ומחמס יגאל נפשם ויקר דמם בעיניו Symmach. Καὶ τίμιον ἔσται τὸ αἷμα αὐτῶν ἐνώπιον αὐτοῦ. Aquil. Καὶ τιμηθήσεται τὸ αἷμα αὐτῶν ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ.

7 August. Psalter. Rom. & Carnut. *Orabunt de ipso semper*. Psalter. Mediolan. & S. German. *Orabunt pro ipso semper*. Ita 70. Προσεύξονται περὶ αὐτοῦ διαπαντός.

8 Ephes. 2. 18. Vide & Rom. 5. 1. 2. 9 Euseb. Athanas.

10 ויחי ויתן לו מזהב שבא ויתפלל בעדו תמיד כל היום יברכנהו 11 2. Reg. 3. 15. & 2. Par. 9. 24. Ezech. 27. 22. Plin. lib. 6. cap. 28. 12 Sup. vers. 10. & 3. Reg. 10. 15.

13 Vid. Lyr. & Muis. 14 Grot. Hammond.

15 יהי פסת בר בארץ בראש הרים ירעש כלבנון פריו ויציצו מעיר כעשב הארץ

16 Isai. 3. 1. Ezech. 4. 9. 14. 13. 17 Fœlix ex Rab. Salom. derivat פסת, ex Chald. פסיון *extensio, diffusio*; Geier. ex פוש *abundare*. Jerem. 1. 12. Abacuc. 1. 8. Job. 35. 35. *Erit abundantia frumenti*.

cut arenam maris in multitudine: comedentes, & bibentes, atque lætantes. Carnales, ac rudes Judæi ad litteram hoc in loco Prophetæ explicant verba, & promissiones has etiam adaugent. Credunt enim futurum, ut Messiæ tempore frumentum ad eam altitudinem assurgat, quæ Libani cedros exæquet, cumque flabit aura, aristæ se mutuo concutientes grana sua conterent, quæ magnos efficient pollinis acervos, quibus Judæi saturabuntur.

Verum si hæc omnia hyperbolica sunt de Salomonis regno explicata, & in Rabbinorum sensu chimerica, quoniam nequicquam Messiæ præstolantur adventum, justissima sunt, atque verissima in sensu, quem illis Patres attribuunt, ea de soliditate Ecclesiæ explicantes, quæ fundata est supra firmam petram, nempe J. C. [1], & de fructuum ejus excellentia, & de innumerabili fidelium numero, eam componentium. Fructus ejus sunt pietatis, & Religionis actus, qui ibi exercentur, præcepta, quæ ibi traduntur, Doctrina, quæ ibi docetur, Sacramenta, quæ ministrantur.

℣. 17. SIT NOMEN EJUS BENEDICTUM IN SÆCULA. ANTE SOLEM PERMANET NOMEN EJUS.] J. C. nomen benedictum est in omnia sæcula, eritque in omnem æternitatem. Nomen ejus æternum est. Ipse genitus est in sinu Patris ante solem, & ante omnia sydera [2]. Memoria ejus nulla umquam oblivione delebitur. Nationes omnes laudabunt eum, & glorificabunt eum, & in tempore, & in æternitate. Hoc ipsum de Salomone dici nequit. Commendatur quidem ejus sapientia, prudentia, & pietas annorum priorum, verum vituperatur, & merito lapsus illius, atque flagitia. Nullus umquam Princeps celebri adeo nominis laude, ac virtutum existimatione floruit, si ullum sub uno adspectu intueamur, at nullus etiam sub altero adspectu æque iniqua nominis fama in Historia laboravit. Numquam reminiscimur Salomonis, tamquam sapientis, prudentis, opulenti, potentisque Regis, quin eodem tempore mentio recurrat nefariorum scelerum ipsius, & lapsus ferme incredibilis.

Hebræus habet [3]: *Nomen ejus in æternum subsistet; Fama illius augebitur coram Sole*. Nomen Salomonis vigebit, quoad mundus subsistiterit; neque memoria illius de hominum mente delebitur, donec Sol terras suo lumine illustrabit. Vox *benedictum* non legitur in Hebræo textu, neque apud aliquem Interpretem extat; immo Theodoretus neque in Hexaplis Origenis adfuisse testatur. Romana Psalteria, & illud S. Germani legunt: *Ante solem permanet nomen ejus, & ante lunam sedes ejus*; & Mediolanense: *Et ante lunam in sæcula sæculorum sedes ejus*.

℣. 18. BENEDICENTUR IN IPSO OMNES TRIBUS TERRÆ: OMNES GENTES MAGNIFICABUNT EUM.] Omnes terrarum populi benedictionem Dei accipiunt per J. C. Salvatorem nostrum, quemadmodum Dominus promiserat Abrahæ Genes. 22. 18. & docuit S. Paulus in Epistola ad Galatas 3. 8. 16. Promisit Deus Patriarchæ, futurum ut omnes Gentes terræ in generatione illius benedicerentur; non ait autem in generationibus, aut in filiis, sed in generatione, in filio ejus, qui erat J. C. Per hunc enim liberati sumus de servitute dæmonis, & peccati. Ipse illuminat nos, ac nobis vitam reddit. Per ipsum adoptionis gratiam accepimus, & spem felici æternitate, ac Patris cœlestis promissionibus fruendi.

Salomon haberi potest tamquam felicissimus omnium
A Regum mundi, & ille, cui majora contulerit Dominus privilegia præ iis omnibus, quos noverimus. Deus illum benedictionibus, atque cœlestibus favoribus ante ipsam nativitatem prævenit [4]; & illi tot contulit gratias, quas nemini ante contulerat. In hoc sensu affirmari potest futurum, ut *omnes terræ Gentes in ipso benedicantur*; scilicet ipsum habitum iri velut exemplar benedictionum, & populos, ut omnium felicitatum cumulum Regi cuipiam exoptent, hac usuros dicendi ratione. Sis æque felix, æque sapiens, æque a Deo donis cumulatus, ac Salomon. Hebræus ita verti potest [5]: *Benedicetur in illo: omnes Gentes eum beatum prædicabunt*. Dicent: Esto benedictus, ut Salomon, ut beatus ille Princeps.

℣. 19. BENEDICTUS DOMINUS &c.] Hic versicu-
B lus, & subsequens efficiunt conclusionem secundi hujus Psalmorum libri. Utrum Davidis sint, necne, hoc in dubio versatur. Additi fortasse fuerunt ab Esdra, vel ab alio Prophetarum. Hebræus legit: *Benedictus Dominus, Dominus Deus Israel*. Exemplaria Septuaginta, quibus S. Hieronymus utebatur, & ipsa æque ac Hebraicus textus [6] nomen *Dominus* iterabant. Hodie Vulgatæ omnino similes sunt.

℣. 20. ET BENEDICTUM NOMEN MAJESTATIS EJUS [7] IN ÆTERNUM.] Septuaginta, S. Augustinus, & antiqua Psalteria addunt: *& in sæculum sæculi*.

FIAT, FIAT.] Hebraice [8]: *Amen, & Amen*. Aquila [9]: *fideliter, fideliter*, vel vere; vel ita est. Septuaginta; ita fit, ita fit. Vide Psalmum 40. 14.

℣. 21. DEFECERUNT LAUDES DAVID, FILII JES-
C SE.] Hic ultimus est Psalmus, quem David antequam occumberet, elucubratus est: Uti etenim in argumento adnotavimus, cum cecinit, cum suis oculis intuitus est Salomonem filium suum, throno suo insidentem. Nulla satis certa afferri potest ratio verborum, cur hic potius, quam alibi reperiantur; & non addita fuerint ad Psalterii totius calcem, qui locus maxime naturalis erat. Haud abhorret a fide, Psalmorum corpus variis subinde temporibus, atque fortasse a variis Auctoribus fuisse collectum; cumque hic inter manus eorum inciderit, qui collectionis hujus primi Auctores fuerunt, eum collocasse in finem Psalmorum illorum quos invenerant; ex quo loco movere ausi non sunt illi, qui sunt deinceps subsecuti.

D Muis affert conjecturam hujus dispositionis Psalterii, quæ singularis videbitur, & quæ haud ita facile arridebit. Ait autem, habitam fortasse rationem fuisse ad versuum mensuram, vel ad qualitatem numerorum in canticis, quæ in prioribus duabus Psalterii hujus partibus continentur; & Psalmum hunc ideo hic fuisse collocatum, quod postremus est eorum, qui hujus generis fuerint inventi, cum sequentes diversæ sint speciei, diversæque dimensionis.

Eusebius refert, nonnullos existimasse finem hunc esse alienum a reliquo opere, atque additionem esse Psalterio appositam. Ipse vero ab hac sententia discrepat, censetque hunc partem esse libri totius, & asserit, Prophetam his verbis innuere voluisse, illum, de quo in Psalmo universo locutus est, esse finem, &
E consummationem totius Operis sui, omniumque suarum Prophetiarum; & eum videbit Regnum Messiæ, veri Salomonis, tunc vota sua, & desideria ad unguem adimpletum iri.

Plurimi Veteres [10] sequentis Psalmi titulo hæc addunt verba: *Hic finis est Canticorum David filii Jesse*. At

1 Vide Euseb. Hieronym. Athanas. 2 Psal. 109. 3.
3 יהי שמו לעולם לפני שמש ינון שמו 70. Edit. Rom. Ἔστω τὸ ὄνομα αὐτοῦ εὐλογημένον εἰς τοὺς αἰῶνας, πρὸ τοῦ ἡλίου διαμενεῖ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Sed Edit. Complut. Ἔσται τὸ ὄνομα αὐτοῦ εὐλογημένον . . . . πρὸ τοῦ ἡλίου διαμένει, &c. Legerunt ילין pro ינין 4 2. Reg. 7. 12. 13. 14. 15. &c.
5 ויתברכו בו כל גוים יאשרוהו 70. Καὶ ἐνευλογηθήσονται ἐν αὐτῷ πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, πάντα τὰ ἔθνη μακαριοῦσιν αὐτόν. Ita Psalter. Mediolan. *Beatificabunt eum*.
6 Hieronym. ad Suniam, & Fretell. 7 August. Psalter. S. German. *Nomen gloriæ ejus*. Ita 70. Τὸ ὄνομα τῆς δόξης αὐτοῦ. Et infra. *Replebitur gloria ejus*; pro, *majestate ejus*.
8 אמן ואמן 9 Πεπιστωμένως, πεπιστευμένως.
10 Ita 70. Edit. Roman. Sixt. V. Hieronym. in Commentar. August. Ambros. Beda, Cassiodor.

At ea Syrus, & Arabs omittunt. Hebræus ad litteram habet [1]: *finis precum David, filii Isai*. Theodotion, ac Editio tertia [2]: *Hic positæ sunt per anacephalæosim omnes preces David, filii Isai*; perinde ac innuerent, Psalmum hunc esse veluti compendium Psalterii totius, et objectum votorum omnium, omniumque desideriorum David. Sed rationes, quas primum attulimus, simplicitate præstant, ac propius litteræ adhærent.

1 כלו תפלות דוד בן ישי Sym. Ἐξετελέσθησαν προσευχαὶ Δαυὶδ υἱοῦ Ἰεσσαί.
2 Th. & 5. Edit. Ἀνακεφαλαιώθησαν προσευχαὶ Δαυὶδ υἱοῦ Ἰεσσαί,

Finis Libri secundi Psalmorum.

TERTIUS PSALMORUM LIBER JUXTA HEBRÆOS.

PSALMUS LXXII.

Prosperitas impiorum, scandalum Bonorum, inconstantia, ac immutatio felicitatis improborum.

Psalmus Asaph.

ARGUMENTUM.

En Commentarium in tertium Psalmorum Librum, juxta Hebræorum distributionem, qui ut in ipso limine dictum est, Psalterium in quinque Libros distribuunt. Parvi refert, ait Theodoretus, quærere, (licet id quærentes abeant in diversa Interpretes) quinam sit scriptor Psalmorum; quandoquidem fatentur omnes, Spiritum Sanctum præcipuum esse Auctorem eorumdem. Sive igitur Davidis, sive Asaph esse dicantur; seu vixerit Asaph, Davidis, vel Josaphat ævo, aut tempore captivitatis [1], certo tamen certius est, Opus sanctum esse, atque Spiritu Sancto afflante conscriptum. Qui tenent, Psalmos omnes esse Davidis, omnibus brevi se difficultatibus expediunt, quoad diversos Psalmorum singulorum Auctores; sed sæpe coguntur ad solutiones nimium violentas confugere, ut Davidi ea obtrudant verba, quæ conveniunt dumtaxat homini in Captivitate Babylonica posito, vel Deo gratias agenti ob libertatem receptam, cum de eadem revertitur Captivitate. Nos vero in eorum sententiam concedimus, qui putant ab Asaph compositum fuisse hunc Psalmum, & alios, qui ejusdem nomen præseferunt [2], & credimus hunc signanter in ipsa Babylonis Captivitate fuisse conscriptum [3]. Hebræi numquam alias magis iis indiguerunt monitis, quæ isthic illis tribuuntur, quam tristissimi illius exilii tempore. Videbant, homines maxime nefarios, atque impios bonis omnibus cumulatos prospera tranquillitate frui; dum populus Dei longe minus improbus, & nequam in servitute miserrima squalebat. Quotnam hæc intuiti exciderunt spe promissionum Domini, atque de illius Providentia cœperunt ambigere? Asaph unus ex captivis eos exprimit sensus, quibus ipse affectus fuerat, ad objecti adeo tristis intuitum; atque inde infert, licet aliter videri queat, vias Domini semper justas esse, & quamvis humanis mentibus invia sint ejus Providentiæ consilia, numquam tamen ab æquitate aberrare. Aliquot jam in idem argumentum Psalmos [4] sumus intuiti. Prophetis [5] curæ fuit non semel infirmos confirmare adversus cogitationes, quæ naturaliter suboriri possent ad impiorum prosperitatis intuitum.

1. QUam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde! 2 Mei autem pene
moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei. 3 Quia zelavi super ini-
quos, pacem peccatorum videns. 4 Quia non est respectus morti eo-
rum: & firmamentum in plaga eorum. 5 In labore hominum non sunt, & cum
hominibus non flagellabuntur. 6 Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquita-
te, & impietate sua. 7 Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in
affectum cordis. 8 Cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in ex-
celso locuti sunt. 9 Posuerunt in cœlum os suum: & lingua eorum transivit in
terra. 10 Ideo convertetur populus meus hic: & dies pleni invenientur in
eis. 11 Et dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? 12
Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias. 13 Et di-
xi:

1 Vide Præfationem in Psal. 49.
2 Eusebius. Hieron. Rabb. Genebr. Muis, Moler. Bossuet.
3 Ita Theodoret. Theodor. Beda, Interp. Græc. apud Corder. Ferrand.
4 Psal. 15. 52. 36. 68.
5 Jerem. 12. 1. Abac. 1. 13. 14.

13 : Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas :
14 Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. 15 Si dicebam :
Narrabo sic : ecce nationem filiorum tuorum reprobavi. 16 Existimabam, ut co-
gnoscerem hoc, labor est ante me. 17 Donec intrem in sanctuarium Dei : & in-
telligam in novissimis eorum. 18 Verumtamen propter dolos posuisti eis : deje-
cisti eos, dum allevarentur. 19 Quomodo facti sunt in desolationem, subito de-
fecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. 20 Velut somnium surgentium,
Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. 21 Quia inflam-
matum est cor meum, & renes mei commutati sunt : & ego ad nihilum redactus
sum, & nescivi. 22 Ut jumentum factus sum apud te : & ego semper tecum.
23 Tenuisti manum dexteram meam : & in voluntate tua deduxisti me, & cum
gloria suscepisti me. 24 Quid enim mihi est in cœlo? & a te quid volui super
terram? 25 Defecit caro mea, & cor meum : Deus cordis mei, & pars mea
Deus in æternum. 26 Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt : perdidisti
omnes, qui fornicantur abs te. 27 Mihi autem adhærere Deo bonum est : po-
nere in Domino Deo spem meam. 28 Ut annunciem omnes prædicationes tuas,
in portis filiæ Sion.

℣. 1. QUAM BONUS ISRAEL DEUS, HIS, QUI RECTO SUNT CORDE.] Asaph psalmum hunc elucubratus est, postquam diu adversus cogitationes suas decertasset, earumque errorem, atque fallaciam detexisset; ita incipit, tamquam homo extra se raptus, & cui maximopere persuasum sit de Domini æquitate, clementia, & misericordia. Quamvis aliter esse videatur, & res in mundo susque deque perturbatæ appareant, mihi haud dubie, & perplexe persuasum est, Deum plenum esse benignitate erga Israel, & illos, qui recto sunt corde. Ejus agendi ratio toto cœlo distat ab eo, quod nobis videtur; neque enim odii illius in nos, neque crudelitatis ejus est effectus? Omnes viæ illius æquitas sunt, & clementia. Hebr.[1] *Utique Dominus est vere bonus erga Israel, & illos, qui recto sunt corde*. Quædam exem- B plaria Septuaginta legunt in genitivo casu[2] : *Quam bonus est Deus Israel*: Sed pleraque Hebraico textui similia sunt : *bonus est erga Israel &c.*

℣. 2. MEI AUTEM PENE MOTI SUNT PEDES, PENE EFFUSI SUNT GRESSUS MEI.] Procul abfuit, quin animos desponderem, & a fide deficerem, impiorum videns felicitatem: Sexcentæ occurrerunt mihi dubitationis, ac diffidentiæ cogitationes. Textus ad litteram[3] : Mei autem pedes inclinati sunt; parum abfuit, quominus gressus mei sicut aqua effunderentur.

℣. 3. QUIA ZELAVI SUPER INIQUOS, PACEM PECCATORUM VIDENS.] Indignationis zelo succensus sum, vel potius invidiæ pene stimulis adactus sum, impiorum intuitus prosperitatem. Juxta Hebraicum textum[4] : *zelotypia exarsi adversus insipientes, irrisores*. C S. Ambrosius; & S. Augustinus : *Zelavi in peccatoribus*. Vetus quidam ajebat[5] : opprobrium est Deorum felicitas impiorum; quod quidem verum esset, si altera deesset vita, ubi Dei justitia posset in impios animadvertere.

℣. 4. QUIA NON EST RESPECTUS MORTI EORUM, ET FIRMAMENTUM IN PLAGA EORUM.] In pace vivunt, & similiter moriuntur[6]; eis dumtaxat blandiri videtur Deus. Si eos percutit, numquam profunda A nimis vulnera infligit; nihil umquam mortis imaginem illis exhibet; mala non agnoscunt. Septuaginta[7] : *Non est repulsa in morte illorum; nec firmitas in flagellis eorum*. Mortem non respuunt, eam tranquillo animo excipiunt, sine metu, & sollicitudine occumbunt, & effœta adeo ætate, ut vitæ jam saturi sint, neque illis displiceat fato fungi, veluti Patriarchæ illi, de quibus loquitur Scriptura : *Obiit plenus dierum*[8]. Si Deus aliquando eos percutit, ad breve dumtaxat temporis intervallum eos cædit : non lacertorum suorum nervos intendit, sed leviter dumtaxat eos pulsat.

Hebræus[9] : *non sunt bona*, moræ, nodi *mortibus eorum, & robur eorum integrum est*. Mors illorum lenis est, suavis, tranquilla; sunt tamquam fructus maturus, qui ex se decidit ex arbore; nequaquam diutino, B molestoque morbo absumuntur, neque violenter a vita malis gravibus in ipso juventutis robore divelluntur. Symmachus, & S. Hieronymus[10] : *quod non cogitaverint de morte sua, & firma sint vestibula eorum*. Habitacula eorum solida sunt, domus eorum fortiter fundatæ. Chaldæus : dies mortis suæ illos non terret : elevantur in cogitationibus suis, cor eorum est forte, & pingue. Syrus. *Non est terminus morti eorum, licet extrema sit eorum nequitia*. Numquam illis moriendum esse videtur.

℣. 5. IN LABORE HOMINUM NON SUNT, ET CUM HOMINIBUS NON FLAGELLABUNTUR; IDEO TENUIT EOS SUPERBIA.] Inter opes, rerumque omnium copiam vivunt, quin aliorum hominum laboribus sint obnoxii; victum sibi nequaquam sudoribus frontis suæ comparant[11]; & cum Deus aliqua hominibus immittit C flagella, eos excipere, eisque parcere videtur. Hac autem de causa non ferenda tument superbia, aliosque homines veluti infra se infinite positos, atque alterius naturæ arbitrantur. Hæc loquendi ratio : *cum hominibus flagellari*, communes naturæ nostræ miserias significat, quæ ab humana conditione separari non possunt[12], morbi, fames, labores, ærumnæ : *Ideo tenuit eos superbia*. Hebræus ad litteram[13] : *Superbia est illis pro torque*; Superbia tamquam monile eorum collum circumdat. Se quodammodo Deo superiores putant, & sibimet

1 אך טוב לישראל אלהים לברי לבב 2 70. Ὡς ἀγαθὸς ὁ Θεὸς τῷ Ἰσραήλ. Ita Edit. Rom. & Complut. sed Theodoret. Ὡς ἀγαθὸς ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ. Ita Apollinar. Symmach. πλὴν ὄντως ἀγαθὸς ὁ Θεὸς τῷ Ἰσραήλ, τοῖς καθαροῖς τὴν καρδίαν. 3 ואני כמעט נטיו רגלי כאין שפכה אשרי Sym. Παρ' ὀλίγον ἐκλίθη τὰ ὑποβῆναί με.
4 כי קנאתי בהוללים 5 Θεῶν ὄνειδος τὸ κακοὺς εὐδαιμονεῖν.
6 Athanas. Euseb. Hieronym. 7 Ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνάνευσις ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν, καὶ στερέωμα ἐν τῇ μάστιγι αὐτῶν. Psalt. Rom. Carnut. Mediol. *Non est declinatio mortis eorum*. Psalt. Germ. *Non est requies morti eorum*.
8 Genes. 28. 5. 35. 29. 9 כי אין חרצבות למותם ובריא אולם Aquil. οὐκ εἰσὶ δυσπάθειαι τῷ θανάτῳ αὐτῶν. 10 Sym. Ὅτι οὐκ ἐνεθυμοῦντο περὶ θανάτου, στερεὰ γὰρ ἦν τὰ πρόπυλα αὐτῶν.
11 Euseb. Athanas. 12 Vide 2. Reg. 7. 14. *Arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum*. Job. 21. 9. *Domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super illos*.
13 לכן ענקתמו גאוה Sym. Τοιγαροῦν ἠμφιέσαντο.

met ipsis ; non illi acceptam referunt suam felicitatem.

℣. 7. PRODIIT QUASI EX ADIPE INIQUITAS EORUM, TRANSIERUNT IN AFFECTUM CORDIS.] Eorum iniquitas est veluti nata ex illorum abundantia, & pinguedine : sese tradiderunt omnibus cordis sui perturbationibus : vel potius : iniquitas egreditur tamquam ex abundantia cordis eorum ; malum operantur cum affectatione, cum studio, consulto. *Adeps* passim divitias, abundantiam, libertatem significat : saginati sunt, locupletati, repleti ; postea Deum contempserunt, pravumque habitum contraxerunt, qui eos ad animi obdurati pertinaciam deduxit. Pro *transierunt in affectum cordis*, Septuaginta [1], & antiqua Psalteria habent, *transierunt in dispositionem cordis*. Scelus in ipsis factum est, tamquam altera natura. Hebræus [2] : *Oculi eorum egrediuntur e capite ipsorum propter adipem ; excedunt cogitationes cordis eorum*. Immanis eorum pinguedo, & prodigiosa crassities ; bona, quibus ditescunt, eorum quoque superant expectationem [3]. Cum tristitia, inopia, morbo laboramus, oculi recedunt, suum fulgorem amittunt ; oppositum vero accidit, cum in rerum omnium affluentia lætamur, atque optima fruimur valetudine. Chaldæus : Facies eorum nequit amplius agnosci propter adipem eorum ; rugæ cutis ob nimium adipem extensæ cor illis cooperiunt. Symmachus [4] : *Oculi eorum exciderunt propter adipem*. Adeps eorum oculos obduxit : *extinxerunt lumen oculorum suorum, ut liberius peccarent*.

℣. 8. COGITAVERUNT, ET LOCUTI SUNT NEQUITIAM.] Textus hic perspicuus est ; sed Hebræus differt [5] : S. Hieronymus ita vertit : *Irriserunt, & locuti sunt in malitia calumniam*. Aliter : *Ob iram maciè conficiuntur ; & loquuntur dumtaxat de malo faciendo*. Vel ; efficiunt, ut Justi ob dolorem ad maciem redigantur, vel faciunt, ut ipsi animos despondeant, pravis sermonibus suis, vel denique improba scurrilitate sua alios in risum traducunt.

INIQUITATEM IN EXCELSO LOCUTI SUNT.] Aperte protulerunt iniquitatem, quam fuerant meditati ; vel juxta Hebraicum textum [6] : tamquam ex excelso loco iniquitatem suam aperuerunt ; ob eamdem superbe, & impotenter gloriati sunt. Sunt, qui hoc intelligant, perinde ac contra Altissimum essent oblocuti [7] : sed hic sensus sequenti versiculo adfertur.

℣. 9. POSUERUNT IN COELUM OS SUUM, ET LINGUA EORUM TRANSIVIT IN TERRA.] Blasphemiis suis Deum, calumniis vero, & maledictis homines lacessunt. Chaldæus : locuti sunt contra Sanctos, qui sunt in Cœlo, & contra Justos, qui sunt super terram. Eusebius, & S. Athanasius. Cœlum blasphemiis suis impetunt, quamvis lingua eorum sit super terram, & ipsi nihil aliud sint, quam terra, & pulvis [8].

℣. 10. IDEO CONVERTETUR POPULUS MEUS HIC, ET DIES PLENI INVENIENTUR IN EIS.] Ad tot flagitiorum intuitum populus meus pœnitentiam aget ; redibit ad Deum suum, diuturnam vitam, ac duraturam prosperitatem merebitur. Babyloniorum nequitia, eorum crudelitas, atque superbia documentum erunt populo meo. Tot malorum pondere oppressi ad seriam pœnitentiam animum advertent, & tunc eos felicitate cumulabo. Theodoretus id explicat de reditu ex captivitate. Asaph videns scelera Babyloniorum inde arguit, captivitatem populi sui non fore diuturnam, & tantam inimicorum suorum improbitatem nequaquam diu impunem abituram [9]. Alii vertunt. *En quo Populus meus redis semper ; dies impiorum pleni sunt, ac felices ; quomodonam ergo fieri potest*, ait ille : *ut Deus ea, quæ fiunt, agnoscat ?* Hæc, inquit populus, neque aliter sentire poterit, donec impiorum prosperitatem videbit [10]. S. Augustinus, S. Ambrosius, & antiqua Psalteria legunt : *Ideo convertetur populus meus hue*.

Hebræus [11] juxta versionem sancti Hieronymi : *propterea convertetur populus ejus huc, & quis plenus invenietur in eis ?* Chaldæus : *in Domini edicto mandatum est, ut malleorum ictibus conterantur, & lacrymarum torrentes effundent*. Hebræus juxta ea puncta, quibus hodie distinguitur : *ideo populus ejus revertetur illuc, & illi magnam aquarum vim nanciscentur*. Quod explicari etiam potest de reditu ex Captivitate. Alii vertunt : *Ideo populus ejus illuc revertetur, & illi bibent aquam de calice exuberanti*. Deus potum dabit illis aquam lacrymarum, & afflictionis, & gravi dolore confecti dicent : Potestne Deus isthæc videre, & pati ? Meum tamen calculum illi addo explicationi, quæ id de reditu ex Captivitate interpretatur.

℣. 11. ET DIXERUNT : QUOMODO SCIT DEUS ?] Hæc ea sunt, quæ dicit populus meus, ex impiorum prosperitate scandalum passus. Deus, qui justus est, ignorarene potest ea, quæ fiunt ? & si ea ipsi comperta sunt, quomodo patitur illa ? Nonnulli verba hæc ad impios referunt : dixerunt illi in corde suo : Quæritne Altissimus ea, quæ facimus ? cognoscit illa ?

℣. 12. ECCE IPSI PECCATORES, ET ABUNDANTES IN SÆCULO, OBTINUERUNT DIVITIAS.] Hebræus [12] : *Ecce ipsi impii, atque tranquilli sæculi obtinuerunt divitias*. Hos *tranquillos sæculi*, qui jampridem adeo constanti prosperitate fruuntur, qui nulla umquam mundi mala gustarunt, Deus illos adhuc bonis cumulat, dum interim Justi pereunt, & irridentur.

℣. 13. ERGO SINE CAUSA JUSTIFICAVI COR MEUM, ET LAVI INTER INNOCENTES MANUS MEAS.] Nequicquam invigilavi, ut cor meum custodirem, & adnisus sum, ut manus meas a sanguine, & omni iniquitate immunes servarem [13]. *Lavare manus suas inter innocentes*, significat cum innocentibus inire consuetudinem, cum illis comedere, sacrificiorum ; & precum ipsorum participes esse. Vide Psal. 25. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine*.

℣. 14. ET FUI FLAGELLATUS TOTA DIE ; & CASTIGATIO MEA IN MATUTINIS.] Ab ipso diluculo ad vesperam usque, recentibus semper flagellis me percutit Deus ; nihil prætereit, neque ad breve temporis intervallum, vel levia delicta mea impune patitur abire : omnibus diebus novis me cruciatibus probat, licet sedulam impendam curam, ut meam tuear innocentiam.

Psalteria quædam legunt [14] : *Iudex meus in matutinis*. S. Ambrosius : *Vindex meus*. Symmachus [15] : *Illusus sui omnibus diebus, & quotidie mane reprehensus*.

℣. 14. SI DICEBAM : NARRABO SIC ; ECCE NATIONEM FILIORUM TUORUM REPROBAVI.] Intellexi, Domine, argumentationem meam contumeliosam esse, atque inde inferri, quod omnes filios, famulosque tuos condemnem. Et equidem nonne idem est, ac eos condemnare, asserere, ipsos necquicquam elaborare, ut sancti fiant, & nulla ipsorum justitiæ, vel innocentiæ ratione habita, te in eos veluti nefarios peccatores animadvertere ? Nonne hoc ipsum est, ac te ipsum, Deus, & servos tuos objurgare ? *Reprobavi* hoc in loco significat, eos reprobatos, atque a te derelictos declaravi ; si dixi bona eorum opera ipsis ante oculos

1 70. Διῆλθον εἰς διάθεσιν καρδίας. August. Ambros. Cassiodor. *In dispositionem cordis*. Psalter. Carnut. & sancti Germ. *In dispositione cordis*, &c. 2 יצא מחלב עינמו עברו משכיות לבב Aquil. Ἐξῆλθον ἐκ πίονος οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν. 3 Rabb. Salomon, & Kimchi.

4 Symmach. Προέπεσον ἀπὸ λιπαρότητος οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν, παρέβησαν τὰ φαινόμενα τῇ καρδίᾳ.

5 ימיקו וידברו ברע 6 עשק ממרום ידברו 7 Symmach. Ἐλάλουν ἐν πολλῇ συκοφαντίᾳ, τὰ ὕψει κατελάλουν. 8 Symmach. Ἔταξαν εἰς οὐρανὸν τὸ στόμα αὐτῶν, ἡ δὲ γλῶσσα αὐτῶν περιεπάτησεν ἐν τῇ γῇ.

9 Vide Hieron. hic, & Athanas. 10 Muis, Vatab. Pisc.

11 לכן ישוב עמו הלום ומי מלא ימצו למו 12 הנה אלה רשעים ושלוי עולם השגו חיל

13 Sym. Ἴσως εἰς κενὸν κάτην ἐκάθαρα τὴν ψυχήν μου, καὶ ἐνιψάμην ἐν ἀναμαρτησίᾳ τὰς χεῖράς μου.

14 Psalter. Mediol. & Rom. Fabri Stap. sed Cassiod. & alterum Rom. *Judex meus*. 70. Ὁ ἔλεγχός μου. S. August. *arguitio mea*. 15 Symmach. Διετέλεσα μαστιζόμενος καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν, καὶ ἐλεγχόμενος καθ᾽ ἑκάστην ὄρθρον.

tuos esse inutilia ; in improbissimorum peccatorum numerum eos rejeci. Hebr. [1] : *Si dixi ; loquar hoc pacto ; prævaricator factus sum contra generationem filiorum tuorum* ; eorum negotia prodidi, eorum partes dereliqui. Septuaginta [2] : Si dixi, *ita loquar* ; *perfregi fœdus cum filiis tuis*. Veteres plurimi legunt [3] : *Ecce natio filiorum tuorum, cui disposui*, vel *quibus disposui*. Eusebius, & S. Athanasius : Si hoc pacto loquor, scandali causa sum famulis tuis, eosque quodammodo excito adversum te.

℣. 16. EXISTIMABAM, UT COGNOSCEREM HOC : LABOR EST ANTE ME ; DONEC INTREM IN SANCTUARIUM DEI, ET INTELLIGAM IN NOVISSIMIS EORUM.] Fatetur Asaph, humanæ mentis aciem nimis infirmam esse, ut valeat intelligere Divini hujus consilii rationes, quod scilicet Deus, licet bonus, ac justus nonnumquam bonos affligit, & bonis cumulat impios. Ad mysterium hoc detegendum, frustra laboravit, donec Dei sui sanctuarium ingressus, & consideratis fine, præmio, ac futuro statu bonorum, & malorum, repente omnem dubitationem suam evanescere vidit, doloremque suum verti in consolationem. Verum de quo loquitur Sanctuario, quandoquidem tunc ille aderat Babylone, & Templum Jerusalem dirutum erat ? Sanctuarium hoc nihil est aliud, quam secreta Dei, de quibus infra sermo est ℣. 23. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me*. Ibi Asaph lumen invenit, quod omnem illius dubitationem dissipavit. Alii putant, Sanctuarium designare Sacra Biblia [4] : alii vero, Doctores Legis. Nemo unus ignorat, Summo dumtaxat Sacerdoti fuisse fas ingredi Sanctuarium, & Asaph Levita erat tantummodo ; præterea cum Divino Spiritu afflatus esset, nequaquam opus erat, ut in Templum se conferret, ibique hac de re Doctores consuleret ; satis erat Deum ipsum consulere, ab eoque petere ingressum in penitiora Mysteriorum ejus adyta, & animum ad futurum impiorum, bonorumque statum advertere. Septuaginta [5], & plurima antiqua Latina Exemplaria versiculum hunc ita distinguunt : *Existimabam, ut cognoscerem hoc : labor est ante me*. Toto nisu incubui, ut id perquirerem : sed hoc, hæc scilicet perquisitio me in summas difficultates conjecit.

℣. 18. VERUMTAMEN PROPTER DOLOS POSUISTI EIS ; DEJECISTI EOS, CUM ALLEVARENTUR.] Prosperitas hæc, in qua eos constituisti, facta est ipsis in laqueum ; verum eos evertisti tempore eodem, quo se se efferebant. Litteralis sensus durior est. Illis hæc bona tradidisti ad eos decipiendos, & veluti insidias illis struendas. Simulac elevati sunt, eos dejecisti, & permisisti eorum elationem propter eorum calamitatem, atque interitum. Septuaginta [6], & pleraque antiqua Psalteria : *Verumtamen propter dolos eorum posuisti eis mala* &c. Illis quodlibet malorum genus immisisti, ut eorum dolos, & nequitiam punires. Hebræus [7] : *Sed posuisti eos in lubrico gressu ; eos subvertisti, cum elevati sunt*. Vel ; *eos in extremam infelicitatem proruere fecisti*. Eos bonis, & honoribus cumulasti ; hoc gratiæ tuæ effectum esse arbitrati sunt, sed erat potius tuæ indignationis argumentum. In gradu adeo periculoso, & lubrico stare non potuerunt ; superbe intumuerunt, & lapsi sunt [8]. Quam notatu digna hæc lectio est illis, qui in dignitatibus, in divitiarum copia, & in prosperitate sunt positi ! Quam parum attendunt, hæc omnia illis laqueum esse, & gressum lubricum, & præceps, & simulac aliquis ad illum evehitur, jam inde dilabi.

℣. 19. QUOMODO FACTI SUNT IN DESOLATIONEM &c.] Hebræus [9] : *quomodo repente ceciderunt in desolationem, consumpti sunt, atque inopinatis turbis deleti* ; vel cum S. Hieronymo : deleti sunt, perierunt, perinde ac numquam fuissent. Symmachus [10] hoc subsequentibus addit : *repente perierunt, destructi sunt, quasi numquam fuissent, veluti somnium, cujus experrectus oblivisceris*.

℣. 20. VELUT SOMNIUM SURGENTIUM, DOMINE, IN CIVITATE TUA, IMAGINEM IPSORUM AD NIHILUM REDIGES.] Omnis fortunæ ipsorum fulgor veluti somnium evanescet, cujus non reminiscimur amplius, cum e somno excitamur. Verum est, idque crebro Scriptura docet [11], & apertius adhuc ex ipsa discimus experientia, omnem felicitatem, omnem fulgorem, omnemque hominum fortunam nihil aliud esse, quam somnium, inanem fumum, qui momento dissipatur, phantasma, quod evanescit in civitate Dei, *in civitate tua*, in altera vita, in judicio Dei, in Cœlo. Heb. [12] *Domine, contemnes umbram eorum*, vel eorum imaginem, *in Civitate, velut somnium hominis, qui expergiscitur*. Omnis fulgor, qui in hominum oculis emicat, ad quem civitas omnis hallucinatur, a potentia tua dissipabitur velut somnium hominis e somno excitati, & qui non meminit amplius eorum, quæ se ipsi per somnium obtruderant. Aliter : *Respicis cum contemptu eorum imaginem, cum consurgis velut homo, qui experrectus negligit somnium, quod habuit dormiens*. Cum dissimulato diutius scelere, quodammodo ad illud puniendum expergiscetis, tunc in fumum rediges omne illud magnitudinis phantasma, quod impios deceperat.

℣. 21. QUIA INFLAMMATUM EST COR MEUM, ET RENES MEI COMMUTATI SUNT, & EGO AD NIHILUM REDACTUS SUM, & NESCIVI.] Ad prosperitatis impiorum, & repentini, ac præcipitis eorum lapsus adspectum, veluti extra me raptus sum ; cor meum exarsit indignatione, & terrore, ira, & tumultu, quem duplex ille in me peperit intuitus. Veluti ad nihilum redactus sum, atque humiliatus sub potenti manu Dei ; agnovi ignorantiam meam, & errorem judiciorum meorum. Plurima antiqua Latina Psalteria [13] legunt : *Quia delectatum est cor meum, & renes mei resoluti sunt* ; quod conforme est aliquibus Exemplaribus Septuaginta [14] : *Cor meum repletum est gaudio ; & renes mei dilatati sunt*, vel quieverunt.

Hebræus [15] : *quia cor meum quodammodo fermentatum est*, exacerbatum, *& renes mei fuerunt*, acutis, acerbisque stimulis *veluti confossi* ; *ego vero stupidus sum, & sine scientia*. Consideratio commentitiæ impiorum felicitatis replevit me indignatione, & ira, acrimonia, & bile fere, non secus ac hominem illum, de quo Plautus in Penulo loquitur :

Ecquid habet is homo aceti in pectore.

Renes mei agitati sunt, & commoti ; proh quam inscius eram, rudis, & insipiens ! si res vidissem, quemadmodum eas tu mihi aperuisti, Deus, aliud prorsus de illis judicium tulissem ; si Providentiæ tuæ scrutatus fuissem arcana, nequaquam tot curis, & sollicitudinibus agitatus fuissem. Symmachus [16] : *Cor meum coarctatum erat ; & intra renes meos contra me argumentabar, & versabar in ignorantia, & sine scientia*. S. Hieronymus : *Quia contractum est cor meum ; & lumbi mei*.

---

1 אם אמרתי, אספרה כמו הנה דור בניך בגדתי 2 Εἰ ἔλεγον, διηγήσομαι οὕτως, ἰδοὺ τῇ γενεᾷ τῶν υἱῶν σου ἠσυνθέτηκα. Theodoret. ἠσυνθέτηκας. 3 Ita Psalter. Mediol. sancti Germ. Roman. Ambros. Legebant in 70. τῇ γενεᾷ τῶν υἱῶν σου ᾗ συνθετεῖχα. 4 Vide Rab. Sippom. Lyr. Ferrand.
5 70. Καὶ ὑπέλαβον τοῦ γνῶναι, τοῦτο κόπος ἐστὶν ἐνώπιόν μου. Ita August. Ambros. alii. Symmach. Ἐπελογιζόμην ἐπιγνῶναι τοῦτο, μόχθος ἐφαίνετο μοι. 6 70. Πλὴν διὰ τὰς δολιότητας αὐτῶν, ἔθου αὐτοῖς κακά. Ambros. *Posuisti eis bona*. 7 אך בחלקות תשית למו הפלתם למשואות
8 Symmach. Ὄντως ἐν ὀλισθήμασιν ἔταξας αὐτοὺς, κατέβαλες αὐτοὺς εἰς ἀφανισμούς.
9 איך היו לשמה כרגע ספו תמו מן בלהות 10 Symmach. Ἐξαίφνης ἐξέλιπον, ἀπελύθησαν, ὡς οὐχ ὑπάρξαντες, ὡς ἐνύπνιον, ἐξυπνίσαντι. 11 Job. 20. 8. Isai. 29. Psalm. 75. 6.
12 כחלום מהקיץ אדני בעיר צלמם תבזה 13 Ita Ambros. Psalt. Rom. Carnut. &c. sancti Germ. *Lætatum est*. Mediol. *exarsit cor meum*. 14 Edit. Rom. ὅτι ηὐφράνθη ἡ καρδία μου, καὶ οἱ νεφροί μου ἠλλοιώθησαν. Edit. Complut. Ὅτι ἐξεκαύθη ἡ καρδία μου. &c. 15 כי יתחמץ לבבי וכליותי אשתונן ואני בער ולא אדע
16 Sym. Συνεστέλλετο ἡ καρδία μου, καὶ ἐντὸς τῶν νεφρῶν μου διελεγόμην ἀντιλέγων. Ἤμην δὲ ἀνεπιστήμων, & μὴ εἰδώς.

bi mei velut ignis fumigans : & ego insipiens , & nesciens . A

℣. 22. UT JUMENTUM FACTUS SUM APUD TE ; & EGO SEMPER TECUM .] Stupide , atque inconsulto cogitationibus meis abripi passus sum ; licet omnino ignarus essem, judicare volui de Providentia tua , ejusque leges metiri juxta imbecillis ingenii mei normam ; verum hoc mihi concessisti , ut me a te non sejungeres [1] : semper huic sententiæ mordicus adhæsi , hoc est , quidquid contingeret , necessario justum esse ; quoniam tu æquus es , & sapiens . Aliter ; Quoniam judiciorum tuorum nequeo altitudinem investigare , ego apud te in eadem ignorantia delitescere cupio , ac jumentum , quod quin resistat , se regi sinit . Oculos claudo , & me victum do ; fac , præcipe de me , quidquid tibi placuerit , ego omnino sum in manibus tuis . B Adnecti quoque præcedentibus potest : *Nescius sum , & sine prudentia , sum apud te tamquam jumentum ratione carens , & semper sum tecum* ; tu me indesinenter regis, *& manum meam tenes .*

℣. 23. TENUISTI MANUM DEXTERAM MEAM , & IN VOLUNTATE TUA DEDUXISTI ME , & CUM GLORIA SUSCEPISTI ME .] Inter mentis meæ perturbationes , tristesque cogitationes , quibus distrahor , tenuisti manum meam , neque permisisti , ut in imum usque abyssi proruerem . Adduxisti me ad veritatum earum , quas modo annuntiavi , agnitionem : & præterea me & gloria , & spiritu tuo replesti . Hoc ajebat Asaph in justæ gratitudinis suæ argumentum , postquam illi Deus oculos aperuit , ut ipsius Providentiam erga impios cognosceret . Hebræus [2] : *Tenuisti manum dexteram meam ; adduxisti me in Consilium tuum* [3] ; *& postquam afflixisti me , intra brachia tua excepisti* [4] . C In tentatione mea manum meam apprehendisti , sustinuisti me , detexisti mihi consilium tuum sapientissimum , & postquam probasti me , in clientelam tuam excepisti . Mihi meliorem conditionem , omniumque ærumnarum mearum finem promittis ; vel, *tenuisti manum dexteram tuam* , ut me sustineres : *Deduxisti me cum consilio tuo* ; & in sapientia tua , *ne errarem* ; postmodum *vero me gloria cumulasti* [5] .

℣. 24. QUID ENIM MIHI EST IN COELO , & A TE, QUID VOLUI SUPER TERRAM ?] Felicitas horum hominum , quibus olim invidebam , Domine , omnis fulgor fortunæ eorum ne minimum quidem me afficiunt . Novi enim vanitatem , & periculum rerum earum , quæ ab hominibus tanto habentur in pretio . Unum opto dumtaxat , ut tuus sim , ac te possideam . Hæc est omnium votorum summa , & totius ambitionis meæ finis . Nihil in Cœlo , nihil in terris adest , quod me voti compotem efficere queat præter unum te ; non angeli , non homines felicem me poterunt præstare , nisi temet mihi tradideris [6] : Sed si mihi fueris patronus , atque præsidium , hoc mihi sufficit [7] .

℣. 25. DEFECIT CARO MEA , & COR MEUM , DEUS CORDIS MEI .] Deficio , morior . Domine tu es fortitudo mea , tu hæreditas mea , ne me derelinquas . Hebræus [8] : *Cor meum , & caro mea consummata sunt* , languentia sunt , sine vi , sine robore ; *Dominus est rupes cordis mei , & hæreditas mea in æternum* . In infirmitate mea , in uno te meum robur invenio .

℣. 26. QUI ELONGANT SE A TE , PERIBUNT .] Impii, qui in prosperitatibus suis tui obliviscuntur , & abutuntur beneficiis tuis, ut te lædant, in nullam reditus spem interibunt . Hoc est vaticinium Babylonici excidii .

℣. 28. UT ANNUNTIEM OMNES PRÆDICATIONES TUAS IN PORTIS FILIÆ SION .] Hæc novissima verba , *in portis filiæ Sion* , neque in Hebræo adsunt , neque in Chaldæo , neque in Syriaca Versione, neque apud veteres Græcos Interpretes [9] : in castigatioribus exemplaribus Septuaginta obelo , vel asterisco notabantur ad innuendum, illa esse superflua ; desumpta vero sunt ex psalmo 9. 15. Pro *prædicationes* antiqua Psalteria , & S. Augustinus legunt : *omnes laudes tuas* . Hebraicus textus [10] innuit potius , *nuntia , quæ afferuntur* . Asaph ait , se omnem spem in Domino collocare , illi uni adhærere velle , & imposterum semper opera , & mirabilia illius se esse annuntiaturum .

1 Vide Euseb. hic. Sym. Κτηνώδης διετέλεσα παρά σοι , καί συνήμην σοι διηνεκῶς.
2 אחזת ביד ימיני בעצתך תנחני ואחר כבוד תקחני 3 70. Καὶ ἐν τῇ βουλῇ σου , &c.
4 Confer Zach. 2. 8. אחר כבוד שלחני 5 Symmach. Τῇ συμβουλίᾳ σου ὡδήγησας με , καὶ ὕστερον τιμῇ διεδέξω με. 6 Aug. hic. 7 Theodoret. Aquil. Τίς μοι ἐν τῷ οὐρανῷ ; καὶ μετὰ σοῦ οὐκ ἐβουλήθην ἐν τῇ γῇ. 8 כלה שארי ולבבי צור לבבי וחלקי אלהים לעולם 9 Euseb. hic.
10 לספר כל מלאכותיך Aquil. Τὰς ἀγγελίας. 70. Τὰς ἐπαγγελίας σου. Hieron. ep. ad Suniam , & Fretell. sed edit. Rom. & Complut. Τὰς αἰνέσεις σου.

PSALMUS LXXIII.

Oratio populi in afflictione positi ; Templum incensum , & pollutum ab hostibus : nulla ex Prophetarum parte consolatio ; narratio antiquorum miraculorum , quæ pro populo suo fecit Dominus ; quem rogat Psalmista , ut ambitionis inimicorum suorum reminiscatur , eorumque superbiam infringat .

Intellectus Asaph .

ARGUMENTUM.

INTELLECTUS ASAPH . Psalmus ad erudiendum appositus ab Asaph concinnatus [1] . Psalmus hic aperte loquitur de Templi , atque civitatis Jerusalem desolatione : sed cum hæc civitas non semel diruta fuerit , & Templum pollutum ; Interpretes in Psalmi hujus explicatione abeunt in diversa , neque convenit inter eos, ad quam temporis circumstantiam sit referendus . Alii tenent [2] , ipsum respicere Jerusalem a Nabuchodonosor captam : alii vero [3] versari putant circa Civitatis , ac Templi desolationem , quæ sub Antiocho Epiphane contigit . Alii denique [4] hoc explicant de postremo excidio Jerusalem , ac Templi a Romanis diruti .

1 משכיל לאסף 70. Συνέσεως τῷ Ἀσάφ. 2 Vide Hieron. Muis , Ferrand. Lyr. Cajet.
3 Theodorus , Bellarm. Bossuet , Sacy , alii apud Theodoret. 4 Euseb. Athanas. Theodoret. Euthym. August. Syr. Rabb. Salom. Sipporu.

Cujus postremæ sententiæ præcipuum argumentum illud est, quod isthic ℣. 9. dictum est: *Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta; & nos non cognoscet amplius.* Qui questus temporibus Nabuchodonosor non conveniunt, quoniam tunc, & in Jerusalem, & in Natione plurimi erant Prophetæ; uti neque Macchabæorum ævo, quoniam desolatio, quæ tunc accidit, diuturna non fuit, neque templum incensum est. Sed illis etiam, qui de Romanis explicant, opponitur, in hac hypothesi, preces, quæ exprimuntur, omnino inutiles fuisse, quandoquidem hæc desolatio æternum erat duratura, neque fidei consonum videtur, Spirirum Sanctum per os Asaph loquentem Judæis, J. C. interfectoribus, & reprobatis dedisse nomen Ecclesiæ, Concilii, Hæreditatis, Gregis, Sceptri Domini; neque per os illius dicturum fuisse: eleva manum tuam adversus superbiam, & improbitatem Romanorum, judica causam nostram, & ulciscere injurias nostras; Deus enim illos impulerat contra Jerusalem, ipsique erant ultionis, atque iræ illius adversum Populum impium, ac reproborum instrumenta.

Denique in Commentario videbimus ea, quæ afferuntur contra sententiam, quæ id explicat de Nabuchodonosor, minimi esse momenti; & nihil esse in Psalmo, quod juxta hanc sententiam non facillime explicetur: Ita eam præ aliis sequemur, quin tamen nigrum affigamus theta sententiis illis, quas minime sequimur. Grotius contendit, hoc esse intelligendum de ea desolatione, quæ contigit in Silo, cum Arca a Philisthiim capta fuit 1. Reg. 4. Sed vers. 4. nimis aperte sermo est de monte Sion, ut non liceat de Silo intelligere: & Propheta vers. 6. & 7. eis vocibus excidium Templi describit, quæ simplici Tabernaculo Silo convenire non possunt. Asaph loquitur de calamitate, quæ diu perstiterat, & ultionem poscit adversus hostes suos Templi prophanatores; quod intelligi nequit de Philisthiim ea in circumstantia, cujus meminit Grotius.

1. UT quid, Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ
tuæ? 2 Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. 3
Redemisti virgam hæreditatis tuæ: mons Sion, in quo habitasti in eo.
4 Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus
in sancto! 5 Et gloriati sunt, qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ. 6
Posuerunt signa sua, signa: & non cognoverunt sicut in exitu super summum. 7
Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum: in securi, &
ascia dejecerunt eam. 8 Incenderunt igni sanctuarium tuum: in terra polluerunt
tabernaculum nominis tui. 9 Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere
faciamus omnes dies festos Dei a terra. 10 Signa nostra non vidimus, jam
non est propheta: & nos non cognoscet amplius. 11 Usquequo Deus improperabit
inimicus; irritat adversarius nomen tuum in finem? 12 Ut quid avertis
manum tuam, & dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem? 13 Deus autem
rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ. 14 Tu confirmasti
in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis. 15 Tu confregisti capita
draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum. 16 Tu dirupisti fontes, &
torrentes: tu siccasti fluvios Ethan. 17 Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus
es auroram, & solem. 18 Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem, & ver
tu plasmasti ea. 19 Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: & populus
insipiens incitavit nomen tuum. 20 Ne tradas bestiis animas confitentes tibi,
& animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. 21 Respice in testamentum
tuum: quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum: 22 Ne
avertatur humilis factus confusus: pauper, & inops laudabunt nomen tuum. 23 Exurge,
Deus, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum,
quæ ab insipiente sunt tota die. 24 Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia
eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

℣. 1. UT QUID DEUS REPULISTI IN FINEM; IRATUS EST FUROR TUUS, SUPER OVES PASCUÆ TUÆ?] Asaph, cum una cum fratribus suis in captivitate Babylonica jaceret, isthic nationis suæ calamitatem deplorat. Accensane est in æternum ira tua Domine in nos? Numquam ne tot tantaque mala cessabunt? Num repulisti in æternum populum quem elegeras, & quem veluti gregem tuum paveras? Hebr.[1] *Nares tuæ fumabunt ne semper contra oves populi tui?*

℣. 2. MEMOR ESTO CONGREGATIONIS TUÆ, QUAM POSSEDISTI AB INITIO.] Memor esto populi hujus, qui tanto ab hinc tempore tuus est, quem tu ipse formasti, quem peculiari adeo ratione protexisti. Quædam antiqua Psalteria legunt[2]: *quem creasti ab initio.*

℣. 3. REDEMISTI VIRGAM HÆREDITATIS TUÆ, MONS SION.] S. Augustinus legit, *Montem Sion*. Si tuam meriti sumus indignationem, quid fecit Mons Sion, locus ille, tot privilegiis decoratus, adeo sacer, quem elegisti in habitaculum tibi, & ubi toties ostendisti potentiam tuam. Hebræus[3] plures sensus admittit: *Reminiscere cœtus hujus, quem acquisivisti*, vel redemisti, vel possedisti *tanto ab hinc tempore, Recordare virgæ hæreditatis tuæ*, vel terræ Chanaan, quæ tua est, & quam hexapedis, vel virgis metitus es. Sententiæ huic Eruditi quidam viri suffragantur[4]; at non

1 יעשן אפך בצאן מרעיתך 70. Ὠργίσθη ὁ θυμός σου, &c. August. & Psalter. Mediol. *Iratus est animus tuus super oves gregis tui.* 2 Psalter. Rom. Mediol. Carnut. *quam creasti*; Legebant in 70. ἣν ἔκτισας, pro ἐκτήσω. 3 זכר עדתך קנית קדם גאלת שבט נחלתך הר ציון זה שכנת בו
4 Muis, Ferrand. Bossuet. Vat.

at non reor, agros hexapedis metiri consuevisse; vulgo enim hoc funiculis fiebat, quod ex pluribus Scripturæ locis innotescit. Denique reminiscere *hujus Montis Sion, ubi habitaculum tuum elegisti*. Aliter: Memento populi hujus, quem acquisivisti, & quem tanto ab hinc tempore redemisti; tribuum harum, quæ sunt hæreditas tua, sceptrum tuum, regnum tuum, subditi tui; & hujus montis Sion, ubi inhabitas. Symmachus [1]: *Redemisti sceptrum hæreditatis tuæ, & deduxisti illud ad montem Sanctum Sion*. S. Athanasius legit: *Redemisti hæreditatem tuam virga tua; eduxisti illam de Ægypto, potenti dextera tua*. A

℣. 4. LEVA MANUS TUAS IN SUPERBIAS EORUM IN FINEM.] Insurge, extolle brachium, velut qui ingens, validumque ictum impingere volunt. Deprime Babylonios, qui ad insolentiæ, & crudelitatis apicem evasere. Hebræus [2]: *Eleva pedes tuos contra superbiam eorum* [3]. Consurge in pedes, velut Heros, qui adversus inimicum se se erigit, lethale illi vulnus illaturus. Aliter; *Leva pedes tuos contra depopulationes, quas jugiter exercuerunt in te*. Festina, ut curras post illos, & prosternas superbos hos hostes, qui te læsserunt, Templum tuum comburentes, & persequentes populum tuum. Hoc est vaticinium eorum, quæ Chaldæis erant eventura. Hebræi non viderunt finem captivitatis suæ, quin viderent etiam excidium Imperii Chaldæorum, qui eos adeo violenter oppresserant. S. Hieronymus vertit: *sublimitas pedum tuorum dissipata est usque ad finem*, locus, qui tibi erat pro solio, atque throno; Templum tuum pollutum est, ac direptum [4]. B

QUANTA MALIGNATUS EST INIMICUS IN SANCTO [5].] Quot sordibus Chaldæi Templum tuum polluerunt? Quot blasphemias evomuerunt? Hebræus [6]: *Inimicus omne malorum genus fecit in Sancto*. C

℣. 5. ET GLORIATI SUNT, QUI ODERUNT TE, IN MEDIO SOLEMNITATIS TUÆ.] Postquam Templum tuum ceperunt; illuserunt tibi, ob præclara facinora sua gloriati sunt, hoc sibi gloriæ verterunt sub oculis tuis, in ipso Templo tuo, in medio solemnitatis tuæ, eo tempore, eoque in loco, ubi enunciandæ erant laudes tuæ, & ubi populus tuus olim congregabatur, ut laudes tuas celebraret. Hebræus [7]: *Inimici tui ediderunt rugitus in medio cœtus tui*, solemnitatis tuæ. Antiqua Psalteria [8]: *in medio atrio tuo*. Eo in loco ubi nihil aliud audiri fas est, quam laudum tuarum concentus, bellicus clamor, victorumque militum rugitus desævit. D

℣. 6. POSUERUNT SIGNA SUA, SIGNA, & NON COGNOVERUNT, SICUT IN EXITU SUPER SUMMUM [9].] Chaldæi capta civitate in portis vexilla sua extulerant, veluti victoriæ suæ trophæa; quod ipsum præ Templi foribus fecerunt, cum illud subegere. Ex Historia liquet [10], aliquot dies insumptos fuisse civitati, ac Templo diripiendis, antequam Nabuzardan faces admoveri jusserit. In hoc temporis intervallo milites omnia flagitia, & scelera ibi commiserunt, quæ isthic innuuntur; atque tunc in Templo, ac civitate visa sunt profana vexilla, & falsa numina in illis depicta, vel insculpta, veluti pro trophæis posita in sacerrimis locis, atque maxime intemerandis. Memento, Domine, tot E flagitiorum, ac blasphemiarum, & iram tuam in illos converte, qui hæc per summum nefas patrarunt. Hebræus [11]: *posuerunt signa sua*, utique, *signa sua ceram omni mundo super introitum* templi. Vel posuerunt signa sua, in conspectum, in superiori parte aditus. Templi portæ maxime sublimes erant, atque magnificæ. Aliter: Posuerunt signa *sua in templo suo, veluti ea signa, quæ in excelsis locis extolluntur*, & de quibus passim loquuntur Prophetæ [12]. Hæc autem erant vexilla quædam præaltis malis infixa in montium jugis ad populos admonendos, qui habitabant in agris, de inimicorum adventu. Sensus iste mihi magis arridet. Vatablus, ac plurimi Interpretes [13] post Rabbinos, id ita intelligunt; Crediderunt autem præsagia, quæ acceperant sagittas commiscentes [14] vera esse præsagia, se se confirmarunt in inanibus superstitionibus suis propter felicem eorum eventum. Verum hoc nimis subtile est, ac nimis longe ductum. Eusebius credit, per hæc signa intelligi posse arma, quibus in obsidione utebantur, & exercitus vexilla.

℣. 7. QUASI IN SYLVA LIGNORUM SECURIBUS EXCIDERUNT JANUAS EJUS IN IDIPSUM; IN SECURI, & ASCIA DEJECERUNT EAM.] Templum Domini decoratum erat plurimis operibus e cedro; januæ illius miræ erant magnitudinis, atque magnificentiæ; lacunaria, & tabulata erant cedrina; immo lignum hoc immixtum fuerat inter ordines, ac series cæsorum lapidum præcipuos templi muros componentium, quod in causa fuit, ut ædificium alioquin adeo solidum, facile adeo combureretur. Chaldæi illis ignem applicuere, & securibus januas illius evertere. Hebræus verti potest [15]: *Posuerunt securim veluti in sylva, & confregerunt aditus ejus*, januas, vel sculptilia [16] *ictibus securis, ac dolabræ*, vel *malleorum*. Symmachus; *vectibus, & fuscis*.

℣. 8. INCENDERUNT IGNI SANCTUARIUM TUUM, IN TERRA POLLUERUNT TABERNACULUM.] Polluerunt Sanctuarium tuum, & sedem sanctam, quam tibi super terram elegisti. Vel incenderunt Sanctuarium, quod habebas in terris. Hebræus magis est [17] emphaticus: *Conjecerunt in ignem Sanctuarium tuum, solo* æquarunt illud, polluerunt sedem nominis tui; Templum quod ex nomine tuo vocabatur, Templum Domini.

℣. 9. DIXERUNT IN CORDE SUO COGNATIO EORUM SIMUL; QUIESCERE FACIAMUS [18] &c.] Omnes populi, qui Chaldæorum componunt exercitum, copiæ omnes e regionibus trans-Euphratæis, ac illæ populorum Judæis finitimorum, Idumæorum, Ammonitarum, Philisthiim, qui brutali furore Babylonios excitabant ad excidium, atque incendium Templi. Idumæorum verba videntur in Psal. 136. 7. *Exinanite, exinanite, usque ad fundamentum in ea*. Populi hi barbari, atque impii odio æque persequebantur et Religionem, & Nationem Judæorum. Symmachus, & S. Hieronymus ita Hebraicum textum reddunt [19]: *Posteri eorum dixerunt simul in cordibus suis*, hoc simul iniere consilium, *incenderunt omnes solemnitates Domini in regione*. Incendere isthic significat abolere, delere etiam memoriam solemnitatum Domini in regione, Templum demoliendo, Provinciam omnem vastando, & populum omnem in captivitatem abducendo. Alii [20] reddunt: dixe-

1 Sym. Ἐλυτρώσω σκῆπτρον κληρουχίας σου, καὶ ἤγαγες εἰς τὸ Σιὼν ὄρος τὸ ἅγιόν σου τοῦτο. Aqu. σκῆπτρον κληρονομίας.
2 הרימה פעמיך למשאות נצח 4 Confer. Psal. 72. 18.
4 Symm. Τὸ ὕψωμα τῶν ποδῶν σου ἐσκυλεύθη εἰς νῖκος. 5 August. Psalter. Mediol. Ambros. in. Psal. 37. 11. 34. Rom. Carnut S. Germ. *in sanctis*. Quidam libri apud Theodoret. ἐν τοῖς ἁγίοις. Alii, & plures, ἐν τῷ ἁγίῳ. 6 כל הרע אויב בקדש 7 שאגו צורריך בקרב מועדך Aquil. Ἐβρυχήσαντο οἱ πολέμιοί σου ἐν μέσῳ τῆς συναγωγῆς σου. 8 Psalt. Rom. S. Germ. Carnut. *In medio atrio tuo*. 70. Ἐν μέσῳ τῆς ἑορτῆς σου. S Ambr. *in medio festi tui*. 9 Ὡς εἰς τὴν ἔξοδον ὑπεράνω. August. *sicut in exitum desuper*. Psalt. Mediol. *sicut in exitu de insuper*. Psalt. S. Germ. *sicut in introitu eorum desuper*. 10 4. Reg. 25. 8. 9. & Jer. 52. 12. 13.
11 שמו אותותם אותות ידע כמביא למעלה Sym. Ἔθηκαν τὰ σημεῖα αὐτῶν ἐπίσημα γνώριμα κατὰ τὰς εἰσόδους ἐπάνω, ἐν ἀγρίοις ξυλίνοις. 12 Isai. 11. 12. 13. 2. 5. 26. 18. 3. 33. 23. Jer. 6. 1. &c. 13. Vide Muis. Rab. Salom. Vide Aug. hic. 14 Vide Ezech. 21. 21. 15 בסבך עץ קרדמות ועתה פתוחיה יחד בכשיל וכילפות יהלמון Sym. Ἀξίνας τῶν δὲ καὶ τὰς πύλας αὐτοῦ ὁμοῦ ἐν μοχλοῖς καὶ διαρκέσιν κατέρριψας. 16 Muis, Tig. Pisc. alii.
17 שלחו באש מקדשך לארץ חללו משכן שמך 70. Edit. Rom. Ἐνεπύρισαν ἐν πυρὶ τὸ ἁγιαστήριόν σου εἰς τὴν γῆν.
18 S. Aug. & vetera Psalt. *Venite & comprimamus*. 70. Δεῦτε καὶ κατακαύσωμεν, alii καταπαύσωμεν.
19 אמרו בלבם נינם יחד שרפו כל מועדי אל בארץ Sym. Εἶπον ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν ... τὰς Συναγωγὰς τοῦ Θεοῦ. Ita & Aqu. vide Hieron. ep. ad Sun. & Fretell. 20 Munst. Tir. Jun. & Tremel. Pisc. Geier. Vide & Muis & Becan. anal. 5. & N. T. p. 241. Tolet. in Joan. 16. Torniel. ad an. M. 2594. n. 14.

dixerunt in cordibus suis diripiemus eos ; omnes Synagogas Domini in regione incenderunt . Ajunt ante ipsam captivitatem adfuisse in urbibus , & pagis loca, legendæ , explicandæque Legi destinata. Sunamitis hospes Elisæi consueverat quotidie Sabbatho , & singulis Kalendis ire ad legem audiendam in domum hujus Prophetæ [1] : & S. Jacobus in Actis 15. 21. ait, Moysem a temporibus antiquis habuisse viros , qui eumdem in Synagogis recitarent . Ezechiel 33. 31. ait , apud se ad eam audiendam populum convenisse ; in Judith 6. 21. haud perplexe sermo est de loco cœtus , vel Synagogæ ; Esther quoque 4. 16. loquitur de his locis ad preces effundendas , quæ erant Susis .

Sigonius de Rep. Hebr. & Vitringa de Synag. Vet. aliique nonnulli tenent , loca hæc tum demum post captivitatem fuisse instituta : immo neque eorumdem vestigia Macchabæorum tempore intuentur ; verum nobis persuasum est , ea omni tempore semper fuisse apud Hebræos , postquam pacatam promissæ terræ possessionem obtinuerunt : neque video , quid obsit, quominus locum hunc intelligamus de Synagogis a Chaldæis concrematis . Aquila , & Symmachus in versione sua Synagogarum nomen usurpaverant , sed S. Hieronymus reddidit *solemnitates* . Synagogarum vetustatem fusius perpendemus in Matthæum cap. 4. 13.

ỹ. 10. SIGNA NOSTRA NON VIDIMUS , JAM NON EST PROPHETA , & NOS NON COGNOSCET AMPLIUS.] Nulla videmus amplius miracula , nulli adsunt amplius Prophetæ, neque Deus amplius nos cognoscit . Hæc dicebant Judæi Babylone captivi . Hæc sunt ea, Domine, quæ audio quotidie ab illis , qui ad tot malorum intuitum desperatione , atque impatientia abripiuntur . Verum quinam asserere poterant , se nulla amplius intueri prodigia , neque ullos esse amplius , inter ipsos , Prophetas ? nonne aderat Babylone Daniel , & secus flumen Chobar Ezechiel ? Nonne fuerant testes miraculosæ liberationis Danielis , & Sociorum ejus de ardenti fornace , uti etiam alterius , qua Daniel de Leonum specu liberatus fuerat ; & miraculi illius , quo Susannæ innocentia fuerat probata ? Metamorphosis Nabuchodonosor nonne satis magnum fuerat prodigium ? Pro nihilo reputabant illud , quod contigerat Balthassar , videnti manum in pariete scribentem , *Mane , Thecel , Phares* ? Denique Tobiæ Historia, qui vivebat in Ninive , eos fugiebat ? Respondere tamen potest , 1. Sæpius cum impatientia abripimur , in querimoniis excedere , neque meram veritatem loquendo sectari . 2. Quamvis Daniel fuerit Babylone , attamen parum ibi prophetasse : cum præcipue illius prophetiæ Susis illi fuerint revelatæ . Ezechiel longius inde aberat in Mesopotamia superiori . Captivi Babylone quærebant frequentem illum Prophetarum numerum, quem olim in Jerusalem intuebantur , qui palam ipsi initium, vel finem malorum annuntiabant , qui eos hortabantur , vel in calamitatibus ipsorum consolabantur . Concupiissent insignia illa miraculorum portenta , quæ in Ægypto olim, atque in deserto effulserant . Hæc illi desiderabant, sed Babylone haud inveniebant . Daniel nequaquam erat Propheta popularis , quem vulgo consulerent homines , quemadmodum in Judæa olim consueverant . 3. Denique videre voluissent eam circulatorum, ac Pseudoprophetarum frequentiam , qui nugis suis in patria ipsis fucum faciebant . Qui enim Babylone , vel Susis , vel juxta fluvium Chobar vaticinabantur , nimium erant serii , nimiumque ipsis veridici . Hebræus ita reddi potest [2] : *Non videmus amplius prodigia nostra , non est amplius propheta , neque vir inter nos , qui novit , quandiu* isthæc erunt :

ỹ. 11. USQUEQUO IRRITAT ADVERSARIUS NOMEN TUUM USQUE IN FINEM .] Usquequo inimicus noster persistet irritare nomen tuum blasphemiis suis ? Hic est genuinus Hebraici textus sensus [3] . Minus afficior malis meis , quam injuriis , & contumeliis , quæ evomuntur in te . Usquequo patieris illas ? numquam ne arma corripiet manus tua , ut illas retundat ?

ỹ. 12. UT QUID AVERTIS MANUM TUAM , & DEXTERAM TUAM DE MEDIO SINU TUO IN FINEM .] Velut qui renuit manum de sinu suo educere , proximo opem laturus [4] . Expedi manus tuas , accingere zelo tuo , & populo tuo fer opem . Vel cum aliis [5] : Quare removes manus tuas de sinu tuo , & cessas effundere super nos , ut olim , beneficia tua ? Quidquid pretiosum est , asservatur in sinu , eique manus admovetur , cum aliis munus faciendum est ; illud enim de sinu educitur , atque benigna manu erogatur . Sed cum manus removetur de sinu , hoc argumentum est , nullum nos munus aliis velle elargiri . Psalteria quædam antiqua legunt : *Ut quid avertis faciem tuam , & dexteram tuam* . Hebr. [6] *Cur amoves manum tuam , & dexteram tuam ? Educ illam de medio sinu tuo , & dele* hostes tuos . Vel ; *Cur manus tua , & dextera tua egrediuntur de sinu tuo , ut nos perdant ?* Cur nos malis obruere pergis in hac miserrima captivitate ? Nonne satis passi sumus in patria ? Semperne sæviet in nos manus tua ? Extende illam super inimicos nostros , qui te ad iram toties provocaverunt .

ỹ. 13. DEUS AUTEM REX NOSTER ANTE SÆCULA, OPERATUS EST SALUTEM IN MEDIO TERRÆ .] Patres [7] hoc vulgo intelligunt de humani generis redemptione , quam J. C. Deus noster , ac Rex , operatus est in Jerusalem in medio Judææ , immo & terrarum omnium meditullio , uti omnes Interpretes ajunt . Sed inter tot , quibus obruimur , calamitates , & mala , hoc nobis solatio est , quod Rex noster , Deus noster, Redemptor , atque Messias , redempturus est aliquando universum humanum genus in medio terræ , in Judæa , populis omnibus inspectantibus . Omni caret dubitatione, antiquos Judæos , atque Christianos credidisse Jerusalem vere in mundi meditullio esse positam . Josephus de Bello l. 2. c. 2. in Lat. ait, eam in regionis illius umbilico fuisse . Ezechiel hoc ipsum refert [8] ; & c. 5. 5. ait, Jerusalem in medio nationum esse ædificatam : *Ista est Jerusalem : in medio gentium posui eam , & in circuitu ejus terras* . Rabbini , & S. Hieronymus hos loquendi modos pressius intellexere . Kimchi in Psalmum 86. 3. ait , tellurem in septem climata esse divisam , & Jerusalem totius hujus spatii medium obtinere, in totius habitatæ terræ meditullio positam; quod haud ita facile spernendum est; a Jerusalem enim ad Gangem , qui habebatur veluti extremus terræ limes in Indorum regione sexaginta gradus enumerantur , & totidem usque ad remotionem Hispaniæ partem, occasum versus . Rabbinus idem , & Salomon filius Isaaci in allatum Ezechielis locum , asserunt ipsi quoque , Jerusalem esse in medio mundi ; & S. Hieronymus [9] id repetit non modo in eum , quem explicamus , Psalmi locum , verum etiam in utrumque Ezechielis, quos memoravimus . Theodoretus in eumdem Ezechielis locum rem ad litteram explicat , non secus ac S. Hilarius in Psalmum 134. ỹ. 9. & in S. Matth. 27. c. 33. n. 4. Auctor Poematis adversus Marcionem , quod Tertulliani nomine circumfertur , credidit , Calvarium , vel Golgotham terræ totius fuisse umbilicum .

Golgo-

1 4. Reg. 4. 23. *Excurram usque ad hominem Dei , & revertar . Qui ait illi : Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt calendæ , neque Sabbathum* .
2 אותותינו לא ראינו אין עוד נביא ואין אתנו יודע עד מה 3 ינאץ אויב שמך לנצח
4 Drus. Muis , Genebr. Flamin. 5 Euseb. Athanas. Theodoret. Euthym. Heraclæot. Geier.
6 למה תשיב ידך וימינך מקרב חיקך כלה 7 Hieron. hic , & in Ezech. 5. 5. Hilar. in Psalm. 134. 9.
8 Ezech. 38. 12. *Super populum qui possidere cœpit , & esse habitator umbilici terræ* .
9 Hieronym. hic . *In medio terræ , sive in Judæa , quæ medium terræ dicitur , sive in utero virginali* . Et in Ezechiel. 38. 12. *Ierusalem in medio mundi sitam , hic idem Propheta testatur , umbilicum terræ eam esse demonstrans* , Et in Ezech. 5. 5. *Psalmista passionem exprimens , operatus est , inquit , salutem in medio terræ* .

Golgotha locus est, capitis Calvaria quondam . . . . A
Hic medium terræ est.

Et alius Poeta S. Cypriani nomine citatus.

Est locus, ex omni medium quem credimus orbe,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt.

Eadem opinio in Annalibus Alexandrinis ab Eutychio deprehenditur, uti quoque in nonnullis Auctoribus magis recentibus. Auctor, qui scripsit de sacrorum locorum situ, & qui Bedæ nomen præfefert c. 3. meminit columnæ, quam in Jerusalem esse ait, & quæ nullam alicubi jacit umbram, cum Sol ad Æstivum pervenit Solstitium. Alii asserunt, ea in urbe puteum esse, in quo per Æstatem meridie Sol perpendicularis adspicitur. Verum omnes has populares sententias Geographi explodunt, qui Jerusalem statuunt ad trigesimum secundum latitudinis gradum, longitudinis vero secundum supra quinquagesimum. B

Verum tamen est in uno sensu, quemadmodum S. Hieronymus in Ezech. 38. 12. animadvertit, Jerusalem in peropportuno, & apprime commodo situ ad negotiationem cum tribus terrarum partibus Asia, Africa, & Europa, quæ ante alias, quæ recens inventæ sunt terræ, agnoscebantur, obeundam positam esse; & eo tempore, quo Salvator in terris versatus est, & quo Scriptores allati vigebant, erat ferme in medio frequentium populorum. Non enim in mathematico sensu, verum in sensu lato, & commodo intelligendum est, quidquid illi de hujus urbis in medio terrarum positæ situ attulerunt.

Sed, ut revertamur ad locum, quem explicamus, *Deus Rex noster operatus est salutem in medio terræ*, plurimi [1] hoc pacto intelligunt: Dominus eduxit populum suum de Ægypto coram omni Mundo, inde illum auctoritate, aperta vi, & potenter eduxit. Intelligi quoque potest in latiori sensu. Sed Deus noster est Deus Salvator, qui ubique terrarum suam potestatem ostendit. Hebræus [2]. *Dominus meus Rex ab initio salutem operatur in medio terræ.* C

℣. 14. Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum.] Rubri maris aquas aperuisti, ut transitum præberes populo tuo, easque suspendisti, atque continuisti, perinde ac gelu fuissent concretæ, atque solidæ. Confregisti caput Pharaonis, & Ducum illius sub fluctibus maris hujus, quod illos absorbuit. Ita omnes ferme Interpretes hunc locum intelligunt [3]. Potest etiam, mea quidem sententia, explicari tamquam Divinæ potentiæ generalis effectus: Perturbas, vel [4] *ebullire facis mare in virtute tua, & confringis capita magnorum piscium in aquis.* Asaph hic refert varia exempla Divinæ potestatis in res creatas, ut ad opem populo suo ferendam impellat. Isajas [5] inter Divinæ omnipotentiæ opera hoc quoque recenset, quod magnos pisces maris interficit. Verum iis in locis, qui afferuntur, loquitur de Ægypti Rege sub nomine piscis magni, vel crocodili; atque ideo hæc explicatio redit ad eam, quam primum attulimus, & eo melius redit, quod nomen Pharaonis crocodilum dicitur significare. D

℣. 15. Tu confregisti capita Draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum.] Persequitur allegoriam magni piscis in mari interfecti, & Creatoris potentia ad litus advecti, ut sit præda, & esca populis, maritimas oras incolentibus. Ichtyophagi, qui habitant occiduum rubri maris litus piscibus tantum vescuntur, quos aquarum æstus illuc abiicit [6]. E Pharaonis exercitus in mari submersus ad litora ejectus fuit, ubi Ichtyophagi illius spolia, arma, opesque ademerunt. Sunt qui [7] putent etiam ipsos eorum carnes comedisse; verum nullibi invenio Troglodytas hoc escarum genere usos fuisse. Æthiopes, ii saltem, qui humanam carnem manducasse perhibentur, nimis procul inde morabantur. Hebræus [8]: *Confregisti caput Leviathan, dedisti eum escam populo Ziim.* In Job, & alibi ostendimus, Leviathan significare crocodilum [9], & Scriptores Sacros nonnumquam hoc nomine metaphorice Ægypti Regem significare. *Ziim* proprie significant populos, quorum vita in navigatione transigitur, mercatores, & præcipue piscatores [10]. Hic igitur verus est loci hujus sensus. *Immanis piscis*, crocodili, Pharaonis *caput confregisti, ac dedisti eum escam piscatoribus.* Ejus spolia maritimis populis tradidisti. Non pauci [11] Æthiopum nomine, eas feras intelligunt, quæ Ægyptiorum in maris litus abjectorum cadavera devorarunt.

℣. 16. Tu dirupisti fontes, & torrentes, tu siccasti fluvios Ethan.] Percussisti rupes in deserto [12] per manum Moysis servi tui, atque inde emanare fecisti fontes adeo copiosos, ut efficerent torrentes, qui possent pares esse levandæ siti innumeri populi, in arido loco, & solaribus radiis ambusti, idque plurium annorum intervallo, pluribusque in locis. Præterea siccasti torrentes Arnon, & Jabok, & fluvium Jordanem. Aquarum Jordanis divisio temporibus Josue ex Historia Jos. 3. 15. 16. satis liquet: ea vero torrentis Arnon non adeo certa est; verumtamen illam innuit Textus Vulgatæ in Libro Numerorum 21. 13. 14. 15. *Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.* Habacuc quoque c. 3. 9. multitudinis numero loquitur de fluviis, quos Dominus exsiccavit. Chaldæus explicite hoc in loco memorat aquas, flumina, vel torrentes, eumque nonnulli interpretes sequuntur [13]; sed hæ auctoritates factum hoc certum efficere nequeunt; cum non satis aperte in Scriptura inveniantur. Hebræus [14]: *Aperuisti fontem, & torrentem; rapidos fluvios siccasti* [15], vel cum Symmacho [16]: *fluvios antiquos.* Sunt qui pro fluviis *Ethan* intelligunt mare rubrum, proximum deserto *Ethan*, vel *Etham* [17], vel rivulos quosdam non procul ab Jerusalem in amæno loco, ubi Salomon postea villam suam ædificavit, & ubi aliquot Æstatis dies transigebat. Josephus Antiq. l. 8. c. 2. docet, locum hunc Ethan fuisse appellatum; & S. Isidorus Pelusiota lib. 2. c. 66. putat, hujus loci fluvios Dominum exsiccasse. Verum magis naturale est nomen *Ethan* in generico sensu intelligere, rapidum, magnum, violentum. Adhibetur, cum sermo est de prærupta rupe Num. 24. 21. de rapido torrente Deut. 24. 4. & Amos 5. 24. de ossibus robustis, ac fortibus Job. 33. 19. de via difficili, & præpedita Prov. 13. 15. de mari fine vi Exod. 14. 27. &c. Hic autem Jordanem simpliciter potest innuere. Apud Poetas pluralis sæpe pro singulari usurpatur.

℣. 17. Tu fabricatus es Auroram, & Solem.] Complura Exemplaria Septuaginta [18], & plurima antiqua Latina Psalteria [19], Chaldæus, & Sexta Editio in Hexaplis legunt: *Solem, & Lunam creasti.* S. Hieronymus, Aquila [20], & Theodotion: *creasti corpus lucidum, & Solem*; quod a priori versione non discrepat, cum lucidum hoc corpus non nisi de Luna possit explicari. Hebræus [21]: *Constituisti lumen, & Solem.* Plerique de Luna intelligunt [22]: alii de Astris generatim.

℣. 18. Tu

1 Theodoret. hic: τὸ γὰρ ἐν μέσῳ τῆς γῆς, ἀντὶ τοῦ πάντων ἐμφανῶς. Muis, Flamin. Kimch. Ferrand. alii.
2 ואלהים מלכי מקדם פעל ישועות בקרב הארץ 3 Euseb. Athan. Chald. Rabb. Geneb. Muis, alii passim.
4 אתה פוררת בעזך ים שברת ראשי תנינים על המים Sym. Διεκχώρισας. Th. Διέρρηξας.
5 Isai. 27. 1. 51. Vide si lubet Job. 40. 20. 6 Diodor. Sicul. l. 3. pag. 106. 107. seu 152. & 153.
7 Ferrand. hic. 8 אתה רצצת ראשי לויתן תתננו מאכל לעם לציים Aqu. τοῖς ἐξεληλαμένοις. Th. Τῷ ἐσχάτῳ. 5. Ed. Ἐξεληλυθόσι. Heb. ציים 9 Job. 3. 8. 40. 20. Isa. 27. 1.
10 Psal. 71. 9. Isai. 23. 13. &c. 11 Euseb. Athan. Muis, Pisc. Ham. Ainsv.
12 Exod. 17. 7. & Num. 20. 8. 13 Ainsv. Hamm. Bossuet.
14 אתה בקעת מעין ונחל אתה הובשת נהרות איתן 15 Aqui. Ποταμοὺς στερεούς, seu στερρούς.
16 Sym. Ποταμοὺς ἀρχαίους. 17 Exod. 13. 20. Num. 33. 6. 18 70. Edit. Rom. Σὺ κατηρτίσω ἥλιον, καὶ σελήνην. Ita Arab. Æthiop. Apollinar. 19 Aug. Cassiod. Psalt. Rom. Gall. German. Mediol.
20 Aqu. Φωστῆρα καὶ ἥλιον. 21 הכינות מאור ושמש 22 Muis, Chald. Pisc. Ham. alii.

℣. 18. TU FECISTI OMNES TERMINOS TERRÆ [1]: ÆSTATEM & VER, TU PLASMASTI EA.] Hebr. [2] *Tu fecisti hyemem, & æstatem*. Hebræi duplicem tantum anni tempestatem habebant, quemadmodum in Genesim 8. 22. ostendimus. Afris quoque, & Danis duo tantum esse anni tempora dicuntur. Recentiores Hebræi sex numerant anni partes [3], I. tempus seminum, quod respondet Lunis Septembris, & Octobris. II. hyemem, quæ complectitur Novembrem, atque Decembrem. III. Januarium & Februarium, quos dicunt *Kor*, frigus; IV. tempus messis, menses videlicet Martium, & Aprilem; V. Æstatem; Majum, & Junium; VI. magnum calorem, Julium, & Augustum. Theodoretus scite hic animadvertit, Asaph Hyemis, atque Æstatis nomine omnes anni tempestates innuere voluisse.

℣. 19. MEMOR ESTO HUJUS; INIMICUS IMPROPERAVIT DOMINO; & POPULUS INSIPIENS INCITAVIT NOMEN TUUM.] Verba hæc, *Memor esto hujus*, varium possunt sensum admittere. Exempli gratia: Memor esto horum omnium, quæ a me dicta sunt, te scilicet Creatorem esse, Patronum, Liberatorem populi tui. Ne obliviscaris, nos tuos esse, atque interesse gloriæ tuæ, nobis opem afferre. Aliter: Reminiscere, Domine, eorum, quæ hactenus dixi, revoca tibi in mentem contumelias, & opprobria, quæ tui, ac nostri inimici nomini tuo intulerunt. Plurima antiqua Psalteria legunt [4]: *Memor esto creaturæ tuæ: inimicus insultavit Domino* &c. Theodoretus [5]: *reminiscere cœtus tui*, populi tui.

℣. 20. NE TRADAS BESTIIS ANIMAS CONFITENTES TIBI, & ANIMAS PAUPERUM TUORUM NE OBLIVISCARIS IN FINEM.] Ne tradas barbaris his nationibus, efferis, atque inhumanis populis eos, qui te confitentur, agnoscunt, laudant; verbo, ne permittas, Chaldæos magis feroces, atque violentos, quam feras, diutius in famulos, filiosque tuos dominari. Hebræus [6]: *ne tradas feroci belluæ animam turturis tuæ; ne obliviscaris pauperum*, vel afflictorum *tuorum*. Ne infirmum populum tuum, egenum, gementem, inermem, verbo, turturem tuam, tradas furori Chaldæorum, & Nabuchodonosor. Septuaginta [7], & antiqui Interpretes Græci, S. Hieronymus, & fortasse etiam Chaldæus, legerunt *Todecha* pro *Torecha* in Hebraico textu: *confitentem*, vel in lege tua eruditum, pro *turture* tua. At ego præferrem lectionem Septuaginta.

℣. 21. RESPICE IN TESTAMENTUM TUUM, QUIA REPLETI SUNT, QUI OBSCURATI SUNT TERRÆ, DOMIBUS INIQUITATUM [8].] Hi homines *obscurati terræ*, seu contemptibiles sunt vel Chaldæi, vel Idumæi, Samaritani, aliique populi, qui in Palæstina permanserant, & qui dum Hebræi in exilio suo, & misera captivitate detinebantur, possessionem sibi usurpaverant bonorum, urbium, ac domuum eorum. Verti quoque potest juxta Hebræum [9]: *Conjice oculos in testamentum*

A *tuum; nam hic populus obscurus*. Hebræi, qui hodie in tenebris delitescunt, squalent in captivitate, affliguntur in inopia, sunt *in domibus iniquitatum*, replent Babylonem urbem hanc impiam, atque nefariam; ibique immorati tenentur veluti vilissima mancipia in medio populi polluti, in singula momenta expositi periculo se quoque polluendi usu rerum prohibitarum, vel etiam cultu idolorum. Aliter: Considera, Domine, fœdus, quod olim cum nobis percussisti, oculos conjice in Babylonios, populos in ignorantiæ caligine [10], atque in sceleribus immersos, in superbos hos nationum victores, qui domos suas repleverunt opibus iniquitatis, spoliis populorum, divitiis per summum nefas quæsitis. Symmachus [11]: *quoniam loci penitiores terræ repleti sunt fructibus iniquitatis*. Babyloniorum

B thesauri repleti sunt bonis dumtaxat injuste comparatis. Mihi magis arridet eorum versio, quæ per ea verba *obscurati terræ* Judæos intelligit in Captivitate degentes. Dicere possumus *obscuros terræ*, uti etiam humiles terræ, pauperes terræ, mortuos terræ. Calamitas, humiliatio, servitus sæpius tenebrarum & obscuritatis nomine exprimuntur. Nihil tristius esse poterat bonis Israelitis, quam in medio inimicorum populorum vivere, in domibus iisdem commisceri, iisdem in locis commorari cum pollutis hominibus, & qui hoc unum dumtaxat quærebant, ut illos in flagitia sua, atque nefaria scelera allicerent. S. Hieronymus in Exemplaribus suis legebat: *Repleti sunt, qui obscurati sunt terræ dumis iniquitatum*, pro *domibus* &c.

℣. 22. NE AVERTATUR HUMILIS FACTUS CONFU-

C SUS.] Ne deneges illi præsidium tuum; ne pudore suffundatur ob repulsam pauper, qui tuam opem implorat.

℣. 23. JUDICA CAUSAM TUAM;] vel potius [12]: *Defende causam tuam*. Tuæ interest gloriæ, ut populum tuum tuearis, & ulciscaris contumelias, atque blasphemias, quas inimici tui in te protulerunt. S. Augustinus legebat: *Judica causam meam*. Apollinarius: *Judica causam nostram*. Symmachus [13]: *Præliare prælia tua*; tui met defensionem suscipe.

℣. 24. NE OBLIVISCARIS VOCEM INIMICORUM TUORUM.] Septuaginta Complutenses [14]: *Ne obliviscaris vocem servorum tuorum*. Romani vero [15], S. Augustinus, & Psalterium S. Germani. *Ne obliviscaris vocem te deprecantium*. Alii [16]: *vocem te quærentium*.

D Sed Hebræus [17], Chaldæus, & Syrus legunt: *vocem inimicorum tuorum*.

SUPERBIA EORUM, QUI TE ODERUNT, ASCENDIT SEMPER.] Chaldæi quotidie magis in te, Domine, insolescunt, in nos vero magis, magisque desæviunt. Hebræus: *Elevatio*, superbia, strepitus, sonus, tumultus *eorum, qui adversum te elevantur, ascendit semper*. S. Augustinus, & Psalteria Romanum, atque Mediolanense: *Ascendat ad te semper*. Clamor superbiæ eorum ad te usque perveniat. Symmachus [18]: *Usquequo* strepitus hic *indesinenter assurget?*

---

1 70. Σὺ ἐποίησας πάντα τὰ ὅρια τῆς γῆς. Plura Exemplaria Græca: τὰ ὡραῖα τῆς γῆς. *Quod in terris pulcherrimum est*. 2 קיץ וחרף אתה יצרתם 3 Vide Genebrard. in hunc locum

4 70. Edit. Rom. Μνήσθητι ταύτης τῆς κτίσεώς σου, ἐχθρὸς ὠνείδισε τὸν κύριον. Ita Athan. Hesych. Aug. Psalt. Rom. Mediol. sancti German. Carnut. 5 Theodoret. Μνήσθητι ταύτης, τουτέστι τῆς Συναγωγῆς. Ita Heracleot. & Theodorus. Sym. Μνήσθητι ταῦτα. *Horum reminiscere*. Hebræum est in genere fœminino; at Hebræi fœmininum usurpant, ut Græci & Latini neutrum. 6 אל תתן לחית נפש תורך חית עניך אל תשכח לנצח

7 70. Μὴ παραδῷς τοῖς θηρίοις ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι. Legerunt, תודך pro תורך Hieron. *Ne tradas bestiis animam eruditam in lege tua*. 8 Aug. *Repleti sunt domorum iniquarum*. Psalt. Rom. & Mediol. *Domorum iniquitatum*. S. Germ. *Repleti sunt obscuritate terræ domus iniquitatum*.

9 הבט לברית כי מלאו מחשכי ארץ נאות חמס 10 Ita Theodoret.

11 Sym. Ὅτι ἐπλήσθησαν ὁ σκοτισμὸς τῆς γῆς ὡραιοτάτων ἀδικίας. 12 Heb. ריבה ריבך

13 Sym. Πολέμησον τὸν μάχας σου. 14 Μὴ ἐπιλάθῃ τῆς φωνῆς τῶν ἱκετῶν σου.

15 Μὴ ἐπιλάθῃ τῆς φωνῆς τῶν ἱκετῶν σου. Psal. Mediol. *supplicum tuorum*.

16 Psalt. Rom. & Carnut. 17 אל תשכח קול צרריך Sym. Ἦχος τῶν ἀντεστηκότων σοι.

18 שאון קמיך עלה תמיד Sym. Μέχρι δὲ ἀναβαίνοντος ἀδιαλείπτως.

PSALMUS LXXIV.

Justi laudabunt Dominum. Deus superbos judicabit ; & faciet, ut bibant calicem iræ suæ usque ad fæces. Eorum superbiam confringet.

In finem, ne disperdas, Psalmus Cantici Asaph.

ARGUMENTUM.

IN FINEM NE DISPERDAS, PSALMUS CANTICI ASAPH. *Psalmus, & Canticum Asaph in finem ; ne perdas illum*. Vel potius [1] : *Psalmus, vel Canticum Asaph Musicorum Moderatori inscriptum ad malum aliquod deprecandum*, quod intentatum fuit, vel ad orandum Deum, ut nos ab aliquo periculo tueatur. Symmachus [2] : *Victoriæ Canticum ab Asaph compositum de immortalitate*. Novissima hæc verba nonnullos impulerunt [3], ut crederent, psalmum hunc respicere resurrectionem, atque immortalitatem, quæ nobis in altera vita promissa est ; vel Judicium universale [4]. Chaldæus eum refert ad illam Regni David circumstantiam, cum Rex intuitus populum suum peste laborantem, Dominum oravit, ut parceret, neque eum perdere vellet [5] : *ne disperdas*. Alii [6] putant, Psalmistam alludere ad ea, quæ dixit David cum noctu Saulis Tabernaculum ingressus, eumque dormientem nactus, ait ad Abisai 1. Reg. 26. 9. *ne interficias eum ; quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Verbo, quilibet more suo aliquid assequi divinando contendit. Abenezra putat, *ne disperdas*, esse initium cantionis cujusdam, juxta cujus numeros psalmus hic canebatur. Genebrardus autumat, voces, quæ psalmis præfixæ leguntur, & quæ tantum Interpretibus negotium facessunt, fuisse in antiqua Templi musica illud ipsum, quod antiphonæ in cantu nostro Ecclesiastico, neque ullam distinctam, & peculiarem habere significationem ; sed earum usum fuisse dumtaxat ad innuendum, quis esset psalmi concentus. Videri possunt in titulum psalmi 56. notata. Theodoretus, & Venerabilis Beda hunc referunt ad cædem Sennacherib: sed Theodoretus, & Theodorus Heraclæota, quibus recentiores plurimi adhærent [7], credunt, compositum fuisse tempore Babylonicæ captivitatis, & Asaph hic repræsentare populum a Deo libertatem petentem, & promittentem, se post reditum suum in terras Israel Domini laudes celebraturum ; & postmodum Dominum loquentem, ac spondentem, se insignem de hostibus suis ultionem sumpturum. Commode subnecti potest psalmo superiori : ad eadem tempora spectat, & idem argumentum.

1. Confitebimur tibi, Deus: confitebimur, & invocabimus nomen tuum. 2 Nar-
rabimus mirabilia tua : cum accepero tempus, ego justitias judicabo. 3 Li-
quefacta est terra, & omnes, qui habitant in ea : ego confirmavi columnas
ejus. 4 Dixi iniquis : Nolite inique agere : & delinquentibus : Nolite exaltare cor-
nu. 5 Nolite extollere in altum cornu vestrum : nolite loqui adversus Deum iniqui-
tatem. 6 Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus :
quoniam Deus judex est. 7 Hunc humiliat, & hunc exaltat : quia calix in manu Do-
mini vini meri plenus misto. 8 Et inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen fæx ejus
non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ. 9 Ego autem annuntiabo in sæ-
culum : cantabo Deo Jacob. 10 Et omnia cornua peccatorum confringam : & exal-
tabuntur cornua justi.

℣. 1. CONFITEBIMUR TIBI, DEUS, CONFITEBIMUR &c.] Postquam nos voti damnaveris, & finem captivitati nostræ imposueris, laudum cantica tibi recinemus, & grati animi, ac lætitiæ nostræ insignia præbebimus monumenta. Tunc nomen tuum invocabimus, tunc Dominici populi dignitate gloriabimur [8], & antiqua tua enarrantes miracula, illis recentium miserationum tuarum magnificam narrationem addemus. Hebræus [9] : *Te laudabimus, Domine, te laudabimus. Nomen tuum est prope* nos ; *enarrabuntur mirabilia tua* [10] : Textus hic admodum inconcinnus est, & lectio, quam Septuaginta, & Vulgata exhibent, magis est perspicua. Hebræus per paraphrasim hoc pacto potest efferri: Confitebimur tibi, Deus, & laudabimus te, tunc cum ad A nos propius accesseris, & certi erimus gratiæ tuæ ; tunc populus magnifice mirabilia tua prædicabit.

℣. 2. CUM ACCEPERO TEMPUS, EGO JUSTITIAS JUDICABO.] Hæc est responsio Domini prolixæ Orationi Asaph, quam fecerat in Psalmo superiori, & primo hujus versiculo, qui illius est velut conclusio. Utique ulciscar honorem meum a Chaldæis lacessitum; nequaquam oblitus suum eorum crudelitatis, atque impotentiæ adversus populum, blasphemiarum vero contra me. Cum tempus advenerit, & flagitiis suis cumulum addiderint, percutiam illos ultione mea, & reddam illis secundum opera eorum [11]. Deus est Dominus temporum, & circumstantiarum, si utitur indulgentia, & patientia erga peccatorem, si scelerum illius oblivisci, eaque dissimulare videtur, tunc magis

ira

---

1 למנצח אל תשחת מזמור לאסף שיר 2 Symmach. Ἐπινίκιον περὶ ἀθανασίας, ψαλμὸς Ἀσάφ.
3 Euseb. 4 Athanas. Euthym. 5 2. Reg 24. 17. *Ego sum, qui peccavi : isti, qui oves sunt, quid fecerunt?* 6 Hieron. hic. 7 Muis, Ferrand. alii.
8 Theodoret. 9 הודינו לך אלהים הודינו וקרוב שמך ספרו נפלאותיך
10 70. Διηγήσομαι. *Narrabo*. Ita Euseb. Athanas. Aug. 11 Vide S. August. & S. Hieron. in hunc locum.

ira succensus est, ac certius decrevit, summa cum severitate sua judicia exercere. Væ illis, quorum Dominus supplicia sibi in æternitatem reservat. Hebræus [1]: *cum accepero determinatam diem, judicabo secundum æquitatem*. Cum sessionis meæ, judicii mei tempus advenerit, tunc peccatores experientur pondus brachii mei. Vel: *Cum accepero*, & decrevero *conventum* populi mei, *tunc districte judicabo*. Babylonem punire expecto, tunc cum inde populus egressus fuerit [2].

℣. 3. LIQUEFACTA EST TERRA, & OMNES, QUI HABITANT IN EA, EGO CONFIRMAVI COLUMNAS EJUS.] Ego terram, & concutio, & confirmo; ego montes liquescere jubeo, & eos communio. Si Judæa desolata fuit, si effeci, ut manus meæ pondus experiretur, eam restaurare possum, atque florentissimam reddere. Superbos, impiosque Reges dejeci, alios pietatis amantiores, sapientioresque constituam. Aliter: cum processero, terrarum orbem judicaturus, tellus coram me liquescet, quemadmodum cera, si admoveatur igni [3], & cum mihi libitum fuerit, eam rursus confirmabo. Vita, & mors, electio, vel dejectio Principum in manibus meis sunt. Constituo, & dissipo regna, ea concedo, & adimo, prout mihi lubet; ideoque ne dubitetis, quin vos de Chaldæorum manibus educere valeam, eorum superbiam confringere, cum eorum tempus accesserit. Symmachus [4]: *Terra cum incolis suis confirmabitur, ego posui columnas ejus*.

℣. 4. DIXI INIQUIS: NOLITE INIQUE AGERE.] Deus prosequitur sermonem suum. Chaldæos admonui, ut sceleribus suis abrenuntient. Depressi Nabuchodonosor eo usque, ut illum ad feræ statum redigerem; terribili modo percussi Balthassar; detexi idololatriæ vanitatem, ac Sacerdotum dolos per Danielem servum meum. Non audierunt consilia mea, eos vocavi, ipsi obtemperare noluerunt: adveniet iræ meæ dies; ipsi quoque clamabunt, & ego non audiam eos. Hebræus [5]: *Insipientibus dixi, ne faciatis insaniam*. Insania pro peccato passim in Scriptura usurpatur: Symmachus [6]: *seditiosis dixi, nolite deficere: & improbis, nolite exaltare cornu*.

℣. 5. NOLITE EXALTARE CORNU, NOLITE EXTOLLERE IN ALTUM CORNU VESTRUM, NOLITE LOQUI ADVERSUS DEUM INIQUITATEM.] Pergunt monita, quæ Deus tradit Babyloniis. Bis ait illis, ne *exaltent cornu*, ne imporentur se efferant, ne superbia intumescant. Hoc indigebant consilio in medio elevationis suæ, prosperæque fortunæ. Ex omnibus sceleribus, superbiæ minus parcit Deus, eaque illum magis lacessit. Hebræus [7]: *Ne elevetis cornu, ne elevetis in altum*, vel contra Altissimum *cornu vestrum, ne loquamini rigida*, & inflexibili *cervice*. Septuaginta legebant [8]: *Ne loquamini dure* [9], ferociter, impotenter *contra rupem*, contra Deum, contra Omnipotentem; quod longe meliorem adstruit sensum, quam Hebræus, qui hodie extat.

℣. 6. QUIA NEQUE AB ORIENTE, NEQUE AB OCCIDENTE, NEQUE A DESERTIS MONTIBUS; QUONIAM DEUS JUDEX EST.] Nullus umquam vir, nulla vis educet vos de manibus meis, ultionem meam non effugietis. Quocumque oculos conjiciatis, aditus omnes claudam; nemo vobis feret opem. Media, Armenia, Mesopotamia sunt ad Orientem Babylonis; illinc Darius Medus advenit: ad occasum vero sunt Arabia, Phœnicia, Ægyptus, quæ nullum subsidium attulerunt Imperio Babylonico, cum illud Cyrus adortus est. *Montes deserti* fortasse Montes Persidis sunt; illinc venit Cyrus, qui Chaldæorum evertit imperium; illud vero Persarum constituit.

Ego autem ita explicare vellem 7. 8. & 9. Psalmi hujus versiculos. Dominus est justus Judex habens in manu sua calicem vini furoris sui; omnes peccatores, sine ulla exceptione bibent ex eo. Non oriens, non occidens, non montes deserti erunt immunes. Locus hic conferendus est cum eo Jeremiæ 25. 14. & seq. ubi Dominus hæc inquit Prophetæ: *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te; & bibent, & turbabuntur, & insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu Domini, & propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus: Jerusalem, & civitatibus Juda, & regibus ejus, & principibus ejus: ut darem eos in solitudinem, & in stuporem, & in sibilum, & in maledictionem, sicut est dies ista: Pharaoni Regi Ægypti, & servis ejus, & principibus ejus, & omni populo ejus: Et universis generaliter: cunctis Regibus terræ Ausitidis, & cunctis Regibus terræ Philisthiim, & Ascaloni, & Gazæ, & Accaron, & reliquiis Azoti, & Idumeæ, & Moab, & filiis Ammon, & cunctis Regibus Tyri, & universis Regibus Sidonis, & regibus terræ insularum, qui sunt trans mare: Et Dedan, & Thema, & Buz, & universis, qui attonsi sunt in comam; & cunctis Regibus Arabiæ, et cunctis Regibus Occidentis, qui habitant in deserto: et cunctis Regibus Zambri, et cunctis Regibus Elam, et cunctis Regibus Medorum: Cunctis quoque Regibus Aquilonis de prope, et de longe, unicuique contra fratrem suum, et omnibus regnis terræ, quæ super faciem ejus sunt: et Rex Sesach bibet post eos*. Sesach est Babylon hoc in loco, ubi videntur Reges Occidentis, Orientis, Montium, & deserti Calice divini furoris inebriati.

℣. 7. DEUS JUDEX EST; HUNC HUMILIAT, & HUNC EXALTAT.] Vel [10]: *Deus Judex est ipse, et exaltat, et humiliat*.

QUIA CALIX IN MANU DOMINI VINI MERI, PLENUS MIXTO; & INCLINAVIT EX HOC IN HOC &c.] Calix vulgo [11] in Prophetarum stylo ultionem, & iram significat. Asaph hic nobis exhibet Dominum manu tenentem calicem, eumque bibendum omnibus peccatoribus terræ, modo huic, modo illi, porrigentem. Calix adeo ingens est, & potus amarus adeo, ut quamvis plurimi ex eo bibant, plurimum adhuc pro aliis superfit. Fæces in imo subsidunt, & novissimi non ideo melius se habebunt, sed majorem calicis amaritudinem perpotabunt.

Septuaginta, Vulgata, Syriaca Versio, & Arabica duos hic calices memorare videntur; & plurimi Interpretes [12] locum hunc ita explicant. Alter e calicibus plenus est mero, & defæcato vino; alter vero densius, atque perturbatius vinum habet cum fæce sua. Utrumque commiscet, & diluit merum immixtione vini amari, atque turbati pro magnitudine scelerum. Judæi omnium primi ex calice biberunt, verum biberunt vinum lene, & merum, habita ratione illius, quod peccatoribus aliis reservatur. Deus illis fæces reservat; eas ad imum usque, & omnes simul haurient. Ita dicitur Homerus Iliad. 24. describere in utroque latere throni Jovis dolia duo referta, alterum quidem malis, bonis alterum.

Sed plerique Interpretum Hebræo textui adhærentes unum tantummodo agnoscunt calicem; juxta quam hypothesim sensus hic Hebraico textui [13] potest appingi: *Dominus tenet in manu sua calicem plenum usque ad os turbido vino, et mixto, hunc bibendum porrigit: omnes*

---

1 כי אקח מועד אני מישרים אשפט 2 Aqu. Ὅτι ἂν λάβω συνταγήν. Sym. ὅταν λάβω τὴν συναγωγήν.
3 2. Petri 3. 10 *Elementa calore solventur; terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.*
4 Sym. Σαλευθήσεται ἡ γῆ σὺν τοῖς κατοικοῦσιν αὐτήν, ἐγὼ ἥδρασα τοὺς στύλους αὐτῆς. Hebr. נמגים ארץ וכל ישביה
5 אמרתי להוללים אל תהלו 6 Sym. Εἶπα τοῖς σκαιάζουσι, μὴ σκαιάζετε, καὶ τοῖς παρανομοῦσι, μὴ ὑψοῦτε κέρας. 7 אל תרימו קרן אל תרימו למרום קרנכם תדברו בצואר עתק
8 Μὴ λαλεῖτε κατὰ τοῦ Θεοῦ ἀδικίαν. Legebant, צור rupes; quæ vox epithetum est Dei, pro צואר collum.
9 עתק accipitur pro duro, feroci, impotenti 1. Reg. 2. 3. יצא עתק מפיכם Vide pariter Ps. 30. 19. 93. 4.
10 כי אלהים שפט זה ישפיל וזה ירים 11 Jerem. 51. 7. 49. 49. 25. 15. Isai. 51. 17. 21. 22. Thren. 4. 21. Ezech. 23. 31. Abac. 2 16 Matt. 20. 22. 12 Vide Aug. Genebr. & Grot.
13 כי כוס ביד יהוה ויין חמר מלא מסך ויגר מזה אך שמריה ימצו ישתו כל רשעי ארץ

nes peccatores ex eo ad faces usque bibent. Symmachus [1]: *Dominus tenet in manu sua calicem, quem replet mero, ita ut superius exundet, ut ex eo bibatur*, atque hauriatur. Hebraica vox, quam reddimus *vinum turbatum*, & Symmachus *merum*, significat densum, rubrum, nigricans, qualia sunt rubra regionis illius vina, & qualia ea videmus, quæ ex Hispania advehuntur. Vinum *Chamar*, vel vinum rubrum, & nigrum opponitur vino *Sorek* quod flavum est, & cujus sæpius meminit Scriptura. Addit *mixtum*, hoc est, jam præparatum, cui jam quædam aquæ pars est immixta, ut bibi possit; namque in calidis illis regionibus vina hæc densa, & vehementia non bibebantur, nisi diluta: & generatim dicebatur, *miscere vinum*, pro vinum bibendum porrigere. Id vini densi, ac turbatioris genus aliquam semper fæcis speciem in imo calice habebant, quæ abjiciebatur, neque bibebatur. Deus ait, peccatores omnes bibituros de calice suo, eumque ad fæces usque perpotaturos [2]. Symmachus vertit [3]: *Sed Peccatores extremam usque guttam bibent*, vini hujus *fæces ipsas haurientes*. Ne una quidem gutta supererit: peccatores fæces ipsas exsugent, Ita ut nihil prorsus reliquum sit. Asaph addit, illis calicem porrectum iri, & ipsos licet invitos quodammodo ex eo bibituros, juxta veterem consuetudinem cogendi convivas ad toties bibendum, quoties conviviorum Regi placebat. Felix censebatur, qui esset *solutus* his *insanis legibus*, ut eas Horatius l. 2. Sat. 6. appellat; Assuetus convivas suos iis liberaverat Esth. 1. 8. *Nec erat, qui cogeret ad bibendum*. Patres 4 hanc vini, & fæcis immixtionem de nostris bonis, & nequam actionibus interpretantur, quas Deus miscet, ac temperat, ita ut pro meritis inveniat, unde omnipotentis, ac Justi Judicis æquitati satisfaciat.

℣. 9. Ego autem annuntiabo in sæculum, cantabo Deo Jacob.] Septuaginta [5], S. Augustinus, & antiqua Psalteria legunt: *Ego autem in sæcula gaudebo, canam* &c. Hebræus [6] Vulgatæ conformis est: Annuntiabo in æternum misericordiam tuam, Deus, in grati animi argumentum, ob ea quæ nobis pollicitus es.

℣. 10. Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua justi.] Ait se contriturum, eo quod Dei nomine annuntiat vires impii, & cornu illius iri contritum. Ita Prophetæ loqui assolent. Ajunt se polluere, se elevare, se humiliare, se disperdere, cum isthæc vaticinantur; quod ipsum prædictionum suarum certitudinem designat. Babylonii, aliique Judæorum hostes tempore suo erant humiliandi, neque eorum supplicium diu dilatum est. Asaph eum fortasse irruere vidit. Justus, Populus Judæus a Cyro fuit liberatus, atque liber in Judæam remissus. Justus hic singillatim designare potest Zorobabel [7], qui erat Jesu Christi figura, veri Liberatoris Israel, Justi antonomastice, & omnis justitiæ Auctoris.

1 Sym. Ποτήριον γὰρ ἐν χειρὶ Κυρίου, καὶ οἴνου ἀκράτου πληρῶν ἐκχυθεὶς, ὥστε ἕλκειν ἀπ' αὐτοῦ.
2 Vide pariter Isai. 51. 17. Ezech. 23. 34.
3 Sym. Πλὴν τὰς τρυγίας αὐτοῦ ἐκστραγγιοῦσι πίνοντες οἱ φαῦλοι τῆς γῆς.
4 Origen. Homil. 8. in Num. Euseb. Athan. hic.
5 70. Ἐγὼ δὲ ἀγαλλιάσομαι εἰς τὸν αἰῶνα. Aug. Ps. Rom. Arab. & Mediol. *Ego autem in sæcula gaudebo*. S. Germ. *in Domino gaudebo*.
6 ואני אגיד לעלם. Videntur 70. legisse אגיל
7 Theodoret. hic.

PSALMUS LXXV.

Aguntur Deo gratiæ propter cladem exercitus Assyriorum. Deus terribilis est justus Judex, vitæ, necisque Principum arbiter.

Canticum ad Assyrios.

ARGUMENTUM.

Canticum ad Assyrios. *Canticum in occasione Assyriorum*. Novissima hæc verba plerosque Interpretum [1] tum veterum, cum recentiorum impulerunt, ut Psalmum hunc explicarent veluti Epinicion ob cladem Sennacherib, & exercitus ejus [2]: Psalmi textus ab hac non abhorret sententia, cui unum tantum adversari posse reor; nempe quod Psalmus tribuitur Asaph, quem nemo nescit, Musicum fuisse, qui Davidis ævo degebat. At si Canticum est gratiarum actio ob deletum Sennacherib exercitum, Ezechia regnante, conscribi solum potuit post factum illud, quod illi præbuit argumentum, ideoque nequit auctorem suum Asaph jactare; verum animadvertimus jam in Psalmos 49. & 72. plures fuisse, qui hoc ipso Asaph nomine vocarentur, & veritatis species adest, chorum Asaph nomen illius servasse usque post captivitatem; ita ut Psalmi huic Musicorum choro traditi, e parentis illius nomine fuerint nuncupati, quanquam jam pridem fato functi. Grotius hanc auferre difficultatem adnititur, dicens, postquam Psalmum hunc David cecinerat gratias acturus Deo ob victorias, quas de Ammonitis, aliisque populis, quibus bellum indixerat, reportavit, Ezechiam eumdem usurpasse, ut post cladem Sennacherib Deo gratias ageret.

Alii [3] quin illis negotium facessant tituli verba, *Ad Assyrios*, illum unice explicant de David ex inimicorum ejus manibus liberato, & ajunt has voces, *Ad Assyrios*, esse glossema textui additum, neque eas legi in Hebræo, neque in veteribus Græcis Interpretibus, quemadmodum S. Basilius animadvertit. Theodoretus asserit, se eas in Hexaplis non invenisse, neque adfuisse in quibusdam Exemplaribus Septuaginta. Eusebius Cæsariensis eas non legit, neque leguntur illæ in Romano Psalterio Parisiis typis edito anno 1508. Septuaginta [4], S. Ambrosius, Psalterium Gallicanum legunt: *Canticum ad Assyrium*. Vetus S. Germani Psalterium, *Canticum pro Assyrio*.

Rabbini quidam [5] Psalmum hunc referunt ad Messiæ victorias de Gog, & Magog, ideoque Propheticum esse putant,

1 Theodor. Theodoret. Euthym. Heracleot. Rab. Sal. Muis. Flamin.
2 Vide 4. Reg. 19. 35. & Isai. 37. 36.
3 Vide si lubet Syr. Bossuet. alios.
4 Ὠδὴ πρὸς τὸν Ἀσσύριον.
5 Kimchi, Kabuenaki, Sippurn. Vide & Geneb.

putant, & referri ad factum nimis longe sepositum. S. Augustinus, & alii nonnulli eum intelligunt de J. C. Ecclesia, hostium, atque persequutorum suorum victrice. Nos vero eam sequemur hypothesim, quæ illum de cæde Sennacherib interpretatur. Versiculus primus palam ostendit secessionem Juda, & Israel, quæ post Davidis tempus contigit. Ita porro Hebraicum textum reddimus [1]: *Psalmus inscriptus moderatori puellarum musicis instrumentis psallentium, Canticum Asaph*, vel choro Asaph. Vide Psalmum 49.

1. NOtus in Judæa Deus: in Israel magnum nomen ejus. 2 Et factus est in pace locus ejus: & habitatio ejus in Sion. 3 Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum. 4 Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: Turbati sunt omnes insipientes corde. 5 Dormierunt somnum suum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. 6 Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos. 7 Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua. 8 De cœlo auditum fecisti judicium: terra tremuit, & quievit. 9 Cum exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ. 10 Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. 11 Vovete, & reddite Domino Deo vestro, omnes, qui in circuitu ejus affertis munera. 12 Terribili & ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.

℣. 1. NOTUS IN JUDÆA DEUS, IN ISRAEL MAGNUM NOMEN EJUS.] Hebr. [2]: *Dominus notus est in Juda, nomen ejus magnum est in Israel*. Discrimen, quod isthic adnotatur inter Juda, et Israel, argumento est, psalmum hunc post decem Tribuum secessionem fuisse compositum. Cum cædes Sennacherib nuntiata fuit, Nationes omnes intellexerunt esse Deum in Israel, omnes populi magnitudinem potentiæ, ac Majestatis ejus cognoverunt [3]. Ante Verbi Incarnationem nomen Domini notum erat in Israel, et Juda; sed post Evangelium, in omnibus terrarum oris adoratum fuit [4].

℣. 2. ET FACTUS EST IN PACE LOCUS EJUS, ET HABITATIO EJUS IN SION.] Hebr. [5] *Tabernaculum eius*, tentorium, mapale, recessus ejus *est in Salem, & habitatio ejus in Sion*. *Salem* vetus est nomen *Jebus*, B vel Jerusalem Genes. 14. 18. Ostendit Dominus mirabili, atque insperato auxilio, quod attulit Jerusolymæ, et Sion, cæde copiarum Sennacherib, quàm diligat Jerusalem, quam sibi elegit in habitaculum. Psalmi Auctor isthic designat augustum illud Templum, quod in monte Sion erat ædificatum, Orientis totius miraculum; ac illud designat nomine tentorii, vel mapalis ad innuendum pro Dei magnitudine hoc vile esse, atque inornatum tugurium. Hæc præcedenti versiculo adnecti possunt hoc pacto [6]: Notus est in Juda Dominus; nomen ejus in Israel illustre; sed in Jerusalem præcipue dat præsentiæ suæ signa; in Sion, quam sibi habitationem elegit, ostendit potentiam suam, hostilem Assyriorum exercitum delens. ℣ 4. Terrestris Jerusalem erat figura Ecclesiæ J. C.

℣. 3. IBI CONFREGIT POTENTIAS ARCUUM, SCUTUM, GLADIUM, & BELLUM.] In Judæa, in terris Juda confregit vim clypeorum, arcuum, gladiorumque. Sennacherib exercitus ab angelo exterminatore cæsus fuit, non prope urbem Jerusalem, quemadmodum plurimi scripserunt, sed in itinere Sennacherib, quo contra Tharacam Regem Chus [7] proficiscebatur, Lebnam inter, ac Pelusium. Plurima vetusta Psalteria Latina legunt [8]: *ibi confregit cornua arcuum*. S. Gregorius Magnus l. 33. Moral. c. 28. *Confregit cornua arcuum* &c. Psalterium Mediolanense: *Confregit potestates, arcum, gladium* &c. Editio Sixti V. *Potentias arcum*. Hebræus [9]: *ibi contrivit favillas*, vel flammas *arcus, clypeum, & gladium*. Hæ flammæ, vel scintil-

A læ, carbones arcus, sunt tela adeo velocia, acuta, perniciosa, atque flamma; vel quæ vulnera infligunt adeo ardentia, & ignita, ac si ipsa ignis essent: Vel simplicius: ignita missilia, quibus olim vulgo belli utebantur, & de quibus supra locuti sumus in psalmum 7. 14. Vide Psalmum 119. 4.

℣. 4. ILLUMINANS [10] TU MIRABILITER A MONTIBUS ÆTERNIS.] Dei lumen isthic significat opem, favorem, potentiam, quæ extulit in cæde exercitus Sennacherib; lumen hoc super montes Judææ enituit; illinc ejaculatus est fulmina sua adversus impios, eisque vitam ademit. Videri potest in Isaiam Dissertatio nostra, quomodo Deus Assyriorum exercitum perdiderit. In Scripturis satis frequenter *æternorum* epithetum montibus additur [11], propter eorum firmitatem, & antiquitatem. B Exercitus hic cæsus fuit in meridionali plaga, & in montibus Juda secus viam, qua de Lebna Pelusium est iter, quemadmodum supra dictum est.

Hebræus [12]; *Terribilis es*, o Deus *magnifice, super montes prædæ* [13]. Nominis tui terrorem populis illis incussisti, o Deus, cujus summa est Majestas, eos corripiens, ac prosternens in montibus illis, velut Leo in prædam irruens. Theodotion [14]: *Terribilis es*, o Deus, *admirabilis, in montibus fæcundis*. Aliter: *Magis terribilis es, & major quam montes omnes cumulati bonis, & fructibus*; verum nescio, utrum hæc similitudo huic loco conveniat. Præcedentibus quoque subnecti potest: *Illustris es, o magne Deus! omnes superbi exuti fuerunt his bonis, quæ in montibus collegerant*. Verum nihil isthic satis commodum video; authographus textus isthic fortasse vitiatus fuit. Vulgatæ sensus longe præstat. C

TURBATI SUNT OMNES INSIPIENTES CORDE.] Assyrii, populi illi superbi, atque insolentes, Sennacherib, Rex ille imperiosus, Rabsaces impius ille, atque blasphemus turbati sunt, intuiti unius noctis intervallo repente manu invisibili cæsa, atque trucidata centum, & octoginta quinque militum millia.

Hebræus legit [15]: *Homines cordis exuti fuerunt*. Exercitus ille ingens adeo, & formidabilis victus fuit, ac direptus, atque factus præda populi antea perterriti, & qui in aciem prodire non audebat; ademptæ fuerunt Assyriis exuviæ, quas aliis abstulerant, & ipsi præda fuerunt inimicorum suorum. Chaldæus: Abjecerunt, & dereliquerunt arma sua.

℣. 5. DORMIERUNT SOMNUM SUUM, & NIHIL INVENE-

1 למנצח בנגינות מזמור לאסף שיר 2 נודע ביהודה אלהים בישראל גדול שמו
3 Theodoret. 4 Hieronym. August. Euseb. Athanas. Ambros.
5 ויהי בשלם סוכו ומעונתו בציון Aquil. Symmach. Th. legunt *Salem*. apud Euseb.
6 Muisius hic. 7 Vide 4. Reg. 20. & Isai. 37. 8 Psalt. Rom. Carnut. S. German.
9 שמה שבר רשפי קשת מגן וחרב 10 Græc. φωτίζεις. *Illuminas*.
11 Deut. 33. 15. Abacuc. 3. 6. & Baruc. 5. 7. 12 נאור אתה אדיר מהררי טרף
13 Ita Sym. Ἐπιφανὴς εἶ ὑπερμεγέθης, ἀπὸ ὀρέων θήρας. 14 Th. Φοβερὸς εἶ ὁ θαυμαστὸς ἀπὸ ὀρέων ...
15 אשתוללו אבירי לב

VENERUNT OMNES VIRI DIVITIARUM IN MANIBUS SUIS.] Assyrii æterno somno soporati sunt, ac repente ad alteram vitam translati sunt, quo divitiæ, quas in hac tanto studio collegerant, eos nequaquam secutæ sunt. Se se nudos, egenosque vident. Vita sæpe somnio comparatur [1], & mors somno. Velox, & mirabilis ratio, qua exercitus Sennacherib cæsus est, huic similitudini somnii belle respondet. Psalmista homines illos *viros divitiarum* appellat, ut ostendat, ipsos potius fuisse divitiarum, quam divitias ipsorum fuisse, & ab illis ipsos potius fuisse possessos, quam eas possedisse. *Sic* quadam vocis abusione, ait Seneca Ep. 119. divitias habent, *quomodo habere dicimus febrim, cum illa nos habeat. E contrario dicere debemus, febris illum tenet: Eodem modo dicendum est, divitiæ illum tenent.* Nos divitias possidemus, ut illi, quibus per somnium sibi bibere videntur, sed cum excitati fuerint, non ideo minori siti laborant: *Sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima ejus vacua est*, ait Isaias 29. 8. Ecce avari egregiam graphidem.

Hebræus [2]: *Dormierunt somnum suum, & non invenerunt manus suas hi strenui viri.* Æterno somno lumina dederunt; & universus ille adeo frequens exercitus fuit sine nervis, sine brachiis, sine vi; omnes interfecti sunt, quin ne auderent quidem arma ad se tuendos capessere. Hoc mirifice convenit cæsu exercitui Sennacherib. Septuaginta [3]: *dormierunt, & non invenerunt*, vel acquisiverunt *divitias cum manibus suis.* Se pauperes, egenosque in morte invenerunt.

℣. 6 AB INCREPATIONE TUA DORMITAVERUNT, QUI ASCENDERUNT EQUOS.] Somno mortis capti sunt. Copiæ Sennacherib confidebant in equis, & curribus suis. Rabsaces superbe dicebat Ezechiæ 4. Reg. 18. 23. *Transite ad dominum meum regem Assyriorum, & dabo vobis duo millia equorum, & videte, an habere valeatis ascensores eorum.* Verum hæ Thrasonis ampullæ in Regis, exercitusque probrum cesserunt. Ad unum iræ Divinæ verbum, statim ac Dominus illis minitatus est, atque infremuit [4], equites hi adeo feroces, ac strenui æterno somno correpti sunt. Hebræus [5]: Ad vocem minarum tuarum, vel *objurgationis tuæ, & currus, & equus* mortis somnum *obdormierunt.*

℣. 7. TU TERRIBILIS ES, & QUIS RESISTET TIBI? EX TUNC IRA TUA [6].] Si validus adeo exercitus, si tot curruum, & equorum millia tibi resistere non valuerunt, Deus, quis te poterit sustinere? Sola iræ tuæ, ac minarum tuarum apprehensio, illis vitam ademit; quid autem, si omnipotentis brachii tui robur executi esses? Verba illa *ex tunc ira tua*, verti possent, *tunc ira tua exarsit.* Simulac Sennacherib incœpit adoriri hæreditatem tuam, & Rabsaces Legatus ejus in te blasphemias evomuit [7], eorum decresti exidium, ac statim perfecisti illud. Antiqua Psalteria legunt [8]: *Et quis resistet tibi tunc ab ira tua?* Romanum Psalterium [9]: *Quis resistet tibi, ex tunc ab ira tua?* Septuaginta Romanæ Editionis [10]: *Quis resistet tibi, propter iram tuam? Ex tunc* plerumque longe remotum tempus significat. Jampridem noramus, quænam vis esset iræ tuæ. Scimus, quid transactis temporibus fecerit.

℣. 8. DE COELO AUDITUM FECISTI JUDICIUM: TERRA TREMUIT, & QUIEVIT.] Vix edixeras, te velle exercere judicia tua, & ultionem tuam super terram, cum omnes homines, omnesque regiones terrore, atque tumultu correptæ trepidaverunt; atque ob stuporem, metumque siluerunt; *terra tremuit, & quievit.* Sennacherib ipse, qui omnibus terrorem incutiebat, & quocumque tumultum, atque vastationem inferebat, siluit, & sine ullo rumore in patriam suam aufugit, nimium felix, quod illum elabi permisisti, cæsis centum, octoginta quinque militum millibus de exercitu illius. Antiqua Exemplaria Septuaginta [11] sibi non constant hoc in loco, atque inde ea profecta est varietas, quæ in Latinis Psalteriis deprehenditur [12], quorum alia habent: *De cælo auditum fecisti judicium tuum*; & alia: *De Cælo jaculatus es judicium tuum &c.*

℣. 9. CUM EXURGERET IN JUDICIUM DEUS, UT SALVOS FACERET OMNES MANSUETOS TERRÆ.] Versiculus hic pendet a superiori. Omnis terra trepidavit, et venerabunda siluit, cum Dominus deprompsit ultionem suam in Assyrios, atque deflexit extrema mala, quæ Ezechiæ, & populo illius impendebant. Israelitæ merito vocantur *mansueti terræ*, nihil enim aliud quærebant, quam pace frui, cum illis bellum intulit Sennacherib. Imo Ezechias magna vi argenti pacem redemerat [13], postquam inimicus hostilia facere incœperat. Septuaginta Romanæ Editionis [14]: *dulces corde.*

℣. 10. QUONIAM COGITATIO HOMINIS CONFITEBITUR TIBI, ET RELIQUIÆ COGITATIONIS DIEM FESTUM AGENT TIBI.] Mente, animoque semper mirabilia tua agitabimus, et eorum in nos cum cordis hilaritate semper vigebit memoria (Ezechias, et populus ejus ita loquuntur.) Nulla umquam oblitterabit oblivio ex animo nostro beneficium illud, quod nobis contulisti, liberans nos de formidabili manu Sennacherib. *Cogitatio, & reliquiæ cogitationis* nihil aliud significant, quam memoriam, et sensus læti, et grati animi, qui post insigne aliquod beneficium in animo permanent.

Hebræus differt [15]: *Ira hominis laudabit te, & succinctus eris, & circumdatus reliquiis iræ.* Furor Sennacherib proderit, ut tua effulgeat gloria, et potestas; effectus iræ illius, prædæ ex hac regione per vim abactæ, augebunt zelum eorum, qui tuas laudes celebrant; hostis tibi præparat victoriam magis insignem, atque triumphum gloriosiorem per ea omnia, quæ crudeliter, atque impotenter est operatus. Aliter cum Grotio: Hostis hujus furor in gloriam tuam cedet, et confringes, quidquid in ipso reliquum erit improbitatis, atque iræ. Vel: Indignatio Sennacherib amplissimam nobis suppeditabit laudum tuarum messem, cum populus ex illius furore elapsus, gloria erit circumdatus. Chaldæus: Postquam populo tuo succensuisti, misereris illius, et ipse nomen tuum celebrat. Sed in nationes effundis iræ tuæ reliquias, easque disperdis.

℣. 11. VOVETE, & REDDITE [16] DOMINO DEO VESTRO.] Hebræos de inimicorum suorum metu liberatos alloquitur: Vovete Domino solemnes gratiarum actionis victimas, easque fideliter in sancto illius Templo offeretis [17]. Hæc erat consuetudo cum magna urgerent pericula, et post eximias a Deo acceptas gratias illi vovere, et offerre salutares, et pacificas hostias. Mos hic in omni Scriptura deprehenditur; et psalmi ad illum passim alludunt [18].

OMNES, QUI IN CIRCUITU EJUS AFFERTIS MUNERA, TERRIBILI, & EI, QUI AUFERT SPIRITUM.] Nonnulli putant [19] Psalmi hujus Auctorem orationem con-

1 Job. 27. 19. Isai. 29. 7. 8. 2 נמו שנתם ולא מצאו כל אנשי חיל ידיהם Symmach. Καὶ οὐχ εὗρον πάντες οἱ ἄνδρες οἱ ἰσχυροὶ τὰς χεῖρας αὐτῶν. 3 70. οὐχ εὗρον οὐδὲν πάντες οἱ ἄνδρες τοῦ πλούτου ταῖς χερσὶν αὐτῶν. Vide Hieronym. ad Suniam, &c. 4 Theodoret. Muis.

5 מגערתך נרדם ורכב וסוס Symmach. Ἐκαρώθη καὶ ἅρμα, καὶ ἵππος. 6 Muis, Vatab. Jun. alii.

7 Theodoret. 8 Aug. Psalt. S. Germ. Carnut. 9 Rom. Editio. Fabri.

10 Καὶ τίς ἀντιστήσεταί σοι ἀπὸ τῆς ὀργῆς σου. 11 70. Rom. & Complut. & Theodoret. Ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἠκούτισας κρίσιν. Alii libri, ἠκόντισας. Symmach. ἀκουστὴν ἐποίησας.

12 Aug. & Psalt. Carnut. *Jaculatus es judicium.* Romana Psalter. *Jaculatum est judicium.* S. German. *Jactasti judicium.* 13 4. Reg. 18. 14. 15. 16. 14 Πραέας τοὺς πραεῖς τῇ καρδίᾳ. Complut. Πραεῖς τῆς γῆς. Psalter. Rom. Mediol. Carnut. *Quietos terræ.* Hebr. כל ענוי ארץ

15 כי חמת אדם תודך שארית חמת תחגר Sym. Θυμὸς ἀνθρώπου ἐξομολογήσει, λείψανον θυμοῦ περιζώσεσθε.

16 Ambros. de Nabut. Jezr. cap. 16. *Orate, & reddite.* 70. Εὔξασθε καὶ ἀπόδοτε.

17 Theodoret. Muis, Gejer. 18 Psal. 21. 26. 49. 14. 55. 12. 60. 9. 65. 13. 115. 14. Prov. 7. 14.

19 Pisc. Ainsw. Gejer. Ferrand. Chald.

convertere ad Israelitas, vel Sacerdotes, qui in Templo, et civitate Jerusalem morabantur, eosque adhortari, ut munera sua Domino offerant, ejusque dominium, ac infinitam potestatem agnoscant. Verum malim intelligere [1] de alienigenis populis, qui testes esse debebant horum mirabilium, vel saltem qui id nosse debebant, cum tantæ rei fama ad eos pervenisset. Invitantur autem, ut accedant Omnipotenti huic Deo, supremo vitæ, necisque omnium hominum arbitro, honorem præstituri. Sensus hic confirmatur ex iis, quæ in 2. Paralipom. 32. 22. leguntur: *Salvavit Dominus Ezechiam, & habitatores Jerusalem de manu Sennacherib Regis Assyriorum, & de manu omnium, & præstitit eis quietem per circuitum. Multi etiam deferebant hostias, & sacrificia Domino in Jerusalem, & munera Ezechiæ Regi Juda*, vel illi tributa persolvebant.

Hæc loquendi ratio, *qui aufert Spiritum Principum*, significare potest, Deum Dominum esse vitæ, et necis Principum, et fortasse Canticum hoc post mortem Sennacherib dumtaxat compositum fuit, quæ contigit paulo postquam ipse in Ninive rediit [2]. Symmachus [3]: *Redde vota tua huic Legislatori, qui aufert spiritum Principum, & qui Regibus terribilis est*. Vel innuit, Deum auferre spiritum, prudentiam, intellectum Principibus. Permittit, ut nefariis cœptis animum appellant, vel perniciosa consilia sequantur. Eorum oculos claudit, ne quid vere sibi prosit, adspiciant; ita quoque Homerus ait, Jovem auferre mentem illis, quos perdere vult; et Isaias 19. 13. ait, Dominum dedisse Regibus, et Principibus Ægypti potum, qui illis ebrietatem afferret, et miscuisse *in medio ejus spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens*. Sed prior sensus mihi magis arridet. Hebræus enim ad litteram habet [4], *Deus vindemiat spiritum Principum*, quod mortem potius, quam prudentiæ, et sapientiæ defectum significat. Prisci nonnulli [5] legunt *afferens*, pro *aufertis*.

---

1 Kimchi, Muis. 2 4. Reg. 19. 37. Tob. 1. 24. 3 Sym. Ἀφαιροῦντι πνεῦμα ἡγεμόνων, φοβερῷ δὲ τοῖς βασιλεῦσι τῆς γῆς. 4 יבצור רוח נגידים 5 70. Complut. Ο'ισει δωρα. Ita Theodor. & MSS. plures apud Ferrand. hic.

PSALMUS LXXVI.

Fervens oratio in tempore afflictionis. Auctor memorat Domini misericordias. Obstupescit ob severitatem, quam tunc temporis Dominus in populum suum exercebat.

In finem, pro Idithun. Psalmus Asaph.

ARGUMENTUM.

IN FINEM, PRO IDITHUN, PSALMUS ASAPH: Vel juxta Hebraicum textum [1]: *Psalmus inscriptus Asaph Moderatori musices pro Idithun*. Ratio qua textus construitur, innuere videtur, *Idithun* esse causam, vel argumentum Cantici. Plerique [2] putant ab Asaph conscriptum fuisse, & dicatum Idithun, ut hic illud meditaretur, vel caneret. Abenezra, & Muis crediderunt, hoc in loco *Idithun* esse numeros, ad quos Psalmus hic retinendus erat. Cajetanus, & Bellarminus censent, hoc fuisse nomen instrumenti, ad cujus sonum erat canendus. S. Hieronymus testatur, in veteribus libris non extitisse nomen Idithun; sed hodie in omnibus Textibus legitur. Nemo nescit, Asaph, & Idithun duos celebres fuisse Cantores, qui David imperante vixerunt, & quorum nomen remansisse videtur choris Musicorum, quibus illi præfuerant; namque nomen eorum Psalmis quibusdam præfixum videtur, qui compositi fuere vel in ipsa, vel post Babylonis captivitatem. Hic ergo ex illorum est numero ex probatissimorum Interpretum sententia [3]. Ambigere non possumus post ea, quæ dicta sunt in Psalmos 72. & 49. quominus unus Asaph captivus fuerit Babylone. Auctor hic dolorem suum exprimit, atque de captivitatis diuturnitate conqueritur; sperat autem felicem immutationem ex consideratione eorum miraculorum, quæ olim in populi sui gratiam Deus est operatus.

1. VOce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum, & intendit mihi.
2 In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra
eum: & non sum deceptus. 3 Renuit consolari anima mea, memor fui
Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum: & defecit spiritus meus. 4 Antici-
paverunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus. 5 Cogitavi dies
antiquos, & annos æternos in mente habui. 6 Et meditatus sum nocte cum
corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. 7 Numquid in æter-
num projiciet Deus: aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? 8 Aut in fi-
nem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem. 9 Aut obli-
viscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? 10 Et di-
xi, Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi. 11 Memor fui operum Domini:
quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. 12 Et meditabor in omnibus ope-
ribus

---

1 למנצח על ידותון לאסף מזמור 2 Chald. Hieronym. Euseb. Athan. Bossuet alii.
3 Theodorus, Theodoret. Beda, Lyr. Muis, Ferrand. Bossuet alii.

ribus tuis : & in adinventionibus tuis exercebor. 13 Deus, in sancto via tua :
quis Deus magnus sicut Deus noster ? tu es Deus, qui facis mirabilia. 14 No-
tam fecisti in populis virtutem tuam : redemisti in brachio tuo populum tuum, fi-
lios Jacob, & Joseph. 15 Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ : & ti-
muerunt, & turbatæ sunt abyssi. 16 Multitudo sonitus aquarum : vocem dede-
runt nubes. 17 Etenim sagittæ tuæ transeunt : vox tonitrui tui in rota. 18 Il-
luxerunt corruscationes tuæ orbi terræ : commota est, & contremuit terra. 19
In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis : & vestigia tua non cognoscentur.
20 Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi, & Aaron.

℣. 1. VOCE MEA AD DOMINUM CLAMAVI, VOCE MEA AD DEUM, & INTENDIT MIHI.] Psalmi hujus Auctor crebris hisce repetitionibus, ostendit ardorem sollicitudinis suæ, atque doloris sui magnitudinem, Cum multa patimur, non æquum est, ut frigide, atque infirme petamus. Si nostram intelligeremus necessitatem, cum Deo preces effundimus, nemo sane adeo oscitanter suas preces exprometet. Antiqua Psalteria [1] pro, *voce mea ad Deum*, legunt : *vox mea ad Deum*.

℣. 2. IN DIE TRIBULATIONIS MEÆ DEUM EXQUISIVI, MANIBUS MEIS NOCTE CONTRA EUM, & NON SUM DECEPTUS.] In generali nationis meæ, ac patriæ meæ calamitate, ad te, Domine, confugi, per noctis silentium extendi manum meam ad Cœlum, neque irrita fuit spes mea. Confido, ipsum precibus meis subscripsisse. Hebraicus textus diversimode vertitur [2] : *In die tribulationis meæ, Deum exquisivi, manus mea laxata est, & non cessavi*. Animos despondi, me me confirmare, ac sustinere non potui. Aliter : *Quærebam Dominum in tribulatione mea, & vulnus meum diffluebat tota nocte, & nunquam obducebatur*. Nomen *manus* quandoque pro vulnere usurpatur; sed versio hæc nimis est violenta. Chaldæus hoc in loco id intelligit in eodem ferme sensu, in quo passim apud Prophetas invenitur : *In tribulatione mea, quæro instructionem Dei, & prophetiæ donum* (manus Dei) quievit super me Syrus : *Ad Deum confugi in dolore meo, ipse me noctu percussit, & quies non est mihi*. Symmachus [3], & S. Hieronymus : *Manus mea jugiter extenta fuit ad Deum noctu*; qui sensus non abhorret a Vulgata, & sane magis simplex videtur. Aliqua fortasse in Hebraicum Textum obrepsit immutatio. Cum aliqua nobis ingruit calamitas, nihil intentatum relinquimus, ut inde emergamus; ad amicos confugimus; Principum virorum opem efflagitamus, sed nemo ferme ad Deum confugit, ait S. Hieronymus. Psalmista in tribulatione sua ad Deum unum se se convertit, cum sibi persuasum fuerit, ipso invento, omnia invenisse : *Non quæro illud, quod perdidi, sed Dominum quæro; si enim istum invenero, in isto invenio omnia*. Non tamen satis est illum inquirere, verum manibus, & operibus inquirendus est; bonæ actiones nostræ sunt veluti oratio bona, & potens apud Deum commendatio; *opera nostra nobis tacentibus clamant ad Dominum*.

℣. 3. RENUIT CONSOLARI ANIMA MEA [4]; MEMOR FUI DEI, & DELECTATUS SUM, & EXERCITATUS SUM, & DEFECIT SPIRITUS MEUS.] In medio captivitatis meæ doloribus, ærumnisque confectus, cum jam jam ita deficeret spiritus meus, ut me colligere non possem, in te uno levamen, & consolationem invenire potui; reliqua omnia auxerunt dolorem meum; ubique peccata mea, Deumque irritatum inveniebam; sed cum oculos in misericordiam tuam conjecissem, Domine, interna me consolatione affectum cognovi [5] : *Me exercui in oratione, & defeci*. Ego quodammodo extra me in admirationem raptus fui, gaudio, & hilaritate repletus; hæc excepit lacrymas meas, meumque dolorem abstersit.

Hebræus [6] : *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, & conturbatus sum; & meditatus sum* in ipso, & *spiritus meus afflictatus est*. Quod sensum adfert, & Septuaginta, & Vulgatæ oppositum. En autem ℣℣. 2. 3. 4. *In die afflictionis meæ Dominum quæsivi; oculus meus in lacrymas solutus est noctu* [7], *& non cessavit; anima mea consolari non potuit* (3.) *Recordatus sum Domini, atque id me conturbavit; de ipso cogitavi, & defecit spiritus meus*. (4.) *Oculi mi, observasti vigilias noctis* [8]; *terror incessit in me, & non potui loqui*. (5.) *In mentem revocavi tempora antiqua &c.* Primi quatuor Psalmi hujus versiculi continent descriptionem viri dolore confecti, & qui in se ipso, & in iis omnibus, quæ ipsum circumstant nihil aliud invenit, quam doloris, metus, atque diffidentiæ argumenta.

℣. 4. ANTICIPAVERUNT VIGILIAS OCULI MEI [9], TURBATUS SUM, & NON SUM LOCUTUS.] Noctu non quiescebam; oculi mei præoccupabant omnes vigilias noctis; consurgebam, vel morabar in lectulo meo, quin dormirem, & ne unam quidem vocem emitterem. Dolor, & terror jugulabant in faucibus, ac pulmonibus meis verba. Hebræus redditur a Symmacho, & a S. Hieronymo [10], *reprimebam aciem oculorum meorum*, & veluti stupiditate quadam captus eram, quin loqui possem. Aquila [11], & Theodotion [12] : *Tenes intuitus oculorum meorum*. Illis excubias quasdam apposuisti, ne somno clauderentur. Aliam vertendi rationem articulo superiori proposuimus. Figura elegans est. Nocturnæ excubiæ unam tantummodo vigiliam per tres noctis horas servabant, at oculus meus indesinenter vigilavit.

℣. 5. COGITAVI DIES ANTIQUOS, & ANNOS ÆTERNOS IN MENTE HABUI.] Animo meo reputavi felix illud tempus, cum majoribus nostris frequentia adeo protectionis tuæ testimonia præbebas [13]; sæcula, quæ effluxerunt, ex quo Patres nostri de Ægypto egressi sunt ad hanc usque diem, longam illam anno-

1 August. Psalter. Roman. Edit. 1608. & 1663. German. Carnut. Med.

2 ביום צרתי ארני דרשתי ידי לילה נגרה ולא תפוג 3 Symmach. Ἡ χείρ μου νύκτωρ ἐκτετάκεν διηνεκῶς. Hieronym. *Manus mea nocte extenditur, & non quiescit*.

4 Psalter. Rom. Carnut. August. in impressis : *negavi consolari animam meam*. Psalter. Mediol. & August. in MSS. *negavit consolari anima mea*. 5 Hieronym. hic. *Quantum in peccatis meis fuit, nullam invenire potui consolationem, rursum cogitavi de Deo, in misericordia ipsius delectatus sum*.

6 מאנה הנ חם נפשי אזכרה אלהים ואהמיה אשיחה ותתעטף רוחי Symmach. Διελάλουν ἐν ἑαυτῷ καὶ ἠκηδίασεν τὸ πνεῦμά μου.

7 Lego עיני לילה נגרה ולא תפוג pro ידי לילה נגרה quod nullam sententiam reddit. Parem omnino locutionem observo in Jeremia עיני נגרה ולא תדמה Thren. 3. 49.

8 Hebr. אחזת שמרות עיני Derivo verbum אחזת a חזה 9 S. August. Psalter. Arab. Æthiop. German. Carnut. *Anticipaverunt vigilias inimici mei*. 10 אחזת שמרות עיני Symmach. Ἐκώλυον τὰς ἐμβλέψεις τῶν ὀφθαλμῶν μου. 11 Aquil. Κατέσχες φυλακὰς ὀφθαλμῶν μου.

12 Theodot. Ἐκράτησας φυλακὰς ὀφθαλμῶν μου.

13 Chald. Euseb. Theodoret. Athanas. Muis, alii.

rum feriem, *annos æternos* [1]. S. Augustinus, & alii plures hoc explicant de æternitate, quæ ob Auctoris Psalmi hujus mentem obversabatur.

ỳ. 6. ET MEDITATUS SUM NOCTE CUM CORDE MEO, & EXERCITABAR, & SCOPEBAM SPIRITUM MEUM.] Alte ea omnia repetebam, quæ olim pro electo populo tuo operatus fuisti, & conferens rationem illam omnino oppositam, qua nunc erga nos operaris; mille variæ cogitationes subibant animum meum, qui modo deficiebar, modo spe efferebatur, ita ut noctem jugibus distractus curis transigerem [2]. Verbum *scopebam*, quod Vulgata illhic adhibuit, a pura puta Latinitate alienum est. Sunt, qui putent [3] idem significare ac *scopis mundabam*, animam meam detergebam, omnes illius secessus rimabar; quod non longe distat a versione Symmachi [4], atque Theodotionis, qui reddunt: *sedulo examinabam*. Alii illud a *scopo* derivant. Deducebam spiritum meum ad scopum suum, videbam, attente considerabam ea, quæ me affecerant. Hoc non modicam habet rationem cum Græco *scopeo*, considerare, diligenter perpendere. Septuaginta [5], & Aquila: *Sarriebam*, evellebam malas herbas de spiritu meo; excolebam agrum spiritus mei, eum exercebam, ut jacerem semina doctrinarum Domini, ait S. Hieronymus [6], vel ut ipse alibi ait [7]: *Sarriebam*, quærebam tristes plantas, ut eas abscinderem. Quædam Exemplaria Septuaginta [8] legunt: *spiritus meus sarriebat*; inutiles, pravasque cogitationes convellebat; verum eadem semper est sententia. S. Augustinus in Latino textu legebat, *perscrutabar*, rimabar, perquirebam. Antiqua Psalteria [9]: *Ventilabam*; cribrabam, C in auram jaciebam cogitationes meas, mundabam illas, & quidquid nequam erat, vel inutile, sejungebam.

Hebræus habet [10]: *Recordatus sum instrumentorum musicorum noctu intra me; de iis cogitavi, & spiritus meus ad ea diligenter advertit*. Recogitabam ea cantica, quæ olim in templo sancto tuo canebamus; (Levita loquitur) iis vacabam, & perpendebam ea miracula, quæ cantus, laudumque nostrarum erant argumenta. Vel: *Attente ad ea cogitavi, & spiritus meus se se in libertatem asseruit* [11], & volatum arripuit; ausus sum tibi dicere ea, quæ sequuntur: *Numquid in æternum projiciet Deus?* Symmachus [12]: *Revolvi in corde meo Cantica mea per noctem, & spiritus meus est*, tamquam *homo cogitans*, prudens, D attentus, solers.

ỳ. 7. NUMQUID IN ÆTERNUM PROJICIET DEUS, AUT NON APPONET, UT COMPLACITIOR SIT ADHUC?] Deus ergo non est amplius idem ac antea erga nos? oblitus ne est, nos esse populum suum? in æternum ne nos derelinquet? adeone irritatus est, ut nulla sit spes, quod flecti queat? Hoc ipse libertatem appellat; & equidem hoc aliquantulum audax est, si verba, & personam dumtaxat loquentium intuemur; verum Deus hoc audaciæ genus non damnat; vult, A nos in ejus misericordia spem collocare, neque se lædi putat hoc impetu animæ dolore confectæ.

ỳ. 8. AUT IN FINEM MISERICORDIAM SUAM ABSCINDET, A GENERATIONE, IN GENERATIONEM?] Non igitur nobis ulterius gratia speranda est? Destititne Deus misereri? Septuaginta [13] Editionis Complutensis, Theodoretus, & Psalterium Mediolanense legunt: *Aut abscidit Dominus in æternum misericordiam suam? decrevitne exequi minas suas in omnibus seculis?* Vel statuitne exequi judicia terribilia, ac minarum plena de generatione in generationem? Hebræus ferme similiter [14]: *derelinquitne in æternum misericordiam suam, & exequetur ea, quæ dixit de generatione in generationem?*

ỳ. 9. AUT CONTINEBIT IN IRA SUA MISERICORDIAS SUAS?] Clauderne fontem clementiæ suæ, B veluti cum obstruitur os fontis alicujus, & cogitur aqua alio suum flectere cursum [15]? Vel, Poteritne Deus explere, quod statuit, neque ulterius misereri? Adeone crudelis erit? contineri poterit ingenium suum miserendi? *Quamvis se teneat, ut non misereatur, tamen vincit illum misericordia sua*, ait S. Hieronymus [16]: Prior sensus Hebraico textui magis conformis est [17]: *clauditne in ira misericordias suas?*

ỳ. 10. ET DIXI NUNC COEPI; HÆC MUTATIO DEXTERÆ EXCELSI.] Postquam ita effudi cor meum coram Domino, me interiori affectum consolatione sensi; cœpi spiritum ducere, & aliquam pro rerum nostrarum statu mutationem sperare [18]. Intellexi, Dominum, postquam nos humiliaverit, atque puniverit, ad nos rediturum, atque faciei suæ severitatem nobis ostensurum. Post noctem lux, & post procellam serenitas effulgebit. Vel, dixi in meipso, cœpi cognoscere causam malorum meorum, & quid coegit Dominum, ut erga nos misericordiam suam immutaret, eo quippe, quod peccatores sumus [19], suopte enim ingenio Dominus misericors est.

Hebræus longe aliter vertitur [20]; *dixi dolor meus est, quod dextera Domini immutata sit erga nos*. Hoc me angit, quod Dominus non æque, ac olim, erga nos est misericors; si enim misericors esset, passus ne esset, hos tot annorum spatio in squalore versari? Si certus fuissem, quod Dominus nequaquam nos prorsus dereliquisset, in pace quiescerem, & auxilii ipsius tempus præstolarer; verum quæ veri species adest, ipsum post diuturnum adeo tempus nostri adhuc curam gerere? Vel: *dixi: Hæc est calamitas mea: omnipotentis Dei manus est illam immutare*. Nonnisi ab illius misericordia opperiri possum meæ conditionis immutationem. Aliter: *Hic status est infirmitatis, ad quam redactus sum; anni sunt in manibus Altissimi*. Eorum diuturnitatem vel producere, vel breviorem efficere ipse potest. Verti quoque potest: *Precari, hoc meum est: mutare dexteram, Altissimi* [21]. Dei est efficere, ut res quomodocumque, & quemcumque velit, sortiantur effectum. Syrus: *Dixi: hæc ægritudo mea, & duplicata*

---

1 Symmach. Ἀνελογιζόμην τὰς ἡμέρας τὰς πρώτας, τὰ ἔτη τὰ ἀπ᾽ αἰῶνος, ἀπομιμνησκόμην.

2 Theodoret. Vide Euseb. 3 *Scopebam, quasi scopis mundabam*. Hugo, & alii quidam legunt, *scopabam* Vulg. Isai. 14. 23. *Scopabo eam in scopa terens*. 4 Symmach. Ἀνηρεύνα.

5 10. Ἔσκαλλεν τὸ πνεῦμά μου. Aquil. Ἐσκαλεύσε, &c. 6 Hieronym. hic. *Scopebam spiritum meum, idest fodiebam quasi agrum, ut ibi mitterem semen doctrinarum Domini*.

7 Idem ad Suniam, & Fretell. *Proprie σκαλισμὸς, in agricultura dicitur in sarriendo, id est sarculando, & quomodo ibi quæruntur herbæ sarculo, quæ secentur, sic & iste retractatum cogitationum suarum μεταφορικῶς a sarculo demonstravit*. 8 Edit. Complut. Ἔσκαλλε τὸ πνεῦμά μου.

9 Psalr. Rom. Germ. Mediol. Carnut. 10 אזכרה נגינתי בלילה עם לבבי אשיחה ויחפש רוחי

11 חפש significat in libertatem asserere Exod. 21. 2. 5. 26. 27. Deut. 15. 12. 13. 18. Job. 3. 19. Psalm. 87. 6.

12 Sym. Ἀλλὰ ψαλμοὺς μου νυκτὸς πρὸς τὴν καρδίαν μου διελάλουν, καὶ ἀνὴρ συνετὸς τὸ πνεῦμά μου.

13 Ἢ εἰς τέλος τὸ ἔλεος αὐτοῦ ἀποκόψει, συνετέλεσε ῥῆμα ἀπὸ γενεᾶς εἰς γενεάς. Ita Sym. apud Theodoret.

14 האפס לנצח חסדו גמר אמר לדר ודר 15 Theodoret. Muis.

16 Hieron. in Comment. hic. Sed in versione legit: *aut complebit in furore misericordias suas?*

17 אם קפץ באף רחמיו 18 Geneb. Tir. Ferrand.

19 Theodoret. Athanas. Hieronym. *Quod patior non de crudelitate Dei, sed de peccatis meis*.

20 ואמר חלותי היא שנות ימין עליון Aquil. Καὶ εἶπα ἀῤῥωστία μου. αὕτη ἀλλοίωσις δεξιᾶς ὑψίστου. 5. Edit. Καὶ εἶπα, ὠδῖνές μου εἰσὶν ἀλλοιώσεις δεξιᾶς τοῦ ὑψίστου. *Et dixi: dolor meus procedit a mutatione manus altissimi*. Symmac. Τρῶσίς μου ἐστὶν ἐπιδευτερώσεις δεξιᾶς τοῦ ὑψίστου. *Vulnus meum venit ab ictibus iteratis manus altissimi*.

21 Ludovicus de Dieu. Hæc versio reliquis præstantior videtur.

cata est vulnera mea, Dominus percussit me. Quæ tanta varietas satis probat hoc in loco Textus obscuritatem.

℣. 11. MEMOR FUI OPERUM DOMINI, QUIA MEMOR ERO AB INITIO MIRABILIUM TUORUM.] Ut eo in squalore, in quo jaceo, aliquod solamen inveniam, jugiter animo meo reputo ea, quæ olim pro patribus nostris fecisti. Ipsi, non secus ac nos, in summis periculis, in tenebris, & captivitate vixerunt; tu vero inde illos eduxisti, cum opem tuam obsecrati sunt. Cur ergo similiter nostri etiam non misereberis? Hæc dixi intra me, ut aliquam consolationem invenirem. Hebræus [1]: *Reminiscar cogitationum*, consiliorum, operum *Dei*, *in memoriam meam mirabilia tua revocabo*. Symmachus [2]: *Recordabar Providentiæ Domini*, vel *cogitationum* [3] *Domini*, *animo meo revolvens antiqua prodigia tua* (12.) *Meditabar actiones tuas*.

℣. 12. IN ADINVENTIONIBUS TUIS EXERCEBOR.] Omnia considerabo Providentiæ tuæ consilia, omnia sapientiæ tuæ mysteria in mundi regimine, in peccatorum suppliciis, in Justorum præmiis. Hebræus [4]: *Meditabor egregia opera tua*, miracula tua, præcipua operum tuorum. Symmachus [5], *narrabam dexteritates tuas*, opera tua sapientissima, atque pulcherrima. S. Augustinus legebat: *in affectionibus tuis garriam*. Antiqua Psalteria quædam [6]: *in observationibus tuis exercebor*, scilicet in legum tuarum exercitatione.

℣. 13. DEUS IN SANCTO VIA TUA; QUIS DEUS MAGNUS, SICUT DEUS NOSTER?] Sunt [7] qui per ea verba *in Sancto* Cœlum intelligant. Deus, qui in Cœlorum vertice inhabitas, opera tua, viæ tuæ, consilia tua sunt in Cœlo, qui se se attollere ad illa usque poterit? quis consiliorum tuorum magnitudinem scrutari? Alii vero [8] per eadem *in Sancto* Sanctuarium, & Templum interpretantur. Consilia Providentiæ tuæ abscondita sunt in adyto Sanctuarii tui, quo nemini fas est oculorum aciem intendere. Consilia tua sunt incomprehensibilia. Sed plerique [9] moralem sanctitatem intelligunt. Viæ tuæ, Domine, omnes sanctæ sunt, justæ, æquæ. Quocumque modo in nos agas, semper consilii tui justitiam [10], ac sanctitatem admirari debemus; cum varie nos probas, nostram dumtaxat sanctificationem, atque felicitatem requiris. Vel: Viæ tuæ sunt cum Sanctis: *Deus in sancto via tua: quicumque ergo sanctus non est, via Dei in eo non est*, ait S. Hieronymus.

℣. 14. REDEMISTI IN BRACHIO TUO POPULUM TUUM.] Illud de Ægypto eduxisti *in manu forti, & in brachio extento*, ut loquitur Moyses Deut. 5. 15. Hæc liberatio de Ægypto figura erat illius, quam nobis J. C. procuravit; liberavit nos Deus in brachio suo, hoc est, per filium suum: S. Hieronymus inquit.

℣. 15. VIDERUNT TE AQUÆ; & TIMUERUNT, & TURBATÆ SUNT ABYSSI.] Rubri Maris aquæ viderunt te ante populum tuum, cognoverunt te in columna nubis, ubi effulgebat præsentia tua, & coram te fue-
A runt perterritæ. Maris hujus abyssi senserunt potentiam tuam, commotæ sunt, ac perturbatæ. Hæc eadem loquendi ratio occurrit in Psalmo 113. ℣. 3. 5. *Mare vidit, & fugit, Jordanis conversus est retrorsum. Quid est tibi mare, quod fugisti &c.* Psalmista poetarum more inanimis rebus sensum, ac vitam impertit. Sub illius manu quidlibet loquitur, quidlibet agitatur, quidlibet agit.

℣. 16. MULTITUDO SONITUS AQUARUM, VOCEM DEDERUNT NUBES.] Innuere vult tempestatem, quæ in transitu Rubri maris sæviit: de hac Moyses explicite non loquitur, verum eam in suo Cantico Exod. 15. 8. denotat. Eam Eusebius Præpar. l. 9. c. 27. post Artapanum enarrat; & Josephus Antiqu. l. 2. c. 7. testatur, tunc temporis fulmina, tonitrua, fulgura,
B pluviam, & omnia iræ divinæ tela adversus Ægyptios irruisse. Hebræus [11]: *Nubes in aquas dissolutæ sunt, dederunt vocem suam*, videlicet tonitru.

℣. 17. ETENIM SAGITTÆ TUÆ TRANSEUNT, VOX TONITRUI TUI IN ROTA.] Pergit describens procellam, quæ tunc desæviit, cum Ægyptii mare rubrum ingressi sunt. Fulmina autem, & fulgura *sagittas* vocat, vel tela Domini juxta vulgatum Scripturarum morem [12]; atque *vocis nubium* vocabulo intelligit tonitru, & strepitum, quem suo lapsu efficiunt. Hebræus [13] ita verti potest: *Sagittæ tuæ undequaque demissæ fuerunt, strepitus tonitrui tui audiens fuit in turbine*, in perturbatione, in aere. Plerique [14] hoc explicant de rotis curruum Ægyptiorum, qui contriti fuerunt in mari rubro. S. Hieronymus post
C Judæos hæc omnia refert ad id, quod apparuit in Sinai, cum Dominus se se ostendit Moysi. Psalmista ait, strepitum tonitrui illi esse persimilem, quem edit rota super tinniens corpus circumacta: *Quando tonitruat Deus, similem vocem facit rotæ*; perinde ac rotæ currus Domini efficerent tonitru. Fabula [15] comminiscitur Salmoneum imitari cupientem Jovis tonitru currui suo adligasse ænea tympana cum pellibus, quas cum traheret magno cum strepitu, stulte se tonitrua edere, tamquam Deum Cœli gloriabatur. Patres has sagittas, & hæc tela, de quibus loquitur Psalmus, de Apostolorum prædicatione interpretantur.

℣. 19. IN MARI VIÆ TUÆ.] Maris aquas aperuisti, & illuc ante populum tuum incessisti, veluti super terras, & postmodum eas clausisti, quin locus
D transitus tui posset deprehendi; *& vestigia tua non cognoscentur*. Vide Abac. 3. 15. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum*. Satis diu in rubro mari, ejusque littoribus ostendebantur vestigia rotarum curruum Pharaonis [16]; sed Dominus, & populus ejus nulla reliquere vestigia; mare statim clausum est, quin umquam apertum fuisse appareret.

℣. 20. IN MANU MOYSI, & AARON;] Ducibus Moyse, & Aaron. Hi tua auctoritate ornati fuerunt, tuaque suffulti virtute in deserto, ut ducerent populum tuum.

---

1 אזכיר מעללי יה כי אזכרה מקדם פלאך 2 Symmach. Ἀνεμιμνησκόμην τὰς προνοίας κυρίου, ἀναπολῶν ἀρχαῖα τεράστιά σου, καὶ διεμελέτων πάσας πράξεις σου. 3 Alii lib. Περινοίας.
4 בעלי לותיך אשיחה 5 Symmach. Μηνύματά σου διηγούμην. 70. Ἐν ἐπιτηδεύμασί σου ἀδολεσχήσω.
6 Psalt. Rom. Mediol. Carnut. sed Psalt. S. German. *in obsecrationibus tuis, &c.*
7 Muis, Kimch. Abenezra. 8 Vide Vat. Pisc. Ainsw.
9 Chald. Syr. Sym. Aqu. Hieron. Theodoret. &c. 10 Geneb. Vat. Ter. Mar. Munst. &c.
11 זרמו מים עבות קול נתנו שחקים 12 Psalm. 17. 15. 143. 6. Abacuc. 3. 11.
13 אף חציך יתהלכו קול רעמך בגלגל Sym. Ἐν τῷ τροχῷ. Ita Aqu. & Theodot.
14 Muis, Genebr. Mar. alii. 15 Apollodor. Bibliot. l. 1.
16 Vide nostram Dissertationem de Transfretatione maris rubri.

PSALMUS LXXVII.

Enumeratio præcipuorum effectuum Divinæ largitatis erga Populum suum, ab exitu de Ægypto ad regnum David. Deus elegit tribum Juda præ Ephraim.

Intellectus Asaph.

ARGUMENTUM.

Psalmus ad erudiendum concinnatus traditus Asaph, vel Choro Musicorum, cui ille præerat, in Templo tecinendus; vel ab ipso Asaph compositus, uti plurimi Veterum arbitrati sunt [1]. Alii [2] hunc Davidi attribuunt; & censent, ab hoc Rege eo consilio fuisse compositum, ut ostenderet jus illud, quod familia sua habebat ad Regnum præ aliis tribubus Israel, & præsertim præ tribu Ephraim, quæ post Juda cæterarum omnium frequentissima erat, & validissima, & quæ post Josue semper obtinuerat possessionem Tabernaculi, & Arcæ Domini. Sed cum Deus elegisset Davidem, qui populo suo præesset, atque declarasset, Sion esse locum habitationis suæ, ac Templi sui, Ephraim de suo jure decessit. Sunt [3], qui hunc psalmum referant ad Ezechiæ, & Isaiæ tempora. Patres [4] id in morali explicant sensu, veluti J. C documenta ad Ecclesiam suam, vel Dei Patris ad Synagogam [5]. Ferrandus autumat, conscriptum fuisse in solemnitate translationis Arcæ de Silo in Jerusalem.

Duo sunt, quæ mihi persuadent, psalmum hunc ad tempora David non pertinere, sed fuisse compositum post secessionem Ephraim a Juda. Primum est, quod ℣. 69. sermo habetur de Templo tamquam jam existente; alterum vero, quod ibi per industriam exaggeratur idololatria Ephraim, atque ejus a regimine repulsa, gravi, insensaque loquendi ratione, perinde ac illud propter illius scelera contigisset; quod procul dubio dictum non fuisset, antequam tribus illa a Juda fuisset sejuncta. Non tamen ausim longius a Regno Roboam, vel successoris ejus secedere, etenim in enumeratione beneficiorum, quæ contulit Deus populo suo, Auctor non excedit tempus David, atque Templi conditi: itaque eum rejicimus in tempus Asa, qui gravissimum bellum suscepit, insignemque victoriam de Israelitis decem Tribuum reportavit 2. Par. 16. 4. Vide Commentarium in ℣. 9. Psalmi hujus. Rex iste plurimos ex Tribu Ephraim, aliisque suo addidit Imperio 2. Par. 15. 8. & Josaphat successor illius in eos servavit auctoritatem, quam Asa illi comparaverat 2. Par. 19. 4.

1. ATtendite, populе meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba
oris mei. 2 Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab ini-
tio. 3 Quanta audivimus, & cognovimus ea: & patres nostri narrave-
runt nobis. 4 Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera. 5 Nar-
rantes laudes Domini, & virtutes ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit. 6 Et susci-
tavit testimonium in Jacob: & legem posuit in Israel. 7 Quanta mandavit patribus
nostris nota facere ea filiis suis: ut cognoscat generatio altera. 8 Filii, qui na-
scentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis. 9 Ut ponant in Deo spem suam,
& non obliviscantur operum Dei: & mandata ejus exquirant. 10 Ne fiant sicut
patres eorum: generatio prava, & exasperans. 11 Generatio, quæ non direxit
cor suum: & non est creditus cum Deo spiritus ejus. 12 Filii Ephrem intenden-
tes, & mittentes arcum: conversi sunt in die belli. 13 Non custodierunt testa-
mentum Dei, & in lege ejus noluerunt ambulare. 14 Et obliti sunt benefactorum
ejus, & mirabilium ejus, quæ ostendit eis. 15 Coram patribus eorum fecit mi-
rabilia in terra Ægypti, in campo Taneos. 16 Interrupit mare, & perduxit eos:
& statuit aquas quasi in utre. 17 Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in
illuminatione ignis. 18 Interrupit petram in eremo: & adaquavit eos velut in
abysso multa. 19 Et eduxit aquam de petra, & deduxit tamquam flumina aquas.
20 Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.
21 Et tentaverunt Deum in cordibus suis: ut peterent escas animabus suis. 22
Et male locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in
deserto? 23 Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inunda-
verunt. 24 Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? 25
Ideo

1 Chald. Euseb. Cæsar. Athan. Tertull. contra Prax. Hieronym. hic. Bossuet alii.
2 Lyran. 3 Jun. & Tremel. 4 Vide Athanas. Euseb. Hieronym. Bedam.
5 August. Beda.

Ideo audivit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit
in Israel. 26 Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus. 27
Et mandavit nubibus desuper, & januas cœli aperuit. 28 Et pluit illis manna ad
manducandum, & panem cœli dedit eis. 29 Panem Angelorum manducavit homo:
cibaria misit eis in abundantia. 30 Transtulit Austrum de cœlo: & induxit in vir-
tute sua Africum. 31 Et pluit super eos sicut pulverem carnes: & sicut arenam
maris volatilia pennata. 32 Et ceciderunt in medio castrorum eorum: circa taber-
nacula eorum. 33 Et manducaverunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum
attulit eis; non sunt fraudati a desiderio suo. 34 Adhuc escæ eorum erant in ore
ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. 35 Et occidit pingues eorum: & electos
Israel impedivit. 36 In omnibus his peccaverunt adhuc: & non crediderunt in
mirabilibus ejus. 37 Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum, cum
festinatione. 38 Cum occideret eos, quærebant eum: & revertebantur, & dilucu-
lo veniebant ad eum. 39 Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, &
Deus excelsus redemptor eorum est. 40 Et dilexerunt eum in ore suo, & lin-
gua sua mentiti sunt ei: 41 Cor autem eorum non erat rectum cum eo; nec fide-
les habiti sunt in testamento ejus. 42 Ipse autem est misericors, & propitius fiet
peccatis eorum: & non disperdet eos. 43 Et abundavit, ut averteret iram suam:
& non accendit omnem iram suam. 44 Et recordatus est, quia caro sunt: spiritus
vadens, & non rediens. 45 Quoties exacerbaverunt eum in deserto? in iram con-
citaverunt eum in inaquoso? 46 Et conversi sunt, & tentaverunt Deum: & san-
ctum Israel exacerbaverunt. 47 Non sunt recordati manus ejus, die, qua redemit
eos de manu tribulantis. 48 Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in
campo Taneos. 49 Et convertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne
biberent. 50 Misit in eos cœnomyam, & comedit eos: & ranam, & disperdidit
eos. 51 Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ. 52 Et occi-
dit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina: 53 Et tradidit grandi-
ni jumenta eorum, & possessionem eorum igni. 54 Misit in eos iram indignationis
suæ, indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per angelos malos. 55
Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum, & jumenta eorum
in morte conclusit. 56 Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias
omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. 57 Et abstulit sicut oves populum suum,
& perduxit eos tamquam gregem in deserto. 58 Et deduxit eos in spe, & non ti-
muerunt: & inimicos eorum operuit mare. 59 Et induxit eos in montem sanctifica-
tionis suæ, montem, quem acquisivit dextera ejus. 60 Et ejecit a facie eorum gen-
tes, & sorte divisit eis terram in funiculo distributionis. 61 Et habitare fecit in ta-
bernaculis eorum tribus Israel. 62 Et tentaverunt, & exacerbaveruut Deum excel-
sum, & testimonia ejus non custodierunt. 63 Et averterunt se, & non servaverunt
pactum: quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum. 64 In iram
concitaverunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum pro-
vocaverunt. 65 Audivit Deus, & sprevit, & ad nihilum redegit valde Israel. 66
Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus. 67
Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimi-
ci. 68 Et conclusit in gladio populum suum, & hæreditatem suam sprevit. 69 Ju-
venes eorum comedit ignis, & virgines eorum non sunt lamentatæ. 70 Sacerdotes
eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorum non plorabantur. 71 Et excitatus est
tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino. 72 Et percussit
inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis. 73 Et repulit ta-
bernaculum Joseph, & tribum Ephraim non elegit: 74 Sed elegit tribum Juda,
montem Sion, quem dilexit. 75 Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in
terra, quam fundavit in sæcula. 76 Et elegit David servum suum, & sustulit eum
de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum. 77 Pascere Jacob servum suum,
& Israel hæreditatem suam. 78 Et pavit eos in innocentia cordis sui, & in intel-
lectibus manuum suarum deduxit eos.

℣. 1. ATTENDITE POPULE MEUS LEGEM MEAM: INCLINATE AUREM VESTRAM IN VERBA ORIS MEI.] Audite præcepta mea [1], verba mea, doctrinam meam; hoc est Auctoris procemium, quo populi in templo concilium alloquitur: audite, popule meus, fratres mei, concives mei. Patres hæc explicant verba, tamquam a Deo, vel Jesu Christo ad Synagogam, vel Ecclesiam prolata, sed eorum explicatio moralis potius est, quam litteralis: nam licet J. C. Matth. 13. 33. ea applicet verba ℣. 2. *Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio*, ad suam rationem edocendi populum Judæorum, non inde sequitur, quod sibi psalmum universum ad litteram tribuat. Sermonis contextus perspicue probat, psalmi Auctorem hic loqui in persona sua.

B ℣. 2. APERIAM IN PARABOLIS OS MEUM; LOQUAR PROPOSITIONES AB INITIO.] Non satis liquet, quomodo Psalmi Auctor isthic ænigmatice, & per parabolas loquatur; sermo enim ejus satis aperta, & perspicua est narratio. Sed Hebræi vocant *Maschal*, & *Chidoth* [2], quas voces reddimus, *parabolas*, & *ænigmata*, poemata, & sermones stylo sententiis referto, conciso, sublimi, & alio ab eo, quem in historico sermone, simplicem, atque communem adhibemus. Hoc in sensu omnes sermones Job, & amicorum ejus [3] parabolico sunt stylo conscripti. Morales quoque Salomonis sententiæ [4] parabolæ vocantur, non secus ac ea, quæ Balaam dicebat ad Balac Regem Moabitarum [5]. Itaque si pressius loquaris, hæc neque ænigmata sunt, nec parabolæ: verum hic est ille stylus, quo vulgo utebantur, C cum ænigma aliquod erat proponendum: & hoc pacto sensus suos expromebant Sapientes, Concionatores, Poetæ, Cantores, Prophetæ. Neque ideo negamus, aliquam hic esse figuram, cui possit attribui parabolæ nomen, vel si mavis, ænigmatis; verum fidei consonum minime est, Auctorem psalmo huic eam voluisse tribuere denominationem, propter paucas hujus generis loquendi rationes. Antiqua Psalteria legunt: *Loquar propositiones ab initio sæculi*. Septuaginta [6]: *Proponam problemata ab initio*. Aquila [7], & S. Hieronymus Hebraicum nomen vertunt *ænigmata*, & S. Matthæus [8] *occulta*.

℣. 3. QUANTA AUDIVIMUS, ET COGNOVIMUS EA. (4.) NON SUNT OCCULTATA A FILIIS EORUM.] Figurato, ligatoque stylo ea sum vobis enarraturus, quæ D Patres nostri narraverunt nobis; poetice narrabo vobis nostræ Nationis historiam &c. *Quanta audivimus*, neque hic, neque ℣. 5. modi est interrogativi.

℣. 5. NARRANTES LAUDES DOMINI.] Ipsi enuntiaverunt laudes Domini; vel nos ipsi enuntiabimus illas, & ea, quæ nobis contulit, beneficia prædicabimus.

℣. 6. SUSCITAVIT TESTIMONIUM IN JACOB, & LEGEM POSUIT IN ISRAEL.] *Testimonium, & lex* hoc in loco idem significant. Dei lex dicitur *testimonium*, propter rationes, ac testimonia, quæ complectitur, & quod testatur, adjurat, minitatur eos omnes, quibus est imposita: dicitur quoque *Thorah*, vel Lex, eo quod instruit. Eusebius, ac Theodoretus per *testimonium* intelligunt Tabernaculum in deserto a Moyse erectum. E

℣. 9. UT PONANT IN DEO SPEM SUAM, & MANDATA EJUS EXQUIRANT.] Hic est Cantici hujus finis, hic Legis scopus, quæ jubet, Israelitas sedulam curam impendere, ut erudiant filios suos de operibus Dei, & illius erga Patres suos misericordia [9]: huc omnes festivitates in Israel constitutæ, huc monumentorum erectio ad servandam rerum insignium, quæ contigerunt Nationi, collimant, ut futuræ generationes agno- A scant, & vereantur Dominum, in eo omnem suam spem collocent, ac summa cum officii fide mandata illius exequantur.

℣. 10. GENERATIO PRAVA, & EXASPERANS, GENERATIO, QUÆ NON DIREXIT COR SUUM, NEC EST CREDITUS CUM EO SPIRITUS EJUS.] Tales fuere majores vestri, cavete, ne illos imitemini. Hebræus [10]: *Generatio rebellis, & molesta* (irritans, affligens) *generatio, cujus cor non est confirmatum, & cujus spiritus non est fidelis*, constans, firmus, verus, *erga Dominum*. Patres vestri semper rebelles fuerunt Domino; numquam fideles illi adhæserunt, neque constanter Legem illius observarunt; semper leves, atque inconstantes in consiliis, atque operibus suis.

℣. 12. FILII EPHREM INTENDENTES, & MITTENTES ARCUM CONVERSI SUNT IN DIE BELLI.] Interpretes quidam [11] supponunt, hanc levitatis exprobrationem adversus tribum Ephraim respicere factum aliquod, quod ante exitum de Ægypto contigit; Psalmista enim nondum retulit, vel hunc exitum, vel aliquid, quod illum subsecutum est. Præterea in 1. Paralip. 7. 21. legimus, Tribus hujus homines, cum Gethæos fuissent adorti, cum cæde fuisse repulsos, quod magnum attulit dolorem Ephraim patri eorum, qui inter viventes adhuc versabatur. Verum præcipua ratio, cui hæc innititur conjectura, nequaquam solida est. Auctore Psalmi ubique ferme temporum ordinem negligente, non potest inferri, hoc ante exitum de Ægypto contigisse, eo quod ante hunc exitum enarretur.

Alii [12] hoc referri putant ad prœlium illud, in quo a Philisthiim Arca Domini capta fuit. Profecto cunctus Israel huic bello intererat 1. Reg. 4. sed Ephraimitæ præ aliis in eo versabantur, eorumque magis intererat Arcæ incolumitas, eo quod adducta fuerat de Silo, tribus illorum civitate, in castra, ideoque ad extremum usque spiritum illis erat prœliandum, ut sacrum adeo, ac inviolabile monumentum, quod jampridem veluti depositum Tribui ipsorum commendatum fuerat, tuerentur. Sermonis decursus huic favet explicationi; vers. enim 60. 61. 67. liquet, arcam de Silo, quæ erat in Ephraim, in Sion fuisse translatam, ibi in æternum, hoc est per plura sæcula immoraturam. Huic etiam altera additur adversus Ephraim objurgatio, quod scilicet Legem Domini deseruerit, & mandata illius servare noluerit; quod innuit rebellionem Ephraim, ac illius secessionem a tribu Juda, post Salomonis occubitum, & vitulos aureos in Bethel, & Dan a Jeroboam constitutos. Psalmi Auctor, cui consilium erat probandi jus ad Regnum in familia David, & veræ Religionis successionem in Juda, collegit isthic, quin temporum ordo illi negotium facesseret, rationes omnes, propter quas repulsam tulerat Ephraim, atque fuerat reprobatus. Prior erat eorum ignavia in servanda Arca Fœderis, quam a Philisthiim capi reliquerant; altera vero eorum infidelitas erga Deum, quem deseruerant, vitulos aureos Jeroboam adoraturi.

Huic tamen explicationi, quæ alioquin egregia est, potissimum adversatur temporum distantia inter hæc duo; Arcam scilicet in manu Philisthiim derelictam, atque decem Tribuum secessionem, & idololatriam. Nequaquam naturale videtur, duo facta inter se adeo distantia, & quæ parum adeo sibi cohærent, simul conjungi. Adde his, Arcæ a Philistiim captæ historiam satis prolixe infra referri ℣. ℣. 60. 61. 62. 63. 64. 65. & eam de Silo non in Sion, sed in Kariathiarim migrasse. Demum non satis liquet, cur isthic uni Ephraim vitio vertendum esset illud, quod toti Israel est commune. Hunc igitur psalmum intelligere vellem de victo-

ria

1 האזינה עמי תורתי Nomen תורה significat *legem*, & quodcumque instructionis genus, a ירה *docere*.
2 חירות משל 3 Job. 27. 1. 29. 1. 4 Proverb. 1. 1. 6. 25. 1.
5 Num. 23. 7. 18. 24. 3. 15. 20. 21. 23. 6 אביע חירות מני קרם 70. Φθέγξομαι προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς. Symmach. Ἀναβλύσω προβλήματα. 7 Aquil. Αἰνίγματα.
8 Matth. 13 35. Ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς. 9 Deut. 4. 9. 10. 11. 19.
10 דור סורר ומרה דור לא הכין לבו ולא נאמנה את אל רוחו Sym. Γενεὰ ἐκτρεπομένη τῇ καρδίᾳ, καὶ ἀβέβαιος πρὸς τὸν Θεὸν τῷ πνεύματι τῷ ἑαυτῆς. 11 Chald. Rabb. Genebr. Kimch. Gejer.
12 Abenezra, Ferrand.

ria Abiæ contra Jeroboam. Narrat historia 2. Par. 13. A post obitum Roboam Regis Juda, Abiam successorem ejus bellum indixisse Jeroboamo Regi Israel, ut, si fieri posset, ad officium revocaret decem Tribus, quæ duodeviginti, vel viginti annos antehac a Davidis imperio secesserant. Exercitus erant in conspectu; Abia quadringenta habebat electorum militum millia, Jeroboam vero octingenta. Cum ascendisset Abia montem Semeron, ubi deinceps Samaria condita fuit, concionem instituit habere ad populum Israel, qui in hostili exercitu aderat, & illi ostendere scelus, quod patrarat, Dominum derelinquens, & domus David jugum excutiens. Interim cohortes aliquot Jeroboam miserat, quæ a tergo Abiæ exercitum clauderent: sed eum Sacerdotes tuba clangere occœpissent, & Juda clamasset ad Dominum, ingens terror Jeroboami exercitum B invasit, simulque Abias irruit in eum, ita ut quingenti mille in acie ex hostibus caderent. Tunc temporis fortasse, vel paulo post psalmus iste compositus fuit. Ephraimitæ redarguuntur, quod turpi fugæ terga dederint, atque per summam indignitatem Dominum, & cultum illius dereliquerint; & nefario consilio, quod susceperant, pertinaciter adhæserint: *In lege Domini noluerunt ambulare*.

℣. 15. In Campo Taneos.] Tanis [1] Hebraice *Zoan* princeps erat civitas Pharaonis, quo regnante tot prodigia edidit Moyses. Urbs hæc erat in Delta, secus unum ex maxime orientalibus Nili brachiis: quæ deinde *Thanis* appellata fuit, metropolis nomi, vel provinciæ Thaniticæ.

℣. 16. Statuit aquas quasi in utre.] In quo C liquores asservantur. Eas continuit, quin super Hebræos fluerent, qui per earum medium transibant. Hebræus [2]: *posuit aquas veluti in tumulum*.

℣. 17. Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.] Columna eadem, quæ per diem eos deducebat sub imagine densæ nubis, illos ab Solis ardore protegebat, noctu eos regebat sub columnæ splendidæ, ac lucentis imagine. Pro *in nube diei*, Psalterium S. Germani legit, *in nube per diem*; quæ recta est Græci textus versio [3].

℣. 18. Adaquavit eos velut in abysso multa.] Potum illis tribuit eadem in copia, perinde ac habuissent dulcium aquarum congeries, magnitudine Oceano pares. Hyperbolice dictum ad innuendam maximam aquæ vim, quæ de rupe effluxit. S. Paulus 1. Cor. 10. D 4. asserit, aquas, quæ ex hac rupe emanarunt, eos quocumque fuisse subsecutas, seu quod perennes efficerent rivos, secus quos populus pluribus annis habuit castra; seu quod in illorum itinere potum illis suppeditarent, cum ex eo fonte, vel ex illis rivalis haurirentur, atque in ipso itinere deferrentur.

℣. 21. Ut peterent escas animabus suis.] Ex Ægypto cum paucis commeatibus egressi, vix in desertum Sin pervenerant, cum fame laborare incœperunt. Verum quin ad Deum, vel Moysem illius servum confugerent, murmurare occœperunt. Deus misit illis mannam, & coturnices Exod. 16. 3. In sequenti statione Moyses illis aquas eduxit de rupe Exod. 16. 5. Sed Psalmi hujus Auctor ad hoc non alludit; supponit enim, populum jam vidisse miraculum rupis apertæ, E quæ illis aquas præbuerat. Loquitur ergo de altera vice, qua escam petiere; cum mannam fastidientes [4] conquesti sunt, cibum hunc nimis esse vilem, ac levem, & petierunt carnes, pisces, allia, cæpe, & alia, quibus in Ægypto vescebantur. Petierunt *escam animabus suis*, quasi alioquin animas efflaturi, & omnia illis penitus deessent; vel petierunt *animabus suis*, ut gustui suo satisfacerent, & inordinatum desiderium explerent; expetebant autem cibum, qui majorem haberet succum, majoremque afferret voluptatem, quam manna.

℣. 22. Male locuti sunt de Deo.] Hebr. [5] *locuti sunt contra Dominum*. Moyses ait aperte Num. 11. 1. *Ortum est murmur populi contra Dominum*.

℣. 23. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ (24.) Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam &c.] Dedit nobis mannam, & de rupe aquam elicuit; verum quid est hæc manna? hæc prava est esca, quæ nec succum habet, neque eam substantiam, qua epulæ, & fructus, quos in Ægypto comedebamus, erant referti. Verum quidem est, nobis perennem aquam fluere, at hoc munus est, quod illi nullo stat pretio. Novit aperire aquæ scatebram, & abditum fontem in rupe, eamdem findens [6]; sed poterit ne in hac solitudine præbere nobis panem, & carnem, & instruere nobis mensam, quemadmodum in frequente civitate, in medio regionis uberrimæ? Hæc dicunt in cordibus suis: *Tentaverunt Deum in cordibus suis*. Nonnulli *panis* nomine hoc in loco intelligunt carnem [7], vel quodlibet escæ genus. Hebræus pro *parare escam*, legit [8], *parare carnem*, & pro *percussit*, aperuit *petram*, habet [9]: *percussit rupes*.

℣. 25. Ideo audivit Dominus, & distulit; & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel.] Moyses narrat [10], Dominum Hebræorum obmurmurationibus irritatum ignem in castris eorum accendisse, qui extremam castrorum partem absumpsit, quapropter loco illi factum est nomen *incendii*. Moyses autem clamavit ad Dominum, & ignis illico extinctus est. Pro *distulit*, Hebræus [11] habet, *iratus est*. S. Paulus 1. Cor. 10. 10. hæc ignis supplicia exterminatori Angelo attribuit. Auctor 4. Machabæorum similiter loquitur.

℣. 27. Mandavit nubibus desuper, & januas coeli aperuit, & pluit illis manna &c.] Vertere mallem in tempus plusquam perfectum; ostendimus enim, murmur illorum satis diu contigisse post primum mannæ miraculum. Eam quippe illis dederat, antequam ad montem Sinai pervenissent, & ea, quæ isthic narrantur, acciderunt aliquanto post ipsorum ab hoc monte discessum. *Mandaverat nubibus desuper, et januas cæli aperuerat, et pluerat illis manna* &c. Manna decidebat instar pluviæ, vel roris noctu; & hæc locutio, *januas cæli aperuerat*, indigitat mannæ copiam, & eam veluti de cella, ubi esset recondita, cecidisse. Deus quolibet die horreum suum operuit, ut aleret populum suum in deserto eadem esca, qua in Cœlo Angeli utuntur ℣. 25. *Panem Angelorum manducavit homo*.

℣. 28. Panem Coeli.] Heb. [12] *frumentum Cælorum*; perinde ac hæ fruges in cœlis germinarent, ac ex iis cœlorum incolæ vulgo vescerentur. Eusebius ait, hic per Angelos intelligi posse nubes, e quibus manna dilabebatur. Et S. Athanasius putat, hanc escam fuisse spiritualem, aliam a manna, qua Deus alebat populum suum, & illi persimilem, qua Angeli utuntur.

℣. 29. Panem Angelorum.] Panem præparatum, suppeditatum, vel demissum ab Angelis [13], vel panem, quo ipsi Angeli aluntur. Heb. [14] *Panem Optimatum*; Potentium, Angelorum. Figurata locutio, quæ ad litteram Eucharistiæ convenit dumtaxat, quæ vere est panis Cœli, & esca Angelorum *Joan. c. 6. ℣. 49*.

Cibaria misit eis in abundantia.] Hebr. [15] *misit illis venaticas epulas in abundantia*. Ad litteram: omnem eorum saturitatem. Vel, misit illis, quantum voluerunt. Quædam antiqua Psalteria legunt [16]: *Frumentationem misit eis*; annonam frumenti.

℣. 30. Ab-

---

1 70. Ἐν πεδίῳ Τάνεως. שדה צען 2 ויצב כמו נד כיים 70. legerunt כנאוד sicut & Syriacus. Exod. 15. 8
3 Ἐν νεφέλῃ ἡμέρας. Heb. בענן יומם Interpres Latinus eodem modo lapsus est. Sap. 10. 17. *Fuit illis in velamento diei*. Id est *per diem*. 4 Num. 11. 4. 5. & sequ. 5 וידברו באלהים
6 Theodoret. 7 Kimchi, Abenezr. Ferand. 8 אם יכין שאר לעמו
9 Heb. יבקע צרים Aqu. Ἔσχισε πέτρας. 10 Num. 11. 1. 2. *Et accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem*. 11 שמע יהוה ויתעבר Sym. Ἐχολώθη. *Iratus est*. Aqu. Ἀνυπερθέτισεν. *Non distulit*. 12 ודגן שמים נתן למו 13 Theodoret. Euseb. 14 לחם אבירים 70. Ἄρτον ἀγγέλων. Sym. Ἄρτον μεγάλων. Aqu. & Th. Ἄρτον δυνατῶν. 15 צידה שלח להם לשבע
16 Psalt. Rom. Mediol. Carnut. 70. Ἐπισιτισμόν.

℣. 30. ABSTULIT AUSTRUM DE COELO, & INDUXIT IN VIRTUTE SUA AFRICUM.] In Arabia Petræa, ubi tunc aderant Israelitæ, australis ventus flat ab Oceano, & Occidentalis ab Ægypto, atque Mediterraneo. Ut adduceret coturnices in Israelitarum castra, opus erat, ut ventus flaret a Mediterraneo, & Rhinocorure, quo aves illæ transitus sui tempore advolare consueverant. Ventus, quem Occidentalem quoque vocat, inter occasum, & boream flare debebat. Hebræus [1] longe differt: *Discedere fecit*, dissipavit *ventum de Kadim*, hoc est Orientalem, & *consurgere ventum de Theman*, vel de meridie. Ita hæ coturnices, quæ tanta in copia in Israel castra descenderunt, adductæ fuerunt a penitioribus Arabiæ felicis partibus, vel ab Oceani litore, vel a Mari Rubro; in cujus litoribus plurimas id genus aves adesse Josephus testatur, Antiq. l. 3. c. 1. Nunc secundo in Israelitarum castra has volucres Dominus advexit [2]. Moyses, quin explicite referat, quinam ventus coturnices adduxisset, ait, eas a mari venisse, hoc est, vel ab Erythræo, vel ab Oceano, uti jam dictum est. Psalmista supplet, quod Moyses non retulit.

℣. 31. PLUIT SUPER EOS SICUT PULVEREM CARNES.] Tanta earum fuit copia, Moyse teste Num. 11. 31. ut ex iis collegerint quantum in mensis unius, & ultra victum sufficeret, & nemo adfuerit, qui decem Chomer apud se non habuerit, videlicet quantum decem homines centum diebus nutriret. Vide Commentarium nostrum in Num. 11. 32.

℣. 33. NON SUNT FRAUDATI A DESIDERIO SUO.] Hebræus ad litteram [3]: *non fuerunt alieni a desideriis suis*; non privati fuerunt; vel, *desiderium eorum non fuit alienum illis*; votorum summa expleta fuit cum maxima eorum lætitia. Moyses Hebræos allocutus, cum coturnices descenderent, ait illis [4]: Dabo vobis carnem, quæ vertatur vobis in nauseam, & *a vobis sit tamquam aliena*, & vobis displiceat, eo quod eam ferre non poteritis. Verti posset hic ℣. 33. *Ex ea comederunt, et juxta suam voluntatem saturati sunt; illis concessit, quod concupiverant; nondum penitus aviditati suæ satisfecerant* [5], nondum ad satietatem usque sese ingurgitarant, *caro adhuc erat in ore ipsorum*, (34.), *et ira Domini effulsit super eos*. Hæc est veluti correctio eorum, quæ dixerat Moyses, qui promiserat, ipsos ex ea tantum fuisse manducaturos, ut illam jam fastidirent, atque jam illis talis esca displiceret. Verumtamen non expectavit tandiu Deus; adhuc vescebantur, adhuc os illis erat refertum, cum in ipsos ira Domini sævit. Eusebius putat, Deum illis viscerum morbos immisisse, qui eis necem attulere [6]. S. Hieronymus scite equidem, & affabre locum hunc ad eos transfert, qui indigne ad Sacrosanctam Eucharistiæ mensam accedunt. Quicumque comedit Carnem, & bibit Sanguinem J. C. & postmodum se in scelera immergit, præstolari debet omnem Judiciorum Dei severitatem, juxta illa Apostoli verba 1. Cor. 11. 29. *qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit*. Electi ipsi de Israel, videlicet J. C. sacerdotes in summam decidunt calamitatem, nisi summa cum innocentia, & charitate versantur.

℣. 35. ET OCCIDIT PINGUES EORUM, & ELECTOS ISRAEL IMPEDIVIT,] videlicet & electos quoque de Israel percussit. Hebræus verti potest [7]: *Occidit ditiores ex illis, et meliores milites*, electos e copiis *Israel evertit*. *Pingues* significant locupletes, potentes; *electi* sunt A milites, qui robore juventutis pollent. Septuaginta [8], & antiqua Psalteria legunt [9]: *Occidit plurimos eorum*. Sed Hebræus, aliique Interpretes [10] vertunt; *pingues eorum*.

℣. 36. IN OMNIBUS HIS PECCAVERUNT ADHUC.] Aliquantulum post hoc tempus, quod modo vidimus, Hebræi iterum murmurare cœperunt; & peccatum hoc longe majora peperit mala, quam quæ hactenus sumus intuiti. Cum Moyses quosdam legasset viros, qui terram promissam explorarent, hi reversi admirabilem illius ubertatem commendarunt, sed adeo exaggeraverunt illius assequendæ difficultatem, ut populus per seditionem in questus, ac impatientiam exarserit adeo, ut lapidibus vellent irruere in Moysem, Aaronem [11] Josue, & Caleb, qui divino freti auxilio haud ita gra- B vi negotio terram illam vinci posse affirmabant. Tunc juravit Deus, neminem eorum, qui in ipsum obmurmurassent, eam in terram, quæ modo fuerat explorata, ingressurum. Qua seditione, atque tumultu vix sedato, alius iterum in Moysem, & Aaronem erupit. Core, Dathan, & Abiron seditionis duces se se professi sunt Num. 16. 17. Effectus fuere terribiles; permisit Deus, ut hiaret tellus, ut rebelles hi cum facinorosis hominibus, qui adhærebant illis, deglutirentur, & ignis quindecim ferme hominum millia consumeret.

℣. 37. ET DEFECERUNT IN VANITATE DIES EORUM, & ANNI EORUM CUM FESTINATIONE.] Ii omnes, qui a Domino defecerant, in deserto triginta, & octo annorum spatio interiere. Dies evanuerunt veluti nubes, umbra, vapor, *in vanitate* [12]; eorum an- C ni incredibili celeritate transierunt, *cum festinatione*. Hebræus [13]: transierunt *in tumultu*, in terrore.

℣. 38. CUM OCCIDERET EOS, QUÆREBANT EUM, & DILUCULO VENIEBANT AD EUM.] Plurima antiqua Psalteria legunt [14]: *ante lucem veniebant ad eum*. En tribulationum utilitas. Deprimunt; infringunt superbiam, hominem revocant, ut ad se redeat, illum ad Deum confugere cogunt. Hebræi in hoc laudem merentur, quod in ærumnis suis divinam opem poposcerint: verum eos damnat scriptura, quod in suscepto consilio nequaquam fideles perstiterint; eorum pœnitentia neque sincera erat, neque integra, neque constans.

℣. 40. ET DILEXERUNT EUM IN ORE SUO, & IN LINGUA SUA MENTITI SUNT &c.] Summis dumtaxat labiis eum celebrabant, colebantque [15]: illi suam fi- D dem, amorem, & servitutem profitebantur, sed cum primum se se obtulit occasio, defecerunt a fide. Hebræus [16]: *deceperunt eum*, seduxerunt, blande lactarunt *in ore suo*: *et mentiti sunt ei* [17], & fefellerunt eum, & promissi fidem ei non præstiterunt *in lingua sua*. Se vana specie, atque inanibus servitutis, atque officii pollicitationibus ei fucum facere posse crediderunt.

℣. 41. NEC FIDELES HABITI SUNT IN TESTAMENTO EJUS.] Hebræus verti potest [18]: *non fuerunt constantes*, perseverantes *in fœdere suo*. Septuaginta [19], & antiqua nonnulla Psalteria [20]: *Nec fides habita est illis* &c. perinde ac Deus illis numquam credidisset, tamquam improbis servis, quibus non habetur fides; diligentibus quidem ac sedulis, donec ob oculos tuos versantur, atque in officio supplicii timore coercentur, E *servis ad oculum*; semper vero paratis ad murmurandum, atque ab officio recedendum, cum se prima obtulerit occasio.

℣. 44. ET RECORDATUS EST, QUIA CARO SUNT, SPIRITUS VADENS, & NON REDIENS.] Deus nequa-

1 יסע קדים בשמים וינהג בעזו תימן Sym. Ὡς ἦρεν ἄνεμον ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἐπήγαγεν ἐν τῇ δυναστείᾳ αὐτοῦ νότον. *Abstulit ventum Orientalem, & induxit ventum meridionalem*. 2 Num. 11. 31. 32.
3 לא זרו מתאותם 4 Num. 11. 20. *Et vertatur in nauseam*. והיה לכם לזרא
5 Sym. apud Euseb. Καὶ οὐκ ἀπέστησαν τῆς ἐπιθυμίας αὐτῶν. 6 Euseb. hic. Ita Athan. Γέγονε γὰρ αὐτοῖς εἰς χολέραν ὅ,τι ἂν τρώσι. 7 ויהרג במשמניהם ובחורי ישראל הכריע
8 Καὶ ἀπέκτεινεν ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν. Aug. *Occidit in plurimis eorum*. 9 Psalt. Rom. Mediol. S. Germ.
10 Sym. Τοὺς λιπαρωτέρους αὐτῶν. Aqu. Ἐν λιπαροῖς αὐτῶν. Th. Ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν.
11 Num. 13. 14. 12 Aqu. Συνετέλεσεν ὡς ἀτμὸν τὰς ἡμέρας αὐτῶν. *Dissipavit eorum dies, veluti vaporem*.
13 ושנותם בבהלה 14 Roman. an. 1663. & 1508. & Mediol. & Carnut.
15 Isai. 29. 13. *Labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me*. 16 ויפתוהו בפיהם ובלשונם יכזבו לו
17 Vide Ps. 17. 46. 65. 3. 80. 16. 18 ולא נאמנו בבריתו 19 Οὐδὲ ἐπιστώθησαν ἐν τῇ διαθήκῃ αὐτοῦ.
20 *Nec fides habita est illis*, &c. Psalt. Rom. & Mediol.

quaquam omnem iræ suæ severitatem in populum suum A exercuit, eum penitus perdere noluit; verum eos excepit, quoties ad ipsum reversi sunt, & recordatus est, ipsos ex infirma, fragilique carne esse compactos, & vitam eorum nihil esse quam flatum, & ventum, qui prætervolat, neque revertitur amplius. Non ideo ait Psalmista, homines non reviviscere, & animam eorum semel a corporibus sejunctam, numquam ulterius cum illis conjungi; sed loquitur simpliciter de vita animali, & de eo, quod in hominum communi morte contingere videmus, qui ad tumulum efferuntur, in pulverem rediguntur, neque amplius revertuntur ad vitam [1]. Scriptura sæpius hoc loquitur modo [2], quin tamen obsit veritati resurrectionis futuræ, quam alibi toties apertissime docet.

Caro isthic, non secus ac alibi passim in Scriptura B usurpatur pro inferiori hominis parte, quæ cum parte superiori confligit: ita ait J. C. in Evangelio Matth. 26. 41. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; & S. Paulus ad Rom. 7. 28. *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*; & ad Galat. 5. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur*. In Genesi 6. 3. Dominus ait: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*: & 8. 21. pollicetur, se non ulterius homines esse generalibus suppliciis puniturum: *sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Homerus Iliad. 9. eodem ferme pacto loquitur, ac isthic Asaph.

℣. 46. Et conversi sunt, & tentaverunt Deum, & Sanctum Israel exacerbaverunt.] C Nequaquam operosum est, hoc ex Scripturarum historia probare. In singulis pene Bibliorum paginis Israelitarum impatientia, eorumque ingrati animi vitium erga Deum deprehenditur. Hebræus [3]: *reversi sunt, & tentaverunt Dominum, & contumelioso signo Sanctum Israel notarunt* [4]. Eum quodammodo opprobriis objecerunt, illum turpi nota adspergentes, veluti quæ in frontibus quibusdam inuritur. S. Paulus ad Hebr. 6. 6. de iis loquens, qui post baptismum in scelera decidunt, vocabulo utitur, quod eamdem circiter rem, ac illud, quod isthic explicamus, significat. Ait autem a peccatoribus *iterum crucifigi J. C. & ostentui ignominiæ*, & eum quodammodo in ludibrium, & opprobrii exemplum vertere. Hoc, mea quidem sententia, isthic innuit Psalmista: Deum per summum contemptum D irriserunt, ejus sanctitati, & potentiæ insultarunt. Genebrardus putat, verti posse; *eum crucifixerunt*, quod Hebraicum verbum *Hitavu* est radix *Tau*, quæ littera antiquitus crucis imaginem referebat. Rabbini, ac Recentiorum plerique: *Terminaverunt Sanctum Israel*. Limites perscribere voluerunt potentiæ illius, eumque tentare, quasi potestas ejus non esset infinita. S. Hieronymus: *concitaverunt eum*.

℣. 49. Convertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent.] Vulgo ferunt in Ægypto non pluere; sed viatores [5] ibi pluere quidem testantur, quamquam infrequentius quam alibi; Memphi tamen ac supra eam imbres ingruere copiosiores. Hebræus verti potest [6]: Convertit in sanguinem *fluvios eorum*, Nili brachia, & *rivos illo-* E *rum*. *Imber* pro aqua generatim nonnumquam usurpatur. Virgilius Æneid. 1.

Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

Idem etiam est de Græca voce *ombrema*, vel *ombros*. S. Augustinus in textu Latino legebat, *manationes aquarum* [7]. Theodoretus, ac Theodorus Heraclæota id intelligunt de aquis pluviis, quæ in cisternis colliguntur. Sed in Ægypto cisternæ aquis Nili replentur.

℣. 50. Misit in eos cænomyiam, & comedit eos.] Antiqua Latina Exemplaria legebant *Cynomyiam*, uti est in Septuaginta [8]; sed jampridem scite animadvertit S. Hieronymus ad Suniam & Fretellam legendum esse, uti hodie habemus *Cænomyiam*, muscas cujuslibet generis, uti Hebræus habet [9], Aquila [10], & Septuaginta apud Eusebium. Hodie pleraque Græca Exemplaria legunt Cynomyiam, & vetustiora Latina Psalteria, quæ hodie extant, legunt [11] *Muscam caninam*, quod ad litteram vim Græcæ vocis exprimit, muscam maximopere molestam, atque importunam.

℣. 51. Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ.] Ærugo morbus est in frugibus, quem pluvia, vel ros gignit, qui cum in arista corrumpitur, ei nigredinem offundit, efficitque, ut resolvatur in pulverem. Hebraica vox quamdam locustæ speciem significat [12]: *et dedit fructus eorum brucho, et labores eorum locustæ*. Nemo nescit, locustas quandoque integras Orientis provincias depopulari.

℣. 52. Occidit in grandine vineas, & moros eorum in pruina.] Hæc septima est plaga, qua Deus Ægyptum percussit Exod. 9. 18. Herodotus l. 2. c. 77. asserit, nullas esse in tota Ægypto vites, & pro vino, quamdam siceræ speciem ex hordeo usurpari. Verum Auctores alii Ægyptium vinum commendant; & Athenæus lib. 1. vinum Taneos præsertim, veluti exquisitissimum laudat; Hellanicus apud eumdem contendit etiam, vitem primum in Plinthina Ægypti urbe fuisse adinventam. Psalmista inferius etiam Psalmo 104. 33. de vineis Ægypti loquitur. Quoad *moros* Interpretum plerique tenent, Hebraicam vocem [13] *Schikmoth* significare *Sycomoros*, arbores in Ægypto communes, quæ ferunt quamdam speciem ficuum nullius & saporis, & pretii. Folia quidem habent moris simillima, fructus vero ficubus, quapropter factum est illis sycomori nomen: appellantur quoque *ficus Ægypti*, vel *Pharaonis*. Moyses peculiariter nec ficum exprimit, nec vineam; sed generatim ait, grandinem, quæ in Ægypto cecidit, arbores omnes, atque plantas contrivisse: *Omne lignum regionis confregit*. Exod. 9. 25. Hebraica vox [14], quam Vulgata reddidit *pruinam*, significat ex aliquorum sententia grandinem crassiorem [15], ex aliorum vero [16] speciem locustæ, atque, ut Symmacho lubet, *vermem*. Sed prior significatio pluribus arridet.

℣. 53. Et tradidit grandini jumenta eorum & possessionem eorum igni;] hoc est, fulmini; hæc non differt a plaga superiori versiculo memorata; cujus effectus hic describere pergit. Hebræus aliter vertitur [17]; Chaldæus; & recentiorum plerique reddunt: *Dissipavit armenta illorum grandine, & greges eorum fulguribus*, vel igne. Hebraica vox *Reschepb*, quam Septuaginta, & Chaldæus reddiderunt *ignem*, carbones, fulgura, a S. Hieronymo, ac Interpretibus antiquis Græcis, Aquila, Symmacho, Theodotione, & Editione quinta redditur *aves*. Immo eamdem & in Job 5. 7. & in Deuteronomio 32. 24. *aves* significare Rabbini Maimonides, & Abenezra contendunt. Symmachus [18]; *Tradidit armenta eorum pesti, & bona eorum avibus*. Cum armenta eorum magno in numero objissent in agris, avibus Cœli pabulum fuere. S. Hieronymus; *tradidit grandini pascua eorum, & jumenta eorum volucribus*. Hic autem sensus æquior, magisque appositus mihi videtur.

℣. 54. Immissiones per Angelos malos;] dæmones

1 Vide Hieron. Euseb. Muis Genebr. alios. 2 Vide Psal. 36. 2. Job. 7. 7. Eccle. 12. 7. Ps. 102. 14. Prov. 19. 1. 3 וישובו וינסו אל וקדוש ישראל התוו 4 Chald. וקדישא דישר אל איתיו תיוהא 5 Vide Vanslebii iter Ægyptiacum pluribus in locis. 6 ויהפך לדם יאוריהם ונזליהם בל ישתיון Aqu. Κατάῤῥοιας αὐτῶν. Sym. Τὰ ῥεῖθρα αὐτῶν. 7 70. Τὰ ὀμβρήματα αὐτῶν. 8 Κυνόμυιαν. 9 ישלח בהם ערב 10 Aqu. Πάμμυιαν. 11 Psalter. Rom. Mediol. Carnut. 12 ויתן לחסיל יבולם ויגיעם לארבה Aqu. τῷ βρύχῳ. לחסיל 13 שקמות sycomoros; ita antiqui Interpp. Græci, præter 70. 14 חנמל Chanamal. Sym. Ε'ν σκώληκι. 15 Chald. Ezr. Kimchi, Saad. Aquil. Ε'ν κρύει. In frigore. 70. Ε'ν τῇ πάχνῃ. 16 Rabb. Salomon. & Chasan apud Muis. 17 ויסגר לברד בעירם ומקניהם לרשפים 18 Symmach. Ε'ξέδοτο λοιμῷ τὰ κτήνη αὐτῶν, καὶ τὰ κτήματα αὐτῶν οἰωνοῖς. Legit דבר pro ברד

mones scilicet. Loci hujus sententia in diversa Patres distinet; alii quidem, puta, Origenes [1], & S. Hieronymus [2] censent, Dominum Dæmonum opera dumtaxat uti, cum mala in homines immittit, sed idem S. Hieronymus in cap. 7. Dan. ait, bonos Angelos sæpe divinæ ministros esse justitiæ, æque ac misericordiæ. Neque dissentit S. Ambrosius in Ep. 34. ad Horontiam, qui ait, Angelos gemere, cum a Deo ad nos torquendos exercentur. *An non ingemiscere credimus, cum adhibentur pœnarum, et excidiorum ministri?* Theodoretus hic ait, Angelos isthic *malos* vocari, non quod mali sunt natura, sed quod adhibentur ad mala hominibus inferenda; quod ipsum repetit in Jeremiam 49. 14.. Videri quoque possunt in hunc locum Euthymius, atque Interpretes in Exodum c. 12. 29. & Prov. 17. 11.

Auctor libri Sapientiæ c. 18. 14. 15. 16. Verbo Dei attribuere videtur mortem Primogenitorum Ægypti; & quartus Regum 19. 35. loquens de clade exercitus Sennacherib simpliciter ait, Angelum Domini descendisse, & omnes eas copias trucidasse: & in Daniele 10. 13. 20. S. Michael Archangelus contra Regem Persarum initurus certamen describitur. Interpretum nonnulli ita Hebræum reddunt: *Immissiones Angelorum mala inferentium*. Misit in illos Angelos, qui ipsis nocerent. Alii: misit illis Legatos, qui eis mala annuntiarent. Deus legavit Moysem, & Aaron, qui ipsius nomine eis minas intenderent, variisque plagis afficerent.

℣. 55. VIAM FECIT SEMITÆ IRÆ SUÆ.] Eam reliquit, ut ita dicam, & laxatis habenis in illos desævire permisit. Nonnulli Hebraicum textum ita reddunt [3]: *ponderavit iter iræ suæ*. In statera posuit hinc iniquitates eorum, illinc iræ suæ effectus, ut utrorumque pondus æquaretur. Subnecti potest superiori Versiculo: *Immissio Angelorum malorum viam munivit iræ suæ*. Eusebius putat, hanc simplicem esse humanitus loquendi rationem ad significandos Divinæ ultionis effectus.

℣. 56. PERCUSSIT PRIMITIAS OMNIS LABORIS EORUM IN TABERNACULIS CHAM.] Disperdidit primitias laboris Ægyptiorum in domo, & in regione eorum. *Tabernacula Cham* sunt civitates Ægypti. Cham Filius Noe pater fuit Mezraim Patriarchæ Ægyptiorum. *Primitiæ laboris* indigitare possunt quidquid optimum, ac pretiosissimum erat in eorum domibus, quidquid labore, ac industria collegerant. S. Hieronymus [4], ac Interpretum plerique [5] hoc intelligunt *de primogenitis Ægyptiorum*. Hebræus ad litteram [6]: *Initium doloris eorum*, vel fortitudinis eorum *in tabernaculis Cham*. Hæc est periphrasis in Judæorum stylo ad innuendum primogenitum, qui tempore eodem initium est & fortitudinis patris, & dolorum matris. Jacob Ruben primogenitum suum appellat Genes. 49. 3. *tu fortitudo mea, principium doloris mei*. Locutio eadem invenitur infra psalmo 104. ℣. 36. & in Deuteronomio 21. 17. & Sapiens adhortatus adolescentes ad scorta fugienda, ait illis Prov. 5. 9. *Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli: ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena; et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas, et corpus tuum.*

℣. 57. ABSTULIT SICUT OVES POPULUM SUUM.] Eduxit illum de tabernaculis Cham, quemadmodum grex e caulis eripitur a latrone; abstulit illum de Ægypto, & deduxit in desertum, ut eum ibi pasceret; deditque illi pastores Moysem, & Aaron.

℣. 58. EDUXIT EOS IN SPE, & NON TIMUERUNT.] Hebræus [7]: Eduxit eos in securitate, & non timuerunt. Constituit illis caulas in locis tutis, ubi nihil metuerent. Persequitur incœptam Pastoris similitudinem, gregem suum in loca ab omni periculo seposita, tum a latronibus, tum a feris, tum a serpentibus deducentis.

℣. 59. INDUXIT EOS IN MONTEM SANCTIFICATIONIS SUÆ.] Egit gregem suum in terram Chanaan quam præ reliquis terris elegerat, & Patriarchis Abrahæ, Isaac, & Jacob spoponderat. Terram hanc sanctificaverat, eo quod ab initio eam constituerat, Religionis suæ sedem futuram; ibi jam miracula edere incœperat in Patriarcharum gratiam, quos nuper memoravimus; ibique non semel apparuerat. *Montem* vero appellat, quia regio illa montibus erat frequens, & longe dissimilis Ægypto, quæ jugis erat planities. Moyses Dominum orans, ut sibi liceret in eam terram ingredi, ajebat illi Deut. 3. 25. *Transibo igitur, et videbo terram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum egregium, et Libanum*. Et Exod. 15. 17. eam vocat *montem hæreditatis Domini*; & in Deuteronomio 32. 13. terram elevatam: *Constituit eum super excelsam terram*; & Ezechiel 36. 2. *altitudines sempiternas*. Denique *mons sanctificationis* designare quoque singillatim potest montem Sion, in quo Templum erat ædificatum.

℣. 60. ET EJECIT A FACIE EORUM GENTES; & SORTE DIVISIT EIS TERRAM IN FUNICULO DISTRIBUTIONIS.] Ejecit Dominus Chananæos a facie Hebræorum; adversus illos immisit perniciosos exercitus muscarum; incussit in eorum aciem ingentem formidinem, plurimosque coegit, ut sibi trans maria recessus perquirerent. Factum hoc seorsim in peculiari Dissertatione ad examen vocavimus [8]. Quoad distributionem terræ per sortes Israelitis divisæ, omnia ad unguem adimpleta fuisse ex Josue liquet. Textus ad litteram ait, ipsis divisam fuisse *in funiculo distributionis*; Ægyptii enim [9], & Hebræi [10] funiculis utebantur ad longitudines, agrosque metiendos.

℣. 63. ET AVERTERUNT SE, & NON SERVAVERUNT PACTUM.] Hebræus legit [11]: *Corruperunt se*, vel *recesserunt, et prævaricati sunt*. Septuaginta sibi non constant, non secus ac antiqua Latina Psalteria ad eorum textum concinnata. Jam tunc S. Hieronymi ævo [12] non deerat hac in re difficultas. Fatetur ille, neque Hebraicum textum, neque Septuaginta legere *pactum*; sed simpliciter [13] *contempserunt*, vel prævaricati sunt; Interpretes alii legebant [14]: *non steterunt fœderi*, vel pactis; fidem non observarunt. Exemplaria Septuaginta Romanæ Editionis postremam hanc lectionem sequuntur, aliorum pleraque primæ favent. Vetusta quædam Latina Psalteria legunt simpliciter [15]: *Averterunt se, et non observaverunt*: *pactum* vero non legunt.

CONVERSI SUNT IN ARCUM PRAVUM,] qui ejaculantem ferit, ait Theodoretus, vel qui numquam quo intenditur, ferit. Oseas objurgans Israelitas ob eorum adversus Deum infidelitatem c. 7. 6. ait, ipsos esse *arcui doloso* similes; & Jeremias 9. 3. ait, Judæos usos fuisse lingua sua ad fallendum, velut *arcu mendacii*; ipsos scilicet seduxisse proximum suum, simulantes se aliquid velle, dum alium requirebant, alio modo loquentes, alio facientes. Arcus dolosus eum innuit, cujus sagittæ contra sagittarium illas emittentem relabuntur. Arcus Jonathæ id genus non erat [16]: *Sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum*, quotiescumque emissa fuit, vulnus inflixit, hostem percussit. Ephraimitæ strenui licet bellatores male pugnaverant ℣. 9. fugæ se dederant, sagittæ illorum hostem non percusserant, arcus eorum mendosus erat. Hæc omnia significant figurate, Tribum hanc non præstitisse ea, quæ debe-

---

1 Origen. l. 8. contra Celsum, Euseb. hic. ad vers. 25. 2 Hieron. hic. *Ut qui divinis plagis non arguebantur, diabolicis insidiis tunderentur*, &c. 3 יפלס נתיב לאפו

4 Hieronym. *Principium partus in tabernaculis Cham*. 5 Sym. Πρωτεῖον δυνάμεως. Syr. Euseb. Genebr. Muis. Mar. Jun. Munst. alii. 6 ראשית אונים באהלי חם 7 וינחם לבטח ולא פחדו Aqu. Καθοδήγησεν αὐτοὺς εἰς πεποίθησιν, καὶ οὐκ ἐπτοήθησαν. Sym. Ὡδήγησεν αὐτοὺς ἀφόβως, καὶ ἀπτοήτως.

8 Vide in capite libri Josue Dissertationem de regione, quo Chananæi se receperunt.

9 Herodot. lib. 2. c. 6. 10 Psal. 15. 6. Josue 17. 5. 14. & passim.

11 ויסגו ויבגדו 12 Hieronym. ad Suniam & Fretel. 13 70. Ἠθέτησαν.

14 Ἠσυνθέτησαν. 15 Ita Psalt. Rom. & Carnut. sed S. Germ. *Repulerunt*.

16 2. Reg. 1. 22.

debebat Domino, eum reliquisse, ut sequeretur Idola: hæc est Eusebii explicatio in ℣. 9.

℣. 64. IN COLLIBUS SUIS.] Profanis aris, quas in montium jugis extruxerant. Hæc excelsa loca ipso Judicum tempore usum obtinuerant; ad quod tempus Psalmi auctor alludit. Multo frequentiora tamen facta sunt in Israel post decem Tribuum secessionem; & Prophetarum libri pleni sunt invectivis contra eadem, & illos, qui illuc adoraturi se conferebant.

℣. 65. AUDIVIT DOMINUS, & SPREVIT, & AD NIHILUM REDEGIT VALDE ISRAEL.] Audivit Deus eorum blasphemias, & deinceps neglexit Israel, eumque depressit; vel: Novit infidelitatem, & flagitia populi sui, neque dignatus est eum, uti prius, benigno intuitu; despexit illum, & sprevit, veluti populum extraneum; variis eum tradidit hostibus, qui eum oppresserunt. Modo Chananæis, modo Philisthiim, Madianitis modo subjecti fuerunt; Id autem Judicum tempore. Hebræus [1]: *admonitus fuit* de sceleribus populi sui, *exarsit ira, et odit*, abominatus est *Israel*.[2] Admonitus fuit, quemadmodum Genes. 18. 20. ait Scriptura, ipsum audivisse clamorem Sodomæ, & Gomorrhæ.

℣. 66. ET REPULIT TABERNACULUM SILO.] Dominus adversus Israel irritatus, & præcipue adversus Sacerdotes suos, qui sanctum illius cultum polluebant, & populo blasphemandi occasionem tribuebant, succensus, dedit Arcam suam in manu Philisthiim. Post remissam a Philisthinis Arcam, ea non amplius in Silo reducta fuit, sed in Cariath-iarim collocata, unde illam abstulit David, in Monte Sion in Jerusalem collocaturus. Tabernaculum, quod erexerat Moyses in deserto in Silo permansit, etiam postquam Arca a Philisthiim capta, & remissa, deinde in Cariathiarim fuit constituta. De Silo Tabernaculum hoc in Nobe translatum fuit, inde in Gabaon, fortasse Saule regnante, ibique adhuc aderat initio Regni Salomonis; quandoquidem Rex iste illuc se contulit, sacra facturus 3. Reg. 3. 4. Postquam Templum ædificatum est, quid de Moysis Tabernaculo factum fuerit non constat, sed fortasse in Salomonici Templi thesauros illatum est.

℣. 67. ET TRADIDIT IN CAPTIVITATEM PULCHRITUDINEM EORUM.] Tradidit in manus Philisthiim Arcam, quæ ipsorum erat decor, & gloria. Arca vocatur, *pulchritudo, gloria, fortitudo Israel*, ipsa enim re vera pignus erat magis sensibile protectionis Domini erga populum suum, & Dominus ipsa est felicitas, lætitia, robur, gloria Israel [3]. Cum funestissimum hoc nuntium in Silo allatum est; uxor Phinees sacerdotis partus doloribus repente agitata moriens, filium, quem vix pepererat *Ichabod* appellavit; eo quod, inquit illa 1. Reg. 4. 21. *Translata est gloria de Israel*.

℣. 68. CONCLUSIT IN GLADIO POPULUM SUUM.] Eos tradidit Philisthæis, qui illos undique concluserunt, atque inclementer in eos sævierunt, veluti in hominem, qui undequaque septus est, & cui quævis ad fugam, vel ad sui defensionem obstructa via est [4]: *Conclusit in gladio*.

HÆREDITATEM SUAM SPREVIT.] Hæc eadem est vox [5], quam S. Hieronymus ℣℣. 21. & 59. reddidit *distulit*. Proprie autem significat, *iratus est*, succensuit adversus populum suum.

℣. 69. JUVENES EORUM COMEDIT IGNIS, & VIRGINES EORUM NON SUNT LAMENTATÆ.] Hoc nequaquam intelligendum est de igne materiali; non enim liquet ex Historia, Hebræos igni absumptos fuisse, dum bellum gererent adversus Philisthiim, de quo hic sermo, sed in Scriptura nomen ignis crebro bellum [6], vel Dei iram designat: itaque asseri potest, electos de Israel belli igne fuisse consumptos, & virgines quoque idem subiisse infortunium, vel in captivitatem abductas fuisse; & malum adeo commune, & terrorem adeo fuisse universalem, ut neutrorum luctus faciendi tempus fuerit, vel facultas.

Hebræus ita redditur [7]: *Juvenes eorum*, milites, *igni absumpti fuerunt, et virgines eorum non fuerunt laudatæ*. Non nupserunt; non cantata fuerunt ea Cantica, quæ in puellarum nuptiis cani consueverant. Sensum hunc sequuntur Chaldæus, Rabbini, Aquila [8], Symmachus [9], Theodotion, Editio quinta, ac Recentiorum plerique [10]. Alii [11] vertunt: *Juvenes eorum comedit ignis, et eorum puellæ illis non parentarunt*; non ediderunt lamentationes suas, quas consueverant, ut funus eorum decorarent. Verbo, juvenes mortui sunt, atque sepulchri, solemniumque funerum honore caruerunt. Luctus iste ad virgines potius, quam ad alias spectabat; quoniam juvenum mors illis spem adimebat nubendi.

℣. 70. SACERDOTES EORUM IN GLADIO CECIDERUNT.] Ophni, & Phinees Summi Sacerdotes, Heli filii, cæsi fuerunt in funesto prælio adversus Philisthiim, in quo Arca Domini capta fuit. 1. Reg. 4. 11.

VIDUÆ EORUM NON PLORABANTUR.] Quilibet adeo propriis dolebat calamitatibus, ut plorare non posset eorum mortem, qui ceciderant in prælio, vel dolere vicem viduarum, & filiorum earum. Vidua Phinees, vix conjugis sui morte nuntiata, audiens Arcam Domini in captivitatem abreptam, præmaturis partus doloribus vexata in ipso partu decessit [12]; verum nemo unus funus illius lacrymis prosequi potuit; tantæ erant publicæ calamitates. Hebræus [13]: *Et viduæ eorum non ploraverunt* [14]; illis neque facultas, neque tempus, neque modus fuit, quo viris suis justa persolverent; earum enim altera, quemadmodum nuper dictum est, obiit, statim ac viri sui obitus infelix nuntium percepit. Eusebius, & S. Athanasius credere videntur, Ophni quoque viduam præ dolore interiisse.

℣. 71. ET EXCITATUS EST TAMQUAM DORMIENS DOMINUS, TAMQUAM POTENS CRAPULATUS A VINO.] Surrexit plenus robore, gaudio, igne, vigilans, promptus, intrepidus, & ad poscendam de hostibus suis ultionem expeditus. Figura hæc viri, qui postquam crapulam edormiit, consurgit [15], *tamquam potens crapulatus a vino*, auribus nostris non belle sonat. Hebraicus textus [16] alium aperit sensum, nihilo tamen æquiorem; *consurrexit velut vir, qui canit propter vinum* [17], cui vinum hilaritatem addidit, & ita ut in prælium descendens canat; vel qui lætitiæ clamores emittit, velut ille, quem vini calor accendit. Postremus hic sensus magis ferendus videtur, & magis accommodus. Non comparat Dominum ebrio, sed viro forti, lætitiæ clamores emittenti, perinde ac se mero proluisset; quod longe distat.

℣. 72. ET PERCUSSIT INIMICOS SUOS IN POSTERIORA.] Percussit Philisthiim turpi plaga in posteriori parte; eosque æterna affecit ignominia. 1. Reg. 5. 10. 12.

℣. 73. ET REPULIT TABERNACULUM JOSEPH, & TRIBUM EPHRAIM NON ELEGIT.] Joseph, & Ephraim hoc in loco unum, & idem significant. Joseph erat pater Ephraim, & Manasse. Ephraim caput erat familiæ Joseph, ac post Juda tribuum omnium fortissima. Post arcam captam, & pugnam iniquo marte pugnatam cum Philisthiim, Domini Tabernaculum aliquandiu adhuc per-

1 שמע אלהים ויתעבר וימאס מאד בישראל Aqu. Ἤκουσεν ὁ Θεὸς, καὶ ἀνυπερθετεῖτο.
2 Sym. Ἀπεδοκίμασε σφόδρα τὸν Ἰσραήλ. *Reprobavit valde Israel.* 3 Vide Psal. 25. 8. 47. 2.
4 ויסגיר לחרב Vide sup. vers. 48. & Psal. 34. 3. *Effunde frameam & conclude.* 5 ובנחלתו יתעבר
6 Vide Exod. 15. 7. Deut. 4. 24. 32. 12. Num. 21. 28 Jerem. 11. 16. 15. 14. & alibi passim.
7 בחוריו אכלה אש ובתולותיו לא הוללו 8 Aqu. Οὐκ ὑμνήθησαν. *Non sunt laudatæ*; aut ὑπεμνήσθησαν. *Non sunt desponsatæ.* 9 Sym. & Theod. Οὐκ ὑμνήθησαν. Ita & 5. edit. 10 Pagn. Jun. Pisc. Muis. Geier. Mont. Vat. alii. Vide Jerem. 7. 34. 16. 9. 25. 10. 11 Ita 70. Arab. Æth. Geneb. Muis. 12 1. Reg. 4. 19. 20. 21. 13 ואלמנותיו לא תבכינה 14 Ita Sym. Καὶ αἱ χῆραι αὐτῶν οὐκ ἔκλαυσαν.
15 Ita Chald. Hieron. Muis, Munst. Geier. Aqu. Ὡς δυνατὸς κεκραιπαληκὼς ἐξ οἴνου. 16 כגבור מתרונן מיין
17 Sym. Ὡς δυνατὸς διαλαλῶν ἐξ οἴνου. Tig. Geier. Pisc. Jun. alii.

permansit in Silo, in tribu Ephraim; inde vero translatum fuit in Nobe tribus Dan; inde in Gabaon tribus Benjamin. Verum hoc Tabernaculum, quod in Silo adhuc aliquantisper substitit, Arcæ præsentia nequaquam decoratum erat; immo ea illuc non rediit amplius, ex quo capta fuit; sed in Cariath-iarim ex Tribu Juda fuit collocata. Hoc magis evidens fuit divinæ iræ in tribum Ephraim argumentum; ab ea ablata Arca, propter quam cæteris, & gloria, & honore præstabat.

℣. 74. SED ELEGIT TRIBUM JUDA, MONTEM SION, QUEM DILEXIT.] Prætulit tribum Juda tribui Ephraim, permittens, ut Arca sua in Cariath-iarim collocaretur; ac ut inde transferretur a David in montem Sion, quem ipse præ cæteris elegit, ibi statam sibi sedem constituturus; hactenus enim Arca, & Tabernaculum nulli peculiariter loco fuerant addicta. Deus plane voluntatem suam per os Prophetarum detexit sub initio regni David, quod scilicet montem Sion sibi elegerat; antea enim hoc incertum erat, atque indefinite loquebantur de loco, quem Dominus erat sibi electurus. Sed post regnum David nulla obrepsit umquam dubitatio, quominus Sion locus esset pro Domini habitaculo constitutus.

℣. 75. ET ÆDIFICAVIT SICUT UNICORNIUM SANCTIFICIUM IN TERRA, QUAM FUNDAVIT IN SÆCULA.] Templum suum ædificavit in monte Sion in terra Juda, quam ante omnia sæcula ad idipsum elegerat. Erexit Templum hoc, veluti *cornu unicornis*; unicum erat Templum in medio regionis illius, & extructum erat in montis vertice, sicuti monocerotis cornu unicum est in fronte illius. Cornu generatim gloriam, virtutem, imperium, dignitatem significat; Cornu vero monocerotis, omnium, quæ noverimus, pulcherrimum est, ac maxime solidum. Hebræus verti potest [1]: *Ædificavit Sanctuarium suum sicuti colles, sicuti terram, quam fundavit ab initio.* Dedit illi terræ soliditatem, durationem, immobilitatem, ac præterea montium altitudinem. Vel ut aliis quibusdam arridet [2]: *Ædificavit Templum suum, tamquam alta palatia.* Hoc enim inter altissima, & maxime magnifica terrarum ædificia recensebatur.

℣. 76. SED ELEGIT DAVID SERVUM SUUM; DE POST FOETANTES ACCEPIT EUM.] Ut pastor esset, & Rex populi sui. Nemo unus ignorat historiam electionis David, & quomodo ex agris accersitus, ubi tunc patris sui pascebat oves, a Samuele Rex Israel fuerit inunctus 3. Reg. 16. 12. Hebræus [3] ad litteram; *eduxit illum de post plenas*, vel lactentes. Psalmista non loquitur isthic de Saule, qui in Regno Davidi præcesserat. Hoc enim nihil ipsius proderat consilio, quo contendebat ostendere jus familiæ David ad regimen totius Israel, Ephraim tribu honoris hujus experte, quæ tamen post defectionem Jeroboam prima erat decem tribuum Israel, quæ a domo David secesserant. Primi duo Hebræorum Reges a rustica vita ad Regnum evecti sunt; neque aliter tunc temporis contingere poterat, quoniam Israelitæ omnes agrestibus curis exercebantur. Cræsus dicebat [4], primum sobolis suæ Regem (Gyges fuerat) una & libertatem, & Regnum obtinuisse: antea quippe servus fuerat, & Regis prædecessoris sui armenta pascebat.

℣. 78. ET PAVIT EOS IN INNOCENTIA CORDIS SUI, & IN INTELLECTIBUS MANUUM SUARUM.] Hebr. [5]: *Eorum pastor fuit juxta puritatem*, simplicitatem, rectitudinem *cordis sui, & in intelligentia manuum suarum*; cum dexteritate, virtute, prudentia, industria; qua poterat. Psalmi auctor loquitur de tempore jam elapso; David jampridem obierat. Ejus æquitatem, & sapientiam commendat, ut magis, magisque Ephraim ingrati animi vitio coarguat, eo quod Principis adeo justi, sapientis, religiosi, & adeo palam a Deo electi domum reliquisset. Antiqua Psalteria legunt [6]: *In sensu manuum suarum.*

1 ויבן כמו רמים מקדשו כארץ יסדה לעולם Ita Sym. Ὡς τὰ ὑψηλὰ, ὡς τὴν γῆν ἣν ἐθεμελίωσεν αὐτὴν εἰς τὸν αἰῶνα. Th. Ὡς μονοκερώτων. 2 Aqu. apud Euseb. Ὠκοδόμησεν ὁμοίως ὑψηλοῖς ἁγίασμα αὐτοῦ. Ita & Mont. Pag. Tig. alii nonnulli. 3 מאחר עלות הביאו Sym. Ἀκολουθοῦντα ἐγκύμοσιν ἦγεν αὐτόν. Aq. Τῶν ἐν γαστρὶ ἐχόντων. 4 Vide Xenoph. l. 7. Cyropæd. & Platon. l. 2. de Republ.
5 וירעם כתם לבבו ובתבונות כפיו ינחם Sym. Κατὰ τὴν ἁπλότητα τῆς καρδίας αὐτοῦ, καὶ κατὰ τὴν καθαρότητα τῶν χειρῶν αὐτοῦ. 6 Psalt. Mediol. Rom. S. Germ. Carnut. sed S. Aug. legit; *in intellectu*, &c.

PSALMUS LXXVIII.

Conqueritur Psalmista de Babyloniorum crudelitate, qui civitatem, ac Templum Jerusalem diruerunt. Preces pro Populo Babylone captivo.

Psalmus Asaph.

ARGUMENTUM.

Theodoretus putat, Psalmum hunc esse Davidis: Eusebius vero, & S. Athanasius Asaph esse contendunt. Credi potest fuisse compositum, post eversam a Chaldæis Jerusalem [1]; vel a Jeremia [2], vel ab aliquo Prophetarum, & traditum fuisse familiæ Asaph; ni nobiscum agnoscas Prophetam nomine Asaph, in ipsa captivitate degentem. Auctor præsens malum deplorat, præteritorum scelerum veniam petit, pro populi libertate orat, contra hostes Israel invehitur; de templo polluto loquitur, de urbe Jerusalem excisa, atque in ruderum cumulum redacta, de Sanctis interfectis, atque sine ullo sepulchri honore abjectis [3]: quæ omnia ad unguem adeo conveniunt Jerusalem a Nabuchodonosor eversæ, ut ea nequeas in alium sensum transferre, nisi fortasse accommodatum, quemadmodum facit Auctor primi Macchabæorum 7. 17. qui hunc Psalmum transfert ad mala ab Antiocho Epiphane Judæx, & Sanctis illata [4]. Et equidem persecutio illa haud longe abhorrebat ab ea, quæ Auctori occasionem tribuit Psalmum hunc componendi, ut calamitatem Jerusalem sub Nabuchodonosor deploraret. Qua eadem de causa transfertur etiam

1 Ita Hieron. Chald. Syr. Muis. Ferr. Dupin. 2 Vers. 6. & 7. hujus Psalmi paralleli sunt Jeremiæ 10. 25. 3 vers. 1. 2. 3. 4 Sic exponunt Euseb. Athan. Theodoret. Theodor. Heraclæota. Basil. Euthym. Cassiod. Beda, &c.

etiam ad noviſſimum urbis, ac Templi Jeruſalem excidium per Titum [1], & ad Chriſtianam Eccleſiam ab Ethnicis exagitatam. Hæc applicationum genera ex hominum voluntate pendent, non excludunt tamen priorem ſenſum litteralem, atque hiſtoricum, qui in Auctoris mente præcipue obverſabatur.

1. DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum
tuum: poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam. 2 Poſuerunt morti-
cinia ſervorum tuorum, eſcas volatilibus cœli; carnes Sanctorum tuorum
beſtiis terræ. 3 Effuderunt ſanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jeruſa-
lem, & non erat, qui ſepeliret. 4 Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris: ſub-
ſannatio, & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt. 5 Uſquequo, Domine,
iraſceris in finem; accendetur velut ignis zelus tuus? 6 Effunde iram tuam in
gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.
7 Quia comederunt Jacob, & locum ejus deſolaverunt. 8 Ne memineris iniqui-
tatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes
facti ſumus nimis. 9 Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam no-
minis tui, Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris, propter no-
men tuum. 10 Ne forte dicant in gentibus: Ubi eſt Deus eorum? & innoteſcat
in nationibus coram oculis noſtris. 11 Ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui
effuſus eſt; introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum. 12 Secundum ma-
gnitudinem brachii tui, poſſide filios mortificatorum. 13 Et redde vicinis noſtris
ſeptuplum in ſinu eorum: improperium ipſorum, quod exprobraverunt tibi, Do-
mine. 14 Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ, confitebimur tibi in
ſæculum. 15 In generationem, & generationem annuntiabimus laudem tuam.

℣. 1. DEUS VENERUNT GENTES IN HÆREDITATEM TUAM, POLLUERUNT TEMPLUM SANCTUM TUUM: POSUERUNT JERUSALEM IN POMORUM CUSTODIAM.] Juxta ea, quæ Iſaias c. 1, 8. olim fuerat vaticinatus, minitans, futurum ut derelinqueretur *filia Sion, ut umbraculum in vinea, & ficut tugurium in cucumerario*, ubi fructuum cuſtos vigilaret. Babylonii venerunt in Judæam, electam hæreditatem tuam, in terram hanc toties patribus noſtris promiſſam; eam devaſtarunt, diripuerunt, profanarunt, polluerunt, incenderunt Templum tuum, & Jeruſalem in ruderum acervum redegerunt; hæc enim propria eſt Hebraicæ vocis ſignificatio [2], juxta melioris notæ Interpretum ſententiam [3]. Sunt, qui putent, authographi nomen ad litteram ſignificare lapidum cumulos, qui in vineis, B
vel in agris colliguntur [4]. Michæas c. 1. 6. minitatur, ſe poſiturum *Samariam, quaſi acervum lapidum in agro; cum plantatur vinea*. Hoc equidem factum fuit de Jeruſalem ab illius excidio, cum everſa fuit a Nabuchodonoſor, uſque dum a Cyro fuit reſtituta.

℣. 2. POSUERUNT MORTICINA SERVORUM TUORUM, ESCAS VOLATILIBUS COELI; CARNES SANCTORUM TUORUM BESTIIS TERRÆ.] Licet lato graſſarentur flagitia in Jeruſalem, ibi tamen ſemper non pauci verſabantur boni Iſraelitæ; immo illi, qui præ cæteris ſceleſti erant, & nequam, non ideo tamen Chaldæis a quibus interficiebantur, erant nequiores. Ipſi innocentes erant, habita ſaltem inimicorum ſuorum ratione, quos numquam læſerant; denique Sancti erant propter ſtatum ſuum, & dignitatem populi Dei, quod ſatis C
eſt ſuperque ad probandam Auctoris hujus Pſalmi locutionem. Babylonii inauditam hanc in Judæos crudelitatem exercuerunt, eis ſepulturam denegantes, quod nullus umquam populorum minime barbarorum hoſtibus ſuis poſt eorum mortem negarunt. Regum, ac Paralipomenon libri hanc circumſtantiam non referunt; ſed ajunt dumtaxat [5], Chaldæos obvium quidquid trucidaſſe nulla habita ſexus, vel ætatis ratione, immo & eos occidiſſe, qui in Templum aufugerant. Hebraicum nomen *Chaſidim* [6], quod redditur iſthic *Sancti*, proprie ſignificat *miſericordes*, benignos. Hi autem iidem ſunt ac *Aſſidæi*, quos ex Macchabæorum libris [7] Judæorum omnium religioſiſſimos novimus fuiſſe.

℣. 4. FACTI SUMUS OPPROBRIUM VICINIS NOSTRIS.] Idumæi, Philiſthiim, Phœnices, Ammonitæ, Moabitæ inſultarunt calamitati Judæorum ſub Nabuchodonoſor, uti liquet ex objurgationibus Prophetarum, qui tunc temporis vixerunt [8].

℣. 5. ACCENDETUR VELUT IGNIS ZELUS TUUS.] Ira Dei ſæpe igni comparatur [9]. Latina vox *zelus* æque ac illa, quæ eſt in authographo [10], proprie *zelotypiam* ſignificat, quo nomine paſſim utitur Deus ad innuendam iram ſuam in Iſrael; ſe enim repræſentat velut ſponſum, qui efflictim deperit ſponſam ſuam, quæ eſt populus ſuus; quamobrem frequenter adeo Scriptura exprimit Hebræorum flagitia nomine fornicationis, atque adulterii.

℣. 6 EFFUNDE IRAM TUAM IN GENTES, QUÆ TE NON NOVERUNT.] Si accenſa eſt ira tua, & ad eam ſedandam requiritur victima, immola ei aliquot ex his gentibus, quæ te non noverunt. Omnes homines tui ſunt; cur autem tot infidelibus, atque impiis vis parcere, cum interim ſevere adeo in populum tuum animadvertas? Licet nefarii ſimus, tui tamen ſumus, te novimus, tuum nomen invocamus, hoc eſt, te Deum noſtrum confitemur [11], & nos perdens, Domine, quamvis tuæ gloriæ inutiles ſimus, perdis tamen populum tuum, & hæreditatem tuam, & imminuis numerum eorum, qui nomen tuum profitentur.

℣. 7. LOCUM EJUS DESOLAVERUNT.] Chaldæus hoc intelligit de Templo Jeruſalem. Aquila, Symmachus

1 Socrat. hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 17. Juſtin. Mart.

2 שמר את ירושלם לעיים 3 Hieron. *In acervos lapidum*. Aquil. E'ις λιθώριον, vel λιθαίριον. Symm. E'ις δρυμούς. *In ſaltus*, 70. Ω'ς ὀπωροφυλάκιον. Pſalt. Rom. *Velut pomorum cuſtodiarium*. S. German. *velut caſam pomarii*. 4 Hieron. ad Suniam & Fretell.

5 2. Par. 36. 17. 6 בשר חסידיך לחיתו ארץ

7 1. Macch. 2. 42. *Congregata eſt ad eos congregatio Aſſidæorum*. 7. 13. & 2. Macch. 14. 6.

8 Ezech. 25. 12. & 26. 2. Abdias 10. Pſal. 137. 7. 9 Pſal. 16. 3. 17. 9. 20. 10. 49. 3. 88. 47.

10 תבער כמו אש קנאתך 11 את נודה השמו Aqu. Ω'ρισεν αὐτῷ Th. E'υηρέστησεν αὐτῷ.

machus, S. Hieronymus, aliique nonnulli Hebraicam vocem reddunt: *Pulchritudinem ejus*. Alibi jam [1] vidimus, Templum, & Arcam Fœderis pulchritudinem, vel gloriam Israel vocari. A

℣. 8. NE MEMINERIS INIQUITATUM NOSTRARUM ANTIQUARUM.] Obliviscere, Domine, iniquitatum, & nostrarum & patrum nostrorum. Meremur equidem, & nimium meremur, ea mala, quæ patimur; jamdudum nos tua expectat patientia, atque ad pœnitentiam invitat. Obliviscere eorum, quæ præterita sunt, & ad dolorem, atque squalorem præsentem adverte. Hebræi in orationibus suis cum pro suis, cum patrum suorum sceleribus deprecabantur. Jeremias Thren. 5. 7. *Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus*. Baruc 3. 5. & Daniel 9. 5. & seq. qui eodem vivebant tempore ac Jeremias, & Psalmi hujus Auctor, hoc ipsum confitentur. B

QUIA PAUPERES FACTI SUMUS NIMIS.] Hebræus verti potest [2]: *ad extremam inopiam redacti sumus*, extenuati, infirmati, humiliati, afflicti.

℣. 9. PROPTER GLORIAM NOMINIS TUI, DOMINE, LIBERA NOS.] Non loquuntur de merito, vel virtute sua, Theodoretus inquit; eorum dumtaxat meminerunt, quæ ad gloriam Domini pertinere, & illius ciere misericordiam possunt; eorum calamitas, squalor, ærumna Deum afficiunt; at gloria, & sancti ipsius nominis honor illum impellunt.

℣. 10. NE FORTE DICANT IN GENTIBUS: UBI EST DEUS EORUM.] Hebræus, & veteres Græci Interpretes [3]. *Quare dicunt Gentes. Ubi est Deus eorum?* Non nostris malis affligimur, sed nos dolor excruciat, quod audimus, impune Sanctum nomen tuum proscindi, & tuam potentiam contemni. Usquequo, Domine, dicent Nationes: ubi est igitur Deus illorum? Eos tueatur, eos e manibus nostris eripiat. Cicero de Judæorum gente locutus ait in Orat. pro L. Flacco: *Quam cara diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod servata*. Ita quoque Ethnici J. C. Martyribus alludebant. C

ET INNOTESCAT IN NATIONIBUS CORAM OCULIS NOSTRIS, ULTIO SANGUINIS SERVORUM TUORUM.] Sacer Auctor non ira percitus, non ultionis cupidus petit inimicorum suorum supplicium; Deum rogat, ut illis eorum scelera ostendat, salutarem verecundiam immittat, & gratiam se se convertendi concedat [4].

℣. 11. INTROEAT IN CONSPECTU TUO GEMITUS COMPEDITORUM.] Ejulatus tot Captivorum Babylonem a Chaldæis adductorum, atque in servitute, & in vinculis ferreis gementium, ad te usque perveniat.

℣. 12. POSSIDE FILIOS MORTIFICATORUM.] Serva parvas has reliquias populi, quem hostilis furor evertit; hos orphanos, qui Babylonem captivi abrepti sunt. Quædam Psalteria legunt [5]: *Posside filios morte punitorum*. Hebræus [6]: *Conserva filios mortis*; ne permittas, exiguas has populi reliquias, quæ in servitutem, veluti in statum mortis abductæ sunt, ibi perire, neque inde reverti. Chaldæus: *Libera eos, qui traditi sunt morti*.

℣. 13. REDDE VICINIS NOSTRIS SEPTUPLUM IN SINU EORUM.] Districte eos in hoc mundo puni, ut parcas illis in judicio tuo, ait S. Hieronymus: *Ut non judicii pœna damnentur, sed in hoc sæculo septuplum compositionem puniendo dissolvant*. Septenarius numerus pro indefinito usurpatur [7]; & *in sinu reddere*, significat, copiam, ingentemque multitudinem [8]. Ex Prophetis Jeremia 49. 7. Ezechiele 25. 36. Abdia per totum, satis liquet, quomodo animadverterit Deus in eos, qui Judæorum calamitati insultaverant. Ultio diu dilata non fuit. Nabuchodonosor ipse, qui everterat Jerusalem, & Judæos in captivitatem adduxerat, simili pacto desæviit in plerosque populorum finitimorum post annos quinque, uti ex Josepho Antiqu. l. 10. c. 11. intelligimus.

℣. 14. OVES PASCUÆ TUÆ.] Quas tu pascis, quarum es pastor. Antiqua Psalteria legunt [9]: *Oves gregis tui*.

1 Psalm. 77. 61. 30. 8. 47. 2. in Hebr. Vide & 1. Reg. 21.
2 בי רלונו מאור Symmach. Ὅτι ἠτονήκαμεν σφόδρα. 3 למה יאמרו הגוים Εἰς τί λέγει τὰ ἔθνη, ποῦ ἐστιν ὁ Θεὸς αὐτῶν. 4 Euseb. ad vers. 12. 5 Psalt. Rom. Mediol. Carnut.
6 הותר בני תמותה 7 Vide Genes. 4. 24. Ruth. 4. 15. 1. Reg. 2. 5. Isai. 6. 1. & passim.
8 Isai. 65. 6. Jerem. 32. 18. Luc. 6. 38. 9 Psalt. Rom. Mediol. S. Germ.

PSALMUS LXXIX.

Oratio, qua Babylonis captivi libertatem suam efflagitant. Judaicæ nationis cum vinea comparatio. Deus illam inimicis ejus tradidit: Enixius autem rogatur, ut illius velit misereri, & mittere Hominem dexteræ suæ, hoc est Messiam suum.

In finem pro iis, qui commutabuntur, testimonium Asaph.

ARGUMENTUM.

Hebraicum Psalmi hujus titulum ita reddere mallem [1]: *Psalmus, vel instructio inscripta Moderatori Musices ex familia Asaph, pro gaudiis*. Explicationis hujus argumenta proferemus in Dissertatione de Musicis Hebræorum instrumentis. Nomen *testimonii* passim pro *instructione* usurpatur, & exhortationem, obtestationem, orationemque significat. Plurima antiqua tum Græca, cum Latina Exemplaria [2], ad hujus tituli calcem addunt: *pro Assyrio*, vel *pro Assyriis*, vel etiam contra Assyrios; quod nonnullis aditum aperuit, ut illum de tribuum Israel captivitate intelligerent, in quam pars eorum abductæ fuerunt a Teglathphalasar, vel ut alii malunt, a Salmanasar. Hæc autem sententia ex eo probatur, quod isthic affertur de Ephraim, & Manasse, quæ præcipuæ erant ex decem tribubus in servitutem abreptis. Verum nomen Beniamin duarum Tribuum eorum nominibus immixtum universam hanc sententiam subvertit. Constat enim, Beniamin numquam adhæsisse Ephraim, postquam hæc ab Juda secessit, & illam non nisi diu post a Nabuchodonosor Chaldæorum Rege in captivitatem fuisse redactam.

Alii

1 למנצח על ששנים עדות לאסף מזמור
2 Edit. Rom. Theodoret. Athanas. Euthym. Aug. alii non pauci.

Alii [1] Psalmum hunc ad Antiochi Epiphanis persecutionem referunt; alii priorem Psalmi partem ad illud tempus transferunt, quo David in Hebron dumtaxat imperitabat post pugnam infeliciter in Gelboe pugnatam; posteriorem vero ad Jerusalem a Nabuchodonosor igni, ferroque vastatam rejiciunt [2]. Grotius illi eum applicat tempori, quod Arcam a Philisthinis captam subsecutum est. Nobis vero cum plerisque veterum, & recentiorum [3] persuasum est, hanc esse Judæorum orationem in Babylonicæ captivitatis squalore jacentium, post urbem, ac Templum Jerusalem a Chaldæis subversum. Explicari etiam non inepte potest veluti superioris Psalmi continuatio, cui naturali nexu conjunctus tum propter argumentum, tum propter sermonis decursum, videtur. Eum Patres explicant de JESU CHRISTI Ecclesiæ persecutionibus, vel de Synagogæ votis, propter adventum Messiæ, qui ℣℣. 2. 4. 8. 10. 18. vocatur Pastor Israel, Domini facies, Filius Hominis, Homo dexteræ.

1. QUi regis Israel, intende: qui deducis velut ovem Joseph. 2 Qui sedes
super cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse. 3
Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos. 4 Deus, con-
verte nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus. 5 Domine Deus virtutum:
quousque irasceris super orationem servi tui? 6 Cibabis nos pane lacrymarum,
& potum dabis nobis in lacrymis in mensura? 7 Posuisti nos in contradictionem
vicinis nostris: & inimici nostri subsannaverunt nos. 8 Deus virtutum, conver-
te nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus. 9 Vineam de Ægypto transtu-
listi: ejecisti gentes, & plantasti eam. 10 Dux itineris fuisti in conspectu ejus:
plantasti radices ejus, & implevit terram. 11 Operuit montes umbra ejus, & ar-
busta ejus cedros Dei. 12 Extendit palmites suos usque ad mare: & usque ad
flumen propagines ejus. 13 Ut quid destruxisti maceriam ejus: & vindemiant
eam omnes, qui prætergrediuntur viam? 14 Exterminavit eam aper de sylva:
& singularis ferus depastus est eam. 15 Deus virtutum, convertere: respice de
cœlo, & vide, & visita vineam istam. 16 Et perfice eam, quam plantavit dex-
tera tua: & super filium hominis, quem confirmasti tibi. 17 Incensa igni, &
suffossa ab increpatione vultus tui peribunt. 18 Fiat manus tua super virum dex-
teræ tuæ: & super filium hominis, quem confirmasti tibi. 19 Et non discedimus
a te, vivificabis nos: & nomen tuum invocabimus. 20 Domine Deus virtutum,
converte nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus.

℣. 1. QUI REGIS ISRAEL INTENDE, QUI DEDUCIS, VELUT OVEM JOSEPH.] Hebr. [4] *Tu qui es Pastor Israel, & deducis Joseph, velut* gregem ovium. Israel, & Joseph hic omnes tribus, omnemque populum Israel designant. Non Ephraim solum, Manasse, & Beniamin, de quibus sermo est vers. sequenti, verum Juda quoque, & omnes aliæ Tribus, tunc erant in captivitate ultra Euphratem. Sors, communisque calamitas eas iterum conjunxerat, & Prophetæ in ipso captivitatis tempore, & post eandem non amplius, ut antea, Juda ab Israel distinguunt. Plerumque se tamquam in unum populi veluti coalescentes se respexerunt, & Deus preces suas in communi effuderunt pro reliquiis nationis suæ, & Dominici populi, in hostiles terras disjecti. De industria auctor videtur appellare nomina Israel, & Joseph, veluti vitorum, qui Deo apprime erant accepti; atque evitare tristes divisiones Juda, & Israel, ut facilius Dei misericordiam consequatur, & precum suarum effectum obtineat [5].

℣. 2. QUI SEDES SUPER CHERUBIM, MANIFESTARE CORAM EPHRAIM &c.] Tres hæ tribus in deserto castra habebant in posteriori parte, & ad occasum Tabernaculi [6] ita, ut cum exercitus progrederetur, ante faciem suam semper haberent Arcam, & Tabernaculum, quod in agminis medio gestabatur. Psalmi Auctor Dominum obtestatur, ut congreget populum suum, atque ut olim in medio ejus incedat Tribus Ephraim, Benjamin, & Manasse [7]. Fac ut vetus hæc divisio cesset, educ nos de captivitate, ut rursus sub uno Capite simul congregati, unanimi consensu, ut olim sub Moyse, te sequamur.

Hebr. [8]: *Qui sedes super Cherubim, fac ut effulgeat* gloria tua coram *Ephraim*. Alludit ad Domini gloriam, quæ veluti lucerna super Tabernaculum effulgebat, cum illuc descendebat Dominus [9], & Moysi pro metandis, movendisque castris mandata præbebat. Tribus superius memoratæ omnium primæ ardentem hanc facem videbant. Hebræi animo sibi fingebant Dominum in Tabernaculo suo super alas Cherubim sedentem, tamquam in solio, cui pro scabello esset operculum Arcæ testamenti: Arcæ Cherubim in anteriori parte prorendebantur, atque simul super Propitiatorium ita conjungebantur, ut quamdam sedis speciem præberent. Cum Deus apparuit Ezechieli [10] se se illius ingenio, atque huic Judæo præjudicio adaptavit, seque illi ostendit currui insidentem, quem gestabant Cherubim, licet longe ab illis Arcæ dissimiles.

℣. 4. DEUS CONVERTE NOS, & OSTENDE FACIEM TUAM, & SALVI ERIMUS.] Satis quidem agnoscimus, Domine, propter cordis nostri nequitiam, & scelera nostra eo miseriarum nos esse redactos, in quibus versamur; itaque Domine converte nos, & corda nostra in officio coerce; ut quam detrectant, tibi præstent obedientiam. Postquam afflictionibus, atque calamitatibus nos dejecisti, effunde in corda nostra gra-

1 Theodorus, Beda, alii. 2 Bossuet, hic.
3 Euseb. Theodoret. Athanas. Euthym. Heraclæor. Muis, Ferrand. alii.
4 רעה ישראל האזינה נהג כצאן יוסף Aquil. Ὡς ποίμνην Ἰωσήφ. Symmach. Ὡς ποίμνια τοῦ Ἰωσήφ. Hieronym, *ut gregem Joseph*. 5 Euseb. Theodoret. 6 Num. 2. 18. 19. 20. 21. 22.
7 Athanas. Muis. Tir. Ham. 8 ישב הכרבים הופיעה לפני אפרים
9 Num. 9. 15. 16. & seq. 14. 10. 16. 43. 20. 6. 10 Ezech. 1. & 10.

tiæ tuæ, tuique amoris suavitatem, ut deinceps in via mandatorum tuorum curramus: *Converte nos, & convertemur* [1]: sine te nihil facere possumus [2]. Hebræus aliter verti potest [3]: *Domine, revoca* nos de captivitate nostra, *fac, ut effulgeat facies tua* super nos, *& salvi erimus*. Nihil tibi facilius, quam nos liberare [4]; ostende nobis dumtaxat suavissimam faciem tuam, redeat tecum in gratiam populus tuus, nobis tuam gratiam impertire, & salvi erimus; non enim derelinques nos, si nos amabis, & a nobis amaberis: *non enim amas, & deseris*, ait S. Augustinus. Versiculus hic est veluti intercalaris; quater enim in hoc Psalmo iisdem propemodum vocibus iteratur, videlicet ℣℣. 4. 8. 15. & 20.

℣. 5. USQUEQUO IRASCERIS SUPER ORATIONEM SERVI TUI.] Septuaginta [5]: *servorum tuorum*. Hebræus [6] *populi tui*. Sensus semper est idem; Ostende nobis vultum tuum, exaudi vota populi tui, neque rejicias humiles preces illius.

℣. 6. CIBABIS NOS PANE LACRYMARUM; & POTUM DABIS NOBIS IN LACRYMIS IN MENSURA?] Panis & potus lacrymarum figurate significat escam, qua ii, qui in luctu, & squalore jacent, vescuntur [7]. Psalm. 41. 4. legimus: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Oseas quoque cap. 9. 4. loquitur *de pane lugentium*, qui idem est plane, ac panis lacrymarum.

Ea autem verba, *in mensura*, diversimode explicantur. Nos vero illorum sententiæ haud ægre subscribimus, qui explicant [8] *abundanter*; qui sensus Hebraico textui magis conformis mihi videtur, qui ad litteram significat *ter*, vel *triplicem mensuram*, vel *tripliciter*. Hebræa vox *Scalisch* [9] significabat fortasse mensuram quamdam apud Chaldæos in more positam, apud quos Psalmus hic compositus fuisse videtur; vel denotat tertiam partem Epha, hoc est *Seah*, continentem pintas novem cum dimidia, hemisextario, quadrante, unciis quatuor, & nonnihil præterea: Vox eadem occurrit in Isaia [10]: *quis mensus est omnem pulverem terræ in Schalisch?* vel in triente mensuræ alicujus. Sed Interpretes nihil adhuc statuerunt de mensuræ hujus magnitudine. In Isaia parvulam equidem mensuram significat, at in hoc Psalmo longe majorem. Verum cum de lacrymis metiendis, vel de terrarum omnium magnitudine exquirenda sermo est, mensura eadem, quæ in alterutro nimia est, in altero nimis est angusta; ideoque scita est utrobique hyperboles ad aliud exaggerandum, aliud vero imminuendum.

S. Hieronymus in Commentario suo ait, verba illa *in mensura*, significare, quod iis, qui in pœnitentiæ lacrymis squalent, modice, arctaque in mensura bibendum est, ac manducandum. Eusebius ait, lugentibus cum mensura esse lugendum, ac fletum spe esse temperandum. Antiqui Interpretes Græci eodem pacto, ac Septuaginta reddiderunt, cum nescirent plane, quodnam mensuræ genus esset *Schalisch*. S. Hieronymus in versione sua legit, *tripliciter*: alii *triente*, vel *trientali*.

℣. 7. POSUISTI NOS IN CONTRADICTIONEM VICINIS NOSTRIS.] Omnes vicini nostri sibi fas esse putant nos illudere, bona nostra diripere, nobis contumelias ingerere. Vel cum Hebræo [11]: *Posuisti nos veluti* argumentum *litis*, contentionis, jurgii *cum vicinis nostris*. Quicumque nobis circumstant, de nobis obloquuntur, nobis contradicunt, adversantur: quo in sensu Jeremias c. 15. 10. se virum esse, dicebat, rixæ, & discordiæ in populo suo: *Quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra?* Omnes me oderunt, persequuntur, mihi adversantur, & cogor Dei gloriam tueri, invehi, exprobrare, objurgare, atque concivibus meis adversari.

℣. 8. CONVERTE NOS.] Vel potius de exilio nostro nos revoca [12]. Vide vers. 4. Hic est intercalaris versiculus, qui quater repetitur in hoc Psalmo.

℣. 9. VINEAM DE ÆGYPTO TRANSTULISTI.] Rem altius repetit, & memorat ea, quæ pro populo suo Deus est operatus ab exitu de Ægypto usque ad captivitatem. Exhibet Israel sub vitis figura, quam Deus de Ægypto in Judæam transtulit. Scriptura in veteri, novoque Testamento sæpius hanc vitis similitudinem [13] usurpat, cum loquitur de Synagoga.

EJECISTI GENTES, & PLANTASTI EAM.] Chananæos tamquam malam arborem de patria sua convulsisti, atque in eorum locum recentem arborem, Israelitas, populum tuum traduxisti.

℣. 10. DUX ITINERIS FUISTI IN CONSPECTU EJUS [14].] Deduxisti populum tuum per desertum. Hebr. [15] *Præparasti locum ejus ante illam* [16], mundasti, purgasti, disposuisti locum, ubi eam eras collocaturus, seduli instar agricolæ, qui terram exercet, in qua arborem consiturus est [17], & inde stirpes, saxa, noxiasque herbas convellit &c. Chaldæus: *evertisti ante illam*.

℣. 11. OPERUIT MONTES UMBRA EJUS, & ARBUSTA EJUS CEDROS DEI.] Vinea hæc consita in Palæstinæ montibus, in felici eo solo, optime purgato, ac præparato, statim profundas radices jecit, atque editiorem cedrorum magnitudinem exæquavit; rami illius fructibus prægraves, & frondibus decorati opacos fecere montes totius Judææ, quæ quidem frequentibus montium jugis tumet: regio hæc omnibus benedictionibus, omniumque rerum ubertate floruit; quilibet in pace sub ficus, vitisque suæ umbra bibebat, & comedebat [18]; quod Davide, & Salomone imperantibus præcipue contigit. Hoc eodem in sensu Hebræorum potentia super finitimos populos, qui hic *Cedri Dei*, vel cedri proceræ magnitudinis appellantur. David Syriam totam subegit, Idumæos, Philisthiim, Moabitas, Ammonitas &c. [19]. Hebræus verti potest [20]: *Umbra ejus operuit montes, & rami ejus sunt cedri Dei*. Vel Textu paululum immutato [21]: *Umbra ejus operuit montes, & racemi ejus cedros Dei*. De ramis sermo est vers. sequenti.

℣. 12. EXTENDIT PALMITES SUOS USQUE AD MARE, & USQUE AD FLUMEN &c.] Davidis, ac Salomonis imperium ab Euphrate fluvio ad ortum usque ad Mediterraneum mare ad occasum [22] late parebat, juxta ea, quæ patribus eorum pollicitus fuerat Deus [23]. Hebræus [24]: *extendit ramos suos* [25], vel *vindemias suas* [26]; vel ut Symmacho placet, *folia sua* [27]. Qui enim Græcam Symmachi vocem reddidere *comam*, vel crines, non adverterunt, vocem eamdem, quæ, cum de equis, & leonibus sermo est, crines, jubasque significat, de viris

1 Jerem. 31. 18. & Thren. 5. 21. *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur*.
2 Joan. 15. 5. Vide Muis, & Hieron. 3 אלהים השיבנו והאר פניך ונושעה
4 Theodoret. Euthym. Rabb. Sal. Tir. Jun. alii. 5 Ὡς πότε ὀργίζῃ ἐπὶ τὴν προσευχὴν τῶν δούλων σου.
6 בתפלת עמך 7 Theodoret. hic. 8 Theod. hic. Munst. Mont. Mar. Castel. Var. Chald. alii.
9 תשקמו בדמעות שליש 10 Isai. 40. 12. Vide Jun. Geier. & maxime Ludov. de Dieu hic, ubi profert ex Matt. 13. 33. in Æthiop. משלש *præfato*. 11 תשימנו מדון לשכנינו
12 Theodoret. 13 Isai. 5. 1. & seq. Oseæ 10. 1. Jerem. 2. 21. Deut. 32. 32. Ezech. 17. 6. Joel. 1. 7. Matt. 20. 2. 21. 33. Marc. 12. 1. &c. 14 August. Psalter. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut. *Viam fecisti in conspectu ejus*. & ita 70. Ὡδοποίησας ἔμπροσθεν αὐτῆς. 15 פנית לפניה
16 Ita Symmach. Ἀπεσκεύασας ἔμπροσθεν αὐτῆς. Hieronym. *præparasti ante faciem ejus*.
17 Ita Vat. Pag. Tig. Cast. alii. 18 Mich. 4. 4. 3. Reg. 4. 25. 1. Macc. 14. 12.
19 Theodoret. & alii. 20 כסו הרים צלה וענפיה ארזי אל
21 Legendo עכביה pro ענפיה 22 Vide Psalm. 71. 8. 23 Exod. 23. 31. Deut. 11. 24.
24 תשלח קציריה על ים 25 Ita Theodoret. & 5. edit. Ἐξέτεινε τὰ κλήματα αὐτῆς.
26 Ἀπέστειλε θερισμοὺς αὐτῆς. 27 Symm. Ἐξέτεινε τὰς χαίτας αὐτῆς.

vitis quoque foliis prædicari; alioquin quid sibi vellet, *vitis coma?*

℣. 13. Ut quid destruxisti maceriam ejus?] Non recedit a vineæ metaphora. Hæc muris erat clausa. Templum tuum, præsidium tuum, Angeli tui [1] eam a quavis injuria tuebantur; hodie vero undique patet; omnibus viatoribus exposita. *Vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam*. Chaldæi muros illius perfregerunt, subverterunt Jerusalem, ac Templum incenderunt; nunc vero Philisthiim, Idumæi, Arabes, Phœnices, eam impune depopulantur, atque eam sibi vendicant hæreditatem, quam nobis reservaveras. Quorsum autem isthoc, Domine, nisi quod vinea tua inventa est erratica, & pro racemis spinas protulit, vel labruscas [2]? *Expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas*.

℣. 14. Singularis ferus depastus est eam.] Singularis ferus idem est ac *aper de sylva*. Animal hoc societatem odit, quamobrem illi factum nomen *Singularis*, solus, qui seorsim vivit. Græcæ voces [3] *monios agrios* idem ac singularis significant. Interpretes per hoc nomen intelligunt, alii quidem Dæmonem, alii Nabuchodonosor, alii Sennacherib, vel Salmanasar, vel Antiochum Epiphanem, vel generatim Reges omnes, Hebræis infensos. Juxta quam hypothesim de Nabuchodonosor præcipue intelligendum est; quandoquidem hic Psalmus respicit Jerusalem, ac Templum ab hoc Rege deletum.

Hebr. [4] *Et bestiæ agri comederunt*, depastæ, depopulatæ sunt eam. Nomen *Sis* omne agrestium animantium genus significat, Psalmo 49. 11. Chaldæus [5]: *Sylvestris gallus*. Syrus: *onager*.

℣. 15. Deus virtutum convertere.] Hic tertio intercalaris versiculus iteratur; Omnipotens Deus, benigno dignare nos intuitu, de miserrima captivitate nostra nos revoca.

℣. 16. Visita vineam istam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua; & super filium hominis quem confirmasti tibi.] Conjice dumtaxat oculos in hanc vineam, vide quem in statum eam redegerit inimicus, & miserabile hoc spectaculum te ad miserationem flectet; opus, quod cœpisti, perfice, & restitue vineam hanc, quæ olim tibi erat adeo jucunda. Hebræus longe aliter vertitur [6]: *Visita vineam hanc, & plantam, quam plantasti, & germen hoc, quod confirmasti*, vel filium, quem tibi reservasti. Liquet, *filii* nomen ad ramos, arborumque germina nonnumquam traduci [7].

Bochartus Phaleg. l. 1. c. 15. censet *canna*, quam arborem reddidimus, significare hederam, quæ Ægyptia lingua *chen-osiris*, vel osiridis planta vocatur. Bellonius Obser. l. 2. c. 74. quamdam Ægyptii plantam, *alKanna* dictam, describit, quæ ab ea, de qua Propheta hic loquitur, nequaquam abhorrere videtur. Hoc arbustum est semper virens, quod eodem ferme pacto ac salix cæditur, & quod in salicum morem ingentem virgarum messem emittit; ejus vero folia in pulverem redacta ad mulierum manus, pedes, partemque capillorum flavo, aut rubro colore imbuendam inserviunt; iisdem vero & homines utuntur ad ungues suas, equorum etiam crines, caudam, pedesque eodem colore inficiendos. Illud vero in hac explicatione, & in iis omnibus, quæ a Vulgata, & Septuaginta recedunt, difficillimum mihi occurrit, quod Psalmi Auctor isthic de vinea dumtaxat loquitur, neque probari ullo pacto potest, *canna* vel vineam, vel plantam generatim significari.

A S. Hieronymus vocem hanc reddit *radicem*, & plurimi Interpretes, germen. Rabbini autem contendunt idem esse ac *ganna*, hortum; sed meræ sunt conjecturæ.

Communem igitur versionem sectamur: *Visita vineam istam, & perfice*, confirma, præpara eam, *quam plantavit dextera tua*. Inimici eam convellere voluerunt: aliquot vix hæret adhuc radicibus humi; tuum est eam confirmare. Conjice oculos *super filium hominis, quem confirmasti tibi*. Hic filius ex Chaldæi Paraphrastis [8], veterumque Rabbinorum sententia, est Messias, quem præstolantur; uti vero Patres, Christianorumque Interpretum plerique explicant, est J. C. filius Dei, & filius Hominis, verus Deus, & verus homo, qui se viti comparavit in Evangelio Joan. 15. e.
B 4. 5. & qui in Dominicæ vineæ Parabola est filius Patris familias, quem agricolæ de vinea ejectum interfecerunt, rati, hoc pacto se posse hæreditatis consequi possessionem [9]. Quicumque alius huic loco sensus tribuatur, sive de populo Judaico generatim explicetur [10], seu de Zorobabel singillatim, ad Messiam semper erit redeundum, cum figura pro re ipsa derelinquatur. ℣. 18. eadem omnino habet verba; nisi quod illic legimus: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi*: hic vero simpliciter; *super filium hominis quem confirmasti tibi*. Mihi vero suspicio suboritur, Librariis verba hæc in ℣. 16. per negligentiam obrepsisse; ibi enim nullatenus ad sensum necessaria sunt, cujus immo constructionem evertunt. Sed in vers. 18. tamquam in naturali loco
C inveniuntur, ibique optimum sensum efficiunt.

℣. 17. Incensa igni, & suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt.] Vinea tua, Domine, hostibus fuit derelicta, qui eam diripuerunt, convulserunt, incenderunt; neque exardescet in eos ira tua [11]. Vel: Vinea tua dissipata est, & populus tuus omnino peribit, si in eum pari cum severitate animadvertere persistes [12].

℣. 18. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: & super filium Hominis, quem confirmasti tibi.] In ℣. 16. ubi altera hujus pars invenitur iisdem omnino verbis expressa, animadvertimus jam Patres, & plerosque omnes Interpretes locum hunc de Messia explicare. Nihil enim illi aptius congruit, quam nomen *Filii dexteræ* Patris; ad eam e-
D nim sedet, ut loquitur Scriptura [13], & illud *Filii Hominis*, quod toties illi tribuitur in Evangelio [14]. Quem autem Liberatorem alium expectare poterant captivi Babylonici, quam eum, qui erat spes totius Israel, & qui toties patribus eorum fuerat promissus. Quinam alius Nationem eorum restituere poterat, eamque ex tot malis, quibus affligebatur, eruere?

℣. 19. Et non discedimus a te: vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus.] Tot licet obruamur calamitatibus, nos a te, Domine, liberatum iri speramus. *Vivificabis nos*, educes nos de captivitate, & servitute, quæ quædam est species mortis [15], & invocabimus nomen tuum, tibique laudes nostras, nostraque vota persolvemus. Vel: Educ nos de hoc statu, in quo jugiter obnoxii sumus periculo te deserendi; ne per-
E mittas, nos umquam ab officio recedere; nobis vitam, ac libertatem restitue, ac iterum Domini populus appellabimur, atque deinceps hoc nomine agnoscemur: *Nomen tuum invocabimus*. Hebræus [16]: *Ex nomine tuo nuncupabimur*.

---

1 Euseb. Athanas. 2 Isai. 5. 4. 5. & seq. Jerem. 2. 21. 3 70. Μονιὸς ἄγριος κατενεμήσατο αὐτήν. Ita & Symm. Μονιὸς ἄγριος κατεβοσκήσατο αὐτήν. 4 וזיז שדי ירענה Aqu. Παντοδαπὸν χώρας.
5 ותרנגל ברא יתפשנם מנח 6 ופקד גפן זאת וכנה אשר נטעה ימינך
7 Genes. 49. 22. Munst. Var. Pisc. Kimchi, alii Rabb. 8 ועל מלכא משיחא דחילתא לך Vide Abenez. Rab. Obad. 9 Matt. 21. 33. 39. Marc. 12. 1. 2. &c. Luc. 20. 9. 10. & seq.
10 Muis, du Pin. 11 Chald. Syr. S. Hier. *succensa igni & diruta, ab increpatione faciei tuæ pereant*.
12 Muis, Geier. Pisc. alii. 13 Psalm. 109. 1. Matt. 26. 64. Marc. 16. 19. Luc. 22. 69. Rom. 8. 34. Act. 7. 55. Coloss. 3. 1. &c. 14 Matt. 12. 32. 40. 13. & passim. 15 Psalm. 80. 7. Isai. 57. 15. Oseæ 6. 3. Ezech. 37. 2. 3. 4. & seq. 16 ובשמך נקרא Symmach. Καὶ τῷ ὀνόματί σου κληθησόμεθα.

PSAL-

PSALMUS LXXX.

Psalmista Populum invitat ad laudes Dei celebrandas prima anni die, vel buccinarum Festivitate. Enarrat autem originem, & causam, propter quam hæc instituta solemnitas fuerit; Israelitarum ingrati animi vitium. Domini promissiones.

In finem pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.

ARGUMENTUM.

Hebraicus hujus tituli textus ita reddi potest [1]: *Psalmus inscriptus Asaph moderatori choro Geth*. Plurima antiqua Psalteria [2] titulo hæc addunt verba: *Quinta Sabbathi*, quinta scilicet hebdomadæ die, hoc est, die Jovis; quod nonnullos impulit, ut putarent ea die in Templo psalmum hunc cani consuevisse. Genebrardus putat eas additiones, quæ subinde psalmorum fronti præfixæ videntur, ex Judæorum traditione esse profectas; quod sane nullam illis comparat auctoritatem. Additio hæc neque in Hebræo, neque in Chaldæo, neque in Græcis Bibliis, immo neque in castigatioribus Latinis Exemplaribus reperitur.

Quænam Psalmi hujus conscribendi occasio fuerit, quove tempore caneretur, quærentes in diversa Interpretes abeunt. Plurimi [3] crediderunt, ipsis mensium singulorum Kalendis cani consuevisse; tertio enim versiculo dicitur: *Buccinate in Neomenia tuba*. Ex Moysis textu Num. 10. 10. liquet, Neomenias buccinarum clangore annuntiatas fuisse, non secus ac Jubilæi annum [4], & anni civilis initium [5], vel initium mensis Tizri, cujus prima dies hanc ob causam, *Tubarum festivitas* appellatur, ad quam hunc psalmum cum majori Interpretum numero [6] referimus.

Sunt etiam, qui eum ad festivitatem Tabernaculorum rejiciant; sed cur duo illi objecta tribuenda sunt? quia, inquiunt, sermo etiam est de die solemni, *in insigni die solemnitatis vestræ*, quæ est Tabernaculorum festivitas, quam statim post solemnem expiationem celebrabant. Neque eos moror, qui *torcularia*, de quibus loquitur titulus ad eamdem Tabernaculorum festivitatem, quæ post peractam vindemiam peragebatur, referri contendunt, neque eos, qui putant, psalmum hunc compositum fuisse in memoriam liberationis Joseph, qui initio mensis Tizri, ajunt illi [7], de carcere eductus fuit, vel in monumentum libertatis, quæ eodem anni tempore Hebræis in Ægypto permissa fuit [8], cum ex iis laboribus, quibus hactenus fuerant exerciti, erepti fuerunt. Id genus explicationes omni robore, atque certitudine carent. Hebræi laboribus afflictati sunt, donec Moyses in Ægyptum pervenit [9]. Sed uno dumtaxat circiter mense advenerat ante eorum exitum, qui medio mense Nisan contigit, qui mensibus Martio, & Aprili respondet.

Theodorus, Theodoretus, antiquus Interpres Græcus a Patre Corderio editus, Venerabilis Beda, Ferrandus putant, hunc respicere Judæos de Babylonis captivitate liberatos. Junius, ac Tremellius censent, tunc fuisse conscriptum, cum Arca in Jerusalem tempore David transferretur. Eusebius, & S. Athanasius hoc de Gentilium vocatione, ac Judæorum reprobatione interpretantur. Nos vero nulli temporis circumstantiæ particulariter alligamus; credimus solum vulgo cani consuevisse in Tubarum solemnitate, vel anni civilis initio, & in festivitate Tabernaculorum. Ipso in limine Sacerdotes Dominum laudant, mox per compendium Dei beneficia post exitum de Ægypto memorantur, & tandem Auctor confitetur peccata, atque ingrati animi vitium Israelitarum.

1. EXultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob. 2 Sumite psalmum, &
date tympanum: psalterium jucundum cum cithara. 3 Buccinate in Neo-
menia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ. 4 Quia præceptum in Is-
rael est: & judicium Deo Jacob. 5 Testimonium in Joseph posuit illud, cum exi-
ret de terra Ægypti; linguam, quam non noverat, audivit. 6 Divertit ab oneri-
bus dorsum ejus: manus ejus in cophino servierunt. 7 In tribulatione invocasti
me, & liberavi te: exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi te apud aquam
contradictionis. 8 Audi, populus meus, & contestabor te: Israel, si audieris me,
non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. 9 Ego enim sum Do-
minus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum: & implebo il-
lud. 10 Et non audivit populus meus vocem meam: & Israel non intendit mihi.
11 Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.
12 Si populus meus audisset me: Israel si in viis meis ambulasset: 13 Pro nihilo
forsitan inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam.
14 Inimici Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in sæcula. 15 Et ciba-
vit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle saturavit eos.

Exul-

1 למנצח על־הגתית לאסף   2 Aug. Psalter. Rom. Gallic. Codex Reg. 138. Cassiodor. alii.
3 Quidam in Muis.   4 Levit. 25. 9. 10.   5 Levit. 23. 24. Num. 29. 1.
6 Hieron. Euseb. ad vers. 24. Chald. Kimchi, Muis, Bossuet du Pin.   7 Chald. Rab. Sab.
8 Kimchi, alii Hebr.   9 Lege Exod. 5. 7. & 5. 4. 5.

℣. 1. EXULTATE DEO ADJUTORI NOSTRO ; JUBILATE DEO JACOB.] Hæc dicuntur Sacerdotibus, & Levitis, quibus mandata erat provincia, solemniter in Templo Domini laudes recinendi. Hebr. [1] *Canite Domino, qui nostrum est robur ; emittite lætitiæ clamores ad Deum Jacob.* A

℣. 2. SUMITE PSALMUM, & DATE TYMPANUM, PSALTERIUM JUCUNDUM CUM CYTHARA.] Hebræus ad litteram [2] : *Elevate cantum, vel concentum ; pulsate tympanum, jucundum Kinnor, cum nablo.* Varia isthæc instrumenta explicare sumus adnisi in peculiari Dissertatione, psalmis præposita. Aquila reddit *cytharam*, & Symmachus *lyram* id quod Septuaginta vertunt Psalterium, & uterque simul *nablum*, quod Septuaginta *cytharam*.

℣. 3. BUCCINATE IN NEOMENIA TUBA, IN INSIGNI DIE SOLEMNITATIS VESTRÆ.] Vidimus jam, neomenias omnes, hoc est mensium initia buccinarum clangore annuntiari consuevisse, verum hoc præcipue, atque solemniter magis prima die mensis *Tizri* fiebat ; ea enim prima erat anni civilis dies. *Mense septimo prima die mensis, erit vobis sabbathum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur sanctum ; omne opus servile non facietis in eo* &c. Levit. 23. 24. Hæc dies isthic *insignis dies solemnitatis* vocatur. B

Hebræus ad litteram habet [3] : *In latibulo, in die solemnitatis vestræ.* Vocis hujus *latibulum* sensus in diversa distinet Interpretes. Alii [4] illud intelligunt de Tabernaculorum festivitate, in qua Hebræi sub umbra, atque viridi frondium tegmine morabantur. Alii [5] reddunt *statutum tempus*, quin aliquam peculiariter solemnitatem assignent, vel explicent, perinde ac generatim Paschatis, Pentecostes, atque Tabernaculorum solemnitates significaret. Alii [6] denique id explicant de prima die mensis, qua Luna adhuc obscura est, neque adhuc splendet. C

Ego vero Tabernaculorum diem isthic designari censeo : hæc erat ex præcipuis Judæorum festivitatibus, & per antonomasiam *Festivitas* appellabatur [7]. Hæ autem rationes sunt. Primo *Latibuli* nomen ad unguem huic quadrat festivitati, quam celebrantes Hebræi sub tentoriis ex virenti fronde congestis delitescebant. Secundo, meretrix in Proverbiis [8] egreditur e domo sua *nocte obscura*, in novilunio fortasse, & dicit obvio adolescenti, quem domum suam adducit ; vir meus rus concessit, attulit secum argenti plurimum, neque rediturus est nisi *abdita die*. At hoc de mensis initio dici nequit, quandoquidem hæc ipsa mulier obscura, atque illuni nocte egreditur ; vir igitur illius mense medio, & die festo, de quibus loquimur, erat rediturus. D

Tertio, Aquila [9] eo in loco, quem ex Proverbiis attulimus, vocem hanc *plenilunium* vertit, & alius Græcus Interpres, *insignem festivitatis diem*. Sed hoc apprime quadrat festivitati Tabernaculorum, quæ decima quinta die *Tizri* celebrabatur [10], qua Luna orbe pleno effulgebat, eo tempore, quo Judæi juxta lunarium mensium cursum festivitates suas celebrabant. Verum quidem est, morem hunc nondum obtinuisse Salomonis ævo, qui de *abdita die* loquitur in Proverbiis : sed jam obtinuerat ævo Aquilæ, qui juxta consuetudinem, quæ apud Judæos vigebat, ita loquitur. Ludovicus de Dieu Dictionarium profert Syro-Arabicum, in quo vox *Chesch* de festivitatibus medii mensis explicatur. S. Hieronymus ita hic vertit : *In medio mense die solemnitatis vestræ.* E

A Quarto denique, ratio ex litterali Hebraicæ vocis *Chesch*, vel latibuli deprompta ad primam diem mensis innuendam nihil probat, sive Judæos tunc Lunarium, sive Solarium mensium rationem secutos fuisse supponas. Si enim in festorum suorum observatione menses lunares sequebantur, a Phasi dumtaxat, vel a Lunæ apparitione incipiebant : quo in casu *Lunæ abditæ* nomen nequaquam indidissent primo mensis diei, quinimo recentem Lunam, vel Lunæ apparitionem appellare debuissent. Sin autem Solis cursum sequebantur, quem, mea quidem sententia, secuti sunt, saltem usque ad Babylonis captivitatem, *dies abdita* principium mensis nihilo minus designare non poterat ; nam menses anni Solaris indiscriminatim, vel in initio, vel in medio, vel in fine Lunæ incipiunt. Adhærendum igitur est illi, quam superius tradidimus, explicationi, & asserendum, Tabernaculorum festivitatem significari.

B ℣. 4. QUIA PRÆCEPTUM IN ISRAEL EST, & JUDICIUM DEO JACOB.] Hæc Buccinarum festivitas prima die Tizri, ea vero Tabernaculorum decima quinta mensis ejusdem, sunt a Domino in Israel institutæ in omnium generationum posteritatem observandæ solemnitates. Hebræus verti potest [11]. *Hoc enim præceptum est pro Israel, & judicium*, mandatum, decretum *pro Principibus*, Optimatibus, Diis Jacob.

℣. 5. TESTIMONIUM IN JOSEPH POSUIT ILLUD ; CUM EXIRET DE TERRA ÆGYPTI, LINGUAM, QUAM NON NOVERAT, AUDIVIT.] Festivitates, de quibus nuper locuti sumus, in Deserto a Deo Joseph institutæ fuerunt perenne in Israel monumentum futuræ duorum

C factorum maximopere insignium, ac memorabilium ; quorum alterum per Tubarum festivitatem indigitatum, & quod initio civilis anni celebrabatur, erat Mundi creatio, quæ eodem anni tempore contigit ; altera vero solemnitas, Tabernaculorum nempe, instaurabat quotannis memoriam itineris Hebræorum per desertum, ubi quadraginta annos sub tabernaculis vixerunt.

Nomen Joseph isthic universum Israel significat, non secus ac psalmo 79. 2. idque non immerito usurpatum est, quandoquidem solemnitas hæc instituta fuit in memoriam exitus Hebræorum de Ægypto, ubi Joseph eorum fuerat, veluti parens alter, atque nutritius. Denique ait Psalmista, Joseph audivisse linguam, quæ nondum ad illius aures pervenerat, hoc est ex plurimorum Patrum, atque Interpretum sententia [12], Israeli-

D tas Domini vocem intellexisse de summo Sinai jugo ad eos per interpretem Moysem loquentis, eisque eas veritates, eamque legem, quas nondum cognoverant, explicantis.

Alii [13] hæc omnia referunt ad ipsum Patriarcham Joseph, qui in Ægyptum ingressus linguam, quam non noverat, audivit ; videlicet ibi hospes, & advena mansit. Ægyptii habita illius ratione erant barbari ; hi ejus, non secus ac ille eorum linguam minime intelligebant. Alii denique ita interpretantur. Cum Joseph in Ægyptum accersivit Israel, ac illius familiam, hi audiverunt linguam, quam nondum antea perceperant, atque in medio barbari populi, ignoti, atque alienigenæ eam invenerunt opem, quam ne sperare quidem ausi fuissent. Antiqua Psalteria Latina, uti & Se-

E ptuaginta [14] legunt : *Testimonium in Joseph posuit illum.* Suppleri potest *nomon*, quod Græce legem significat.

Hebræus aliter verti potest [15] : *Posuit hoc veluti testimonium in Jacob, cum apparuit super terram Ægypti ; audivi linguam, quam minime noveram* (℣. 6.) *Diversi ab one-*

1 הרנינו לאלהים עוזנו הריעו לאלהי יעקב Aqu. Αἰνέσατε. Sym. Εὐφημεῖτε. Heb. הרנינו

2 שאו זמרה ותנו תף כנור נעים עם נבל Aqu. Ἄρατε μελῳδίαν, καὶ δότε τύμπανον, κιθάραν εὐπρεπῆ, μετὰ νάβλας. Symmach. Ἀναλάβετε ᾠδὴν, καὶ δότε τύμπανον, λύραν ἡδεῖαν μετὰ νάβλου.

3 בכסה ליום חגנו 4 Ludov. de Dieu, & alii quidam. 5 Pag. Mont. Munst. Jun. Vat. Muis, alii. 6 Gejer. Hamm. Cocc. Pisc. Rabb. quidam. Chald. בירחא דמתכסי

7 Vide Hebræos præcepto affirmativo 205. lib. precum jud. & not. Mikotzi ad præcep. neg. 75. apud Ludov. de Dieu hic. Joseph. Antiq. l. 8. c. 2. p. 263. 8 Prov. 7. 20. ליום הכסא יבא ביתו

9 Aquil. Εἰς ἡμέραν πανσελήνου : alius εἰς ἡμέραν ἐπισήμου, supple ἑορτῆς. 10 Num. 29. 12.

11 כי חק לישראל הוא משפט לאלהי יעקב 12 Euseb. Athanas. Euthym. Theodoretus, & sanctus Hieronymus hanc eamdem sententiam supponunt. Cajet. Cocc. Ferrand.

13 Vide Muis. Bossuet. du Pin, Chald. &c. 14 Vat. Muis, Mar. Pisc.

15 70. Μαρτύριον ἐν τῷ Ἰωσὴφ ἔθετο αὐτόν. Ita Psalter. Rom. Mediol. Rom. S. Germ. Carnut.

1 עדות ביוסף שמו בצאתו על ארץ מצרים שפת לא ידעתי אשמע (7) הסירותי מסבל וגו

ab oneribus dorsum ejus &c. Mendum aliquod in locum hunc obrepsisse necesse est. Vulgatæ sensus longe magis est perspicuus: antiqui Interpretes Græci, uti Septuaginta, in tertia persona legerunt, sed S. Hieronymus ab Hebraico textu ne latum quidem, ut ajunt, unguem recedens reddidit in prima. Posset etiam, levissimam admittentibus immutationem [1] Textui satis commodus sensus appingi, hoc pacto: Dominus *constituit* hanc solemnitatem, *tamquam testimonium in Joseph, cum apparuit super terram Ægypti*; cum venit Dominus, & judicia sua adversus Pharaonem, atque Ægyptios exerceret. *Tunc*, dicit Dominus, *feci, ut audiret Joseph linguam, quam non noverat*; Me illius Patronum, & Deum professus sum, recepique, me per Moysis manum eum esse liberaturum. Et equidem ℣. 6. *exonerabo eum sarcinis*, quas ferre nequit, & *quibus* antea *obruebatur* &c.

℣. 6. DIVERTIT AB ONERIBUS DORSUM EJUS, MANUS EJUS IN COPHINO SERVIERUNT.] Ab humeris ejus dejeci immanes sarcinas, quibus obruebatur; manus illius deferebant corbes terra, vel lateribus plenas ad Pharaonis immanissimas substructiones; sed postquam incœpit Dominus in Ægyptum judiciorum suorum severitatem exercere per ea vulnera, quæ illi regioni inflixit, Israelitæ liberiorem ducere spiritum, atque non adeo calamitosos dies sperare cœperunt. Hebræus [2]. *Amovi dorsum ejus ab onere, manus ejus dereliquerunt corbem*, vel ollam; erui eos de ea, in qua jacebant, servitute; dejeci pondera, quibus humeri eorum opprimebantur: humum, latera, tegulasque gestabant [3]: manus eorum tegulis, ollis, testis, furnis, aliisque ex argilla operibus fingendis exercebantur; ex iis omnibus laboribus illos eripui. Herodotus l. 2. cap. 36. ait, Ægyptios panem pedibus, terram vero manibus subigere consuevisse. Dominus de molestissima hac servitute illos eduxit. Symmachus [4]: *Exonerati fuerunt humeri illorum onere, & manus eorum a corbe amotæ fuerunt.*

℣. 7. IN TRIBULATIONE INVOCASTI ME, & LIBERAVI TE; EXAUDIVI TE IN ABSCONDITO TEMPESTATIS.] In qua me quodammodo abdideram, ut tibi præsto adessem. Vel: audivi te de Cœli vertice, de loco, ubi tempestates conficere, ac edere tonitrua consuevi. Vel denique, exaudivi te de medio turbinis, quo involutus eras quodammodo, & de medio tempestatis, qua eras circumdatus. Tempestas, turbo, afflictio unum tantummodo, & idem isthic significant. Hebræus [5]: *In tribulatione invocasti me, & liberavi te; exaudivi te in secreto tonitrui*. Chaldæus: *In habitaculo Majestatis meæ, ubi ignitæ rotæ strepitum edunt coram me*, in nubibus, ubi efficio tonitrua. Alii: Exaudivi te in transitu Rubri maris, ubi deprompsi tonitrua, fulgura, & fulmina mea adversus Pharaonem [6]: vel in Ægypto ipsa, ubi vos a grandine, tempestationis, fulminibus, horridisque fragoribus, quibus in Ægyptios terrorem injeci, servavi [7]. Demum vos exaudivi in Sinai, cum ibi vobis apparui super montis vertice in medio tonitruum, ac fulgurum cum me estis obtestati, ne ipse vos alloqueretur, sed per Moysem mea vobis mandata proponerem [8].

PROBAVI TE APUD AQUAS CONTRADICTIONIS.] Plurimi hoc intelligunt de aquis *Mara*, in quas Moyses immisit lignum ad earum amaritudinem auferendam [9]. Re quidem vera dicitur ibi Deus populi sui fecisse periculum. *Constituit ea præcepta, atque judicia, & ibi tentavit eum*. Sed contradictionis aquæ [10] proprie sunt in Cades, ubi Moysem se divinæ potentiæ diffidere paululum ostendens, illi adempta fuit voluptas in Terram promissam ingrediendi.

℣. 8. AUDI POPULUS MEUS, & CONTESTABOR TE; SI AUDIERIS ME, NON ERIT IN TE DEUS RECENS.] Hæc dixit Dominus populo suo in deserto Sinai; quæ eadem ferme verba sunt, ac illa Decalogi Exod. 20. 2. &c. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis: non habebis Deos alienos coram me*. Alieni Dii, *recentes Dii* vocantur, Dii e vicino, dii duorum dierum. *Putas ne Deus e vicino ego sum, & non Deus de longe?* dicebat Dominus Jeremiæ 6. 23. 23 Hebræus [11]; *Non habebis Deum alienum*. Dominus dicit populo suo: *audi, & contestabor te*, hoc est, erudiam te, atque efficiam, ut jurejurando mihi fideliter adhæsurum, & neminem alium Deum præter me te admissurum, recipias. Cœlum, terramque testes assumam fœderis, quod mecum percussisti.

℣. 9. EGO SUM DEUS TUUS.. DILATA OS TUUM, & IMPLEBO ILLUD.] Pete a me ea, quæ tibi necessaria sunt, & quibuscumque indigueris, suppeditabo tibi; me invoces, satis est, ut os aperias; ore tibi dumtaxat loquendum est, & ego exaudiam te; justa postulara tua adimplebo; verum ea conditione, ut meas Leges observes [12]: Hæc tibi me præstiturum recipio, dummodo ne desis iis omnibus, quæ mihi es pollicitus.

℣. 11. ET DIMISI EOS SECUNDUM DESIDERIA CORDIS EORUM.] Tamquam irritatus pater, qui rebellem, atque correctionis impatientem filium ipsius dereliquit ingenio. Hic omnium infelicitatum est cumulus, & maximum divinæ in nos iræ argumentum, cum tradit nos in desideria cordis nostri, atque inordinatis, flagitiosisque cogitationibus nostris. Hac iter ad infernum, & interitum pater. Neque dixeris, Deum eorum velle excidium, quos hoc in statu deserit; sæpius eos sibimet ipsis derelinquit, ut via iniquitatum defatigati, atque errorem suum fastidientes, ad ipsum tandem aliquando redire cogitent, expertis, mundum nihil esse aliud, quam inanissimam vanitatem, neque aliud offerre, quam fœdas voluptates, insanas spes, & bona, quæ nequeant explere cor illud, quod ad Deum ipsum capiendum creatum est. *Ut saturati vitiis suis, vel sic agant pœnitentiam*, ait Sanctus Hieronymus in hunc locum. Symmachus [13]: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ut juxta consilia sua abeant*. Antiqua Latina Psalteria legunt: *Ibunt in voluntatibus suis*, pro *In adinventionibus suis*.

℣. 13. PRO NIHILO FORSITAN INIMICOS EORUM HUMILIASSEM.] Nullo negotio eos humiliare, atque ad officium revocare potuissem; id vero minime feci, eo quod populus meus nefariis actionibus suis me ad iracundiam provocavit. Hebr. [14]: *cos momento abjecissem*. Antiqua Psalteria *ad nihilum*. Vox illa *forsitan* isthic nequaquam dubitationem significat, sed potius certitudinem, & in Septuaginta Græcæ particulæ respondet, quæ nullum dubitandi sensum adfert. Hebræus nihil legit, quod rationem habere possit cum *forsitan*, quam vocem neque S. Augustinus hic legit. Vide, quæ ipse in Psalmum 123. 4. animadvertit.

℣. 14. INIMICI DOMINI MENTITI SUNT EI, & ERIT TEMPUS EORUM IN SÆCULA.] Israel fidem perfregit, quam Domino suo debebat: & cum eo egit tamquam inimicus, & alienigena; Dominus etiam irritatus illum in infinita mala proruere passus est; *tempus eorum* [15], supplicium, pœnæ in sæcula omnia permanebunt. Israel tamdiu infelix erit, quamdiu infidelis. *Mentiri Domino* significat, promissorum fidem illi non præstare, ab eo deficere, mandata illius non facessere.

Vide

1 Lego: שפת לא ידע אשמיעהו 2 הסירותי מסבל שכמו כפיו מדוד תעברנה Septuaginta legunt תעברנה
3 Euseb. Theodoret. Hieronym. Athan. 4 Παρῆλθον ἀπὸ βαστάγματος τὸν ὦμον αὐτοῦ, αἱ χεῖρες αὐτοῦ κοφίνου ἀπηλλάγησαν. 5 אענך בסתר רעם Aquil. Ἐπήκουσά σου ἐν ἀποκρύφῳ βροντῆς.
6 Vide supra Psal. 76. 19. 20. Flamin. du Pin. 7 Exod. 9. 23. Sap. 16. 19. 19.
8 Exod. 19. 16 20. 18. Deut. 5. 5. 28. 9 Exod. 24. 25. 26. 10 Num 20. 12. & seq. מי מריבה
11 יהיה בך אל זר Aqu. Οὐκ ἔσται ἐν σοὶ ἰσχυρὸς ἀλλότριος, Symmach. Μὴ ἔστω ἐν σοὶ Θεὸς ξένος.
12 Euseb. Athanas. Theodoret. Muis, alii. 13 Ἀφῆκα δὲ αὐτοὺς τῇ ἀρεσκείᾳ τῆς καρδίας αὐτῶν, ὁδεύειν ταῖς βουλαῖς αὐτῶν. Hebr. אשלחהו בשרירות לבם ילכו במועצותיהם
14 כמעט אויביהם אכניע 70. Ἐν τῷ μηδενὶ ἂν τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν ἐταπείνωσα. Symm. Ἐν ὀλίγῳ ἂν ἐχθροὺς αὐτῶν ἥττησα. 15 Theodor. hic. Vide & Eusebium, & Athanasium.

Vide psalmum 17. 16. Symmachus [1]: *Inimici Domini sunt illi, qui ipsi fidem non præstant &c.* Aquila [2]: *Qui Dominum oderunt, illum abrenuntiant &c.*

Eruditi quidam Interpretes [3] ita ℣. ℣. 14. 15. 16. & 17. connectunt. *Si populus meus me audire voluisset, quamprimum inimicos illius humiliassem: qui eum oderunt, silere debuissent, quin se inimicos profiteri auderent* (mentiti fuissent ei) *populus meus semper perstitisset* (Tempus illius fuisset in sæcula) *& cibassem illum medulla tritici, & melle, ex rupibus defluente.* Verum primum, quem exhibet Vulgata, sensum præferimus. *Inimici Domini* hoc in loco non alii sunt, quam Israelitæ Deo suo infideles: populus Dei a fide defecit, adversus illum insurrexit: non ideo tamen eos Dominus dereliquit, sed in omnia sæcula bonis omnibus cumulavit [4]; cibavit eos adipe frumenti, ac melle de rupibus emanante. *Tempus* significare potest & felicitatem, & infelicitatem, tum prospera, cum adversa, in utroque enim sensu in Scriptura usurpatur; sed ex sermonis contextu illius significatio deprehenditur.

℣. 15. CIBAVIT EOS EX ADIPE FRUMENTI &c.] Dedit illis terram, ubi fluunt torrentes lactis, & mellis: terram ubertimam tritici, olei, lactis, atque fructuum omnium genere quolibet copiosissimam: terram, cujus agri fruges egregias, montes vero exquisitissimum vinum, oleum, fructusque ferunt, & mel, quod in rupibus omnibus invenitur [5]. Theodoretus: dedit illis in deserto aquam dulcem, & copiosam, quam veluti mel de petra eduxit, atque in promissa terra eos bonis, frugibus, ac omni fructuum genere donavit. Hæc omnia allegorice explicantur de spiritualibus donis, & gratiis, quibus Deus cumulat amicos suos, deque Sanctissima Eucharistia, quæ vere est tritici medulla, ac mel de petra, quæ est J. C. *Petra autem erat Christus*, ait S. Paulus 1. Cor. 10. 4.

---

1 Symmach. Μισοῦντες κύριον ψευσάμενοι αὐτῷ, καὶ ἔσται ὁ καιρὸς αὐτῶν εἰς τὸν αἰῶνα.
2 Aquil. Μισοῦντες κύριον ἀρνήσονται αὐτόν. Hebr. משנאי יהוה יכחשו לו
3 Pagn. Munst. Vat. Gejer. Bossuet. Jun. Pisc. Tig. alii. 4 Vide Gejer. Kimchi, Vat. Muis, Pisc. Drus.
5 Genebr. Gejer. Muis. Confer Deut. 32. 13.

PSALMUS LXXXI.

In pravos Judices invectiva. Adhortatio ad justitiam sine personarum acceptione, & cum metu Judicii Domini exercendam.

Psalmus Asaph.

ARGUMENTUM.

Grotius Psalmum hunc refert ad tempus defectionis Absalom, & censet, ad juvenem hunc principem eas dirigi invectivas, quæ in iniquos Judices afferuntur. Ferrandus autumat, Psalmistam hic referre unam e causis Babylonicæ captivitatis, Judicum nempe injustitiam; & ad hoc scriptum fuisse contendit sub captivitatis ejusdem finem, ut ii admonerentur, qui populum post reditum illius erant judicaturi. Kimchi eum rejicit in tempus Regis Josaphat, qui in imperio suo Judiciorum ordinem restituit, & qui Judicibus eadem ferme, ac Psalmi hujus Auctor dicebat [1]: *Non hominis exercetis judicium, sed Domini*. Confer quoque Psalmum 49. Theodoretus, ac S. Athanasius hunc esse putant Psalmi superioris continuationem. In Psalmo 80. Auctor Judæorum reprobationem designavit, in hoc vero causas ejus indigitat. Eorum sententia, qui hunc ad Josaphat tempus referunt, præ aliis mihi arridet. Propheta Jahaziel, alio nomine Asaph, isthic Judicibus injustis tradit præcepta [2].

1. DEus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat. 2 Us-
quequo judicatis iniquitatem: & facies peccatorum sumitis? 3 Judicate
egeno, & pupillo: humilem, & pauperem justificate. 4 Eripite pau-
perem, & egenum de manu peccatoris liberate. 5 Nescierunt, neque intellexe-
runt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ. 6 Ego dixi:
Dii estis, & filii Excelsi omnes. 7 Vos autem sicut homines moriemini: & sicut
unus de principibus cadetis. 8 Surge, Deus, judica terram: quoniam tu hære-
ditabis in omnibus gentibus.

℣. 1. DEUS STETIT IN SYNAGOGA DEORUM, IN MEDIO AUTEM DEOS DIJUDICAT.] *Deorum* nomine Scriptura haud ita raro Judices intelligit, quapropter in lege scriptum est Exod. 22. 28. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices*; & Dominus Moysem ad Ægypti Regem mittens, ait illi Exod. 7. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*. Denique Josaphat Judices admonet, ut videant, quid agant: *Non enim hominis*, inquit ille 2. Par. 19. 6. *exercetis judicium, sed Domini*: Scitote, Dominum vobis esse imitandum, cum nulla sit in ipso injustitia, personarum acceptio nulla, nulla munerum accipiendorum aviditas. Psalmi igitur Auctor isthic Dominum nobis exhibet in medio Judicum, judicio eorum assidentem, atque præsidentem, ac eorum æquitatis, vel iniquitatis certissimum testem.

Hebræus ad litteram [3]: *Dominus præsides in concilio Dei; judicat in medio Deorum*. Judicum, atque Senatorum cœtum *Dei concilium* nominat; re enim vera illius nomine habetur, & qui iis subselliis admittuntur, Dominum

---

1 2. Par. 19. 6. hic vers. 3. 4. 2 De hoc propheta Jahaziel, e familia Asaph, consule vers. 9. ps. 77.
3 אלהים נצב בעדת אל בקרב אלהים ישפט Sym. Ὁ Θεὸς κατέστη ἐν συνόδῳ Θεοῦ, ἐν μέσῳ Θεοὺς κρινεῖ.

minum repræsentant, atque illius auctoritate insigniti sunt. *Dei judicium est*, ait Moyses Deut. 1. 17. Quemadmodum Sacerdotes apud Hebræos præcipuum in judiciis locum tenebant, & plerumque de maximi momenti negotiis in Templo, & coram Summo Sacerdote, & eorum, qui illi assidere consueverant, agebatur, ita duplici de causa cœtus hic *Dei consilium* appellabatur. Denique laici quoque Judices, atque sæculares Principes Dei potestatem exercent, populis jura dicundo; quamobrem 1. Par. 29. 23. dicitur sedisse *Salomon super solium Domini in regem*; & Princeps idem in proverbiis suis ait, quidquid ex Regum labiis egreditur, ad instar oraculi existimandum. *Divinatio in labiis Regis* Prover. 15. 20. Romanis nequaquam penitus occulta erat hæc veritas, quandoquidem plerumque in Templum conscriptos Patres cogebant [1], & Justitiam tamquam numen aliquod venerabantur.

Chaldæus ita vertit: *Deus, cujus Majestas residet in concilio Justorum, qui sunt potentes in lege; ipse judicat in veritate, in medio judicum*. Syrus: *Dominus est in medio Angelorum*; & Tertullianus l. 1. contra Marcion. cap. 7. legebat; *Deus Deorum stetit in Ecclesia Deorum, in medio autem Deos dijudicabit*. Antiqua Psalteria [2]: *In medio autem Deos discernit*. S. Augustinus: *discernere*. S. Cyprianus: *discernens*. Aquila [3]: *Dominus est in cœtu fortium; Dominus judicat in interiori*, hoc est in medio. J. C. in Evangelio Joan. 10. 36. ex eo, quem explicamus loco, probat, se non blasphemare, Dei nomen sibi vendicando, quoniam Scriptura hoc iis omnibus tribuit, ad quos Deus locutus est; verum quidem est, hoc sibi nomen in sensu longe alio assumere; sed ostendit quoque conditionem suam infinite sublimiorem: & opera sua esse præclara eorum, quæ de semet ipso ajebat, argumenta.

℣. 2. USQUEQUO JUDICATIS INIQUITATES, & FACIES PECCATORUM SUMITIS.] Usquequo iniquissimis operibus vestris justitiæ leges violabitis? Innocentem damnatis, & noxium absolvitis, cum locuplex est, vel potens, vel amicus, vel gratiosus. Minus ad causæ æquitatem, quam ad personarum merita attenditis, licet id explicite vetet Deus, qui vobis in Lege sua imperat: *Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est* Deut. 1. 17. Ipse Judex, ac supremus Arbiter est, ac illius nomine judicatis. Et Levit. 19. 15. *Non facies, quod iniquum est, nec injuste judicabis: non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis ... juste judica proximo tuo*. Hebræus verti potest [4]: *Usquequo injuste judicatis, & elevatis faciem impiorum?* Alicujus elevare faciem, est illum benigne excipere, illi amorem testari, illius postulatis subscribere [5]; e contra vero *confundere, ruborem immittere, efficere, ut oculi, & facies demittantur*, repulsam, & contemptum designant.

℣. 3. JUDICATE EGENO, & PUPILLO; HUMILEM, & PAUPEREM JUSTIFICATE.] Ne negligas negotia pauperis, & pupilli, neque opprimas debiles, & egenos. Prophetæ sæpius objurgarunt Judices, ob eadem scelera, de quibus isthic loquitur Psalmista. Isaias 1. 23. *Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos*: & Jeremias 5. 28. *Incrassati sunt, & impinguati: & præterierunt sermones meos pessime. Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt*. Hæc sunt mala, quorum iniquitatis Judices redarguuntur. Non corripiuntur, quod pauperem damnaverint; sed quod injuste damnaverint. Non vult Moyses, ut perperam miserearis egeni; cum noxius est, ac nequam; *Pauperis non misereberis in judicio* Deut. 1. 17. Hoc vult, ut illius justa causa suscipiatur, jus illius servetur, ejus infirmitas protegatur.

℣. 5. NESCIERUNT, NEQUE INTELLEXERUNT, IN TENEBRIS AMBULANT; MOVEBUNTUR OMNIA FUNDAMENTA TERRÆ.] Hæc alia flagitia Judicibus exprobrantur; ignorantia, incuria, affectus, præjudicium; hinc enim familiarum, atque rerum publicarum dimanat interitus. Leges viribus, justitia præsidio destituuntur; innocentia quidem opprimitur, scelus vero impune grassatur. Hoc autem iis verbis infertur; *movebuntur omnia fundamenta terræ*. Non satis est, Judicem bonum esse virum, & æquitatis amatorem, sed sapiens esse debet, & constans, neque ei proderit ejus sapientia, si ad causam animum non adverterit, vel si menti suæ tenebras ab animi perturbationibus, amore, odio, cupiditate, præjudiciis passus fuerit offundi. S. Hieronymus ait [6], malos Judices esse causam, ut terræ fundamenta moveantur. Infelicitas, & lapsus rerum publicarum ab improbis Judicibus proficiscitur, qui malo addunt auctoritatem, neque bonum tuentur. Deus eorum sceleribus, atque injustitiis irritatus in terram maledictiones effundit; & si verum, quod Salomon Prov. 14. 34. ait, nihil efficere florentissimum regnum, nisi Justitiam: *Justitia elevat gentem*, nihil e contra magis illius excidium accelerat, quam injustitia.

℣. 6. EGO DIXI: DII ESTIS, & FILII EXCELSI OMNES; VOS AUTEM SICUT HOMINES MORIEMINI.] Cum vobis Deorum nomen tribuerim, propter eam, qua vos populi prosequuntur, reverentiam, & propter Domini personam, quam exhibetis, non ideo gloriemini alterius esse conditionis ab reliquis hominibus; coram Deo supra aliorum hominum libellam non assurgitis; sed, ut illi, ita & vos morti, ac supremi Judicis Judicio subjecti. Itaque ne superbia efferamini, neque potestate vestra abutamini.

℣. 7. VOS AUTEM SICUT HOMINES MORIEMINI, & SICUT UNUS DE PRINCIPIBUS CADETIS.] Auctoritas, qua estis decorati, a morte vos non eripiet, sed sicuti cæteri homines, ac tot alii Principes, qui eo, quod exercetis, in munera præcesserunt vobis, in tumulum descendetis. Hebr. [7]: *Ideo moriemini, tamquam unus de hominibus, & sicut unus de Principibus cadetis*. Vel: *moriemini sicut novissimus e populo; & vos Principes, veluti unus*, veluti humillimus e plebe *cadetis*. Plurimi Patres [8] ita intelligunt. *Moriemini sicut Adam, & tamquam unus e Principibus*, hoc est lucifer, rebellium Angelorum princeps, *cadetis*. *Unus de Principibus*, hoc est, *primus de Principibus*.

℣. 8. SURGE, DEUS, JUDICA TERRAM, QUONIAM TU HÆREDITABIS IN OMNIBUS GENTIBUS.] Quandoquidem improbi Judices tua abutuntur auctoritate, o Deus, eosque opprimunt, quorum præsidium, ac fulcrum esse deberent, veni, ut tu ipse justitiam exerceas, ac incipe in eos animadvertens, qui sanctissimas leges tuas perfregerunt, ac viduam, & pupillum oppresserunt: memento, Domine, quod Nationes omnes tibi hæreditatis jure cesserunt. Tu Rex es, Imperator, Judex omnium populorum [9], nobis justitiam debes, eamque a te summo jure petere possumus, quoniam eos, quibus hanc provinciam mandasti, per fas, & nefas munere suo abutuntur. Initium Psalmi 49. quamdam habet cum hujus fine similitudinem: *Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram ... Deus manifeste veniet: Deus noster, & non silebit: Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida*.

1 Sueton. in Aug. cap. 35. *Augustus sanxit, ut priusquam consideret quisque (Senatorum,) thure, ac mero supplicaret apud aram ejus Dei, in cujus Templo coiretur*. 2 Psalt. Rom. Mediol. sancti Germ. Carnut. Cassiod. 70. Ἐν μέσῳ δὲ θεοὺς διακρινεῖ. 3 Aqu. Θεὸς ἔστη ἐν συναγωγῇ ἰσχυρῶν, ἐν ἐγκάτῳ κύριος κρινεῖ. 4 עד מתי תשפטו עול ופני רשעים תשאו 5 Vide Gen. 19. 21. in Hebr. *Etiam in hoc tuli faciem tuam*. 6 Vide Hieronym. & Athanas. hic. 7 אכן כאדם תמותון וכאחד השרים תפלו Hieron. *Ergo quasi Adam moriemini, & quasi unus de Principibus cadetis*. 8 Euseb. Justin. Dialog. cum Tryphone, Aug. Hieron. Theodoret. Euthym. alii. 9 Genes. 18. 25. *Absit a te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio. Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram*. Vide Muis, Euseb. hic, Grot. alios.

lida: Advocabit cælum de sursum, & terram discernere populum suum &c. Hic est Supremi Judicis, cujus imperiosi tellus omnis continetur, apparatus. Ita novissima die apparebit, Judices ipsos judicaturus, atque justitiam ab injustitia discreturus. Patres, plurimique Interpretes satis perspicuam de Gentilium vocatione isthic inveniunt prophetiam: *Tu hæreditabis in omnibus* A *gentibus*. Eas veluti populum, & hæreditatem tuam possidebis, cum in Christianam Ecclesiam fuerint ingressi, & fratres, & cohæredes J. C. facti fuerint, sicut quoque pars hujus hæreditatis, quam illi pollicitus es, dicens: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam* &c. Psal. 2. 8.

PSALMUS LXXXII.

Asaph enixius Domini opem efflagitat adversus ingentem hostium numerum, qui in Judam insurrexerant. Deum orat, ut eos dissipet, & brachii sui fortitudinem illis ostendat.

Canticum Psalmi Asaph.

ARGUMENTUM.

Hic sermo est de bello quodam adversus Juda, in quo omnes ferme populi Judææ finitimi contra Domini hæreditatem conjuraverant. Belli hujus Principes Ammonitæ erant, ac Moabitæ, quibus suas auxiliares copias adjunxerant Assyrii, Phœnices, Idumæi, Philisthiim, Arabes, Amalecitæ. Psalmi hujus difficultas in eo posita est, ut belli hujus epocha statuatur, eaque deprehendatur in historia; non enim fidei consonum videtur, factum adeo celebre omissum fuisse in libris Regum, & Paralipomenon.

Antiqui, & Recentiores Interpretes hac in re diversis distinentur sententiis. Alii quidem [1] credidere, hoc idem fuisse bellum a Davide bellatum contra Ammonitas post illatam Legatis suis contumeliam [2], cui conjecturæ quædam non desunt circumstantiæ, quæ suffragentur. 1. Ammonitæ, quæ vers. 19. designantur nomine *filiorum Loth*, aggressores erant, & principes fœderis. 2. Plurimos externos populos in auxilium vocaverunt; Idumæi ex eorum videntur fuisse numero, nam confecto bello, exercitus David eorum ingressus regionem igne, ferroque penitus vastavit [3]. 4. Assyrii iidem sunt, qui vers. 9. videntur Mesopotamiæ populi nuncupati [4], Ammonitis opem tulere. 5. In hoc denique bello Moabitæ, tamquam auxiliares copiæ vers. 7. memorantur; & Ammonitæ tamquam belli auctores nomine *filiorum Loth* vers. 9. appellantur; *Ammon* enim versiculi octavi alius est populus Idumæorum, & Amalecitarum finitimus, quemadmodum in Commentario ostendemus. Hæc autem ea sunt, quæ pro hac sententia possunt afferri.

Verum non paucis præpedita est difficultatibus. 1. Syri, Damasceni, aliique populi, *Aramæi* nuncupati, præcipuum erant Ammonitarum robur; verum isthic nec memorantur quidem. 2. Philisthiim tunc temporis Ammonitis opem ferre non poterant; Davidi enim erant subjecti [5], & nimium ab Ammonitis aberant, ut illis suppetias mittere possent. Moabitæ quoque non recensentur in Ammonitarum exercitu contra David in Regum libris; victi enim fuerant, ac imperatam pecuniam Davidi persolvebant 2. Reg. 8. 2. sed hic Ammonitis cum aliis populis conjuncti dicuntur vers. 7. 3. Phœnices, ac Tyrii præsertim Davidis erant amici, & socii 2. Reg. 5. 2. & 3. Reg. 5. 1. & nihilominus huic bello interfuisse feruntur. 4. populi trans Euphratæi, qui Ammonitis auxilium tulere, sunt *Aramæi* [6], non autem Assyrii. Nequit hoc igitur de bello Ammonitarum adversus Davidem explicari.

Alii hoc referunt ad tempus Joram Regis Juda, qui adversus Idumæos dimicavit [7]. Alii [8] ad bellum Sennacherib contra Ezechiam 4. Reg. 18. Eusebius ad Judæam, & Jerusalem a Nabuchodonosor igni ferroque vastatam. Theodorus, Theodoretus, atque Euthymius ad tempus illud, quod Babylonicæ captivitatis exitum sub Zorobabel est subsecutum; quod, inquit Theodoretus, idem bellum est a Joele, Michæa, Zacharia, & præsertim Ezechiele sub nomine Gog, & Magog c. 38. & 39. prædictum; hoc est ex ejusdem auctoris sententia, conjuratio populorum finitimorum Juda, ut hunc penitus de terra delerent, antequam in ea regione confirmari potuisset. Beda, quem sequitur Bellarminus, hoc explicat de bellis Macchabæorum adversus Moabitas, Ammonitas, Idumæos [9], aliosque. Plurimi denique [10] id rejiciunt in tempus Josaphat, cum Ammonitæ, ac Moabitæ cum Idumæis, aliisque populis fœderati, Regnum Juda aggressi sunt, sed divino consilio in semet arma convertentes se se confecerunt 2. Par. 20. 1. 22. &c. Hanc in Commentario sententiam sequimur, quæ his innititur fundamentis.

1. Filii Ammon, hoc est Ammonitæ, & Moabitæ, primi erant belli hujus Actores. 2. Idumæi illis opem attulerant [11] una cum quibusdam Ammonitis, vel *Meoniis*, qui isthic vers. 8. & in 2. Paralipom. 20. 1. memorantur in belli adversus Josaphat historia. 3. Aderant quoque plurimi alienigenæ ex Syria, atque ex transmarinis regionibus [12], hoc est dubio procul, ex regionibus trans Mare mortuum positis, quod innuere potest Assyrios, Agarenos, & Ismaelitas explicite vers. 7. & 8. designatos. 4. Denique hoc tempore degebat Propheta ex Asaph progenie, dictus Jahaziel, qui prædixit Josaphat Regi, futurum, ut hostes divinitus in manus illius traderentur [13]. Credimus autem Jahaziel eumdem esse ac Asaph Auctorem Psalmi. In Commentarii decursu, alias intuebimur, circumstantias belli filiorum Loth contra Josaphat satis feliciter huic Cantico accommodari; quod postremum erit, idemque optimum hypothesis hujus argumentum.

1 Grot. Bossuet. du Pin. 2 2. Reg. 8. 12. 13. & 10. 6. 7. & seq.
3 2. Reg. 8. 14. & 3. Reg. 11 15. 16. & Psal. 59. 1. 4 2. Reg. 10. 16. 5 2. Reg. 5. 18. 25. 8. 2.
6 2. Reg. 10. 16. 7 4. Reg. 8. 20. 8 Lyr. Jun. 9 1. Macc. 5. 6. 2. Macc. 10. 16.
10 Kimchi, Muis. Ferraud. Hamm. Pisc. 11 2. Par. 20. 22. 12 1. Par. 20. 1. 13 1. Par. 20. 24

1. DEus, qui similis erit tibi ? ne taceas, neque compescaris, Deus. 2 Quo-
niam ecce inimici tui sonuerunt : & qui oderunt te, extulerunt caput.
3 Super populum tuum malignaverunt consilium, & cogitaverunt adver-
sus Sanctos tuos. 4 Dixerunt : Venite, & disperdamus eos de gente : & non me-
moretur nomen Israel ultra. 5 Quoniam cogitaverunt unanimiter : simul adversum
te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ : 6 Moab,
& Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec : alienigenæ cum habitantibus Tyrum.
7 Etenim Assur venit cum illis : facti sunt in adjutorium filiis Lot. 8 Fac illis si-
cut Madian, & Sisaræ ; sicut Jabin in torrente Cisson. 9 Disperierunt in Endor ;
facti sunt ut stercus terræ. 10 Pone principes eorum, sicut Oreb, & Zeb, &
Zebee, & Salmana ; 11 Omnes principes eorum : qui dixerunt : Hæreditate possi-
deamus Sanctuarium Dei. 12 Deus meus, pone illos ut rotam : & sicut stipulam
ante faciem venti. 13 Sicut ignis, qui comburit sylvam, & sicut flamma combu-
rens montes : 14 Ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis
eos. 15 Imple facies eorum ignominia ; & quærent nomen tuum, Domine. 16
Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi : & confundantur, & pereant. 17
Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus : tu solus Altissimus in omni terra.

A ℣. 1. DEUS, QUIS SIMILIS ERIT TIBI ? NE TACEAS, NEQUE COMPESCARIS DEUS.] Quæ alia potentia tuæ potest comparari, Domine ? Quid in cœlo, vel in terris est, quod tibi resistere possit ? Usquequo igitur, Domine, silebis, neque aliquid ages ? Usquequo clementia tua veluti devinctam coercebit justam iram tuam ? Nonne vides inimicorum nostrorum scelera, superbiam, atque impotentiam ? Nos delere, Templum tuum diruere, & tuum cultum minitantur evertere ℣. 4. 5. 6. Tuam hodie causam tuemur ; non nostra magis, quam tua refert, nobis opem ferre.

Hebræus quemadmodum hodie legimus, atque S. Hieronymi ævo legebatur, habet [1] : *Ne sileas, Domine, ne taceas, et ne quiescas*. Bis ad ipsum repetit *ne sileas*, quod ferme idem significat, ac *ne quiescas* in He-

B bræorum stylo. Repetitiones hæ denotant solicitudinem, metumque Prophetæ propter periculi magnitudinem. Veteres Græci Interpretes idem ac Septuaginta legisse videntur [2] : *Domine ; quis similis tibi ? ne sileas* ; nullum enim in ipsis apparet discrimen in primis Psalmi vocibus.

℣. 2. QUONIAM ECCE INIMICI TUI SONUERUNT, & QUI ODERUNT TE, EXTULERUNT CAPUT.] Josaphat rei publicæ Juda optime consuluerat ; cumque florentissimum accepisset regnum, illius magis, magisque magnitudinem, & decus adauxit, factusque est potentissimus Princeps. Finitimi populi illi subditi erant, aut vectigales ; Philisthiim, & Arabes ei tributum solvebant 2. Par. 17. 11. & copiarum suarum numero, & virtute omnibus circum nominis sui terrorem injecerat. Ammo-

C nitæ, & Moabitæ, qui haud ita pridem jugum Regum Israel excusserant. 4. Reg. 1. 1. indignati, eo quod olim adversus ipsos Josaphat suppetias tulisset Joram Regi Israel 4. Reg. 3. 9. & invidentes opibus, viribusque illius, clam Principis hujus hostes solicitarunt ; & magna collecta militum vi impetum in terras Juda fecerant, & secus mare mortuum in Engaddi castra metati sunt 2. Par. 20. 1. 2. Quo vix nuntiato Regi Josaphat, Asaph hunc Psalmum elucubratus est, ut Divinam exposceret opem, & populo animos adderet, eumque terrorem auferret, quem nuntium illud attulerat.

A Hebræus [3] : *Quoniam ecce inimici nostri sunt in motu* simili motui agitati maris ; vel strepitum edunt aquarum multarum murmuri similem ; furentes fremunt. *Qui oderunt te, extulerunt caput* ; arma cepere adversus proprium Regem, Regem scilicet Israel ; quolibet pretio defectionem suam tueri contendunt, & secum omnes alios excitare populos, qui continentur in officio. In te autem, Domine, impetum faciunt, & aggressi Josaphat servum tuum, aggrediuntur una Templum tuum, populum tuum, tuamque Religionem.

℣. 3. SUPER POPULUM TUUM MALIGNAVERUNT CONSILIUM, & COGITAVERUNT ADVERSUS SANCTOS TUOS.] Cogitant delere nomen Israel, ita ut non memoretur amplius, quod ex sequenti ℣. liquet. Heb. [4] *Astutam inierunt consilium clam adversus populum tuum,*

B *& cogitaverant contra thesauros tuos* : Vel contra ea, quæ abscondis. Re quidem vera astu, & secreto opus erat, ut, quin id ab ullo intelligeretur, præparari posset bellum simile illi, quod Ammonitæ, & Moabitæ adversus Josaphat susceperant ; Exercitum ex octo, vel decem diversis Nationibus collectum conscribi, illum in terram usque Juda, in Engaddi ad octo vel decem ab Jerusalem leucas deduci, quin ne unus quidem motum, incessum, consilium exploratum haberet. Fœderatorum populorum præcipuum consilium erat, opprimendi Juda ; cum deinde futurum sibi minimi laboris sperarent opus, Regnum Israel evertere. Ingentes Jerosolymitani templi divitias, magnasque Josaphat opes, quæ a Psalmista *thesauri abditi* dicuntur, jam jam animo partiebantur. Qui vertunt : *conjuraverunt in il-*

C *los, quos protegis umbra sua*, quos sub alis tuis, atque in habitaculo tuo abscondis, id de Judaico populo interpretantur [5] : quæ & Septuaginta fortasse mens fuit [6], vertentium, *adversus Sanctos tuos*. Prisci Græci Interpretes [7], qui reddunt : *contra secretum suum*, vel contra ea, quæ habes abscondita, id forsitan de Sanctuario, vel Templo intelligebant, & Septuaginta quoque ad sensum eumdem possunt referri ; *Sancta* passim pro Templo usurpatur. Theodoretus hoc explicat de J. C. qui tunc erat absconditus, & qui nihilo secius erat omnis spes Judæorum.

℣. 4. DISPERDAMUS EOS DE GENTE.] Hebr. [8]. *Disper-*

---

1 אלהים אל דמי לך אל תחרש ואל תשקט אל S. Hieron. *Deus, non silentium tibi, ne sileas, & non quiescas Deus*. Sym. Μὴ ἠρεμήσῃς. Aqu. Μὴ καθησυχάσῃς. 2 70. Ὁ Θεὸς τίς ὁμοιωθήσεταί σοι ; μὴ σιγήσῃς, μηδὲ καταπραΰνῃς, ὁ Θεός. 3 כי הנה אויביך יהמיון ומשנאיך נשאו ראש Aqu. Ὅτι ἰδοὺ οἱ ἐχθροί σου ὤχλασαν, καὶ μισοῦντές σε ἦραν κεφαλήν. Sym. Ἰδοὺ οἱ ἐχθροί σου ταράσσονται, καὶ οἱ μισοῦντές σε ἐπαίρουσι κεφαλήν.
4 על עמך יערימו סוד ויתיעצו על צפוניך 5 Confer. Psal. 26. 5. 30. 21.
6 70. Ἐπὶ τὸν λαόν σου κατεπανουργεύσαντο γνώμην, καὶ ἐβουλεύσαντο κατὰ τῶν ἁγίων σου. Psalt. Rom. *Astute cogitaverunt consilium*. Ita aliqui Codic. apud. Aug. 7 Aqu. & Theod. Κατὰ τῶν συγκεκρυμμένων σου. Sym. Κατὰ τῶν ἀποκρύφων σου. 8 ונכחידם מגוי Confer Isai. 7. 8. *Frangetur Ephraim a populo* : id est, ut Vulg. *desinet esse populus*. Isai. 17. 1. *tolletur Damascus e civitate*, id est, *desinet esse civitas*, &c.

Disperdamus eos, ne sint amplius gens una. Non adnumerentur amplius inter populos; nemo de iisdem loquatur inposterum.

Ÿ. 5. ADVERSUM TE TESTAMENTUM DISPOSUERUNT, TABERNACULA IDUMÆORUM, & ISMAELITÆ.] *Tabernaculorum* nomen isthic significare potest omnium horum populorum in exercitum unum congregationem. Tabernacula sua simul posuerunt, ibidem castrametati sunt, in idem consilium conjurarunt: vel de communibus eorumdem habitaculis explicando: Tabernacula, pagi, oppida, respublica Ismaelitarum, Agarenorum, Amalecitarum, aliorumque dedere manus filiis Loth, & simul percussere fœdus, ut mutuis auxiliis adversus Juda, & Israel firmati, impetum vel inferrent, vel propulsarent. Hi populi plerumque sub tentoriis incolebant, neque stata sedes illis erat. Idumæi jampridem simultatem contra Josaphat alebant, qui eos sibi imperio suo subjectos coercebat, quo in Juda imperante liquet, ipsis nullum fuisse proprium Regem [1], sed Joram dumtaxat illius successore solium obtinente, excussere jugum, sibique Regem elegerunt 4. Reg. 8. 20. Ismaelitæ, vel Arabes ipsi quoque non modicum tributum Josaphat Regi persolvebant 2. Par. 17. 11. Neque operosum fuit Moabitis, & Ammonitis eos in suæ defectionis societatem allicere.

Moabitæ erant Ammonitarum fratres, atque omnino ferme semper pro reipublicæ utilitate conjuncti. *Agareni*, vel *Agaræi* a veteribus Auctoribus memorantur. Plinius l. 6. c. 28. eos in Arabia felici constituit, Strabo l. 17. cum Nabathæis, & Cholothæis conjungit. Cellarius Antiq. Geogr. l. 3. c. 14. quidem se regionis eorum ignorare situm fatetur, sed ex 1. Paralip. 5. 10. illum didicisse poterat, ubi scriptum est, filios Ruben contra Agaræos dimicasse, & regionem illorum ad orientem montium Galaad potitos fuisse. Auctor idem refert *Agarenos*, quorum nomen apprime floruit sub Constantini Imperio, ab his longe alios fuisse. Agarenorum nomine tunc temporis Arabes omnes, & Saraceni simul appellabantur; sed antiquitus Agaræi non adeo late se se extendebant. Kimchi eum in locum, quem explicamus, putat designari filios, quos Agar alteri viro, non Abrahæ, genuit: verum quinam est alter hic vir? Alii arbitrantur non aliud isthic significari, quam qui Petram, aliter Agram incolebant. Hoc tantum liquido patet, sub Arabum nomine contineri, atque proinde, uti alios, vectigales fuisse Josaphat, ideoque a fœdere Ammonitarum finitimorum suorum adversus Regem Juda non abhorrentes.

Ÿ. 6. GEBAL.] Gebaleni proximi erant Idumæis, & Amalecitis, quemadmodum Theodoretus hic, Eusebius, & S. Hieronymus in Locis docent. Josephus Antiq. l. 3. c. 2. de regione illorum verba facit, & *Gobolithas* appellat; ait autem, esse Amalecitas, & Petræ urbem occupasse. Amalecitis deletis, Idumæi in Gabalenem se se effuderunt, quæ deinceps Idumææ pars habita fuit. *Gabal* Arabice montem significat; Gabalene vero erat regio montibus præpedita ad terræ Chananitidis meridiem. Brocardus asserit, Bersabee appellatam fuisse *Giblin*; quæ erat in Gabalene, vel in finibus ejus.

AMMON.] Quinam essent Ammonitæ, satis constat; hi primi erant belli hujus auctores. Verum quorsum Moab, & Ammon dicuntur suppetias tulisse filiis Loth? Quinam sunt hi filii Loth, nisi Moab, & Ammon? Non ambigo, quo minus filii Loth [2] peculiariter Ammonitas designent; Moabitæ fratres eorum una cum Ammoniis, vel potius Mæoniis populis Amalecitarum, atque Idumæorum finitimis illis opem tulere. Etenim explicite recensentur in eorum numero, qui fœdus cum Ammonitis percusserant contra Josaphat, & Mæonii aperte ab Ammonitis plurimis in Hebraici textus locis distinguuntur [3]. Videri potest Commentarium nostrum in 2. *Par.* 20. & 26. Ÿ. 6. 8. *Ammon* hic positus est pro *Mem*, vel *Maon*.

AMALEC.] Amalecitæ *Mæoniorum*, Idumæorum, Gebaleniorumque erant finitimi. Limites eorum non satis sunt definiti; verum liquet, omnes hos populos generatim bellorum fuisse amantissimos, inquietos, Judæis infensos, atque ad iter semper expeditos, cum hostium terræ diripiendæ essent, ac igni, ferroque vastandæ.

ALIENIGENÆ,] vel potius *Philisthiim*, hi enim a Septuaginta *alienigenæ* semper vocantur. Hebr. [4] *Palæstina*, Philisthæi tributum pendebant Josaphat 2. Par. 17. 11. Hanc arripuere occasionem, ut jugum excutere, & ex Hebræorum imperio elabi adniterentur.

CUM HABITANTIBUS TYRUM.] Tyrii, & Phœnices tamquam auxiliares copiæ, vel uti Philisthinorum fœderati, ad auxilium ferendum ab Ammonitis illecti fuerunt; vel spe ducti, futurum, ut Judææ spoliis ditescerent, adversus Josaphat ceperant arma.

Ÿ. 7. ETENIM ASSUR VENIT CUM ILLIS.] Potuerunt Ammonitæ Assyrios milites ex Transeuphratæa regione contra Josaphat conducere; quemadmodum alias ex Mesopotamia auxiliares copias adversus David collegerant 2. Reg. 10. 16. Alter quoque erat *Assur*, Ammonitarum finitimus, de quo in Genesi 25. 3. sermo est, tamquam de uno ex posteris Dedan. Eupolemus apud Eusebium Præpar. l. 9. c. 29. illius explicite meminit. Theodoretus, Theodorus Heraclæota, & Bellarminus credidere, Assyriorum nomine hoc in loco designari Samaritanos, populos ab Assyria, & Armenia in terras Israel immissos 4. Reg. 17. 24. Verum allati Auctores supponunt factum illud, quod huic Psalmo tribuit occasionem, diutius contigisse post decem Tribuum transmigrationem ultra Euphratem, quod longe a nostra abhorret sententia; & sane in eadem ipsorum hypothesi, inauditum esset, quod Samaritani Assyriorum nomine designarentur. Nulla suppetit ratio, qua probari queat, aliquem ex iis populis, qui Samariam missi fuerunt, Assyrios ab origine fuisse, licet subditi essent Regum Assyriæ.

FACTI SUNT IN ADJUTORIUM FILIIS LOTH,] Ammonitis videlicet præcipuis belli hujus Auctoribus. Loth ex duabus filiabus suis duos genuit filios, Moab, & Ammon Genes. 19. 37. Hebr. [5] *fuerunt loco brachii filiis Loth*. Illis suppetias tulere, & una cum eis gessere bellum.

Ÿ. 8. FAC ILLIS SICUT MADIAN, & SISARÆ, SICUT JABIN IN TORRENTE CISSON.] Madianitæ a Gedeone fusi, fugatique fuerunt Judic. 7. 21. Sisara imperator exercitus Jabin Regis Chananæorum in fugam conversus fuit a Debora, & Barac ad radices montis Thabor prope torrentem Cisson, Judic. 4. 15. cumque Sisara ex fuga se se recepisset apud Jahel conjugem Heber Cinæi, ab eadem fuit interfectus. Judic. 4. 18.

Ÿ. 9. DISPERIERUNT IN ENDOR, FACTI SUNT, UT STERCUS TERRÆ.] Loquitur de loco, ubi cæsi fuerunt Madianitæ. Castra fuerunt metati in valle Jezrael ad radices montium Gelboe, non procul a Thabor, ideoque prope Endor. Judic. 6. 33. & 7. 1. 18. Ibi illos Gedeon aggressus misera internecione delevit; atque ibi insepulti jacuere, veluti stercus terræ, vel Victoris pedibus, tamquam stercus, obtriti fuerunt.

Ÿ. 10. PONE PRINCIPES EORUM SICUT OREB, & ZEB, & ZEBEE, & SALMANA.] Oreb, & Zeb fuere duo præcipui duces exercitus Madian Judic. 7. 25. Zebee vero, & Salmana duo erant Reges Madianitarum Judic. 8. 5. Priores duo ab Ephraimitis obtruncati fuere Judic. 7. 25. Zebee, & Salmana Gedeonis ipsius gladio fuere confossi. Judic. 8. 21.

Ÿ. 11. HÆREDITATE POSSIDEAMUS SANCTUARIUM DEI,] ut illius deleatur religio, & opes, quæ ibi asservantur, inter nos dividamus. Heb. [6] *Potiamur habi-*

1 4. Reg. 3. 9. 3. Reg. 22. 48. 2 Vide ŸŸ. 7. & 8. 3 *Ammonitæ*. עמון *Meonitæ* מעונים 2. Par. 26. 7. 8. &c. 4 פלשת Aqu. Sym. Φυλιστιείμ. 70. Ἀλλόφυλοι.

5 היו זרוע לבני לוט Aqu. Ἐγένετο βραχίων τοῖς υἱοῖς Λώτ. Sym. Ἐγένοντο σύμμαχοι τοῖς υἱοῖς Λώτ.

6 נירשה לנו את נאות אלהים Sym. Δίαιται τοῦ Θεοῦ. 70. Ἁγιαστήριον τοῦ Θεοῦ.

habitaculo Dei, vel pulchritudine, Civitate, Templo A illius. Josaphat ea in Oratione, qua Deum deprecatus est, cum exercitui suo præesset, dicebat 2. Par. 20. 11. *Nituntur ejicere nos de possessione, quam tradidisti nobis, Deus noster ergo non judicabis eos?*

℣. 12. DEUS MEUS, PONE ILLOS, UT ROTAM, & SICUT STIPULAM ANTE FACIEM VENTI.] Everte, agita, veluti rotam eos circumage; tamquam rota, vel turbo, vel generatim ea omnia, quæ cum pernicitate volvuntur, agitentur, susque deque vertantur; Hebraica enim vox *Galgal* [1] ea omnia significat, quæ violenter volvuntur, & circumaguntur. *Vita nostra currit, tamquam rota plaustri*, inquit Anacreon, *& tandem redigemur tamquam levissimus pulvis, cum ossa nostra erunt consumpta*.

Preces, vel si mavis, prædictiones Asaph contra fœ- B deratos Principes in irritum non cesserunt. Cum intulisset Josaphat in hostes suos arma, Deus in illos tantum terrorem, tantamque dementiam injecit, ut Ammonitæ, ac Moabitæ in Idumæos irruerint, eosque jugularint, mox vero in se met sua arma converterint, ita ut cum Josaphat ad eorum accesserit castra, nihil aliud invenerit, quam projecta cadavera, & infinita spolia, quæ ibi ingentem Victori prædam reliquerant. 2. Par. 20. 22.

℣. 13. SICUT IGNIS, QUI COMBURIT SYLVAM,] & qui magis magisque invalescit, atque augetur; ita, Domine, in illos immitte dissidium, se seque propriis viribus conficiant. Vel: Non secus ac arborum rami mutuo frictu accenduntur, atque sylvam comburunt [2]; ita in eos dissensionis ignem conjice, qui illos absumat, atque in cinerem redigat.

℣. 14. ITA PERSEQUERIS ILLOS IN TEMPESTATE TUA.] Hoc innuit, ea nocte tempestatem aliquam contigisse, quæ in fœderatorum populorum castra eam turbam immisit, ut inter tenebris se non amplius agnoscerent, atque ultro citroque proximum suum Judæum existimantes tamquam hostes mutui se vulneribus confoderent. Neque id erat difficile in tot populorum colluvione qui adeo erant diversi, & militari disciplinæ insueti, & qui hostem ita noverant adesse, ut singulis momentis impetum facere posset.

℣. 15. IMPLE FACIES EORUM IGNOMINIA, & QUÆRENT NOMEN TUUM, DOMINE.] Conatus eorum inutiles effice, & eorum subverte consilia; erubescant, brachii tui virtute victi, atque profligati; discant potestatem tuam venerari, neque lacessere Altissimum. Non cupit Asaph absolute, & sine limite ullo eorum infortunium; Deum petit dumtaxat, ut eos humiliet, ut hinc ad illius agnitionem perveniant; eorum clades ipsis erit utilior, quam quælibet præclara victoria [3]: *Videtis quia non contra eos, sed pro salute ipsorum deprecatur .... Confundantur, & pereant; pereant secundum hoc, quod mali sunt, & salvetur, quod bonum est*, ait S. Hieronymus.

1 גלגל Vide Isai. 17. 13. 28. 29. 2 Vide Theodoret. hic. 3 Theodoret. Hieron. hic.

PSALMUS LXXXIII.

Desiderium iterum videndi Tabernaculum Domini. Felicitas vitam suam transigentium in atriis ejus; præstat novissimum esse in domo Dei, quam habitare in Tabernaculis peccatorum.

In finem, pro torcularibus, filiis Core Psalmus.

ARGUMENTUM.

IN FINEM PRO TORCULARIBUS, FILIIS CORE PSALMUS. Psalmus in finem, de torcularibus, inscriptus filiis Core; vel potius [1]: *Psalmus inscriptus Moderatori Gethæi chori, pro filiis Core.* Cum defecisset Core a Moyse in deserto, Dei ultio in hunc rebellem virum statim erupit; hiavit terra, eumque una cum Dathan, & Abiron absorbuit: sed peculiari Providentiæ dispositione, calamitosi hujus hominis filii præservati fuerunt [2], cum liberi Dathan, & Abiron paterni supplicii fuerint consortes. Core igitur familia viguit, atque per hos filios in Israel permansit; quorum præcipuum opus in Templo erat januarum custodia [3]. Non ideo tamen deerant, quominus suas Cantorum partes explerent in Templo [4]; & his psalmus præsens inscriptus est, vel ipsi ejusdem Auctores fuerunt.

Sunt, qui putent, a Davide tempore calamitatis suæ, cum vel a Saule [5], vel ab Absalone fugeret, fuisse compositum [6]; Tunc enim a Domini Tabernaculo absens eos optabat dies, quos ad altaris Dei sui pedes, illius laudibus celebrandis occupatus transigebat. Nos autem cum Theodoreto, aliisque pluribus [7] illum de Captivis Babylonicis, præsertim vero de Levitis, & filiis Core explicamus, qui vota nuncupant pro reditu suo, & gaudium illud exprimunt, quo olim in solemnibus Religionis cœtibus in Templo magnopere afficiebantur. Eorum locutiones apprime quadrant hominibus, qui hisce festivitatibus adfuerint, atque iisdem jampridem caruerint, non sine spe tamen futurum, ut illuc revertantur. Versiculo undecimo munera sua, & Levitarum, & janitorum satis explicite memorant: *Melior est dies una in atriis tuis super millia; elegi manere in liminе Domus Domini*, ibi excubias agere, & januam Templi ejus custodire, *quam habitare in tabernaculis peccatorum*.

Theodoretus ait, Babylonis captivos Canticum hoc didicisse, ut se mutuo excitarent ad petendum à Deo reditum suum, seque ad Legum illius observantiam cohortandos. Ferunt etiam [8] hoc quoque tempore Judæos quotidie vespere in Synagogis suis psalmum hunc ante alium quemlibet recitare, ducti spe quondam

1 למנצח על הגתית לבני קרח מזמר 2 Num. 26. 11.
3 1. Par. 27. 1. . . . 19. & 2. Paralipom. 31. 14. 4 2. Paralip. 20. 19. *Porro Levitæ de filiis Caath, & de filiis Core laudabant Dominum Deum Israel voce magna in excelsum.*
5 Kimchi, Grot. 6 Ferrand. du Pin. Gejer. Pisc. 7 Heraclæot. Basil. Beda. Athanas. ad vers. 11. 8 Gejer. hic ex Buxtorf.

quondam videndi & Jerusalem, & Templum pristino decori restitutum. Canticum hoc mirum in modum exhibet desideria fidelis animæ, Cœli Beatitudinem, atque æterna Tabernacula peroptantis. Explicatur quoque veluti expressio votorum Populi, undequaque ex Palæstina tribus præcipuis anni solemnitatibus Jerusalem confluentis.

1. QUam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, & deficit
anima mea in atria Domini. 2 Cor meum, & caro mea, exultaverunt
in Deum vivum. 3 Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum
sibi, ubi ponat pullos suos. 4 Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus, &
Deus meus. 5 Beati, qui habitant in domo tua, Domine! in sæcula sæculorum
laudabunt te. 6 Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo
disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit. 7 Etenim benedictionem
dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in
Sion. 8 Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe Deus
Jacob. 9 Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui. 10
Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. 11 Elegi abjectus esse in domo Dei mei; magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. 12 Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus. 13
Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus
homo, qui sperat in te.

℣. 1. QUAM DILECTA [1] TABERNACULA TUA, DOMINE VIRTUTUM!] Quantopere cupio Templum tuum revisere, o Deus! Quandonam adeo felix ero, ut in patriam meam revertar, atque rursus, ut olim meo munere in sancto tuo Templo persungar? Loquitur Levita aliquis ex familia Core, captivus Babylone. A

℣. 2. COR MEUM, & CARO MEA EXULTAVERUNT IN DEUM VIVUM.] Carni tribuuntur isthic lætitiæ sensus, non secus ac cordi; gaudium enim, & voluptas cordis in carnem effunditur, seseque prodit ex faciei, & oculorum lætitia, & corporis totius habitu [2]: Hebræus [3]: *Cor meum, & caro mea canent* laudes *Dei viventis*. Cor meum exprimet lætitiam suam per hilares linguæ meæ cantus. Deum suum, *Deum viventem* vocat, ut eum opponat falsis Diis, atque Idolis Babyloniorum, Diis scilicet mortuis, ac mutis [4]. B

℣. 3. ETENIM PASSER INVENIT SIBI DOMUM, & TURTUR NIDUM SIBI, UBI PONAT PULLOS SUOS; ALTARIA TUA DOMINE VIRTUTUM.] Quemadmodum passer, & turtur summa cum pernicitate volant in nidum, & foramen suum, cum eos persequitur accipiter, vel cum imminet procella, vel se longo volatu defatigatos sentiunt; vel denique cum pullorum suorum clamores audiunt, escam expectantium; ita, Domine, volabo in Templum tuum; illuc cum impetu irrumpam, veluti in locum quietis meæ, recessus, meique subsidii, si mea disrumpere volueris vincula, atque ex hac tristi captivitate educere. Aliter: Quantam esse reor avicularum, ac turturum felicitatem, quibus negatum non est inter Templi tui rudera nidos suos collocare [5]! Earum felicitati invideo: neque mihi, ut C illis fas erit, inter pretiosissimas ruinas vitam meam transigere? Vel: quam dura est conditio mea, Domine! aviculæ, & turtures nidos habent, quo se recipiant; mihi vero neque Altaria tua licet invisere. Chaldæus: Felices sunt columbæ, ac turtures, eo quod earum pulli super Altaria tua offeruntur! Theodoretus, & S. Hieronymus: Quemadmodum volucres cœli, cum diu per aera volaverint, nidum tandem, ubi quiescant, ac maneant, inveniunt; ita quæro prope Altaria tua requiem; quorum votorum si summam fuero consecutus, Domine, solida pace, ac permanenti quiete fruens lætabor.

Hebræus [6]: *Avicula invenit sibi domum, & hyrundo nidum, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Deus exercituum.* Ita recentiores, cum Rabbini, tum Interpretes reddunt voces eas, quas Septuaginta, & Antiqui verterunt *passerem*, ac *turturem*. Fatentur omnes fere, priorem vocem generatim avem significare; sed Bochartus de Animal. sacr. par. 2. l. 1. cap. 8. probat, alteram significare posse turturem, vel palumbem, neque ullum satis validum suppetere argumentum, quo hyrundinis significatio probetur. Chaldæus: *Columba, & turtur*. S. Hieronymus: *passer, & volucris*.

℣. 6. BEATUS VIR, CUJUS EST AUXILIUM ABS TE; ASCENSIONES IN CORDE SUO DISPOSUIT IN VALLE LACRYMARUM &c.] Qui in Deo omnem suam spem collocat, & serio adlaborat, ut ad Cœlum per virtutis viam progrediatur, sperare debet, se a Divino Legislatore in hac lacrymarum valle benedictionibus iri cumulatum; & dummodo suscepti laboris ipsum non tædeat, neque defatigetur umquam, sed quotidie magis de virtute in virtutem ascendat, pro certo habere potest, se tandem in Cœlis Deum Deorum esse visurum. Mundus lacrymarum vallis dicitur propter pericula, quæ isthic adeuntur, & mala, quæ subeuntur. Hoc certum est in Jesu Christi schola præceptum, in salutis via nefas esse retro respicere, vel consistere; sed semper de virtute in virtutem gressus esse proferendos, ut ad finem pervenire unusquisque contendat [7]. Hunc sensum loco isti appingere potes, si in morali sensu explicetur.

At si litteræ hærere velis, alii plures suppetunt sensus. Alii putant, filios Core hic exhibere Israelitam quemdam summo fervore succensum, & Dominum in Templo Jerusalem adorare sapientem, & qui jam ad Montem Sanctum decrevit ascendere: *Ascensiones in corde suo disposuit*. Ut illuc se conferat, transit per *lacrymarum vallem*, satis prope Jerusalem, quæ Hebraice vallis *Bochim* vocatur, & de qua non semel loquitur Scriptura [8]. *Legislator*, Deus ipse, *dabit illi benedictionem*

1 Psalt. Rom. Mediol. S. German. Carn. Cassiod. *Quam amabilia!* S. Aug. *Quam dilectissima!* 70. Ω'ς ἀγαπητά, Hebr. מה ידידות 2 Vide similes locutiones psal. 72. 26. & 62. 2. & 118. 120.
3 לבי ובשרי ירננו אל אל חי 4 Theodoret. hic. Athan. Euseb.
5 Kimchi, Muis. 6 גם צפור מצאה בית ודרור קן לה אשר שתה אפרחיה את מזבחותיך יהוה וגו
7 Vide S. Hieronymum: *Qui sanctus est, quot die in priora extenditur, & præteritorum obliviscitur . . . Sanctus in corde suo ascensiones ponit, peccator descensiones. Quomodo qui sanctus est, quotidie proficit, ita qui peccator est, quotidie decrescit.* 8 Judic. 2. 5. *Vocatum est nomen loci illius locus flentium, sive lacrymarum*; & 1. Reg. 5. 23. *Ex adverso pyrorum*. Hebr. *Bochim*.

ftionem suam eo in loco, ibique aquam invenies, licet locus maximæ sit sterilitatis, atque ariditatis; peregrinorum undique confluentium copia magis crescente, prout ad civitatem accedunt, *ibunt de virtute in virtutem*, magis, magisque confirmabuntur. Vel juxta Hebraicum textum: *de caterva in catervam transibunt*, & ita pervenient in Sion.

Hebr. [1]: *Felix, cujus fortiendo est in te*, qui omnem fiduciam, & omne robur suum in tuo collocat auxilio; *vult ne iter suscipere?* Ad litteram: *Habes ne itinera in corde? Cum transibit in vallem Beca*, vel *fletuum*, *Dominus dabit illi aquam fontis bibendam* [2], *& pluvia replebit cisternas ejus. Progredientur novis anctus viribus, & videbit Dominum in Sion*. Nobis nequaquam abjicienda spes est de reditu nostro, Domine; si spem nostram in te collocaverimus, nihil nobis arduum erit. In desertis ipsis, maxime aridis, horrentibusque nobis præbebis aquas affluenter, & quin defatigemur via adeo longa, & incommoda in singulos gradus vires nostræ instaurabuntur; nobisque suppeditabis omnia subsidia, ad longum adeo laborem ferendum necessaria. Vallis *Beca*, vel *Bochim*, fortasse in adagium abierat ad innuendum sterilem locum, aridum, desertum, & viatoribus invium. Prophetæ, qui reditum de Babylone pollicentur [3], ipsi quoque testantur, Dominum Israelitis copiosos fontes in medio solitudinum horrore daturum. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes; ponam desertum in stagna aquarum; & terram inviam in rivos aquarum*, ait Isaias 41. 18.

℣. 9 PROTECTOR NOSTER ASPICE DEUS, & RESPICE IN FACIEM CHRISTI TUI.] Vel Uncti tui. Hoc de Messia, vel de David, vel de Zorobabel [4], vel de populo Dei explicatur; quilibet enim juxta hypothesim suam interpretatur. Nostram spem non in meritis nostris collocamus, Domine, sed tibi preces effundimus, Christi tui, Liberatoris, ac Salvatoris nostri freti patrocinio. Tu id nobis pollicitus es, & novimus, promissiones tuas numquam irritas esse. Aliter: Memento, Domine, David Uncti tui, & servi tui [5], & propter illius merita, in nos propitium oculorum tuorum conjicere digneris adspectum. Fac, ut reviviscant promissiones, quibus illi posteritatem, Regnumque æternum, ac sine fine te daturum spopondisti [6]; restitue solium domus hujus tibi dilectæ, & iterum accende scintillam jam jam propemodum extinctam.

Theodoretus, S. Athanasius, & S. Hieronymus credunt, id explicari posse de populo Domini ejusdem, qui juxta Apostolum 1. ad Cor. 12. 27. loquentem, *facies Domini* dicitur. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*. Hebr. [7] *Domine clypeus noster conjice oculos tuos super nos, respice faciem Messiæ tui*, vel Uncti tui. Aquila: *Deus clypeus noster converte faciem Christi tui*, vel Uncti tui, illam ad nos converte.

℣. 10. MELIOR EST DIES UNA IN ATRIIS TUIS SUPER MILLIA.] Dierum aliorum, vel super mille dies alibi, præsertim ea, in qua ingemiscimus, captivitate. Nihil nobis consolandis idoneum est, neque ullam exilio nostro commiscere potest jucunditatem. Una dies mansionis in Templo tuo melior est, quam sæculum alibi. Quam præclarus est hic zelus, & hæc sollicitudo filiorum Core? quam bene Deus a talibus ministris decoratur.

℣. 11. ELEGI ABJECTUS ESSE IN DOMO DEI MEI.] Quàm in peccatorum domibus commorari; nihilum me movet tota, quanta est magnificentia, & magnitudo Babylonis; dummodo ibi permanere possem, & frui omnibus illis voluptatibus, quæ illic hauriuntur, humillimum quodlibet domus tuæ munus mihi his omnibus esset acceptius. Hebr. [8] *Mallem esse super limine domus tuæ*, vel *custodire januam Templi tui*, quam locupletissimas peccatorum ædes possidere. Vidimus jam, filios Core fuisse Templi janitores. Cum Septuaginta [9] reddiderunt, *elegi abjectus esse in domo Dei*, alluserunt conditioni Captivorum, qui compedibus olim ad portas vincti tenebantur, ne egredi possent [10]. Ita quoque verti posset Hebræus, versiculo præcedenti connexus. *Dies una in atriis tuis præstat diebus mille alibi ubicumque; & mallem dumtaxat tangere limen januæ tuæ, quam sæculi unius spatio in impiorum tabernaculis permanere*.

℣. 12. QUIA MISERICORDIAM, & VERITATEM DILIGIT DEUS: GRATIAM, & GLORIAM DABIT DOMINUS.] In peccatorum tentoriis nihil præter perfidiam, atque iniquitatem invenio; fœda tantum flagitia, turpiaque facta intueor, ea perhorresco, & contemno. Sed in te, Deus, video *misericordiam, & veritatem*, clementiam ad miserendum pronam, ac prævenientem, & veritatem intemerandam, ac semper eamdem; summam in promissionibus tuis fidem, quam nihil umquam potest concutere. Tu, Domine, me gloria, & favoribus cumulas, tu efficis, ut in ipsis inimicorum meorum oculis gratiam inveniam; tu, postquam me afflixeris, atque humiliaveris, gloria, & consolatione coronabis.

Hebræus [11]: *Dominus est noster Sol, & clypeus: Dominus dat gratiam, & gloriam*. Eo in tenebrarum, & obscuritatis statu, in quo versamur; in captivitate, ac exilio, undenam libertatem præstolari possumus, nisi a te, Sol justitiæ, & veritatis, lumen eorum, qui squalent in horrore mortis, atque in sepulchri tenebris ingemiscunt? O clypeus eorum, qui vexantur, atque opprimuntur, gratiam tuam [12] tribuis invocantibus te, & se ad te convertentibus, & eos gloria coronas, qui in te omnem collocant fiduciam. Primum nostra nobis delicta remittes, mox vero nos gloria circumdabis. *Non dixit gloriam, & gratiam dabit; sed dixit, gratiam, & gloriam dabit Dominus. Primum donat peccata, & postea coronat*, ait S. Hieronymus in hunc Psal. Veniam largitur, sed coronam reddit: alteram gratis tribuit, alteram debet, inquit S. Augustinus Enarr. in hunc psal. *Indulgentiam donavit, coronam reddet, donator est indulgentiæ, debitor coronæ ... debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo*.

1 אשרי אדם עז לו בך מסלות בלבבם (7) עברי בעמק הבכא מעין ישיתוהו גם ברכות יעטה מורה (8) ילכו מחיל אל חיל יראה אל אלהים בציון

2 Lego מעין ישתהו *E fonte potabit eum*, pro מעין ישיתוהו *Fontem facient eam vallem*. Symmach. Προβαίνων κοιλάδα κλαυθμοῦ, πηγὴ ταχθήσεται. *Plorabit transiens in valle. Ibi fons statuetur*. Aquil. Παρερχόμενοι ἐν κοιλάδι τοῦ κλαυθμοῦ, πηγὴν θήσουσιν αὐτόν. *Transeunda per vallem lacrymarum eam in fontem redigent*.

3 Isai. 35. 5. 7. 49. 10. 58. 11. 12. 4 Ita Diodor. Vide & Muis.

5 Confer vers. 1. Psalm. 131. 1. 6 2. Reg. 12. 13. 7 מגננו ראה אלהים וגו׳ Θυρεὲ ἡμῶν ἴδε Θεὲ, καὶ ἐπίστρεψον πρόσωπον ἠλειμμένου σου. Symm. Ὑπερασπιστὰ ἡμῶν ἴδε ὁ Θεὸς, καὶ πρόσβλεψον τὸ πρόσωπον τοῦ Χριστοῦ σου. 8 בחרתי הסתופף בבית אלהי מדור באהלי רשע

9 Ἐξελεξάμην παραρριπτεῖσθαι ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ μου, μᾶλλον ἢ οἰκεῖν με ἐν σκηνώμασιν ἁμαρτωλῶν.

10 Ovid. Amor. 1. 6. *Janitor: indigne dura religate catena*. Et Sveton. de clar. orat. in Otacil. *Servisse dicit, atque etiam ostiarium, veteri more, in catena fuisse*.

11 כי שמש ומגן יהוה אלהים חן וכבוד יתן Aqu. Ὅτι ἥλιος καὶ θυρεὸς κύριος ὁ Θεός. 5. Edit. Ἥλιος καὶ σκέπασις κύριος. Sym. quoque, Ἥλιος, καὶ σκέπασις. 12 Confer Prov. 13. 15. Gen. 39. 21.

PSALMUS LXXXIV.

Gratiarum actio pro reditu de Babylonis captivitate. Vaticinium humani generis per JESUM CHRISTUM redimendi.

In finem, filiis Core, Psalmus.

ARGUMENTUM.

Titulus juxta Hebraicum textum verti potest: *Psalmus filiorum Core Moderatori Musices inscriptus*. Interpretum nonnulli priorem Psalmi hujus partem explicant de Hebræorum ex Ægypto liberatione [1]; alii de Davidis reditu in Jerusalem post bellum Absalonis; alii de Macchabæorum libertate post Antiochi Epiphanis persecutionem: sed plerique [2] tenent, respicere Judaicum populum de Babylonis captivitate liberatum, atque in sublimiori sensu, Christianum populum de peccato, & de morte a JESU CHRISTO redemptum [3], quam sententiam in Psalmi explicatione sequemur. Ejusdem ferme styli est ac Psalmus LXVI. & videtur cani consuevisse, dum primitiæ in Templum inferebantur. Vide ℣℣. 1. & 13.

1. BEnedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob. 2 Remisi-
sti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum. 3 Mitigasti o-
mnem iram tuam; avertisti ab ira indignationis tuæ. 4 Converte nos,
Deus salutaris noster, & averte iram tuam a nobis. 5 Numquid in æternum ira-
sceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem? 6 Deus,
tu conversus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. 7 Ostende nobis,
Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. 8 Audiam, quid lo-
quatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam. 9 Et su-
per Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor. 10 Verumtamen prope
timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra. 11 Misericor-
dia, & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax osculatæ sunt. 12 Veritas de
terra orta est, & justitia de cœlo prospexit. 13 Etenim Dominus dabit beni-
gnitatem, & terra nostra dabit fructum suum. 14 Justitia ante eum ambulabit, &
ponet in via gressus suos.

℣. 1. BENEDIXISTI, DOMINE, TERRAM TUAM, AVERTISTI CAPTIVITATEM JACOB.] Tandem aliquando misertus es, Domine, populi tui, & vota illius exaudisti. Judæa, quam olim tanto amore prosequebaris, & quam mox cum horrore, tamquam terram incolarum suorum flagitiis pollutam rejecisti, iterum invenit gratiam in oculis tuis. Hebraica vox [4], quam Vulgata reddidit, *benedixisti*, proprie significat, acceptum habere, cum voluptate respicere, fœcunditatem impertiri; terra Juda tandem exculta est, formosa, & fertilis, ut antea.

℣. 2. REMISISTI INIQUITATEM PLEBIS TUÆ.] Nostra peccata in omnes has calamitates nos præcipites dederant: tu vero incœpisti, efficiendo, ut illa expiaremus, & mox nobis ea remittendo, ac denique nobis gratiam tuam, libertatemque tribuisti.

℣. 3. MITIGASTI OMNEM IRAM TUAM.] Hebr. [5] *Continuisti*, repressisti, coercuisti, *omnem iram tuam*. Nobis pepercisti, neque in nos animadvertisti, quemadmodum scelera nostra merebantur. Nos tamquam benevolus pater, non severus Judex, excepisti.

℣. 4. CONVERTE NOS, DEUS, SALUTARIS NOSTER, & AVERTE IRAM TUAM A NOBIS.] Post beneficium, quod nobis contulisti, Domine, nos de captivitate Babylonica educens, quid reliquum nobis, quod a te petamus, nisi ut natio universa congregetur, A ac tot Israelitæ in diversas terrarum plagas dissipati in patriam terram redeant? Pauci illi, qui hodie adsunt, vix centesima pars est populi tui; perfice, Domine, opus tuum; reduc omnes oves ad caulas tuas; tunc tandem perfectum erit gaudium nostrum, cum nos simul iterum coaluisse videbimus, sub uno tantum Capite, atque in una, eademque Religione. Ex historia liquet, Cyro imperante, exiguum sane Judæorum numerum cum Zorobabel in Judæam rediisse. Esdras, & Nehemias alios aliquot deinde reduxerunt, sed numerus toto cœlo major adhuc remanserat in Babylonia, in Media, Assyria, Ægypto, aliisque Mundi regionibus.

Vota filiorum Core a Deo petentium completum universæ Nationis suæ reditum, paulatim adimpleta B fuere, præsertim vero sub Dario Hystaspis filio, & sub Alexandro Magno. Ezechieli præfigemus Dissertationem de decem Tribuum reditu. Reditus de captivitate figura erat Redemptionis generis humani. JESUS CHRISTUS dumtaxat plene hanc explevit prophetiam perfecta Nationum omnium ad cultum suum conversione, earum ad veram ipsarum patriam reditu, & vera libertate, in quam eas vindicavit. S. Hieronymus hic vertit: *Converte nos, Deus Jesu noster*; retinere voluit Hebraicam vocem *Jesua* [6], quæ Salvatorem significat. S. Augustinus legit: *Deus sanitatum nostrarum*; quod conforme est Septuaginta [7].

℣. 5. NUM-

1 Grotius hic. 2 Theodoret. Athanas. Heracleot. Muis, Moll. Bossuet. du Pin, alii.
3 Vide Euseb. August. Hieron. Athanas. alios confer. Isai. 61. 1. & Luc. 4. 18.
4 רצית יהוה ארצך Vide Hieronym. ad Sun. & Fretell. 5 אספת כל עברתך
6 שובנו אלהי ישענו 7 Ἐπίστρεψον ἡμᾶς ὁ Θεὸς σωτηρίων ἡμῶν.

℣. 5. Numquid in æternum irasceris nobis?] Donec ad unguem adimpleta non intuebimur promissa tua, credere non poterimus, iram tuam nequaquam penitus esse placatam. Itaque, Domine, redde nobis fratres nostros, & reprime improbam voluntatem finitimorum nostrorum, Samaritanorum, Ammonitarum, aliorumque, qui nobis Templi tui instaurationem præpediunt. Verbo, mitte ad nos, Domine, liberatorem illum cœlestem, cujus desiderio tandiu tenemur. Antiqua Psalteria [1] simpliciter legunt sine interrogatione: *non in æternum irascaris nobis*; sed Hebræus adfert interrogationem.

℣. 6. Deus tu conversus vivificabis nos.] Prophetæ sæpius captivitatem, servitutem, exilium, ægritudinem, mortis nomine, & ab his malis liberationem, nomine vitæ designant. Integram nobis restitues libertatem, Deus, & educes nos quodammodo de statu mortis, ubi eramus, ut nos ad felicem vitam evoces. Hoc perfecte adimpletum est dumtaxat per eam, quam nobis J. C. procuravit, salutem; ipse nobis veram vitam donavit, vere victor mortis, & Auctor vitæ, ac immortalitatis. Hebræus [2]: *Non reverteris, ut nobis vitam tribuas?* Numquam ne ad nos tuam faciem convertes? numquam nos benigno intuitu dignaberis, neque nos de morte, ac sepulchro educes? Antiqua Psalteria [3]: *Deus tu conversus vivificabis nos*, Nos convertes, nobisque vitam tribues.

℣. 7. Salutare tuum da nobis.] Nobis tuum tribue auxilium, mitte ad nos Christum tuum, Salvatorem, ac Liberatorem nostrum. Sunt [4], qui hoc de Cyro intelligunt, qui eos de captivitate educturus erat. Sed ipsos jam eductos fuisse supponimus; ideoque Messiam tantummodo præstolabantur, cujus tempus jam accedere non ambigebant; nihil aliud petebant, quam Divinæ erga ipsos misericordiæ continuationem.

℣. 8. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.] Quorsum solicitæ hæ preces, ac vota? Num dubitandi mihi locus est de divina erga populum suum misericordia, vel de illius erga nos protectione, vel ad exequendas promissiones suas potestate? Cur ne audiam interiorem illius vocem, qui pacis dumtaxat, & consolationis verba pronunciat? Auctor Psalmi se quodammodo corrigit, atque suam impatientiam, animique ardorem condemnat; cur non præstolamur in pace, donec Domini promissa impleantur; cur præoccupare volumus momenta in æternis illius decretis constituta?

Quid loquatur in me.] Quid intra me, vel simpliciter, quid mihi dicat [5]. Hebræus [6], & antiquæ Versiones Græcæ: *Audiam, quid loquatur Dominus*, at illud *in me* deest. Audiam, quid Dominus dicit, quoniam ille pacem annuntiabit &c. Æternam ipse nobis ab hostibus nostris pacem, prosperitatem, atque felicitatem æternum duraturam pollicetur; hoc autem promittit populo suo, Sanctis, iis, qui sinceram agunt pœnitentiam: *Et super Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor.*

Cum J. C. venit in Mundum, pacem per Angelos suos annuntiari voluit, verum illam annuntiavit populo suo, fidelibus suis, hominibus bonæ voluntatis, illis, qui a Deo amantur, & qui recto sunt corde [7]. Non ideo tamen dixeris, pro omnibus non venisse, neque omnibus pacem attulisse; sed non omnes eam acceperunt: lux resplenduit in tenebris, sed tenebræ eam non comprehenderunt Joan. 1. 5. J. C. est lumen illuminans omnem hominem, qui est in mundo; ipse est

A pax nostra [8]. Auctor reconciliationis Mundi cum Patre suo [9], Deus pacis, & charitatis [10]. Quamquam gratia, quam subscripsit Cyrus Judæis in patriam revertendi esset generalis, pauci tamen illico ea usi sunt. Boni Israelitæ, illi, qui se integros ab omni labe servaverant in medio Babylonicæ corruptionis, & qui fideliter doctrinæ, & Religionis depositum custodierant [11], boni Sacerdotes, ac Levitæ, fideles animæ summa cum voluptate arripuerunt hanc reditus occasionem, cujus cupiditate jamdudum flagraverant.

Verum qui per summum dedecus Religionem abdicarant, atque Chaldæorum nequissimis superstitionibus fuerant initiati, qui sedem sibi posuerant in alienis terris, flocci facientes patrias terras, Leges, ac
B Religionem, quæ in Judæa solum perfecte poterat observari, hi omnes uti renuerunt ea libertate, qua a Cyro donabantur. Pax, de qua hic loquitur Propheta, illis non prodest. Hebr. [12] *loquetur pacem pro populo suo, pro Sanctis suis, & pro illis, qui non redeunt ad insaniam*, ad idololatriam, ad scelera. Septuaginta [13]: *Pro illis, qui corda sua ad ipsum convertunt*. Antiqua Psalteria discrepant inter se. Alia habent: *qui convertuntur ad ipsum*. S. Augustinus; *qui convertuntur ad cor, ad ipsum*. Ego vero Hebræum omnino simpliciter ita reddere mallem [14]: *Erga Sanctos suos, & erga eos, qui convertuntur.*

℣. 10. Ut inhabitet gloria in terra nostra.] Dominus salvabit servos, & amicos suos, ex omni periculo eruet eos, ac contra inimicos eorum illos
C proteget, atque gloria, & felicitate cumulabit. Regio nostra felix erit, ac florens, ut olim. Hoc adimpletum est, non tamen adeo cito, post reditum de Babylone. Ea verum præcipua fuit Judææ, atque Hebraicæ nationis gloria, novissimis Reipublicæ illius temporibus, quod scilicet illi contigit optata felicitas videndi, audiendique J. C. gloriam, doctrinam, & miracula ipsius. Aggæus Propheta 2. 8. 10. loquens de secundo Templo post reditum de captivitate Babylonica ædificatum; ait, ipsum præ Salomonico longe magis magnificum, gloriosumque fore. Verum in quonam peculiaris hæc gloria posita erat? in hoc procul dubio, quod Jesu Christi præsentia decoratum fuit, qui Patris gloria, & Gentium desiderium vocatur Joan. 1. 14.

D ℣. 11. Misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt.] Hæc erit regionis nostræ felicitas, cum Domino placuerit super eam suas benedictiones effundere. Ibi regnabit veritas, fidelitas, recta fides, æquitas, rectitudo, eamque comitabitur misericordia, atque clemens erga alios ultro citroque benevolentia; populus justitiam exercebit, & pace fruetur; vivet in innocentia, & Deus illum favoribus cumulabit. Confer Isai 56. 1. 5. 8. 7. 8. Zachar. 8 12. 16.

In J. C. Ecclesia præsertim ea, quæ hactenus diximus, ad unguem adimpleta sunt. In ea florere visa est veritas, æquitas, misericordia, justitia, & pax; Judæi, & Gentiles Ecclesiæ ejusdem ritibus initiati,
E has virtutes exercuere, & apertissimos misericordiæ, clementiæ, justitiæ, & veritatis Dei in se effectus experti sunt. Pro *osculatæ sunt*, antiqua Psalteria legunt *amplexæ sunt*; alludit ad amicorum consuetudinem, qui cum obvii occurrunt, in mutuos amplexus ruunt.

℣. 12. Veritas de terra orta est, & justitia de Coelo prospexit.] Veritas, & Justitia ubique terrarum florebunt; in regione vero nostra dominamina-

1 August. Psalter. Rom. S. Germ. Mediol. &c. *Non in æternum irascaris nobis.*
2 הלא אתה תשוב תחינו
3 August. Psalter. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut.
4 Theodoret. Athanas.
5 Confer Zach. 1. 9. 13. 14. 19. *Angelus qui loquebatur in me.* Item, cap. 11. 3. 4. 5. 4. 5. 5. 5. 10. 6. 4.
6 אשמעה מה ידבר אל
7 Luc. 2. 4.
8 Ephes. 22. 14. *Ipse enim est pax nostra.*
9 Rom. 5. 10. 11. & 2. Cor. 18. 19.
10 Rom. 15. 33. 16. 20. 1. Cor. 14. 33. Philip. 4. 9. & passim.
11 1. Esdr. 6. 21.
12 ידבר שלום לעמו ואל חסידיו ואל ישובו לכסלה
13 70. Ἐπὶ τοὺς ἐπιστρέφοντας καρδίαν ἐπ' αὐτόν.
14 Lego אל חסידיו ואל ישובי לב : סלה Hoc postremum vocabulum non est versiculi, sed simplex pausa. Vide quæ alibi diximus de *selah*.

minabuntur; altera quidem de terra egredietur, de cœlo altera descendet. Justitia decidet, veluti pluvia, & veritas germinabit sicuti gramen super terram. Nihil æque vulgatum erit, ac viros intueri in verbis suis sinceros, in moribus suis justos. Cum J. C. in mundo apparuit, prodiit velut germen de sinu terræ, ac veluti merum cœlorum donum germinavit; egressus est de sinu Patris, & de virginali Mariæ sinu ortus. Maria est, tamquam terra virgo, quæ gignit fructum sine ullo turpi cum homine consortio. Vide Hieronymum hic, Lyranum, & alios passim.

℣. 13. DOMINUS DABIT BENIGNITATEM, & TERRA NOSTRA DABIT FRUCTUM SUUM.] Effundet Dominus benedictionem suam super Judæam, & hæc regio fertilis erit, ut olim, secundum promissiones Prophetarum. Commode satis in præteritum tempus reddi potest, & haberi veluti gratiarum actio ob fructus, quos Dominus eo anno large, effuseque donaverat. Nos tua benignitate replesti, terra nostra protulit fructus suos in affluentia. Confer ℣. 1. & Psalmum 66. 5. Psalmus hic fortasse Paschatis, vel Pentecostes solemnitate recinebatur, cum primitiæ offerrentur; vel festivitate Tabernaculorum, post peractam messem, atque vindemiam.

Si Maria fuit tamquam fœcunda terra, & semper A pura, & virgo, quæ Salvatorem protulit; terra quoque nostra, cor nostrum, nos ipsi, nos quoque in sensu quodam J. C. parere in animabus nostris debemus: ejus graphidem moribus, actibusque nostris exprimere [1], illum per amorem concipere, & gignere per imitationem.

℣. 14. JUSTITIA ANTE EUM AMBULABIT, & PONET IN VIA GRESSUS SUOS.] Cum Dominus in terris apparebit, atque in nostram regionem adveniet, justitia, tamquam præcursor, illum præcedet. Tunc apparebit dumtaxat, cum miserit populum justum, ac fidelem, ex eo improbos, impiosque exterminabit antequam in eo sedem sibi constituat. Sunt [2], qui justitiæ nomine, intelligant S. Joannem Baptistam, virum illum justum, ac perfectum, qui venit, ut Domi- B no vias præpararet, & qui ante illum præcucurrit. Symmachus, aliique Interpretes vertunt [3]: *Sua quemlibet justitia præcedet, & deducet*. Ad litteram: cujusque justitia ante ipsum ambulabit, & ponet pedes ejus in via. Prophetæ de eo tempore, quod captivitatem subsecutum est, loquuntur tamquam de tempore, quo justitia, atque Religio dominabantur. Si ad Cœlum pervenire vis, tua te præcedat, tibique dux sit, opus est, justitia.

1 Hieronym. hic. *Quod semel natum est ex Maria, quotidie & in nobis nascitur .... & nos possumus parere Christum, si volumus.* 2 Lyr. Muis. 3 Δικαιοσύνη ἐνώπιον προελεύσεται αὐτοῦ, & θήσει εἰς ὁδὸν τὰ βήματα αὐτοῦ. Hebr. צדק לפניו יהלך וישם לדרך פעמיו

PSALMUS LXXXV.

Oratio Justi in tribulatione; Deus unus vere magnus est, & miraculorum operator. Omnes gentes magnitudinem illius confitebuntur.

Oratio ipsi David.

ARGUMENTUM.

Qui Psalmi hujus titulo mordicus adhærent, credunt a Davide fuisse compositum tempore vel persecutionum Saul [1], vel defectionis Absalon [2]. Alii putant, hunc ad Ezechiæ tempus [3], & ad injustum bellum illi a Sennacherib illatum pertinere: cujus sententiæ hæc ferme sunt argumenta. Primum est, quod afflictus Princeps a Deo propitium auxilii ejus signum petit ℣. 17. quod congruit iis, quæ Isaias Ezechiæ promiserat, se illi proximæ liberationis signum esse daturum [4]. Alterum est, quod ipse Deo futurum inquit, ut gentes omnes illius nomen confiteantur, si preces ipsius exaudiverit, eumque liberaverit ℣. 9. quod conforme est verbis illis ex quarto Regum, ubi Ezechias ait Domino 4. Reg. 19. 29. *Nunc igitur, Domine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus; ut sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus.*

Verum si hunc eum superioribus, ac sequentibus Psalmis, qui nomine filiorum Core inscribuntur, conferimus, aliis nequaquam attribuendum esse censemus. Idem ibi deprehenditur spiritus, stylus idem, eædem querimoniæ, eadem votorum solicitudo, ut de captivitate liberati in Sanctam Civitatem revertantur. Auctor a Domino nova protectionis ejus signa petit, ac recentia certitudinis promissionum illius pignora. Ait futurum, ut alienigenæ populi undique confluant, ut suas illi in Templum gratiarum actiones afferant, omniaque illi venerationis exhibeant officia, quod adimpletum est in Gentilium ad J. C. fidem vocatione, & quod frequenter adeo in Psalmis, atque in Prophetis prædictum est, tamquam post reditum de captivitate futurum [5].

S. Augustinus id explicat de J. C. qui ad Passionem suam accedens, Dei auxilium petit, suamque Resurrectionem, & Gentilium vocationem prædicit.

1. INclina, Domine, aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego. 2 Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. 3 Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi. 4 Quoniam tu, Domine, suavis, & mitis, & multæ misericordiæ

1 Kimchi, Muis, Bossuet, Moller. 2 Ferrand.
3 Theodor. Theodoret. Heraclæot. Græc. Interp. apud Corder. Beda.
4 4. Reg. 19. 29. *Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum; comede hoc anno, quæ reperreris, &c.*
5 Psalm. 46. 2. 3. & seq. 95. 3. 7. 10. 17. 2. 101. 16. 134. 1. &c.

cordiæ omnibus invocantibus te. 5 Auribus percipe, Domine, orationem meam,
& intende voci deprecationis meæ. 6 In die tribulationis meæ clamavi ad te:
quia exaudisti me. 7 Non est similis tui in diis, Domine, & non secundum o-
pera tua. 8 Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te,
Domine, & glorificabunt nomen tuum. 9 Quoniam magnus es tu, & faciens
mirabilia: tu es Deus solus. 10 Deduc me, Domine, in via tua, & ingrediar in
veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. 11 Confitebor tibi, Do-
mine Deus meus, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. 12
Quia misericordia tua magna est super me; & eruisti animam meam ex inferno infe-
riori. 13 Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt
animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo. 14 Et tu, Domine Deus,
miserator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax. 15 Respi-
ce in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo, & salvum fac filium an-
cillæ tuæ. 16 Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & con-
fundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me, & consolatus es me.

℣. 1. INCLINA, DOMINE, AUREM TUAM, & EXAUDI ME, QUONIAM INOPS &c.] Melior ad orationem dispositio est paupertatis, egestatisque propriæ cognitio, quæ in petendo & fervorem ciet, & humilitatem. Qui se non putat indigere, & qui suam non sentit paupertatem, vel non orat, vel orat negligenter. Psalmi Auctor se coram Deo reputat, velut pauperem rebus omnibus carentem. Vocem extollere non audet, immo nec stare potest coram ipso, sed Dominum obtestatur, ut ad ipsum suas aures demittat. Similis est ægroto, malis omnibus obruto, atque adeo macie confecto, infirmatoque, ut non nisi ægre vox illius possit audiri. Hebræus verti potest [1]: *exaudi me quoniam mitis sum*, humilis, afflictus, *& inops*. (A)

℣. 2. CUSTODI ANIMAM MEAM, QUONIAM SANCTUS SUM.] Vitam mihi serva, de medio inimicorum meorum libera me, tuus enim peculiari nomine sum, quippe Levita, ac Templi tui Minister. Ego sanctus sum, ac tuo ministerio dicatus. Psalmum hunc filiis Core tribuimus. Syrus, Arabs, & Psalterium Mediolanense habent: *Custodi animam meam, quoniam bonus es*, vel sanctus. (B)

℣. 3. QUONIAM AD TE CLAMAVI TOTA DIE.] Vel cum Symmacho [2]: *quoniam ad te clamo tota die*. Non præterit dies, qua non clamem ad te, Deus: mea saltem constantia, perseverantia mea, vel si mavis, importunitas mea moveant te, atque ad miserendum mei disponat. Nemo nescit parabolam viduæ importunæ in Evangelio Lucæ 18. 2. Vult Deus perseveranter, & cum quadam importunitatis specie rogari; quædam *est vis grata*, ait Tertullianus Apolog. c. 39. hæc vero ea est, quæ fit orando. (C)

AD TE ANIMAM MEAM LEVAVI.] In te omnem spem meam collocavi, te unum respicio, tu unicus es votorum meorum, ac desideriorum finis: *Levare animam suam* ad aliquid, illud ardenti amore desiderare, in illius cogitatione jugiter versari, significat. Exempli gratia, Moyses Deut. 24. 15. vult, mercenario debitam mercedem solvi eadem die, qua illam lucratus est, *quoniam*, ait ille, *elevat animam suam ad illam*. Anima, & vita ejus ex illa pendent; non aliam habet ad victum sibi comparandum viam, quam manuum suarum laborem. Et Jeremias 22. 27. ait, Judæos non reversuros in patriam suam, *in terram illam ad quam elevant manus suas*, quam adeo ardenter exoptant. Levita, dum Psalmum hunc elucubratur, ait, se cupere summo cum animi ardore exoptare reditum suum in patriam, atque exercitationem ministerii sui in Templo Dei. (D)

℣. 4. QUONIAM TU, DOMINE, SUAVIS, & MITIS.] Non rejicies humiles pauperum, & afflictorum preces. Hebr. [3] *Tu, Domine, bonus es, & clemens*; vel pronus ad veniam.

℣. 6. CLAMAVI AD TE, QUIA EXAUDISTI ME.] Toties misericordiæ tuæ effectum expertus sum; ut summa fretus spe ad te confugiam; vel futuro tempore [4]: *Invocabo te, quoniam exaudies me*. Mihi persuasum est, te non abjecturum humiles preces meas; vel, audacter clamo, haud nescius, te nequaquam esse falsis illis numinibus similem, qui aures habent, & non audiunt.

℣. 7. NON EST SIMILIS TUI IN DIIS, DOMINE, & NON EST SECUNDUM OPERA TUA.] Nemo est similis tibi ex omnibus Prophetis [5], Angelis, Principibus, Astris [6], Idolis; ac ut verbo me expediam, ex iis omnibus, quibus homines seu per errorem, seu aliter Deorum nomina tribuerunt, nemo producere potest eos effectus, neque ea efficere mirabilia, quæ tu operaris; ad quem igitur, Domine, ibimus, ad quem in his calamitosis temporibus confugiemus? Quis nobis opem ferre, qui nos liberare poterit, præter te?

℣. 8. OMNES GENTES, QUASCUMQUE FECISTI, VENIENT, &c.] Patres, ac Interpretes illhic deprehendunt prophetiam satis explicitam vocationis, & conversionis Gentilium ad J. C. fidem. Infideles nationes distinctius Dominum incœperunt agnoscere post Babylonis captivitatem; sed harum promissionum effectus nonnisi post Evangelii prædicationem omnino adimpletus est.

℣. 9. TU ES DEUS SOLUS.] Septuaginta [7]. S. Augustinus, Æthiopica Versio, & Arabica, atque nonnulla antiqua Psalteria: *Tu es solus Deus magnus*.

℣. 10. DEDUC ME, DOMINE, IN VIA TUA, & INGREDIAR IN VERITATE TUA.] Fac, Domine, ut agnoscam vias tuas, & veritatem tuam; detege mihi sapientissimæ, atque incomprehensibilis Providentiæ tuæ mysteria, ut summo timore, ac reverentia admirer vias tuas, & tua intelligam consilia. Homines ipsi, qui majori præstant vitæ sanctitate, & virtute, Deo has effundere preces debent in medio eorum omnium, quæ sub oculis eorum in mundo contingunt. Ibi enim nefarios homines honore, & prosperitate frui vident, dum interim virtus squalet, & jacet, atque intuentur Justum malis, atque egestate obrutum, impium vero bonis, quibus abutitur, cumulatum. Quid his in occasionibus dicere potest Sapiens, nisi Deum obsecrare, ut illum in Sanctuarium suum admittat [8], eique detegat viarum suarum æquitatem, & suæ Pro-

1 כי עני ואביון אני 2 כי אלוך אקרא כל היום Symmach. Καθ' ἑκάστην ἡμέραν.
3 כי אתה ארני טוב וסלח Aquil. & Theodot. Ἱλαστής. Symmach. Ἀφετής, vel ἀφίων. *Dimittens*.
4 Aquil. apud Euseb. Ἐπικαλέσομαί σε, ὅτι εἰσακούσῃ μου אקראך כי תענני 5 Theodoret. Athanas.
6 Kimchi. 7 70. Edit. Rom. Σὺ εἶ ὁ Θεὸς μόνος ὁ μέγας.
8 Psal. 72. 17. *Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum*.

Providentiæ justitiam, ne istiiinc scandali occasionem A arripiat?

Aliter: Doce me, Domine, quænam sint viæ tuæ, ut eas sequar; ostende mihi iter, in quo ambulem; ne permittas, ne latum quidem unguem a Legibus, Præceptisque tuis secedere; edoce me sanctas veritates tuas, ut eas jugiter mediter, iis replear, easque fideliter exerceam.

LÆTETUR COR MEUM, UT TIMEAT NOMEN TUUM.] Da mihi, Domine, lætitiam, quam timor tuus regat, & moderetur; interiori gaudio me reple, quod in vitæ hujus ærumnis me consoletur, atque sustineat; sed ne faxis, ut incautus post inania ea abeam gaudia, quibus se ingurgitant, te non timentes. Lætitiam, quam flagito, impii non norunt; *Non est pax impiis* [1], neque in sæculi deliciis, atque in sensuum voluptati- B bus invenitur; sed posita est in pace cordis, in sanctarum legum tuarum exercitatione, in filiali nominis tui timore. Hebræus, qui extat hodie textus [2]: *Uni cor meum, ut timeat nomen tuum*. Tibi connecte cor meum vinculis amoris tui, ut tibi semper adhæream. Verti quoque potest præcedentibus ita subnectendo: *Doce me viam tuam, ambulabo in veritate tua*. Erudi *quoque cor meum, ut timeat Nomen tuum*. Aquila [3], & S. Hieronymus: *Unicum fac cor meum*, solitarium, a quavis alia expeditum cura, ut timeat nomen tuum.

℣. 12. ERUISTI ANIMAM MEAM EX INFERNO INFERIORI.] Ego quodammodo factus eram, ut mortuus, in hac tenebrarum terra, & in hoc miserabili exilio; tu me resuscitasti, meque de mortis manu eripuisti, de ingratissimo hoc statu me educens. Locutiones hæ fa- C miliares sunt in sanctis Libris, præsertim vero in Psalmis, atque Prophetis [4], ad innuendum reditum de captivitate, & a magno quopiam periculo liberationem. Psalmista loquitur tamquam jam extra captivitatem. Genebrardus hic adnotat, Rabbinos septemplicem agnoscere infernum; nostri vero Theologi quadruplicem tantum enumerant. 1. Damnatorum infernum. 2. Abrahæ sinum, ubi ante J. C. adventum erant Patriarchæ; 3. Purgatorium, ubi eorum adsunt animæ, quibus aliqua peccata venialia expianda supersunt. 4. Limbum, ubi nonnulli collocant infantes sine baptismate denatos. S. Augustinus, & Cassiodorus duplicem tantummodo hoc in loco admittunt infernum; illud scilicet, ubi erat dives improbus, & sinus Abrahæ, ubi Lazarus quiescebat [5]; his addendum est D Purgatorium, de quo S. Augustinus non semel, neque perplexe locutus est [6].

℣. 13. DEUS INIQUI INSURREXERUNT SUPER ME &c.] Per summum nefas Babylonii me oppresserunt. Hebr. [7] *Domine superbi insurrexerunt in me, & conventus violentorum*, impiorum robustorum *quæsivit animam meam*; vitæ meæ insidiatur; expositi sumus iis omnibus malis, quæ nequitia, injustitia, violentia Chaldæorum possit excogitare. In medio infestissimi populi nulla fulcimur spe, nullo præsidio.

℣. 15. DA IMPERIUM TUUM PUERO TUO; & SALVUM FAC FILIUM ANCILLÆ TUÆ.] Redde, Domine, domui David servi tui, Regnum, quod pollicitus es & illi, & posteritati illius. Ne permittas, promissiones tuas effectu carere. Aliter; da mandata tua sancto tuo; præcipe mihi, quodcumque voles, tuæ voluntati semper paratus ero, atque obediens; & quemadmodum me inter tuos adnumerare dignatus es, ita a te libertatem meam, tuumque auxilium audeo efflagitare [8]. Hebr. [9] *Da virtutem tuam servo tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ*. Multiplici nomine tuus sum, Domine; servus, famulusque tuus sum, eo quod me tibi devovi, & quod ita fert animi mei studium, tuus sum propter Leviticam dignitatem, & sum etiam propter nativitatem meam, & quod mater mea tua est; sum tuus verna [10]: itaque, si tibi lubet, indue me virtute ac fortitudine in medio tot malorum, & fac ut effulgeat potentia tua, me de hac captivitate educendo. Confer Psalmum 43. 5.

℣. 16. FAC MECUM SIGNUM IN BONUM, UT VIDEANT, QUI ODERUNT ME, & CONFUNDANTUR.] Aliquod nobis clementiæ tuæ signum evidens, ac sensibile tribue, pro nobis insigne aliquod, & illustre prodigium operare, ut noscant Babylonii, in Cœlis Deum esse, qui odit violentiam, & punit injustitiam. Inimici nostri nos a te omnino derelictos putant; ideoque nos contemnunt, ac ferociter intumescunt. Sed intelligunt tandem, nos tuos esse, neque a te rejectos fuisse. S. Athanasius ait, Psalmistam petere, ut Deus ipsi inurat signum illi simile, quod in Hebræorum januis describi jusserat, ne exterminator Angelus primogenitos eorum deleret [11]. Posset quoque fortasse credi, allusionem fieri ad eam consuetudinem, servis quosdam characteres inurendi, ex quibus, cujus essent, intelligebatur. ℣. 15. *Salvum fac filium ancillæ tuæ*; (16.) *Fac mecum signum in bonum*, non autem turpes notas, veluti fugitivo servo inuras, sed Nomen tuum, vel aliud quodpiam honorificum stigma, veluti servo, qui tuus est, & quem tu protegis.

1 Isai. 48. 22. 2 יחד לבבי ליראה שמך Symmach. Ἕνωσον τὴν καρδίαν μου εἰς φόβον τοῦ ὀνόματός σου. 3 Aquil. Μονάχωσον τὴν καρδίαν μου τοῦ φοβεῖσθαι τὸ ὄνομά σου. S. Hieronym. *Unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum*. 4 Psalm. 29. 4. 77. 4. 93. 17. Isai. 38. 10. 18. &c. 5 Luc. 16. 22. & seq. 6 Vide August. de Genes. contra Manich. l. 2. c. 17. & in Psal. 6. & 37. & alibi. 7 אלהים זדים קמו עלי ועדת עריצים בקשו נפשי Alii ὑπερήφανοι זרים Aquil. Συναγωγὴ κατισχυ-ρισμένων. Symmach Συναγωγὴ ἀνυποτάκτων. 8 Theodoret. 9 תנה עזך לעבדך והושיע לבן אמתך Symmach. Δὸς ἰσχύν παρὰ σε τῷ δούλῳ σου. 10 Confer. Psalm. 115. 16. 11 Exod. 12. 22. 23.

PSALMUS LXXXVI.

Elogium civitatis Jerusalem, & sub illius nomine Civitatis Dei, Ecclesiæ Jesu Christi, in qua omnes terrarum populi in una, eademque fide congregati sunt.

Filiis Core, Psalmus Cantici.

ARGUMENTUM.

Rabbini, quibus nonnulli Interpretes adhærent [1], Psalmi hujus titulum primo versiculo ita adnectunt: *Psalmus filiorum Core*; vel *Canticum, cujus fundamentum est in montibus sanctis*, hoc est, cujus argumentum

1 Muis, Moller, Ham. Mari. Genebr. alii.

tum respicit montes Moria, & Sion, super quos civitas, ac Templum Jerusalem ædificatum est. Pronomen *ejus* masculini est generis in Hebraico textu [1]; & ideo neque ad *Sion*; neque ad *Jerusalem* potest referri. Sed alii Interpretes [2] tenent, verba illa, *fundamenta ejus in montibus sanctis*, nullum habere nexum cum titulo, & *ejus* referri vel ad *Sion*, quod sequitur immediate, vel ad *Jerusalem*, vel ad Templum, quæ subintelliguntur; & addunt, Civitatum quidem nomina plerumque cum pronominibus, vel appositis fœminini generis inveniri; verum hoc non esso generale, & plurima inveniri in Hebraico textu irregularium harum constructionum exempla. Certum est, Antiquis hanc Rabbinicam subtilitatem nequaquam fuisse exploratam, & *fundamenta* nullibi inveniri ad Psalmi, vel Cantici alicujus argumentum significandum.

Christianis Interpretibus persuasum est, psalmum hunc continere defcriprionem mysticæ Jerusalem, hoc est, Ecclesiæ J. C. atque apertissimam amplecti vocationis Gentilium Prophetiam. Eusebius ad ℣. 1. asserit etiam, impium fore, hoc ad litteram de terrestri Jerusalem intelligere. Agitur autem dumtaxat, ut quænam psalmi hujus occasio, & quinam Auctor fuerit, aperiatur. Ex antiquis nonnulli [3] crediderunt, hunc Ezechiæ ævo post deletum Sennacherib, & Assyriorum exercitum fuisse compositum. Putant [4] alii, hunc a Davide fuisse compositum, cum postquam Arca in Jerusalem translata fuit, civitas hæc facta est, veluti Religionis, ac Dominici cultus sedes. Nobis persuasum est, ipsum respicere reditum de Captivitate; & a filiis Core conscriptum fuisse, vel paulo antequam de captivitate egrederentur, vel cum nuper Jerusalem pervenissent. Civitatis hujus laudes contexunt, primo, quod eam Dominus elegit: secundo, quod eam condidit; tertio ex magna civium ejus frequentia; quarto, ex mirabili concurrentium multitudine, quæ illic sedem suam est positura, & quinto denique ex incolentium illam felicitate, voluptate, & gaudio.

Nomina *Babylonis*, & *Rahab*, quod Ægyptum significat, satis probant, psalmum hunc non esse Davidici temporis: Videre advenas Ægyptios, Babylonios, Philisthinos, Tyrios, Æthiopes in Jerusalem sedem suam transferentes, hæc quoque prærogativa est, de qua civitas illa ante captivitatem minime gloriabatur: imo sibi tunc gloriæ vertebat, quod nullos exciperet advenas, & se ab omni alienigenarum immixtione mundam servaret. Sed post reditum de captivitate, Prophetæ de alio quopiam vix loquuntur, nisi de innumerabili Gentilium populorum numero, qui confluere debebant, Dominum in Templo illius adoraturi. *Et erit in novissimis diebus* (ait Isaias 2. 2. 3.) *præparatus mons Domus Domini in vertice montium, & elevabitur super omnes colles, & fluent ad Deum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacob*. Et Zacharias 8. 20. & sequ. *Usquequo veniant populi, & habitent in civitatibus multis: & vadant habitatores, unus ad alterum dicentes; Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum: vadam etiam ego. Et venient populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, & deprecandam faciem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum: in diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: ibimus vobiscum; audivimus enim, quoniam Deus vobiscum est*.

Prophetæ iidem [5] passim nobis exhibent novam Jerusalem, quæ post reditum de Babylonica servitute erat ædificanda, veluti urbium omnium pulcherrimam, magnificentissimam, locupletissimam, & maximam; magnificisque locutionibus illius ornamenta describunt, & semper loquuntur de populis alienigenis, qui illuc confluere debebant. Sin autem in Historia nusquam ad litteram, & pressius adimpletas fuisse has promissiones juxta earum extensionem liquet, alio sane spectasse Spiritus Sanctus dicendus est, aliamque nobis urbem Jerusalem delineasse, videlicet J. C. Ecclesiam [6], & vocationem Gentilium ad lucem Evangelii. Huic insistimus vix in Psalmi hujus, qui sane difficilis est, explicatione.

Pater Martianæus in Harmonia Analyt. p. *166* §. *3*. credidit, psalmum hunc nihil aliud fuisse, quam aliquod longioris psalmi fragmentum, atque addi posse ad calcem Psalmi 47. qui incipit: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, &c. & desinit; *Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula*. Sed Psalmus ille septimus supra quadragesimum, omnino absolutus videtur, neque uspiam sensus ibi suspensus est, sed a capite ad pedes semper ex æquo sibi constat: & si illi Psalmus 86. subnectatur, vereor, ne hoc additamentum superfluum, atque importunum videatur. Præterea licet concederetur, quod haud ægre quidem faterer, psalmum hunc 86. majoris alicujus esse partem; crederem potius, partem priorem penitus intercidisse, & eum, qui psalmos collegit, eam invenire minime potuisse; si enim eam præ manibus habuisset, quorsum eam seorsim tradidisset? Quanto facilius erat illi deprehendere, ad quem alium psalmum fragmentum hoc pertineret?

Denique minime necessum est ad hanc solutionem confugere: Psalmus hic incipit *ex abrupto*, non secus ac plurima egregia carmina apud notæ melioris Auctores. Psalmista paululum dumtaxat suspensum lectorem suum relinquit: *Fundamenta illius sunt immobilia: Sion fundata est in montibus Sanctis, diligit Dominus portas illustris adeo civitatis super alias omnes regionis hujus civitates*. Grammatici, ac Interpietes [7] docent, usurpari nonnumquam pronomina *ille*, *is*, *suus*, *ipse* &c. quin nomen, ad quod referuntur, exprimatur, tunc præsertim, cum ex sermonis decursu, & rerum contextu Lectori statim pateat factum, ne erret.

En porro tibi totius Psalmi versionem juxta Hebraicum textum concinnatam: *(1) Fundamenta ejus constituta sunt super montes sanctos (2) Dominus diligit Sion præ omnibus habitationibus Jacob (3) Quam gloriosa encomia tibi tribuuntur, o civitas Dei! (4) Adscribam Ægyptios, Babylonios, Philisthinos, Tyrios, atque Æthiopes numero eorum, qui me cognoscunt*, ait Dominus. Referam illos in censum incolentium sanctam Civitatem meam, *& indigenarum illius (5) Et de Sion loquens, dicam: Hic, & ille originem ducunt ex ea civitate, quam Dominus condidit. (6) Recensebit Dominus populos eos*, quos modo memoravi, *eosque veluti oriundos Jerusalem habebit*. Verbo, nulla amplius erit distinctio Judæum inter, & alienigenam; omnes erunt servi Dei, omnes illum cognoscent, omnes æque in illius nomenclatura recensebuntur. (℣. 7.) *In te*, o felix civitas, *videbuntur dumtaxat chori canentium, musicis instrumentis psallentium, atque lætantium*. Sed tandem aliquando ad Commentarium dilabamur.

Funda-

---

1 יסודתו בהררי קדש 70. Οἱ θεμέλιοι αὐτοῦ. 2 Munst. Geier. Pisc. Ainsv. Ham. Glass. Mariana.
3 Diodor. Interpr. Gr. a Corderio. Heraclæotas, Beda. 4 Ferrand.
5 Isai. 52. 62. 66. Jerem. 31 38. & seq. Ezech. 36. 33. 34. & seq. 48. per totum, & Mich. 4. 2. & Zachar. 14. 10. & seq. 6 Vide Galat. 4. 16. Ephes. 11. 20. Heb. 12 22. & 11. 10. & Apocalyps. 21. 2. & seq.
7 Glassius Gram. p. 3. l. 2. cap. 11. Vide Num. 24. 17. Psalm. 104. 19. Prov. 7. 8. Jerem. 40. 5. Math. 17. 18. Apoc. 20. 4. Cant. 1. 2. Vide & Geier. hic.

1. Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. 2 Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. 3 Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. 4 Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, Hi fuerunt illic. 5 Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus? 6 Dominus narrabit in scripturis populorum, & Principum horum, qui fuerunt in ea. 7 Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

ỹ. 1. FUNDAMENTA EJUS IN MONTIBUS SANCTIS: DILIGIT DOMINUS PORTAS SION SUPER OMNIA TABERNACULA JACOB.] Jerusalem super duplicem, vel triplicem montem erat ædificata; montem scilicet illum, ubi Jebus antiqua erat posita, montem Sion, & montem Moria. Cum vero deinceps Civitas longe amplior fuerit effecta, ambitu suo aliquem præterea collem complexa est, præsertim vero qua Boream spectabat. Montes sancti sunt præcipue *Sion*, & *Moria*, super quos Templum Jerusalem ædificatum fuerat, cujus sanctitas toti Civitati, & finitimis ejus locis, Civitatis, & Terræ Sanctæ nomen indiderat. Prætulerat Dominus Sion, meræ prædilectionis electione, aliis omnibus civitatibus Jacob, ut ibi Tabernaculum, Templumque suum constitueret. *Portæ Sion* pro universa civitate Jerusalem B ponuntur poetico, figuratoque dicendi modo, uti apud Hebræos [1].

Christiana Ecclesia, quæ per Jerusalem exhibetur, fundata est super Apostolos, atque Prophetas, habetque lapidem angularem Christum Jesum, super quo Domini Templum ædificatum est. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum Sanctum in Domino* Ephes. 2. 20. Novam hanc Civitatem majori amore prosequitur Dominus, quam omnia tabernacula Jacob; quandoquidem Synagogam reprobat, atque terrestrem, & rebellem Jerusalem rejicit, ut sua præsentia condecoret, suisque spiritualibus divitiis cumulet novam Jerusalem, quam etiam sibi sponsam assumit, quemadmodum in Apocalypsi loquitur S. Johannes Apocal. 21. 9. 10.

ỹ. 3. MEMOR ERO RAHAB, & BABYLONIS SCIENTIUM ME.] Dominus hic loquitur. Veteres plurimi [2] pro *Rahab* isthic eam mulierem Jerichuntinam intellexere, quæ domi suæ excepit exploratores missos a Josue [3]. Sed Recentiores [4] vocem eam *de Ægypto* explicant, quo in sensu *Rahab* in Psalmo 88. 11. in Isaia 30. 7. & 51. 9. invenitur; at proprie *Deltam* significare putatur, eam scilicet Ægypti partem, quam Nili brachia, post hujus fluminis divisionem, circumluunt. Regio hæc pyri ferme figuram exhibet, ideoque ad hanc quoque diem *Rib*, vel *Rif* appellatur, quæ vox a *Rahab* est profecta. Hebræus [5]: *Recensebo Rahab*, vel *Ægyptum, & Babylonem inter eos, qui me noverunt*. In albo famulorum, amicorumque meorum referentur. D Hoc numquam adimpletum est in Jerusalem, sed dumtaxat in Ecclesia post Evangelii prædicationem, atque conversionem Gentilium.

ỹ. 4. ECCE ALIENIGENÆ, & TYRUS, & POPULUS ÆTHIOPUM, HI FUERUNT ILLIC.] Diversi hi populi A antehac Judæis infestissimi in Jerusalem habitabunt, utilitatis, Religionis, & benevolentiæ vinculis cum Israeliticis conjuncti. Numquam ex Historia nobis ostendent Judæi, quomodo ad unguem hæ prædictiones in civitate Jerusalem fuerint adimpletæ. Hoc in J. C. Ecclesia, in nova Jerusalem dumtaxat perfectum est.

Alienigenæ [6] sunt Philisthiim, quos Septuaginta vulgo reddunt *Allophylos*, hoc est, *Alienigenas*. *Æthiopes*, Hebraice *Chus*, non significant solum Æthiopes, quos omnes norunt ad Ægypti meridiem, & prope origines Nili, verum etiam Arabes, Ægyptiis finitimos, orientalem Rubri maris oram incolentes, & qui occupabant etiam partem inferioris Ægypti versus Erythræi maris extremitatem, ad Nili, ac Pelusii orientem.

Hebræus [7]: *Palæstina*, vel regio Philisthinorum, *Tyrus*, *& Chus nati sunt in ea*; scilicet in Jerusalem; Ex iis omnibus populis viri Jerosolymæ morabuntur, ibi familias suas habebunt, atque iisdem, ac Judæi indigenæ, privilegiis fruentur. In Ecclesia Christiana nulla datur amplius distinctio Judæum inter, & Ethnicum: omnes unum sumus in Jesu Christo [8].

ỹ. 5. NUMQUID SION DICET: HOMO & HOMO NATUS EST IN EA, & IPSE FUNDAVIT EAM ALTISSIMUS?] Sion erit veluti mater plurimorum populorum, qui antea erant diversi. *Leva in circuitu oculos tuos*, Dominus inquit in Isaia 49. 18. *Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.... deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ, tunc angusta erunt præ habitatoribus.... adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis* C *tuæ*, quos denique paries, postquam diu sterilis fueris: *Angustus est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem. Et dices in corde tuo; Quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiva: & istos quis enutrivit? ego destituta, & sola, & isti ubi erant?* Hanc nobis Prophetæ adstruunt ideam Ecclesiæ ex Judæis, & Gentilibus conversis compositam sub nomine Jerusalem a diversis populis post captivitatem Babylonicam iterum habitatæ. Antiqui plures [9] legunt: *factus est in ea*, pro *natus est in ea*.

Hebræus ad litteram [10]: *dicetur Sion; homo, & homo nati sunt in ea, & fundavit eam Altissimus*; Vel cum Symmacho [11], & aliis quibusdam [12]: *Cum sermo erit de Sion, & singulorum habebitur recensio, dicetur: hic homo natus est in hac civitate, & Dominus fundavit eam.* Perinde ac vellet innuere peculiarem, & honorificam distinctionem, quæ in censu facienda est inter eos, qui nati sunt in Jerusalem, aliosque Israelitas.

S. Hieronymus [13] asserit, antiqua Exemplaria Septuaginta a Vulgata minime abhorruisse: legebant enim: *Numquid dicet Sion &c.* sed Textum illorum a Libra-

1 Genes. 22. 19. 24. 60. Deuteron. 5. 14. 16. 18. Psal. 9. 15. Matt. 16. 18.
2 August. & Hieron. & Theodoret. Euthym. hic. 3 Josue 2. 1.
4 Rabb. Sal. Abenezr. Kimchi, Boch. Phaleg. l. 4. c. 14. Jun. Pag. Munst. Muis, Chald. alii passim.
5 אזכיר רהב ובבל לידעי Aqu. Ἀναμνήσω ὁρμήματος καὶ Βαβυλῶνος. Symmach. Ἀναμνήσω ὑπερηφανίας καὶ Βαβυλῶνα. Ita & Hieronym. *Commemorabor superbiæ, & Babylonis scientibus me*.
6 פלשת 70. Ἀλλόφυλοι. 7 פלשת וצור עם כוש זה ילד שם Aquil. Φυλιστιία, καὶ Τύρος μετὰ Αἰθιόπων, οὗτος ἐτέχθη ἐκεῖ. Ita fere Symmach. 8 Rom. 10. 12. Gal. 3. 28. Rom. 12. 5. 1. Cor. 6. 16. Eph. 2. 15. 9 Aug. Ambros. Psalt. Rom. & alia. *Factus est in ea*. Nonnulli codices 70. Ἐγενήθη. Alii, ἐγεννήθη, *natus est*, *&c.* 10 ולציון יאמר איש ואיש ילד בה והוא יכוננה עליון Aquil. Καὶ τῇ Σιὼν λεχθήσεται, ἀνὴρ καὶ ἀνὴρ ἐτέχθη ἐν αὐτῇ, καὶ αὐτὸς ἑδράσει αὐτήν.
11 Symmach. Περὶ δὲ τῆς Σιὼν λεχθήσεται· καθ' ἕκαστον, ἄνθρωπος ὄντως ἐτέχθη ἐκεῖ, αὐτὸς ἥδρασεν αὐτὴν ὕψιστος.
12 Ita Muis, Geier. Pisc. alii. 13 Hieronym. in hunc loc. Septuaginta Interpretes ita transtulerunt; *numquid Sion dicet; homo? &c. Spreverunt ergo multi, nec intellexerunt*. Μήτηρ Σιών? *Quid est*; & addiderunt ρ, Μήτηρ Σιὼν ἐρεῖ, ἄνθρωπος; *& hoc propterea dicunt; Quia sequitur, & homo natus est in ea*.

ziis fuisse immutatum, ita ut hæc modo habeat: *Sion est veluti mater, quæ dicit; Homo, & homo natus est in ea*. Magnæ civitates censentur tamquam matres plurimorum hominum, pagorumque; unde factum est nomen *Metropolis*, seu *Civitas mater*. Verum Librariorum non erat hoc immutare, neque illis, ne latum quidem unguem, recedendum erat a textu Interpretum, qui optimum sensum afferebat. Cæterum hæc correctio *mater* in omnibus Exemplaribus, in Græcis, Latinisque Patribus, & in antiquis psalteriis Syriacis, Arabicis, Æthiopicis, Latinisque deprehenditur.

Veteres quidam isthinc eduxerunt argumentum ad J. C. nativitatem, & naturæ humanæ, ab divina in eodem distinctionem probandam [1]. J. C. erat homo, & filius Hominis: *Homo, & homo*, & eodem tempore ipse erat Deus Altissimus; *Ipse fundavit eam Altissimus*. Erat ille *filius Sion*, quoniam in Judæa natus erat, sed illius quoque & conditor erat, & Dominus. Chaldæus per eas voces *homo, & homo* Davidem, & Salomonem intellexit, qui regnarunt in Jerusalem.

℣. 6. DOMINUS NARRABIT IN SCRIPTURIS POPULORUM, & PRINCIPUM, HORUM, QUI FUERUNT IN EA.] Dominus diligentem habebit omnium servorum, subditorumque suorum nomenclaturam, & ii omnes, qui nascentur in Jerusalem, undecumque originem duxerint, Ægyptii, Babylonii, Phœnices, aliive, eos una cum indigenis urbis hujus civibus adnumerabit promiscue; & omnes ex æquo, atque indiscriminatim, tamquam suos recensebit. Alludit Auctor ad Regum morem, totius populi sui censum habendi. Non poterat distinctius designari omnium mundi populorum ad Evangelii fidem vocatio. Explicatur etiam, perinde ac numerus incolentium Jerusalem tantus esse deberet, ut eum nemo umquam valeat enumerare; sed unus Deus eorum exactam habeat, completamque nomenclaturam; sed prior sensus est melior [2].

℣. 7. SICUT LÆTANTIUM OMNIUM HABITATIO EST IN TE [3].] Hæc postrema est inter prærogativas civitatis Jerusalem; infinitus hic incolarum numerus, quo repleta es, rerum omnium copia fruuntur, atque lætantur. Nulla paupertas, nulla calamitas, nullus dolor, nec luctus in medio tui. Hæc omnia figurata sunt, neque perfecte adimplebuntur, nisi in altera vita, atque in cœlesti Jerusalem [4].

Hebraicus textus, uti habemus hodie, legit [5]: *Omnes fontes mei sunt in te, sicut canentium in choro saltationis*. Fontes hi designare possunt populos [6], qui sunt veluti totidem guttæ, vel rivuli de Jerusalem, tamquam de fontibus suis defluentes. Alii explicant de cogitationibus, vel oculis Domini, quos ille numquam amovet a Sion; vel etiam de epiniciis, quæ in qualibet felicis hujus civitatis parte exaudiuntur. Prior explicatio potius est ferenda. Filii sunt tamquam rivuli a patre suo egressi; qua loquendi ratione satis frequenter utitur Scriptura: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui: deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide*. Prov. 5. 15. Cisterna uxorem, fontes vero filios significant; & in Psalmo 67. 27. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel*. Et Isaias 48. 1. *Audi hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel, & de aquis Iuda existis*. Denique Scripturæ familiare est, figurate populorum multitudinem per aquas magnas designare [7]. Inquit igitur Dominus, omnes filios suos, omnes populos suos, qui sunt in Sion, cumulatos esse lætitia, & in id unum incumbere, ut læta concinant Epinicia.

1 Theodoret. hic. Vide & Hieronym. & Euseb. hic, & Concil. Hispal. 2. & Tertull. advers. Prax. c. 27. sic legit: *Quoniam Deus homo natus est in illa, & ædificavit eam voluntate patris*. Et Athan. hic. Aug. *Ecce propter nos altissimus, qui fundavit Civitatem, mater dicit ipsi Civitati, & homo in ea factus est, & altissimus eam fundavit*.
2 Quinta Edit. Εἰς ἀπογραφῇ λαῶν, οὗτος γεννήσεται ἐκεῖ. Sym. Κύριος ἀριθμήσει γράφων λαοὺς, &c.
3 Psalt. Rom. *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio*, &c. Psalter. Mediol. & S. Germ. *Lætantibus omnibus nobis* &c.
4 Apoc. 21. 4. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*, &c.
5 ושרים כחללים כל מעיני בך Aquil. Καὶ ᾄδοντες ὡς χοροὶ πᾶσαι πηγαὶ ἐν σοί. Sym. Καὶ ᾄσονται ὡς ἐν αὐλοῖς πᾶσαι πηγαὶ ἐν σοί.
6 Vide Hamm. hic.
7 Apoc. 17. 15.

PSALMUS LXXXVII.

Enixa hominis in tribulatione positi, atque ab amicis, & consanguineis suis derelicti Oratio.

Canticum Psalmi filiis Core, in finem pro Maeleth, ad respondendum, intellectus Eman Ezraitæ.

ARGUMENTUM.

Titulus juxta Hebraicum textum verti potest [1]: *Psalmus, vel Canticum filiorum Core, traditus Moderatori Musicæ, super choream constituto*, vel super choros, *alternis*, vel intercalari modulo *recinendum*: *Instructio Heman filii*, vel posteri *Ezra*. Septuaginta [2], & omnes ferme veteres [3] legunt: *Eman Israelita* pro *Eman Ezraitæ*; sed manifestum est mendum. *Eman Ezraitem* novimus ex 1. Par. 15. 17. atque una cum Asaph, & Ethan, veluti unus ex præcipuis Tympanistis Templi memoratur. In 1. Par. 25. 5. Eman *Regis Videns* appellatur; hic immediatus erat filius Joelis, & inter majores suos Azariam [4] numerabat, qui fortasse illi Ezraitæ nomen indidit.

Judæi quidam [5] censuerunt, Eman, & Ethan, alterum Psalmi hujus, subsequentis alterum, Auctores filios fuisse Zara de tribu Juda [6], & in Ægypto vixisse, dum Pharaonis persecutio in Hebræos desæviret. Ligfoot hanc sententiam elegit; atque ita duo hi Psalmi ante Moysem fuissent compositi; & Eman, & Ethan primi essent Canti-

1 שיר מזמור לבני קרח למנצח על מחלה לענות משכיל להימן האזרחי. Vide ad Psal. 52. 1.
2 Αἰμὰν τῷ Ἰσραηλίτῃ.
2 Ita Hieron. Aug. Cassiod. Psalt. Rom. Gallican. &c. Ita & Athan. Theodoret. alii, Græci & Latini codices Mss. & Colbert.
4 1. Par. 6. 36.
5 Euseb. hic.
6 1. Par. 2. 6.

Canonici Auctores, quos noverimus; quod prorsus abhorret a fide [1]. Scriptura ait, Salomonem sapientiorem fuisse, quam *Hethan Ezraitem*, quam *Hemam*, & *Chalcol*, & *Dorda*, qui tum temporis sapientiæ laude floruisse videntur. Sed Eman Psalmi hujus Auctor, atque e posteris *Heman*, qui Davide, ac Salomone imperantibus floruit, longe serius vivebat, & ante Babylonis captivitatem.

1 Psalmi hujus argumentum summopere luctuosum est, atque est oratio hominis calamitatibus obruti, & ab omnibus derelicti. Fortasse compositus fuit, ut intercalaribus modulis caneretur, uti in luctus cantibus consueverat. Mares, mulieresque seorsim defuncti laudes canebant, vel illius infortunium deplorabant; qui, vel quæ liquidam magis habebat vocem, versiculum præcinebat, quem mox chorus omnis repetebat; quod isthic ea vox innuit *ad respondendum*, & *Mahelet*, quæ postrema proprie vel choræam significat, vel chorum plurium simul canentium, & quamdam choreæ speciem præbentium, quemadmodum ad hanc quoque diem assolet in Oriente, tum in luctus, cum in lætitiæ cæremoniis.

Plerique Psalmi filiorum Core captivitatem Babylonis respiciunt; atque de eo tempore hunc una cum antiquis nonnullis Interpretibus explicamus [2]. Auctor isthic Nationis suæ a Chaldæis in servitutem redactæ mala deplorat, sed ita, ut simul describat J. C. in Passione sua excruciatum, & ab Apostolis suis derelictum [3]. Multam habet cum Psalmo vigesimoprimo similitudinem, qui totus, quantus est, ad Salvatoris Passionem spectat. Non defuere, qui illum de Davide ab Absalone persequente exagitato [4]; & alii, qui [5] de Jeremia in carcerem conjecto, & a suis derelicto, explicarent.

1. DOmine Deus salutis meæ, in die clamavi, & nocte coram te. 2 In-
tret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.
3 Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.
4 Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: Factus sum sicut homo sine adju-
torio, inter mortuos liber. 5 Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum
non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. 6 Posuerunt me in
lacu inferiori: in tenebrosis, & in umbra mortis. 7 Super me confirmatus est
furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. 8 Longe fecisti notos meos
a me: posuerunt me abominationem sibi. 9 Traditus sum, & non egrediebar:
oculi mei languerunt præ inopia. 10 Clamavi ad te, Domine, tota die: expan-
di ad te manus meas. 11 Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscita-
bunt, & confitebuntur tibi? 12 Numquid narrabit aliquis in sepulchro miseri-
cordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? 13 Numquid cognoscentur in
tenebris mirabilia tua: & justitia tua in terra oblivionis? 14 Et ego ad te, Do-
mine, clamavi, & mane oratio mea præveniet te. 15 Ut quid, Domine, repel-
lis orationem meam: avertis faciem tuam a me? 16 Pauper sum ego, & in labo-
ribus a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus. 17 In
me transierunt iræ tuæ. & terrores tui conturbaverunt me. 18 Circumdederunt
me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul. 19 Elongasti a me amicum,
& proximum, & notos meos a miseria.

℣. 1. DOMINE, DEUS SALUTIS MEÆ, IN DIE CLAMAVI, & NOCTE CORAM TE.] Nosti, Domine, quæ sit malorum meorum magnitudo; scis, quam enixis jugibusque precibus te obtester; & denique haud ignoras, me nullam nisi ex uno te salutem, & auxilium posse sperare. Hoc idem ferme est, ac illud Psalmi 21. 2. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi*; Quod perfecte & Captivis Babylonis, & J. C. in illius Passione convenit.

℣. 2. INTRET IN CONSPECTU TUO ORATIO MEA.] Liceat illi, ad te ingredi, & coram te prosterni. Sacri Auctores sæpe orationem nobis exhibent, velut magnum aliquid, & anima præditum; inquiunt, ipsam se se coram Deo prosternere, ad illius conspectum ascendere, atque ut sibi ille aures præbeat, exposcere. Homerus Iliad. 9. eodem ferme pacto preces Jovis filias vocat, claudas, rugis obsitas, semper humiles, oculosque humi fixos habentes describit; quæ præcedentem sequuntur injuriam, omnium terrarum plagas perlustrantem, mortalibus interitum allaturam. Hæ equidem ideæ admirabiles sunt, ac mirifice ob oculos rectæ orationis exhibent dispositiones.

℣. 3. REPLETA EST MALIS ANIMA MEA, & VITA MEA INFERNO APPROPINQUAVIT.] Anima mea, vita mea saturata est malis, & ego ferme ad tumulum redactus sum. Hoc nomine captivitatem vocat juxta Prophetarum consuetudinem, qui mortis, sepulchri, corruptionis, tenebrarum &c. nomen tribuunt gravissimis ærumnis, exilio præsertim, captivitati, servituti.

℣. 4. ÆSTIMATUS SUM CUM DESCENDENTIBUS IN LACUM; FACTUS SUM SICUT HOMO SINE ADJUTORIO INTER MORTUOS LIBER.] Postrema hæc verba ultro J. C. nobis exhibent, qui sponte in mortuorum numerum se se redegit, atque permisit, ut Corpus suum in tumulo collocaretur, ac signaretur, sed nihilominus semper fuit liber, ac dominus, uti ipse ait de se ipso Joan. 10. 18. vivendi, vel moriendi, patiendi vel se a passione liberandi, in sepulchrum descendendi, atque inde per resurrectionem suam egrediendi. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a me ipso, & potestatem habeo ponendi, et potestatem habeo iterum sumendi eam*. Hoc in sensu patres locum istum explicarunt [6], & nemo non agnoscit mirabilem rationem, quam habet cum statu Salvatoris post ejus mortem, & ante ipsius resurrectionem.

Hebræus verti potest [7]: *Confusus fui cum descendentibus in foveam, velut homo sine robore* (℣. 5.) *Separatus inter mortuos, quemadmodum illi, qui vulneribus confossi obierunt, atque obdormierunt in sepulchro*. Hebraica

1 3. Reg. 4. 31. 2 Diodor. Theodoret. Græc. Corder. Interp. & Syrus.
3 Ita Aug. Hieron. alii PP. plerique. 4 Ferrand. hic. 5 Bossuet.
6 Euseb. Aug. Hieron. hic alii passim. 7 נחשבתי עם יורדי בור הייתי כגבר אין איל (5) במתים חפשי כמו חללים שכבי קבר Sym. Ἐντὸς νεκρῶν ἀφεὶς ἐλεύθερος. Aqu. Ἐν νεκροῖς ἐλεύθερος.

braica vox, quæ redditur *liber*, vel *separatus*, significat quoque sibi met traditum, actionum suarum dominum, expeditum, sepositum. Exempli gratia scriptum est, Regem Azariam lepra percussum [1] positum fuisse *in domo libera*, separata, a regiis ædibus semota, ubi solus degebat procul a quavis aliorum hominum consuetudine. Aliter: *Positus fui in eorum numero, qui descendunt in carcerem*, scilicet captivorum; veluti *Heroes illi*, strenui illi viri *sine robore*, qui jacent in sepulchro. Existimatus sum, *veluti mortui illi libertatis*, infelices illi captivi, jam jam mortui suæ libertati, & viventes adhuc sepulti; velut bellatores illi, *qui dormiunt in sepulchro, vulneribus suis perempti*. Psalmi Auctor unum idemque ait ℣℣. 4. & 5. ubi captivos duplici locutione designat, *eos mortuos libertatis* vocans, & *descendentes in lacum*, in carcerem, ubi servi compedibus alligabantur [2], & ubi quotidie vespere claudebantur, uti adhuc in Africa, & in aliis quibusdam Orientis locis fieri consuevit. Milites jam vita functos appellat *Heroas sine robore*, & *vulneratos jacentes in sepulchris*. Vetusta quædam Psalteria legunt [3]: *Sicut vulnerati dormientes projecti in sepulchris* &c.

℣. 5. QUORUM NON ES MEMOR AMPLIUS, & IPSI DE MANU TUA REPULSI SUNT.] Hebr. [4] *Ipsi recisi sunt a manu tua*. Dominus sæpe nobis exhibetur velut potens imperator, milites, subditosque suos recensens. Qui vivunt, scripti sunt in libro, vel nomenclatura viventium; statim ac ad plures abeunt, ex hoc albo expunguntur, atque de iis non cogitatur amplius. Hinc profectæ sunt locutiones illæ: *scriptum esse*, vel *deletum de Libro vitæ*: quæ jure translatæ sunt ad hominum reprobationem, vel prædestinationem innuendam. Milites hi, qui olim adeo nominis celebritate florebant, & quorum nomina in nomenclatura tua erant descripta, nunc expuncti sunt, atque deleti, neque in manu tua nomen eorum videtur amplius: *De manu tua repulsi sunt*.

℣. 6. POSUERUNT ME IN LACU INFERIORI [5], IN TENEBROSIS, & IN UMBRA MORTIS.] Hæc est descriptio captivitatis, & malorum, quæ Hebræi perpetiebantur [6]. Referri quoque potest ad J. C. positum in sepulchro. Hebr. [7]: *posuisti me in profundissimo lacu, in locis obscuris, & tenebricosis*. De umbra vero mortis non loquitur: hæc autem omnia sepulchrum dumtaxat significant, atque in figurato sensu, servitutem, & captivitatem.

℣. 7. SUPER ME CONFIRMATUS EST FUROR TUUS, & OMNES FLUCTUS TUOS INDUXISTI SUPER ME.] Hoc mirum in modum J. C. convenit, qui Redemptor noster effectus, super se assumptis iniquitatibus nostris, pertulit omne pondus iræ Dei Patris sui, ac semet tradidit omni justitiæ ipsius severitati. Babylonici captivi hoc ipsum, data ratione, asserere poterant. Expiabant & propria peccata sua, & peccata patrum suorum, & diutius sub Domini manus ictibus gemebant. Symmachus [8]: *Ira tua aggravata est super me, & tu afflixisti me tempestatibus tuis*.

℣. 8. LONGE FECISTI NOTOS MEOS A ME, POSUERUNT ME ABOMINATIONEM SIBI.] Primo statim intuitu ciet admirationem in nobis hujus locutionis conformitas, cum eo, quod in Passione Domini contigit, qui ab omnibus Discipulis, amicisque suis derelictus fuit, immo negatus etiam a S. Petro Apostolorum suorum Principe, & qui præ cæteris illi magis adhæsisse, & zelo succensus esse videbatur. Quod sequitur, magis

A adhuc est conforme; *traditus sum, & non egrediebar*. Traditus fui ab uno e Discipulis meis, & non surripiam me de manibus inimicorum meorum. Ipsi occident me, & fœdis me contumeliis afficient.

Sin autem de Babylonicis captivis hoc explicueris, res longe minus erit perspicua. Quomodo enim asserere poterant, consanguineos, amicosque suos esse procul a se, omnesque eos perhorrescere? quandoquidem liquet, simul omnes in captivitate jacuisse, & eorum calamitatem communem esse, & generalem, poterant ne alii alios ultro citroque contemnere, atque abominari? Immo hoc est consolationis argumentum, se mutuo adspicere, & in communi infortunio communes lacrymas commiscere. Attamen Psalmi Auctor queritur etiam ℣. ultimo, quod amici, & consanguinei sui re-
B cesserunt ab ipso, illius detestati squalorem. Et Psalmo 68. 9. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ*. Responderi autem potest, querimonias has unice Psalmi Auctorem respicere, qui, cum peculiari quadam obrutus fuisset calamitate, ab iis omnibus derelictus fuit, qui illi fidelius hærere debuissent. Hebr. [9] *Longe fecisti notos meos a me, posuisti me abominationem illis; clausus sum, & non egrediar*. Effectu iræ tuæ factus sum in abominationem, & contemptum ipsis amicis meis; sum velut homo in carcere positus, qui illinc egredi nequit. Videri possunt in Psalmum 68. 11. aliæ nonnullæ responsiones ad similem difficultatem.

℣. 9. OCULI MEI LANGUERUNT PRÆ INOPIA.] S. Augustinus, & antiqua Psalteria: *Infirmati sunt ab*
C *inopia*. Hebr. [10] *Oculus meus languet propter afflictionem*. Symmachus [11]: *Oculus meus distluxit*, velut fons, propter afflictionem. Dolore confectus lacrymarum torrentes effudi.

℣. 10. CLAMAVI AD TE TOTA DIE, EXPANDI AD TE MANUS MEAS.] Hoc quoque nobis exhibet J. C. extensis brachiis cruci affixum, Patrem suum pro inimicis suis deprecantem [12]. Babylonis captivi clamabant ad Dominum tota die, vel etiam [13] *cunctis diebus* exilii sui.

℣. 11. NUMQUID MORTUIS FACIES MIRABILIA, AUT MEDICI SUSCITABUNT &c.] Expectas ne, extremum nos obire diem, ut nos resuscites, atque ostendas potentiam tuam super nos? Cum qui te noverunt, ac nomen tuum invocant, erunt in sepulchro, quis lau-
D dabit nomen tuum, quis adnitetur, ut tua emicet gloria? Medicine nobis vitam restituent, vel tibi novos adoratores suscitabunt? Si Ethnici tantum in terris supersint, quis laudes tuas recinet, quis magnalia tua celebrabit? Sacri Auctores sæpius his utuntur argumentis [14], ut Deum obtestentur, & ad opem ferendam, seque ex tot periculis eruendos alliciant. Nihil magis aptum erat ad gloriæ stimulos ciendos, & ad misericordiam flectendam; ita enim tacite se omne vitæ suæ tempus in Domini laudibus, & gratiis illis agendis insumpturos esse pollicebantur.

Hebræus [15]: *Numquid pro mortuis facies mirabilia, & Rephaim ad te laudandum consurgent?* Rephaim gigantes fuere apud antiquos celeberrimi; quorum nonnulli Davidis ævo adhuc vivebant. Cum autem jampri-
E dem oppetiissent, & nomen eorum adhuc celebritatis fama vigeret; Sancti Libri eos nobis exhibent, veluti nobilissimos eorum, qui in inferno crucientur. *Ecce gigantes gemunt sub aquis* [16], ait Job: & Salomon Prov. 9. ult.

1 4. Reg. 15. 5. & 2. Par. 26. 21. וישב בית החפשית מצורע Confer. Levit. 13. 44.
2 בור in hoc sensu usurpatur. Exod. 12. 29. Isai. 24. 22. Jerem. 37. 16. &c.
3 Psalt. Rom. & S. Germ. Edit. Rom. Ὡσεὶ τραυματίαι ἐῤῥιμμένοι καθεύδοντες ἐν τάφῳ, &c.
4 והמה מידך נגזרו Aqu. Ἐκ τῆς χειρός σου ἐξετμήθησαν. Sym. Ὑπὸ τῆς χειρός σου ἐξεκόπησαν.
5 Aug. Psalt. S. Germ. *in lacu infimo*. 70. Εἰς λάκκον κατώτατον. 6 Chald. & Theodoret.
7 שתני בבור תחתיות במחשכים במצלות Aqu. Ἔθου με ἐν σκοτεινοῖς, καὶ ἐν βυθοῖς. Sym. Ἔταξας με ἐν σκοτεινοῖς ἐσκοτισμένοις. 5. Edit. Εἰς ταπεινώσεις, εἰς καταδύσεις. 8 Ἐμοὶ ἐπεβρίσθη ὁ θυμός σου, καὶ ταῖς καταιγίσι σου ἐκάκωσάς με. 9 הרחקת מידעי ממני שתני תועבות למו כלא ולא אצא Sym. Μακρὰν ἐποίησας τοὺς γνωστούς μου ἀπ' ἐμοῦ, ἔταξας με βδελυκτὸν αὐτοῖς ἐμφραχθέντα, καὶ μὴ προερχόμενον. Ita Hieron. *Longe fecisti notos meos a me; posuisti me abominationem eis, clausum, & non prodeuntem*. 10 עיני דאבה מני עני
11 Sym. Ὁ ὀφθαλμός μου ἐξερρύη ἀπὸ τῆς κακώσεως. 12 Confer. Psal. 21. 17. Isai. 65. 5.
13 קראתיך יהוה בכל יום Sym. Ἐπεκαλεσάμην σε καθ' ἑκάστην ἡμέραν. 14 Ps. 6. 6. & 29. 10. & 113. 24. Isai. 38. 18. 15 הלמתים תעשה פלא אם רפאים יקומו יודוך 16 Job. 25. 5. Vide pariter 21. 32.

9. ult. *Et ignoravit, quod ibi sunt gigantes, & in profundis inferni convivæ ejus*. Ezechiel 31. 17. & Isajas 25. 14. hos nobis exhibent Rephaim, perinde ac imperii adhuc species aliqua esset illis in regione mortuorum, atque cum honore exciperent Gigantes, ac Principes, qui hinc eo migrant. Psalmi hujus Auctor isthic interrogat, utrum famosi Heroes illi, olim adeo celebres, reviviscent, Nomen illius celebraturi. S. Hieronymus, & alii quidam vertunt: *Gigantes ne suscitabunt?* Alii [1], *mortui*, vel *manes reviviscent ne ad te laudandum?*

℣. 13. NUMQUID COGNOSCENTUR IN TENEBRIS MIRABILIA TUA, & JUSTITIA TUA IN TERRA OBLIVIONIS.] Septuaginta [2]; *in terra oblita*, in altero mundo, ubi habitant homines, quorum jam cepit oblivio, & qui fato functi sunt, de quibus dictum est ℣. 5. B *Quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt*: & Psal. 30. 13. *oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde*. Ethnicorum ferme hæc eadem sententia fuit in inferno statuentes flumen oblivionis, cujus aquas mortuorum animæ potant, ne reminiscantur, neque mundi hujus desiderio teneantur. Virgilius Æneid. 6.

. . . . Animæ quibus altera fato
Corpora debentur, lethæi ad fluminis undam
Securos latices, & longa oblivia potant.

℣. 14. MANE ORATIO MEA PRÆVENIET TE.] Assiduas, & juges tibi preces effundo. Summo dolore ex meis malis afficior, Domine, & scio, non alibi, quam in uno te auxilium quærere posse. Hoc eximium est exemplar pro illis omnibus, qui afflictantur.

℣. 15. UT QUID REPELLIS ORATIONEM?] C Hebræus [3], Chaldæus, Septuaginta Complutenses, aliique plures, Veteres Græci Interpretes, Psalteria Mediolanense, ac S. Germani: *Ut quid repellis animam meam?* Sed Romanæ Editionis Septuaginta [4], Arabica versio, ac Æthiopica, Theodoretus Vulgatæ similes sunt; *Ut quid repellis orationem meam?* Confer Psalmum 21. ℣. 2. *Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi*. Hæc omnia transferri possunt ad J. C. in Olivarum horto orantem.

℣. 16. PAUPER SUM EGO, & IN LABORIBUS A JUVENTUTE MEA.] Hebr. ad litteram [5]: *pauper sum* afflictus, humiliatus, & *jam jam moriturus*, morti proximus *a juventute mea*. Omnia vitæ meæ momenta in A doloribus, jugibusque ærumnis transegi; nullum umquam voluptatis momentum percepi. Hæc loquendi ratio virum quidem in captivitate positum significat, sed multo melius J. C. convenit, qui a primo vitæ suæ mortalis exordio, ad ultimum usque Passionis suæ spiritum pro nobis pati, & Patri suo laborum, ærumnarum, humilitatis, ac privationis suæ sacrificium offerre non destitit.

EXALTATUS AUTEM, HUMILIATUS SUM, & CONTURBATUS.] Dixerat paulo ante, se a teneris usque unguiculis laboribus semper exercitum fuisse; hic autem ait, ex quo ad perfectiorem ætatem pervenit, semper humiliatum fuisse, & jugibus curis vexatum; vel si umquam conatus suos exeruit, ut se se attolleret, a Deo pudore suffusum fuisse, atque animum suum turbis B & cruciatibus fuisse repletum. Hebræus [6] adnecti debet præcedentibus: *Pauper sum, et calamitosus a juventute mea: pertuli terrores tuos; fui in dubitatione*, atque in tumultu; inquietus sum, tremens, abjectus.

℣. 17. IN ME TRANSIERUNT IRÆ TUÆ, & TERRORES TUI CONTURBAVERUNT ME.] Hoc satis aperte nobis describit terrorem, atque cruciatus animi, quibus J. C. in horto paulo ante passionem suam fuit perturbatus. Hebræus verti potest [7]: *Furores tui transierunt super me*, pedibus me conculcaverunt, *et terrores tui* afflixerunt me, desolaverunt, ad silentium redegerunt, exterminarunt, depopulati sunt me. Alludit ad regionem, per quam hostis prætergressus omnia hostilia patravit.

℣. 19. ELONGASTI A ME AMICUM, & PROXIMUM, C & NOTOS MEOS A MISERIA.] Hanc amicorum meorum perfidiam permisisti, ejusque quodammodo auctor fuisti, permittens, ut inter eorum manus laberer, eumque in statum redigerer, ut eos qui præ cæteris diligebant me, puderet, me agnoscere. Hebr. [8] *Elongasti a me amicum, et notos meos*; elongasti eos *propter tenebras*. Septuaginta vocem hanc intellexerunt, perinde ac, ut alibi passim in Scripturis, ærumnas, & calamitates significaret. Alii vertunt: *Elongasti a me amicum, et proximum, et noti mei versantur in tenebris*; se mihi eripiunt, procul a me, atque in obscuritate permanent. Vide in ℣. 9. dicta. Septuaginta, & Vulgatæ versio aptior est, & melior. Hoc explicatur etiam de J. C. a discipulis suis derelicto.

1 Mont. Munst. Castal. Pisc. Geier. Ham. 2 Ἐν γῇ ἐπιλελησμένῃ. Aug. *in terra oblita*. Ps. Mediol. *in terra obliterata*. Hieron. *in terra quæ oblivioni data est*. בארץ נשיאה 3 למה יהוה תזנח נפשי 70. Ἵνα τί, κύριε, ἀπωθεῖς τὴν ψυχήν μου. 4 Ἵνα τί ἀπωθεῖς τὴν προσευχήν μου. Apollinar. Εὐχωλήν.
5 עני אני וגוע מנער 6 נשאתי אמיך אפונה Sym. Πτωχὸς ὤν, καὶ ἐκλείπων ἀπὸ νεότητος ἀνέλαβον τὸν φόβον σου. 7 עלי עברו חרוניך בעותיך צמתתוני Περὶ ἐμοῦ δὲ ἐμοῦ παρῆλθεν αἱ ὀργαί σου, οἱ ἐκφοβισμοί σου κατεσιώπησάν με. 8 הרחקת ממני אהב ורע מידעי מחשך 70. Ἐμάκρυνας ἀπ' ἐμοῦ φίλον καὶ πλησίον καὶ τοὺς γνωστούς μου ἀπὸ ταλαιπωρίας.

PSALMUS LXXXVIII.

Misericordia Domini erga Domum David; ejusque in promissis suis exequendis fides. Conqueritur Ethan propter mala, & calamitates, quæ contigere Regno Juda, ac Regiæ David familiæ; Dominumque obtestatur, ut eorum misereatur.

Intellectus Ethan Ezraitæ.

ARGUMENTUM.

Antiqui fere omnes [1] in hoc titulo legunt *Israelitæ* pro *Ezraitæ*. Verum hoc ipsum mendum est, quod supra jam in fronte superioris Psalmi deprehendimus. *Ethan Ezraites* insignis est in 3. Regum 4. 31. in 1. Paralip. 6. Sapientia illius celebris erat, quandoquidem Salomon sapientior dicitur fuisse, quam Heman, & Ethan. In Templo Salomonis etiam inter Cantores non postremum locum obtinebat. Hic autem erat Ethan Da-

1 70. Edit. Rom. & Complut. Aug. Hieron. Cassiod. Athanas. Theodoret. Codices Latini nonnulli & Græci tam Regii quam Colbert. apud Ferrand. hic.

Davidis, & Salomonis ævo: sed Psalmi hujus Auctor Ethan, Babyloniex captivitatis tempore vivebat: Ethan vero Ezraitæ nomen huic inditum fuit propter Sapientem illum hujus nominis virum, qui Salomonis ævo degebat; quemadmodum superioribus Psalmis nomine Asaph, & Eman vocatos vidimus Levitas illos, qui vel sub finem Regni Juda, vel ipsius captivitatis tempore florebant.

Chaldæus [1], & Rabbini quidam putant, sub nomine Ethan Ezraitæ delitescere nomen Abrahæ, qui ex orientalibus terris in Palæstinam migravit; *Ezrah* Hebraice *orientem* significat. Plurimi tum veterum, tum Recentiorum Interpretum [2] credunt, Ethan captivitatis tempore vixisse, & hic loqui de interitu Regni Juda, Sedecia imperante. Patres plerique Psalmum hunc ad J. C. generationem, & regnum referunt; hic plurimum habet similitudinis cum Psalmo 131. vers. 11. 12. & cum Jeremia 33. 17. & sequentibus. Duæ in Psalmo hoc partes distinguuntur. Prior ad 39. usque versiculum procedit; ibique Ethan nobis describit Dei misericordiam erga domum David, & ea, quæ illi pollicitus est; atque Dei in exequendis promissionibus suis veritatem, ac fidem commendat. In altera vero parte, quæ a vers. 39. ad calcem usque protenditur, luget, quod licet hæc Deus promiserit, & adeo misericors fuerit, nihilominus Regnum Juda subversum est, & Regum familia desolata; atque Dominum tandem obtestatur, ut reminiscatur promissionum suarum, earumque fidem præstet.

1. Misericordias Domini in æternum cantabo. 2 In generationem, & genera-
tionem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. 3 Quoniam dixisti:
In æternum misericordia ædificabitur in cœlis: præparabitur veritas tua
in eis. 4 Disposui testamentum electis meis: juravi David servo meo: usque in
æternum præparabo semen tuum. 5 Et ædificabo in generationem, & generatio-
nem semen tuum. 6 Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine: etenim verita-
tem tuam in Ecclesia Sanctorum. 7 Quoniam quis in nubibus æquabitur Do-
mino: similis erit Deo in filiis Dei? 8 Deus, qui glorificatur in consilio Sancto-
rum: magnus, & terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt. 9 Domine
Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, & veritas tua in circuitu
tuo. 10 Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.
11 Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti
inimicos tuos. 12 Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudi-
nem ejus tu fundasti: aquilonem, & mare tu creasti. 13 Thabor, & Hermon in
nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia. 14 Firmetur manus tua,
& exaltetur dextera tua: justitia, & judicium præparatio sedis tuæ. 15 Miseri-
cordia, & veritas præcedent faciem tuam: beatus populus, qui scit jubilationem.
16 Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota
die, & in justitia tua exaltabuntur. 17 Quoniam gloria virtutis eorum tu es: &
in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. 18 Quia Domini est assumptio no-
stra, & sancti Israel regis nostri. 19 Tunc locutus es in visione Sanctis tuis, &
dixisti: Posui adjutorium in potente, & exaltavi electum de plebe mea. 20 In-
veni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum. 21 Manus enim mea auxi-
liabitur ei, & brachium meum confortabit eum. 22 Nihil proficiet inimicus in
eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. 23 Et concidam a facie ipsius
inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam. 24 Et veritas mea, & mi-
sericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. 25 Et ponam in
mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus. 26 Ipse invocabit me: Pater meus
es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ. 27 Et ego primogenitum ponam il-
lum: excelsum præ regibus terræ. 28 In æternum servabo illi misericordiam meam,
& testamentum meum fidele ipsi. 29 Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, &
thronum ejus sicut dies cœli. 30 Si autem dereliquerint filii ejus legem meam,
& in judiciis meis non ambulaverint: 31 Si justitias meas profanaverint, & man-
data mea non custodierint. 32 Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verbe-
ribus peccata eorum. 33 Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque
nocebo in veritate mea. 34 Neque profanabo testamentum meum, & quæ proce-
dunt de labiis meis, non faciam irrita. 35 Semel juravi in sancto meo, si David
mentiar: semen ejus in æternum manebit. 36 Et thronus ejus sicut sol in con-
spectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. 37 Tu
vero repulisti, & despexisti: distulisti Christum tuum. 38 Evertisti testamentum
servi tui: profanasti in terra sanctuarium ejus. 39 Destruxisti omnes sepes ejus:
posuisti firmamentum ejus formidinem. 40 Diripuerunt eum omnes transeuntes
viam:

---

1 על ירא ראברהם ראתא מן מרינחאה

2 Hereclæot. Diodor. Euthym. Theodoret. Beda, Muis, Ferrand. alii.

viam : factus est opprobrium vicinis suis. 41 Exaltasti dexteram deprimentium
eum : lætificasti omnes inimicos ejus. 42 Avertisti adjutorium gladii ejus, & non
es auxiliatus ei in bello. 43 Destruxisti eum ab emundatione, & sedem ejus in ter-
ram collisisti. 44 Minorasti dies temporis ejus : perfudisti eum confusione. 45
Usquequo, Domine, avertis in finem : exardescet sicut ignis ira tua? 46 Memo-
rare, quæ mea substantia : numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?
47 Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem : eruet animam suam de ma-
nu inferi? 48 Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in
veritate tua? 49 Memor esto, Domine opprobrii servorum tuorum (quod conti-
nui in sinu meo) multarum gentium. 50 Quod exprobraverunt inimici tui, Domine,
quod exprobraverunt commutationem christi tui. 51 Benedictus Dominus in æ-
ternum : fiat, fiat.

℣. 1. MISERICORDIAS DOMINI IN ÆTERNUM CANTABO.] Quantumvis infelix sit ea conditio, in qua versamur, Domine; & licet in nos severissime animadvertas, non deero tamen, quo minus tuas misericordias annuntiem. Numquam ex animo, vel corde ea evelletur sententia; te scilicet Deum esse amantissimum, atque summopere misericordem. Antiqua Psalteria, & pleraque Exemplaria Septuaginta [1] legunt : *Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo*.

℣. 2. IN GENERATIONEM, & GENERATIONEM; ANNUNTIABO VERITATEM TUAM IN ORE MEO.] Licet tot nobis ingruentia mala vetustis promissionibus tuis adeo videantur opposita, licet impatiens ratio, animusque doloribus exasperatus alienos sensus submittat, numquam deero, quo minus in omnes generationes confitear, te, Deus, esse fidelem, constantem, & qui in promissis tuis fallere nequis. Meam potius accusare velim ignorantiam, vel impietatem, quam aliquam mihi contra veritatem tuam, suspicionem suboriri permittam. Novi, quod licet omnipotens sis, non potes tamen promissi fidem non præstare. Neque enim amplius Deus esses, si non esses amplius verax, atque misericors.

℣. 3. QUONIAM DIXISTI : IN ÆTERNUM MISERICORDIA ÆDIFICABITUR IN COELIS; PRÆPARABITUR VERITAS TUA IN EIS [2].] Misericordia, & veritas tua immutationi obnoxiæ non sunt, perire nequeunt, neque tempori, neque revolutionibus ullis subjectæ; scio, Domine, illas subsistere, atque constituras esse in Cœlis; itaque si ausim veteres promissiones tuas referre, ac tibi repræsentare ea, in quæ cecidimus, mala, quamvis tot tantaque patribus nostris pollicitus fueris, non ideo tamen te vel inconstantiæ, vel injustitiæ insimulaverim; sed Nationis nostræ dumtaxat peccata accusabo, vel ignorantiæ meæ dumtaxat vitio vertam, quæ altitudinem consiliorum tuorum perscrutari non valuit.

Hebræus [3] : *Quoniam dixi : misericordia ædificata est in Cœlis, ibi veritatem tuam confirmasti*. Hæc mecum: fieri nequit, ut Domini veritas, & misericordia umquam deficiant; ipsæ fundatæ sunt, confirmatæ, constitutæ in Cœlis. Cœli, antequam illæ, perituri sunt; ipsæ Cœli ipsius ævum exequabunt [4]; in omnia scilicet sæcula vigebunt. Verti quoque potest : *Ædificabitur misericordia in æternum, tu Cœlos confirmasti, veritas tua est in illis*.

℣. 4. DISPOSUI TESTAMENTUM ELECTIS MEIS, JURAVI DAVID SERVO MEO.] Ethan Dominum hic loquentem introducit. Fœdus olim percusseram cum Abraham, Isaac, & Jacob, atque instauravi illud cum A Moyse, & Josue; & generatim illis, pro universo populo Israel plurima pollicitus sum; sed cum David servo meo peculiare pepigi fœdus; atque juris jurandi fide interposita illi spopondi futurum, ut Regnum de domo illius non egrederetur, thronus ejus non subverteretur, sed ibi semen ejus in æternum regnaret; *Usque in æternum præparabo semen tuum*. Postrema hæc promissio Messiam præcipue respiciebat, neque hoc ab Ethan ignorabatur, quandoquidem infra vers. 52. conqueritur, quod inimici sui illi exprobrabant commutationem, vel cunctationem Christi : *Exprobraverunt commutationem Christi tui*, perinde ac fides eorum, quæ antiquitus promissa fuerant, non præstaretur.

℣. 5. USQUE IN ÆTERNUM PRÆPARABO SEMEN TUUM, & ÆDIFICABO IN GENERATIONEM, & GENERATIONEM SEDEM TUAM.] Dixi jam, primam ex B his promissionibus Messiam præsertim respicere; illæ enim numquam perfecte adimpletæ fuerunt in semine David : plurima interiere sæcula, ex quo nemo ex hac familia cognoscitur; & duo mille, atque ultra jam excesserunt anni, ex quo non regnat amplius, & subversus est thronus illius. Promissio autem subsistit, ac æternum subsistet in J. C. atque in veris filiis ejus, in fidelibus Legis illius observatoribus, & hæredibus fœderis ipsius. Regnum ejus optime constitutum est, ac semper in Ecclesia subsistet; ibi autem Ministri illius throno ejus insidentes omnino spirituale, atque in veritate, & justitia positum exercent imperium. Videri possunt 2. Reg. 7. vers. 9. 10. 12. & 1. Par. 17. vers. 11. 12. 13. 14. & Psalmus 131. ℣. 11. 12. pro iis, quæ Deus C Davidi promisit.

℣. 6. CONFITEBUNTUR COELI MIRABILIA TUA, ETENIM VERITATEM TUAM IN ECCLESIA SANCTORUM.] Promissiones tuæ nequaquam inanes fuerunt; earum enim miri adeo visi sunt effectus, ut Cœlum dumtaxat eos valeat annuntiare. Sanctorum, Angelorumque tuorum lingua exposceretur, ut dignis celebrarentur encomiis fidelitas tua in promissionibus, ac veritas tua semper eadem, & constans.

℣. 7. QUIS IN NUBIBUS ÆQUABITUR DOMINO; SIMILIS ERIT DEO IN FILIIS DEI?] Comparabitne aliquis Deo meo sydera, vel Angelos? Splendor, species, magnitudo illorum, horum vero sapientia, puritas, & sanctitas, nihilum sunt, si cum eo conferantur. In Scripturis [5] *Filii Dei* Angelos plerumque de- D signant, tunc præsertim cum de Cœlis fit sermo. Hebræus [6] : *Quis enim similis erit Domino in Cœlo*, in aere, in nubibus; *quis similis erit Domino inter filios Deorum?* Symmachus [7] : *Quis se Domino comparabit in aere, inter filios Deorum?* Patres [8] hoc explicant de filio Dei, JESU CHRISTO, qui toto cœlo non homines solum

1 70. Edit. Roman. & Complut. & Theodoret. Τὰ ἐλέη σου, κύριε, εἰς τὸν αἰῶνα ᾄσομαι. Ita Athanas. August. Psalter. Roman. Mediolan. S. German. Carnut. 2 Hæc verba *in eis* non extant in Septuaginta, atque S. Augustino, neque in veteribus Psalteriis Latinis.

3 כי אמרתי עולם חסד יבנה שמים הכין אמונתך בהם Aquil. Symmach. Th. 5. Edit. Hieron. *Quoniam dixi*.

4 Vide Psalmum. 71. 5. *Permanebit cum sole, & ante lunam*. Et Psalm. 88. 30. *Thronum ejus sicut dies cœli*. Eccli. 45. 19. *Semen ejus sicut dies cœli*. 5 Job. 1. 6. 38. 7. Vide Chald. Muis, Hamm.

6 כי מי בשחק יערך ליהוה ידמה ליהוה בבני אלים 7 Sym. Τίς γὰρ ἐν αἰθέρι ἀντιπαραθήσεται τῷ κυρίῳ ἐν υἱοῖς Θεοῦ. 8 Vide Euseb. & Hieron. hic.

solum, sed Angelos ipsos, vel Dei filios exsuperat : *Multi filii per adoptionem*; ait S. Hieronymus, *sed nullus unigenito filio vero Deo potest assimilari*.

℣. 8. DEUS, QUI GLORIFICATUR IN CONSILIO SANCTORUM.] Ethan nobis exhibet Dominum, veluti magnum Regem in medio Optimatum, Consiliariorum, Ducumque suorum. Deus est in medio Angelorum suorum, in consilio Sanctorum, gloriæ, ac majestatis suæ luce præfulgens, & magnitudinis suæ splendore, quidquid illi circumstat, obscurans. Ipse est inter Angelos, quemadmodum Sol inter sydera. Hebræus [1] : *Dominus terribilis est in magno Sanctorum arcano*, vel etiam *in penitiori adyto Sanctuarii sui*. Sed prior versio melior est, & melius iis, quæ sequuntur, adhæret: *Terribilis est in medio eorum, qui stant circum ipsum*. Angeli ipsi nonnisi trementes coram illo apparent. Symmachus [2] : *Domine Deus invicte in magno consilio Sanctorum tuorum, & terribilis, super eos omnes, qui stant circum te*.

℣. 9. DEUS VIRTUTUM, QUIS SIMILIS TIBI ? POTENS ES, DOMINE ; & VERITAS TUA IN CIRCUITU TUO.] Sæpius redit ad Dei veritatem, & fidem in exequendis promissionibus suis, se veluti excusaturus ob ea, quæ dicturus est. Ne momento quidem umquam de summa tua fide in iis adimplendis, quæ spopondisti, dubitavi, Domine ; scio, a te numquam abesse veritatem tuam, & te esse æque potentem, & verum; Sed per te mihi liceat sciscitari, qui fit, ut familia David, cui adeo magnifica pollicitus fueras, hodie adeo abjecta sit, & depressa ? Vide Theodoretum hic.

℣. 10. TU DOMINARIS POTESTATI MARIS.] Hebræus [3] : *Dominaris superbiæ*, fluctibus, elationi maris. In tua potestate positum est, seu excitare, seu sedare procellas.

℣. 11. HUMILIASTI, SICUT VULNERATUM SUPERBUM.] Pharaonem [4] superbum illum, obduratumque Principem vicisti, cumque ad pedes tuos abjecisti, tamquam hominem lethali vulnere confossum, atque ad pedes inimici sui pervolutum. Ethan alludit ad locum Rubri maris. Hebræus verti posset [5] : *contrivisti* trucidasti *Ægyptum*, vel Ægyptium, *velut hominem vulneribus confectum*. Adest hic vox eadem *Rahab*, quam Ægyptum significare, superius in Psalmum 86. 4. docuimus. Isaias 51. 9. & Job 26. 12. eadem utuntur locutione ad innuendam Pharaonis, & exercitus ejus in mari rubro cladem.

℣. 12. AQUILONEM, & MARE TU CREASTI; (13.) THABOR, & HERMON IN NOMINE TUO EXULTABUNT.] Plurimi putant, *Aquilonem*, *& mare*, vel potius [6] *dexteram*, uti est in Hebræo, Septentrionem, & meridiem significare ; *Thabor* vero occidentem, & *Hermon* orientem, & quatuor hæc nomina isthic pro omnibus terrarum partibus usurpari [7]. Nemo nescit, in Scripturis *dextera* denotari meridiem. Hebræi enim, de quatuor terrarum plagis loquuntur pro hominis situ orientem respicientis, cujus ideo tergum occasum, meridiem dextera, & læva aquilonem spectat. Verum hoc insuetum est, atque inauditum, quod ad terrarum partes designandas duo montium nomina usurpentur; licet re ipsa Thabor, Galilææ mons ad occasum montis Hermon consurgat, qui est trans Jordanem ad orientem originum fluminis hujus.

℣. 13. TUUM BRACHIUM CUM POTENTIA :] Tua tantum interest ostentare supremam brachii tui potentiam. Vel [8] : Ad te spectat brachium cum robore. Homines brachium quidem habent, sed tua ope destituti, nihilum valent. Pharao, & exercitus ejus ad pedes tuos prostrati ceciderunt, quin ne minimum quidem, resistere potuerint ; arma, currus, equi, brachia nihil illis profuerunt contra brachii tui potestatem.

℣. 14. FIRMETUR MANUS TUA, & EXALTETUR DEXTERA TUA.] Fac, ut protectionis tuæ sentiamus effectus adversus inimicos tuos, qui nobis undique circumstant. Symmachus [9] : *Manus tua invicta est, dextera tua est elevata*. Sed Hebræus [10] Vulgatæ magis conformis est.

℣. 15. MISERICORDIA, & VERITAS PRÆCEDENT FACIEM TUAM.] Erunt veluti præcursores tui, & veluti satellites, qui Principes præcedunt populum semoturi. Deus gratias suas, & misericordias, quocumque pergit, effundit, & iis omnibus, qui fideles sibi adhærent, promissionum suarum fidem præstat. Sunt, qui vertunt [11] : *Misericordia & veritas præveniunt faciem Dei*. Harum virtutum exercitatio Dominum disponit, ut nobis gratificetur. At priorem sensum eligere mallem. Psalmi hujus Auctor totus in eo est, ut ubique misericordiam, & præsertim veritatem Dei commendet.

℣. 16. BEATUS POPULUS, QUI SCIT JUBILATIONEM ; IN LUMINE VULTUS TUI AMBULABUNT.] Eos benigno intuitu dignaberis, tuto illi ob oculos tuos, & tuo suffulti præsidio ambulabunt. Reor Ethan isthic prosequi descriptionem agminis Domini, & alludere ad Sacerdotum, Levitarumque manus, atque ordinem, quem in solemnibus cæremoniis obtinebant semper prope Arcam, & ut ita dicam, ob oculos Dei. En tibi superioris, & hujus versiculi Textus Hebraicus [12] : *Misericordia & veritas præcedent te : felix populus, qui novit clangere buccina. Domine, ipsi ambulabunt in lumine vultus tui, & in nomine tuo lætabuntur &c.* Sacerdotum munus erat buccina personandi [13] : plerumque prope Arcam incedebant, eamque ipsi gestabant. Felicibus Reipublicæ temporibus eorum conditio mitissima erit, & valde honorifica. Ethan horum isthic meminit, ut Domino in memoriam revocet antiquas ipsius erga populum suum misericordias, præcipue vero erga Sacerdotes suos, atque Levitas ; ex quorum numero ipse quoque erat.

℣. 17. QUONIAM GLORIA VIRTUTIS EORUM TU ES, & IN BENEPLACITO TUO [14] EXALTABITUR CORNU NOSTRUM.] Auctor semper veluti bonus Levita loquitur. Tu solus, Domine, nostram constituis felicitatem, gloriam, robur, auctoritatem, famam, potentiam, opes : *Tu exaltas cornu Ministrorum tuorum*, eos gloria circumdas, & cumulas bonis.

℣. 18. QUIA DOMINI EST ASSUMPTIO NOSTRA : & SANCTI ISRAEL REGIS NOSTRI.] Dominus nos in populum suum adoptavit, & Sanctus Israelis est noster Rex. Tu, Domine, gratuito beneficio tuo Levi familiam elegisti, quæ tibi in Templo tuo ministraret. Tu, o Sancte Israelis, noster es Rex, nosque famuli tui, atque Ministri. Hebr. [15] *Dominus est clypeus noster, & Sanctus Israelis est Rex noster*. Antiqui Hebræi [16] Regibus suis clypei nomen tribuebant ; Prin-

---

1 אל נערץ בסוד קדשים רבה Aquil. Ἰσχυρὸς καταπληκτικὸς ἐν ἀπορρήτῳ ἁγίων πολλῷ, καὶ ἐπίφοβος ἐπὶ πάντας κύκλῳ αὐτοῦ. 2 Symmach. Θεὸς νικητὴς ἐν ὁμιλίᾳ ἁγίων πολλῇ, καὶ ἐπίφοβος ἐν πᾶσι τοῖς περὶ αὐτόν.

3 אתה מושל בגאות הים 4 Ita Chald. Theodoret. & alii plures.

5 אתה דכאת כחלל רהב 6 צפון וימין אתה בראתם תבור וחרמון בשמך ירננו Symmach. Εἰς βορρᾶν καὶ δεξιὰν σὺ ἔκτισας. Θαβὼρ, καὶ τὸ Ἑρμὼν τὸ ὄνομά σου εὐφημήσουσι. Ita fere Aquil. Ἐν τῷ ὀνόματί σου αἰνέσουσι. 5. Edit. Βορρᾶν καὶ νότον σὺ ἔκτισας. 7 Ita Chald. Athanas. alii plerique.

8 לך זרוע עם גבורה 9 Symmach. Ἀήττητος ἡ χείρ σου, ὑψηλὴ ἡ δεξιά σου.

10 תעז ידך תרום ימינך 11 חסד ואמת יקדמו פניך

12 אשרי העם יודעי תרועה יהוה באור פניך יהלכון Symmach. Ὁ γινώσκων σημασίας. 70. Ὁ γινώσκων ἀλαλαγμόν.

13 Num. 10. 2. . . . 8. 14 Psalter. S. German. *In bona voluntate tua exaltabitur &c.* Psalter. Mediolan. *In tua justitia*. 15 כי ליהוה מגננו ולקדוש ישראל מלכנו

16 Vide Rabb. Kimchi, Abenezr. Muis, Hammon. Vide Psalm. 46. 10. כי לאלהים מגני ארץ *Domini sunt clypei terræ*.

Principum enim erat populos suos protegere, eisque adversus inimicos eorum suppetias ferre. Dici quoque potest, esse quidem Dominum populi sui clypeum, & Regem, præcipue tamen Ministrorum, Sacerdotumque suorum.

℣. 19. TUNC LOCUTUS ES IN VISIONE SANCTIS TUIS, & DIXISTI: POSUI ADJUTORIUM IN POTENTE, & EXALTAVI ELECTUM DE PLEBE MEA.] Ethan de David loqui incœperat vers. 4. & 5. sed intercidit sermonem suum per mentis suæ ad Deum elationem, & potentiæ illius, misericordiæ, & veritatis laudem, quod est veluti quoddam proœmium pro iis, quæ in reliquo Psalmo dicturus est. *Tunc*, videlicet postquam elegisti David, hominem illum secundum cor tuum ostendisti *Sanctis tuis*, Prophetis Samueli, Nathan, & Gad, quid de Rege illo decresses; dixisti eis: dedi auxilium, atque protectionem meam viro forti; in illius manu quodammodo constitui potestatem, ac vires meas, ut protegeret, atque tueretur populum meum [1]; & elegi illum de medio populi mei, juxta ea, quæ olim Moysi promiseram, dicens. Cum Regem eligere volueris, *eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus*, Deut. 17. 15. 16.

Hebr. [2] *Cum in visione locutus es misericordi tuo*, Samueli, Sancto tuo, tuo homini pio, & dixisti illi: *præparavi auxilium pro potente*, pro bellatore, pro heroe, *& elevavi Electum de medio populi mei*. Verti quoque potest [3]: *locutus es Sancto tuo*, Samueli, *& dixisti illi, dedi auxilium contra potentem*, contra inimicum, contra eos, qui lacessunt populum meum; sed ea, quæ sequuntur explicationi huic adversari videntur [4]: *& exaltavi electum de plebe mea*; elevavi illum, roboravi, elegi, & confirmavi.

Septuaginta [5], & alii omnes antiqui Interpretes Græci, S. Hieronymo teste, legebant olim: *In visione locutus es Sanctis tuis*. Sola Versio Septuaginta, quam *communem* appellant, habebat: *Locutus es filiis tuis*, & Editio sexta in Hexaplis, *Prophetis tuis*. Sed hodie omnes, quæ supersunt Versiones Septuaginta [6] legunt: *locutus es filiis tuis*. S. Augustinus, & antiqua Psalteria [7] Latina, & Arabica versio similiter legunt. Videri possunt 1. Reg. 13. 14. & 16. vers. 1. 2. ac sequentibus, ea, quæ Dominus de David revelavit Samueli, uti quoque 2. Reg. 7. 5. & 1. Par. 11. vers. 2. 3. & 17. vers. 3. 10. 11. &c. ea, quæ de eodem Rege Dominus Prophetæ Nathan ostendit.

Hæc omnia applicari possunt J. C. quem Prophetæ omnes prædixere Spiritu, ac virtute Altissimi repletum, qui cum auctoritate morti, morbis, elementisque imperavit, qui potentia sua populum suum protexit, & opitulatus est illi misericordia sua, qui eum de morte, ac de inferno redemit, qui denique nobis similis effectus est, ut nos sibi similes faceret.

℣. 20. INVENI DAVID SERVUM MEUM; OLEO SANCTO MEO UNXI EUM.] Principem hunc inveni, patris sui oves pascentem, eduxi illum de agris, & de latebris, in quibus versabatur, ut illum populo meo præficerem; et Samuelem Prophetam meum misi, qui eum Regio chrismate inungeret. Hæc erat figura eorum, quæ in J. C. persona erant eventura. Deus misericordiæ suæ effectu prorsus gratuito, Davidis stirpem elegit. Inde humanum corpus, & servi formam suscepit, in qua gratiæ rationem accepturus erat, ac ibi tota Divinitatis plenitudo erat habitatura, ut redimeret, ac salvaret, non totam domum Israel solum, verum etiam omnes terrarum Nationes. Septuaginta Romanæ Editionis habent [8]: *Inveni David servum meum; & sancta mea misericordia unxi eum*; quam lectionem sequutus est S. Hieronymus in Isaiam 55. 3.

℣. 21. MANUS ENIM MEA AUXILIABITUR EI &c.] Hebr. [9] *Manus mea cum illo confirmabitur, & brachium meum roborabit illum*. Manus mea non derelinquet illum; illi semper me patrocinaturum polliceor.

℣. 22. NIHIL PROFICIET INIMICUS IN EO, & FILIUS INIQUITATIS NON APPONET NOCERE EI.] David bellum inferet, ac bello vincet omnes inimicos Israel, & illi nemo resistere poterit. Frustra eum Saul persequetur, frustra Absalon ab eo deficiet, frustra Seba populi partem adversus illum concitabit; frustra Saulis studiosi Regnum illi auferre contendent, frustra Philisthini, Ammonitæ, Syri omnes conatus, viresque suas opponent illi; dissipabit eos, domabit, delebit.

Hebr. [10] *Inimicus non impones illi*, illi non fucum faciet, non os sublinet, astu, dolisque suis in laqueos suos non pertrahet; vel *inimicus non impones illi tributum* [11], nullam ab eo servitutem, nullum onus, tamquam Dominus a subdito exiget, *& filius iniquitatis non humiliabit illum*, non affliget eum, non officiet illi [12]. Hoc de proditore Juda, ac de J. C. inimicis explicatur, qui citra intentionem, inviti nonnihil gloriæ J. C & totius humani generis felicitati contulerunt.

℣. 23. ODIENTES EUM IN FUGAM CONVERTAM.] Hebr. [13] *Percutiam*, perdam, *eos, qui illum oderunt*. Hoc equidem in David inimicis adimpletum est, sed longe insignius in illis, qui morti J. C. addixerant. Deus eam suscepit ultionem, quæ sæculis omnibus terrorem afferret, & cujus ad hanc diem intuemur effectus in Judæis, qui miseri, & infelices in omnibus terrarum angulis delitescunt.

℣. 24. ET VERITAS MEA, & MISERICORDIA MEA CUM IPSO, & IN NOMINE MEO EXALTABITUR CORNU EJUS.] Eum donis cumulabo, integerrime fidem eorum præstabo, quæ illi pollicitus sum: Ipse invocabit me, & ego ad potentiæ atque gloriæ apicem illum extollam: *Et in nomine meo exaltabitur cornu ejus*; hoc est, cum ad me confugiet, & invocabit nomen meum, replebo eum virtute, vel illum gloria cumulabo. Vel, Nominis mei præsidio suffultus de inimicis suis insignem referet victoriam. Hæc omnia apertius adhuc de J. C. vera agnoscuntur, qui essentialis est Veritas, & rivulus, per quem in nos Dei misericordiæ dimanant. *Cornu ejus* significare potest gloriam, vel fortitudinem, vel etiam crucem illius, quæ fuit instrumentum victoriæ suæ, & ubi refertissimum de hostibus suis triumphum reportavit.

℣. 25. ET PONAM IN MARI MANUM EJUS, & IN FLUMINIBUS DEXTERAM EJUS.] David extendit manum suam in mare, Philisthinis devictis, & imperii sui finibus in omnia Mediterranei littora a Tyro ad Pelusium usque prolatis. Mare Rubrum, Sinus Persicus, & Oceanus Arabicus, hoc est horum marium littora ipsi subdita erant, ac illi tributum pendebant, quandoquidem vectigales illi erant Idumæi, Amalecitæ [14], ac populi Arabiæ. Eupolemus apud Euseb. Præpar. l. 9. 6. c. 30.

---

1 Var. Muis, Geier. Mar. Belg. alii.

2 אז דברת בחזון לחסידך ותאמר שויתי עזר על גבור הרימותי בחור מעם Symmach. Ἐπέθηκα ἀντίληψιν ἐπὶ δυνατὸν. ὕψωσα ἐπίλεκτον ἀπὸ τοῦ λαοῦ μου.

3 Jun. Tremel. & Muis.

4 Vide Geier. & Psalm. 20. 6.

5 Vide Hieronym. Ep. ad Suniam & Fretell.

6 70. Τότε ἐλάλησας ἐν ὁράσει τοῖς υἱοῖς σου. Ita Theodoret. Euseb. Athanas.

7 Psalter. Roman. Mediol. S. German. Carnut.

8 70. Edit. Rom. Εὗρον Δαυὶδ τὸν δοῦλόν μου, ἐν ἐλέει ἁγίῳ ἔχρισα αὐτόν. Complut. Ἐν ἐλαίῳ ἁγίῳ μου.

9 אשר ידי תכון עמו אף זרועי תאמצנו Symmach. Ἡ δεξιά μου βεβαίως συνέσται αὐτῷ, καὶ ὁ βραχίων μου στερεώσει αὐτόν.

10 לא ישא אויב בו ובן עולה לא יעננו

11 Chald. Tig. Geier. Hamm. Symmach. Οὐκ ἐξαπατήσει αὐτὸν ἐχθρός.

12 Pagn. Vatab. Muis, Kimchi, Rab. Sal. & Mos. Mar. alii. Symmach. Οὐδὲ ἄδικος κακώσει αὐτόν. Theodot. Οὐ κακουχήσει αὐτόν.

13 ומשנאיו אגוף Symmach. Τοὺς κακοποιοῦντας αὐτὸν πατάξω.

14 2. Reg. 8. 13. 14. & 2. Par. 18. 11.

3. c. 30. refert, Davidem instruxisse classes in mari rubro; & non secus ac Salomonem ad longa maris itinera eas dimisisse. Compertum, exploratumque est, postremum hunc Regem imperium suum in hæc maria exercuisse [1]; attamen ibi id tantum possidebat ille, quod ex Patris hæreditate ad ipsum contigerat. Denique Rabbini [2] tenent, Deum Majoribus suis maris imperium spopondisse in ea omnia loca, quæ inter Phœniciæ, ac Syriæ littora continentur, ac lineam a promontorio Montis Amani ad Gaditanum fretum ducendam, vel ut alii malunt, a monte Amano, Pelusium usque. Sed promissiones hæ tunc solum adimpletæ fuerunt, cum David, & Salomon Regnum obtinuerunt.

Quoad flumina, ad quæ Rex ille suam manum, ac victricia arma protendit, Euphrates in primis recenseri potest; ibi enim dimicavit, & omnem Syriam, immo & Mesopotamiæ partem [3] subegit; Damascum quoque cepit, ideoque & fluvium Chrysorroam, vel Barradim; Toti Syriæ, quanta est, dominatus est, ideoque & fluminibus, quæ illac fluunt, quorum præcipui Orontes, & Eleutherus. Hoc autem ad David. Sed res nullam admittit pro J. C. difficultatem, immo Prophetæ verba rei veritatem non satis explicant. Imperium ejus in terras omnes, omniaque maria patuit [4]; ubilibet nomen illius colitur, & adoratur; ubicumque servos habet, ac veneratores.

℣. 26. PATER MEUS ES TU, DEUS MEUS, & SUSCEPTOR SALUTIS MEÆ.] Hebr. [5]: *rupes salutis meæ*. Hæ loquendi rationes summam innuunt fiduciam, qua David invocat Deum suum; sed si pressius sumantur, J. C. tantum conveniunt, Deum Patrem suum, Deum suum, rupem salutis suæ invocanti. Servi formam accipiens Dei dignitatem minime amisit; si Dominum Deum suum dicit, ut homo; ut Deus, illum Patrem appellat.

℣. 27. ET EGO PRIMOGENITUM PONAM ILLUM, EXCELSUM PRÆ REGIBUS TERRÆ [6].] David semper a Deo exceptus fuit tamquam filius dilectus. Cum occasio tulit, eum summo cum amore tutatus est. Si afflictionibus, & ærumnis illius periculum fecit; vi acriter in ipsum animadvertit, cum in terrorem aliquem incidit, hoc ipsum satis probat, Deum veluti amantissimum patrem illi fuisse, quandoquidem velut filium eum corrigebat. *Primogeniti* nomen non semper ad literam sumitur, & sæpius simpliciter dilectum filium, aliis paterna electione prælatum, vel aliqua gloriosa prærogativa præ aliis distinctum significat. Ita Dominus Israel suum primogenitum vocat [7]: *Filius meus primogenitus Israel*. Et Jerem. 31. 9. Ephraim quoque primogenitum dicit.

Fuit quoque Rex idem excelsior præ omnibus Regibus terræ ævi sui [8], immo & temporum, quæ illum subsecuta sunt; plurimis enim præ aliis enituit privilegiis. Quis enim simul tantam prudentiam, pietatem, sapientiam, potentiam, divitias tantas, & omnia simul obtinuit? Verum quæcumque præclara de magno hoc Principe prædicaveris, ad id proderunt, ut magis, magisque magnifica prædicanda esse intelligantur de J. C. cujus ille rudis erat imago, & quem non nisi infinita cum inæqualitate poterat repræsentare. JESUS CHRISTUS profecto est Patris primogenitus, Æternus, infinite sapiens, infinite perfectus, infinite potens, quemadmodum Pater suus; & tantum supra Reges terræ elevatus, quantum Divinitas super creaturas, & res ipsa super umbram, & figuram eminent.

℣. 29. PONAM IN SÆCULUM SÆCULI SEMEN EJUS, & THRONUM EJUS SICUT DIES COELI [9].] Locutiones hæ pressius sumptæ intelligi nequeunt de progenie David secundum carnem. Thronus illius subversus est tempore Sedeciæ, & Nabuchodonosor, & duo jam annorum millia, & amplius exciderunt, ex quo non subsistit, & numquam amplius revivixit. Nam quamvis Zorobabel de captivitate reversus aliqua apud suæ Nationis viros auctoritate polluerit, nemo umquam dicere audebit ipsum regnasse, vel absoluta auctoritate imperitasse. Post sæculum J. C. vel fortasse post sæculum a J. C. Davidis familia non amplius innotuit, eaque vel prorsus extincta est, vel adeo inter Nationis reliquias permixta, ut nequeat amplius dignosci; ideoque illius existentia nequit nobis amplius probari.

Igitur ad J. C. confugiendum est, qui omni procul dubio ex tribu Juda, & ex progenie David ortus est, & in quo superabundanter adimpletæ fuerunt magnificæ promissiones, quas Deus Davidi, atque illius soboli dederat. Divinus hic Salvator æternum vivit, æternum regnat, thronus illius constans est, viget, & æternum vigebit. Non loquor solum de æterno illius regno, atque ditione, quam veluti Deus in Cœlis in omnes Creaturas exercet; verum etiam de illius regno, atque imperio in verum Israel, in populum electum, in Ecclesiam suam, ubi spiritualem exercet dominationem per ministros suos, quibus potestatem suam est impertitus, & quos voluntatis suæ executores constituit.

℣. 32. VISITABO IN VIRGA INIQUITATES EORUM.] Si filii tui in officio non se continuerint, eos impunes abire nequaquam patiar, sed tamquam pater eos corrigam; non tamen sæviam in eos, veluti inimicos summa cum severitate; neque eos excipiam veluti alienos, & quibuscum nihil mihi sit, & quorum errores dissimulem; virga eos corrigam, ut meliores efficiam [10], & ab æternis suppliciis eripiam.

℣. 33. MISERICORDIAM AUTEM MEAM NON DISPERGAM AB EO, NEQUE NOCEBO IN VERITATE MEA.] David ipsum summa semper benevolentia complectar, & experietur ille veritatem eorum omnium, quæ illi pollicitus sum. Antiqua nonnulla Psalteria plurali numero legunt [11]: *Misericordiam autem meam non dispergam ab eis, neque nocebo eis in veritate mea*, scilicet filiis David. Hebr. [12]: *Non amovebo ab eo misericordiam meam, & in veritate mea non mentiar*. Non fallam eum, promissa mea, neque mendacia erunt, neque dolosa.

℣. 35. SEMEL JURAVI IN SANCTO MEO, SI DAVID MENTIAR.] Davidi pollicitus sum, idque jurejurando irrevocabili per nomen Sanctum meum [13], nec mentiar illi. Vel, *semel juravi*, hoc est juramento irrevocabili, quod tale est, ut alterum fieri nequaquam necesse sit; juramento firmo, atque immutabili; *juravi in Sancto meo*, per sanctitatem meam, per ipsum me, vel in Sanctuario meo, *et non mentiar illi*; non deero promissionibus meis. Deus jurat per sanctitatem suam, per se ipsum [14], cum nihil ipso sit sanctius, per quod possit jurare. *Quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per semetipsum*. Hebr. 6. 13.

SEMEN EJUS IN ÆTERNUM MANEBIT &c.] Hic idem sensus est, ac ℣. 29. Tamquam Solem manere, vel sicut dies cœli subsistere, unum idemque significant.

℣. 36. ET SICUT LUNA PERFECTA IN ÆTERNUM: & TESTIS IN COELO FIDELIS.] Thronus servi mei David, filiorumque ejus æque subsistet ac Sol, & Luna. Duo hæc Sydera testes erunt fœderis mei cum illo. Donec illa splendore suo Cœlum, terrasque illustrabunt, memor

---

1 Psal. 71. 8. 15. 3. Reg. 10. 11. 15. 2 Vide Num. 34. & Seld. Mare Clausum. l. 1. c. 6.
3 2. Reg. 8. 3. & 1. Par. 18. 3. & 2. Reg. 10. 16. 19. 4 Zach. 9. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & salvator. . . & potestas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ.*
5 צור ישועתי . 6 Aug. Psalt. S. Germ. & Carnut. *Excelsum apud Reges terræ*; 70. Παρὰ τοῖς βασιλεῦσι τῆς γῆς. Sym. Ἀνώτατον τῶν βασιλέων, &c. 7 Exod. 4. 22. & Eccli. 36. 14.
8 1. Par. 14. 17. *Divulgatum est nomen David in universis Regionibus, & Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes.* 9 Confer. Deut. 21. 21. Baruch. 1. 11. Eccli. 45. 19.
10 Vide 2. Reg. 7. 14. 15. & Psal. 131. 12. 11 70. Complut. Τὸ δὲ ἔλεός μου οὐ μὴ διασκεδάσω ἀπ' αὐτῶν. Psalt. Mediol. & Carnut. *Non dispergam ab eis, neque nocebo eis*, &c.
12 וחסדי לא אפיר מעמו ולא אשקר באמונתי Sym. Οὐ ψεύσομαι. 13 Ita Chald.
14 Vide Amos 4. 2. *Juravit Dominus in sancto suo*. Genes. 22. 16. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus.*

memor ero fœderis, quod illi pollicitus sum. Sunt [1] qui putent, fidelem hunc testem, qui est in Cœlo, esse Verbum Dei, increatam sapientiam, Messiam, Unctum Domini, qui in Scripturis *testis fidelis* vocatur [2]. Alii [3] putant, hunc esse Deum ipsum, qui jurat; sed præstat hoc de Syderibus, Sole, & Luna intelligere [4], vel etiam, si cum quibusdam mavis [5], de Iride. Hebræus [6]: Thronus ejus *in æternum constitutum erit sicut Luna, et ipsa erit testis in Cælo fidelis*. Vel [7]: Subsistet *tamquam Luna, quæ in æternum manet*, & quæ est *testis fidelis in Cælo*.

℣. 37. Tu vero repulisti, & despexisti; distulisti Christum tuum.] Rejecisti posteritatem David, subvertisti, & despexisti thronum ejus, & differs mittere Unctum tuum, Salvatorem, ac Liberatorem nostrum. Ethan de Messiæ cunctatione queritur; B optasset enim, ut ille quamprimum adesset, eos de captivitate educturus. Ardens cupiditas, qua flagrabant Judæi, illum primo quoque tempore intuendi, hanc in ipsis pepererat impatientiam, & solicitudinem.

Hæc Psalmi est pars altera. Auctor iis expositis, quæ Dominus Davidi, atque illius posteritati spoponderat, hanc sibi sumit facultatem illi ostendendi, tot ipse licet pollicitus, non sine jure jurando, fuisset, thronum David fuisse subversum, ejusque domum abjectam, prostratamque, & Sedeciam Regum Juda novissimum in vinculis obiisse procul a patria, & dignitatis suæ splendore destitutum: *Distulisti Christum tuum* Hebr. [8]: *Repulisti, et amovisti, iratus es contra Unctum tuum*; contra Sedeciam postremum Regem Judam. In alio sensu potest quoque intelligi de J. C. Deus Pater illius, C in ipso hominum scelera tantum considerans, quibus ille se se oneraverat, in eum summa severitate, & quadam contemptus, & iræ specie animadvertit; efficitque, ut gravissima pateretur supplicia, perinde ac vere ipse fuisset ipsius odii, atque abominationis objectum [9]. Hæc autem opponit iis, quæ ille promiserat David, futurum ut tamquam dilectum sibi filium tueretur, illius posteritatem, atque thronum in omnia sæcula servaret.

℣. 38. Evertisti [10] testamentum Christi tui, profanasti in terra sanctuarium ejus.] Subvertisti fœdus, quod cum servo tuo percusseras, & in terram abjecisti, velut profanum aliquod, sacra dignitatis ejus insignia. Hoc pacto Chaldæus, S. Hieronymus, aliique nonnulli [11] intelligunt *Sanctuarium eius*: D in terram projecisti, & quodammodo conculcasti *diadema illius*. Veteres quidam de Templo hoc intelligunt [12]: permisisti, ut Templum, quod David ædificare decreverat, & quod tibi Salomon ædificaverat, funditus everteretur. S. Augustinus, & antiqua Psalteria legunt [13]: *Profanasti Sanctitatem eius*.

℣. 39. Destruxisti omnes sepes ejus, posuisti firmamentum ejus formidinem [14].] Subvertisti muros Jerusalem, & omnium civitatum Juda, injecisti terrorem in exercitus, vel in arces illius. Hebræus verti potest [15]: *Fregisti omnes sepes ejus, contrivisti ar-*

A *ces illius*. Muri urbium ejus diruti sunt, arces illius sub suis sepultæ ruderibus jacent. Alludit ad agrum, vel vineam, cujus sepes subversæ sunt. Vide versiculum sequentem.

℣. 40. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam.] Veluti ager undique patens, aut vinea deserta, nec sepibus circumdata, nec muris clausa, exposita sunt prætereuntibus, qui omnia diripiunt, convellunt, auferunt: ita terra Juda derelicta est; illuc, quicumque voluerit, ingreditur; Urbes illius apertæ sunt, & sine incolis; alienigenæ illic sibi sedem constituunt, easque sibi vindicant; hinc Samaritani, illinc Idumæi: hinc Chaldæi, illinc Assyrii eam igni, ferroque vastare cœperant; eam subverterunt, exciderunt, depopulati sunt.

℣. 41. Dexteram deprimentium eum.] Hebræus, Septuaginta, antiqua Psalteria [16]. *Elevasti manum dexteram inimicorum ejus*.

℣. 42. Avertisti adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei in bello.] Hebr. [17] *hebetasti aciem gladii illius, neque auxiliatus es ei in bello*. Arma illius inutilia effecisti, eumque ab inimicis prosterni passus es, quin illi ullam opem præberes.

℣. 43. Destruxisti [18] eum ab emundatione, & sedem ejus in terram collisisti.] Omnem illi splendorem ademisti, & in terram thronum ejus elisisti; quæ plurimorum Interpretum [19] est explicatio. *Emundatio* significare potest splendorem, pulchritudinem, decus Regiæ dignitatis, vel hujus dignitatis insignia. Pro indumentis mundis, fulgidis, divitibus, atque magnificis, eum luctus squalore, & pannosis captivitatis serutis cooperuisti. Alii [20]; amovisti illum procul a patria ejus, ac Templo tuo, ubi, uti alias, legalibus sordibus se se expiare non potest. Chaldæus non procul abest ab hoc sensu: Removisti Sacerdotes, qui effundebant cruorem super altare tuum, & qui populum tuum lustrabant.

℣. 44. Minorasti dies temporis ejus.] Postremi quatuor Reges Juda non diu regnarunt, & vel in captivitate, vel ferro mortui sunt. Joachaz tres tantum menses imperavit, atque in Ægyptum captivus abductus fuit, ubi ultima passus est; Joachim septem regnavit annos, ita tamen, ut Chaldæis tributum persolverer, a quibus & occisus fuit, corpus illius in sterquilinium projectum. Jechonias tribus mensibus, ac diebus decem regnum obtinuit, & raptus fuit Babylonem captivus, ubi in vinculis ad regnum usque Evilmerodach permansit, a quo de carcere eductus fuit. Sedecias omnium novissimus undecim regnavit annos, captus deinde fuit, excæcatus, & catenis gravis Babylonem in captivitatem abreptus. Omnes ferme hi Reges violenta, ac immatura morte obierunt. Hebræus [21], & antiqui Interpretes Græci: *Minorasti dies adolescentiæ ejus*.

℣. 45. Usquequo, Domine, avertis in finem [22]?] Hebr. [23] *Usquequo, Domine, te in æternum abscondes?* Hic tertia psalmi pars incipit, oratio videlicet

---

1 Hieronym. hic, alii. 2 Isai. 55. 4. *Ecce testem populi dedi eum*. Apocal. 1. 5. *A Jesu Christo, qui est testis fidelis*. 3 Euseb. Theodoret. Cocc. Belgic. &c.
4 Rabb. Salom. Muis, Cast. Bossuet, Ainsv. 5 Geier. Confer Genes. 9. 9. 13.
6 כירח יכון עולם ועד בשחק נאמן 7 Ὡς ἡ μήνη ἑδραία αἰώνιος μένει.
8 ואתה זנחת ותמאס התעברת עם משיחך 70. reddiderunt התעבר per Ἀνεβάλετο, in Psalm. 77. 21. Hic, Ἀνεβάλε τὸν Χριστόν σου. Aquila adhue disertius, Ὑπερεθέτισας μετὰ ἠλειμμένου σου. Symmach. Ἐχολώθης κατὰ τοῦ Χριστοῦ σου. *Iratus es adversus Christum suum*. Vide Euseb. & Theodoret. hic.
9 Hieronym. Athanas. Euseb. 10 Psalt. Antiq. *Avertisti*. 70. Κατέστρεψας. Symmach. Εἰς κατάραν ἔδωκας. נארתה ברית עבדך 11 Ita Jun. Piscat Ferrand. Geier. &c. Hebr. חללת לארץ נזרו Chald. כליליה Hieronym. Diadema. 12 Theodoret. Athan. 13 Psalter. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut.
14 August. & Psalteria antiq. *Posuisti munitiones ejus formidinem*. 15 פרצת כל גדרותיו שמת מבצריו מחתה 16 הרימות ימין צריו 70. Ὕψωσας τὴν δεξίαν τῶν θλιβόντων αὐτόν. August. & Antiq. Psalter. *Dexteram inimicorum ejus*. 17 אף תשיב צור חרבו ולא הקמתו במלחמה
18 Κατέλυσας. *Dissolvisti*. Ita Aug. & Antiq. Psal. 19 Pagn. Vat. Muis, Geier, Mont. Jun. alii.
20 Heracleot. Theodoret. Ferrand. 70. Κατέλυσας ἀπὸ καθαρισμοῦ αὐτοῦ. Symmach. Ἀπέπαυσας τὸν καθαρισμὸν αὐτοῦ. 21 הקצרת ימי עלומיו 70. Complut. Ἐσμίκρυνας τὰς ἡμέρας τοῦ χρόνου αὐτοῦ. *Dies temporis*. Edit. Rom. Τὰς ἡμέρας τοῦ θρόνου. *Dies sedis ejus*. Ita Aug. Psalter. Æthiop. S. German Carnut. &c. Aquil. Τὰς ἡμέρας νεότητος αὐτοῦ. Symmach. Νεότητος αὐτοῦ. Hieronym. *Dies adolescentiæ ejus*.
22 70. Ἕως πότε ἀποστρέφῃ. Aug. & Ps. Mediol. *Averteris*. Psalter. S. Germ. & Carn. *Avertis te*. Rom. *Irasceris*. 23 עד מה יהוה תסתר לנצח Sym. Ἕως τίνος ἀποκρυβήσῃ.

QUARTUS PSALMORUM LIBER APUD HEBRÆOS.

PSALMUS LXXXIX.

Dominus Deus Æternus auxilium est, & præsidium Populi sui; eum, ut se convertat, adhortatur. Humanæ vitæ brevitas. Deploranda conditio, in quam Israel propter sua peccata redactus est: Dominum orat, ut illum visitet, atque consoletur.

Oratio Moysis hominis Dei.

ARGUMENTUM.

Hæc verba: *Moysis hominis Dei*, aperte Hebræorum Legislatorem designant [1], & eorum sententiam subvertunt, qui censent, Moysis nomen isthic Levitam cognominem significare [2]. Saadias putat, Moysis posteros indigitari [3], qui ex Levitarum numero erant, & quibus Psalmus hic traditus fuit recinendus. At crederem potius, nomen *Moysis hominis Dei* isthuc afferri, quemadmodum nomina Asaph, Ethan, & Heman alibi inveniuntur in fronte quorumdam Psalmorum, qui vel in ipsa, vel post ipsam captivitatem fuere compositi ab aliquibus e posteris trium illorum virorum, & quos ille cecinit Musicorum chorus, qui semper deinceps primorum Auctorum suorum nomen præ se tulit. Fateor quidem, plerosque Veterum, ac Recentiorum [4] psalmum hunc ipsi Moysi simpliciter tribuere; & S. Hieronymus [5] cum Rabbinis [6] contendit, etiam decem, qui consequuntur psalmos, ab eodem Legislatore fuisse conscriptos: sed S. Augustinus, cui haud ita modicus aliorum Interpretum numerus favet [7] tenet, psalmum hunc nequaquam Moysis fuisse, hac de causa, nam si a sancto illo viro fuisset compositus, in Pentateuchum relatus fuisset.

Ratio hæc non satis movet, qui in opposita sententia versantur; at aliæ huic addi possunt [8]. Exempli gratia, quod Auctor humanæ vitæ curriculum, septuaginta, vel ad summum octuaginta annorum esse, refert; cum Moysis ævo nequaquam raro illi invenirentur, qui ultra sæculum vitam producerent. Præterea in Psalmo 8. ℣. 6. qui Moysi & ipse tribuitur, explicite mentio fit Samuelis, qui multo post hunc Hebræorum Legislatorem floruit. Rationi huic Sancti Hieronymus ad Cyprian. atque Hilarius Proleg. in Psal. respondent, Moysem per revelationem Samuelis nomen agnovisse, nonsecus ac Propheta, missus in Bethel Josiæ [9], & Isaias Cyri nomina cognovere [10]. Sed in Psalmo nulla aderat prophetiæ quæstio: Quorsum enim Moyses de re futura tamquam de præterita ante plura sæcula loqueretur? Cur istud in oratione sua adferret, veluti argumentum ad Dei misericordiam flectendam, uti facit in Psalmo 98. Nequaquam confugiendum est ad miraculum, cum nulla urget necessitas at maximum sane miraculum esset, quod Moyses Captivitatem Babylonicam distincte prænovisset, & preces a Judæis captivis recitandas composuisset, & ibi suum una cum Samuelis nomine protulisset, cum inter utrumque aliquot sæcula intercessetint.

Nos in eorum partes concedimus, qui psalmum hunc in Babylonicæ Captivitatis tempus rejiciunt [11]. Versiculi 14. 15. 16. & 17. in hanc sententiam nos ultro impellunt. Moysis vero nomen fronti inscriptum est, vel quod ab aliquo a filiis Moysis compositus fuit, uti jam dictum est, vel quod psalmo huic reverentiam conciliare adnisi sunt, illustre adeo nomen præferentes, quemadmodum Beda Venerabilis existimat; vel denique propter quamdam similitudinem, quam psalmi hujus verba habere videntur cum nonnullis loquendi rationibus Moysis [12]. Cæterum stylus maxime obscurus est, & sublimis; & Versio Septuaginta, & Vulgatæ longe abest a textu Hebraico, qui hodie extat. Auctor Dei misericordiam erga populum suum afflictum, & peccatorem implorat: & utitur præcipue argumento ex hominis infirmitate, & vitæ brevitate ducto.

1. DOmine, refugium factus es nobis, a generatione in generationem. 2 Prius-
quam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis; a sæculo, & usque in
sæculum tu es Deus. 3 Ne avertas hominem in humilitatem; & dixisti:

1 Deut. 33. 1. 34. 5. Josue 1. 2. 12. 6. 1. Par. 23. 14. 1. Esdr. 3. 2. Psal. 105. 28.
2 Quid. apud Emman. Sa, Cosm. Monach. l. 5. p. 223. 3 Vide 1. Paral. 23. 15. 16. 26. 24. 25.
4 Origen. Athanas. hic, & epist. ad Marcell. Euseb. hic. Hieronym. hic, & epist. ad Cyprian. Hilar. Prologo in Psalmos. Ita Chald. & Rabb. plerique. Muis, Moller. Bossuet, Jun. Piscat.
5 Hieronym. ad Cyprian. & Origen. apud Hieronym tom. 2. contra Jovini. p. 137.
6 Rabb. Sal. Jarchi, Kimch. alii. 7 Aug. hic. Geneb. Bell. Euthym. Remig. Ludolf. Cajet. Grot. &c. 8 Vide Bellarm. & Ferrand. hic. 9 3. Reg. 13. 2.
10 Isai. 44. 28. 45. 1. 11 Heraclæot. Diodor. Theodorus, Theodoret. Beda, Græc. Interp. anonym. apud Corder. Ferrand. 12 Vide, si lubet, Abenezram hic.

Convertimini, filii hominum. 4 Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies
hesterna, quæ præteriit, 5 Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum
anni erunt. 6 Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat: vespere deci-
dat, induret, & arescat. 7 Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati
sumus. 8 Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illu-
minatione vultus tui. 9 Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua de-
fecimus. 10 Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in
ipsis, septuaginta anni. 11 Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius
eorum, labor, & dolor. 12 Quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur. 13
Quis novit potestatem iræ tuæ, & pre timore tuo iram tuam dinumerare? 14 Dex-
teram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia. 15 Convertere, Do-
mine; usquequo? & deprecabilis esto super servos tuos. 16 Repleti sumus mane
misericordia tua, & exultavimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris. 17
Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala. 18
Respice in servos tuos, & in opera tua: & dirige filios eorum. 19 Et sit splen-
dor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos: &
opus manuum nostrarum dirige.

ỳ. 1. DOMINE, REFUGIUM FACTUS ES NOBIS A GENERATIONE IN GENERATIONEM.] Frequenter adeo protectionis, & misericordiæ tuæ, Deus, effectus sumus experti, ex quo semen Abrahæ in populum tuum elegisti, ut tot licet peccatis polluti, audeamus adhuc ad te in hac gravissima calamitate confugere, a te consueta beneficia accepturi. Hebr. [1]: *Domine, tu es habitaculum nostrum a progenie in progeniem*. Tu asylus noster es, tu arx nostra, refugium, atque receptaculum. Chaldæus: Domine, cujus Majestas residet in Cœlis, tu nostrum fuisti præsidium, in omnibus generationibus.

ỳ. 2. PRIUSQUAM MONTES FIERENT, AUT FORMARETUR TERRA, & ORBIS, A SÆCULO, ET USQUE IN SÆCULUM TU ES DEUS.] Auctor Dei æternitatem, atque immutabilitatem commendat, ut eam opponat infirmitati, ac vitæ brevitati hominum, de quibus deinde locuturus est. Tu, Domine, ex omni, & in omnem viges æternitatem. Terra, & Cœli nondum prodierant ex nihilo; montes nondum positi fuerant, cum jam, uti nunc, subsisteres Deus æternus, atque immutabilis. At quinam est homo? quæ vita illius? quæ vis? iramne tuam meretur? dignumne est tuæ ultionis objectum? numquamne tandem populum tuum benigno intuitu dignaberis? Hebræus ad litteram [2]: *Antequam montes fuissent geniti, ac terra, & universus orbis parturirent, tu es Deus a sæculo, & usque in sæculum*. Vel; *antequam montes gignerentur, & tu in lucem Terras, ac Orbem universum ederes* &c. Scriptura [3] non semel his loquendi rationibus utitur, cum Mundi creationem vult designare; eam quippe veluti nativitatem Hebræi intelligebant. Deus Pater Omnipotens naturæ fœcunditatem largitus est; ipse produxit Chaos, quem Moyses *abyssum* appellat. Ex hujus chaos sinu terra prodiit, tamquam puer e matris suæ alvo, & montes quoque e sinu terræ extiterunt; unde orta etiam est veterum Physicorum sententia, qui rupes, montesque in singulos dies crescere, augerique existimabant [4]: *Quis conclusit ostiis mare*, dicit Dominus in Job 38. 8. *cum erumpebat, quasi de vulva procedens: cum ponerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverim?*

Antiqua Septuaginta Exemplaria, aliique Interpretes Græci, S. Hieronymo teste [5], hoc in loco similes erant, legebantque: *a sæculo, & usque in sæculum tu es Deus*; Quod Hebræo [6], Chaldæo, & Interpretibus, qui Hebraico textui adhæsere, conforme est; verum hodie omnia, quæ habemus, Exemplaria Septuaginta legunt simpliciter, *tu es* [7] absque *Deus*, quam lectionem S. Augustinus, Syrus, & antiqua Psalteria Latina sequuntur [8]. Et sane si isthic admittatur *Deus*, lectio sequentis versiculi non poterit amplius probari: *Ne avertas hominem*, ni velis asserere, vocem eamdem bis verti; *Deus* ỳ. 2.; & *ne* ỳ. 3. [9]. Hebraici textus, veterumque Græcorum Interpretum versio melior videtur.

Veteres quidam, uti Origenes [10], ita duos hosce priores versiculos partiebantur: *Domine, nostrum es refugium ante sæcula, & antequam montes formarentur, & Terra, ac Orbis crearentur*; atque hinc arguebant, animas ante materiæ creationem extitisse, quandoquidem tunc jam Deus eorum erat refugium, & protectio; at esse plane non poterat, antequam illi existerent. Rabbini non longe discrepant ab hac sententia, quandoquidem ait, pœnitentiam unam esse ex septem illis rebus, quas Deus ante Mundum creavit; quod isthic innuere videtur Chaldæus, qui ita reddit: *Domine, cujus habitatio est in cœlis: tu nostrum fuisti præsidium de generatione in generationem: cumque prævidisti populum tuum peccaturum, illius conversionem disposuisti, antequam montes consurgerent &c. tu es Deus*. Verum a Vulgata divisione, quæ magis est accommoda, nequaquam est recedendum. Deus es ex eo usque tempore, antequam formarentur montes, atque Terra, ac Universus orbis crearetur.

ỳ. 3. NE AVERTAS HOMINEM IN HUMILITATEM, ET DIXISTI: CONVERTIMINI, FILII HOMINUM.] Quandoquidem interitum nostrum non vis, Domine, & nihil aliud petis, nisi ut ad te convertamur, ne permittas, nos in exilio nostro perire: ne ad extremam usque miseriam nos redigas, neque penitus nos derelinquas [11]. Hebr. [12] *Redigis hominem in pulverem, & dicis: Convertimini filii Adam*. Eum ad pulverem usque deprimis, eum conteris, & quodammodo per afflictionem prosternis, & dicis illi, ut resipiscat. En quo ea tendant mala, quibus illum affligis; vis, ut ad te revertatur, ut ad frugem redeat, ut flagitiis omnibus ultimum vale dicat; verum si hæc efflagitas, Domine, usquequo nos in captivitatis sordibus, & squalore versari

1 ארני מעון אתה היית לנו בדור ודור
2 בטרם הרים ילדו ותחלל ארץ ותבל ומעולם עד עולם אתה אל Aquil. Symmach. Πρὶν ἢ τεχθῆναι, καὶ ὠδινηθῆναι γῆν καὶ τὴν οἰκουμένην. 3 Prov. 8. 24. 25. Job. 38. 8. 9. 4 Vide Eusebium in hunc locum.
5 Hier. ep. ad Suniam, & Fretell. Ἀπὸ τοῦ αἰῶνος, καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ ὁ Θεός. Ita Euseb. & Arab.
6 ומעולם עד עולם אתה אל 7 Ἀπὸ τοῦ αἰῶνος, καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ. Ita Edit. Complut. Roman. & alii codd. & Theodoret. 8 August. Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. &c.
9 אל *El*, *Deus*; אל *Al*. *ne*. 10 Vide Hieronym. hic, & ep. ad Cyprian.
11 Euseb. Athanas. Hieron. hic. 12 תשב אנוש עד דכה ותאמר שובו בני אדם

fari permittes? Peccata nostra fatemur, eorumque veniam humillime petimus. Hoc autem visuri sumus sequenti versiculo.

℣. 4. QUONIAM MILLE ANNI ANTE OCULOS TUOS, TAMQUAM DIES HESTERNA, ET CUSTODIA IN NOCTE.] Quid est homo tibi, Domine, comparatus? Quid vita illius æternitati collata? Meretur ne ille, ut summa ultionis tuæ severitate in illum animadvertas? Nequaquam dignum est, ut in illum irascaris. Licet mille annos viveret, ætas hæc, habita tui ratione, nihil aliud esset, quam dies jam prætérita, & velut una ex quatuor noctis vigiliis [1]. Hæ vigiliæ trium inæqualium horarum spatio constabant, pro variis anni temporibus, & pro noctium longitudine, aut brevitate [2]. Sacri Auctores sæpe [3] ex fragilitate, ac humanæ vitæ brevitate argumentum hauriebant ad Domini ciendam misericordiam.

℣. 5. QUÆ PRO NIHILO HABENTUR, EORUM ANNI ERUNT.] Si mille anni in oculis tuis nihil aliud sunt quam nocturna vigilia, quid erit brevis humanæ vitæ curriculus? Erit sane veluti momentum, scrupulus, nihil. Tempus æternitati collatum durationis nomen nequaquam meretur. *Æternitati comparata brevis est omnium temporum longitudo* [4]. Hebræus [5] longe distat a Vulgata: *Eos percutis, & illi sunt, velut somnium.* Moriuntur, & vita eorum, velut somnium, prætérit: eos mortis hora excitat, velut hominem, qui aliquot horas dormiit, & qui per somnum futilibus nugis detentus fuit; quarum vanitatem experrectus agnoscit. Alii vertunt: *Eos inundas, & ipsi sunt velut somnium.* Vita eorum torrentis instar pertransit, summa pernicitate diffluit; simulac transierunt, nemo eorum, tamquam somnii alicujus reminiscitur. Aliter: *fundatio eorum*, strepitus, quem in terris efficiunt, vel malum, quod ibi patiuntur; vel vitæ eorum spatium *est veluti somnium.*

℣. 6. MANE SICUT HERBA TRANSEAT, MANE FLOREAT, ET TRANSEAT; VESPERE DECIDAT, INDURET, ET ARESCAT.] Hominis vita flori similis est, cujus omnis pulchritudo, mane, vel die uno ad summum evanescit; *mane* enim nonnumquam pro die tota usque ad Solis declinationem accipitur [6]. Mane flos hic existit, atque panditur, ob diei calorem flaccescit, vespere autem arescit, atque evellitur. Hoc verissimum, apertissimumque erat ea in regione, ubi Æstatis calores vehementes sunt. Adolescentia est tamquam mane, senectus velut vespera. Duo hæc extrema se se contingunt, & sensim ab uno ad aliud fit migratio. Isai. eadem utitur similitudine cap. 40. 6. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos fœni. Fœnum aruit, & decidit flos.* Hebr. [7] *Mane eodem floret, & flaccescit; vespere reciditur, & exsiccatur.*

℣. 7. QUIA DEFECIMUS IN IRA TUA, ET IN FURORE TUO TURBATI SUMUS.] Particula *quia* versiculi hujus initio, non secus ac *quoniam* ℣. 4. significant *profecto*, utique. Hominis vita est veluti flos, qui una tantum die viget, & profecto diutius non vivimus; tunc cum ira tua in nos exardescit. Deficimus, turbamur, dolore afficimur, cum irasceris contra nos. Hebr. [8]: *Consumimur*, & ad nihilum redigimur, *propter iram tuam, & perturbamur*, agitamur, vel festinamus, accelerámus [9], velut qui turbati sunt, *in furore tuo.*

℣. 8. POSUISTI INIQUITATES NOSTRAS IN CONSPECTU TUO. SÆCULUM NOSTRUM IN ILLUMINATIONE VULTUS TUI.] Accedit Auctor ad causam tot calamitatum populi sui. Visitasti scelera nostra, nos judicare incœpisti, nosque noxios invenisti, quapropter irruerunt in nos iræ tuæ effectus, atque eum in statum, in quo ingemiscimus, redacti sumus. Hebræus verti potest [10]: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, peccata nostra jaciei tuæ lumini abscondita.* Alii: *posuisti in conspectu tuo negligentias nostras*, vel *errores nostros*, vel *peccata adolescentiæ nostræ.*

℣. 9. QUONIAM OMNES DIES NOSTRI DEFECERUNT, ET IN IRA TUA DEFECIMUS. ANNI NOSTRI SICUT ARENA MEDITABUNTUR.] Anni nostri celeriter adeo ac anni aranearum pertranseunt. Vel, anni nostri æque sunt fragiles, & vani, ac aranearum telæ: labores nostri, negotia, curæ, solicitudines nequaquam solidiores sunt labore aranearum, & cum ira tua sceleribus nostris irritata in nos succenditur, nos deles, nos consumis, vitæ nostræ stamina cædis, quemadmodum aranearum tela confringitur. Nihil magis verum est, nihil ad nos humiliandum aptius hac cogitatione. Heb. [11] *Dies nostri evanescunt*, terga vertunt, diffugiunt *in ira tua*; coram te stare non audent. *Consumpsimus annos nostros, velut sermonem* loquentis; sonus vocis illius non subsistit amplius; nullam habet realitatem, simulac loqui cessat, intercidit: Similes sunt anni nostri, statim ac removes a nobis concursum, & assistentiam tuam. Nun possumus magis a te pendere, quam pendemus. Chaldæus: *Sicut vapor, qui de ore nostro egreditur hyeme.*

Non Hebræus, non Chaldæus, non S. Hieronymus, neque Recentiores Interpretes *araneæ* nomen legunt; fidei tamen consonum est, antiquitus in textu extitisse, quandoquidem Septuaginta, aliique Interpretes Græci, Syrus, Arabs, & antiqui omnes illud legerunt; & maxime congruum est fidei, vocem hanc ex Hebraico textu excidisse, non secus ac aliquot alias, imo & versiculos quosdam, qui olim aderant, & hodie non leguntur amplius. Sensus longe perfectior est, si legamus: *Omnes dies nostri defecerunt in ira tua; anni nostri consumpti sunt*, illi sunt *tamquam aranea, quæ meditatur*, vel quæ suo intenta labori defatigatur, in fragile, atque inutile opus incumbens.

℣. 10. DIES ANNORUM NOSTRORUM IN IPSIS SEPTUAGINTA ANNI.] Hominum vita Moysis ævo satis adhuc erat diuturna. Hic Legislator centum, & viginti vixit annos, Maria soror illius centum, & triginta, Aaron centum, ac triginta tres. Jos. 24. 29. Josue obiit centum, & decem natus annos. Caleb quintum supra octuagesimum agens annum dicebat Josue, se optime valere, iisque præstare viribus, quibus quadraginta natus annos valuerat Jos. 14. 10. Usque ad tempus David nequaquam infrequentes ii fuere, qui nonagesimum vel centesimum etiam annum attingerent; quæ una est ex rationibus, quibus impellor, ut credam, Moysem nequaquam esse hujus Psalmi Auctorem, sed illum ab aliquo ex ejus posteris, qui captivitatis tempore degebat, fuisse conscriptum. Tunc ea erat communis hominum, ac Sapientum Græciæ, Asiæque vita, qui in eamdem ferme sententiam, ac psalmi hujus Auctor, loquuntur. Solon cum Crœso differens de terrenarum rerum vanitate, ajebat, hominum ætatem intra septuaginta annos compleri [12]. Hippocrates apud Censorin. eosdem circiter illi terminos constituebat. Pythagoras apud Laert. l. 8. octuaginta illi annos assignabat.

1 Vide Exod. 14. 24. 1. Reg. 11. 11. Matt. 14. 25. Marc. 6. 48. Confer 2. Petri 3. 8. 9.
2 Hieronym. hic, & ep. ad Cyprian. 3 Vide psal. præced. ℣. 48. 49. Job. 7. 1. 6. 16. 10. 5. & sequ. 14. 5. & sequ. psalm. 38. 5. 6. 102. 15. &c. 4 Hier. ad Cyprian.
5 זרמתם שנה יהיו 6 Vide Genes. 1. 5. *Factum est mane, & vespere, dies unus.* Et vers. 8. & 13. &c. 7 בבקר יציץ וחלף לערב ימולל ויבש 8 כי כלינו באפך ובחמתך נבהלנו Symm. Ἀνηλώθημεν ἐν τῇ ὀργῇ σε, καὶ ἐν τῷ θυμῷ σε ἐπειχθῶμεν. 9 Hieron. ad Cyprian. Sym, & Aquil. *Acceleravimus*. At Eusebius affert versionem Symmachi a versione Septuaginta haud absimilem.
10 שתה עונתינו לנגדך עלמנו למאור פניך Symmach. Τὰς ἀμελείας ἡμῶν φαίνεσθαι τῷ προσώπῳ σε. Aquil. Περίζωσας. 5. Edit. *Adolescentiam nostram.* 11 כי כל ימינו פנו בעברתך כלינו שנינו כמו הגה 70. Τὰ ἔτη ἡμῶν ὡσεὶ ἀράχνη ἐμελέτων. *Anni nostri sicut aranea meditati sunt*, vel *meditabuntur*. Usurpatur hic *meditabuntur* in sensu passivo: Genebr. Tyr. legebant שנינו כמו שמם יהגו
12 Herodot. l. 1. c. 32. Vide & Solon. in Laert.

bat. Auctor Ecclesiastici, qui post captivitatem degebat, ait, centum annorum spatium longissimum esse humanæ vitæ curriculum Eccli. 18. 8.

Verba hæc, *in ipsis*, aliquam gignunt difficultatem; alii enim ea ad annos referunt; dies annorum nostrorum sunt *in illis* septuaginta anni. Chaldæus: Dies vitæ nostræ *in terris* &c. Syrus: *ævo nostro*, hominum vita septuaginta annorum spatio circumscribitur. Symmachus [1]: *Omnes anni nostri simul sumpti* septuaginta annorum numerum non excedunt.

℣. 11. SI AUTEM IN POTENTATIBUS OCTOGINTA ANNI, ET AMPLIUS EORUM LABOR, ET DOLOR.] Senectus enim ipsa est morbus; quid autem voluptatis haurire potest senex, qui octoginta annorum spatium excesserit? sensus omnes infirmi sunt, turbati, effœti; oculi, aures, odoratus, & gustus. Animus quoque, & memoria ad corporis infirmitatem labascit: denique plerumque nihil reliquum est, quam debilitas, atque ægritudo. Hebræus verti potest [2]: *Communis hominum ætas est vulgo annorum septuaginta, vel ad summum octoginta, & hi etiam majori ex parte nihil aliud sunt, quam labor, & dolor.* Hominis vita, licet adeo brevis, infinitis tamen est infirmitatibus, & malis præpedita. Hoc ipsum venuste adeo, ac sapienter dixerat Patriarcha Jacob, cum Pharaone loquens Genes. 47. 9. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi, & mali.*

℣. 12. QUONIAM SUPERVENIT MANSUETUDO, ET CORRIPIEMUR.] Clementiæ tuæ effectu ira in nos animadvertis. Nos paterna charitate corrigis; & si in nos severitatem tuam cogeris exercere, eam semper tua clementia commisces [3]. Hebræus differt [4]: *Celeriter transimus, & evolamus.* Symmachus [5]: *Nos repente succidis, & evolamus.* Aquila [6]: *Homo secedit, & evolat.* Hoc belle cum præcedentibus cohæret. Vita nostra brevis est, & ærumnosa; sumus velut aves prætervolantes; momento vivimus, & statim evanescimus.

℣. 13. QUIS NOVIT POTESTATEM IRÆ TUÆ, ET PRÆ TIMORE TUO IRAM TUAM DINUMERARE?] Cum ii simus, quos modo diximus, Domine, quomodonam iræ tuæ resistere possumus? Nihil aliud sumus, quam vapor, vel folium a vento agitatum, velut pulvis ab eo dissipatus, qui momento evanescit. Hebræus [7] longe aliter vertitur. En versiculos 13. & 14. *Quis novit vim iræ tuæ, & metum, quem injicis in indignatione tua?* (14.) *Nos quoque doce numerare dies nostros, & sapientes erimus*, sapientiam habebimus in corde. Si te digne satis veneraremur, Domine, & sciremus vim iræ tuæ; si nobis eam scientiam tribueres, qua distincte vitæ nostræ brevitatem, ac terrenarum rerum inconstantiam nosceremus, quamprimum sapientes essemus, ac ad te corde perfecto reverteremur. Salutari igitur nos metu reple, & illumina mentes nostras, ut infirmitatem, submissionem, infelicitatemque nostram intelligamus.

℣. 14. DEXTERAM TUAM SIC NOTAM FAC [8], ET ERUDITOS CORDE IN SAPIENTIA.] Ostende nobis mirabiles tuæ dexteræ effectus, qui olim pro partibus nostris enituerunt. Educ nos de hac captivitate in virtute

A brachii tui, & fac, ut agnoscamus vias; quas, ut tibi placeamus, sequi debemus. In nobis metipsis statue cor rectum, ac docile, ut paria faciamus tot sceleribus nostris, atque terribiles iræ tuæ effectus evitemus. Sunt, qui [9] *per dexteram tuam* intelligant Jesum Christum. Notam fac dexteram tuam, Filium tuum, Messiam; tandem mitte Liberatorem hunc tandiu exoptatum. Pro *eruditos* antiqua Exemplaria quædam legebant olim *compeditos*. Verum hoc Interpretis mendum fuit, qui librarii adhæsit errato [10].

S. Hieronymus ita Hebræum vertit: Fac, agnoscamus numerum dierum nostrorum, & veniemus ad te corde sapientiæ repleto. Aquila, Symmachus, & Editio quinta [11]: *Fac, ut cognoscamus dies tuos, ut ad te sapienti corde accedamus.* Hic incipit postrema psalmi

B pars; ubi Auctor a Deo petit, ut eos dignetur illustrare, visitare, edocere, regere, ac præsertim illis vitæ suæ brevitatem ostendere, ut hæc noscentes ad ipsum redire cogantur. Qui quemlibet diem tamquam vitæ suæ postremum considerat, facile præsentia contemnit, & æterna concupiscit [12]: *In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis.* Eccli. 7. 40.

Hic quoque sensus Hebræo potest appingi, si præcedentibus subnectatur: Heu, Domine, quam incredibili pernicitate dies nostri prætervolant; vix ad septuaginta, vel octoginta ad summum annos pervenimus, & brevissimo hoc in vitæ nostræ curriculo, quot nobis ærumnæ, quot labores ferendi sunt? (14.) Quam terribilis est ira tua, Domine, quis graves illius effectus intelligere potest [13]? (15.) *Juxta numeros*

C *dierum nostrorum sic doce; & in corde Prophetæ insere sapientiam.* Erudi me, Domine, plane rudem, ac mortalem, & sapientiam concede mihi Prophetæ tuo, qui laudes tuas recinere, & tibi preces meas effundere propono. Chaldæus (℣. 13.) *Quis potest avertere vim iræ tuæ, nisi Justi, timentes te, ac furorem tuum lenientes?* (14.) *Quis poterit nobis dies nostros ostendere, nisi Propheta, cujus cor est sapientia repletum?*

℣. 15. CONVERTERE, DOMINE; USQUEQUO; ET DEPRECABILIS ESTO [14] &c.] Usquequo justitiæ tuæ severitati subjecti erimus? Memento, Domine, infirmitatis nostræ, ac brevitatis dierum nostrorum. Numquamne mala nostra cessabunt? Num æterna erit captivitas nostra? Hebræus [15] ad litteram: *Revertere, Domine; usquequo? & consolare*, istam tuam leni,

D *super servos tuos. Ulciscere famulos tuos*, Deut. 32. 36.

℣. 16. REPLETI SUMUS MANE MISERICORDIA TUA.] Versiculus hic, & subsequens imperativo, vel optativo modo sunt efferendi. Repleamur mane effectibus misericordiæ tuæ. Hebr. ad litteram [16]: *Satura nos mane misericordia tua, & canemus laudes tuas* &c. vel, *ut canamus* &c.

℣. 17. LÆTATI SUMUS PRO DIEBUS, QUIBUS NOS HUMILIASTI, ANNIS, QUIBUS VIDIMUS MALA.] Hebræus [17], & melioris notæ Interpretes: *Lætemur pro diebus afflictionis nostræ, & annis, quibus expositi fuimus calamitatibus*, ac terribilibus iræ tuæ effectibus. Futura felicitas exæquet mala præsentia.

℣. 18. RESPICE IN SERVOS TUOS, ET IN OPERA TUA,

---

1 Sym. Ὁλοκλήροι. 2 ואם בגבורות שמונים שנה ורהבם עמל ואון Ita 70. Καὶ τὸ πλεῖον αὐτῶν κόπος, καὶ πόνος. Vide & Syr. & Arab. & Muis. 3 Vide Didym. Heracl. Theodoret.

4 כי גז חיש ונעפה Hieronym. *Transivimus cito, & avolavimus.*

5 Sym. Τμηθέντες τῷ καιρῷ, ὀπετασθησόμεθα. 6 Aquil. Ὅτι διεπέλασεν αἰφνιδίως, καὶ ὀπετάσθη. 5. Edit. *Transivimus celeriter, & dissolvimur.* Hieron. ad Cyprianum. *Miramur, quid voluerint Verbum Hebraicum ais* חיש *septuaginta, Theodotio, & sexta editio transferre mansuetudinem: cum Aquila, Symm. & 5. Edit. Festinationem, & repente, celeriterque transtulerint.*

7 מי יורע עז אפך וכיראתך עברתך (14.) למנות ימינו כן הורע ונביא לבב חכמה Confer psalmos 38. 4. 5. & 101. 24. 8 Nonnulla antiqua psalteria: *Dexteram tuam notam fac nobis.* Alia: *Notam fac mihi.*

9 Euseb. Athan. Hieron. Aug. 10 70. Καὶ τοὺς πεπαιδευμένους τῇ καρδίᾳ ἐν σοφίᾳ. Legerunt: πεπεδημένους τῇ καρδίᾳ. Ita apud Didym. Aug. Hieron. *compeditos.* 11 Apud Hieron. ad Cyprian.

12 Hieronym. ad Cyprian. *Qui enim se recordatur quotidie esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.* 13 Verto ad litteram: *Juxta numeros dierum nostrorum, sic doce; & in corde Prophetæ insere sapientiam.* למנות ימינו כן הורע ונביא לבב חכמה 14 Quædam vetera Psalteria legunt: *Convertere, Domine, aliquantulum, & deprecare.* 70. Παρακλήθητι. 15 שובה יהוה עד מתי והנחם על עבריך

16 שבענו בבקר חסדך ונרננה Sym. Χόρτασον ἡμᾶς ὀρθρινὸν ἔλεός σου, ἵνα ὑμνῶμεν καὶ εὐφραινώμεθα &c.

17 שמחנו כימות עניתנו שנות ראינו רעה Symmach. Εὔφρανον ἡμᾶς πάντας ἡμέρας ὡς ἐκάκωσας ἡμᾶς, ἔτη ἐν οἷς ἴδομεν κακά.

TUA, ET DIRIGE FILIOS EORUM.] Propitio vultu A intuere servos tuos, captivum populum tuum, & filios eorum. Considera, ipsos tuos esse, tuum esse opus, hæreditatem tuam: ipsi creaturæ tuæ sunt, populus tuus electus. Hebr. [1] *Emicet opus tuum super servos tuos, & gloria tua super filios eorum*. Opus tuum, & gloria tua isthic nihil aliud significant, quam potestatem, vim, auxilium, patrocinium Domini. In eorum gratiam aliquod ex iis prodigiis operare, quæ toties tanta cum omnium admiratione operatus es, ut patres eorum ex omnibus periculis liberares. Ulciscere nos de inimicis nostris; vel vindica gloriam tuam adversus eos, qui te probris afficiunt.

℣. 19. ET SIT SPLENDOR DOMINI . . . SUPER NOS, ET OPERA MANUUM NOSTRARUM DIRIGE SUPER NOS, ET OPUS MANUUM NOSTRARUM DIRIGE.] Plurima B antiqua Psalteria hæc abscindunt verba, *& opus manuum nostrarum dirige*; quæ desunt etiam in pluribus Exemplaribus Septuaginta, veluti in Editione Romana; & S. Augustinus animadvertit in exemplaribus castigatioribus asterisco fuisse notata, ad innuendum, hæc quidem in Hebræo textu, non tamen in Septuaginta inveniri. Et equidem extant in Hebræo, & antiquis Interpretibus, in Complutensi Editione, & in plerisque Manuscriptis. S. Hieronymus, Eusebius, Theodoretus, S. Athanasius ea legerunt in Septuaginta, sed Romana Psalteria, S. Germani, Carnutense, Æthiopicum, Apollinaris eadem non legunt. Quoad sensum hujus versiculi Auctor Deum rogat, ut *splendorem vultus sui* super populum suum effundat, hoc est, eum propitia, aperta, gratiosa, benigna facie intueatur [2]: ut *super ipsos dirigat opus manuum eorum*; vel potius eos confirmet, & dirigat *pro illis ipsis* [3], felicem illis tribuat effectum, eorum conatibus faveat, eorumque operibus benedicat &c.

1 יראה אל עבדיך פעלך והדרך על בניהם Sym. Φαινέσθω τοῖς δούλοις σου τὰ ἔργα σου, καὶ τὸ ἐξαίρετον σου ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν. Alii: Φανήτω τοῖς δούλοις σου τὰ ἔργα σου, καὶ τὸ ἀξιόπρεπές σου, καὶ τὸ κάλλος κυρίου &c.
2 Vide Num. 6. 29. Job. 29. 24. Psal. 3. 7. 30. 17. 43. 4. 66. 79. 4. 8. 20. 118. 135. Prov. 16. 15. Dan. 9. 17.
3 ומעשה ידינו כוננה עלינו Sym. Καὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν ἡμῶν, ἑδραίωσον ὑπὲρ ἡμῶν.

PSALMUS XC.

Felicitas sperantium in Domino. Hi ope illius gravissima evitabunt pericula. Nullus eis obesse poterit inimicus. Deus illos exaudiet, diuturnam illis vitam & omne bonorum genus conferet.

Laus cantici David.

ARGUMENTUM.

Psalmus hic nullum in authographo Textu titulum præfefert. Septuaginta ipsi [1], & ii ex Patribus, qui titulum hunc legerunt, adnotarunt, in Hebræo nullum esse. Eusebius, SS. Augustinus, Chrysostomus, Hilarius Proleg. in Psal. hunc non admisere; & Rabbini, S. S. Hieronymus ad Cyprian. Hilarius Proleg. in Psalm. 2. a. quos nonnulli recentiores sequuntur, putant Moysem Psalmi hujus Auctorem. Eorum autem potissima ratio ea est quod cum nullus peculiaris titulus apponatur, Psalmus ad præcedentem referendus est, qui nomine Moysis inscribitur. Hoc tamen argumentum nequaquam generatim certum est: itaque plurimi Interpretes hunc Davidi attribuunt, & qui huic eam addidere epigraphem, quam appositam vidimus, minime dubitarunt, quin illius opus esset.

Qui Hebræorum legislatori Psalmum hunc attribuunt, eum referunt ad tempus exitus de Ægypto, vel itineris in deserto, & satis utrique convenit conjecturæ. Israelitæ utrobique in Deo omnem spem suam collocare debebant. Qui vero hunc Davidi attribuunt, inter se dissentiunt; alii [2] quippe credunt, respicere pestem illam, quæ per omnem Judæam grassata est, & qua septuaginta hominum millia interierunt 1. Par. 21. 14. Ferrandus hic, a Davide compositum fuisse arbitratur, cum duplex illi periculum imminebat: alterum quidem, cum Saul eum lancea confodere adnisus est 1. Reg. 18. 2. hanc autem appellat *sagittam volantem in die* ℣. 6. alterum vero, cum Rex illum de domo ipsius auferre conatus est, sed astu Michol deceptus fuit, quæ Davidem per fenestram demisit 1. Reg. 19. 12. hunc autem ipse vocat *timorem nocturnum*. ℣. 5.

Alii [3] denique opinantur, Davidi ob animum versatum fuisse illud, quod Ezechiæ adversus Sennacherib Regem Syriæ erat eventurum. Propheta hic Deo gratias agit ob auxilium, quod ille tunc attulit Ezechiæ, ipsum de crudelissimo hoc hoste liberans. Mundi Salvator quibusdam hujus Psalmi Versiculis usus est [4] ad repellendum Dæmonem, qui illum in Deserto tentaturus accessit; quamobrem plurimi Patres [5] Psalmum hunc de J. C. de illius tentatione, Passione, & Resurrectione explicarunt. Quin tamen singillatim ullam ex his sententiis amplectamur, simpliciter tamquam morale Canticum explicabimus, ubi eorum commendatur felicitas, qui in Deo omnem spem suam collocant.

De Muis hic Psalmum hunc inter magis excellentia hujus generis opera haud in postremis habendum esse arbitratur: *Profecto hoc carmine*, inquit, *nihil neque solidius, neque splendidius, non dico scribi, sed ne cogitari quidem potest. Atque utinam ego*, ait ille, *figuras, numeros, & elegantiam Hebræi sermonis exprimere possem: sperarem profecto, concessuros mihi omnes, nullum Græcum, aut Latinum poema huic esse comparandum*. Et sane Eruditi hujus Interpretis sententiæ subscribere non renuerim.

1 70. Αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαυὶδ ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις. 2 Muis, Moller.
3 Heraclæot. Theodoret. Beda. 4 Vers. 11. 12. Matt. 4. 6.
5 Vide Eusèb. Hieron. Athan. Aug.

1. QUi habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.
2 Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus
meus, sperabo in eum. 3 Quoniam ipse liberavit me de laqueo venan-
tium, & a verbo aspero. 4 Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus
sperabis. 5 Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno.
6 A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, &
dæmonio meridiano. 7 Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis:
ad te autem non appropinquabit. 8 Veruntamen oculis tuis considerabis, & re-
tributionem peccatorum videbis. 9 Quoniam tu es, Domine, spes mea: Altissi-
mum posuisti refugium tuum. 10 Non accedet ad te malum, & flagellum non
appropinquabit tabernaculo tuo. 11 Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut
custodiant te in omnibus viis tuis. 12 In manibus portabunt te: ne forte offen-
das ad lapidem pedem tuum. 13 Super aspidem, & basiliscum ambulabis: & con-
culcabis leonem, & draconem. 14 Quoniam in me speravit, liberabo eum, pro-
tegam eum, quoniam cognovit nomen meum. 15 Clamabit ad me, & ego exau-
diam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. 16
Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

℣. 1. QUI HABITAT IN ADJUTORIO ALTISSIMI, IN PROTECTIONE DEI COELI COMMORABITUR.] Hebræus ad litteram [1]: *Qui habitat in secreto Altissimi, in umbra Domini Sadai commorabitur.* Qui in Deo spem suam collocavit, ac sub umbra protectionis ejusdem se se collegit, tutum in ipso inveniet asylum adversus omnia pericula. Deus *Sadai* sæpe redditur *Deus omnipotens*, vel *qui sibi met ipsi sufficit*, vel *Deus destructor*, Deus bellorum, & populationum.

℣. 2. DICET DOMINO: SUSCEPTOR MEUS ES TU, & REFUGIUM MEUM.] Qui confidit in Domino, ille liberrime dicet, Deus meus, refugium meum, protector meus, spes mea. Ut major lux, & sensus apertior tribuatur ℣℣. 1. 2. & 4. ita eorum locum variare vellem, & juxta Hebraicum textum ita vertere: ℣. 2. [2]: *Qui dicit Domino: Tu es spes mea, & arx mea, tu es Deus meus, & ille, in quo spem meam collocavi*; hic *habitabit in secreto Altissimi, ad Omnipotentis umbram commorabitur.* ℣. 3. *Dominus liberabit te de laqueo venatoris, & de periculis mortis.* Versiculus secundus est subjectum, vel nominativum primi. Si primum versiculum absolute accipias, sensus perturbatior est; quandoquidem utraque illius pars unum, & idem dumtaxat significant, duplici modo varie repetitum; cum tamen juxta sermonis regulas altera pars ab altera differre deberet. Verum si primi subjectum, vel nominativum feceris ℣. secundum, sermonis contextus optime constitutus est. Cæterum priores duo versiculi, sunt veluti generalis Psalmi totius propositio. Totus enim in hoc circumagitur.

℣. 3. QUONIAM IPSE LIBERABIT ME DE LAQUEO VENANTIUM, & A VERBO ASPERO.] Heb. Septuaginta [3], Græci Patres, S. S. Hieronymus, & Augustinus, atque nonnulla antiqua Psalteria in futuro legunt: *Ipse liberabit te de laqueo venantium*, qui equidem sensus melior est. Pro verbo hoc *aspero*, vel potius *verbo tumultuoso*, quod posuere Septuaginta [4], Symmachus Hebraicum textum vertit [5]: *verbum calumniæ*, vel sermonem irritantem, contumeliosum, conviciis refertum, injuria afficientem &c. Recentiores Interpretes [6]: *Liberabit te de morte inevitabili*, vel de mortalibus insidiis, *pesti perniciosissima*. Eædem Hebraicæ litteræ, quæ significant *sermonem*, aut verbum, juxta aliam pronuntiandi rationem mortem quoque, vel *pestem* designant.

℣. 4. SCAPULIS SUIS OBUMBRABIT TIBI, & SUB PENNIS EJUS SPERABIS.] Obteget te quodammodo corpore suo, quemadmodum milites in acie primos ordines obtinentes tegunt illos, qui post eorum terga ordinantur [7]: sub alis suis cooperiet te, sicut gallina, quæ tegit pullos suos, & quæ totum corpus suum grandini, vel accipitri objicit, ut eos tueatur. S. Augustinus, & antiqua Psalteria quædam explicite magis, ac magis Septuaginta versioni similia legunt [8]: *Inter scapulas suas obumbrabit tibi*, tamquam pater filium suum humeris bajulans. Ita Deus se gestasse ait populum suum in deserto: *assumpsit eum, atque portavit in humeris suis*. Deut. 32. 11.

℣. 5. SCUTO CIRCUMDABIT TE VERITAS EJUS.] Deus tibi patrocinium suum pollicetur, si in ipso spem tuam posueris, & ad illius benignitatem confugeris; & veritas promissionum ejus erit tibi, veluti clypeus, qui contra inimicorum tuorum tela te proteget. Veritas isthic significat in fide præstanda sedulitatem; promissionum certitudinem, ac veritatem. Sapiens idem ferme ait Prov. 30. 5. *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se.* Hebr. ad litteram [9]: *Veritas illius est veluti clypeus, et scutum.* Utrumque nomen clypeum significat, sed alterum altero majorem, atque ampliorem.

NON TIMEBIS A TIMORE NOCTURNO.] Dæmones, spectra, fures, latrones, & generatim quidquid noctu terrorem incutit; *noctium occursacula, bustorum formidamina, sepulcrorum terriculamenta*, uti in Apologia sua loquitur Apulejus. Salomonis thalamus sexaginta fortibus circumdatus erat adversus noctis terrores Cant. 3. 7. 8. Nomine hoc invisibiles animarum nostrarum hostes [10], & laquei, quos illi nobis noctu abscondunt, intelliguntur; uti etiam proditiones, calumniæ, convicia, secreta cum hostibus nostris consilia.

℣. 6. A SAGITTA VOLANTE IN DIE.] Non timebis sagittas, tela inimicorum tuorum, qui interdiu, atque aperta vi in te impetum faciunt; eis resistes, eorumque vim repelles. Sunt, qui per hanc sagittam in die volantem [11] pestem intelligant; alii vero hæreticorum, impiorum, flagitiosorumque hominum sermones; alii [12] non opinata mala, quæ præter expectationem ingruunt, quemadmodum sagittæ, quin ex arcu discedere eas videas, te petunt. Chaldæus: *Sagitta Angeli mortis, qui interdiu ejaculatur.*

A NEGOTIO PERAMBULANTE IN TENEBRIS.] A nego-

1 ישב בסתר עליון בצל שדי יתלונן Aquil. & 5. Edit. Ὁ καθιδρυμένος ἐν ἀποκρύφῳ ὑψίστου, ἐν σκιᾷ ἱκανοῦ αὐλισθήσεται. 2 אמר ליהוה מחסי ומצודתי אלהי אבטח בו 3 כי הוא יצילך מפח יקוש וגו'
3 70. Ὅτι αὐτὸς ῥύσεταί σε ἐκ παγίδος θηρευτῶν. Aug. *Eruet te*. Psalt. Mediol. *Liberabit te*. Ita edit. Compl.
4 Ἀπὸ λόγου ταραχώδους. 5 Sym. Ἀπὸ λόγου ἐπηρείας. Ambr. l. 1. Offic. c. 4. Sym. *Irritationis*, verbum dixit: alii, *perturbationis*. 6 מדבר הוות Hieron. *De morte insidiarum* 7 Vide Theodoret.
8 Ἐν τοῖς μεταφρένοις αὐτοῦ ἐπισκιάσει σοι. 9 צנה וסחרה אמתו 10 Theodoret.
11 Muis, Ham. Kimch. Pisc. Confer Deut. 32. 23. 12 Hieronym. hic.

negotiis, curis, solicitudinibus nostis; sive noctem A in litterali sensu accipias pro tempore ad nefaria consilia contra bonos ineunda magis accommodato; sive de nocte adversitatis, doloris, & ignorantiæ. Dominus suos quovis tempore protegit. Hebræus verti potest [1]: liberabit te a *morte*, vel peste, vel sermonibus *tenebrarum tempore perambulantibus*. Animadvertimus, Hebraicam vocem ex D. B. R. compositam duo, vel tria significare posse pro varia pronuntiandi ratione. Chaldæus intelligit de morte, quæ noctu invadit; alii de secretis conviciis. Hebræi mortis imperium duobus Angelis tribuunt, quorum alter noctu, alter interdiu dominatur.

Ab incursu, & Dæmonio Meridiano.] Chaldæus [2] hoc intelligit de manu Dæmonum, pleno meridie homines invadentium. Hæc vetus est Hebræorum B Traditio [3], *Keteb*, quæ vox isthic occurrit in Textu, significare aliquem ex violentioribus Dæmonibus, qui aperta vi, & plena die nos audet aggredi, cum reliqui Dæmones noctu dumtaxat, & per dolum adnitantur decipere. S. Hieronymus, atque Theodoretus putant, Psalmistam hic loqui juxta vulgi opinionem, existimantis, quosdam esse perniciosos Dæmones, præsertim vero meridie; quæ opinio apud veteres etiam poetas invenitur. Theocritus Idyl. 1. *Non licet nobis inflare tibias meridie, veremur Pana Deum, qui ea hora quiescit post venationis laborem; tunc temporis maxime perniciosus est, et ira illius facile succenditur*. Et Lucanus l. 3. de luco quodam loquitur, inanibus Diis consecrato, quem adire non audebant amplius homines, sed illum Diis cesserant, qui frequenter ibi se se manifestabant; sed ipsis satis C erat religiosum illi præbere cultum, & superstitioso terrore illum intueri. Sacerdos ipse nec meridie, neque noctu illuc pedem audebat inferre, veritus, se ibi invenire posse Numen, quod illic morabatur. Hæc in populorum animis insederat opinio...

..... Medio cum Phœbus in axe est,
Aut nox atra tenet, pavet ipse Sacerdos
Accessus, Dominumque timet deprendere Luci.

Quoad meridianum Dæmonem haud prætereundum videtur illud, quod Pythagoras ajebat, Deos omni tempore, & hora qualibet esse adorandos; at Dæmones, Heroas, vel Angelos meridie esse colendos, eo fortasse, quod credebantur Angeli, & Dæmones plerumque noctu apparentes, agentesque, sub meridiem quiescere, & tempus illud ad eos placandos unum maxime o- D mnium esse accommodatum. Philostratus *Heroic.* c. 3. ait in Pallene, quam Poetæ Plegram appellant, plurima Gigantum ossa videri, quæ aquarum exundationibus, vel magna imbrium ingruentium vi nonnumquam deteguntur; illuc vero Pastores meridie commorari non audere propter spectra, quæ ingentem fragorem edunt, ita ut longe exaudiantur.

Haud abhorret a veri specie, Septuaginta, quorum Versionem in Vulgata sequimur, in hanc abiisse sententiam, vel saltem credidisse, Psalmi auctorem isthic locutum esse juxta populi præjudicia. Sunt qui putent, duos hos Dæmones, nocturnum alterum, alterum meridianum eos esse, qui per nocturnum, vel pomeridianum somnum (in calidis enim regionibus post meridiem aliquantulum somno indulgetur) illusiones immittunt. E S. Athanasius per meridianum Dæmonem intelligit Dæmonem inertiæ; Theodoretus vero inconstantiæ Dæmonem intelligere videtur, qui omnium maxime periculosus est inter pocula, & lances. Eusebius putat, Psalmistam isthic designare velle Dæmonem, qui Salvatorem nostrum in deserto tentavit meridie, & qui apparuit illi, uti huic Patri videtur, sub diversa animantium, quæ isthic memorantur, imagine; aspidis nempe, basilisci, leonis, & draconis. S. Augustinus intelligit magnas persecutiones, quæ efficiunt, ut qui viribus prævalent, ipsi quoque nonnumquam succumbant.

Recentiores Hebraicum textum aliter vertunt [4]: liberabit te *de periculo*, vel peste, vel morte, vel desolatione, *quæ meridie grassatur*. S. Hieronymus: de morsu furentis meridie. Grotius de immodico Solis æstu explicant, qui summopere perniciosus est viatoribus præsertim in Syria, ac Palæstina. Alii de peste, & contagio &c. Hebræi plerorumque morborum causas Dæmoni referebant. Alii erant Dæmones, qui interdiu, alii qui noctu ingruentibus morbis præerant. Septuaginta [5], & antiqua Psalteria [6]: *A ruina, & Dæmonio meridiano*. Syrus: *A vento, qui per meridiem perflat*. Aquila [7]: *A morsu Dæmonis meridiani*. Symmachus: *a casu*, vel *occursu Dæmonis meridiani*.

℣. 7. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.] Si adfueris in prælio, inter confertos milites videbis hominum millia hinc, atque illinc occidere, quin tela, atque ictus inimicorum tuorum ad te usque perveniant; invisibilis manus te proteget; te vis superior tuebitur. Sed ita reddere mallem [8]. *Mille hostes cadent in te*, atque ex uno latere te invadent, *& alii decem mille irruent in dexterum latus tuum; sed nemo accedet ad te*. Nemo te tanget, te percutiet, te vulnerabit. Tutus eris inter sævissimos hostes. Verbum *cadere* apud Hebræos, non secus ac apud nostrates [9], sæpius in hac significatione usurpatur; & hæc communis est.[10] hoc in loco Græcorum patrum verbi illius explicatio. Septuaginta: *mille cadent*, vel irruent *ad latus tuum*. Aquila, & Symmachus: *Mille e conspectu tui irruent*; in fronte adversum te pugnabunt, dum decem mille in te ad latera ingruent.

℣. 8. Verumtamen oculis tuis considerabis; & retributionem peccatorum videbis.] Non solum inimicorum tuorum viribus non superaberis, sed illos pedibus tuis prostratos intueberis, & testis eris ultionis, quam Deus in eos exercuerit. Tibi quiescendum erit; Dominus pro te dimicabit, eosque penitus delebit; ulciscetur, non malum, quod tibi intulerint, sed quod tibi inferre meditabantur.

℣. 9. Quoniam tu es spes mea, Altissimum posuisti refugium tuum.] Quoniam dixisti Domino: tu es spes mea, & elegisti Altissimum in refugium tibi. Vel potius [11]: *Quoniam* dixisti: *Domine, tu es spes mea; elegisti Altissimum in habitaculum tibi*. Hic idem sensus est ac ℣℣. primi, & secundi: dicens Deo, te illum velut unicam spem tuam habiturum, jam tibi patronum, atque invictum protectorem comparasti. Aquila, Symmachus, & alii nonnulli hoc aliter explicant [12]: *Tu enim, Domine Deus, spes mea, In altissimo loco posuisti habitaculum tuum*. Malum non accedet ad te &c. Chaldæus, Syrus, & alii nonnulli similiter intelligunt; verum liquido constat, sequentes promissiones ℣. 10. 11. & 12. non respicere Deum, ideo neque secundam hujus versiculi partem. Adde, quod Hebraica vox *Elion*, Altissimus, est proprium Dei nomen, quod non tribuitur excelsis, editisque locis [13]. Igitur a sensu, quem prius proposueram, non est recedendum.

℣. 10. Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.] Quandoquidem omnem spem tuam in Domino collocasti; nihil tibi metuendum est in hoc mundo; nullum ad tentorium tuum malum accedet. Pace frueris, tuto vi-

---

1 מדבר באפל יהלך Aquil. Ἀπὸ ῥήματος ἐν σκοτομήνῃ περιπατοῦντος. Sym. Οὐδὲ λοιμὸν ζόφῳ ὁδεύοντα.
2 משנת שרין דמחבלין בטיהרא 3 Thalmudici Rab. Sal. in Genebr.
4 מקטב ישוד צהרים 5 Ἀπὸ συμπτώματος, καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ.
6 Aug. Psalter. Rom. Mediol. 6. Germ. Carnut. 7 Aqu. Ἀπὸ δηγμοῦ δαιμονίζοντος μεσημβρίας. Sym. Συγκύρημα δαιμόνιωδες μεσημβρίας. 8 יפל מצדך אלף ורבבה מימנך אליך לא יגש
9 נפל pro *irruere*. Psal. 9. 31. 54. 5. Job. 1. 15. Isai. 16. 9. Jerem. 48. 32. על בצורך שדד נפל
10 Vide Euseb. Athanas. Theod. in hunc locum. 70. Πεσεῖται ἐκ τοῦ κλίτους σου χιλίας. Aquil. & Sym. Ἐκ τοῦ πλαγίου σου. *Ex adverso tui*. 11 כי אתה יהוה מחסי עליון שמת מעונך
12 Sym. Σὺ γὰρ, Θεὲ ἐλπίς μου, ὕψιστον ἔθου τὸ κατοικητήριόν σου. Aqu. Ὅτι σὺ, κύριε ἐλπίς μου, ὕψιστον ἔθηκας οἰκητήριόν σου. Euseb. bis legit, Ἔθηκα. *Posui*. 13 Vide Euseb. hic.

to vives, & omnium bonorum genere cumulaberis. Hebræus [1]: *Malum ad te non perveniet, & plaga non accedet ad tabernaculum tuum*. Plaga hæc innuere potest pestem, mortem, morbum, lepram [2], omne malorum genus. Verum quomodonam asseri potest, calamitates, infortunia, mala non accessura ad tabernaculum viri in Domino sperantis? Moyses non ne afflictatus fuit? Isajas, Jeremias, Zacharias, & Prophetæ fere omnes non ne in rerum omnium inopia, & sæpius etiam inter cruciatus, animam efflarunt? Job, Tobias, Patriarchæ non ne plurima in vita sua perpessi sunt? Apostoli, Martyres, Sancti veteris, novique Testamenti fuerunt ne immunes a malis cuilibet Nationi communibus, & quotidianis humanæ vitæ laboribus? Dici ne potest, illis in Deum fiduciam defuisse? Neutrum procul dubio asseri potest.

Oportet igitur, vel mala, quæ passi sunt, non esse vera mala; vel ea mala, quibus hic Psalmista ipsos immunes futuros pollicetur, alterius esse generis a malis Mundi; vel denique Deum permittentem, ut in hac vita afflictentur, illis alia donare bona, aliasque remunerationes, quæ ea compenset, quæ ipsis hoc in orbe defuerunt. Hoc equidem ut asseramus, & Religio, & ratio nos cogunt; Dei namque promissiones nequaquam inanes sunt, & nemo invenitur Justus, qui gravissimis licet persecutionibus agitetur, conqueratur Deum promissi fidem non præstare. Alia enim ab his præsentibus prospectat, & certus est, Protectorem suum semper secum esse, cum illius virtus tristissimis probatur ærumnis.

℣. 11. QUONIAM ANGELIS SUIS MANDAVIT DE TE, UT CUSTODIANT TE IN OMNIBUS VIIS TUIS.] Heb. & Septuaginta [3]: *Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te*. Veteres Judæi, non secus ac Ethnici [4] credidere, cuilibet homini unum, vel plures adesse Angelos, eorum rectores. Non defuerunt [5] qui privilegium hoc ad justos dumtaxat coarctarent; sed alii indiscriminatim omnibus hominibus suum Angelum tribuunt, quæ vulgatior est sententia. Cuilibet etiam Imperio, Reipublicæ, Provinciæ, Ecclesiæ, Altaribus, locisque sanctis Angeli sui tribuuntur. Psalmi hujus Auctor videtur asserere, Justos homines, qui in Deo omnem spem collocarunt, plures habere Angelos sui custodes, atque patronos.

℣. 12. NE FORTE OFFENDAS AD LAPIDEM PEDEM TUUM.] Tibi laborem ambulandi adiment, ne in aliquod impingens vulnus inde recipias; vel si ambulaveris, tenebunt te, ne forte in aliquid offendens labaris. Antiqua Psalteria: *Ne quando*, vel *ne unquam offendas* &c. Alludere autem videtur ad nutricum mores, quæ alumnos suos in difficilioribus locis gestant, in iis vero, qui sunt faciliores, eos ambulare sinunt, sed tamen tenent.

℣. 13. SUPER ASPIDEM, & BASILISCUM AMBULABIS, & CONCULCABIS LEONEM, & DRACONEM.] Si forte in medio serpentum, belluarumque ferocissimarum, atque perniciosissimarum adfueris, eas conculcabis, eas pedibus obteres: Verbo, nihil nocebit tibi, si te Deus protexerit. *Aspis* parvulus est serpens, gravissimo veneno armatus, cujus morsum nulla umquam medicina sanare posse perhibetur; ille quippe efficit, ut sanguis illico in venis, atque arteriis gelu concrescat. Sæpius illi, qui demorsi sunt, statim repentina morte abripiuntur; nonnunquam vero post tres horas occidunt, sed nemo illorum ultra horas octo vitam protrahunt.

Basiliscus alius generis serpens est, qui obtutu suo necem dicitur inferre. Nomen illius *Basiliscus*, vel *Regulus* satis ostendit ipsum veluti serpentum Regem haberi. Galenus in l. de Theriaca ad Pisonem ait, eum subflavi coloris esse, caputque tribus tuberibus munitum habere, quæ albicantibus distincta sunt notis, quamdam coronæ speciem referentia. Ælianus l. 2. c. 5. & 7. asserit, longitudinem illius palmum, vel quatuor digitos non excedere [6], & venenum illius adeo noxium esse, ut ad solum ejus vaporem maximus quilibet serpens intereat. Eos enecat, quorum baculi extremitatem momordit: serpentes omnes sibili sui rumore fugat. Plinius l. 8. c. 21. serpentem describit, se dumtaxat adspicientes, interficientem, eumque *Catoblepam* vocat, quod numquam attollit caput, sed illud semper terram versus demissum gerit, & addit; *Eadem & basilisci serpentis est vis. Cyrenaica hunc generat provincia, duodecim, non amplius, digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate insignem. Sibilo omnes fugat serpentes, nec flexu multiplici, ut reliquæ, corpus impellit, sed celsus, & erectus in medio incedens*; arboribus denique non solum tactu, sed flatu etiam suo tabum immittit, herbas adurit, & quocumque graditur, lapides confringit. Solinus [7] asserit, Pergamenos caro emisse pretio mortuum Basilisci corpus, ut a quodam Templo araneas omnes, ne ibi telas suas ordirentur, fugarent. Semipedalem illius esse longitudinem ait, & plura narrat, quam quæ ex Plinio sumus intuiti. Dioscorides l. 6. c. 55. adfert Erasistratum pharmaca recensentem, quæ contra Basilisci morsum adhibebantur: Parisiis ego ipse quandam serpentis formam conspexi, quæ Basilisci corpus esse dicebatur. Aviculæ speciem refert, a galli forma, sed implum is, parum abhorret, erectum caput habet, alas vero vespertilioni fere similes, ingentes oculos, collum satis breve.

Verum his minimum obstantibus recentiores Physicarum rerum scrutatores tenent, Basiliscum fabulosum esse serpentem. Galenus quoque l. 10. c. 1. de simpl. Medic. facultat. se eum numquam vidisse fatetur; quomodo autem videri posset, cum lethifer sit illius adspectus, & nemo ad illum possit accedere? Attamen si Veteres illos Auctores legeres, qui sedulo nobis ejusdem descriptiones reliquerunt, diceres sane, ipsos Basiliscum aliquem domi aluisse, & commode, atque diligentissime illum examinasse; sed inter Scriptores illos parva hac in re convenientia, non modicam debet de re eadem gignere suspicionem. Denique effectus, qui veneno, sibilo, flatui, adspectui, morsui serpentis hujus attribuuntur, adeo miri sunt, ut eo ipso incredibiles sint.

Qui eum nobis veluti parvulum Gallum descripsere, hi nequaquam legisse videntur Auctores antiquos, qui unanimi consensu oblongi serpentis formam illi tribuunt, sed incertos, vulgaresque rumores secuti sunt, qui venditant, Basiliscum ex veteris galli ovo prodire. Sed eruditi, quos consuluimus, viri me admonuerunt, commentitios hos Basiliscos, qui in aliquot Apotecariorum officinis ostendebantur, nihil aliud fuisse, quam exiguas rajas, quibus arte quadam tribuebatur forma a pulli Gallinacei specie non abnormis, alas illis extendendo, & fingendo caput cum fictitiis oculis; quod equidem facile deprehendi potest, si antea artis hujus admonitus propius rem velis perpendere.

Ceterum non satis apud Interpretes constat, quid proprie sibi velint duo illa Hebraica nomina [8], quæ reddita sunt Aspis, & Basiliscus: Alii enim vertunt [9] *leonem*, *& aspidem*; alii *serpentem*, *& aspidem*, alii [10], *Leonem*, *& Basiliscum*, & alii *hydrum*, vel aspidem nigrum, & *aspidem*. Nobis ea arridet versio, quæ de *Leone*, *& aspide* interpretatur. Hebraica vox *Schacal* procul-

---

1 לא תאנה אליך רעה ונגע לא יקרב באהלך 2 Aqu. Οὐ μεταχθήσεται πρὸς σε κακὰ, & ἁφὴ οὐκ ἐγγιεῖ ἐν σκέπῃ σου. Sym. Similiter. Aφὴ passim pro, *lepra*. Vide Drus. hic. 3 כי מלאכיו יצוה לך 70. Ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σου, &c. 4 Plato apud Porphyr. de abstin. l. 2. Vide & apud Clem. Alex. l. 5. Strom. & alios apud Ferrand. hic. 5 Hilar. Can. 18. in Matt. Basil. ad Psal. 33. & 48. Chrysost. homil. 3. in ep. ad Coloss. &c. 6 Ætius & Plinius, ei tres palmos, & 11. digitos attribuunt.

7 Solin. c. 30. *Serpens est pene ad semipedem longitudinis; alba quasi mitrula lineatus caput*, &c.

8 על שחל ופתן תדרך 9 Munst. Pag. Mont. Muis. Jun. Pisc. Geier. &c.

10 Vide Boch. Jerozoic. t. 2. l. 3. c. 3.

proculdubio significat leonem pluribus in scripturæ locis, & *Peten* aspidem ex doctissimorum Interpretum consensu.

Quoad *leonem*, *& draconem* authographi voces [1] proprie significant *leunculum*, *& crocodilum*, vel draconem marinum: ita ut utrumque versiculi membrum unum ferme, & idem significent. Opponit autem aspidem, quod terrestre est animal, *tannim*, quod est aquatile; utrumque perniciosissimum, crudelissimumque.

℣. 14. PROTEGAM EUM, QUONIAM COGNOVIT NOMEN MEUM.] Hebr. [2] *Elevabo*, vel in excelso, atque inaccesso loco illum constituam, *quoniam cognovit nomen meum*; quoniam me cognovit, amavit, coluit, mihi servivit, & eum, qui mihi debetur, honorem detulit. Non agitur hic de theoretica, sed de practica cognitione.

℣. 15. CUM IPSO SUM IN TRIBULATIONE, ERIPIAM EUM, & GLORIFICABO EUM.] Tempore afflictionis A non derelinquam illum; sed inde illum eruam, atque ad gloriæ apicem eveham. Non ait absolute, justum, & sperantem in Deo nullis umquam agitatum iri malis, & ærumnis; sed pollicetur, se cum eo tunc temporis fore, illi opem laturum, robur additurum, effecturumque, ut ex afflictionibus, atque tribulationibus triumphans emergat.

℣. 16. LONGITUDINE DIERUM REPLEBO EUM, & OSTENDAM ILLI SALUTARE MEUM.] Hebræus [3]: *diuturna eum vita saturabo*, *& illi ostendam salutare meum.* Nonnulli Patres hoc transferunt ad J. C. Resurrectionem, alii ad æternam Justorum beatitudinem, & felicissimam sortem, qua alii quidem eminus, & in spiritu, velut Abraham [4], *alii* cominus, & corporeis oculis, veluti felicissimus senex ille Simeon [5] Salvato-
B rem viderunt. Hoc etiam omnino simpliciter de Justis potest explicari, quibus diuturnam Deus in hoc mundo, in altero vero æternam vitam spopondit.

---

1 תרכס כפיר ותנין Vide Boch. ibidem. 2 אשגבהו כי ידע שמי
3 ארך ימים אשביעהו ואראהו בישועתי 4 Joan. 8. 56. *Exultavit ut videret diem meum; vidit & gavisus est.* 5 Luc. 2. 30. *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei, salutare tuum.*

PSALMUS XCI.

Laus Misericordiæ, & veritatis Domini. Admirabilis operum illius magnitudo. Impiorum lapsus. Justorum felicitas. Dei Sapientia.

Psalmus Cantici, in die Sabbathi.

ARGUMENTUM.

Titulus hic in Hebræo legitur æque ac in Græco [1]. Chaldæus, & Rabbini putant, Psalmum hunc ab Adam fuisse compositum ipso creationis suæ momento; verum noveratne peccatum, & effectus illius prævidebat, quemadmodum hic vers. 7. & seq. describit? Nonnulli alii Hebræi hunc Davidi adscribunt, & de Messiæ Regno explicant, isthic *Sabbathi* nomine designato, & quod mille annos, inquiunt illi, post sæculi præsentis consummationem est duraturum [2]. Ferrandus eum explicat veluti gratiarum actionem David, propter Absalonis cladem. Theodorus Heraclæota, & Beda eum ad Ezechiæ tempora referunt post cædem Sennacherib.

Plurimi Patres nomine *Sabbathi* futuram vitam isthic intelligunt, ubi in perfecta quiete Deum laudabimus. Nullus igitur in hoc Psalmo certus character adest, propter quem tuto judicium ferre possimus de tempore, vel occasione, qua compositus fuit, vel de Auctore, qui illum est elucubratus. Morum præceptis undique refertus est, & non longe absimilis a Psalmis 1. & 36. ubi felicitas, & bona Justi nobis exhibentur sub arboris secus aquas positæ similitudine; lapsus vero impii sub imagine herbæ arescentis, atque celerrime senescentis.

Ex collatione vers. 2. 3. 4. 14. cum 3. 5. & 11. Psalmi 83. facile in eam sententiam adducerer, Psalmum hunc fuisse compositum a Sacerdotibus, vel Levitis, qui in captivitate Babylonica squalebant, & qui quamprimum in Jerusalem se redituros sperabant, ibi consuetis muneribus suis perfuncturi, laudes scilicet Domino recinendi. Quod cum ea congruit sententia, quæ Psalmum hunc, non secus ac præcedentes duos, & quosdam e subsequentibus, Levitis filiis Moysis attribuit.

1. BOnum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. 2 Ad an-
nuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. 3
In decachordo psalterio: cum cantico in cithara. 4 Quia delectasti me,
Domine, in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo. 5 Quam ma-
gnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. 6
Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. 7 Cum exorti fue-
rint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.
8 Ut intereant in sæculum sæculi: tu autem Altissimus in æternum, Domine. 9
Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & disper-
gentur omnes, qui operantur iniquitatem. 10 Et exaltabitur sicut unicornis cor-
nu meum,

---

1 ליום השבת 70. Εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ Σαββάτου. Plurimi Latini: *In diem Sabbathi.*
2 Vide si placet Kimchi, Rab. Salom. Athan.

nu meum, & senectus mea in misericordia uberi. 11 Et despexit oculus meus
inimicos meos; & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea. 12 Ju-
stus ut palma florebit sicut cedrus Libani multiplicabitur. 13 Plantati in domo
Domini: in atriis domus Dei nostri florebunt. 14 Adhuc multiplicabuntur in se-
necta uberi: & bene patientes erunt, ut annuntient. 15 Quoniam rectus Domi-
nus Deus noster: & non est iniquitas in eo.

℣. 1. BONUM EST CONFITERI DOMINO, & PSALLERE NOMINI TUO, ALTISSIME.] Quam suave, atque jucundum est, Domine, omne vitæ tempus in laudibus tuis recinendis impendere! Quandonam hæc nobis continget felicitas, ut in Templo tuo sanctas, & pias has exercitationes instauremus? Verborum Prophetæ ordo notatu dignus est, quemadmodum Eusebius, & S. Hieronymus animadvertunt [1]. Primum enim peccata sua quilibet fateatur, oportet, mox vero Dominum laudet; confiteri prius scelera nostra debemus, ut pares simus dignas eo laudes psallendo. Verum sensus hic moralis est. *Confiteri* enim hoc in loco idem valet, ac *laudare*.

℣. 2. AD ANNUNTIANDUM MANE MISERICORDIAM TUAM, & VERITATEM TUAM PER NOCTEM.] Bonum est misericordiam, atque veritatem tuam noctu, atque interdiu prædicare. Misericordia, & Veritas passim in Scripturis junguntur. Prior prævenientem Domini gratiam significat, posterior vero exactam illius fidem in iis, quæ pollicitus est, adimplendis: *Mane, & vespere* totum diem, noctemque significant, uti etiam in Genesi 1. 5. 8. 13. *Factumque est vespere, & mane, dies unus*. Sacerdotum, Levitarumque munus in Templo erat, Dominum laudandi, & die, ac nocte illius misericordiam, & veritatem in Templo ejus prædicandi. Quam suave est, Domine, in id unum incumbere! Levitæ Babylone captivi summo affici dolore debebant, quod munere suo fungi prohibebentur.

℣. 3. IN DECACHORDO PSALTERIO; CUM CANTICO IN CYTHARA.] Heb. [2] *In Nasur*, vel instrumento *decachordo, & in nablo, in higgaion, & in cinnor*. Consule Dissertationem nostram de Musicis Hebræorum instrumentis. Ex iis, quæ in hunc locum adfert Eusebius, videtur illius ævo instrumentorum usus nondum in Ecclesiam invectus fuisse.

℣. 4. QUIA DELECTASTI ME, DOMINE, IN FACTURA TUA &c.] Quanta me capit admiratio, & lætitia, intuentem mirabilia tua, Providentiam tuam, tuamque erga homines agendi rationem! Aspiciens dumtaxat hominum nequitiam, improborum scelera, impiorum dignitatem, atque humilitatem bonorum, ingemisco, & confundor; verum simulac oculos conjicio in infinitam sapientiam tuam, dolores, luctus, & curæ evanescunt. Omnia enim optime ordinantur, atque ad fines suos deducuntur, occultis, atque infirmæ hominum menti inviis consiliis.

℣. 5. NIMIS PROFUNDÆ FACTÆ SUNT COGITATIONES TUÆ!] Quam longe absunt ab intellectu nostro tua consilia, & sapientia; quam longe captum nostrum excedunt! loquitur præsertim de Divina erga homines providentia, quæ alios quidem attollit, alios deprimit; & peculiariter attendit ad tristem eam conditionem, in qua tunc Judæi Babylone jacebant.

℣. 6 VIR INSIPIENS NON COGNOSCET.] Vias has, has cogitationes, de quibus modo fuit sermo. Magna equidem opus est sapientia, ne cui scandalum obrepat ea videnti, quæ ob oculos nostros in hoc mundo contingunt. Insipientes, stulti, impii, carnales homines, qui fallax mentis suæ lumen, & improbos cordis sui sequuntur affectus, Deum blasphemandi, ejusque Providentiam vituperandi sumunt occasionem, videntes impios prosperis rebus frui, justitiam contemni, Religionem, atque veritatem nauci æstimari: sed Sapiens super hæc omnia se extollit [3]; ubique Domini Sapientiam, ac Justitiam intelligit; ex iis omnibus, quæ in terris accidunt, gaudium percipit, atque consolationem. Si Justum affictari videt, hoc illum in fidem futuræ vitæ confirmat; si impium lætari, ac prospero temporalium rerum cursu frui considerat, ait: Væ impio, lapsus illius eo erit major, quo locus, unde illi cadendum est, erit sublimior.

℣. 7. CUM EXORTI FUERINT PECCATORES, SICUT FOENUM, & APPARUERINT &c.] En Sapientiæ illustre præceptum, quod nobis isthic Psalmi auctor exhibet. Ne invideas impiorum prosperitati; floret, nitet, fulget; sed est veluti flos, qui momento vigebit: ad solis æstum arescet [4], quamprimum omnis illius decor interibit. Quidquid æternum non est, nihil est, quidquid periturum, ac finitum est, nostram haud meretur existimationem. Adnota discrimen, quod Justum inter, ac impium ille constituit; hunc quidem agrestibus herbis collatum, illum vero palmæ, & cedro. Herba unum dumtaxat diem viget, & ad nihilum prodest; arbores autem illæ plurimos annos vivunt, & non mediocris sunt utilitatis. Antiqua Psalteria [5] pro *apparuerint*, legunt *prospexerint*, vel *prosultati sunt*. Hebr. [6] *Cum germinaverint improbi, & impii floruerint*, in æternum peribunt.

℣. 9. INIMICI TUI PERIBUNT, & DISPERGENTUR &c.] Babylonii, insolentes hi populi, qui per summam impotentiam superbe abutuntur victoriis, & bonis, quæ illis concessisti, qui haud ita pridem cum tanto splendore, atque felicitate apparuerunt, peribunt, dissipabuntur. Florent; sed flos hic diem non excedit.

℣. 10. EX EXALTABITUR SICUT UNICORNIS CORNU MEUM; & SENECTUS MEA IN MISERICORDIA UBERI.] Populus meus, vel tuus potius, Domine, novas recipiet vires, virtutem novam; rursus libertatem pristinam assequetur, & revertetur in patriam suam; iterum gratia, & misericordia tua cumulabitur. Hebræus textus [7] aliquam patitur difficultatem. Quidam vertunt: *Exaltabitur sicut unicornis cornu meum, & viridi oleo inungar*, oleo scilicet excellenti. Satis liquet, hanc antiquitus vulgo fuisse consuetudinem se se unguentis fovendi. Alii: Gloria mea, virtus mea, fortitudo mea, mea pulchritudo, *cornu meum exaltabitur, sicut cornu unicornis, & senectus mea excellenti oleo fovebitur*. Populus meus hodie sub servitutis jugo mœret, verum consurget, novas resumet vires; senectus, caducitas, infirmitas illius reflorescet. Oleum, quo inungebantur, eos communiebat, fovebatque: *Oleo natura sepefacere corpus, et contra algores munire*. Symmachus [8]: *Senectus mea erit tamquam oliva*, frondibus, floribusque decora. Chaldæus inunxit me oleo recenti ex oliva virescentibus foliis prægravi. Septuaginta [9], & quædam antiqua Psalteria [10]: *Et senectus mea propter oleum pingue* reflorescet.

℣. 11. DESPEXIT OCULUS MEUS INIMICOS MEOS.] He-

---

1 Euseb. hic Hieron. *Non dixit: Bonum est psallere, & postea confiteri; sed vide ordinem: Bonum est confiteri, & bonum est psallere. Primum age pænitentiam, & lacrymis dele peccata, & postea canta Domino.*
2 עלי עשור ועלי נבל עלו הגיון בכנור 3 Vide Euseb. in hunc loc.
4 Vide sup. 89. 6 *Mane sicut herba transeat &c.* 5 August. Psalter. Mediol. *Prospexerint*. S. Germ. *Prosultati sunt*. Carnut. *Prosultatæ sunt*. 70. Διακύψαι. Aquil. & Sym. Ἤνθησαν. *Floruerint, &c.*
6 בפרח רשעים כמו עשב ויציצו כל פעלי און 7 ותרם כראים קרני בלותי בשמן רענן
8 Sym. Ἡ πολιά μου ὡς ἐλαία εὐθαλής. 9 Καὶ τὸ γῆράς μου ἐν ἐλαίῳ πίονι. Ita Euseb. Athan. Theodoret. alii. 10 Aug. Psalt. & S. Germ. Ἐλαίῳ πίονι, Vulgata legit, Ἐλέει πίονι.

Hebræus nullum innuit despectum [1]; ait simpliciter: *Oculus meus videbit inimicos meos, & aures meæ audient insurgentes in me*. Aliquid supplendum est; testis ero necis eorum, mihi eorum calamitates enarrabuntur; non moriar, antequam videam ultionem, quam Deus sumpturus est. Vide Ps. 101. ℣. 9. 10.

℣. 12. JUSTUS, UT PALMA FLOREBIT: SICUT CEDRUS LIBANI MULTIPLICABITUR.] Longe aliter ab impio, qui veluti flos, vel agreste gramen momento erescit, & momento exarescit. Palma quamvis recisa, & cremata, adhuc tamen germinat [2]. Ita Justus iterum elevatur, postquam diu in dolore; & luctu jacuerit. Palma, & Cedrus duæ sunt arbores in Judæa finitimisque locis omnium maxime insignes. Palma quidem propter fructum, folia, vinum, quod inde exprimitur, & alia plurima commoda, quæ illine hauriuntur; Cedrus vero propter altitudinem suam, speciem, soliditatem, & quod in maxima quælibet, & maxime magnifica ædificia adhibetur. Nullam novimus hac pulchriorem arborem, sublimiorem, solidiorem, & quæ difficilius corrumpatur.

Tertullianus [3] hic legit: *Justus ut Phœnix florebit*; quod ille intelligit de volucri nominis ejusdem, de quo tot Veteres commenti sunt, & quem tamquam immortalitatis symbolum respexerunt. Consuli potest Dissertatio nostra in eum Job locum [4]: *Sicut palma multiplicabo dies*. Hoc autem profectum est ex æquivoco vocis *Phœnix*, quæ Græce *Phœnicem*, Palmam, & virum e Phœnicia innuit. Septuaginta [5] hic legunt; *Phœnix*, sed in palmæ sensu, uti ex verbo *florebit* deprehenditur. Hebraica vox *Thamar* dubio procul palmam significat.

℣. 14. ADHUC MULTIPLICABUNTUR IN SENECTA UBERI, & BENE PATIENTES ERUNT, UT ANNUNTIENT, QUONIAM RECTUS DOMINUS.] Justi, vel Sacerdotes, & Levitæ, quos supra palmæ, & cedro comparavit, erunt in Templo Domini, & in sacris atriis illius, velut arbores in fertili terra consitæ; ibi germinabunt, ibi radicem mittent, se se communient, multiplicabuntur, atque in felici, fecundaque senectute permanebunt. Persequitur metaphoram ab arbore in uberi tellure consita deductam, quæ multiplicatur, & fructus parit in abundantia.

En Hebræum vers. 13. 14. 15. 16. *Justus florebit*, vel germinabit, *sicut palma*; *elevabitur*, multiplicabitur, se se extendet, *tamquam cedrus Libani* (℣. 14.) *florebunt transplantatæ in domum Domini, in atria Templi ejus* (15.) *Fertiles erunt, vel gignent filios etiam in senectute sua, pingues erunt, & virides* (16.) *Ad annuntiandum, quod Dominus, rupes nostra, æquus est, & nulla est in illo injustitia*.

Pro illis Vulgatæ verbis: *Bene patientes erunt, ut annuntient*. S. Augustinus legit: *Tranquilli erunt, ut annuntient*. Grotius tenet, Septuaginta textum ita esse vertendum [6]: *Florentes erunt ad annuntiandum*. Et Symmachus ita [7] vertit vers. 14. & 15. *Ferent quoque fructum in senectute sua, pingues erunt, ac florentes, annunciantes, quod Dominus, qui me protegit, rectus est, & injustitia non est in illo*.

---

1 ותבט עיני בשורי בקמים עלי מרעים השמענה אזני 70. Καὶ ἐπεῖδεν ὁ ὀφθαλμός μου, &c. August. & omnia antiqua Psalter. *Respexit*. Psalter. S. Germ. *Oculus suus .... aures suæ*.

2 Plin. l. 13. c. 4. 3 Tertull. lib. de Resurrect. c. 13. *Florebit velut Phœnix; id est, de morte, de funere; uti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse*.

4 Vide Job. 29. 18. & Dissertationem in hunc locum in capite libri Job.

5 Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει. Heb. צדיק כתמר יפרח 6 70. Εὐπαθοῦντες ἔσονται τοῦ ἀναγγεῖλαι, ubi Εὐπαθεῖν, est ἀκμάζειν. Grot. 7 Symm. Ἔτι καρποφορήσουσι γηρῶντες, πίονες καὶ εὐθαλεῖς ἔσονται, ἀναγγέλλοντες ὅτι ὀρθὸς κύριος ὁ παραφυλάσσων με, καὶ οὐκ ἔστιν ἀδικία ἐν αὐτῷ.

PSALMUS XCII.

Æternum Domini regnum, illius potestas, & magnitudo superiores aquis fluminum, & fluctibus maris. Veritas testimoniorum ejus.

Laus Cantici ipsi David, in die ante Sabbathum, quando fundata est terra.

ARGUMENTUM.

LAUS CANTICI IPSI DAVID, QUANDO FUNDATA EST TERRA, Vel quando creata est; de ea enim satis frequenter Hebræi loquuntur, tamquam de ædificio, quod fundatum, & constitutum est [1]. Qui hunc titulum apposuit, Psalmum hunc accepit, veluti Laudis Canticum, quod Domino potuisset inscribi vespere diei Veneris, cum jam perfecto opere creationis Mundi sex dierum spatio requiem septimi inchoavit. Fortasse quoque in Templo Sabbathi initio recitabatur, hoc est, die Veneris sub Solis occasum; Sabbathum enim, aliæque Festivitates vespere incipiebant. Hebraicus textus nullum adfert titulum, cujus rei nos etiam admonent vetera quædam exemplaria Septuaginta. Theodoretus legit: *Laus, vel Canticum David, absque titulo apud Hebræos*. Eusebius simpliciter [2]; *Laus, vel Canticum David*. Antiquum S. Germani Psalterium: *Laus Cantici ipsi David, in die Sabbathi*. Vetus Manuscriptum egregii viri de Mesme, *in die Dominica*. Et pro *quando fundata est terra*, veterum plerique legunt cum Septuaginta [3]: *Quando inhabitata est terra*.

Patres, & Hebræorum plerique putant, hunc respicere Messiæ tempus. Primi vero illum explicant veluti jam in J. C. persona, & in illius regno adimpletum, Rabbini vero tamquam futuri temporis prophetiam. Muis hunc refert ad solemnitatem translationis Arcæ de domo Obededom in civitatem David propter ℣. primi similitudinem cum decimo Psalmi 95.

Ego vero malim eum cum Beda, & antiquo Paraphraste Græco, a Corderio edito [4], de reditu ex Babylonica

---

1 Ita Rabb. Mar. Gall. S. Germ. Carnut. 2 Αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαυίδ. 3 70. Ὅτε κατῴκισται ἡ γῆ. Ita Psalter. Roman. 4 Vide & Ferrand. hic.

lonica captivitate explicare. Psalmus 95. a Muis allatus nostræ favet hypothesi, hunc enim titulum gerit: *Canticum ipsi Davidi, quando domus ædificabatur post captivitatem*. Mihi autem suboritur suspicio, hunc, & sequentem, præcedentis Psalmi esse continuationem. In fine Psalmi 91. Psalmista ait, Justos Domini laudes annuntiaturos, hoc vero est Canticum, quod ab ipsis canendum est, & quod sequenti Psalmo continuatur; juxta quod systema hoc quoque opus est filiorum Moysis.

1. DOminus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem,
& præcinxit se. 2 Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.
3 Parata sedes tua ex tunc: a sæculo tu es. 4 Elevaverunt flumina, Do-
mine: elevaverunt flumina vocem suam. 5 Elevaverunt flumina fluctus suos: a vo-
cibus aquarum multarum. 6 Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus.
7 Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo, Domine,
in longitudinem dierum.

℣. 1. DOMINUS REGNAVIT, DECOREM INDUTUS EST; INDUTUS EST FORTITUDINEM, & PRÆCINXIT SE [1].] Nobis hic exhibet Dominum, veluti Regem, regni sui se insignibus induentem, atque locupletissimis se præcingentem armis, ut dignum aliquid virtute, ac viribus suis aggrediatur. Opus hoc nihil est aliud, quam liberatio populi sui captivi, ultio, quam adversus Babylonios exercere debet, restitutio populorum, quos Chaldæi turbaverant, transtulerant; injustis, violentisque bellis vexaverant. Hoc autem Psalmista *terram fundare* dicit, illi locum tribuere, eamque quieti suæ restituere. In sublimiori sensu explicatur de J. C. regno, atque illius Resurrectione.

℣. 2. FIRMAVIT ORBEM TERRÆ, QUI NON COMMOVEBITUR.] Ostendimus alibi, Hebræos terram planam, atque immobilem credidisse. Dominus ex ipso statim rerum primordio terræ dedit pondus, formam, consistentiam, immobilitatem, quam semper servavit. Assyriæ, & Chaldææ Reges terram hanc, quam Dominus fundaverat, firmaveratque, quodammodo concusserunt. Eam bellis, injustisque rapinis susque deque turbarunt. Verum Dominus pristinam illi restituet tranquillitatem, motus illius per Cyri regnum cohibebit.

℣. 3. PARATA SEDES TUA EX TUNC [2]; A SÆCULO TU ES.] Cœlum est thronus tuus, & terra scabellum pedum tuorum. Utrumque tu Domine creasti, tu vero es ab æterno; *ex tunc* ea jam creasti, hoc est in ipso sæculorum initio, jamdudum [3]. Absolutam in omnes terrarum populos per omnia sæcula auctoritatem exerces. Judex es, & arbiter Nationum omnium ab initio: *Parata sedes tua ex tunc*. De J. C. quoque satis commode explicatur, qui post Resurrectionem suam ad Cœlum ascendit, ibique æterno insidet solio [4], quod numquam, quoad naturam divinam reliquit.

℣. 4. ELEVAVERUNT FLUMINA, DOMINE... VOCEM SUAM, ELEVAVERUNT FLUMINA FLUCTUS SUOS [5].] Fluvii quoque, & maria pro modulo suo vocem extulerunt, ad laudes tuas enuntiandas. Homines immania hæc aquarum maris excipula, & motus hos adeo belle ordinatos, singulares, ac ignotos, qui in illis deprehenduntur, intuiti, mirabilia, atque magnalia tua sunt admirati. Patrum plerique fluviorum nomine elevantium vocem suam Apostolos [6] intelligunt, qui in omnes terrarum plagas Evangelicas veritates enuntiarunt, effeceruntque, ut vox sua apud omnes Gentes resonaret. Alii hoc explicant de persecutionibus, quæ J. C. Ecclesiam quodammodo inundaverunt.

℣. 5. ELEVAVERUNT FLUCTUS SUOS A VOCIBUS AQUARUM MULTARUM. MIRABILES ELATIONES MARIS, MIRABILIS IN ALTIS DOMINUS.] Quidquid in rerum natura intuemur ad Deum nos elevat, & nobis potentiæ, ac magnitudinis ejus sublimem adstruit ideam. Verum nihil aptius est ad nos coram illius omnipotenti Majestate deprimendos, quam adspectus fluviorum, & marium lapsus, exundationum, motuum, fluctuum utrorumque. Fortasse quoque per *elationes maris*, maris æstum intelligit, unum ex magis ignotis, atque admirabilibus naturæ phœnomenis.

Alius Hebraico textui potest sensus appingi [7]: *Fluvii elevarunt illisionem undarum suarum*. ℣. 4 *fluctus*, vel illisiones *maris majores sunt aquis maximis; sed Dominus est magnus in Cælo*. Si mare cum undis, æquoribus, fluctibusque suis adeo terribilis est, quid erit Dominus in Cœlis? Vertere ego mallem: *Dominus in Cælo major est, quam mare in omni latitudine sua, & fluctus maris in omni furore, omnibusque elationibus suis*. Patres per hæc maria, & immanes has aquarum congeries, nobis eos exhibent populos, qui Christianæ Religioni initiati sunt [8]. Nonnulli hoc explicant de Babyloniis, & de vi exercitus eorum; sed Dominus toto cœlo eos superat. Coram illo Nationes omnes nihil aliud sunt, quam aquæ gutta, vel pulveris granum [9].

℣. 7. TESTIMONIA TUA CREDIBILIA FACTA SUNT NIMIS.] Si is es, quem modo dixi, o Domine, Rex Cœli, & Terræ, omnipotens, justus, nationum omnium Judex, marium, fluctuumque eorum Dominus, quis in dubium vocare audebit veritatem testimoniorum tuorum? quis ambigere audebit de promissionibus tuis, quis tuæ potentiæ resistere, quis sanctas tuas Leges infringere? Patres [10] hoc sequentibus subdunt. Post adventum tuum, Deus, & post Ecclesiæ tuæ primordia testimonia tua, prophetiæ tuæ admirabilem evidentiam, atque perspicuitatem obtinuerunt. Oculos claudat oportet, qui ea in Persona, Ecclesiaque tua ad unguem adimpleta renuit intueri. Aliter: Quandoquidem magnus es, ac potens, Domine, & testimonia tua certa sunt, atque citra quamcumque dubitationem posita, fac, ut Templum tuum, quod fore dixisti Sanctum, ac inviolabile, restauretur, & expietur, ibique, ut olim, nomen tuum laudetur, ac benedicatur; ne permittas ea, quæ in loci adeo sacri gratiam pollicitus es, optato effectu carere.

DOMUM TUAM DECET SANCTITUDO IN LONGITUDINEM DIERUM.] Quænam esse debet Ministrorum tuorum puritas, & domus tuæ Sanctitas, o Deus, quandoquidem adeo sanctus es, & magnus? Supponimus, Levitam hic loqui, & exprimere reverentiæ suæ sensus erga Domini templum, quos illi suggerebat adspectus magnitudinis Dei, qui ibi colebatur, atque adorabatur.

PSAL-

1 Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut. *Præcinxit se virtutem*. Aug. *Præcinctus est*. 70. Περιέζωσατο.
2 Augustinus legit: *Parata sedes tua, Deus, ex illo*. 3 Vide Isai. 16. 13.
4 Ita Patres in hunc loc. Vide Psalm. 44. 7. *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: virga directionis, virga Regni tui*. 5 Hæc ultima verba: *Elevaverunt flumina fluctus suos*, in Septuaginta Edit. Rom. non extant, neque in S. Augustino, vel in vetustis Psalteriis toties citatis. At Editio Complutensis, & Theodoretus legunt: Ἀροῦσιν ποταμοὶ ἐπιτρίψεις αὐτῶν. *Elevaverunt flumina illisiones suas*. S. August. *Elevaverunt flumina voces suas*.
6 Euseb. Athanas. Theodoret. August. Hieronym.
7 ישאו נהרות דכים (4.) מקולות מים רבים אדירים משברי ים אדיר במרום יהוה 8 Apoc. 17. 15.
9 Isai. 40. 15. *Ecce gentes quasi stilla situlæ*... *Ecce insulæ quasi pulvis exiguus*. 10 Athanas. Euseb.

PSALMUS XCIII.

Afflicti populi consolatio. Prædictio punitionis, quam in impios Deus exercebit. Providentiæ, & Sapientiæ Dei argumenta. Dominus liberabit, & proteget populum suum.

Psalmus ipsi David, quarta Sabbathi.

ARGUMENTUM.

Titulus hic in Hebraico textu non adest [1]: sunt, qui putent a Septuaginta additum fuisse: Theodoretus tenet, non ab antiquis illis Interpretibus, sed tempore posteriori adjectum fuisse. Ajunt, Psalmum hunc cani consuevisse in Templo quarta hebdomadæ die. S. Athanasius eum refert ad mensem quartum, quo Urbs Jerusalem a Chaldæis capta fuit [2]; cum Psalmi Auctor quartam diem pro mense quarto posuerit, figura quadam Prophetis permissa. Interpretes nonnulli censent [3], hunc a Davide fuisse compositum, dum illum Saul persequeretur. Rabbini eum explicant de miserrimo eo statu, in quem Judæi nunc redacti sunt in omnibus terrarum plagis. S. Hieronymus illum de J. C. interpretatur. Alii Psalmum omnino moralem esse putant de Providentia. Veteres plurimi, ac Recentiorum Interpretum non pauci [4] existimant, hanc esse orationem populi Babylone captivi; quam quidem sequemur sententiam, eum filiis Moysis attribuentes, qui in captivitate versabantur. Psalmus hic est præcedentis continuatio.

1. DEus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit. 2 Exaltare, qui judicas
terram: redde retributionem superbis. 3 Usquequo peccatores, Domine,
usquequo peccatores gloriabuntur. 4 Effabuntur, & loquentur iniquitatem:
loquentur omnes, qui operantur injustitiam? 5 Populum tuum, Domine, humiliave-
runt: & hæreditatem tuam vexaverunt. 6 Viduam, & advenam interfecerunt, & pu-
pillos occiderunt. 7 Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.
8 Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. 9 Qui plantavit au-
rem, non audiet? aut, qui finxit oculum, non considerat? 10 Qui corripit gentes,
non arguet: qui docet hominem scientiam. 11 Dominus scit cogitationes homi-
num, quoniam vanæ sunt. 12 Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, &
de lege tua docueris eum. 13 Ut mitiges ei a diebus malis: donec fodiatur pec-
catori fovea. 14 Quia non repellet Dominus plebem suam: & hæreditatem suam
non derelinquet. 15 Quoadusque justitia convertatur in judicium: & qui juxta
illam, omnes qui recto sunt corde. 16 Quis consurget mihi adversus malignan-
tes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? 17 Nisi quia Domi-
nus adjuvit me: paulominus habitasset in inferno anima mea. 18 Si dicebam:
Motus est pes meus: misericordia tua, Domine, adjuvabat me. 19 Secundum
multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt ani-
mam meam. 20 Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis: qui fingis laborem in
præcepto? 21 Captabunt in animam justi, & sanguinem innocentem condemna-
bunt. 22 Et factus est mihi Dominus in refugium: & Deus meus in adjutorium
spei meæ. 23 Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet
eos: disperdet illos Dominus Deus noster.

℣. 1. DEUS ULTIONUM DOMINUS .... LIBERE EGIT [5].] Dominus, & Deus ultionum, quemadmodum Deus est misericordiarum, & consolationum; ipse ulciscitur injurias servorum suorum; ipse, postquam illos afflixit depressitque, sublevat etiam & consolatur: *Mea est ultio*, inquit ille per os Moysis Deut. 32, 35. & David Psal. 17. 48. *Deus, qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me.* Verti quoque potest: *Deus* A *ultionum Dominus libere aget.* Consurget aliquando acriter in Babylonios, inimicos nostros, & terribilem ultionem suam in eos exercebit. Vel potius cum Hebræo [6]: *Domine, Deus ultionum, Domine ultionum appare*, te manifesta, tempus est, ut discant inimici tui, te illorum nequitiam agnoscere.

℣. 2. EXALTARE, QUI JUDICAS TERRAM: REDDE RETRIBUTIONEM SUPERBIS.] O Deus, supremus mortalium Judex, qui absolutum imperium tuum in omnem

1 Theodoret. legit: Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ, τετράδι Σαββάτων, ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις.
2 Athan. hic. Vide Jerem. 39. 2. 3 Jun. Jansen. Gand.
4 Heraclæot. Beda. Interp. Græc. a Corderio edit. Muis. Ferrand.
5 Ἐπαῤῥησιάσατο. Aug. *Fidenter egit.* 6 אל נקמות יהוה אל נקמות הופיע Aqu. Ἐπιφάνηθι.

omnem terrarum orbem exerces [1], *consurge*, appare super Tribunali tuo; in pedes assurge, ut percutias Chaldæos, infestissimos illos hostes, qui per fas, & nefas tot mala in terra peperere.

℣. 3. USQUEQUO PECCATORES, DOMINE, GLORIABUNTUR?] Usquequo se se Babylonii, & potentiam suam ac imperii sui magnitudinem, impensasque opes jactabunt? *Impatientia humana*, ait S. Hieronymus hic, *non vult Deum habere patientiam. Miseri nos, qui volumus nobis Deum esse patientem, & inimicis impatientem.*

℣. 4. EFFABUNTUR, & LOQUENTUR INIQUITATEM &c.] Usquequo sibi tantum acceptam referent eam, qua fruuntur, felicitatem, ac superbia intumescent contra te, Deus meus? Vel usquequo illudent populo tuo, & contumeliosos sermones effutient? Hebr. [2]: *Usquequo improbi superbient? Usquequo loquentur illi injuria, atque incompositi dicent verba insolentia*, dura, contumeliosa, antiqua? *Usqueque peccatores gloriabuntur*, perperam effutient, & sine ulla ratione loquentur. Hæc omnia satis commode explicantur de Chaldæis, qui prosperis rebus elati, aliis insultabant populis, victasque Nationes contemnebant.

℣. 5. POPULUM TUUM HUMILIAVERUNT &c.] Nabuchodonosor oppressit populum tuum, & plurimos interfecit, alios vero in captivitatem redegit; subvertit Jerusalem, diruit Templum, igne, ferroque regionem omnem vastavit, depopulatus est, convertit in solitudinem.

℣. 6. VIDUAM, & ADVENAM INTERFECERUNT, & PUPILLOS OCCIDERUNT.] Judæam omnem, aliasque victas regiones incendiis, cædibusque replerunt, nulla habita ætatis, sexus, vel conditionis ratione. In Jeremia, & Ezechiele videri potest, quam sævitiam, & crudelitatem Nabuchodonosor in victos exerceret. Septuaginta [3]: *Viduam, & orphanum interfecerunt, & occiderunt advenam*, vel *proselytum*. *Proselyti* ii dicebantur, qui inter Judæos commorabantur, & Dominum colebant. Alii eorum vero circumcisioni se se submittebant, & legem omnem observabant, alii se se ab idololatria simpliciter abstinebant. Si Chaldæis in Judæos simultatis erat causa, cur & in proselytos illorum ultio desæviit?

℣. 7. NON INTELLIGET DEUS JACOB.] Babylonii hæc intra se ipsos dicebant. Non quæret Deus, quid mali populo suo intulerimus. Vel: Hic infirmus est Deus, ac impotens, qui non agnoscit ea, quæ ab illo procul sunt. Non videt nos, neque in nos animadvertet. Sermonis decursus satis hunc sensum probat. Confer Psalmos 13. ℣. 1. 2. Ps. 72. ℣. 6. 8. 11. 12. qui huic persimiles sunt, & ipsi quoque ad Babylonios spectant. *Deus* Jacob isthic per quamdam irrisionis speciem usurpatur. Deus populi hujus calamitosi, victi, captivi.

℣. 8. INTELLIGITE INSIPIENTES IN POPULO (9.) QUI PLANTAVIT AUREM NON AUDIET?] Mentis impotes Babylonii, popule rudis, & barbare, natio insipiens, & impia, audi, quæ tibi dicturus sum: Qui homini aures, oculos, intellectum largitus est, qui justus est creaturarum Judex, non intelliget, non videbit, ignorabit, non judicabit? Si surdus est, si cœcus, si ignavus, si hominum flagitia non punit, undenam homines habent lucem, sapientiam, atque prudentiam? Hoc invictum est adversus Babylonios argumentum. Vide Eusebium, & S. Hieronymum in hunc locum [4]: *Deus totus oculus est, quia omnia videt. Totus manus est, quia omnia operatur. Totus pes est, quia ubique est. Ergo videte quid dicat: Qui plantavit aurem, non audiet? Non dixit: qui plantavit aurem, ergo ipse aurem non habet. Non dixit: qui plantavit oculos, ergo ipse oculos non habet. Sed qui dixit?* Qui plantavit aurem non audiet; & qui finxit oculos, non considerat: *Membra tulit, efficientias dedit.*

℣. 10. QUI CORRIPIT GENTES, NON ARGUET; QUI DOCET HOMINEM SCIENTIAM.] Qui corrigit Nationes, in te non animadvertet? Et qui dat homini scientiam, non norit ille ea, quæ injuste operaris? Versiculos 10. & 11. ita connectere vellem [5]: *Qui corripit gentes, te non corripiet? & qui hominibus dat scientiam (11.) Dominus non novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*, inutiles, falsæ, mendaces? vel quod insanas, ac ridiculas habent de Providentia cogitationes [6]; vel quod ridicule putant, se divinam effugere posse cognitionem; vel denique, quod cogitationes eorum vanæ sunt, & nequam, Genes. 6. 5.

O curas hominum; o quantum est in rebus inane!

℣. 12. BEATUS HOMO, QUEM TU ERUDIERIS, DOMINE; (13.) UT MITIGES EI A DIEBUS MALIS &c.] Errorem, cœcitatem, corruptionem Babyloniorum, qui Dominum ignorabant, atque Religione carebant, opponit felicitati Israelitarum, qui a Deo ipso erant edocti, Sacerdotum, & Prophetarum ejus adminiculo. Comparat quoque periculum, atque calamitatem Babyloniorum, qui summa cum severitate a Deo erant puniendi *in diebus malis*, cum Israelitarum felicitate, qui eodem iræ tempore clementer, suaviterque excipientur; *Ut mitiges ei a diebus malis*. Heb. [7] *Beatus homo, quem erudiit Dominus, & quem edocuit legem suam (13.) ut ei requiem compararet*, eumque tueretur *a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea*. Tuebitur Dominus servos suos a malis iis, quæ impio præparata sunt eos quodammodo aliis suis proteget, donec impiorum furor debacchabitur; & hi quidem quamprimum ad tumulum redigentur.

℣. 14. QUONIAM NON REPELLET DOMINUS PLEBEM SUAM (15.) QUOADUSQUE JUSTITIA CONVERTATUR IN JUDICIUM, & QUI JUXTA ILLAM [8] OMNES, QUI RECTO SUNT CORDE.] Cum ait, Dominum non abjecturum esse populum suum, donec justitia ipsius in impios animadverterit, non significat a Domino populum postea esse derelinquendum; sed hoc innuit non ante, ac multo minus post justos homines a Deo esse repellendos, immo vero ab eo protegendos ab omni vi, & nequitia improborum, donec hi fuerint dominati; iisdem vero dejectis, dissipatisque, Justum perfecta tranquillitate esse fruiturum. Heb. [9] *Non repellet Dominus populum suum, donec Justus redierit ad judicium, & omnes recti corde illum sequantur.* Donec illi omnes, qui recto sunt corde, Justitiæ adhæreant; vel sequantur hominem Justum, donec ipse eos ad se pertraxerit. Vel potius: *Dominus numquam derelinquet populum suum, quin Judicium ad justitiam revocarit*; quin illius causam cognoverit, ac severe eos mulctaverit, qui a recta justitiæ via declinarunt, ac divinæ severitatis effectus experiri promeruerunt: *Eum sequentur omnes recti corde*; boni omnes, justi, veri Israelitæ adhærebunt illi, neque umquam ab eo recedent. Paucis in Textu immutatis legi potest: *Donec Justus sedeat in judicio, & post illum ii omnes, qui recto sunt corde.*

---

1 Genes. 18. 25. *Non est hoc tuum, qui judicat omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.*

2 עד מתי רשעים יעלזו יביעו ידברו עתק יתאמרו כל פעלי און

3 *Χήραν καὶ ὀρφανὸν ἀπέκτειναν, καὶ προσήλυτον ἐφόνευσαν.* Theodot. Προσήλυτον ἐκάκωσαν. Male habuerunt alienigenam.

4 Vide Euseb. & Hieronym. hic, & August. ep. ad Fortunat. 148. nov. edit. olim 111.

5 היסר גוים הלא יוכיח המלמד אדם דעת (11.) יהוה ידע מחשבות אדם כי המה הבל

6 Athanas. Theodoret.

7 אשרי הגבר אשר תיסרנו יה ומתורתך תלמדנו : להשקיט לו מימי רע עד יכרה לרשע שחת

8 August. *Et qui habent eam omnes recto corde.* Psalter. Rom. German. Carnut. *Et qui tenent eam.* Mediolan. *Qui continent eam.* 70. *Καὶ οἱ ἐχόμενοι αὐτῆς, πάντες οἱ εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ.*

9 כי לא יטש יהוה עמו כי עד צדק ישוב משפט ואחריו כל ישרי לב Aquil. & Theodot. *Ὀπίσω αὐτῆς. Post illam*, apud Theodoret.

corde. Justus designare potest *Cyrum*, qui passim a Prophetis hoc nomine describitur [1]. Judæis ille redditurus erat libertatem, utque alibi ostendemus, viva erat imago, Messiam referens. Sedebit Cyrus in Judicio, & Chaldæorum imperium evertet; qui recto sunt corde, qui illum concomitantur, vel qui illum in judicio sequuntur, subditi illius sunt, consiliarii; vel Israelitæ, qui adhæserunt illi, atque tamquam insignem liberatorem suum venerati sunt.

℣. 16. QUIS CONSURGET MIHI ADVERSUS MALIGNANTES?] Quis pro nobis [2] consurget, ut nos tueatur, impiorum vero impetum propulset? Quandonam potentem aliquem patronum ad nos, Domine, mittes, qui ex misera servitute hac nos educat?

℣. 17. NISI QUIA DOMINUS ADJUVIT ME: PAULO MINUS HABITASSET IN INFERNO ANIMA MEA.] Hoc innuere videtur, Psalmi Auctorem, vel jam ex captivitate evasisse, vel certum fuisse, ut quam primum evaderet. Si Dominus non tulisset opem, actum erat de nobis; ad sepulchrum redacti essemus. Hebr. [3] *Nisi citius Dominus adjuvisset me, ad silentium redactus essem*, vel in silentio, in inferno, in sepulchro habitarem. Pluto silentii Rex appellatur: *Rex ipse silentium*. Virgilius Æneid. 6.

Dii, quibus imperium est animarum, umbræque silentes.

Silentium pro morte pluribus in Scripturæ locis usurpatur. Exempli gratia 1. Reg. 2. 9. *impii in tenebris conticescent*. Et Psalmista Psal. 113. 17. *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in silentium*.

℣. 18. SI DICEBAM MOTUS EST PES MEUS, &c.] Vix clamaram: Domine, decido, labant pedes mei, cum statim misericordiæ tuæ effectus expertus sum.

℣. 19. SECUNDUM MULTITUDINEM DOLORUM &c.] S. Paulus hoc ipsum his significat verbis 2. Cor. 1. 3. *Benedictus Deus .... qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur, & ipsi a Deo: Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra*. Et 1. Cor. 10. 13. *Deus non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Hebr. [4] *In multitudine cogitationum mearum*, mearum curarum, ac solicitudinum, *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*. S. Augustinus, & vetera quædam exemplaria [5]: *Exhortationes tuæ lætificaverunt animam meam*.

℣. 20. NUMQUID ADHÆRET TIBI SEDES INIQUITATIS, QUI FINGIS LABOREM [6] IN PRÆCEPTO?] Injustitiæ nomine accusari potes, cum adeo dura præcipis? Undenam, Domine, tanta hæc tuæ legis severitas? Cur per vias adeo asperas nos deducis, nobisque ut ita dicam, laborum, ac difficultatum pretio omnia vendis? Talis est nostra conditio; nonnisi per ærumnas nobis ad cœlum patet via: *Nemo dormiens coronatur*, ait S. Hieronymus [7]: *omnia præcepta Domini laborem habent; sine labore non possumus possidere regna cælorum*. In omnibus justissime Dominus operatur, seu nos puniat, seu consoletur, seu deprimat, seu attollat, justitia ejus nobis est commendanda, ac adoranda misericordia, ac illi dicendum: *Omnia, quæ induxisti super nos, & universa, quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti* Dan. 3. 31.

Non desunt [8], qui per ea verba, *Fingis laborem*, simulatum laborem intelligant. Præcepta tua, Domine, nullam habent difficultatem; in speciem dumtaxat severa sunt; jugum tuum suave est, & onus tuum leve iis, qui illud libenter gerunt. Hi suavitatem dumtaxat, atque solatium in illo nanciscuntur. Hæc Dæmonis fraus est, Legem tuam tamquam asperrimam, jugumque tuum veluti gravissimum exhibentis; sed falso.

Hebræus ad litteram [9]: *Thronus iniquitatis ullam ne habebis partem tecum, ille, qui efficit malum*, laborem, nequitiam, contumeliam, calumniam *per præceptum*? Thronus iniquitatis designat pravos Judices, Tyrannos, eos, qui per nefas sua abutentes auctoritate infirmos opprimunt: *Hi efficiunt malum*, laborem, *per præceptum*, hi malis pauperes, ac miseros obruunt per injusta mandata, ac violentum, tyrannicumque imperium. Psalmista hic Deo dicit: Fierine poterit, Domine, ut cum his calamitosis consentias? Chaldæi, qui palam adeo sibi a te permissa auctoritate abutuntur, tui ne Ministri sunt, ac famuli? Eam ne, quam probes, auctoritatem exercent? Eone in throno, quem indigne adeo occuparunt, diu sedebunt? *Fingere*, vel efficere laborem [10] significat aliis molestiam afferre, eos opprimere, afflictare &c.

℣. 21. CAPTABUNT IN ANIMAM JUSTI, & SANGUINEM INNOCENTEM CONDEMNABUNT.] Hi iidem impii, qui sedent *in throno iniquitatis*, de quo sermo fuit vers. superiori, venantur, ut ita dicam, ut Justi animam capiant; omnem scrutantur viam, qua eum perdant, ejusque sanguinem effundant. Hoc opus est, hæc cura Babyloniorum; in id unum toto pectore incumbunt, ut videlicet, servis tuis mortes inferant. Heb. [11] *conveniunt*, in unum tamquam latrones coguntur, *ut Justum capiant, et innoxium sanguinem damnent*. Septuaginta [12]: *Venantur animam innocentis &c.*

℣. 22. ADJUTORIUM SPEI MEÆ.] Hebr. [13] *Rupes spei meæ*.

℣. 23. DISPERDET ILLOS DOMINUS [14].] Hos Judices iniquitatis; Babylonios, populum Domini opprimentes. Non multo post vaticinium hoc adimpletum est, cum Cyrus Chaldæorum imperium ex maxime validis, quæ noverimus, evertit.

---

1 Isai. 41. 2. 10. 45. 8. 51. 5. 53. 11. 2 מי יקום לי עם מרעים Symmach. Τίς παραστήσεταί ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς κακούργους. 3 לולי יהוה עזרתה לי כמעט שכנה דומה נפשי 4 ברוב שרעפי בקרבי תנחומיך ישעשעו נפשי 5 Psalter. Mediol. & S. German. *Exhortationes tuæ*. Α', παρακλήσεις σε ἐγάτισαν. Edit. Roman. Εὔφραναν. Edit. Complut. Didym. lib. de Spirit. Sancto, utramque lectionem agnoscit. 6 August. & Psalteria sæpe citata: *Qui fingis dolorem in præcepto*. 70. Ὁ πλάσσων κόπον ἐπὶ τὸ πρόσταγμα. 7 Hieronym. hic. Vide & Chrysost. & Theod. & Euseb.

8 Vide Athanas. hic, & Bern. pluribus in locis. 9 היחברך כסא הוות יצר עמל עלי חק Aquil. Μὴ μετέχει σοι θρόνος ἐπιβουλῆς ὁ πλάσσων κόπον ἐπὶ ἀκριβασμόν. Symmach. Μὴ συνεφθείη σοι θρόνος ἐνέδρας, ὁ πλάσσων ταλαιπωρίαν μετὰ προστάγματος. 10 עמל *Labor, perversitas, iniquitas, mendacium, injuria, malum, molestia, calamitas, afflictio, &c.* 11 יגודו על נפש צדיק ודם נקי ירשיעו

12 Θηρεύσουσι ψυχὴν δικαίου. 13 לצור מחסי

14 Septuaginta, S. Augustinus, vetera Psalteria semel tantum in hoc versiculo legunt, *disperdet*.

PSALMUS XCIV.

Invitatio ad Dominum laudandum, atque coram ipso lætandum. Populo suadetur, ne obduret cor suum, sed sincere ad Deum revertatur.

Laus Cantici ipsi David.

ARGUMENTUM.

Hebraicus textus nullum hic titulum adfert; neque ullum legit Eusebius. Quædam Exemplaria Septuaginta, uti Vulgata, simpliciter habent; *Laus, vel Canticum David*; alia addunt [1], *sine epigrapha apud Hebræos*. Judæi tenent a Moyse sub extremum vitæ spatium fuisse compositum post illorum obitum, qui contra Dominum obmurmuraverant, quadragesimo itineris per desertum anno. ℣. 10. ubi Auctor de quadragesimo hoc anno loquitur, sententiæ huic originem præbuit. Rabbini alii [2] eum referunt in tempus regni Messiæ. S. Paulus Apostolus in Epistola ad Hebræos 4. 3. & seq. hunc Davidis nomine citat, & mystica, & sublimi ratione quadam nonnullos hujus psalmi versiculos interpretatur. Verum cum ille incidenter dumtaxat in propositione sua Davidi hunc attribuat, ac Psalterium generatim citet, juxta vulgatam opinionem, sub Sancti hujus Regis, ac Prophetæ nomine, cui plerique accepti referuntur Psalmi; hoc minimum obest, quominus Christiani Interpretes adhuc inquirant, quinam sit verus Psalmi hujus Auctor, & qua in occasione compositus fuerit.

Alii [3] hunc referunt ad celebritatem translationis Arcæ de domo Obededom in Tabernaculum, quod erexit David in Sion. S. Basilius, ac Theodoretus putant, Davidem prophetico afflatum spiritu, eaque prænoscentem, quæ regnante pio viro Josia erant eventura, Psalmum hunc fuisse elucubratum, ad populum invitandum, ut ad Domini cultum reverteretur. Alii quidam Patres [4], hanc adhortationem esse arbitrantur ad Judæos incredulos, ut JESUM CHRISTUM recipiant, illius se se dedant prædicationi, Evangelii veritatem agnoscant, neque patrum suorum obduratam imitentur pertinaciam. Alii [5] hunc rejiciunt in tempus Babylonicæ liberationis, quod non abludit a systemate a nobis propositos in Psalmos 89 & 91. videlicet, qui post 89. sequuntur, & quibus nullus in Hebraico textu præfixus est titulus, omnes esse Levitarum filiorum Moysis, vel alicujus eorum particulariter, qui captivitatis tempore vivebat; cui adhærentes hypothesi Psalmum hunc explicabimus.

Quotidie canit Ecclesia Psalmum *Venite exultemus* initio Matutini; verum illum canit juxta vetus Romanum Psalterium quibusdam in verbis paulo aliter a Vulgata. Psalteria ac Breviaria manu scripta, immo & typis edita ante Tridentinam Synodum, eumdem habent *Venite exultemus*, ac Vulgata; quem ipsum nonnulla etiam post illud Concilium eusa [6] servarunt. Verum generatim, omnia Breviaria Psalmum hunc hodie legunt pro invitatorio juxta vetus Psalterium Romanum: cum enim Tridentina Synodus Pontifici demandarit Breviarii, ac Missalis reformandi provinciam, cumque hoc a Pio V. perfectum fuerit, Romanum Invitatorium, quod veluti species quædam hymni habebatur, in Breviariis omnibus retentum fuit; licet Psalmus idem in aliis Officiis horis juxta Vulgatam inveniatur; exempli gratia sub finem primi nocturni Feriæ sextæ in quibusdam veteribus Breviariis Benedictinis.

1\. VEnite, exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro. 2 Præoccupe-
mus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei. 3 Quoniam
Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes deos. 4 Quia in
manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt. 5 Quoniam
ipsius est mare, & ipse fecit illud, & siccam manus ejus formaverunt: 6 Venite,
adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos. 7
Quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manus
ejus. 8 Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, 9 Sicut
in irritatione secundum diem tentationis in deserto: ubi tentaverunt me patres ve-
stri, probaverunt me, & viderunt opera mea. 10 Quadraginta annis offensus fui
generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde. 11 Et isti non cognoverunt
vias meas, ut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

℣. 1. VENITE, EXULTEMUS DOMINO; JUBILEMUS DEO SALUTARI NOSTRO.] Heb. [7] *Edamus lætitiæ clamores Rupi salutis nostræ.* Non semel vidimus, Rupis nomen Deo tribui. Psalmi Auctor Israelitas e captivitate liberatos invitat ad gratias Domino, Liberatori suo, agendas.

℣. 2. PRÆOCCUPEMUS [8] FACIEM EJUS IN CONFESSIONE.] Nos præoccupari non sinamus; nos omnium primi

1 Edit. Complut. & Theodoret. Αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαυὶδ ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις.
2 Kimchi, & alii quidam apud Muis. 3 Hebr. 4. 3. 4. 5. 6. 7. 4 Muis, Ferrand.
4 Euseb. Athanas. Hieron. 5 Theodor Heracleot. & Interp. Græc. apud Corder.
6 Vide Breviarium Cisterciense, Parisiis an. 1588. impressum, in quo nullum aliud extat *Venite exultemus*, quam Vulgatæ. Alia quoque post Tridentinum Concilium eusa inveniri nullus dubito.
7 נריעה לצור ישענו 8 Aug. Psalt. Mediol. Germ. Carnut. legunt. *Præveniamus*.

primi accedamus ad illum, ad instar aulicorum illorum, qui indesinenti, ac jugi cura alios antevertunt, ac ita Regis gratiam sibi conciliant, veluti Aman ille, qui solus, atque ante lucem in Assueri Aula matutinus se agebat [1]. Videtur autem hic præsertim versiculus Ecclesiam impulisse, ut psalmum hunc quotidie ante noctis vigilias recitaret. Patres [2] in morali sensu eum explicant de confessione, ac pœnitentia, quibus Divinam justitiam, atque iram præoccupare debemus, nosque præparare, ut digne laudes illius celebrare possimus: *non enim est speciosa laus in ore peccatoris* Eccli. 15. 9.

℣. 3. QUONIAM . . . REX MAGNUS SUPER OMNES DEOS.] Super omnes Angelos, & super maximos quoslibet Potentatus: super Reges, Principes, Judices, & eos omnes, quibus per abusum Deorum nomen tribuit consuetudo; super astra, & super inania Ethnicorum idola. Complutensis Editio, Græca, & Latina, ac Theodoretus legunt: *Rex Magnus super omnem terram*. Sed Hebræus, Versiones Orientales, meliores Septuaginta Editiones, Græci Patres, antiqua Latina Psalteria; *super omnes Deos*. Post hæc verba in Romanis Psalteriis, in S. Augustino, Cassiodoro, Manuscriptis S. Germani, & Carnutensi, atque in quibusdam Exemplaribus Septuaginta legimus: *Quoniam non repellet Dominus plebem suam*, quod neque in probatioribus Septuaginta Editionibus, neque in S. Hieronymo invenitur.

℣. 4. QUIA IN MANU EJUS SUNT OMNES FINES TERRÆ, ET ALTITUDINES MONTIUM IPSIUS SUNT.] Eorum Dominus est, de illis absoluta cum potestate disponit. Vel, terra omnis apud illum nihil est aliud, quam glebula, quam homo manu tenet, eaque ludit. Montes ipsi editiores sunt illius; nihil coram illo abditum habent, inaccessum nihil: *Ecce gentes*, ait Isaias 40. 15. *quasi stilla situlæ; & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus: & Libanus non sufficiet ad succendendum, & animalia ejus non sufficient ad holocaustum*. Hebræus ita legit [3]: *Profunditates*, abditiora *terræ* loca *sunt in manu illius*; & *altitudo*, vis, vel lassitudo *montium, ipsius est*. Ipsi nihil est vel nimis altum, vel profundum nimis. Romana Psalteria: *Altitudines montium ipse conspicit*, quemadmodum in Invitatorio recinimus.

℣. 5. IPSIUS EST MARE . . ET SICCAM MANUS EJUS FORMAVERUNT.] Videlicet continens, vel aridum elementum, vel simpliciter terram: Deus maris, ac terræ Creator est; ipse eorum Dominus est. S. Augustinus, & antiqua Psalteria legunt [4]: *& aridam fundaverunt*. Hebr. [5]: *Manus illius formaverunt*, quemadmodum figulus argillam, ex qua testam fingit.

℣. 6. VENITE, ADOREMUS, ET PROCIDAMUS, ET PLOREMUS ANTE DOMINUM.] Hebr. [6] *Venite, adoremus, procidamus, flectamus genua coram Domino*. Lacrymæ importunæ videntur in Cantico lætitiæ, & gratiarum actionis, ni forte lacrymæ fuerint devotionis, atque pietatis.

℣. 7. ET NOS POPULUS PASCUÆ EJUS, ET OVES MANUS EJUS [7].] Oves scilicet, quas ipse regit. Romanum Psalterium: *Nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus*. Quod ex Psalmo 99. 3. desumptum est. Syrus similiter legit; sed Hebræus Vulgatæ conformis est: Nos Domini populus sumus, ipse noster est Pastor; nos illius oves, & pecus.

℣. 8. HODIE SI VOCEM EJUS AUDIERITIS, NOLITE OBDURARE CORDA VESTRA.] Homo semper auctor est, & causa propriæ obdurationis, ait Theodoretus hic; Deus numquam eum derelinquit, nisi primum ab eo derelictus. Judæi cor suum obduraverunt in deserto, contra Dominum murmuraverunt, contra illius mandata extulerunt caput. In eos Dominus animadvertit; verum numquam illos prorsus deseruit, S. Augustinus inquit [8]: permisit, ut obdurarentur, eos ipsorum tradens voluntati; verum eorum obdurationis ipse auctor non fuit. Psalmista hic Judæos adhortatur nuper de Babylonica servitute reversos, ne patrum suorum pertinaciam imitari velint, alioquin, quemadmodum illi, ita & ipsi iratum Dominum experturi.

℣. 9. SICUT IN IRRITATIONE [9] SECUNDUM DIEM TENTATIONIS IN DESERTO.] Hebræus verti potest [10]: *Non sicut ac Meriba, sicut in die Massa in deserto*. Nomen *Meriba*, & *Massa*, hoc est contradictionis, ac tentationis inditum fuit castris Raphidim, ubi Hebræi contra Moysem murmurarunt, eo quod illis aqua defecerat [11]. Alii putant, psalmi Auctorem per eam vocem *Meriba* alludere ad aquas contradictionis in Cades, ubi Moysis, atque Aaronis fides defecit [12]. Diem vero tentationis, vel *Massa* esse diem Castrorum in Raphidim, de quibus locuti sumus. Alii denique putant alludi ad Israelitarum murmur, quod excitatum est post reditum eorum, qui terram Chanaan exploraturi discesserant, Num. 14. 2. & seq.

PROBAVERUNT ME, ET VIDERUNT OPERA MEA.] Hebraicum textum [13] ad unguem Vulgata expressit. Probaverunt me, quemadmodum probatur metallum, & aliud quodpiam, cujus pretium intelligere cupimus; Scrutari voluerunt, utrum æque potens essem, ac dicebar; prodigia videre voluerunt, eaque viderunt; eorum cupiditati velificatus sum; non abnui memet ad fidei illorum infirmitatem demittere, licet illa injuriam meæ inferret potestati.

℣. 10. QUADRAGINTA ANNIS OFFENSUS FUI GENERATIONI ILLI.] Toto quadraginta annorum spatio, quo iter fecerunt, me semper ad iracundiam provocarunt murmure, atque inobedientia, populus ingratus, indocilis, rebellis, pertinax. Hebr. ad litteram [14]: *molestiam*, tædium passus sum propter hanc nationem; defatigatus sum, molestia affectus. Græca vox Septuaginta [15] proprie significat: Indignatus sum, evomui, detestatus sum, contempsi, perhorrui [16]; *quadraginta annis* mihi molesti fuerunt. S. Augustinus, & Psalteria Romanum, ac Mediolanense; *Quadraginta annis proximus fui* [17]: eam comitatus sum quadraginta annis per desertum, at nihil in ea nactus sum propter obdurationem, ac cæcitatem.

℣. 11. NON COGNOVERUNT VIAS MEAS; UT JURAVI IN IRA MEA, SI INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM.] Ingratus hic populus non cognovit vias meas, non intellexit consilia mea, non secutus est legem meam, non advertit animum ad prodigia mea, non agnovit be-

1 Esth. 6. 4. 2 Athanas. Hieronym. Theodoret.
3 אשר בידו מחקרי ארץ ותועפות הרים לו Aquil. Ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ ἐξιχνιασμοὶ γῆς. *In manu ejus investigationes terræ*. Symmach. Ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ κατώτατα γῆς. *Profundissima terræ*.
4 August. *Aridam finxerunt*. Psalter. Roman. Mediol. sancti Germ. *Fundaverunt*.
5 ויבשת ידיו יצרו 6 באו נשתחוה ונכרעה נברכה לפני יהוה 70. legerunt נבכה pro נברכה
7 Aug. *Oves manuum ejus*. 8 Vide Aug. hic, & in Psal. 77. n. 30. *Hanc iniquissimam, & malignissimam obstinationem Deus cum facere dicitur, non instigando, & inspirando, sed deserendo facit; ut illi* (mali Angeli) *operentur in filiis diffidentiæ, quod Deus debite, justeque permittit*.
9 Aug. *Sicut in amaricatione*. 70. Ὡς ἐν τῷ παραπικρασμῷ. Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut. *Sicut in exacerbatione*. 10 אל תקשו לבבכם כמריבה כיום מסה במדבר
11 Exod. 17. 7. ויקרא שם המקום מסה ומריבה על ריב בני ישראל 12 Num. 20. 13. המה מי מריבה
13 בחנוני גם ראו פעלי 14 ארבעים שנה אקוט בדור 15 Τεσσαράκοντα ἔτη προσώχθισα τῇ γενεᾷ ἐκείνῃ. 16 Genes. 27. 40. Confer Deut. 7. 26. Hebr. 3. 17. & Num. 21. 5. 22. 3. Levit. 18. 25. 20. 22. 26. 15. 43. 44. & alia loca, ubi 70. usurparunt verbum, προσοχθίζω. Aquil. & Symmach. Δυσηρεστήθην. *Infensus fui*. Psalterium S. Germani: *Odio fui in gentibus, & conversatus sum generationi illi*.
17 Προσωχθίσα, posset forte significare, *esse prope*, illud deducendo a Ὄχθη, *ripa*; verum in hoc sensu apud Septuaginta, & bonæ notæ Auctores Græcos non occurrit.

neficia mea, quapropter juravi in ira mea, me nunquam permissurum, ut ingrediatur in requiem meam, in hæreditatem meam, in habitaculum meum, in terram, quam patribus eorum pollicitus fueram [1], ubi pacem, quietem, certam, statamque sedem illis eram daturus. Requies hæc, atque hæc promissa terra, imago erat immortalitatis, quemadmodum post S. Paulum Patres animadvertunt [2]: Judæi vero in deserto Christianos in hac vita repræsentabant. Quemadmodum obmurmurationibus, ac infidelitate Judæi sibi obstruxerunt aditum in terram promissam; ita Christi fideles, qui fœdus cum Deo percussum infringunt, qui sunt infideles veritatibus, quas edocti sunt, in discrimen vocantur (ni saltem per pœnitentiam ad Deum redeant) ut æternum a terra viventium, ac beata immortalitate excludantur. Pro, *ut juravi*, S. Augustinus, Romana Psalteria, Mediolanensia, atque Carnutensia legunt, *quibus juravi*. Deus, se non passorum, ut murmuratores Hebræi in promissam terram ingrederentur [3], juravit post eorum defectionem, ac murmur, quod contigit cum exploratores terræ Chanaan ea, quæ illic scrutati fuerant, enarrabant.

1 Theodoret. Euseb. Athan. alii plerique. 2 Heb. 3. 7. 11. 12. & seq.
3 Num. 14. 28. & sequ.

PSALMUS XCV.

Laudes, & gratiarum actiones pro beneficiis Dei. Gentiles populi invitantur, ut veniant, Supremam hanc Majestatem adoraturi, ac se se imperio illius subdituri.

Canticum ipsi David, quando Domus ædificabatur, post Captivitatem.

ARGUMENTUM.

QUANDO DOMUS ÆDIFICABATUR POST CAPTIVITATEM. Cum Templum post Captivitatem extruebatur: Vel potius [1]: *cum Templum ædificatum fuit*, post reditum de Captivitate Babylonis. Sunt [2], qui putent, epigraphem hanc ab Esdra, vel a Septuaginta fuisse appositam; sed Theodoretus, Apollinaris, Lyranus tenent, non ab antiquis illis Interpretibus, sed ab aliquo recentiori adjectam fuisse, ob cujus mentem præcipue obversabatur spirituale ædificium Ecclesiæ J. C. & Gentilium populorum ad fidem vocatio: quo in sensu Patres Psalmum hunc explicuerunt [3].

Certo certius est citra quamcumque dubitationem, psalmum hunc esse partem Cantici a Davide compositi tunc, cum Arca de domo Obededom in Tabernaculum Sion transferebatur. De verbo fere ad verbum in 1. Paralip. 16. 23. invenitur, ubi partem efficit longioris Cantici, quod incipit: *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus* &c. & quod infra etiam legitur Psal. 105. 1. . . . 16. non sine aliquo discrimine, quod ibi adnotabimus [4]. Credimus autem separatum fuisse a Psalmo 104. vel Cantico Paralipomenon post reditum de Captivitate, atque eo usos fuisse, dum alterius Templi celebrarent dedicationem. Neque alius eligi poterat, qui melius huic circumstantiæ conveniret; mirifice enim exprimit sensus animi grati Judæorum de Babylonica servitute ereptorum [5]. Recentiores Rabbini [6] hunc explicant de futura unione Judæorum dispersorum, qui ad Messiæ, quem præstolantur, adventum, in Judæa sunt congregandi.

1. CAntate Domino canticum novum: cantate Domino, omnis terra. 2 Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare
ejus. 3 Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. 4 Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes
Deos. 5 Quoniam omnes Dii gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit. 6
Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus. 7 Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus. 8 Tollite hostias, & introite in atria ejus:
adorate Dominum in atrio sancto ejus. 9 Commoveatur a facie ejus universa terra:
dicite in gentibus, quia Dominus regnavit. 10 Etenim correxit orbem terræ, qui
non commovebitur: judicabit populos in æquitate. 11 Lætentur Cœli, & exultet
terra: commoveatur mare, & plenitudo ejus: gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis
sunt. 12 Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum, a facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram. 13 Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.

1 70. Ὅτε ὁ οἶκος ᾠκοδόμητο. Aug. non legit: *Canticum ipsi David*. 2 Bellarm.
3 Vide Euseb. Athan. Theodoret. Aug. Hieron. 4 Haud amplius occurrit Psalmus *Cantate*, qui vers. 15. subsequi deberet. Confer 1. Par. 16. 22. 23. 5 Ita Judæi apud Hieronym. hic, Theodoretus, Beda, Ferrand. 6. Rabb. Salom. Kimchi, Kabuenaki.

℣. 1. CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM : CANTATE DOMINO OMNIS TERRA.] In 1. Paralipom. 16. 23. hoc tantum legitur pro primo, ac secundo versiculo: *Cantate Domino canticum novum; annuntiate ex die in diem salutare ejus*; vel libertatem, quam populo comparavit. Cantate Domino Canticum novum pro beneficiis adeo recentibus, atque inauditis. *Omnis terra*. Judæa universa, totus regionis populus, vel etiam omnes terrarum populi. Vide ℣. ℣. 7. & 9.

℣. 2. ANNUNTIATE DE DIE IN DIEM SALUTARE EJUS.] Indesinenter eam, quam vobis tribuit, libertatem celebrate. S. Augustinus, & antiqua Psalteria legunt: *bene nuntiate diem ex die* &c. [1] Annuntiate de die in diem, ex uno die diei alteri, jugiter, insignia illius benefacta.

℣. 5. QUONIAM OMNES DII GENTIUM DÆMONIA: DOMINUS AUTEM COELOS FECIT.] Hebr. [2]: Omnes enim gentium Dii sunt *Dii inanes*, Numina fabulosa [3], sine re [4]; *sed Deus Dominus est Calorum*. Hebraica vox *Elilim*, quam Septuaginta hic reddunt *Dæmonia*, intelligi potest tamquam diminutivum vocis *El*; parvuli Dei; vel potius res inanes, & vanæ [5]: *Dominus autem Cælos fecit*. Ethnici, ut Numina sua commendarent, nihil aliud dicere poterant, quam quod Cælus, Sydera, Solem, ac Lunam venerabantur, quorum pulchritudinem, existentiam, atque effectus nemo poterat inficiari. Verum Psalmista hæc omnia subvertit, asserens, corpora illa adeo nitentia, atque mirantia opus esse Dei Israel: *Dominus autem Calos fecit*.

℣. 6. CONFESSIO, ET PULCHRITUDO IN CONSPECTU EJUS: SANCTIMONIA, ET MAGNIFICENTIA IN SANCTIFICATIONE EJUS.] Scilicet in Templo, in cælo, in loco habitationis ejus. Hebræus ad litteram [6]: *Gloria, & honor sunt coram illo*, ad ipsum spectant, eorum Dominus est [7]: *fortitudo, et species*, vel ornatus *sunt in illius Sanctuario*. Ethnicorum numina non alium habent splendorem, gloriam, speciem, fortitudinem, potentiam, quam quæ placet populis colentibus illa, vel quæ ab iisdem populis potest possideri. Idola nihil conferunt adoratoribus suis, ipsa enim nihil habent ex se. Sed Deus Jacob, supremus Creator, & Dominus omnium, nihil ab ullo accipit, ac nullius creaturæ ope indiget. In gemino huic Paralipomen. loco legimus [8]: *Confessio, & magnificentia coram eo, fortitudo, & gaudium in loco ejus*.

℣. 7. AFFERTE DOMINO PATRIÆ GENTIUM, AFFERTE DOMINO GLORIAM, & HONOREM.] Hebr. [9] *Afferte Domino* Tribus, vel *familiæ populorum*, *afferte Domino gloriam*, *et fortitudinem*. O Familiæ gentium alienigenarum, venite, ut illius gloriam, magnitudinem, fortitudinem, majestatem agnoscatis, venite, ut Dominum in sancto illius Templo celebretis. Nihil hoc loco apertius innuere potest Ethnicorum vocationem. *Patriæ gentium* [10], hoc est, *familiæ Gentium*.

℣. 8. TOLLITE HOSTIAS, & INTROITE IN ATRIA EJUS.] Alienigenas Nationes alloquitur; haud fas erat illis in atrium Templi introire, nisi Judaicæ Religioni initiarentur; itaque hic earum conversionem portendit. Prophetæ his scatent vaticiniis, quæ statim quidem videntur tempus illud respicere, quod reditum E de Babylonica servitute subsecutum est; re autem vera post Jesu Christi adventum dumtaxat ad unguem adimpleta sunt. Hebræus [11]: *Elevate oblationes*, tritici,

A panis, liquorum, primitias, Hebraice *Mincha*, *et introite in atrium ejus*. Mos obtinuerat, ut id genus oblationes attollerent, easque motu agitationis offerrent; quamobrem nonnumquam *trumah* elevatio, vel *tenupha* agitatio, vocantur.

ADORATE DOMINUM IN ATRIO SANCTO EJUS.] Hebr. [12] *Adorate Dominum in pulchritudine Sanctuarii*, in Templo illius adeo Sancto, & magnifico.

℣. 9. COMMOVEATUR A FACIE EJUS UNIVERSA TERRA.] Omnes terrarum populi eum metuant, ac vereantur. Hebr. [13] *Omnis terra partus doloribus quodammodo exerucietur coram illo*. Contremiscat, terrore corripiatur, clamores emittat coram te. Sicut *quæ concipis*, ait Isaias [14], *cum appropinquaveris ad partum dolens clamas in doloribus suis; sic facti sumus a facie tua Do-*
B *mine. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum*.

DICITE IN GENTIBUS, QUIA DOMINUS REGNAVIT.] Ubique prædicate, regnum Domini tandem advenisse; ipsum jam alienigenis populis fidei lumen fuisse impertitum, illis nominis sui, Legumque suarum cognitionem communicasse, eosque ex tenebris, ac errore eduxisse. Hoc perfecte demum adimpletum est post Jesu Christi adventum, atque Evangelii prædicationem. Ante hoc tempus Dominus paulatim se se prodebat per varias populi sui transmigrationes, & per divinarum Scripturarum traductionem; sed regnum illius vere tunc solum constitutum fuit, cum Evangelium in omnem terram fuit prædicatum. Geminus huic Paralipomenon locus parum differt: *Adorate Dominum in*
C *decore sancto; Commoveatur a facie ejus omnis terra; Ipse enim fundavit orbem immobilem. Lætentur Cæli, & exultet terra: et dicant in Nationibus: Dominus regnavit*.

Sed in antiquis Patribus, & in veteribus quibusdam Psalteriis longe gravior, majorisque momenti varietas adest. S. Justinus Martyr in Dialog. cum Tryph. Tertullianus adv. Judæos c. 10. & 13. Lactantius apud Genebr. Arnobius, seu quisquis alius sub ejus nomine in hunc psalmum, Augustinus in hunc locum, Cassiodorus in hunc psalmum, S. Leo Papa serm. 4. de Passione Dominica, Auctor Opusculi *de montibus Sina, et Sion*, qui S. Cypriani nomine circumfertur, Gregorius Turonensis hist. l. 6. cap. 5. sunt inter eos, qui legunt, *Regnavit a ligno*. Theodulphus, vel Fortunatus Auctor Hymni Passionis, quem ad hanc usque diem cani-
D mus in Ecclesia, Psalteria Romana, Gothicum, sancti Germani, Carnutense, & Ecclesia in Crucis commemoratione tempore Paschali, legunt: *Quia Dominus regnavit a ligno*. S. Justinus Martyr acriter in Judæos invehitur, quod hæc verba *a ligno*, ex iis, quæ præ manibus habebant, Exemplaribus expunxerint.

Agellius suspicatur, antiquos Hebraicos, nonnullorum saltem librorum, textus, pro *Aph*, quod hodie legimus post *Malac* regnavit, habuisse *Hez*, lignum, quod locum præbuerit Septuaginta vertendi: *Dominus regnavit a ligno*; quæ lectio per aliquot sæcula substitit, donec qui Hebraice sciebant, cum deprehendissent, hæc cum vero authographo nequaquam convenire, ea expunxerunt, ac servarunt *etenim* sequentis versiculi, quod respondet *Aph* Hebraice; quæ conjecturæ futiles sane sunt, ac nulli rationi insistentes. Genebrardus putat, Septuaginta prophetico afflatos Spiritu, Mortem, Passionem, & regnum J. C. prævidentes hæc addidisse verba *a ligno*; quosdam vero sciolos, ac semidoctos,

---

1 Ita 70. Εὐαγγελίζεσθε ἡμέραν ἐξ ἡμέρας τὸ σωτήριον αὐτοῦ.
2 כי כל אלהי העמים אלילים ויהוה שמים עשה 3 Aqu. Θεοὶ ἐπίπλαστοι.
4 Symmach. Ἀσύμφοροι. Hieronym. hic. *Sculptilia*. in Paralip. *Idola*. 70. Δαιμόνια.
5 Vide Zach. 11. 17. הוי רעי אליל Pastor Elil, Pastor iners. Job. רפאי אליל כלכם *Medici estis absque virtute*. Isai. 31. 7. איש אלילי כספו ואלילי זהבו *Quilibet vanitas, nihil auri sui, & sui argenti*.
6 הוד והדר לפניו עז ותפארת במקדשו 7 Confer Genes. 13. 9. *Universa terra coram te est*. Et 20. 15. *Terra coram vobis est*. 24. 51. *En Rebecca coram vobis est*, &c.
8 1. Paralip. 16. 27. הוד והדר לפניו עז וחדוה במקמו 70. legerunt utrobique הודה Hic vertunt: Ἐξομολόγησις. *Confessio*: & in Paralip. Αἶνος. *Laus*. 9 הבו ליהוה משפחות עמים הבו ליהוה כבוד ועז
10 70. Αἱ πατριαὶ τῶν ἐθνῶν. 11 שאו מנחה ובאו לחצרותיו
12 השתחוו ליהוה בהדרת הדש 70. Ἐν αὐλῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ. Psalter. Roman. *In aula sancta ejus*. Legerunt חדרת pro הדרת Syriacum paria legit. At textus Hebræus Paralipom. est similis huic: בהדרת קדש Hieron. *In decore sancto*.
13 חילו מפניו כל הארץ Aquil. & Sym. Ὠδινάτε. 14 Isai. 26. 17. 18. in Græco, & Theodoret. hic.

doctos, vel Judæos ipsos videntes, voces has in hebraico textu non esse, eas in Septuaginta, vel in Vulgata delesse, non advertentes, sæpe antiquos illos Interpretes satis libere, & per paraphrasim transferre, potiusquam simpliciter vertant; ita ut nunnumquam haud ita modicas in Textu suo additiones interserant.

Verum si hæc lectio generatim fuisset olim in omnibus exemplaribus Septuaginta, ac in primis Latinis versionibus, quæ ad Christianorum usum concinnatæ fuerunt, quomodonam facile adeo eum dereliquerunt textum, qui adeo aperte illis favebat? Si Judæi verba hæc oblitterarunt, cur adeo illis indulserunt Christiani, ut & ipsi illorum castigationem in suis Exemplaribus exciperent? Denique si quis semidoctus ex libro suo potuit ea verba expungere, *a ligno*, quomodonam hoc ipsum in exteris omnibus Exemplaribus potuit immutare? Hæc enim verba neque in Hebræo sunt, neque in Chaldæo, neque in Syriaca Versione, neque in antiquis Versionibus Græcis ex Hebræo concinnatis, neque in Vulgata, Arabica, Æthiopica juxta Septuaginta textum elaboratis, neque in Latina S. Hieronymi, quam ex hebraico textu adornavit. Nemo, quem sciam, Judæos coarguit, quod voces has ex hebraicis Exemplaribus suis expunxerint: ubi non hic, non in gemino huic Paralipomenon loco inveniuntur. Post S. Justinum non visæ sunt amplius in Septuaginta. Nonne igitur fidei magis consonum est, quemadmodum contendit Stapulensis Faber, ac post illum Justinianus, Muis, aliique nonnulli, verba hæc *a ligno*, ab aliquo in Psalterii sui margine, e conspectu *regnabit*, fuisse apposita, unde mox inconsiderate in Textum obrepserint, ex quo tandem expuncta fuerunt? vidimus enim neque in hebraicis fontibus, neque in veteribus, atque authenticis Versionibus Græcis extitisse. Origenis Hexapla lectionem hanc abstulisse primum videntur, ostendendo, non hebraico textui, non ulli veteri Versioni inniti: re quidem vera unus dumtaxat, quem sciam, Justinus Martyr apud Græcos eam legendi rationem recepit; cum cæteri patres, qui post Origenem vixerunt, & qui plurimi profecto fuerunt, lectionis hujus nusquam meminerint. Si diutius apud Latinos substitit, illud in causa fuit, quod Hexapla minus illis nota fuere, & quod haud ita facile erat illis glossematis hujus additi, atque in Textum inserti ex authographorum librorum examine, errorem dignoscere.

℣. 10. ETENIM CORREXIT ORBEM TERRÆ, QUI NON COMMOVEBITUR [1].] Hebræi terram immobilem esse opinabantur. Vide Dissertationem nostram de mundi systemate antiquorum Hebræorum.

JUDICABIT POPULOS IN ÆQUITATE.] Antiqua Psalteria addunt [2]: *& gentes in ira sua*. Vide ℣. 13. Intelligi potest de justitia, quam contra inimicos David, ac diu post contra Babylonios Dominus exercebit. Vide Psal. 96. 8.

℣. 11. COMMOVEATUR MARE, & PLENITUDO EJUS.] Hebræus verti potest [3]: *sonet mare, et plenitudo eius*. Elevet fluctus suos, ita ut eorum fragor late audiatur, atque hoc pacto gaudium suum coram Domino testetur.

℣. 12. EXULTABUNT OMNIA LIGNA SYLVARUM [4].] Elevabunt vocem suam, laudes Domini prædicabunt. Psalmi auctor vitam, sensumque creatis rebus omnibus tribuit, ut cantico suo major adhuc venustas, majorque vis, ac spiritus accedat.

℣. 13. JUDICABIT ORBEM TERRÆ IN ÆQUITATE.] *Judicare* pro *regnare* usurpatur. Psalmista omnes populos invitat, ut supremum Domini imperium agnoscant; omnia creata excitat, ut ad illius adventum alacritatis, ac lætitiæ speciem præseferant, eisque pollicetur, futurum, ut Dominum justum Judicem, æquumque Regem inveniant. Si de terribili Judice, qui ad puniendum, ultionemque suam exercendam properaret, loqui vellet, profecto nequaquam ad lætitiam, & laudes, sed ad metum, ac preces hortaretur. Intelligi quoque potest de judiciis, quæ jam jam futurum erat, ut exerceret, vel nuper exercuerat in Babylonios, vel in inimicos David. Vide psalmum sequentem ℣. 8.

---

1 Hebr. אף תכון תבל בל תמוט Symmach. *Καὶ ἥδρασε τὴν οἰκουμένην ἀσάλευτον.*
2 Cassiodor. Psalter. Roman. S. German. Carnut. *Et gentes in ira sua.*
3 ירעם הים ומלאו Sym. *Ἠχείτω ἡ θάλασσα, σὺν πληρώματι αὐτῆς.* 4 ירננו כל עצי יער Aquil. *Αἰνέσουσι.* Hieronym. *Laudabunt.*

PSALMUS XCVI.

Regnum Domini. Thronus illius Justitiæ innixus. Terribilis impiis. Suos liberat. Justorum Felicitas.

Psalmus David, quando terra ejus restituta est.

ARGUMENTUM.

Hebræus nullum præsefert titulum, qua de re plurima Exemplaria Græca [1] nos admonent. Qui Vulgatæ adhærent, credunt, Psalmum hunc a Davide fuisse compositum, cum post Saulis obitum [2] pace frui cœpit in patria sua, ac Regni, quod Dominus illi spoponderat, adiit possessionem. Alii [3] hunc rejiciunt in tempus illud, quod Absalonis mortem subsecutum est. Sunt [4], qui hunc explicent tamquam Psalmi superioris partem, atque continuationem: & alii [5] putant, hic contineri gratiarum actiones Judæorum de Babylonis captivitate liberatorum, & descriptionem ultionis, quam in Babylonios Dominus exercuit. Novissimum hoc systema præ cæteris nobis arridet, ac illud in Commentario sectabimur, quin tamen a Patrum interpretatione recedamus, qui Psalmum de primo, ac altero J. C. adventu, de illius regno in Ecclesiam, deque Gentilium vocatione interpretantur. Idem S. Paulus nos in hanc sententiam cogit in epistola ad Hebræos 1. 6. ubi Psalmi hujus verba profert, *Adorate eum omnes Angeli ejus*, de Verbo Dei homine facto verba faciens.

Domi-

---

1 Edit. Complut. Theodoret. alii Libri MSS. Beda. *Quando terra restituta est ei.* Cassiodor. Psalter. Rom. & Carnut. *Quando terra ejus restaurata est.* 2 Euseb. hic. Vide & Hieron. 3 Grot. Bellarm. Tyr. 4 Muis, hic. 5 Interpret. Græc. apud Corderium. Ferrand.

1. DOminus regnavit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. 2 Nubes, &
caligo in circuitu ejus: justitia, & judicium correctio sedis ejus. 3
Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. 4
Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: vidit, & commota est terra. 5 Montes sicut
cera fluxerunt a facie Domini; a facie Domini omnis terra. 6 Annuntiaverunt cœ-
li justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus. 7 Confundantur om-
nes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis. 8 Adorate
eum omnes angeli ejus: audivit, & lætata est Sion. 9 Et exultaverunt filiæ Ju-
dæ, propter judicia tua, Domine. 10 Quoniam tu Dominus altissimus super
omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos: 11 Qui diligitis Dominum,
odite malum: custodit Dominus animas Sanctorum suorum de manu peccatoris libe-
rabit eos. 12 Lux orta est justo, & rectis corde lætitia. 13 Lætamini justi in
Domino, & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

℣. 1. DOMINUS REGNAVIT, EXULTET TERRA; LÆTENTUR INSULÆ MULTÆ.] Dominus imperium suum in omnes gentes exercet, omnibus populis suam gloriam ostendit: Lætetur universa terra, ac insulæ magis dissitæ exultando, ac lætitiæ clamores emittendo suum gaudium testentur. Ajunt, Hebræos insularum nomine plerumque maritimas omnes oras a Judæa longe sepositas intelligere; verum ausim asserere, apud illos, non secus ac apud nos, insularum nomen semper usurpari pro veris Insulis, vel pro regionibus trans mare positis, quemadmodum ostendimus alibi. Hebræus verti potest [1]: *insulæ Magnæ*, pro *insulæ multæ*. Magnæ lætentur insulæ, populi, qui longius a Domini cognitione distant, gaudeant ea felicitate, quæ illis contigit; quoniam Deus factus est eorum Rex, ac Dominator juxta illud Danielis 7. 14. vaticinium: *filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit: & in conspectu ejus obtulerunt eum: & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient; potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Tale est J. C. regnum.

Patres [2] insularum nomine Christianas Ecclesias intelligunt. Hæ in medio terrarum sunt positæ, atque persecutionibus hinc inde agitatæ, tamquam insulæ in medio mari, procellarum, fluctuumque vi semper expositæ.

℣. 2. NUBES, & CALIGO IN CIRCUITU EJUS.] Magnus hic Deus majestatem suam non detegit; infirma mortalium oculorum acies fulgorem illius sustinere non posset; tenebricosa nube se se abscondit, non secus ac olim in deserto; atque in nubibus, tamquam in tabernaculo quodam se involvit [3]. Hæc poetica est Divinæ majestatis descriptio, illi similis, quam in Psalmo 17. vidimus. Patres [4] hoc in sublimiori sensu intellexerunt, tamquam advenientis Domini descriptionem; se se in humana carne, veluti nube quadam abscondit; divinitatis suæ gloriam sub humili servi specie contexit: immo S. Hieronymus ait, Sanctam Virginem eam fuisse nubem, in qua Dei filius se abscondit. Sunt, qui hoc nomine Apostolos, vel Prophetas intelligant.

JUSTITIA, & JUDICIUM CORRECTIO SEDIS EJUS.] Hoc est fulcrum throni illius; qua quidem specie nihil majus, nihil magnificentius. Thronus supremi hujus Monarchæ, hujus adorabilis Judicis, a justitia, & æquitate fulcitur. Quæ igitur erit Judicis integritas, veritas, & rectitudo?

℣. 3. IGNIS ANTE IPSUM PRÆCEDET, & INFLAMMABIT IN CIRCUITU INIMICOS EJUS.] Psalmi hujus

A Auctor, vitam, sensumque iis omnibus tribuit, quæ Domini Majestatem concomitantur; nuper throni illius columnas posuit duas virtutes; hic illum devoranti igne circumdat, qui inimicos ejus comburet. Ignis hic est ira, ac ultio illius. Potest quoque ad litteram intelligi de fulminibus, ac cœlesti igne, quem in impios immittet [5]. Dominus in monte Sinai apparuit inter flammas, fulgura, atque tonitrua Exod. 19. 16. Daniel 7. 9. exhibet supremum Judicem in Majestate sua, ignito insidentem solio, currus sui rotas, flammis succensas, habentem, ex cujus facie flammarum fluvius terribili egreditur pernicitate. S. Paulus ad Thessal. c. 1. 8. narrat, Salvatorem in altero adventu suo cum Angelis, ex quibus illius exercitus constat, processurum, flammis undequaque circumdatum ad ultionem suam in eos, qui
B Deum non noverunt, exercendam. S. Petrus [6] docet, ante extremum Judicium ignem cœlos, omniaque elementa, esse absumpturum. Patrum plerique [7] locum hunc de J. C. ac de signis, quæ universale Judicium præcurrent, intellexerunt.

℣. 4. ILLUXERUNT [8] FULGURA EJUS ORBI TERRÆ.] Hoc etiam de secundo J. C. adventu explicatur; at nonnulli [9] de Apostolis intelligunt, qui velut micantia fulgura, lucem suam in omnem terram diffuderunt. Accipi quoque simpliciter potest, velut figurata, & poetica descriptio Domini, fidelibus suis opem ferentis. Confer Psalmum 17.

℣. 5. MONTES SICUT CERA FLUXERUNT A FACIE DOMINI; A FACIE DOMINI OMNIS TERRA.] Terra, ac montes terrore quodammodo correpti fuerunt co-
C ram Omnipotente; liquefacti sunt, soluti, ad nihilum redacti coram Domino. Hæ loquendi rationes in Scripturæ libris sunt familiares [10], & mirum in modum significant eam reverentiam, quæ Omnipotentis adspectui debetur. Hebræus [11], Chaldæus, Syrus, Septuaginta, S. Augustinus, Editiones Complutï, ac Sixti V. *A facie Domini omnis terra*. Montes sicut cera liquati sunt coram Deo, coram totius Domino.

℣. 6. ANNUNTIAVERUNT COELI JUSTITIAM EJUS, & VIDERUNT OMNES POPULI GLORIAM EJUS.] Domini adventus, supremi Judicis adspectus non est obscurum aliquid, ignotumque; Cœlis ipsis demandata est provincia hoc prædicandi, & omnes populi eos audierunt. Hanc loquendi rationem confer cum illa Psalmi 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*. Patres, qui Psalmum hunc de primo J. C. adventu interpretantur, hoc explicant de Apostolis, qui in omnem terram Messiæ glo-
D riam, atque adventum prædicarunt.

℣. 7. CONFUNDANTUR OMNES, QUI GLORIANTUR IN SIMULACHRIS SUIS.] Hebræus [12]: *Qui gloriantur*, qui

1 ישמחו איים רבים 2 Athanas. Euseb. Hieron. August. 3 Psal. 17. 12.
4 Hieron. Euseb. Theodoret. &c. 5 Confer. Psal. 17. 13. 14.
6 2. Petr. 3. 12. *Per quem Cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent.*
7 Hieronym. Euseb. Theodoret, &c. 8 Hieronym. & edit. Complut. & Sixti V. *Alluxerunt*,
9 Athan. Hieron. Aug. 10 Vide Judith. 16. 18. Habac. 3. 6. Mich. 1. 4. Judic. 5. 5.
11 מלפני ארון כל הארץ 70. Ἀπὸ προσώπου κυρίου πάσης τῆς γῆς. Psalt. Rom. & Carnut. *A facie Domini tremuit omnis terra.* 12 המתהללים באלילים

qui sese jactant *in Elilim suis*, in inanibus numinibus suis, in vanis, ac ridiculis Diis. Babylonii, qui per fas & nefas crudelissime nos oppresserunt, confundantur, ac tandem aliquando intelligant, Numina sua nullo obsequio esse digna.

℣. 8. ADORATE EUM OMNES ANGELI EJUS.] Sancti Spiritus, supremum hunc Universorum Dominum, uti par est, veneramini, ac inanium, cæcorumque mortalium defectibus supplete. Huic totius terræ Judici eum cultum, atqe adorationem exhibete, quæ illius deceat majestatem; non enim pares sumus iis illi honoribus deferendis, quos vere meretur. S. Paulus ad Hebr. 1. 6. locum hunc citat in tertia persona: *Adorent eum omnes Angeli ejus*, & colant unicum Divini Patris filium, nostræ mortalitatis carne indutum. Hebræus [1]: *Dii omnes illum adorent*. *Deorum* nomine omnes terræ B Potestates intelliguntur, præcipue vero Judices, ac Principes. Quandoquidem apparet Dominus hodie, tamquam solus Rex, & supremus Judex; quicumque super terram aliquam in alios homines exercet auctoritatem, & Judicis, vel Regis nomine insignitur, adoret supremum Regem Regum, ac Judicum Judicem. Septuaginta, Syrus, & complures alii *de Angelis* intelligunt. Chaldæus *de Idolis*. Omnes Idolorum adoratores veniant, Dominum veneraturi. Vide ℣. 5.

A ℣. 9. EXULTAVERUNT FILIÆ JUDÆ &c. [2].] Matronæ Israelitæ summa affectæ fuerunt lætitia, audientes ultionem, quam adversus populi tui hostes, præcipue Babylonios exercuisti. Alii nomine *filiarum Judæ*, Judææ urbes intelligunt, mater quarum erat Jerusalem.

℣. 11. QUI DILIGITIS DOMINUM, ODITE MALUM; CUSTODIT DOMINUS ANIMAS SANCTORUM SUORUM.] Populi Domino subjecti, qui illius potentiam veneramini, ac justitiam diligitis, nisi gratiæ illius jacturam ferre vultis, malum a vobis arcete. Ille sanctos dumtaxat, & castam, integramque vitam ducentes amat, & protegit. S. Augustinus legit: *Qui diligitis Dominum odite mala* [3]: *custodit Dominus animas servorum suorum* [4].

℣. 12. LUX ORTA EST JUSTO, & RECTIS CORDE LÆTITIA.] Lux significat prosperitatem, libertatem, felicitatem, ubertatem. Dominus populum suum captivum visitavit, illum patriæ telluri restituit, atque felicitate, & gaudio cumulavit.

℣. 13. CONFITEMINI MEMORIÆ SANCTIFICATIONIS EJUS;] vel sanctitatis, vel Sanctuarii, vel sancti Nominis ejus; verbo; laudate Dominum, neque Sancti Nominis illius umquam obliviscamini. Cantate laudes ejus, & in æternum gloriam illius celebrate.

1 השתחוו לו כל אלהים 2 70: Θυγατέρες τῆς Ἰουδαίας. Aug. *Filiæ Judææ*. Ita & Psalt. Germ.
3 Ita 70. Complut. Μισεῖτε πονηρά, & Theodoret. 4 Ita Psalt. Rom. Mediol. S. German.

PSALMUS XCVII.

Infinita Domini potentia; certissima promissionum ejus fides; judiciorum illius Justitia: populorum gaudium, & felicitas.

Psalmus ipsi David.

ARGUMENTUM.

Hebræus [1] in Psalmi titulo non legit nomen David. Judæi illum de Messia, quem præstolantur, adventu explicant. Patres [2], atque Christiani Interpretes hunc de primo, vel altero J. C. adventu intelligunt. Syrus, ac Trevetius de liberatione ex Ægypti servitute. Beda, & vetus Paraphrastes Græcus a Patre Corderio editus, ac Ferrandus [3] hunc non secus ac superiorem ad reditum de Captivitate Babylonica referunt. Antiqui MSS. quidam hic repetunt titulum Psalmi 95. *Canticum ipsi David, quando Domus ædificabatur post Captivitatem*. In litterali Psalmi hujus explicatione postremum hoc systema amplectemur, ac una id referemus, quod respicit adventum, atque regnum J. C. primum, atque præcipuum Psalmistæ objectum.

1. CAntate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit. 2 Salvavit sibi
dextera ejus, & brachium sanctum ejus. 3 Notum fecit Dominus salutare
suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam. 4 Recordatus est
misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel. 5 Viderunt omnes termini terræ,
salutare Dei nostri. 6 Jubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & psallite.
7 Psallite Domino in cithara, in cithara, & voce psalmi: in tubis ductilibus, &
voce tubæ corneæ. 8 Jubilate in conspectu regis Domini: moveatur mare, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & qui habitant in eo. 9 Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: quoniam venit judicare terram.
10 Judicabit orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate.

℣. 1. CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, QUIA MIRABILIA FECIT,] pro vobis, qui vos de captivitate, ac servitute in libertatem asseruit ea ratione, qua minimum A sperabatis, & ea misericordia, quam neque cogitare ausi fuissetis. Tot illius miracula, recentes gratiarum actiones merentur. Si quid sublimius in hoc scrutari velimus, & sub liberationis ejus imagine libertatem eam,

1 מזמור 2 Athanas. Euseb. August. Hieronym. Theodoret.
3 Reg. Cod. 138. Colbert. 158. apud Ferrand. hic. Confer. vers. 1. 11. 12. 13. Psalmi 95. cum vers. 1. 2. 3. 4. 5. 9. hujus Psalmi.

eam, quam J. C. sanguine suo nobis comparavit considerare; si ad Incarnationis, Nativitatis, Vitæ, ac Resurrectionis Domini miracula advertimus animum, quot recentia occurrunt laudum, gratique animi argumenta?

℣. 2. SALVAVIT SIBI DEXTERA EJUS [1], & BRACHIUM SANCTUM EJUS.] Hebr. [2]: *Ipsum sibi salvavit dextera sua*, velut miles, qui cum hoste manum conseruit, cumque vicit, abjecit, occidit manu sua [3], nec cuipiam, præterquam uni sibi victoriam debet. Ut nos salvaret nequaquam usus est aliena vi, verum ipse per se nobis opem tulit. Omnipotenti manu sua injustum Chaldæorum hostium nostrorum imperium evertit, & brachii sui robore nos e manu illorum eripuit. Scite etiam de J. C. resurrectione explicatur: ille propria virtute infernum, peccatum, mortemque devicit. B

℣. 3. NOTUM FECIT DOMINUS SALUTARE SUUM, IN CONSPECTU GENTIUM &c.] Nos de illa captivitate liberavit, in qua tandiu jacuimus, effecitque, ut ultionis suæ justitia adversus Babylonem, atque Babylonios, qui injuste nos persequebantur, ob terræ totius oculos emicaret. Cyrus servus ejus crudelium horum Dominorum subvertit imperium, seque populi Dei clypeum futurum professus est. In sublimiori sensu, manifestavit nobis Dominus Salvatorem suum, filium dexteræ suæ, robur, gloriam suam, Verbum suum, fontem omnis Justitiæ [4]; eumque in conspectu gentium omnium manifestavit, atque in omnem terram Evangelii lumen late diffudit. Populi, qui antea in umbra mortis vivebant, repente ingens hoc lumen viderunt super se suos radios emittens. C

℣. 4. RECORDATUS EST MISERICORDIÆ SUÆ [5], & VERITATIS SUÆ DOMUI ISRAEL.] Nostri misertus est, quemadmodum olim receperat Israel; præstitit fidem Prophetarum suorum, qui illius verbis promiserant futurum, ut aliquando Juda, & Israel de Babylonica servitute liberarentur. Nos hodie infinitam misericordiam tuam, Domine, veneramur, certissimam

A promissionum tuarum veritatem videmus, atque eas conspicimus ad unguem expleri prophetias, quæ nobis Salvatorem, ac Liberatorem spoponderant. Hunc enim habemus in J. C. persona Filii, atque Uncti tui. Beata Virgo in Cantico suo Luc. 1. 55. ad locum hunc videtur alludere iis verbis: *Recordatus misericordiæ suæ sicut locutus est ad Patres nostros* &c.

℣. 7. IN TUBIS DUCTILIBUS, & VOCE TUBÆ CORNEÆ.] Judæis duplex erat cornuum, vel tubarum species; aliæ enim corneæ erant [6], aliæ æreæ, vel argenteæ ductiles [7]. Hebr. [8]: *in tubis, & sonitu buccinæ*. Buccina erat e metallo, & oblonga; lituus vero, corneus erat, & curvus, uti ajunt. Vide nostram de musicis instrumentis Dissertationem. Græca vox, quæ significat *ductile*, vel malleo tusum [9], usurpari potest pro rebus ex abiete confectis. Hoc æquivocum veteribus quibusdam locum præbuit ita vertendi: *In tubis abjetum*; quod profecto sensu caret.

℣. 8. JUBILATE IN CONSPECTU REGIS DOMINI [10].] Omnes terrarum Nationes alloquitur ℣. 2. 3. 4. Eas invitat, ut accedant, Dominum, tamquam Regem suum veneraturæ. Hoc in Psalmo, non secus ac in præcedentibus duobus, qui præsertim compositi fuisse videntur, ad ostendendam Gentilium vocationem ad Religionem Christianam, hæc Dei qualitas celebratur.

MOVEATUR MARE.] Hebr. [11] *Mare sonet*. Vide Psalmum 95. ℣. 11.

℣. 9. FLUMINA PLAUDENT MANU, SIMUL [12] MONTES EXULTABUNT.] Hæ audaces nimium sunt locutiones, magnificæque figuræ, quæ quidem Orientalibus in deliciis sunt, nostra vero Lingua eos non nisi ægerrime patitur.

℣. 10. QUONIAM VENIT JUDICARE TERRAM.] Venit quodammodo possessionem aditurus imperii sui in homines; venit ut nobis jus dicat, suamque in inimicos nostros ultionem exerceat. Vide postremum Psalmi 95. versiculum.

1 Aug. *Sanavit ei*. 70. Edit. Rom. Ἔσωσεν αὐτῷ. Alii, Ἔσωσεν αὐτόν. *Salvavit eum*. Ita Psalt. Rom. & Mediol.
2 הושיעה לו ימינו וזרוע קדשו 3 Vide Isai. 59. 1. 16. *Salvavit sibi brachium suum, & justitia ejus ipsa confirmavit eum*. Et 63. 5. *Salvavit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi*.
4 Rom. 3. 21. 22. 23. 24. 5 70. Ἐμνήσθη τοῦ ἐλέους αὐτοῦ τῷ Ἰακώβ, καὶ τῆς ἀληθείας, &c. Aug. Cassiod. Theodoret. Arab. antiqua Psalter. *Recordatus est misericordiæ suæ Jacob*, &c. 6 Josue 6. 4.
7 Num. 10. 2. 8 בחצצרות וקול שופר 9 Ἐν σάλπιγξιν ἐλαταῖς, *In tubis ductilibus*. Ἐν σάλπιγξιν ἐλάταις. *In tubis abietum*. Ita Psalt. Mediol. & S. Germ. 10 70. Rom. Edit. Ἐνώπιον τοῦ βασιλέως Κυρίου. Psalt. Rom. *In conspectu Regis Domino*. 11 ירעם הים Sym. Ἠχείτω ἡ θάλασσα.
12 70. Ἐπὶ τὸ αὐτό. Aug. & antiqua Psalt. *in idipsum*.

PSALMUS XCVIII.

Regnum Domini, invitis hostibus illius. Justitia, & æquitas præcipuam ejus gloriam constituunt. Populi Deum adorate, quemadmodum fecere Moyses, Aaron, & Samuel.

Psalmus ipsi David,

ARGUMENTUM.

Psalmo huic nullus Hebraice præfixus est titulus, non secus ac superioribus post octogesimum. Rabbini, quibus nonnulli Christiani Interpretes adhærent, hunc Moysi attribuunt, & Syrus transfert ad victoriam de Madianitis relatam, dum legislator ille adhuc viveret [1]. Verum Samuelis nomen, quod hic occurrit ℣. 6. hanc sententiam evertit. Plerique hunc [2] Davidi referunt, & putant cantatum fuisse, dum Arca in Tabernaculum Sion transferretur [3]. Theodoretus, Venerabilis Beda, & vetus Paraphrastes Græcus anonymus censent, hoc esse vaticinium de reditu ex Babylonis captivitate.

Ego vero potius existimarem, cantatum fuisse in Urbis, ac secundi Templi [4] dedicatione post captivitatem. Auctor hic Domini potentiam celebrat, qui licet hostes Israel omni adversarentur nisu, populum suum tuta-

1 Num. 31. 1. & sequ. 2 Vide Muis, Ferrand. Bossuet. alios.
3 2. Reg. 6. 12. 4 1. Esdr. 3. 6. 2. Esdr. 3. 4. 12.

tutatus est, eique vim tribuit & Templum, & civitatem Jerusalem instaurandi. Patres [1] hoc explicant de regno, & adventu J. C. Rabbini quoque illud intelligunt de regno commentitii Messiæ, quem expectant.

1. DOminus regnavit, irascantur populi: qui sedet super cherubim, movea-
tur terra. 2 Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes popu-
los. 3 Confiteantur nomini tuo magno: quoniam terribile, & sanctum
est, & honor regis judicium diligit. 4 Tu parasti directiones: judicium, & ju-
stitiam in Jacob tu fecisti. 5 Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabel-
lum pedum ejus: quoniam sanctum est. 6 Moyses, & Aaron in sacerdotibus ejus,
& Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. 7 Invocabant Dominum, & ipse
exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos. 8 Custodiebant testimonia
ejus, & præceptum, quod dedit illis. 9 Domine Deus noster, tu exaudiebas
eos: Deus, tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum. 10
Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus
Dominus Deus noster.

℣. 1. DOMINUS REGNAVIT, IRASCANTUR POPULI; QUI SEDET SUPER CHERUBIM MOVEATUR TERRA.] Contremiscite infideles populi, gentes incredulæ, principes injusti, ac impii, qui Domini justitiam, atque misericordiam irritatis, pauperem, atque innocentem opprimentes. Omnipotens suum regnum constituit, & prope est, ut in vos justam suam ultionem exerceat. Vel; Populi terræ summa cum reverentia, ac terrore coram Domino estote, qui terribili adeo ratione justitiam suam in Chaldæorum subversione ostendit. Denique terra tota contremiscat in conspectu Domini, qui, licet Samaritanorum, Ammonitarum, Moabitarum, aliorumque veterum inimicorum Israel rabies, atque invidia id perturbare aditerentur, populum suum in Judæam revocavit, muros Jerusalem instaurari permisit, & cultum suum in suo Templo restituit [2]. Patres [3] hoc explicant de ira Judæorum, atque Gentilium adversus J. C. & ejus Ecclesiam. Dominus illis invitis regnavit, regnumque suum in toto terrarum orbe constituit, contra Dæmonis, omniumque terræ Principum, conatus. Locus hic admodum similis est illi e secundo Psalmo: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges Terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.*

QUI SEDET SUPER CHERUBIM.] Hoc est epithetum, & quoddam veluti nomen Dei [4]; quem Israelitæ sibi fingebant veluti super Cherubim sedentem, vel insidentem currui, quem Cherubim agebant, trahebantque; quemadmodum Ezechiel 10. 1. & seq. & David Psalm. 17. 10. eum nobis exhibent: vel etiam insidentem Arcæ, atque alas Cherubim pro throno, ac propitiatorium, vel Arcæ operculum pro scabello pedum habentem. Ex hoc loco Ferrandus arguit, Psalmum hunc nequaquam respicere tempus, quod captivitatem subsecutum est; tunc enim Arca Domini non erat amplius in Templo, ideoque non poterat amplius dici Dominus super Cherubim sedere. Verum non una de causa hoc argumentum laborat. Esto quidem, licet res dubitatione non careat, esto, Arca post captivitatem non fuerit amplius inventa, neque in secundo Templo collocata; num ideo servari non poterat antiqua denominatio apud Judæos familiaris, orta ex ea ratione, qua Dominum in Templo suo concipiebant? Præterea Dominus super Cherubim sedebat ne dumtaxat in Templo suo, ac super Arcam Fœderis? David, & Ezechiel nonne eum nobis repræsentant, veluti a Cherubim vectum curru suo, qui omnino alius erat a Propitiatorio, & ab Arca? Denique Daniel [5], ac tres illius socii, qui in captivitate, ac post Templi excidium vivebant, eadem ne respuunt verba, Dominum significaturi? Antiqua Psalteria legunt [6]: *Qui sedes super Cherubim*. Vide Argumentum Psalmi 131.

℣. 2. DOMINUS IN SION MAGNUS, & EXCELSUS &c.] Ostendit Dominus suam potentiam in Sion, & supremum arbitrium suum in vitam, mortem, ac fortunam omnium populorum, quo pot est solidissima Regum solia labefactare, ac populum ex humilitate, & ut ita dicam ex nihilo eruere; ac honorem, ac potestatem illi conferre. Chaldæos quidem depressit, Persas elevavit, Judæos restituit, Samaritanos, aliosque Judæorum hostes superavit.

℣. 3. CONFITEANTUR NOMINI TUO MAGNO QUONIAM TERRIBILE &c.] Populi isti, vel depressi, vel elevati, vel patriæ suæ brachii tui virtute restituti, Chaldæi, Persæ; Judæi infinitam Majestatem tuam venerentur, & absolutam potestatem tuam confiteantur. Heb. [7] *Laudent nomen tuum magnum, atque terribile, quoniam sanctum est.*

ET HONOR REGIS JUDICIUM DILIGIT.] Omnipotentis hujus Dei supremam confiteantur justitiam, ac fateantur, ea, quæ sibi contigere, esse in justitia, & veritate. Iidem inimici Domini, quos ille punit, & deprimit, dicere coguntur, nil sibi accidisse, quin illud satis superque meriti fuerint. Hebræus [8]: *Fortitudo Regis amat Judicium*. Fortitudo Regis, majestas illius, gloria ejus, ille ipse, quemadmodum Greci dicunt *virtutem Herculis* pro Hercule eodem; *robur Alcinoi* &c. pro Alcinoo robusto. Supremi Judicis character est amor justitiæ; hoc magnus ille Rector distinguitur. Itaque violenti populi, & crudeles, coram illo contremiscite. Illius magnitudo, & gloria in eo posita est, ut juste omne mortalium genus dijudicet. Symmachus [9]: *Rex amat fortitudinem Judicii*; vel Rex judiciorum amat fortitudinem.

Sed prima versio ex Hebraico textu concinnata multo melior est, eamque Aquila, S. Hieronymus, ac Interpretum plerique sequuntur. Eusebius: obtemperare Legi, est Deum colere, quemadmodum legem contemnere, est Deum dedecore afficere. Theodoretus: Amor justitiæ maximus est Regis honor. S. Hieronymus: Homo peccator seipsum judicare, atque condemnare debet, si digne Deum vult venerari. S. Augustinus: Vult Deus, ut nosmet corrigamus, ut justitiam amemus. Hunc Deus a nobis honorem petit.

Tu

1 Euseb. Athan. Hieron. August. alii. 2 Theodoret. 3 Athanas. Hieron. August. Euseb. alii.
4 1. Reg. 4. 4. 2. Reg. 6. 2. 2. Reg. 22. 11. 4. Reg. 19. 19. Psalm. 79. 2. 2. Dan. 3. 15. Isai. 37. 16.
5 Dan. 3. 55. 6 70. Ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν Χερουβίμ. Hieron. Psalter. Roman. Mediol. Carnut. uterque Colbert. Germ. Gallic. Edit. Complut. *Qui sedes, &c.* 7 יודו שמך גדל ונורא קדש הוא
8 ועז מלך משפט אהב Aquil. Καὶ κράτος βασιλέως κρίσιν ἠγάπησεν. Hieron. *Imperium Regis judicium diligit*.
9 Symmach. Ἰσχὺν βασιλεὺς τοῦ κρίματος ἀγαπᾷ.

℣. 4. TU PARASTI DIRECTIONES [1], JUDICIUM, & JUSTITIAM IN JACOB TU FECISTI.] Superiori versiculo dixerat, Dominum præcipuam sui nominis gloriam in justitiæ exercitatione collocare: hic ait, regimen suum, agendique rationem universam nihil esse aliud, quam rectitudinem, & æquitatem; sed justitiam ejus in Jacob præsertim enituisse, cum illius hostes percussit, atque semper ultus est vim suo populo illatam. Vide Theodoretum hic.

℣. 5. ADORATE SCABELLUM PEDUM EJUS, QUONIAM SANCTUM EST.] Hoc scilicet scabellum, thronus hic sanctus est, sacer est, vel cum Hebræo [2], Septuaginta [3], & quibusdam antiquis Psalteriis: *Quoniam Dominus Sanctus est*. Scabellum throni Dominici est universa terra Matth. 5. 35. Jerusalem Isai. 66. 1. Templum ejus Thren. 2. 1. Psal. 131. 7. Arca illius 1. Par. 28. 2. Jerusalem versus faciem vestram convertite Dominum adoraturi; vel in Templo illius prostrati Majestatem ibi adorate. Patres [4] hoc de J.C. humanitate interpretantur, quæ fuit veluti scabellum throni Divinitatis ejus. Orientales pertaro subselliis utuntur, humi enim plerumque discumbunt; cum vero illis utuntur, ea adeo elata sunt, ut scabellum supponere cogantur [5].

℣. 6. MOYSES, & AARON IN SACERDOTIBUS EJUS, & SAMUEL INTER EOS, QUI INVOCANT NOMEN EJUS.] Insignes hos viros imitamini, qui Domini Sacerdotio, ac ministerio decorati fuere. Mementote eorum, quæ Deus illis contulit; verum simul eorum pietatis, ac fidei, qua rite munere suo perfuncti sunt, mementote. Ab eorum exemplo discite, quem a vobis cultum Dominus expectet.

Aliqua isthic difficultas occurrit, quoad Moysis, atque Samuelis Sacerdotium. Certum videtur ex quo elegit Dominus ex Aaronis familia eos, qui solemniter Sacerdotio fungerentur, eos omnes, qui ex hac progenie non extiterant a Sacerdotali munere fuisse prohibitos. Moyses autem, ac Samuel procul dubio ex tribu Levi simpliciter erant; Filii Moysis Levitarum ordinem numquam excesserunt, neque potiori privilegio Samuel fuit insignitus. Attamen facile Moysis Sacerdotium tueri possumus, dicentes, Magnum hunc virum Sacerdotium exercuisse ante Aaronis, ac familiæ illius consecrationem, erigendo duodecim aras ad radices Montis Sinai, ut ratum fieret fœdus [6]; immo Sacerdotali munere adhuc functum esse in celebriori solemnitate, cum scilicet Aaronem, filiosque illius consecravit [7]. Denique non desunt, qui putent per universum deserti iter semper una cum fratre suo Sacerdotium exercuisse [8]. S. Gregorius Nazianzenus in Orat. ad Gregor. Nyssenum eum *Sacerdotem Sacerdotum* vocat. Philo illius Sacerdotium testatur; S. Augustinus hic, & qu. 23. in Levit. S. Leo epist. 88. ac plurimi alii Patres hunc illi honorem non denegant; non igitur necessum est, ut ad extraordinariam Hebraicæ vocis significationem confugiamus [9], ac vertamus: *Moyses, & Aaron erant Ministri illius*, vel præcipui Duces. Fatemur quidem, Hebraicam vocem *Cohen* nonnumquam hoc in sensu usurpari [10]; at hic in propria, ac vulgata significatione intelligimus.

Quoad Samuelem difficultas equidem major est; at eam in Comment. in 1. Reg. 25. 1. fusius ad examen vocavimus, eorumque sententiæ subscripsimus, qui illum Sacerdotem fuisse negant, & numquam ordinario Sacerdotii munere functum fuisse contendunt. Psalmi Auctor liquido nobis ostendit discrimen illud, quod Moysem, & Aaronem inter, atque Samuelem intercedit. Primi duo Sacerdotes erant, Samuel vero simpliciter ex eorum numero, qui nomen Dei invocabant, videlicet, ex numero Levitarum; quorum erat, Domini laudes canere, eumque in Sancto illius Templo invocare.

℣. 7. IN COLUMNA NUBIS LOQUEBATUR AD EOS.] Hoc de Moyse, atque Aarone tantum intelligendum est [11]: Scimus, Dominum illis indicasse præsentiam suam per nubem, quæ super tabernaculum cœtus apparebat. Rabbinus Salomon Deum hoc ipsum & Samueli concessisse contendit. Sed ex Scriptura nihil tale edocemur.

℣. 9. TU PROPITIUS FUISTI EIS, & ULCISCENS IN OMNES ADINVENTIONES EORUM.] Cum etiam in illos animadvertebas, si quid umquam tibi molestum patrassent. Dominus Moysem, & Aaronem percussit, eo quod se non satis in illius præceptis confidere ostenderant [12]; & permittens, ut populus sibi Regem posceret, Samuelem puniit, quod filios in officio non continuerat; neque eos abusus abstulerat, quos illi in Justitia administranda invexerant [13]. Verum hoc nihilum obfuit, quominus Dominus servaret misericordiam suam erga Sanctos hos homines, eosque veluti sibi amicissimos, fidelesque servos exciperet [14]. Aliter [15]: Erga illos usus es clementia, eos beneficiis cumulasti, & summa cum severitate illos persecutus es, qui hos lacessere conabantur. Liquet ex Num. 16. 1. .... 31. quomodo male mulctaverit Deus Core, Dathan, Abiron, eorumque fautores, qui Moysis auctoritatem, ac Aaronis Sacerdotium impetebant; & quomodo Maria, & ipse Aaron percussus fuerit, eo quod in Moysem obmurmurassent Num. 12. 1. Cum Israelitæ Samuelem contempsissent, Regem efflagitantes 1. Reg. 8. 5. Dominus ultus est injuriam, Prophetæ suo illatam, in ira sua populo Regem tradens. Hebræus [16]: *Domine clemens fuisti erga illos, & ultor desideriorum illorum*; eorum scilicet ultionem suscepisti, cum te sunt obtestati. Chaldæus: *Domine pepercisti populo tuo propter illos, & ultus es opera eorum*. Symmachus [17]: *eorum injurias persecutus es*; injurias scilicet, quas patiebantur. Antiqua Psalteria [18]: *Vindicans in omnia studia eorum*.

1 Aug. Psalter. Rom. & Mediol. *Tu parasti æquitatem*. S. Germ. & Carnut. *Æquitates*. 70. Εὐθύτητας.
2 השתחוו להדום רגליו כי קדש הוא   3 Ὅτι ἅγιός ἐστι. Ita Theodoret. Euthym. Codices Reg. & Colbert. S. August. & Psalter. Carnut. & edit. Complut. *Quoniam sanctus est*.
4 August. & Hieron. hic. Ambros. de Spiritu sancto l. 3. c. 12. Cyrill. alii.
5 Chardin, Voyage de Perse t. 3. p. 112.   6 Exod. 24. 6.
7 Levit. 8. 6. & seq. Exod. 29. 24.   8 Ita antiqui Rabb. apud Muis.
9 משה ואהרון בכהניו   10 Vide 2. Reg. 8. 18. collatum cum 1. Par. 18. 17. Exod. 11. 16. Genes. 41. & 46. 20. &c.   11 Heraclæot. Kimchi, Abenezra, Muis.   12 Num. 20. 12.
13 1. Reg. 8. 3. 4.   14 Athanas. Euseb. hic, Jun. Pisc. Castal. &c.
15 Theodoret. Varabl. Muis, Genebrard. Tirin. &c.
16 אל נשא היית להם ונקם על עלילותם   17 Symmach. Ἐκδικῶν ἐπὶ ταῖς ἐπηρείαις αὐτῶν.
18 Psalter. Roman. S. German. Mediolan. Carnut. 70. Καὶ ἐκδικῶν ἐπὶ πάντα τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτῶν. August. *Vindicans in omnes affectiones eorum*.

PSALMUS IC.

Laudate Dominum, introite in Templum ejus; intelligite vos esse populum, & creaturam ejus.

Psalmus in Confessione.

ARGUMENTUM.

Theodoretus legit: *Psalmus David, pro laude*; *Hebraice nullum habet titulum*: sed hodie in authographo eumdem legimus, ac in Græco, Latinoque textu [1]: *Psalmus in confessione*, vel pro laude, vel pro gratiarum actione. Chaldæus, cui Rabbini plurimi, nonnullique Interpretes adhærent, ait, vulgo recitari consuevisse, cum sacrificia pacifica, vel gratiarum actionis offerebantur. Alii putant, concini solitum fuisse ab introeuntibus in Templum. Syrus hunc rejicit ad bellum a Josue adversus Ammonitas, vel potius Amalecitas bellatum Exod. 17. 3. supponit enim esse opus Moysis.

Nos vero credimus [2], hanc esse Psalmorum præcedentium continuationem, atque easdem circumstantias respicere, videlicet reditum de captivitate, atque complecti laudes, & gratiarum actiones pro populi libertate, ac tum Templi, tum urbis Jerusalem instauratione. Patres [3] hunc explicant tamquam adhortationem ad populos, qui Christianam Religionem susceperunt, ut veniant, Deum in Sancto illius Templo adoraturi.

1. JUbilate Deo omnis terra: servite Domino in lætitia. 2 Introite in conspectu
ejus, in exultatione. 3 Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus, ipse
fecit nos, & non ipsi nos. 4 Populus ejus, & oves pascuæ ejus: in-
troite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis, confitemini illi. 5 Lau-
date nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, &
usque in generationem, & generationem veritas ejus.

℣. 1. JUBILATE DEO, OMNIS TERRRA: SERVITE DOMINO IN LÆTITIA.] Omnis terra, populi omnes totius orbis terrarum, indiscriminatim, sive Judæi, sive Ethnici veniant, ut Dominum venerentur, ejusque Majestatem, ac imperium agnoscant; ac præ gaudio exultantes, illi sui cultus, atque servitutis officia testentur. Deus vult, sibi alacriter, hilariterque serviri. Homines ipsi ea aspernantur officia, quæ ægre, atque ab invito extorquentur.

℣. 2. IN EXULTATIONE.] Hebr. [4] *cum lætitiæ cantibus*, vel cum laudibus, & hymnis.

℣. 3. DOMINUS IPSE EST DEUS, IPSE FECIT NOS, & NON IPSI NOS.] En quid Psalmista velit, ut omnis terra confiteatur. Hominum plerique tenebricosa adeo ignorantiæ caligine erant obruti, ut ipsum Auctorem suum ignorarent; neque respuebant summum divinitatis honorem sordidissimis rebus deferre, quæ magis, quam ipsi, contemptibiles essent, fœdæ, atque abominandæ. Vera tantum Religio hunc illis errorem potuit auferre, eosque ad verum auctorem suum revocare. Hebræus diversimode vertitur [5]. Symmachus [6]: *eduxit nos de nihilo, atque nobis hoc dedit, ut essemus*. S. Hieronymus, & Chaldæus [7]: *Ipse creavit nos, & nos sumus illius*. Sed Vulgatæ, ac Septuaginta Versio [8] simplicior est, ac magis textui conformis. Sunt, qui hoc sequentibus adnectant: *Ipse fecit nos, sed non permansimus populus, & grex illius*. Nequaquam eam illi fidem, quam debemus, servavimus. Verum hoc textus simplicitatem excedit.

℣. 4. POPULUS EJUS, & OVES PASCUÆ EJUS.] Patres [9] *populi* nomine intelligunt Judæos, & nomine *ovium* Ethnicos. Verum simplicior est Theodoreti explicatio, qui ait, Deum non esse tantum Regem nostrum, verum etiam Pastorem nostrum; nos sumus & populus, & grex illius.

℣. 5. IN ÆTERNUM MISERICORDIA EJUS, & USQUE IN GENERATIONEM . . . VERITAS EJUS.] Scriptura ubique ferme misericordiam, & veritatem conjunxit: Misericordiam prævenientem, ac promittentem gratias, & veritatem eas perficientem, atque exequentem. Promisit Dominus, se liberaturum populum suum de captivitate Babylonis; promissi fidem præstitit; certissima habemus constantis misericordiæ illius in nos argumenta. Idem Dominus pollicitus est, se ad sui cognitionem, ac fidem alienigenas gentes vocaturum; videmus promissa illius fideliter adimpleta. Verum igitur est, misericordiam, & veritatem ejus esse æternas.

1 מזמור לתודה 2 Ita Paraphr. Græc. Corderii. Ferrand. Vide & Muis.
3 Athan. Hieron. Theodoret. 4 ברננה 70. Ἐν ἀγαλλιάσει. Aquil. Ἐν αἰνέσει. *In Laude*, Sym. Μετ' εὐφημίας. *Cum benedictione*. 5 כי יהוה הוא אלהים הוא עשנו ולא אנחנו 6 Sym. Αὐτὸς ἐποίησεν ἡμᾶς οὐκ ὄντας.
7 Legerunt הוא עשנו ולו אנחנו 8 70. Αὐτὸς ἐποίησεν ἡμᾶς, καὶ οὐχ ἡμεῖς. Aug. *Ipse fecit nos, & non nos*. Ita Edit. Complut. 9 Athanas. Euseb.

PSALMUS C.

Exemplar optimi Principis, qui innocentiam diligit injustitiam odit, nefarios, reprimit, bonos Ministros eligit, Justos protegit.

Psalmus ipsi David.

ARGUMENTUM.

Antiqua nonnulla Exemplaria Græca legebant [1]: *Psalmus David pro quarta die Hebdomadæ*. Verum hæc additio neque in Hebraico textu legitur, neque apud antiquos Interpretes, neque in melioribus Exemplaribus Septuaginta. Psalmus hic totus est in morum præceptis tradendis, atque juxta S. Athanasii sententiam haberi potest[1], tamquam perfecti viri descriptio. Insignis quidam Interpres [2] ait, huic Psalmo pro titulo hæc appingi posse: *Speculum Principum*. Theodoretus putat, Davidem hic describere voluisse sanctum, piumque Regem Josiam; ac psalmum explicat de zelo, quo Rex ille adversus idolorum Sacerdotes succensus eos omnes interfici jussit [3], quod in Psalmi fine dictum est; *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ*. Alii [4], Davidem sui ipsius graphidem isthic adornare putant, atque effundere cor suum coram Deo, illi dicentem, quid se facturum decreverat, & quod re ipsa efficiebat, ex quo pacificus fuit Regni duodecim Tribuum possessor; quod & nobis magis arridet.

1. MIsericordiam, & judicium cantabo tibi, Domine. 2 Psallam, & intelli-
gam in via immaculata, quando venies ad me? 3 Perambulabam in
innocentia cordis mei: in medio domus meæ. 4 Non proponebam an-
te oculos meos rem injustam: facientes prævaricationes odivi. 5 Non adhæsit mi-
hi cor pravum: declinantem a me malignum non cognoscebam. 6 Detrahentem
secreto proximo suo, hunc persequebar. 7 Superbo oculo, & insatiabili corde,
cum hoc non edebam. 8 Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum; ambu-
lans in via immaculata, hic mihi ministrabat. 9 Non habitabit in medio domus
meæ, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculo-
rum meorum. 10 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut disperde-
rem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

℣. 1. MISERICORDIAM, & JUDICIUM CANTABO TIBI, DOMINE.] Misericordia tua, quæ me populi tui Regem elegit: judicium tuum, quo inimicos meos persecutus es, mihique causam adjudicasti. Vel: Cantabo, Domine, *misericordiam*, quam erga illos exerces, qui ad te per pœnitentiam revertuntur, & *judicium*, quod exerces in illos, qui obdurato animo in peccatorum sordibus delitescunt [5]. Nemo perperam sibi Dei misericordiam promittat, quoniam non deest justus Judex; nemo animos despondeat, ac desperet ad judicis intuitum, quandoquidem eum prævenit misericordia, atque in nobis positum est ex ea fructum percipere [6]. Chaldæus, & Rabbini quidam: Quocumque modo me exceperis, Domine, sive in judiciorum tuorum severitate, sive in suavitate misericordiarum B tuarum, te laudare volo, & humillime tibi gratias agere.

Misericordia, & judicium generatim quoque possunt intelligi: Coram te, Domine, recinam, quænam optimum decear Regem misericordia, & Judicium, ut Regnum suum scite regat [7]. Totus in duobus his versatur Psalmus, quæ maxime requiruntur in Rege. Misericordia, suavitas, elementia, mansuetudo erga bonos, judicium, severitas, justitia erga improbos. Hebræus verti potest [8]: *Cantabo misericordiam, & ju-* A *dicium; Domine, cantabo laudes suas, & me ipsum curabo* &c.

℣. 2. INTELLIGAM IN VIA IMMACULATA. QUANDO VENIES AD ME?] David hæc dixisse videtur præ nimia animi, qua flagrabat, cupiditate, in Tabernaculo, quod ipse Domino erexerat, collocandi Arcam, quam apud Obededom reliquerat. Quandonam voti compos fiam, ut te possideam, teque in eo tabernaculo intuear, quod tibi ædificavi? Ut hanc merear gratiam, Domine, caste, integreque vitam ducere conabor, atque misericordiam, & justitiam exercebo. Satis intelligebat David, Deum nequaquam libenter polluta in domo, in nefaria urbe, in noxia, scelestaque anima commorari. Domum suam mundare vult ab iis omnibus, quæ eam fœdare poterant; omnesque impios de Jerusalem disperdere meditatur, ac se ipsum integrum vitæ, scelerisque purum fore pollicetur.

℣. 3. PERAMBULABAM IN INNOCENTIA CORDIS MEI, IN MEDIO DOMUS MEÆ.] Vel potius *perambulabo*, in futurum enim tempus transferenda sunt ea omnia, quæ isthic, & in sequentibus versiculis per imperfectum efferunt. Nonnulli veteres [9] legunt: *In medio domus suæ*, sed prior lectio melior est. David ita familiam suam, ac peculiariter vitam suam ita regit, ut tota domus illius in innocentia versetur. Nequaquam erat ex eorum genere, qui extrinsecus qui-

1 Theodoret. & Basil. hic. 2 Muis hic. 3 4. Reg. 22. 23. 2. Par. 34.
4 Muis, Geier. 5 Hieron. *Misericordiam audiant peccatores, qui desperant de sua salute, qui sunt in pœnitentia: judicium audiant contemptores &c.* 6 August. hic. *Nemo sibi ad impunitatem blandiatur de misericordia Dei, quia est judicium: & nemo in melius commutatus exhorreat judicium Dei, quia præcedit misericordia.*
7 Ita Kimchi, Abenez. Jun. Moller. Cocc. Mar.
8 חסד ומשפט אשירה לך יהוה אזמרה אשכילה בדרך תמים Symmach. *Εἰσιέτω ὁδὸν ἄμωμον.*
9 Psalter. Roman. S. Germ. Carnut. *In medio domus suæ.*

idem sancte, ac pie vivunt, domi vero jugiter alunt dissidia; vel luxui, atque libidini se se ingurgitant; neque ex eorum numero, qui vanam jactant, inanemque justitiam, cum interim animus pluribus sordescat flagitiis; ac injustis, violentisque affectibus urgeatur.

℣. 4. NON PROPONEBAM ANTE OCULOS MEOS REM INJUSTAM.] Nullos umquam conatus injustos, nulla umquam vota justitiæ adversantia. Hebræus ad litteram [1]; *non statuo ante oculos meos verba Belial*. Numquam placuere mihi futiles, perniciosique sermones. Eos non statui ante oculos meos, non dilexi illos, immo neque eos passus sum. Vel potius. Non patiar, ut coram me nefarium aliquod committatur, neque flagitiosi sermones habeantur. *Verbum Belial* æque facta, dictave prava significat.

℣. 5. NON ADHÆSIT MIHI COR PRAVUM; DECLINANTEM A ME MALIGNUM NON COGNOSCEBAM.] Non satis est viro justo, multoque minus Principi, juste, caste, ac innocenter vivere; debet quoque ab impiis procul versari, eos a societate sua prohibere, eosque abominari, & perhorrescere. Non solum ea, quæ recta sunt, operari debet, verum etiam adniti, ut & alii operentur; malum ipsi fugiendum est, ac pro virili conandum, ne alii malum admittant. Nullam habebat, neque habere volebat David consuetudinem cum illis, qui corrupto essent corde; non agnoscebat, & respuebat agnoscere illos, quorum mores, ac vita a sua vivendi ratione abhorrerent. *Declinantem a me malignum non cognoscebam* [2]. *Quid est, non cognoscebam*? ait S. Augustinus, *non approbabam, non laudabam, non mihi placebat*. Græci Patres id aliter intellexerunt [3]: Tanti improbos homines faciebam, eos adeo aspernabar, ut cum a me secederent, & me derelinquerent, neque intelligerem. Parum adeo illos amabam, ut cum procul a me discederent, nullo mœrore afficerer.

Hebræus 4 juxta puncta a S. Hieronymo præfixa: *Horreo prævaricantes, neque ullam ipsi mecum habebunt consuetudinem. Summopere abominabor cor pravum*, hominem scilicet corde pravo. *Scelestum non cognoscam*. Vel *nefarium*, seditiosum nebulonem semper perhorrescam: *Non patiar cor meum fœdari, ac semper malum abominabor*. Vel aliter: *Tenebrionem*, & proditorem *odi*: *Perversum cor numquam mihi adhærescat, neque scelestum umquam agnoscam*.

℣. 6 DETRAHENTEM SECRETO PROXIMO SUO, HUNC PERSEQUEBAR.] In Regum aulis maledicentia, & calumnia grassantur. Ibi invidia, ibi odium, ibi nequissima fraus omnes suas exerunt vires, dolosque, ut detrudant, dejiciantque competitores suos, & quos timent, ne sibi præferri videant. Profitetur David, se omni studio invigilaturum, ut detegat perniciosos hos homines, & nefarias has linguas, dissidium ferentes, atque innocuum sanguinem effundentes; se illos sedulo observaturum, atque sine ulla venia persecuturum. Non solum aures maledicis præbendæ non sunt; verum illos persequi oportet. Si eos audis, eos in malo tua veluti auctoritate confirmas, & quodammodo criminis eorum consors evadis. Quædam adsunt peccata, qui ea patrantibus tantum mortem infligunt, sed calumnia & loquenti, & audienti adfert exitium. *Qui fornicatur, se tantum occidit: ille autem qui detrahit, & se, & illum, qui audit, demergit*. Eusebius hoc de pravis intelligit cogitationibus, de secretis motibus, quibus ad proximi odium rapimur. Eos ejicere, ac propulsare opus est, non secus ac canes illos, qui mordent, quin latrent.

℣. 7. SUPERBO OCULO, & INSATIABILI CORDE, CUM HOC NON EDEBAM.] Aliæ in aulis Principum pestes, homines vani, superbi, ambitiosi. Hos in aula sua David non patiebatur, cum illis non comedebat, neque ullam amoris, vel æstimationis notam illis præbebat. Ut illius gratiam captares, illi similis esse debebas, facilis, justus, innocens, humilis verum sine sordibus, sine ignavia, sine fuco. Talis erat David, ac tales amicos, aulicosque suos cupiebat. Cum Princeps tantæ auctoritatis, ac David, palam se virtuti favere, vitium autem persequi profitetur, ab Aulicis speret omnia: hi enim Regios student mores imitari, ut se Regio favore dignos efficiant.

Hebræus 5: *non patiar*, vel cum eo morari non potero, *cujus oculi elati sunt, & cujus cor est vastum*. Numquam consuetudinem inire potero cum superbo, cum ambitioso, cum audaci, cum avaro, cum eo, cujus ambitio, & avaritia nequeunt saturari. *Cor vastum* in utrumque sensum potest intelligi: Exempli gratia, Scriptura 3. Reg. 4. 29. inquit, Salomoni cor æque latum fuisse ac maris arenam, videlicet tantam illius fuisse mentem, tantamque rerum omnium cognitionem, ut esset veluti numerus arenæ maris collatus numeris aliis cognito quodam fine circumscriptis. Alibi locutio hæc in sequiorem partem pro immodita ambitione usurpatur. Exempli gratia Prov. 28. 25. *Qui se jactat, & dilatat, jurgia concitat*. Ambitiosus, & qui intra conditionis suæ justos limites contineri nequit, sibi conflat invidiam, neque cum ullo pacate vivere potest.

℣. 8. OCULI MEI AD FIDELES TERRÆ, UT SEDEANT MECUM.] Hoc mihi præcipue erat curæ, ut Aulam meam optimis, fidelibusque ministris replerem; eisque provincias, honoresque demandarem, qui perspecta essent fide, rectitudine, atque integritate. Hoc fidelium nomen isthic significat. Princeps omnia per se videre, omnia administrare, omnibus consulere nequit; sapientissimum, ac fidelissimum quemque e subditis suis debet eligere, quibus, veluti oculis, lingua, auribus utatur. Neque operosum erit tales invenire viros, si diligenter, sedulo, ac sine ullo præjudicio perquisiverit, hominum virtutem, ac meritum dumtaxat æstimans.

AMBULANS IN VIA IMMACULATA, HIC MIHI MINISTRABAT.] Morum integritas, vitæ innocentia, recta agendi ratio præcipue in optimo Ministro sunt requirendæ, queis adde Prudentiam, atque ad negotia gerenda aptitudinem; sed isthic David de cordis tantum qualitatibus loquitur; quas præsertim scrutabatur, cum Ministros eligeret. Prudentiæ enim suppleri potest, si prudentiores consulas; sed si rectitudo, veritas, innocentia defuerint, unde suppleri poterunt?

℣. 9. QUI FACIT SUPERBIAM.] Domi meæ superbiam, atque vanitatem nolo; verum in Ministris meis innocentiam, simplicitatem, facilitatem, humilitatem efflagito. Hebr. [6]: *Qui fraudem committit, in medio domus meæ non permanebit*; cui versioni, magis quam alteri legenti *superbiam*, orationis decursus suffragatur.

QUI LOQUITUR INIQUA, NON DIREXIT IN CONSPECTU OCULORUM MEORUM.] Subdolus, sicophanta, mendax numquam mihi erunt accepti. Hebr. 7. *Qui profert mendacium, non stabit coram me*. Non apparebit in conspectu meo, mihi non placebit.

℣. 10. IN MATUTINO INTERFICIEBAM OMNES PECCATORES TERRÆ, UT DISPERDEREM &c.] Postquam omnem adhibui curam, ne domi meæ admitterem, nisi spectatæ virtutis meritique viros, vitio autem, mendacio, ac sceleri aqua, & igni interdicerem, in id convertam omne studium, ut sanctam civitatem ab omnibus flagitiosis, & nequam expurgem; eos investigabo, & persequar, summo mane, atque ante aliud quodvis illos interficiam; hinc mihi incipiet dies. Reges mane jus dicebant [8]: *Domus David, judicate mane judicium; & eruite vi oppressum de manu calumniantis* &c. ait Jeremias 21. 12. Judæi apud Hieronymum hic locum hunc explicant de zelo, quo eos debent occidere,

1 לא אשית לנגד עיני דבר בליעל 70. Πρᾶγμα παράνομον. Aug. *Rem malam*. Hieron. *Verbum Belial*.
2 Vide Hieron. & Aug. hic. 3 Euseb. Cæsar. Athan. Theodoret.
4 עשה סטים שנאתי לא ידבק בי לבב עקש יסור ממני רע לא ארע
5 גבה עינים ורחב לבב אותו לא אוכל 6 לא ישב בקרב ביתי עשה רמיה 70. Ποιῶν ὑπερηφανίαν. Legerunt רמיה pro רומי
7 דבר שקרים לא יכון לנגד עיני 8 Ita Muis, Geor. Ferrand. Hammon.

se, qui audacter Domini leges infringunt. Hoc illi *zeli judicium* vocant, cum sine ulla quæstione, indicta die, illum interimunt, qui aliquid vetitum cum scandalo aggreditur. Ita Mathathias Israelitam mactavit, qui Idolis erat sacrificaturus 1. Macch. 2. 24. & Judæi Jerosolymitani lapidibus irruerunt in S. Stephanum, quem blasphemias evomuisse dictitabant Act. 7. 56. Patres [1] hoc intelligunt de pravis cogitationibus, pravisque Dæmonis suggestionibus, quibus resistendum est, & quæ *mane* statim ac se se efferre incipiunt, sunt propulsandæ.

1 Euseb. Athan. Hieron.

PSALMUS CI.

Oratio populi in captivitate Babylonis. Gentilium conversio. Finis captivitatis. Restauratio Jerusalem.

Oratio pauperis, cum anxius fuerit [1], & in conspectu Domini effuderit precem suam.

ARGUMENTUM.

Patrum [2], ac Interpretum [3] plerique putant, psalmum hunc a Daniele, vel Jeremia, vel alio quopiam Prophetarum captivitatis tempore fuisse compositum. Sunt, qui putent, Davidem prophetico afflatum spiritu captivitatem hanc prænovisse, ac illi sermonem, sensusque suos aptasse: Nos autem ægre has patimur suppositiones, quæ nullatenus sunt necessariæ. Ex ℣. 14. 15. 16. 17. videtur captivitas tunc fini proxima fuisse, vel jam desiisse; ideoque psalmus hic non gemitus solum Judæorum captivorum, sed eorum etiam post captivitatem grati animi sensus complecteretur.

Patrum nonnulli, videlicet S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, & Cassiodorus hanc esse putant J. C. ad Patrem suum orationem, illi suam commendantis Ecclesiam. S. Paulus Apostolus ad Hebr. 1. 10. Salvatori applicat ℣. 26. 27. & 28. neque negari potest, psalmum universum, vel saltem majori ex parte non esse intelligendum de salute, ac libertate, quam ille Ecclesiæ suæ procuravit, cujus imago erat Babylonicæ Captivitatis liberatio: Doctores quidam [4] hunc transtulerunt in tempus fugæ David, cum illum Absalon persequeretur; alii vero ad bellum Antiochi Epiphanis adversus Judæos. Nos autem eorum sententiam sectabimur, qui illum de captivitate Babylonica interpretantur. Hebræus ad litteram [5] *Oratio pauperis*, afflicti, *cum oppressus est, & coram Deo suas preces* [6], suum sermonem, meditationem *effundit*.

1. DOmine, exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat. 2 Non
avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me
aurem tuam. 3 In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.
4 Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt. 5
Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem
meum. 6 A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ. 7 Similis factus
sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio. 8 Vigilavi,
& factus sum sicut passer solitarius in tecto. 9 Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adversum me jurabant. 10 Quia cinerem tam-
quam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. 11 A facie
iræ, & indignationis tuæ, quia elevans allisisti me. 12 Dies mei sicut umbra de-
clinaverunt: & ego sicut fœnum arui. 13 Tu autem, Domine, in æternum per-
manes: & memoriale tuum in generationem, & generationem. 14 Tu exurgens
misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. 15 Quoniam
placuerunt servis tuis lapides ejus: & terræ ejus miserebuntur. 16 Et timebunt
gentes nomen tuum, Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam. 17 Quia æ-
dificavit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua. 18 Respexit in orationem
humilium: & non sprevit precem eorum. 19 Scribantur hæc in generatione al-
tera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum. 20 Quia prospexit de ex-
celso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit: 21 Ut audiret gemitus
compeditorum: ut solveret filios interemptorum: 22 Ut annuntient in Sion nomen

1 Aug. *Oratio inopis, cum angeretur*. Psalter. S. Germ. *Cum acediaretur*. 70. Ὅταν ἀκηδιάσῃ. Sym. Ἐν ἀθυμίᾳ
2 Euseb. Theodoret Beda, Euthym. 3 Jans. Grot. Muis, Ferrand. alii.
4 Vide Lyran. hic. 5 תפלה לעני כי יעטף ולפני יהוה ישפך שיחו
6 70. Τὴν δέησιν. Sym. Τὴν ἀδολεσχίαν αὐτοῦ.

Domini, & laudem ejus in Jerusalem. 23 In conveniendo populos in unum; &
Reges, ut serviant Domino. 24 Respondit ei in via virtutis suæ: Paucitatem die-
rum meorum nuntia mihi. 25 Ne revoces me in dimidio dierum meorum. In ge-
nerationem, & generationem anni tui. 26 Initio tu, Domine, terram fundasti:
& opera manuum tuarum sunt cœli. 27 Ipsi peribunt, tu autem permanes: &
omnes sicut vestimentum veterascent. 28 Et sicut opertorium mutabis eos, & mu-
tabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. 29 Filii servorum
tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.

℣. 1. DOMINE EXAUDI ORATIONEM MEAM, & CLAMOR MEUS AD TE VENIAT.] Domine, adeo oppressus, atque humiliatus sum, ut gravius aliquid me pati posse vix credam, audi clamores, quos mihi dolor extorquet [a], audi lacrymas meas, & edue me de hac miserrima calamitate, in qua tandiu versor. Propheta populi nomine loquitur.

℣. 3. IN QUACUMQUE DIE TRIBULOR &c.] Totus versiculus ex textu Hebraico ita reddi potest: *Ne avertas a me faciem tuam in die afflictionis meæ; inclina aurem tuam ad me, in die, qua clamabo; accelera, ut exaudias me.*

℣. 4. QUIA DEFECERUNT SICUT FUMUS DIES MEI, ET OSSA MEA SICUT CREMIUM ARUERUNT.] Captivitas, quam patior, & dolor, quo conficior, adipem meum dissiparunt; contabui, ac veluti lignum exarui; vita, ac valetudo mea evanuerunt. Quodammodo ad tumulum, ac in pulverem redactus sum. In Prophetarum stylo, calamitas, servitus, dolor, sæpe igni, ac morti conferuntur. Latina vox *cremium*, Columella teste de Re Rust. l. 9. cap. 19. *ligna minuta, & arida significat*, uti vero S. Hieronymus in Osee 10. 7. explicat *aridas herbas, siccaque virgulta, quæ camino, & incendio præparantur*. Hebr. [2] diversimode redditur: *Ossa mea cremata sunt*, fricta, exsiccata, consumpta, *velut furnus*, vel ignis, veluti id, quod per ignem traductum est, veluti lebes, vel olla [3]. Septuaginta [4]: *Ossa mea confrixa sunt, velut aliquid aridum*. Aquila, & Symmachus [5]; *veluti exustio*, vel tamquam titio ambustus. Hoc belle quidem ad Jesum Christum in illius Passione, vel ad Martyres in tormentis eorum transfertur.

℣. 5. PERCUSSUS SUM, UT FOENUM, & ARUIT COR MEUM.] Similis sum herbæ solaribus radiis percussæ, exsiccatæ, sine humore, sine succo, deficit cor meum, stomachus meus languet, veluti hominis diutino labore, ac fame confecti. Morior, Domine, deficio; nisi quamprimum opitularis mihi, meque ex hac educis miserrima captivitate. Hebræus [6]: *Cor meum percussum est, & aruit tamquam fœnum*, sicut fœnum, vel messoris falce recisum, vel solis æstu ambustum intercidit, languet, tabescit, aret.

℣. 6. A VOCE GEMITUS MEI ADHÆSIT OS MEUM CARNI MEÆ.] Ob nimios gemitus, atque suspiria, vix cutis meis ossibus adhærescit. Ad litteram [7]; *Ossa mea carni adhærescunt*, propter defectum humorum, qui vetabant, ne ossa carnibus nimium aridis hærerent, inquit Eusebius. Vel, *carnes* isthic pro pelle usurpantur, uti censet Auctor Commentarii, qui Divi Hieronymi nomine circumfertur.

℣. 7. SIMILIS FACTUS SUM PELLICANO SOLITUDINIS.] Duplex est pellicani species, ait S. Hierony-
A mus; alterum eorum, qui secus aquas morantur, ac piscibus aluntur, alterum eorum, qui in solitudine versantur, & vescuntur serpentibus, aliisque virulentis animantibus, quæ in desertis occurrunt. Eusebius narrat, summam esse Pellicani erga pullos suos charitatem; nidum suum plerumque in prærupta collocat rupe, quo serpentes nequeant obrepere. Verum venenosum hoc animal, ut se se ulciscatur, ventum considerat, qui ubi versus Pellicani nidum perflat, illuc virus suum ejaculatur, quo pulli illius enecantur: quos ut ad vitam revocet Pellicanus, supra nubes se se attollit, atque alis latera sua diverberans, sanguinem elicit; qui per nubem in nidum decidens, pueris vitam restituit. Ita, addit ille, Jesus Christus nobis sanguine suo vitam reddidit; nobis, inquam, quos flatus ser-
B pentis antiqui enecaverat, qui per protoparentes nostros venenum suum in omne genus humanum diffuderat. S. Augustinus in hunc locum, S. Isidorus lib. 12. Origin. rem paulo aliter narrant; verum magis, magisque omnem illi adimunt fidem. Ajunt enim, Pellicanum solitudinis pullos suos enecare, quos cum triduo lacrymis prosecutus est, repetitis rostri ictibus sanguinem sibi elicit; quo illos irrorans, rursus ad vitam vocat. Verum audacter hæc omnia inter fabulas esse recensenda existimamus; ipsi illi, qui isthæc nobis enarrant ea vera procul dubio esse, non assesunt; verum hæsitanter ea proferunt, ac vulgi dumtaxat rumoribus innituntur. Hebraica [8] vox *Kaath* significare perhibetur *Onocrotalum*, qui ita vocatur, propter illius clamorem, ab asini ruditu non abludentem. Volucris
C hæc quamdam habet cum Ardea similitudinem, & ut illa, secus aquarum ripas vivit, ubi piscibus alitur. Hebraica vox *Kaath* fluit ex origine, quæ *vomere* significat; hæc enim avis stomachum suum replet piscibus e testaceorum genere, quibus propter calorem hiantibus, testas evomit, & comedit pisces [9].

FACTUS SUM SICUT NYCTICORAX IN DOMICILIO.] In obscuris domorum locis, vel in domibus incultis. Liquet, bubones, noctuasque id genus laribula quæritare. *Nycticorax* juxta nominis etymon, *nocturnum corvum* significat [10]. Symmachus reddiderat *upupam*, quæ avis turdum magnitudine exæquat, cujus alæ albo, nigro, subnigroque colore distinctæ sunt; in capite vero plumeam cristam gerit.

℣. 8. SICUT PASSER SOLITARIUS [11] IN TECTO.] He-
D braica vox [12] *Zippor* quodvis avicularum genus significat, ac præsertim *passerem*. Bochartus de animal. sacr. par. 2. l. 1. cap. 22. tenet Epithetum solitarii, isthic nomini huic appositum designare, non *passerem*, qui nullo modo est solitarius, sed noctuam, quæ jure solitaria avis nuncupari potest, & cujus sedes est *in tecto*, & quæ domorum culmini insidet: ibi enim noctu ululat, ibi vigilat, quemadmodum isthic loquitur Psalmista:
Passer

---

1 Hebr. שועתי 70. Ἡ κραυγή. Sym. Ὁ ἱμώγη. a עצמותי כמוקד נחרו

3 Ita Chald & alii nonnulli. 4 Ὡσεὶ φρύγιον συνεφρύγησαν. August. & Psalter. Rom. *Quasi in frixorio confrixa*. Mediol. *Sicut frixorio confrixa sunt*. Carnut. *Sicut frixorium confrixa sunt*.

5 Aquil. Ὡς κατακαυμα ἀφανισθήσεται. Sym. Ὡς ἀπόκαυμα. 6 הוכה כעשב ויבש לבי 70. Ἐπλήγη ὡσεὶ χόρτος &c. Aug. *Percussus est ut fœnum, & aruit cor meum*. 7 דבקו עצמי לבשרי August. & antiq. Psalter. *Adhæserunt ossa mea carni meæ*. 8 דמיתי לקאת מדבר

9 Ælian. l. 3. cap. 20. 10 Ὡσεὶ νυκτικόραξ ἐν οἰκοπέδῳ. Sym. Ὡς ἔποψ. Aug. *In Parietinis*. Hebr. ככוס חרבות Vide Hieron. ad Suniam, & Fretell. 11 70. Ὡς στρουθίον μονάζον ἐπὶ δώματος. August. *sicut passer singularis*. Psalt. Rom. & Carnut. *sicut passer unicus in ædificio*. Ita antiqui codices Latini apud Hieron. ad Suniam, &c. Ἐπὶ δώματι. quod antiqui codices Latinorum interpretati sunt *In ædificio*. Ita Psalt. Mediol. & S. Germ. 12 כצפור בודד על גג

Passer vero neque solitarius est, neque tristis, neque lugubres noctu clamores emittit super tectis, ut noctua.

℣. 9. EXPROBRABANT MIHI INIMICI MEI, & QUI LAUDABANT ME, ADVERSUM ME JURABANT.] Israelitæ Babylone captivi conquerebantur ob probra sibi ab inimicis illata; Me in jocum vertunt, & illi ipsi, qui mihi olim blandiebantur, meque laudabant, hodie in me juramenta, atque imprecationes evomunt. Vel cum Eusebio, ac S. Athanasio; cum malum alicui imprecantur, ea illi cupiunt mala, quibus Israel, & Juda torquentur. Æque infelix esto ac populus iste, quem Deus suus dereliquit. Hebræus [1]: *Inimici mei tota die me contumeliis impetunt; irridens mihi, ac jurant*. Me accusant calumniis, quas perjuriis confirmant; Deum ipsum blasphemant. Vel potius: *conjurabant in me*, atque in caput suum gravissima quæque mala imprecabantur, ni me perdidissent, mihique vitam abstulissent, eodem ferme pacto, quo Judæi illi, de quibus loquitur sanctus Lucas, se anathematis pœna devinxerunt, ut sancto Paulo inferrent exitium. Act. 23. ℣. 12. 13. 14.

℣. 10. QUIA CINEREM TAMQUAM PANEM MANDUCABAM, & POTUM MEUM CUM FLETU MISCEBAM.] Particula hæc *quia* nullum habet vinculum cum superioribus. Præstat vertere: *ideo cinerem* &c. Doloribus confectus, atque inimicorum meorum probris obrutus, me me humiliabam, ac, ut ita dicam, cinere, lacrymisque vescebar. Adspergebam cinere panem meum, ut mihi comedendi voluptatem adimerem, & aquam meam lacrymis diluebam, quas effundebam indesinenter. Locutiones hæ sunt hyperbolicæ, & figuratæ; sed belle exprimunt dolorem, humiliationem, gemitusque Prophetæ. Tota die in pulvere, ac cinere jaceo; tantum escæ capio, quantum vix satis sit, ne moriar; & hoc ipsum super cinerem stratus, ac cilicio indutus comedo; lacrymæ meæ unica est voluptas mea, unica consolatio. Versiculum hunc confer cum ℣. 6. Psalmi 79. *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura*.

℣. 11. ELEVANS ALLISISTI ME.] Elevasti me, ut majori cum pondere ruerem, meque in terram allideres; velut infirmum hostem, qui in aera tollitur, ut rupi allisus conteratur.

℣. 12. DIES MEI SICUT UMBRA DECLINAVERUNT.] Velut umbra evanuerunt; vel potius: velut umbra inclinaverunt. Occasui proximus sum; dies vitæ meæ jam inclinare incipiunt. Vide Cantica 2. 17. 4. 5. *Et inclinentur umbræ*, ubi locutionem hanc Solis occasum ostendimus significare.

℣. 13. MEMORIALE TUUM IN GENERATIONEM, & GENERATIONEM.] Prophetæ sæpius duplici hoc utuntur argumento, Dei scilicet æternitate, ac humanæ vitæ brevitate, ut Dominum inducant, ad misericordiam faciendam cum populo suo; perinde ac dicerent: Domine, vita nostra nihil est aliud, quam flatus; dies nostri tamquam levis vapor prætereunt, visne severitatis tuæ effectus in æternitatem usque protendere adversus viles adeo mortales? Memento, Domine, te æternum esse, atque omnipotentem, ac vires, durationemque tuam nullam habere cum nostra fragilitate rationem. Quænam tibi gloriæ fiet accessio, cum nos penitus deleveris, & ad nihilum usque redegeris? Atquenam gloria est, uti clementia, ac parcere calamitosis? Pœnæ, quas adhuc in nos exercuisti, nimis jam nimis tuam ostentarunt potentiam; tempus est jam, ut tua effulgeat misericordia, ac nos ex his malis omnibus eruat. Æternum gratias tibi habebimus, & memoriam libertatis nostræ, ac nominis tui, nulla umquam oblitterabit oblivio.

℣. 14. TU EXURGENS MISEREBERIS SION, QUIA TEMPUS MISERENDI EJUS.] Tempus est, ut de Jerusalem restauranda, nobisque de captivitate educendis

A cogites. Tempus a Jeremia præsignatum advenit [3]: Ne ultra differre velis, sed statim promissionum tuarum effectus nobis ostende.

℣. 15. QUONIAM PLACUERUNT SERVIS TUIS LAPIDES EJUS, & TERRÆ EJUS MISEREBUNTUR.] Miserere, Domine, Sion, Templi tui, ac Jerusalem: locorum horum, qui olim tibi adeo erant jucundi, & quos Prophetæ tui summa reverentia, ac voluptate coluerunt. Hodie quoque, Deus, hæc terra Juda, & hic sanctus mons Sion suavissima sunt objecta votorum servis tuis, mœrentibus in captivitate. Anima eorum ad hæc Hierosolymitana rudera suspirat; hoc unum efflagitant, ut per te sibi liceat tuam Majestatem eo in loco venerari, quem tuo adspectu olim dignatus es, ac inter pretiosas eas reliquias nomen tuum celebrare, ubi
B summa magnificentia, & decore tot tibi offerebantur sacrificia. Simplex sanctorum locorum illorum pulvis ab ipsis in honore habetur; *terræ ejus miserebuntur*, Hebræus [4] Septuaginta [5], & antiqua Psalteria [6] legunt; *pulverem usque illius amant*. Ostendimus in 4. Reg. 5. 17. Judæos, immo & Christi fideles tanto in honore vel ipsam materialem terram Jerusalem habuisse.

℣. 16. ET TIMEBUNT GENTES NOMEN TUUM &c.] Cum restauraveris Sion, ac populum tuum ad eam revocaveris terram, ad quam tandiu suspirat. Animadvertere quilibet potuit, Prophetas, & Psalmorum Auctores identidem Gentilium conversionem vaticinari, postquam de reditu de captivitate locuti sunt. Certum est, post Cyrum nomen Domini magis fuisse cognitum apud Gentes, quam antea; sed perfecta, & realis
C Ethnicorum conversio nequaquam est inquirenda ante Evangelii prædicationem; immo ad hoc tempus referendæ sunt ingentes illæ promissiones, quæ post reditum de Babylone pro Templo, ac Jerusalem in Scriptura leguntur. In Ecclesia enim J. C. dumtaxat adimpletæ fuerunt. Hoc ipsum illustre factum, nempe liberatio de captivitate, nihil erat aliud, quam figura humani generis, quondam per Salvatorem nostrum redimendi.

℣. 17. QUIA ÆDIFICAVIT [7] DOMINUS SION, & VIDEBITUR IN GLORIA SUA.] Pristinum cursus acquiret fulgorem, & decus antiquum. Re quidem vera consurrexit Jerusalem, & ante J. C. adventum æque saltem ingens erat, speciosa, & frequens, ac ante captivitatem. Hebræus textus [8] superioribus ita
D subnecti potest. *Nationes externæ, & Nationum gentes timebunt nomen Domini, cum restituet Sion, & se in gloria sua manifestabit*. Cum veniet, nos e captivitate erepturus, & ut olim, miserebitur Israel: Vel potius: cum Messias ejus apparebit, ac se manifestabit in medio nostri, similem nobis.

℣. 18. RESPEXIT IN ORATIONEM HUMILIUM.] Audivit preces populi sui captivi, & abjecti. Hebraica vox multifariam vertitur [9]. S. Hieronymus: audivit orationem pauperis, nudi, bonis vacui. Chaldæus: eorum, qui soli sunt, & derelicti. Alii [10]: *Eorum, qui sunt veluti myrica*, abjecti, infimique. Vide Jerem. 17. 6. & 48. 6.

℣. 19. SCRIBANTUR HÆC IN GENERATIONE ALTERA, & POPULUS, QUI CREABITUR, LAUDABIT DO-
E MINUM.] Sedulo, caute que servetur memoria eorum, quæ fecit Dominus in gratiam populi sui, illum educens de captivitate, atque in Jerusalem reducens; & futuræ progenies Dominum laudent. Psalmus hic ad remotissimam usque migret posteritatem, & quid Domino debeamus, nemo non nesciat. *Populus, qui creabitur*, Israelitas denotat, qui de Babylone redituri sunt, & qui post illos sunt nascituri. Reditus hic, atque in patriam suam restitutio censetur veluti quædam creationis, atque resurrectionis species. In sublimiori sensu designat Christi-fideles, qui per Filii Dei sanguinem

1 כל היום חרפוני אויבי מהללי בי נשבעו 2 ימי כצל נטוי
3 Jerem. 25. 11. 12. 29. 10. *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos*. Vide Euseb. Theodoret. & alios. 4 ואת עפרה יחננו 5 70. Καὶ τὸν χοῦν αὐτῆς οἰκτειρήσουσι.
6 Psalter. S. Germ. Mediol. Rom. & Aug. 7 Aug. Psalt. Rom. & Carnut. & Edit. Compl. *Ædificabit*. Græc. Οἰκοδομήσει. 8 כי בנה יהוה ציון נראה בכבודו 9 פנה אל תפלת הערער
10 Pagn. Muis, & Vatabl.

guinem redempti sunt, & qui, utar S. Pauli 2. ad Cor. A
5. 17. verbis, facti sunt *nova creatura*.

℣. 21. Ut solveret filios interemptorum [1].] Ut captivos Israelitas, infelices has desolati, exagitati, interemptique populi reliquias liberaret. Hebr. [2] *Ut aperiret filiis mortis*. Hæc est repetitio prioris partis versiculi. *Ut audiret gemitus compeditorum, ac illis carcerem aperiret*, & catenas confringeret calamitosis his *filiis mortis*, condemnatis, ac capitis supplicio puniendis. Loquitur de Judæis Babylone captivis.

℣. 23. In conveniendo populos in unum, & Reges, ut serviant Domino.] Post reditum de captivitate, nec externi populi, nec Gentium Reges in Jerusalem visi sunt convenire ibi Dominum adoraturi: verum ad unguem hæc vaticinia adimpleta fuerunt post J. C. adventum, ac post Evangelii prædicationem. B
Vide ℣. 16.

℣. 24. Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.] Non satis liquet, utrum hoc de captivo populo sit intelligendum, an de jam e Captivitate liberato. In priori sensu ita explicari posset. Populus hic doloribus confectus in medio ætatis suæ flore dicet tibi; Fac, Domine, intelligam, utrum in exiguo vitæ meæ curriculo licebit mihi finem calamitatum meæ Nationis videre. Vel si de populo jam libertatem adepto explicare mavis [3]: Dixit Domino in robore virtutis suæ, atque in tota cordis sui extensione; fac, ut diu vivam, Deus, futuris gentibus insignia benefacta, quibus nos cumulasti, enarraturus. Ne adeo cito rescices tamen vitæ meæ, ut valeam diu nomen tuum celebrare. Sumi quoque possunt veluti Psalmistæ ejusdem verba, qui pertæsus longitudinis exilii sui, seque in ætatis robore videns, a Deo petebat, ut sibi quid vitæ superesset, significaret, ut intelligeret, utrum diutinæ adeo captivitatis finem posset præstolari. Has tibi in exilio meo preces, Domine, effundebam; me tandem aliquando voti hujus damnasti. C

Hebræus [4]: *Abjecit robur meum in via; breviores fecit dies meos. Dixi, Deus mi, ne me egredi jubeas* ex hoc mundo *in medio dierum meorum: æterni sunt anni tui*. Dominus me doloribus obruit in exilio meo, imminuit curriculum annorum meorum; hoc in statu ad illum memet converti: cumque obtestatus sum, ne sineret, me ex hac luce migrare, quin viderem finem tot calamitatum populi mei, ac diutinæ illius captivitatis. Sensus, quem Vulgata, ac Septuaginta præferunt, minimum cedunt pulchritudini illius, quem Hebræus adfert, uti hodie habetur.

℣. 27. Ipsi peribunt, tu autem permanes.] Patres quærentes, quid de Cœlis futurum sit post sæculorum finem, abeunt in diversa. Alii [5] putant, in melius simpliciter esse mutandos, cum corruptibiles sint, incorruptibiles fore, non fore amplius aliquibus mutationibus, motibusque obnoxios, quibus nonnumquam illorum perturbatur œconomia; nullam amplius aeris, annique tempestatum fore intemperiem, ita ut dici possint Cœli novi, a primis longe diversi. Alii [6] tenent, Cœlis quoque, non secus ac reliquis creatis rebus esse pereundum; ipsos quoque transituros, solutum iri [7], deletum iri, ita ut nullum amplius futurum sit materiale Cœlum, nullus Sol, Luna nulla [8]: sed cœlum fore novum, mundum novum, terram novam. Hoc certum est, Psalmi Auctorem Dei immutabilitatem opponere lapsui, ac mutationi Cœlorum. Deus absolute, ac in quovis sensu immutabilis est; sed Cœli, & creaturæ aliæ infinite varias excipere queunt mutationes, ita tamen ut semper toto cœlo distent a Creatoris immutabilitate. Psalmista nequaquam nobis adstruit ideam absolutæ, ac omnimodæ mutationis, quandoquidem utitur similitudine vestis, quæ veterascit, atque mutatur.

S. Paulus in epistola apud Hebræos 1. 10. & seq. verba ℣. ℣. 26. 27. & 28. ad Filium Dei transfert. Ait autem, hunc creasse Cœlum, ac Terram; creata hæc transitura, ac peritura, ipsum vero in æternum esse permansurum. Psalmi hujus Auctor isthic ait infinitam Domini potestatem, ejusque immutabilitatem nulli vitio, nulli obnoxiam perturbationi; ut hinc inferat, populum, quem de captivitate eduxit, & cujus se professus est patronum, patrem, ac Regem, semper in patria sua permansurum, ac in æternum populum Domini futurum. ℣. 29. *Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum in sæculum dirigetur*. Cum Deum habeat æternum, poteritne non æternum subsistere? Hæc illatio re ipsa in Jesu Christi Ecclesia adimpletur, quæ in omnia sæcula debet subsistere. Dimicare debet super terram usque ad finem mundi, postmodum in omnem æternitatem triumphatura, Dei sui gloria perfruens æterna.

1 Aug *Filios mortificatorum*. Psalter. Mediolan. *Mortes afflictorum*.
2 לפתח בני תמותה 3 Vide Genebr. Menoch.
4 ענה בדרך כוחי (vel כוחו) קצר ימי אמר אלי אל תעלני בחצי ימי בדור דורים שנותיך
5 Vide, si placet, Euseb hic. Hieron. ad Isai. 51. 6. & 65. 17. Chrysost. homil. 14. in ep. ad Rom. Theodoret. ad Damascen. lib. 2. de fide orthodox. cap. 6. &c. 6 Iren. lib. 5. cap. 6. Justin. seu alius Auth. respons. ad quæst. qu. 93. 94. 95. Pseudo-Clem. Recognit. lib. 2. Cypri ep. ad Demetr. Hilar. Can. 4. in Matt. Basil. homil. 1. in Hexamer. Ambros. l. 1. cap. 6. in Hexam. &c. 7 2. Petri 3. 10. 11.
8 Apoc. 21. 23.

PSALMUS CII.

Gratiarum actiones pro beneficiis Dei. Remisit peccata populi sui, misertus est infirmitatis ejus. Infinita est illius misericordia.

Ipsi David.

ARGUMENTUM.

Credidere nonnulli [1], Davidem Psalmum hunc elucubratum fuisse, cum ex gravi aliqua ægritudine convaluisset. ℣. ℣. 3. 4. 5. ubi loquitur de infirmitatibus, ac morte, ex qua eum Dominus eruit, sententiæ huic occasionem peperere. Syrus hunc refert in tempus senectutis David, cum naturali calore fere in ipso frigescente, non poterat calefieri [2]. Patres quidam [3] hunc explicant, velut Hymnum gratiarum actionis populorum,

1 Muis ad ℣. 3. 2 3. Reg. 1. 1. 3 Athanas. Euseb.

pulorum, qui J. C. fidem amplexati sunt. Theodoretus, Beda, & Vetus Græcus Interpres a Patre Corderio editus hoc intelligunt de Judæis, qui captivitate liberati ob acceptam libertatem Deo gratias agunt. Systema hoc belle cum Psalmi Littera congruit, eoque in sensu explicabimus. Canticum hoc exquisitissimæ est suavitatis, nec imitandæ; sensusque continet animi grati erga Deum, & ea argumenta, quibus spes nostra ali queat ob illius misericordiam.

1. BEnedic, anima mea, Domino: & omnia, quæ intra me sunt, nomini san-
cto ejus. 2 Benedic, anima mea, Domino: & noli oblivisci omnes retri-
butiones ejus. 3 Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat o-
mnes infirmitates tuas. 4 Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in
misericordia, & miserationibus. 5 Qui replet in bonis desiderium tuum: renova-
bitur ut aquilæ juventus tua. 6 Faciens misericordias Dominus, & judicium omni-
bus injuriam patientibus. 7 Notas fecit vias suas Moysi: filiis Israel voluntates
suas. 8 Miserator, & misericors Dominus; longanimis, & multum misericors. 9
Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur. 10 Non secundum
peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. 11
Quoniam secundum altitudinem cœli a terra: corroboravit misericordiam suam su-
per timentes se. 12 Quantum distat Ortus ab Occidente, longe fecit a nobis ini-
quitates nostras. 13 Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus ti-
mentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. 14 Recordatus est, quo-
niam pulvis sumus: homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflore-
bit. 15 Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet
amplius locum suum. 16 Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æ-
ternum super timentes eum. 17 Et justitia illius in filios filiorum, his, qui ser-
vant testamentum ejus. 18 Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum
ea. 19 Dominus in cœlo paravit sedem suam, & regnum ipsius omnibus domi-
nabitur. 20 Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes
verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. 21 Benedicite Domino om-
nes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. 22 Benedicite Do-
mino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea,
Domino.

℣. 1. BENEDIC ANIMA MEA, DOMINO, & OMNIA, QUÆ INTRA ME SUNT [1], NOMINI SANCTO EJUS.] Hoc est orationis exemplum pro Justis omnibus de captivitate liberatis. Anima mea, vita mea, cor meum, interiores potentiæ meæ Domino benedicite, æternas illi pro tot benefactis gratias agire.

℣. 3. QUI SANAT OMNES INFIRMITATES TUAS.] Captivitatem Psalmo superiori ℣. 4. 5. descripsit, velut morbum, quo conficiebatur, & ad extremam usque maciem redigebatur; hic vero liberationem suam describit, perinde ac ex diuturna, ac periculosa valetudine convaluerit.

℣. 4. QUI REDIMIT DE INTERITU VITAM TUAM.] Hic etiam libertatem suam resurrectionis nomine designat. Te quodammodo de sepulchro eduxit, liberans B de captivitate, ac exilio. Figuratæ hæ locutiones frequentissimæ sunt apud Sacros Auctores. Hebræus verti potest [2]: *liberat te de corruptione*, de sepulchro, ubi veluti corruptus jacebas.

℣. 5. QUI REPLET IN BONIS DESIDERIUM TUUM.] Hebr. [3] *Qui replet bonis pulchritudinem tuam*. Te bonis cumulat, ac decore induit. Vel cum aliis [4]: *replet bonis os tuum*. Loquaris, sat est, os aperias; ipse te bonis replet. Chaldæus: *Replet bonis senectutem tuam*.

RENOVABITUR, UT AQUILÆ JUVENTUS TUA.] Eduxit te de Babylone, ubi in squalore, in dolore, in gemitu jacebas, ubi languebas, senescebas, moriebaris, ut te patriæ tuæ restitueret, ubi incipis quo- A dammodo reviviscere, repuerascere, renasci. Plurima apud Antiquos de Aquilæ repubescentia inveniuntur. Hebræi nonnulli [5] contendunt, aquilam decimo quovis anno repubescere; primum quidem usque ad ignis regionem se se attollit, inde in mare demergit, & veteres exuens plumas, recentes vero induens, repuerascit. Sunt [6], qui narrent, avis hujus cum senio effœta est, rostrum ita aduncum fieri, ut illa nonnisi difficillime comedere queat, eamque tandem non senectute, sed fame perire. Hoc ipsum Aristot. in hist. Animal. l. 9. c. 32. ac Plinius l. 10. c. 3. palam asserunt: *Aquilæ oppetunt non senio, nec ægritudine, sed fame: in tantum superiore accrescente rostro, ut aduncitas aperiri non queat*. S.S. Augustinus, & Epiphanius isthic addunt circumstantiam, quam apud nullum, quem sciam, seu veterem, seu recentiorem physicarum rerum B scrutatorem inveneris; videlicet aquilam, cum maximum sibi ob aduncam rostri extremitatem incommodum gigni sentit, quo ali prohibetur, illam infringere in saxum aliquod illidens; tunc vero esca vires suas instaurantem quodammodo repubescere, novamque virtutem acquirere.

Alii simplicius hoc explicant dicentes, aquilam satis diu vitam producere, & ad senium usque vires suas conservare. Cum rostrum superius accrescit, neque ultra comedere valet, tunc alitur bibendo; & hinc adagium illud profectum est, *aquilæ senectus* [7], ad innuendum senem illum, qui solo vini usu nutritur. Verum hæc explicatio ab aliis Naturæ indagatoribus oppugnatur, qui tenent, aquilam numquam bibere

1 כל קרבי 70. Πάντα τὰ ἐντός μου. Hieron. *Omnia viscera*. Alii, *intestina*. Syr. *Ossa*.
2 הגאל משחת חייכי 70. λυτρούμενον ἐκ φθορᾶς τὴν ζωήν σου, 3 המשביע בטוב עדיך
4 Mont. Pagn. Muis, Munst. Geier. Cast. Vat. Jun. 5 Rab. Saadias apud Geneb. & Muis.
6 Epiphan. Physiolog. Aug. hic. 7 Terent. Heautontim.

bere non secus ac alias aves, aduncos pedes, habentes. A
Demum non desunt, qui quin mysterium aliud inquirant, contendunt, aquilam, uti cæteras aves nequaquam repuerascere; quotannis veteres exuere plumas, ac novas induere, illi una cum vigore renascentes. Hæc una est repubescentia, quam certo in aquila novimus. Potuisset Psalmista reditum populi sui de Babylonica servitute plumis in alia qualibet volucrum specie renascentibus comparare; verum de industria aquilam elegit, propter illius magnitudinem, vim, vitæ diuturnitatem, & quod veluti avium cæterarum Regina existimatur. Isaias Propheta [1] non alia in re aquilæ repubescentiam collocat, quam in eo, quod veteribus exuitur plumis, ut recentibus locum præbeat, quæ illi quotannis, uti aliis omnibus avibus, renascuntur. Vide Bochartum de Animal. sacr. p. 2. B
l. 2. c. 1. Menochium, Grotium, & Ferrandum.

Sunt etiam [2] qui putent, Psalmistam hic Israelitarum restitutionem non aquilæ repubescenti comparare, sed repubescentis hominis vires cum aquilæ robore conferre. Huic explicationi [3] Hebraicus textus suffragatur: *Renovaberis, juventus tua erit similis aquilæ;* vires tuas recipies, ac similis eris aquilæ in illius juventute. Chaldæus: *juventutem tuam in seculum futurum renovabis, velut aquila.* S. Leo in serm. 1. de Resurr. Dom. per hanc instaurationem J. C. resurrectionem intelligit: Theodoretus, & S. Hieronymus eam renovationem, quam in Baptismate acquirimus: Eusebius, ac S. Athanasius interiorem renovationem per fidem, & gratiam.

℣. 6. FACIENS MISERICORDIAS DOMINUS, & JUDICIUM OMNIBUS INJURIAM PATIENTIBUS.] Dominus Justos oppressos ulciscitur, & opem justitiæ suæ non renuit omnibus invocantibus eum. Babylonios, qui nos persequebantur, depressit, de eorum injusta oppressione, ac de captivitate, in qua jacebamus, nos eripuit. Hebræus [4]: *Dominus justitiam facit, & litem illis adjudicat, qui vexantur.* Septuaginta *misericordiam* vertere vocem, quæ justitiam significat; re enim vera isthic non pro ultrice justitia, sed pro ea, quæ innocentem protegit, usurpatur. C

℣. 7. NOTAS FECIT VIAS SUAS MOYSI.] Generalem propositionem suam probaturus, Dominum videlicet protegere innocentem, atque oppressum, rem altius repetit. Ostendit ille vias suas, voluntatem, consilia, mirabilia sua Moysi; infinita per illum miracula operatus est; ex tunc vero usque ad hanc diem populum nostrum bonis, favoribusque cumulavit. D
Non est abbreviata manus ejus.

℣. 9. NON IN PERPETUUM IRASCETUR, NEQUE IN ÆTERNUM COMMINABITUR [5].] Non est hic Deus, cujus ira nequeat leniri, & cujus minæ misericordia nequeant averti. Centies justæ illius severitatis experti sumus effectus; verum clementia semper severitati successit. Crebro nobis minas intentavit; neque irritæ fuerunt umquam minæ illius; verum simulac pœnitentia tacti ad illum sumus reversi, nobis tetendit brachium suum, atque paterna charitate amplexus est. Scelera nostra illum coegerant, ut nos in duram Babylonis captivitatem detruderet, atque sub gravissimo Chaldæorum jugo submitteret; verum illius ira detonuit, eique successit misericordia. E

Hebræus [6]: *non disceptabit*, non aget lites, non erit adversarius *in perpetuum*, *neque iram suam in æternum servabit*. Vel; non semper in insidiis erit, ut nos deprehendat.

℣. 10. NON SECUNDUM INIQUITATES NOSTRAS FECIT NOBIS.] Si severe adeo ultus esset, uti poterat, e captivitate numquam emersissemus. Peccata nostra, ac patrum nostrorum, merebantur, ut in æternum reprobaremur. In nos summa cum misericordia operatus est.

℣. 11. SECUNDUM ALTITUDINEM COELI A TERRA &c.] Licet magna sint nostra flagitia, Dei tamen misericordia tanto major illis est, quantum Cœlum terra sublimius. Nulla est inter hominis nequitiam, ac Dei clementiam proportio. Confer ℣. 9. Psal. 11.

℣. 13. IPSE COGNOVIT FIGMENTUM NOSTRUM.] Novit ille, nos nihil aliud esse, quam pulverem, & lutea vasa: *Recordatus est, quoniam pulvis sumus.* Numquam summa severitate in nos suam ultionem exercet. S. Augustinus, & antiqua Psalteria legunt [7]: *Memento, quoniam pulvis sumus.*

℣. 14. HOMO SICUT FOENUM DIES EJUS; TAMQUAM FLOS AGRI, SIC EFFLOREBIT [8].] Vel juxta aliam interpungendi rationem: *Homo sicut fœnum; dies ejus, tamquam flos agri, qui floret.* Vulgatæ sensus probatior est. Non semel hanc vidimus similitudinem [9] humanæ vitæ, cum fœno, ac floribus.

℣. 15. QUONIAM SPIRITUM PERTRANSIBIT IN ILLO, & NON SUBSISTET; & NON COGNOSCET AMPLIUS LOCUM SUUM.] Anima, qua animamur, in corpus nostrum migrat, veluti flatus, ac illud in morte deserit, nec illuc ultra revertitur; *non cognoscet amplius locum suum*, videlicet illius quodammodo, ad tempus saltem, obliviscitur. Hoc exaggeratione non vacat; anima enim nostra, juxta communem sententiam, semper cum corpore iterum conjungi desiderat. Id genus locutiones in Scriptura satis communes sunt; non tamen spem resurrectionis prohibent; significant solum, juxta communem naturæ sensum, animam non reverti ad corpus illud, quo semel exuta est. Equidem resurrectio, quam speramus, haud ulli secundum est inter maxima omnipotentiæ Creatoris miracula. Hoc quoque pacto potest intelligi: Vehemens ventus iræ Dei super illum pertransiit [10]; ibi non subsistet, neque agnoscet amplius locum, quem obtinuerat; vel cum Textu Hebraico [11]: *locus, quem ille tenebat, eum non cognoscet amplius.* Postremus hic sensus fortasse omnium est simplicissimus; spiritus, qui super aliquem pertransit, plerumque Dei iram significat. Hoc etiam superiori versiculo conjunctum alium potest sensum admittere. (15.) Dies hominis velut fœnum transeunt; ille, velut flos agri floret (16.) *Si ventus super hoc fœnum transit, illico arescit, & locus ubi aderat, non agnoscetur amplius.*

℣. 16. MISERICORDIA AUTEM DOMINI AB ÆTERNO . . . & JUSTITIA ILLIUS IN FILIOS FILIORUM.] Homo est nihil; vita illius nihil est aliud, quam flatus; Deus infirmitatem nostram agnoscit, neque in nos summa severitate animadvertit; sed cum miseretur, superabundantem erga nos misericordiam exercet; ad tempus plectit: sed in æternum miseretur; in nobis scelera nostra, patrumque nostrorum punit; sed servos suos remuneratur, eosque usque ad pronepotes eorum suis favoribus cumulat. Justitia hoc in loco, non secus ac vers. 6. non significat ultricem, sed benefacientem Justitiam, quæ injurias miseris illatas persequitur. Confer hoc cum Exod. 20. 5. *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

℣. 20. BENEDICITE DOMINO, OMNES ANGELI EJUS,

---

1 Isai. 60. 31. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ; volabunt, & non deficient.* 2 Geier. Cocc. Pisc. 3 תתחדש כנשר נעוריכי

4 עשה צדקות יהוה ומשפטים לכל עשוקים 70. Ποιῶν ἐλεημοσύνας ὁ κύριος, καὶ κρίμα πᾶσι τοῖς ἀδικουμένοις.

5 August. Psalter. Roman. Mediol. S. German. Carnut. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum indignabitur.* 70. Οὐκ εἰς τέλος ὀργισθήσεται, οὐδὲ εἰς τὸν αἰῶνα μηνιεῖ.

6 לא לנצח יריב ולא לעולם יטיר 7 Psalt. Rom. S. Germ. Carnut. Arab. Æthiop. Apollinar. *Memento, quoniam pulvis sumus.* 70. Rom. Edit. Μνήσθητι ὅτι χοῦς ἐσμεν. Alii Ἐμνήσθη.

8 אנוש כחציר ימיו כציץ השדה כן יציץ 9 Psalm. 36. 2. 91. 8. 101. 9. Vide Eccli. 14. 18. Isai. 37. 27. 40. 6. &c. 10 Vide Job. 5. 15. 7. 10. Eccle. 10. 4. &c.

11 כי רוח עברה בו ואיננו ולא יכירנו עוד מקומו

JUS, POTENTES VIRTUTE, FACIENTES VERBUM ILLIUS AD AUDIENDAM &c.] Hebr. [1] Angeli Domini, benedicite Deum; Virtutes cœlestes, Ministri voluntatum ejus, qui ad minimum quodvis verbum præceptorum ejus præsto estis obtemperaturi. Invitat præcipue Virtutes, Angelos fortes, executores mandatorum Omnipotentis, ut supremum laudent liberatorem Israel. Vos, qui fuistis Ministri voluntatum Altissimi, ac nos de captivitate vi omnino supernaturali eduxistis, vestras cum nostris laudes sociate, ut solemnes Domino gratiarum actiones agamus.

1 ברכו יהוה מלאכיו גברי כח עשי דברו לשמע בקול דברו

PSALMUS CIII.

Laus Sapientiæ, Providentiæ, Potentiæ Creatoris,

Psalmus ipsi David.

ARGUMENTUM.

Psalmus hic nullum habet in Hebraico titulum, immo neque hunc, *Psalmus*; sed Septuaginta in Complutensi Editione, & apud S. Athanasium habent [1] *Psalmus David de Mundi creatione*. Syrus ait, David hunc canere consuevisse, cum ante Arcam, una cum Sacerdotibus, Dominum adoraturus accedebat. Psalmi hujus stylus lenis est, & fluens: argumentum sublime, atque elevatum; & continet, ait Eugubinus præfat. in hunc Psalm. quamdam philosophiæ divinæ, ac naturalis speciem, ac est veluti compendium Genesis, vel creationis Mundi, & nonnihil habet similitudinis cum Timæo Platonis. Auctor isthic Dei majestatem, sapientiam, potentiam, ac misericordiam celebrat; maxime insignes Providentiæ ejus percurrit effectus; ac in omnibus quædam subinde scite, atque utiliter animadvertit. Hæc superioris Psalmi est continuatio; sensus sunt iidem; Auctor semet ad Dominum laudandum iisdem excitat vocibus: *Benedic anima mea Dominum*. Nullum habet Hebraice titulum, neque notam ullam, quæ a superiori probet esse sejungendum. Auctor grati animi sensu percitus propter beneficia, quibus a Deo donatus fuit, per omnia spatiatur opera Domini, ac inde haurit laudum, & gratiarum actionis argumenta. Vide Præfationem nostram in Psalmos, ac Tabulam Chronologicam;

1. BEnedic, anima mea, Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. 2 Confessionem, & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. 3 Extendens cœlum sicut pellem: qui tegis aquis superiora e-
jus. 4 Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum. 5
Qui facis angelos tuos, spiritus, & ministros tuos, ignem urentem. 6 Qui fun-
dasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi. 7 Abys-
sus sicut vestimentum, amictus ejus: super montes stabunt aquæ. 8 Ab in-
crepatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt. 9 Ascendunt montes,
& descendunt campi: in locum, quem fundasti eis. 10 Terminum posuisti, quem
non transgredientur: neque convertentur operire terram. 11 Qui emittis fontes in
convallibus: inter medium montium pertransibunt aquæ: 12 Potabunt omnes be-
stiæ agri: expectabunt onagri in siti sua. 13 Super ea volucres cœli habitabunt:
de medio petrarum dabunt voces. 14 Rigans montes de superioribus suis: de
fructu operum tuorum satiabitur terra. 15 Producens fœnum jumentis, & herbam
servituti hominum. 16 Ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor homi-
nis. 17 Ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. 18 Sa-
turabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantavit: illic passeres nidificabunt.
19 Herodii domus dux est eorum montes excelsi cervis: petra refugium herinaciis:
20 Fecit lunam in tempora, sol cognovit occasum suum. 21 Posuisti tenebras,
& facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ. 22 Catuli leonum ru-
gientes, ut rapiant, & quærant a Deo escam sibi. 23 Ortus est sol, & congre-
gati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. 24 Exibit homo ad opus suum,
& ad operationem suam usque ad vesperum. 25 Quam magnificata sunt opera tua,
Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua. 26 Hoc ma-
re magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus, 27
Animalia pusilla cum magnis: illic naves pertransibunt. 28 Draco iste, quem
forma-

1 Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως. Ath. addit. Ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις,

formasti ad illudendum ei : omnia a te expectant , ut des illis escam in tempore :
29 Dante te illis , colligent : aperiente te manum tuam , omnia implebuntur boni-
tate . 30 Avertente autem te faciem turbabuntur : auferes spiritum eorum , & de-
ficient , & in pulverem suum revertentur . 31 Emittes spiritum tuum , & creabun-
tur , & renovabis faciem terræ . 32 Sit gloria Domini in sæculum : lætabitur Do-
minus in operibus suis . 33 Qui respicit terram , & facit eam tremere : qui tangit
montes , & fumigant . 34 Cantabo Domino in vita mea : psallam Deo meo , quam-
diu sum . 35 Jucundum sit ei eloquium meum , ego vero delectabor in Domi-
no . 36 Deficiant peccatores a terra , & iniqui , ita ut non sint : benedic , anima
mea , Domino .

℣. 1. BENEDIC , ANIMA MEA , DOMINO ; DOMINE DEUS MEUS , MAGNIFICATUS ES [1] VEHEMENTER .] Nihil sublimiorem nobis Divinitatis adstruit ideam , quam magnorum ejus operum adspectus . Ibi magis perspicacia ingenia admirantur magnitudinem primi Entis , supremi Creatoris , Dei omnipotentis . Deus in se ipso infinite magnus est , sed ex creatis rebus illius magnitudinem intuemur .

℣. 2. CONFESSIONEM , & DECOREM INDUISTI .] Majestate & gloria te induisti : ad litteram [2] : *Induisti confessionem* , vel laudem , *& pulchritudinem* . Quidquid te circumdat , quodammodo suam prædicat magnificentiam . Hebr. [3] *Induisti gloriam , & honorem* , vel gloriam , & speciem . Videtur hic Psalmista aliquam nobis tribuere velle ideam magnifici illius apparatus , quo Creator elaborare cœpit , ut Universum produceret ; eum nobis exhibet amictum gloria , ac lumine fulgentem .

AMICTUS LUMINE SICUT VESTIMENTO .] S. Paulus 1. Tim. 6. 16. ait , Deum inhabitare lumen inaccessibile ; ac vulgo Scriptura eum nobis exhibet veluti in medio ignis . Moysi in ardenti rubo apparuit Exod. 3. 2. Abrahæ sub eadem specie se se prodidit , cum percussit fœdus cum illo Genes. 15. 17. neque aliter in Sinai descendit , ut populo Israel legem irrogaret Exod. 19. 18. Moyses quoque ait , Deum esse ignem devorantem Deut. 4. 24. David Psal. 17. 9. & 96. 3. inquit , ignem ante ipsum præcedere . Ignis sæpius pro lumine usurpatur : cum J. C. in Thabor transfiguratus est Matth. 17. 2. vultus ejus factus est splendens , sicut Sol , & vestes illius albæ sicut nix ; & quotiescumque Dominus per visionem Prophetis se ostendit [4] , illis semper in medio ignis , atque nitenti circumdatus lumine apparuit .

℣. 3. EXTENDENS COELUM SICUT PELLEM .] Hoc innuit facilitatem , atque celeritatem , qua Cœlos creavit , inquiunt Græci Patres [5] . Tabernaculorum velamina vulgo ex pellibus fiebant [6] Hebræi veteres Cœlum intelligebant super terram extensum velut tentorium , quod ad extremas usque terrarum plagas pertingeret ; non enim credebant , Cœlum terram undequaque tam desuper , quam subter ambire ; quæ sententia passim apud Antiquos obtinuit , quemadmodum in Dissertatione de Mundi systemate , juxta Antiquorum Hebræorum mentem , ostendemus . Job , & Isaias eodem ferme pacto , ac isthic Psalmista , loquuntur : *Extendit Cœlos solus* , ait Job 9. 8. & Isaias 40. 22. *qui extendit velut nihilum Cœlos , & expandit eos sicut tabernaculum ad habitandum* . Neque absimilis est Ennii sententia .

Quaque freto cava cæruleo cortina receptat .

QUI TEGIS AQUIS SUPERIORA EJUS .] Innuere vult superiores aquas , de quibus in Genesi Moyses loquitur [7] , & aquas super Cœlos constituit . Credidere Patres , super Firmamentum aquas adesse , quemadmodum Scriptura non semel narrat ; verum non satis adhuc constat , quo in sensu hæ aquæ sumendæ sint , nec quæ earum natura , nec qui signanter locus illis sit tribuendus . Alii in nubibus eas collocant , super Firmamentum alii ; hi eas gelu concretas , ac solidas putant , illi fluiditatem ipsis impertiunt . Sunt etiam [8] , qui ad allegoriam confugiant , atque de Angelis , qui sunt in Cœlo , putent intelligendum .

Hebr. [9] *superiores aulas aquis concameras* . Lacunar earum e nubibus efficit aquarum vi repletis ; fornicem quodammodo ædificat super conclavia sua ex aquis : Vel potius : ex aquis ædificat tectum habitationis suæ . Psalmista universum hunc orbem veluti domum quamdam considerat , cujus tectum sunt Nubes , & Cœlum [10] . Videntur ævo antiquorum Interpretum Græcorum , immo & S. Hieronymi [11] exemplaria legisse : *Qui tegis aquis cœnacula ejus* , pro *concameras* , vel efficis lacunar .

℣. 4. QUI PONIS NUBEM ASCENSUM TUUM , QUI AMBULAS SUPER PENNAS VENTORUM .] Nubes sunt illi pro curru , & venti pro equis . Mira prorsus pernicitate ab uno in alterum latus advolat , uti videmus nubes ventorum vi circumferri . Deus in nube præcessit populo suo in deserto . Nubes Majestatis erat symbolum [12] . Cum Salomon Templum dedicari jussit , Dominus ostendit præsentiam suam nube delapsa 2. Par. 5. 13. De nubis latibulo ipse allocutus est Job [13] ; juxta Isaiæ visionem c. 19. 1. in Ægyptum super levem nubem descendit . Patris vox audita est de penitiori nubis recessu in J. C. transfiguratione Marc. 9. 6. Matth. 17. 5. Salvator ait Matth. 24. 30. & 26. 64. se venturum , ut judicet Mundum , in nubibus Cœli . Poetæ tum Græci , cum Latini locutiones suppeditant illis persimiles , quibus isthic utitur Psalmista . Hic autem significant , Dei Providentiam in res omnes extendi , ac nubes , ventos , & tempestates ad sapientiæ illius nutum gubernari [14] .

℣. 5. QUI FACIS ANGELOS TUOS SPIRITUS , & MINISTROS TUOS IGNEM URENTEM .] Venti sunt tui legati , & ignis minister tuus . Absoluta cum potestate , atque auctoritate ventis imperas . Aperiendum ne est rubrum mare , vel adducendæ coturnices in Hebræorum castra , vel excitanda in Jonam procella , vel glomerandæ nubes , atque imbres in aridos agros , ac Solaribus radiis exustos immittendi , quod Eliæ temporibus contigit ? Ventis imperas , accurrunt illi , perflant , ac tua mandata facessunt . Turbatum mare sedandum est , illique reddenda tranquillitas ? Ventis impe-

1 Ἐμεγαλύνθης , σφόδρα ἐμεγαλύνθης . Sym. Μέγας εἶ . 2 Ἐξομολόγησιν , καὶ μεγαλοπρέπειαν ἐνεδύσω . Sym. Ὕμνον καὶ εὐδοξίαν ἠμφιάσω . Aquil. Ἐπιδεξιότητα καὶ διαπρέπειαν . 3 הוד והדר לבשת
4 Isai. 6. 1. 2 & seq. Ezech 1. 4. 5. & Dan. 7. 9. & Apoc. 1. 14. 11. 28. 19. 12.
5 Athan. Heracleot. Theodoret. 6 נוטה שמים כיריעה 70. Ἐκτείνων τὸν οὐρανὸν ὡσεὶ δέῤῥιν .
7 Genes. 1. 7. *Divisit aquas , quæ erant sub firmamento , ab his , quæ erant super firmamentum* .
8 Hieron. hic. Vide Comment. in Genes. cap. 1. 9 המקרה במים עליותיו
10 Vide Euseb. hic. 11 . Hieron. *Qui tegis aquis cœnacula ejus* . Legebat מכסה pro מקרה 70. Ὁ στεγάζων ἐν ὕδασι . S. Augustinus , & antiqua Psalteria pariter legunt . *Qui tegis* , in tertia persona .
12 Vide Exod. 16. 10. 19. 9. Levit. 16. 2. 13 Job. 38. 1.
14 Athanas. & Theodoret. hic.

imperas; ac statim omnia pacata sunt. Si urbes Sodoma, & Gomorrha tuam irritant iram, si Hebræi in deserto adversum te murmurant; ignem de cœlo demittis, qui & nequissimas civitates in cinerem vertat, & populum seditiosum absumat. Eumdem super sacrificia Abel, Abrahæ, Salomonis, atque Eliæ jubes descendere. Verbo, venti, & ignis voci Domini obediunt: *Quæ faciunt verbum ejus.* A

Aliter: utitur Angelis suis, quorum opera mandata sua adimpleantur [1]. Beati hi spiritus ventorum habent pernicitatem, atque ignis activitatem [2]. Vel: nunc per ventorum motum, nunc per ignis actionem operantur. Duobus his utuntur, ut Dei erga homines justitiam, vel misericordiam exerceant. Ventos removent, vel reprimunt; procellas excitant, vel cohibent. Cœli ignes ducunt, eosque in arida deserta, ubi nulli obsint, decidere faciunt; vel in domos impiorum immittunt ad eas conflagrandas, illos vero perdendos. Denique Patrum plurimi [3], Angelorum alios esse putant naturæ spiritualis, atque e venti, vel aeris purioris, ac subtilioris qualitate non longe abhorrentis, eosque esse Cherubim; & alios naturæ ignis, vel flammarum, quales sunt Seraphim, quorum nomen accensos, ignitosque significat [4]. Plato, ac alii nonnulli ex Philosophis ignea tribuerunt angelis corpora. Grotius [5] toto nisu contendit, ut excitet, confirmetque antiquorum sententiam de Angelorum corporeitate, & asserit, non Pythagoræos tantum, ac Platonicos, verum etiam veteres Judæos, antiquosque Christianos in sententiam hanc abiisse. Credit, Aristotelem primum esse Auctorem naturarum mere intelligentium, atque succenset, quod nimium leviter hujus Philosophi auctoritate abripi passi sint homines in Theologicis rebus. Verum sententia hæc apud omnes Philosophos, Theologosque obtinuit, Angelos meros esse spiritus, a materia quavis expeditos; & opposita opinio, quæ quosdam habuit propugnatores adversus contrarias rationes, atque auctoritates numquam prævaluit. B C

℣. 6. QUI FUNDASTI TERRAM SUPER STABILITATEM SUAM, NON INCLINABITUR IN SÆCULUM.] Hebr. [6] *Fundavit terram super basim suam, numquam commovebitur*; Veteres Hebræi terram immobilem existimabant. Non alteri innititur terræ, vel alteri solido corpori incumbit; illa sibi basis est, ac fundamentum; hoc ciet Prophetæ admirationem [7]. Nonnumquam ait Scriptura, terram super aquas insistere, & alibi super nihilum [8]. Hæc idem significant. Aquæ cum fluidæ sint, naturaliter esse nequeunt basis corpori solido, & gravi, quale terra est; aer huic regundæ multo magis est impar: verum igitur semper est, terram inniti super stabilitatem suam, super æquilibrium suum, sibi ipsi. Ovidius Metamorph. l. 1. eodem ferme pacto loquitur. D

Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sui.

℣. 7. ABYSSUS, SICUT VESTIMENTUM, AMICTUS EJUS.] Terra universa aquis, veluti indumento quodam est circumdata. Veteres pluribus ducti rationibus eredidere, terram undequaque aquis esse clausam, & Oceanum eam undique circumscribere. Neque aliter eam nobis exhibent Poetæ. Ovidius Metam. l. 1. E

. . . . Circumfluus humor
Ultima possedit solidumque coercuit orbem.

Alii credunt [9], Psalmistam nobis describere opus creationis diei tertiæ. Initio abyssus terram, montesque cooperiebat; omnia adhuc erant in tenebris, in perturbatione, in chaos. Sed vix *fiat* illud tuum protulisti; cum ad sonitum vocis tuæ aufugerunt aquæ, seque in abyssos receperunt, terram, montesque detectos relinquentes. Hoc adamussim iis omnibus quadrat, quæ a Moyse enarrantur [10]. Terra adhuc erat in Chaos, ac tenebræ effusæ erant super faciem abyssi: separavit aquas, quæ erant sub firmamento ab illis, quæ erant super firmamentum; Et tertia die *dixit; Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida; & factum est ita; & vocavit Deus aridam, terram, congregationesque aquarum appellavit Maria.*

Denique locus hic explicari potest de procellis, quæ in mari desæviunt. Terra aquis Oceani est involuta, veluti veste quadam, cum elementum hoc irritatur, & fluctus ad nubes usque tolluntur, similes magnis aquarum montibus; *super montes stabunt aquæ.* Statim ac loquitur Deus, tonitru verbi ejus furentes hos fluctus perterret, & mare statim fit immenso agrorum æquori simillimum; *Ascendunt montes, & descendunt campi &c.* Sunt [11] qui hoc de universalis Diluvii aquis intelligant, quæ terram universam usque ad editissimorum montium cacumina operuerunt. Sed simulac præcepit Deus, in abyssos suos se se receperunt, numquam illinc amplius egressuræ: *Terminum posuisti, quem non transgredientur; neque convertentur operire terram.* Sed postremæ hæ duæ explicationes prioribus longe decedunt.

℣. 9. ASCENDUNT MONTES, & DESCENDUNT CAMPI &c.] Nihil est in natura, quod Providentia tua, ac infinita sapientia non ordinarit. Tu montes elevasti, valles autem effodisti. Ovid. Metam. 1.

Jussit & extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes.

Jussu tuo ex imo abyssi, ubi detinebantur, non secus ac infans in utero matris, prodiere [12]. Aliæ loci hujus explicationes videri possunt in articulo præcedenti.

℣. 10. TERMINUM POSUISTI, QUEM NON TRANSGREDIENTUR &c.] Scriptura [13] sæpe hunc infinitæ potentiæ Dei effectum commendat, quo maris aquas cohibet, ac vetat, ne terram obruant, cum non alius pluribus in locis illis adversetur obex, quam arena, in quam fluctus elisi franguntur. Miraculum hoc longe majus erat juxta Hebraicum Mundi systema, qui terram planam esse, aquas veluti pendulas, atque Domini imperio vinctas arbitrabantur [14].

℣. 11. QUI EMITTIS FONTES IN CONVALLIBUS; INTER MEDIUM MONTIUM PERTRANSIBUNT AQUÆ.] Cum Providentia tua aquas omnes distribuit, alias quidem super cœlos collocans, alias in abyssos redigens, sapienter creaturarum tuarum necessitatibus consuluisti. Maris aquæ per abditos cuniculos ad montium radices revertuntur [15], ibique constituunt fontes, unde potum animantia, & humorem arbores, ac tellus eliciant. Aquarum vero receptacula, quæ super capita nostra collocasti, ad montes, agros, locaque haud irrigua irroranda imbres suppeditant. (℣. 13.) *Rigans montes de superioribus suis.* In his omnibus loquor juxta ideam, quam nobis adstruit Scriptura de aquis nubium, ac fontium. Nationes hæ populares sunt,

1 Heb. 1. 7. 2 Theodoret. hic. 3 Vide si lubet Ferrand. hic, Eugubin. in hunc Psalm. Huet. Origen. l. 2. c. 2. qu. 5. art. 9. 4 Euseb. hic.
5 Grot. hic. *Sunt enim Angelorum alii aerei, alii ignei, qui tam boni, quam mali dicuntur Seraphim. Esse Angelis corpora, sed subtilissima, non Pithagoræ tantum & Platonis Schola sensit, sed & Judæi veteres, & veteres Christiani. Intelligentiarum ab omni materia secretarum faber est Aristoteles, quam nimis secuti, in rebus Theologicis multi sequuntur.* 6 יסד ארץ על מכוניה בל תמוט עולם ועד Aquil. Symmach. Ἐπὶ τῆς ἕδρας αὐτῆς,
7 Psal. 135. 6. *Qui firmavit terram super aquas.* 8 Job 26. 9. *Appendit terram super nihilum.*
9 Vide Theodoret. Muis, Eugubin. Ferrand. Kimch. Geier. Munst. alii.
10 Genes. 1. 2. 6. 7. Videri potest Euseb. Cæsar. in Psalm. 89, 2.
11 Vide Athanas. Chrysost. Theodoret. Drusium observ. 20. 12 Confer Psalm. 89. 2 Job. 38. 9.
13 Job. 7. 12. 38. 8. 16. Jerem. 5. 22. Amos 5. 8. 9. 6. Prov. 8. 27. 28.
14 Vide si placet Ambros. in Hexam. l. 3. c. 22. Theodoret. orat. 4. contra Græcos, Basil. Seleuc. orat. 2.
15 Vide Eccle. 1. 7.

sunt, nec semper ad sedulam philosophiæ libellam respondent. Sacri Auctores ita se se demittunt, ut balbutire nonnumquam videantur, dummodo se ad populi captum accommodent.

℣. 12. EXPECTABUNT ONAGRI IN SITI SUA.] Onager indomitum est animal, in Palæstina, finitimisque locis olim satis commune [1]. In penitioribus desertis immoratur, ideoque siti laborando præ cæteris non adeo feris animantibus magis obnoxium. Hebr. [2]: *Ibi onagri sitim suam frangent*, sitim suam explebunt. *Frangere* proprie dicitur de pane, qui manducatur [3], & potius significat ad litteram, saturari; *sitim suam saturabunt*.

℣. 13. SUPER EA VOLUCRES COELI HABITABUNT; DE MEDIO PETRARUM DABUNT VOCES.] Aves virentes amant arbores, & fluentes aquas. Ibi morantur, ibi nidum ædificant, ibi inter ramos circumvolant. Hebr. [4]. *De medio ramorum dant vocem suam*.

℣. 14. RIGANS MONTES DE SUPERIORIBUS SUIS.] Non satis terræ egestatibus consuluisset Deus, si flumina tantum, fontesque dedisset. Hi quippe agros dumtaxat, & valles irrigant; dedit autem & pluvias ad montes irrorandos, quo convallium aquæ nequeunt ascendere. Hebr. [5] *Rigat montes de superioribus conclavibus suis*. De nubibus, vel de Cœli vertice, ubi ipse immoratur. Dixerat superius ℣. 3. Deum tectum, vel lacunar suorum conclavium, e nubibus, vel aquis superioribus effinxisse.

DE FRUCTU OPERUM TUORUM SATIABITUR TERRA.] Illi pluvias immittis ad eam irrigandam, ubertatem illi impertiendam, eam bonis cumulandam, ac saturandam. Pluviæ sunt opus Dei [6]; ille *pluviarum pater* in Job 38. 28. appellatur. Sunt [7], qui putent, fructus, de quibus est sermo, esse illos, quos terra gignit; terram vero hoc in loco significare homines, quos alit Deus fructibus illis, quos in arboribus, plantisque producit.

℣. 15. PRODUCENS FOENUM JUMENTIS, & HERBAM SERVITUTI HOMINUM;] herbam scilicet, qua homines utantur. Vel potius: Das fœnum jumentis, quæ, ut hominibus serviant, nata sunt. *Servitus hominum* isthic significat animalia domestica, quæ homini inserviunt. Psalmi Auctor in id semper collimat, ut scilicet ostendat admirabilem Creatoris prudentiam in omnium operum illius productione. Eusebius, ac S. Athanasius textum ita distinguunt. Producis fœnum pro animantibus agri, & herbam jumentis, quæ destinata sunt, ut homini serviant. Alter [8]: *Deus germinare facit fœnum pro feris, & herbas*, plantas, legumina, fruges ipsas, *ut homini inserviant*; vel etiam herbas has *per hominis laborem* germinare jubet; labores nostros uberrimis messibus remuneratur.

℣. 16. UT EDUCAS PANEM DE TERRA, & VINUM LÆTIFICET COR HOMINIS.] Superioribus ita subnecti potest: Suppeditat Deus fœnum domesticis animantibus, ut homini serviant, eique opem ferant, ut educat de terra triticum, ex quo panis hominum fit. Vel simpliciter: Deus ita universa disposuit, ut tellus abundanter ferret fruges, vinum, ac oleum pro hominis vita. Tria hæc ad nos alendos maxime omnium sunt necessaria. Panis, quo nutrimur, Vinum, quo corroboramur, animamur, fovemur, atque lætificamur, oleum pro unctionibus extrinsecis, epulisque condiendis. *Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi*, ait Plinius l. 14. c. 22. *intus vini, foris olei. Arborum e genere ambo præcipui, sed olei necessarium*: Veteres putabant, usum unctionum extrinsecus æque fere necessarium ac cibum; eo etiam, non secus ac potu, & cibo, cum erat jejunandum, abstinebant.

℣. 18. SATURABUNTUR LIGNA CAMPI, & CEDRI LIBANI, QUAS PLANTAVIT.] Deus non sylvestribus dumtaxat, domesticisque animantibus, avibus, hominique victum suppeditat; verum copiose etiam consulit egestati arborum tum in agris, cum in montibus positarum, ex quibus non minor nobis cedit utilitas. Illis autem imbres, roresque elargitur, qui eas irrigent, terramque feliciter præparent, ut eas servare, multiplicare, atque augere valeat. Hebr. 9: *Arbores Domini cedri Libani, quas plantavit, saturabuntur*. Arbores Dei, formosæ illæ arbores, proceræ, divinæ, quas nulla hominum plantavit, vel coluit manus. Cedris Libani nihil deest: Deus satis superque illis tribuit, quæ ipsis sunt necessaria.

℣. 19. ILLIC PASSERES NIDIFICABUNT: HERODII DOMUS DUX EST EORUM.] Aves tum magnæ, cum parvæ in his montium arboribus nidificant; domus herodii, proles illius earum dux est. Avis hæc est aliarum veluti Regina, ac omnium prima nidum ponit. Nescio, unde Auctor, qui S. Hieronymi nomine circumfertur, didicerit, *Herodium* avem esse unam omnium, quas noverimus, maximam, eamque cum Aquila decertare, illam vincere, & devorare. Euthymius asserit, Herodium ante alias omnes aves nidum extruere; nec latet, illam editiora quærere arborum cacumina, nidum suum ibi posituram; immo S. Athanasius, eam in abietibus sit nidificare. Verum apud Interpretes non constat, Hebraicam vocem *chasidah* [10] Herodium significare; plerique [11] id *de ciconia* interpretantur; alii [12] de *milvo*. Aquila [13] pro herodio stat, non secus ac Septuaginta. S. Augustinus, & antiqua Psalteria Romanum, S. Germani, & Carnutense: *Fulicæ domus dux est eorum*. Fulica est species herodii. Psalterium Mediolanense: *Sturni domus ducatum eis præbet*. En tandem Hebraicum textum: *Super has arbores nidificant aviculæ; ciconia super abietes immoratur*.

MONTES EXCELSI CERVIS: PETRA REFUGIUM HERINACIIS.] Ad quid steriles montes, præruptæque rupes inserviunt, dicet aliquis? Nonne Deus eas non creare potuisset? Montes, & rupes nequaquam inutiles sunt in rerum natura. Propheta respondet, sunt enim & cervis, & herinaciis refugium; vel cum Hebraico textu [14], *damis*, rupicapris, capreisque, & aliis id genus animantibus, atque *cuniculis*, leporibus, histricibus, herinaciis, cuidam murium generi in Palæstina persamiliari, de quibus S. Hieronymus ad Suniam & Fretel. loquitur, qui *herinacio* magnitudine pares sunt, forma vero ab urso non longe dissimiles, qui in specubus, ac rupibus incolunt. Græce vocantur *arctomi* composito nomine, quod murem ursumque significat. Vox, qua isthic usi sunt Septuaginta [15], vertitur, lepores, vel cuniculi, vel herinacii; & antiqua nonnulla Psalteria legebant *leporibus*, & alia *herinaciis*, & S. Augustinus in Exemplaribus suis habebat utrumque.

℣. 20. FECIT LUNAM IN TEMPORA; SOL COGNOVIT OCCASUM SUUM.] Ne quis in syderibus aliquid divinum, vel supernaturale esse arbitraretur [16]; Psalmista duo isthic ait apprime necessaria; alterum, Solem, ac Lunam a Deo creata fuisse; alterum vero ad hominum usum fuisse creata: Lunam quidem ad distinguenda

1 Vide Joseph. lib. 1. c. 16. de bello Jud.

2 ישברו פראים צמאם Sym. Ἀνακτήσονται ὄναγροι δίψαν ἑαυτῶν.

3 Vide Genes. 8. 1. 2. 3. 19. 42. 1 & seq. Deut. 11. 6. Isai. 55. 1.

4 מבין עפאים יתנו קול

5 משקה הרים מעליותיו

6 Vide Euseb. Kimchi, Muis, Vat. Pisc. alios.

7 Ext. Mar. Muis, Tirin.

8 מצמיח חציר לבהמה ועשב לעבודת אדם להוציא לחם מן הארץ Sym. *Producens fœnum jumentis, & herbam usui hominum, ut proferat cibum e terra*.

9 ישבעו עצי יהוה ארזי לבנון אשר נטע Alii Interpretes. Τὰ ξύλα τοῦ κυρίου.

10 אשר שם צפרים יקננו חסידה ברושים ביתה Sym. Ὅπου στρουθία ἐννοσσεύσει τοῦ ἰκτῖνος βόρατα οἶκος.

12 Hieron. ad Suniam, & Fretell. & hic. *Milvum*: Post Sym. Ἰκτῖνα. Ita & 6. Edit.

11 Chald. חיא חוריתא *Ciconiæ albæ*. Pag. Mar. Vat. Muis, alii.

13 Aqu. Ἐκεῖ ὄρνεα νοσσεύσει· ἐρωδιῷ ἐλάται οἶκος αὐτῷ.

14 הרים הגבהים ליעלים סלעים מחסה לשפנים

15 70. Ὄρη τὰ ὑψηλὰ ταῖς ἐλάφοις, πέτρα καταφυγὴ τοῖς λαγωοῖς.

16 Vide Euseb. hic. & Athanas.

guenda tempora [1], menses, annos, tempestates; So- A lem autem, ut lucem laborantibus hominibus afferret: Lunam pro noctibus, pro diebus Solem. Nox in gratiam animantium facta, ut sibi victum quærant, dies in gratiam hominum, ut operentur. Hæc autem quatuor sequentibus Versiculis referuntur. *Fecit Lunam in tempora*, ut scilicet statis, ordinatisque temporibus appareret [2]. Noluit Deus illam quovis tempore æque nitescere, atque singulis noctibus micare; sed constituit illi regulas, quas per incrementum, decrementumque suum ad unguem exequitur. Non credimus, Hebræis fuisse menses Lunares ante quam de captivitate Babylonica reverterentur, vel etiam ante Græcorum imperium. *Sol cognovit occasum suum*. Neque hæc Dei voluntas fuit, ut Sol semper super horizontem nobis effulgeret; tempora in dies, noctesque divisit, B ut homines, atque animantia ad victum sibi comparandum adlaborare, & quietem tempestive capere possent. Noctem feris dedit, diem vero homini, ac jumentis. Sol istis, Luna illis micat. Duo hæc astra, veluti Entia intellectu, ac anima donata, Dei mandatis obtemperant [3].

℣. 21. In ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ.] Noctu ultro citroque libere commeant, dum homines somno indulgent. Hebr. [4] *Repent omnes bestiæ sylvæ*, e lustris, ex antris, ex recessibus suis *noctu* egredientur.

℣. 22. Et quærant a Deo escam sibi.] Animalia victum sibi quærunt aptum, & quem illis Divina præparavit sapientia. Hebræus ad litteram [5]: Quærunt, *a Deo petunt escam suam*, quemadmodum filii a C parentibus suis, & homines a Domino. Hominum, atque animantium egestati satis divina consuluit Providentia. Horum clamores, ululatus, rugitus sunt veluti vox, quam Naturæ Auctor intelligit; illorum invigilat conservationi, eisque necessaria suppeditat alimenta. Ita quoque Psalm. 146. 9. Psalmista ait, Dominum tribuere *jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum*; & ad illum clamantibus; & Psalm. 145. 15. 16. *Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno: aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione*.

℣. 23. Ortus est Sol, & congregati sunt.] Animalia postquam noctu quæsiverint, ac invenerint victum sibi, in lustra sua se recipiunt [6], simulac Sol splendescit, atque hominibus integrum relinquunt la- D borare, & victum sibi quæritare.

℣. 25. Impleta est terra possessione tua.] Terra universa, & quidquid in ea continetur, tuum est; hæreditas tua; curam tuam in creata quælibet, veluti in tuam ditionem extendis; animalia æque ac homines, paternæ curæ tuæ experiuntur effectus. Hebr. [7]: *Plenitudo terræ est possessio tua*. Illa bonis, opibusque tuis est refertissima. Septuaginta [8], S. Augustinus, & antiqua Psalteria omnia: *Impleta est terra creatura tua*, operibus manuum tuarum; iis, quæ tu creasti.

℣. 26. Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.] In scriptura pisces cum reptilibus recensentur [9], atque hoc in loco reptilia pisces significant. E Textus hic ad litteram habet [10] *mare spatiosum manibus*. Manus hoc in loco, atque alibi non semel [11] spatium significare creduntur, quod vulgo per gestum omnino naturalem designatur, manibus in utrumque latus extensis. Hebræi adagialiter dicebant; latum extensumque velut mare; *longior terra, & latior mari*, ait Sophar in Job 11. 9. Et Jeremias Thren. 2. 13. exprimere cupiens magnitudinem malorum Jerusalem, ea inquit adeo late patere, ac mare: *magna est velut mare contritio tua*. Septuaginta [12], S. Augustinus, & antiqua Psalteria toties allata, non legunt *manibus*, quæ tamen vox explicite habetur in Hebraico textu, Aquila, Symmacho, Theodoreto, quinta, & sexta editione Hexaplorum. Psalmista, cum jam Cœlum, terramque consideraverit, ad examen vocat mare, ibique Domini Providentiam animadvertit. Primum, quod mentis oculis illic occurrat, est infinita illa piscium copia, ibi viventium eodem ferme pacto ac cætera animantia super terram; altera est navigatio, quæ ut ita dicam maxime dissitas regiones conjungit navium, classiumque adminiculo per commercium, ac maritima itinera; ita ut immensum hoc Elementum, quod primo intuitu oppositum fuisse videtur veluti vallum, & obex, ne alienarum regionum homines ullam invicem consuetudinem ineant; e contra mutuæ earum societati mire conferat. *Illic naves pertransibunt*.

℣. 28. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.] In mari cete, aliaque monstra videntur, cujus tanta est magnitudo, tantumque robur, ut sibi in jocum vertant Elementum hoc, quod nobis terrorem cum irascitur infert. Mare, licet indomitum, ac furens nobis videatur, immanibus his monstris ludus est. Vertunt nonnulli [13]: *Leviathan, quem formasti, ut in eo, vel cum eo luderes*. *Leviathan* sæpe crocodilum significat; hic autem pro ingenti quavis maris bellua usurpatur. Immania hæc, atque terribilia corpora, licet quolibet terrestri animali crassiora, nihil aliud sunt, ut ita dicam, quam ludrica apud Deum; eorum robur irridet, eaque quodammodo ludens creavit.

Rabbini quidam (dementes vocarim, an impios?) ajunt, Deum quotidie trium horarum spatio (horresco referens) cum Leviathan colludere. Piscis hic adeo ingens est, nugacissimi hi fabularum artifices jactitant, ut motu suo aquas omnes moveat, atque maris æstum efficiat, cum super aquas suspensus innataret [14]. Unus dumtaxat in rerum natura est, alioquin si plures essent, periculum foret, ne omnem terrarum orbem subverteret. Cum enim duos in ipso rerum primordio creasset Deus, alterum occidit, eumque reservat, ut ex eo Electis post sæculorum finem epulas instruat. Neque has recentes esse fabulas putes; harum enim pars in quarto Esdræ libro invenitur, qui secundo Ecclesiæ sæculo, ut serius dicam, conscriptus fuit.

Omnia a te expectant.] Hebræi [15] & Septuaginta ad litteram: *expectant versus te*; oculos habent apertos versum te, veluti famuli, qui ab hero suo victum expectant. Psalmista mirum in modum scitis descriptionibus poema suum animat, in quibus sensum, atque intellectum tribuere videtur brutis, & ipsis creatis rebus, anima carentibus.

℣. 29. Aperiente te manum tuam, omnia [16] implebuntur bonitate.] Hæc loquendi ratio, *aperiente te manum tuam*, significat summam facilitatem, qua Deus omnibus animantibus escam præbet, & quomodo hæc ab illo omnino dependeant. Si manum aperit, eos cumulat bonis; si faciem avertit, eorumque obliviscitur, statim intereunt, atque in pulverem rediguntur. Vide ℣. sequentem.

℣. 30. Avertente autem te faciem, turbabuntur, auferes spiritum eorum.] Si propitio oculo terram intueri dignaberis, eique ubertatem lar-

1 Genes. 1. 14. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies, & annos.* 2 עשה ירא למועדים 3 Heraclæot. Theodoret. Euthym.
4 כי הרמש כל חיתו יער 5 לבקש מאל אכלם 6 הזרח השמש יאספון Hieron. *Oriente Sole recedent*. Sym. Ὑποχωρήσει. 7 מלא ארץ קניניך Hieron. *Possessione tua*. Ita & alii Interpretes. Κτήσεως σου.
8 70. Ἐπληρώθη ἡ γῆ τῆς κτίσεώς σου. Antiq Psalt. *Creatura tua*. 9 Genes. 1. 20. Psal. 148. 7.
10 זה הים גדל ורחב ידים Aqu. Εὐρύχωρος χερσί. 11 Isai. 22. 18. ארץ רחבת ידים Genes. 34. 21. 2. Esdr. 7. 4. 12 Αὕτη ἡ θάλασσα ἡ μεγάλη, καὶ εὐρύχωρος, ἐκεῖ ἑρπετὰ ὧν οὐκ ἔστιν ἀριθμός. Vide Hieronym ad Suniam & Fretell. 13 לויתן זה יצרת לשחק בו 14 Vide Hieron. hic, & Muis, & alios.
15 כלם אליך ישברון 70. Πάντα πρὸς σὲ προσδοκῶσι. 16 *Omnia*. Vox hæc non extat in Hebræo, neque in Septuaginta, vel antiquis interpretibus Græcis.

largitus fueris, animalia vivent in abundantia, atque multiplicabuntur. Verum si ab illis faciem tuam averteris, ac terræ negaveris imbres, aliaque, quibus indiget, ut fructum suum proferat, animantia tabescent, turbabuntur, deficient, morientur, in pulverem, e quo educta fuerunt, revertentur. Omnia expectant a te, & nihil nisi a te sperare queunt. Nihil ipsa sibi comparant; omnis eorum spes in Providentiæ tuæ manibus sita est. *Aufsres spiritum eorum*; Auferes spiritum, quo animantur, illis vitam, halitumque eripies. Hebr. ad litteram [1]: *colliges spiritum*, vel halitum *eorum*. Scriptura interdum eadem utitur loquendi ratione, de homine loquens, ut innuat animalem vitam illius, animamque sensitivam, quæ nobis cum cæteris animantibus communis est. A

℣. 31. EMITTES [2] SPIRITUM TUUM, & CREABUNTUR, & RENOVABIS FACIEM TERRÆ.] Ex his vocibus, *& creabuntur*, S. Hieronymus infert, hic agi de Spiritu Sancto, Creatore, atque Auctore vitæ tum corporis, tum animæ; tertia Sanctissimæ Trinitatis Persona. Patres alii [3] hæc præcedenti Versiculo subnectunt: Si averteris faciem tuam a creaturis tuis, ab hominibus mortalibus, occumbunt, ac in pulverem revertuntur: sed cum illis reddis Spiritum tuum, reviviscunt, novamque vitam resumunt. Alii [4] denique id simpliciter intelligunt de quotidiana, consuetaque animantium propagatione, atque multiplicatione. Animantia recreas novæ jucundissimæ anni tempestatis adventu, virtute nova, novo spiritu. Illa multiplicantur; rursus in illa effundis Spiritum tuum, halitum tuum vivificantem; ipsa se se reproducunt, & omnis naturæ facies immutatur [5]. Posterius hic sensus simplicior videtur. Hæc sola est resurrectionis species, quam in belluis noverimus; cum in homine tres agnoscamus: communem generationem, regenerationem per Baptismum, & gratiam, & demum corporum resurrectionem. B C

℣. 32. LÆTABITUR DOMINUS IN OPERIBUS SUIS.] Hebræus verti potest [6]: *Lætetur Dominus in operibus suis*, ea cum voluptate videat, ac sibi complaceat, quemadmodum in Mundi initio: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Genes. 1. 31. Creata omnia in eo sint statu, in quo ea vidit, suis mandatis submissa, sibi inserviendo occupata, amore ipsius repleta; neque videat aliquid, quod ipsius oculos possit offendere; non injustitiam, non impotentiam, non flagitia &c.

℣. 33. QUI RESPICIT TERRAM, & FACIT EAM TREMERE.] Cum Deum nobis superius veluti clementissimum, sapientissimumque exhibuerit, eum isthic nobis veluti terribilem repræsentat. Tanta Dei hujus potestas est, ut cum ira succensus oculos dumtaxat conjicit in terram, facit, ut contremiscat. Vide Jeremiam 10. 10. *Ab indignatione ejus movebitur terra*. Si tangit montes, eos in fumum resolvit, vel eos turbat, atque perterret, veluti cum apparuit in Sinai [7]: *Totus autem Mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum*. Hæc eadem loquendi ratio in Psalmo 143. ℣. 5. invenitur. *Tange montes, & fumigabunt*.

℣. 35. JUCUNDUM SIT EI ELOQUIUM MEUM [8].] Sermo hic, hoc canticum, hæc oratio illi sit accepta. Cassiodorus, Arnobius, Petrus Damianus, Psalterium Romanum: *Suavis sit ei laudatio mea*. S. Augustinus, & S. Prosper: *Disputatio mea*.

℣. 36. DEFICIANT PECCATORES A TERRA, ITA UT NON SINT.] Qui te non laudant, non venerantur, neque benedicunt, Domine, anathemate feriantur. Væ impiis, & peccatoribus [9]: ita ajebat S. Paulus 1. Cor. 16. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*. Vel, convertantur peccatores [10], redeant ad te, neque sint amplius ii, qui erant.

1 תוסף רוחם 70. Ἀποστελεῖς τὸ πνεῦμα αὐτῶν. 2 Hieron. in Comment. *Emitte*.
3 Theodoret. Euseb. Grot. & Hebræi ipsi. 4 Vide Euseb. Grot. Muis, Geier. Pisc.
5 Eccle. 1. 4. *Generatio præterit, & generatio advenit*. 6 ישמח יהוה במעשיו
7 Exod. 19. 18. Vide & 20. 18. 8 יערב עליו שיחי 70. Ἡδυνθείη αὐτῷ ἡ διαλογή μου. Aqu. Ὁμιλία. Sym. Διάλεξις. 9 Vide Euseb. Theodoret. 10 Euseb. Athan. Hieron.

PSALMUS CIV.

Canticum gratiarum actionis pro beneficiis omnibus, quibus Dominus Judæorum Nationem cumulavit. Beneficiorum horum enumeratio a vocatione Abraham ad Hebræorum in terram promissam ingressum.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

VOX *Alleluja* Psalmo huic præfixa a Septuaginta, & Vulgata, in Hebraico textu legitur ad calcem psalmi superioris. Quidam [1] olim putabant, duo *Alleluja* esse admittenda, alterum quidem pro fine præcedentis, alterum pro hujus initio; immo hoc veluti axioma statuebant, Psalmos omnes, in quorum fine *alleluja* non aderat, illud neque capiti præfixum gestare, cum e contra nonnulli in fine illud habebant, quin haberent in capite. Verum hæc doctrina nequaquam certa est, quæ si esset, quodnam momentum afferre posset, ut ii Psalmi intelligerentur, ante, vel post quos *Alleluja* invenitur?

Allelnia ex duabus vocibus componitur: scilicet [2] *hallelu*, laudate, & *ia* Dominum. S. Athanasius aliud nobis etymon aperit; ait enim, vocabulum hoc esse compositum ex *Al* Deus, *el*, fortis, *uia*, robustus. Verum illi, a quibus hoc didicit, Hebraicam linguam procul dubio ignorabant. Addit etiam, antiquam esse Sanctorum Patrum traditionem, Angelos in Cœlo canere *Allelnia*, & Cherubim, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Præter litteralem *Allelnia* significationem, continet vox hæc quamdam acclamationis, lætique clamoris ideam, quam simplex Grammaticalis versio nequit satis exprimere: hinc sane factum est, quod Vete-

1 Apud Aug. hic. Vide & Bedam. 2 הללויה

Veteris Testamenti Interpretes eam sine ulla mutatione servarunt, eamque Christiana Ecclesia in precibus suis semper adhibuit [1].

Psalmus hic, vel saltem primi illius duo, & viginti versiculi a Davide fuere compositi, cum Arca de domo Obededom in Tabernaculum, quod ipse in Sion erexerat, transferretur. Hoc nobis explicite in 1. Paralipomen. 16. 8. & seq. refert Scriptura, ubi Psalmus hic invenitur usque ad versiculum, ubi hæc isthic legimus: *Et vocavit famem super terram*; & in eodem Paralipomenon loco post hæc verba: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*; quæ isthic ℣. 15. constituunt, invenitur totus Psalmus 95.

Credimus autem post reditum de captivitate Babylonica, vel in alterius Templi Dedicatione Psalmum eumdem cantatum fuisse, quem in Arcæ translatione in Sion cecinerant; sed tunc additum fuisse finem hujus, ubi continetur anacephalæosis eorum, quæ in gratiam populi sui fecit Dominus in terra promissa; Adjecti quoque fuerunt Psalmi 105. & 106. ad eumdem finem compositi. Hic recenset miracula Domini, ejusque beneficia erga Israel; 105. refert Hebræorum ingratitudinem, peccata, & supplicia; 106. gratias agit Deo ob liberationem de captivitate, cujus descriptionem exornat. Videri potest Tabula nostra Chronologica in Psalmos.

1. CONfitemini Domino, & invocate nomen ejus: annuntiate inter gentes o-
pera ejus. 2 Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia ejus.
3 Laudamini in nomine sancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum.
4 Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus semper. 5 Memento
mirabilium ejus, quæ fecit: prodigia ejus, & judicia oris ejus. 6 Semen Abra-
ham, servi ejus: filii Jacob, electi ejus. 7 Ipse Dominus Deus noster: in uni-
versa terra judicia ejus. 8 Memor fuit in sæculum testamenti sui: verbi, quod
mandavit in mille generationes. 9 Quod disposuit ad Abraham: & juramenti sui
ad Isaac; 10 Et statuit illud Jacob in præceptum: & Israel in testamentum æ-
ternum; 11 Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ:
12 Cum essent numero brevi, paucissimi, & incolæ ejus. 13 Et pertransierunt
de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum. 14 Non reliquit homi-
nem nocere eis: & corripuit pro eis Reges. 15 Nolite tangere Christos meos
& in Prophetis meis nolite malignari. 16 Et vocavit famem super terram: &
omne firmamentum panis contrivit. 17 Misit ante eos virum: in servum venum-
datus est Joseph. 18 Humiliaverunt in compedibus pedes ejus; ferrum pertran-
siit animam ejus, donec veniret verbum ejus. 19 Eloquium Domini inflammavit
eum: misit Rex, & solvit eum; Princeps populorum, & dimisit eum. 20 Con-
stituit eum dominum domus suæ: & Principem omnis possessionis suæ. 21 Ut
erudiret Principes ejus sicut semetipsum; & senes ejus prudentiam doceret. 22
Et intravit Israel in Ægyptum: & Jacob accola fuit in terra Cham. 23 Et au-
xit populum suum vehementer; & firmavit eum super inimicos ejus. 24 Con-
vertit cor eorum, ut odirent populum ejus; & dolum facerent in servos ejus.
25 Misit Moysen servum suum: Aaron, quem elegit ipsum. 26 Posuit in eis
verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham. 27 Misit tenebras, &
obscuravit: & non exacerbavit sermones suos. 28 Convertit aquas eorum in
sanguinem: & occidit pisces eorum. 29 Edidit terra eorum ranas, in penetra-
libus Regum ipsorum. 30 Dixit, & venit cœnomyia, & cynifes, in omnibus
finibus eorum. 31 Posuit pluvias eorum grandinem: ignem comburentem in ter-
ra ipsorum. 32 Et percussit vineas eorum: & ficulneas eorum: & contrivit li-
gnum finium eorum. 33 Dixit, & venit locusta, & bruchus, cujus non erat nu-
merus: 34 Et comedit omne fœnum in terra eorum: & comedit omnem fru-
ctum terræ eorum. 35 Et percussit omne primogenitum in terra eorum: pri-
mitias omnis laboris eorum. 36 Et eduxit eos cum argento, & auro: &
non erat in tribubus eorum infirmus. 37 Lætata est Ægyptus in profectio-
ne eorum: quia incubuit timor eorum super eos. 38 Expandit nubem in pro-
tectionem eorum, & ignem ut luceret eis per noctem. 39 Petierunt, & venit
coturnix; & pane cœli saturavit eos. 40 Dirupit petram, & fluxerunt aquæ
abierunt in sicco flumina. 41 Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit
ad Abraham puerum suum. 42 Et eduxit populum suum in exultatione, & ele-
ctos suos in lætitia. 43 Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum
possederunt: 44 Ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.

[1] Vide Apocal. 20. & Aug. ep. ad Casulam.

℣. 1. CONFITEMINI DOMINO, & INVOCATE NOMEN EJUS; ANNUNTIATE INTER GENTES OPERA EJUS.] Solemniter hic, non Judæi solum, verum etiam alienigenæ populi invitantur ad nomen Domini benedicendum, atque laudandum. Hæc ad Ethnicos adhortatio notatu digna est; hæc erat quædam prophetia illorum vocationis futuræ ad veram Religionem. Patres [1] hoc interpretati sunt, veluti adhortationem ad Apostolos, ut annuntient nomen Domini, ac mirabilia opera illius Judæis, atque Gentilibus. Hebræus verti potest [2]: *Laudate Dominum, annuntiate nomen ejus* [3]; vel fortasse, *vosmet de nomine illius appellate*, Domini populus vocemini, ob augustum adeo nomen gloriemini. Vide ℣. 3. *Annunciate inter populos consilia*, voluntates, opera *ejus*.

℣. 3. LAUDAMINI IN NOMINE SANCTO EJUS.] Intelligite, quæ gloria vestra sit, eo quod estis populus Domini; in hoc posita sit felicitas vestra, ut speciosissimo hoc nomine nuncupemini, ac illud vita integerrima, sanctaque vivendi ratione nequaquam vobis absonum esse ostendatis. Agnoscite dignitatem vestram, aliique populi vos intuentes laudent sapientiam vestram, & dicant: *En populus sapiens, & intelligens, gens magna. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, & universam legem*, &c. Deuter. 30. 7. Hoc idem ferme petebat D. Paulus dicens 2. Cor. 10. 17. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur*. Hebræus verti potest [4]: *gloriamini in nomine sancto ejus* [5]; vel etiam [6]: *sanctum nomen ejus laudate*.

B

℣. 4. QUÆRITE DOMINUM, & CONFIRMAMINI; QUÆRITE FACIEM EJUS SEMPER.] Quærite Dominum, & repleamini virtute; quærite faciem ejus indesinenter. Vel: Quærite Dominum, eumque sedulo, ardenter, quin animos despondeatis, quærite: quærite *faciem ejus*, gratiam ejus, vel præsentiam, Templum, Sanctuarium illius. Ad illum accedite, eumque veneraturi in Sanctum ejus Templum confluite; non ter tantum in anno, quemadmodum præcipit Moyses [7], sed illum indesinenter quærite: coram ipso quandiu, & quoties vobis integrum erit, permanete. Hebræus verti quoque potest [8]: *Quærite Dominum, & virtutem ejus; quærite faciem ejus jugiter*. Facies, & virtus Domini, hoc in loco, unum, idemque plane significant, Arcam scilicet, atque Sanctuarium Domini [9]. Psalmista populum invitat, ut crebro Dei sui Tabernaculum adeant.

C

℣. 5. PRODIGIA EJUS, & JUDICIA ORIS EJUS.] Ne oblivisćamini miraculorum, quæ operatus est pro patribus vestris, neque legum, quas per Moysem vobis dedit. Vel potius; In animo vestro jugiter versentur mirabilia virtutis ejus, & supplicia, quæ adversus Ægyptios exercuit [10]: *Judicia oris ejus*; quod jussu illius contigerunt, vel quod illa ante prædixerat. Vide Genes. 15. 14. Exod. 3. 20.

D

℣. 6. SEMEN ABRAHAM, SERVI EJUS &c.] Hebr. [11] *Vos, qui estis semen Abrahæ servi ejus, & filii Jacob, quem ipse elegit*. Sed Septuaginta [12] a Vulgata non abhorrent: ac legunt, ita ut voces *servi*, & *filii* ad Semen, non autem ad Abraham, & Jacob referantur. In 1. Paralip. 16. 13. legimus: *Semen Israel servi ejus: filii Jacob electi ejus*.

E

℣. 8. MEMOR FUIT IN SÆCULUM TESTAMENTI SUI: VERBI, QUOD MANDAVIT IN MILLE [13] GENERATIONES] hoc est, IN MULTAS. Præstitit fidem eorum, quæ pollicitus fuerat Abrahæ Genes. 12. 2. 17. 6. & 18. 18. ac iteraverat Isaac Genes. 21. 12. 22. 18. & 26. 3. Jacob Genes. 28. 3. & Moysi, se benedictionibus cumulaturum semen Abrahæ, quoad sibi fideliter adhæsisset.

℣. 10. STATUIT ILLUD JACOB,] Elegit Jacob, & reprobavit Esau; voluit, ut Jacob, licet natu minor, esset filius benedictionum, ac promissionum hæres.

℣. 11. FUNICULUM HÆREDITATIS VESTRAE.] Vestram scilicet hæreditatem. Ad litteram, eam metiemini cum funiculis, tamquam vestram hæreditatem.

℣. 12. CUM ESSENT NUMERO BREVI &c.] Eo tempore, quo omnia videbantur opposita. Abraham unum habuit filium; Isaac duos, sed promissa Jacob unum spectabant; terra Chanaan a potentibus, frequentibusque populis tenebatur. Patriarchæ pauci erant; *numero brevi*. Hebr. [14]: *Homines numeri*, numerabiles utpote pauci; Ne digitum quidem terræ ea in regione possidebant, nullam ibi sedem habebant, ac veluti hospites ibi versabantur [15]; *incolæ in ea*, quemadmodum Septuaginta, ac S. Augustinus legunt: hæc omnia simul, & infinitam illius potentiam probant, qui hæc fuerat pollicitus, & fidem eorum, qui, cum ipsis hæc promissa fuerant, iis crediderunt.

℣. 13. PERTRANSIERUNT DE GENTE IN GENTEM.] Novus hic obex erat, saltem in speciem, ne Dei promissiones adimplerentur. Quinam fieri poterat, ut terra Chanaan potirentur; eam deserentes, exempli gratia, ut in Ægyptum ascenderent? Abraham ex Chaldæa in Mesopotamiam se contulit, inde in terram Chanaan venit, mox in Ægyptum profectus est. Isaac numquam ea in regione suam sedem constituit. Jacob in Mesopotamiam se recepit, ut furias Esau evitaret; illinc in terram Chanaan reversus est, deinde in Ægyptum cum tota familia descendit; ibi ille obiit, ejus vero posteritas ab Ægyptio Rege est in servitutem redacta. Quomodo autem fieri posse videbatur, ut populus hic tot malis afflictatus, cum vix, unde aleretur, haberet, locupletissimæ regionis assequeretur imperium, & populum unum omnium maxime bellicosum superaret? Hoc tamen Divinæ Omnipotentiæ nequaquam operosum fuit.

℣. 15. NOLITE TANGERE CHRISTOS MEOS, & IN PROPHETIS MEIS NOLITE MALIGNARI.] Dominus Patriarchas singulari benevolentia semper tutatus est. Reprehendit Genes. 20. 3. Abimelech Regem Geraræ, qui in uxorem acceperat Saram conjugem Abrahæ, ratus illius sororem esse dumtaxat. Simili de causa Ægyptio Regi morbum immisit Genes. 12. 17. Isaac quoque hac in occasione eumdem favorem Dei expertus est. Eum rogaverat Abimelech Rex Geraræ, ut a sua ditione recederet, quoniam illum se potentiorem cognoverat. Genes. 26. 16. fœdus una percusserunt, & Isaac in medio nequissimæ, impiæque gentis pacate vixit. Jacob palam protectus fuit adversus fratrem suum Esau [16], socerum suum Labanum [17], & Chananæos, postquam filii ipsius Simeon, & Levi igni, ferroque Sichem vastarunt Genes. 34. 30. 31.

Patriarchæ isthic vocantur *Uncti Domini*; non quod Reges essent in loco habitationis suæ, nec quod palam Regio chrismate essent delibuti; sed Uncti Domini dicuntur propter singularem gratiam, qua a Deo donati erant; propter eximium eorum meritum, propter peculiarem electionem, qua Deus eos servos sibi destinaverat; propter fœdus inter ipsos, ac Deum initum; denique propter dignitatem Sacerdotum, ac Prophetarum Domini, quam exercebant, quæ non secus ac Regis dignitas [18], unctionem supponit. Scimus, eos aras

1 Euseb. Athanas. 2 הודו ליהוה קראו בשמו הודיעו בעמים עלילותיו
3 Sym. Κηρύξατε. Alii: Αἰνεῖτε. 4 התהללו בשם קדשו 5 Aqu. Καυχᾶσθε.
6 Chald. Syr. Hamm. 7 Exod. 22. 17. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino*.
8 דרשו יהוה ועזו בקשו פניו תמיד 9 Vide Psalm. 62. 3. 77. 61. & Psalm. 95. 6. & Kimchi, Abenez. 12, Muis, Hamm. Geier. Vatab. alii passim.
10 Theodoret. Euseb. Muis, Geier. 11 זרע אברהם עבדו בני יעקב בחיריו
12 Σπέρμα Ἀβραὰμ δοῦλοι αὐτοῦ, υἱοὶ Ἰακὼβ ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ. 13 לאלף דור
14 מתי מספר 15 Παροικοῦντες ἐν αὐτῇ. גרים בה 16 Gen. 32. 33.
17 Genes. 31. 28. & seq. 18 Quoad Sacerdotes vide Exod. 29. & Levit. 8. & quoad prophetas 3. Reg. 19. 16.

aras extruxisse, ac sacrificia Altissimo obtulisse. Abraham explicite Propheta vocatur in Genesi [1], sicut in hoc loco: *In Prophetis meis nolite malignari*. Isaac benedicens Jacob prophetavit Genes. 27. 28. Jacob etiam verus Propheta fuit, uti liquet ex iis, quæ paulo antequam efflaret animam, filiis suis dixit Genes. 49. 3. Deus illis crebro apparebat, illis voluntatem suam, ac quæ erant futura, detegebat; ideoque dubitari nequit, quominus veri fuerint Prophetæ: & propius fidei est, nomina *Unctorum, Prophetarumque* hoc in loco unum, & idem significare.

Non me fugit, veteres quosdam [2] putasse, Abraham Regem fuisse Damasci. Josephus trecentos, ac duodeviginta duces illi tribuit, quorum singuli haud ita modicæ militum manui præerant [3]. Verum Scriptura præ his omnibus Scriptoribus majorem fidem meretur. Licet Abraham opibus cederet nemini ex majori Regum Chanaan numero, quorum imperium haud ultra illius civitatis mœnia, ubi imperitabant, protendebatur; certo certius est nullum umquam fuisse Regnum, nullam Provinciam, nullam civitatem, ubi ille regnaverit. Opes illius in pecoribus, ac servis erant positæ; neque alios habuit subditos, nisi suos familiares.

℣. 16. ET VOCAVIT FAMEM SUPER TERRAM, & OMNE FIRMAMENTUM PANIS CONTRIVIT.] Hæc loquendi ratio, *vocavit famem super terram*, supremam Dei potestatem significat. Psalmista nobis exhibet famem veluti hostem infestum, vel pravum Angelum omnia vastantem [4], ac alimenta dissipantem, vel illis alendi virtutem adimentem: *Omne firmamentum panis contrivit*; vel ut ait Scriptura Ezech. 4. 16. & 6. 16. Omnem *baculum* panis contrivit. Re quidem vera notatur, quemadmodum isthic Eusebius, & S. Athanasius animadvertunt, dum fames grassatur, neminem saturari, & quo plura quis comedit, eo majorem comedendi aviditatem excitari, Deo id in hominum pœnam permittente.

℣. 17. MISIT ANTE EOS VIRUM.] Permisit, ut Joseph venumdaretur. Providentiæ consilia, & altissimi Divinæ Sapientiæ effectus post eventum tantummodo cognoscuntur. Quisnam Josephum a fratribus suis venditum, emptum a Putiphare, in carcerem conjectum videns dixisset, hæc omnia in id unum collimare, videlicet ut Josephus ad maximos honores eveheretur, ac familiæ Israel certum inveniretur auxilium pro annonæ charitate, quæ post plures annos erat grassatura? Nulla adest Historia, ubi certiores, atque magis mirabiles peripetiæ, quam in Sacris Bibliis inveniantur.

℣. 18. HUMILIAVERUNT IN COMPEDIBUS PEDES EJUS.] Hebraicæ vocis [5] *Chebel* significatio non satis liquet. Alii putant significari pedicas, ubi captivorum pedes in foraminibus ab invicem remotis claudebantur, ita ut crura multum distracta tenerentur: Alii funes, vel etiam catenas significari arbitrantur.

FERRUM PERTRANSIIT ANIMAM EJUS [6].] Anima illius quodam quasi pugione confossa fuit; hæc eadem est locutio, ac in Evangelio Lucæ 2. 35. ubi Senex Simeon Sanctæ Virgini futurum dixit, ut doloris gladius illius animam transverberaret. Hebr. [7] *Anima eius venit in ferrum*; illa se, ut ita dicam, gladio confodit. Vel [8]: *anima eius in ferrea vincula ingressa est*; in carcerem conjecta est, catenisque gravata, veluti reus quidam. Vel cum Theodoreto; in vitæ periculum venit.

DONEC VENIRET VERBUM EJUS.] In vinculis permansit, donec Deus suscitavit verbum, quod ipsi olim revelaverat, dum esset in terra Chanaan; ostenderat illi Solem, & Lunam, ac stellas duodecim sub pedibus illius, adorantes eum [9], quod innuebat futurum, ut parentes, fratresque ipsius eum venerarentur. Ut promissa hæc explerentur, Joseph evehendus erat ad primam Ægypti dignitatem abs Rege. Aliter: mansit in vinculis usque ad tempus prærordinatum, atque Divinæ Providentiæ decreto constitutum. Vel: ibi commoratus est, donec adimpletum fuit verbum, quod Pharaonis Pincernæ, atque Pistori prædixerat Genes. 40. 22. Prædictio hæc effecit, ut Josephus tamquam verus Propheta haberetur, atque initium fuit & libertatis illius, & dignitatis.

℣. 19. ELOQUIUM DOMINI INFLAMMAVIT EUM.] Se sensit divino quodam igne, Prophetiæ spiritu succensum. Hebræus [10] hoc præcedentibus addit: mansit in vinculis, *quousque tempus venit, quo locutus est; verbum Domini inflammavit illum*. Hactenus Deus se illi non manifestaverat, jacuerat in servituris luctu, ac tenebris carcerum; repente se Divino spiritu correptum sensit, qui velut ignis illum devoravit [11]: iis, qui detinebantur in vinculis, futura detexit, quod causa fuit, ut a Rege cognosceretur. Alii: in vinculis jacuit, donec adimpletum est verbum Domini in illo: Præcepta, ac Mandata Domini probaverunt illum velut metallum in fusoria fornacula. *Eloquium Domini inflammavit eum*. Maluit opprobria, & carcerem pati, atque in mortis periculum venire, quam ullum afferre detrimentum fidei, quam debebat Domino suo, atque officio erga herum suum. Nemo ignorat, Josephum in carcerem fuisse conjectum, eo quod indulgere noluerit Dominæ suæ, qui illum turpiter deperibat.

℣. 21. UT ERUDIRET PRINCIPES EJUS SICUT SEMETIPSUM, & SENES EJUS PRUDENTIAM DOCERET.] Joseph, postquam Pharaonis somnium interpretatus est, tantam sapientiæ famam in Ægypto universa adeptus est, ut veluti regionis oraculum haberetur. Rex Principesque omnes illum consulebant, ejusque consilia veluti Dei ipsius sortes venerabantur: cumque Regio præesset consilio, ac primas inter Præfectos Regis obtineret, pro virili adnisus est, omnemque existimationis auram, atque opinionem sapientiæ, quam sibi collegerat, impendit, ut Ægyptiis Religionem instillaret, ejusque veritatem illis detegeret, omnemque auferret errorum nebulam, quæ mentes illorum quoad Numinis cognitionem fortasse excæcabat. Hoc autem ex illius sapientia, atque Religione jure præsumere possumus [12].

Hebr. [13] *ut catenis alligaret*, vel ut puniret *Principes ejus, prout vellet, atque sapientiam senibus*, hoc est Senatoribus ejus *infunderet*. Pharao dedit illi potestatem animadvertendi in Principes Aulæ suæ, ac docendi Sapientiam illos, qui sibi aderant a Consiliis. Scriptura in Genesi 41. 40. ait, Josephum constitutum fuisse Regiæ Domus curatorem, totam Ægyptum illi paruisse, & Pharaonem non præstitisse ei, nisi solio, atque Regis nomine; sed ipsum illi annulum suum tradidisse, eumque vocasse Ægypti totius Gubernatorem, ac Pro-Regem.

℣. 22. JACOB ACCOLA FUIT IN TERRA CHAM.] In Ægypto, quæ terra Cham appellatur, eo quod Cham filius Noe ibi commoratus est, & Mizraim unus ex filiis ejus eam cultoribus frequentem effecit. Apud Veteres nonnullos dicitur *Chemia*; & Jupiter Ammon, adeo in Ægypto celebris, idem esse atque Cham perhibetur [14].

Au-

1 Genes. 20. 7. *Redde uxorem suo viro, quia Propheta est*.
2 Nicol. Damasc. apud Joseph. Antiqu. lib. 1. cap. 8. & Justin. l. 36. cap. 2.
3 Joseph. lib. 6. de Bello. cap. 11. in Lat. Kr. in Græc. pag. 928.
4 Vide August. hic. *Famem*, id est, *Angelum præpositum fami*, &c. 5 ענו בכבל רגליו
6 70. Σίδηρον διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Psalt. S. Germ. & Carnut. *Ferrum pertransiit anima ejus*.
7 ברזל באה נפשו 8 Symmach. Εἰς σίδηρον ἦλθεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ.
9 Genes. 37. 9. 10. Vide Euseb. Athanas. Muis. Tyr. Menoch. Geier.
10 עד עת בא דברו אמרת יהוה צרפתהו 11 Vide Psalm. 118. 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Eccli. 48. 1. *Surrexit Elias, quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat*. Psalm. 11. 7. *Eloquia Domini argentum igne examinatum*. 13. 31. *Eloquia Domini igne examinata*.
12 Theodoret. Euseb. August. Genebr. 13 לאסר שריו בנפשו וזקניו יחכם
14 Vide Boch. Phaleg. lib. 4. c. 1.

℣. 25. Auxit populum suum vehementer.] A Adeo, ut Rex Ægypti dictitaret Exod. 1. 7. *Filii Israel creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati sunt nimis &c.* Jacob in Ægyptum venerat, Septuaginta dumtaxat e familia sua secum adducens; posteri vero illius post annos ducentos, & quindecim inde egressi expleverunt numerum 600000. bellatorum, non recensitis mulieribus, pueris, ac senibus.

℣. 24. Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus.] Ægyptios liberæ ipsorum tradidit voluntati, ait Theodoretus, & quin eorum mentem immutaret, eos studia sua sectari passus est, neque avertit mala, quæ inferre volebant Israel. Eusebius magis litteræ adhærens, credit, Dominum, ut Israelitas puniret, qui eum deseruerant, adversus illos excitasse Ægyptios, qui variis laboribus eos opprimerent, ut ad Deum reverterentur, ac Idolorum vanitatem agnoscerent. B S. Augustinus ait [1], Domino populum suum bonis cumulante Ægyptiorum invidiam excitatam fuisse, eisque occasionem datam, ut pravam voluntatem suam in Israel ostenderent. Simpliciter igitur prævidit, atque permisit, non autem peperit hoc odium, & hanc invidiam.

℣. 26. Verba signorum suorum.] Potentiam suam ad prodigia efficienda: Vel cum Hebraico textu [2]: Moyses, & Aaron *posuerunt in eis*, in Ægyptiis, *res*, verba, executionem *prodigiorum suorum*. Moyses, & Aaron in Ægypto exercuerunt potestatem, quam illis contulerat Deus in nomine illius, ac de illius mandato patrandi miracula.

℣. 27. Non exacerbavit sermones suos [3].] C Explevit ad litteram quidquid Moyses dixerat, atque Pharaoni Domini verbis fuerat minitatus. Effectus semper consecutus est verbum illius. Deus semper adstitit servo suo, ut si fieri posset, obstinatum Regis cor expugnaretur. Hebræus [4], Chaldæus, Aquila [5], Symmachus [6], Theodotion [7], Editio quinta in Hexaplis, Cassiodorus, complura apud S. Augustinum Exemplaria, & vetus S. Germani Psalterium, legunt [8]: *non exacerbaverunt sermones suos*. Moyses, & Aaron non fuerunt increduli Domino, obtemperaverunt, ac ad finem usque fideles illi adhæserunt. Vel id ad præcedentia referendo: Immisit Dominus tenebras in Ægyptum universam, ac illæ, sine mora, illius imperata fecerunt. Sed prior explicatio melior est; quoniam tenebræ in Hebraico textu numeri sunt singularis, neque bene convenire possunt, cum *exacerbaverunt*, numero multitudinis. D

Septuaginta [9] non sibi constant, licet non tantum intersit inter illorum Exemplaria discrimen: Alia enim legunt: *Et exacerbaverunt sermones suos*; alia, *quoniam exacerbaverunt sermones suos*. Tenebræ in Ægyptum universam effusæ sunt, & Ægyptii Dominum exacerbare persliterunt, ac magis magisque occalluerunt; neque omnium horum miraculorum vi tantillum commoti sunt. Notandum est, Psalmillam isthic nequaquam sectari temporum ordinem; non scribit historiam, sed præcipua eligit facta, quin omnes eorum circumstantias persequatur.

℣. 28. Convertit aquas eorum in sanguinem.] E Conversio hæc realis fuit, teste S. Athanasio, quandoquidem pisces omnes periere: *Et occidit pisces eorum.*

℣. 29. Edidit terra eorum ranas:] Septuaginta [10] significantius verbum usurpant: *Terra ebullivit ranas*. Ranæ tamquam e terra *ebulliente* magna in copia egrediebantur; vel uti legit S. Augustinus: Tot edidit terra eorum ranas, ut in hoc insectorum genus terram immutatam esse credidisses.

℣. 30. Coenomyam, & cinifhes.] Sunt, qui Græce legant, *cynomuia*, *musca canina* [11]; alii [12] *coenomuia*, muscarum immixtio; quod propius Hebraico textui congruit: Muscæ cujuslibet generis; cui lectioni S. Hieronymus [13] suffragatur. *Ciniphes* vero sunt musciones exigui, in Ægypto valde incommodi [14]. Rabbini, quibus eorum plerique adhærent, qui Hebræorum vestigia sectantur, tenent Hebraicam vocem [15] significare pulices. Josephus eodem in sensu intellexit.

℣. 31. Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem &c.] Viatores, qui recentius scripsere, tenent in Ægypto æque pluere, ac alibi, sed infrequentius. Pro imbribus Deus illis immisit grandinem, eamque tantæ magnitudinis, ut omnes confregerit arbores. Nec defuere fulmina, fulgura, ignes de Cœlo, qui, quin grando liquesceret, ubique terrorem ciebant, flammasque accendebant. Auctor Libri Sapientiæ 16. 17. diserte hoc prodigium extollit.

℣. 32. Ficulneas eorum.] Quædam ficus species in Ægypto nascitur, quæ hodie vulgo Pharaonis ficus appellatur; hæc est sycomorus, vel ficus insipida. Athenæus l. 2 c. 11. de quadam Ægypti ficu loquitur, fructus suos non ex ramis, sed ex ipso trunco gignente.

Vineas.] De Ægypti vineis locuti sumus in Psalmum 77. 47.

℣. 35. Primitias omnis laboris eorum.] Hebræus potius significat [16]: *Primogenita eorum*. Initium fortitudinis illorum. Confer Genes. 49. 3.

℣. 36. Cum argento, & auro.] Quid de hoc Hebræorum facto sentiendum, perpendimus in Exod. 11. ℣. 1. 2.

Non erat in tribubus eorum infirmus.] Ægypti plagæ in illos non ceciderant, & labores, quibus antea fuerant oppressi, ne minimum quidem eorum offecerant incolumitati Psalmi Auctor his verbis refellere voluisse videtur Ægyptiorum opinionem, fallacemque aliorum populorum spem, qui putabant, Judæos ex Ægypto ejectos fuisse, eo quod lepra erant infecti. Manethon, Cheremon, Lysimachus [17], Justinus l. 36. & Tacitus hist. l. 5. satis diu mendacissimam hanc sententiam aluerunt; verum loquebantur juxta antiquiorem Traditionem, quæ apud Judæorum hostes obrepserat, & quæ jam vigere poterat, cum Psalmus hic eam in formam, qua illum habemus, perfectus fuit; videlicet post captivitatem, tunc enim additum fuisse arbitramur quidquid post ℣. 22. isthic legimus.

Hebræus habet [18]: *non erat in tribubus eorum, qui claudicaret*, qui ægre ambularet. Omnes bona valetudine utentes, absque ullo incommodo, discesserunt; Deus abstulit quidquid illis obesse poterat; ne lapidem quidem invenerunt, qui iter suum præpediret.

℣. 39. Petierunt, & venit coturnix.] Hoc plane ad illud tempus attinet, quo primum Deus illis demisit coturnices in castra Sin Exod. 16. 13. Antiqua Psalteria quædam [19], & Chaldæus: *Petierunt carnem, & co-*

---

1 Aug. hic. *Non itaque cor illorum malum faciendo, sed populo suo benefaciendo, cor illorum sponte malum, convertit ad odium.* 2 שמו בם דברי אותותיו 3 Psalt. Carnut. *Et non præteriit sermones suos.*

4 ולא מרו את דבריו 5 Aqu. Καὶ οὐ προσήρισαν. *Et non contenderunt.*

6 Sym. Καὶ οὐκ ἠπείθησαν. *Non fuerunt increduli.* 7 Theodot. & 5. Edit. Καὶ οὐ παρεπίκραναν.

8 Plures apud Aug. & Cassiod. *Non exacerbaverunt sermones suos.* 9 70. Edit. Rom. Καὶ παρεπίκραναν τοὺς λόγους αὐτοῦ, Sed Theodoret. Edit. Complut. Euseb. Ὅτι παρεπίκραναν. Et ita Psalter. Rom. & Mediol. *Quia exacerbaverunt*. Hieronymiaster in Comment. *Et exacerbavit, &c.* 10 Ἐξῆψεν ἡ γῆ αὐτῶν βατράχους. Aug. *Dedit terram eorum ranas*; Convertit eorum terram in ranas. Psalterium Rom. & Mediol. *Misit terra eorum ranas*. Alia: *Misit in terra*, vel *in terram*, & Hieron. ad Suniam. *Dedit terra eorum*. 70. *Ebullivit.*

11 Κυνόμυια. *Musca canina*. Psalt. Mediol. 12 Κοινόμυια. Hebræus: ערב *Mixtura*. Aqu. Πάμμικτον.

13 Hieron. ad Suniam & Fretell. sed in Comment. legit: *Cynomyia*.

14 Vide Philon. Vita Mosis. Legit, Σκνῖπες, ut 70. 15 *Pediculi*. כנים Chald. קלמיתא

16 ראשית לכל אונם Hieron. *Primitias universi partus eorum.*

17 Apud Joseph. lib. 1. contra Appion. 18 ואין בשבטיו כושל

19 Hieron. in Comment. Psalt. Carnut. & Rom. *Petierunt carnem, & venit coturnix.*

& coturnix demissa est ad illos. Hebr. [1]: *Petiit, & venit coturnix*. Moyses, vel populus petiit, & Deus illis dedit coturnices, & mannam.

℣. 40. ABIERUNT IN SICCO FLUMINA.] *Flumina* poetice appellat rivos, qui de petra effluxerunt, & qui Hebræorum agmen subsecuti sunt. Aquæ, quas elicuit Moyses de petra, tanta in copia fuerunt, ut quædam veluti flumina viderentur.

℣. 43. DEDIT ILLIS REGIONES GENTIUM.] Chananæorum, Amorrhæorum, Og, & Sehon. Eas illis dedit Deus, veluti absolutus rerum Dominus; juste illas ademit populis iis, qui iniquitatibus suis addiderant cumulum, & qui se vita ipsa, ac libertate indi-

A gnos præbuerant; quapropter imperavit Deus, ut delerentur [a].

℣. 44. UT CUSTODIANT JUSTIFICATIONES EJUS.] Hebræus ad litteram [3]: *ut custodiant mandata*, vel præcepta ejus. Hæc mens fuit Dei, illos in possessionem terræ Chanaan introducentis; ut scilicet ibi haberet populum, qui ipsum agnosceret, ipsi inserviret, ipsius Leges observaret, pro populo nequam, flagitioso, ac impio.

ALLELUJA] legitur in fine hujus Psalmi in Hebraico textu, & Chaldæo, atque in Complutensi Editione Septuaginta; sed Vulgata, & Septuaginta Romanæ Editionis illud in sequentis Psalmi initium rejiciunt

1 שאל ויבא שלו
3 בעבור ישמרו חקיו

a Num. 33. 51. 52. Deut. 7. 5. & 20. 13. 14.

PSALMUS CV.

Oratio Captivorum Babylonis tum Dei beneficia, tum sua, patrumque suorum peccata confitentium. Dominum orant, ut ipsos in patriam congreget, ac tandem ex exilii squalore educat.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

Plurima Exemplaria [1] legunt duplex *Alleluja* in Psalmi hujus titulo; verum hoc generatim dicendum est, inquit S. Hieronymus hic, quotiescumque bis in Psalmi alicujus fronte *Alleluja* invenitur, alterum ex præcedentis fine fuisse desumptum, alterum ad consequentem Psalmum spectare. Hoc profecto in titulo præsenti deprehenditur. Rabbini in Seder Olam docent, hunc, & superiorem Psalmum quotidie cani consuevisse coram Arca Domini in monte Sion, septem ac triginta annorum spatio, qua ibi stetit, ex quo illuc eam David transtulit, usque ad Salomonici Templi Dedicationem.

Credimus autem cum S. Augustino, Eusebio, ac Theodoreto, hanc Psalmi 104. esse continuationem. Primus, ac postremi duo Psalmi hujus CV. versiculi in Cantico Paralipomenon inveniuntur [2], ubi prior Psalmi superioris pars reperitur. Psalmista enarratis in Psalmo 104. Dei beneficiis, isthic populi scelera, & supplicia, quibus ob ea ille affectus fuit, recenset.

Complures notæ melioris Interpretes hunc de captivitate Babylonis intelligunt [3]. Versiculi quartus, & quintus, atque septimus supra quadragesimum huic favent sententiæ; verum nihilo minus conveniunt etiam Judæis recenter de Babylonica servitute reversis, a Deo petentibus, ut dignetur fratres illorum revocare, adhuc in dispersione remanentes, atque confitentibus, se propter iniquitates suas in omnia mala datos esse præcipites, ac præcipue in captivitatem, ac exilium abductos fuisse. S. Hieronymus hoc explicat in sensu spirituali, veluti adhortationem quamdam ad peccatores, ut ad Deum revertantur, & invectivam adversus illos, qui salutem suam, ac pœnitentiæ medicinam contemnunt,

1. CONfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.
2 Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus. 3
Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore. 4
Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo. 5
Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ut
lauderis cum hæreditate tua. 6 Peccavimus cum patribus nostris: injuste egimus,
iniquitatem fecimus. 7 Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non
fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. 8 Et irritaverunt ascendentes in mare, Mare rubrum. 9 Et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam. 10 Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est: & deduxit eos in
abyssis sicut in deserto. 11 Et salvavit eos de manu odientium: & redemit eos de
manu inimici. 12 Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remansit. 13
Et crediderunt verbis ejus: & laudaverunt laudem ejus. 14 Cito fecerunt, obliti
sunt

1 Hieron. in Commen. Aug. & Beda in hunc Psalm.

2 Confer 1. Par. 16. 8. 9. . . . . 22. cum 15. prioribus versiculis Ps. 104. & 1. Par. 16. 34. 35. 36. ad Ps. 105. 1. . . . 47. 48.

3 Vide Græc. Corder. Paraphrast. & Bedam hic. Euseb. & Theodoret. ad ℣. 46. Vat. Muis, Ferrand. du Pin, Moller.

sunt operum ejus : & non sustinuerunt consilium ejus . 15 Et concupierunt concupi-
scentiam in deserto : & tentaverunt Deum in inaquoso . 16 Et dedit eis petitionem
ipsorum : & misit saturitatem in animas eorum . 17 Et irritaverunt Moysen in castris :
Aaron sanctum Domini . 18 Aperta est terra , & deglutivit Dathan : & operuit super
congregationem Abiron . 19 Et exarsit ignis in synagoga eorum : flamma combus-
sit peccatores . 20 Et fecerunt vitulum in Horeb : & adoraverunt sculptile . 21 Et
mutaverunt gloriam suam , in similitudinem vituli comedentis fœnum . 22 Obliti sunt
Deum , qui salvavit eos , qui fecit magnalia in Ægypto , mirabilia in terra Cham : ter-
ribilia in Mari rubro . 23 Et dixit , ut disperderet eos ; si non Moyses electus ejus
stetisset in confractione in conspectu ejus : 24 Ut averteret iram ejus , ne disper-
deret eos : Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem . 25 Non crediderunt
verbo ejus , & murmuraverunt in tabernaculis suis ; non exaudierunt vocem Domi-
ni . 26 Et levavit manum suam super eos ; ut prosterneret eos in deserto . 27
Et ut dejiceret semen eorum in nationibus : & dispergeret eos in regionibus . 28
Et initiati sunt Beelphegor : & comederunt sacrificia mortuorum . 29 Et irritave-
runt eum in adinventionibus suis : & multiplicata est in eis ruina . 30 Et stetit
Phinees , & placavit : & cessavit quassatio . 31 Et reputatum est ei in justitiam :
in generationem , & generationem , usque in sempiternum . 32 Et irritaverunt eum
ad aquas contradictionis : & vexatus est Moyses propter eos ; Quia exacerbaverunt
spiritum ejus . 33 Et distinxit in labiis suis : non disperdiderunt gentes , quas di-
xit Dominus illis . 34 Et commisti sunt inter gentes , & didicerunt opera eorum :
& servierunt sculptilibus eorum , & factum est illis in scandalum . 35 Et immola-
verunt filios suos , & filias suas dœmoniis . 36 Et effuderunt sanguinem innocen-
tem : sanguinem filiorum suorum , & filiarum suarum , quas sacrificaverunt sculptili-
bus Chanaan . 37 Et infecta est terra in sanguinibus , & contaminata est in ope-
ribus eorum : & fornicati sunt in adinventionibus suis . 38 Et iratus est furore
Dominus in populum suum : & abominatus est hæreditatem suam . 39 Et tradidit
eos in manus gentium : & dominati sunt eorum , qui oderunt eos . 40 Et tribu-
laverunt eos inimici eorum , & humiliati sunt sub manibus eorum : Sæpe liberavit
eos , 41 Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo : & humiliati sunt in ini-
quitatibus suis . 42 Et vidit , cum tribularentur : & audivit orationem eorum .
43 Et memor fuit testamenti sui : & pœnituit eum secundum multitudinem miseri-
cordiæ suæ . 44 Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium , qui cepe-
rant eos . 45 Salvos nos fac , Domine Deus noster : & congrega nos de nationi-
bus . 46 Ut confiteamur nomini sancto tuo : & gloriemur in laude tua . 47 Be-
nedictus Dominus Deus Israel a sæculo , & usque in sæculum : & dicet omnis po-
pulus : Fiat , fiat .

℣. 1. CONFITEMINI DOMINO , QUONIAM BONUS .] Verba hæc in Hebræorum ore erant frequentia , & hic communis erat eorum intercalaris concentus magnis lætitiæ diebus , & in gratiarum actionis celebritatibus [1]. S. Chrysostomus , S. Hieronymus , Eusebius , & S. Augustinus isthic intelligunt *Confitemini*, de peccatorum confessione , propter ea quæ sequuntur ; *quoniam in sæculum misericordia ejus ;* & ℣. 6. *Peccavimus cum patribus nostris , injuste egimus , iniquitatem fecimus .* Confitemini illi peccata vestra , quoniam clemens , & misericors est ; antiqua illius beneficia , & clementia , qua usus est erga patres vestros , vos excitent , ut confugiatis ad eum , ac humiliter delicta vestra illi confiteamini , donec tempus est ; etenim post hanc vitam nulla est amplius misericordia . *Hic est misericordia , cæterum supra justitia est : quandiu estis in sæculo , confitemini* , S. Hieronymus inquit .

Verum alii [2] majori cum probabilitate locum hunc de laudum confessione interpretantur . Populi captivi , & afflicti laudate Dominum , quoniam misericors est ; attollite spem vestram , ea recogitantes , quæ fecit patribus vestris ; simul ac ab eo petierunt opem , exaudivit illos , & eduxit eos de iis calamitatibus , quibus angebantur .

℣. 2. QUIS LOQUETUR POTENTIAS DOMINI .] Quis enumerare poterit miracula ejus , ea vero præsertim quæ operatus est pro populo suo ? Hæc enim præcipue isthic Psalmista spectabat .

℣. 3. BEATI , QUI CUSTODIUNT JUDICIUM , & FACIUNT JUSTITIAM IN OMNI TEMPORE .] Hi , Domine , digni sunt , qui tuas laudes enuntient , & qui misericordiæ tuæ effectus experiri mereantur . Si ex horum numero fuissemus , nequaquam ea , quæ passi sumus , mala fuissemus experti . Justus Justitiam exercere debet , non uno , vel pluribus annis , sed semper : *In omni tempore* , ait S. Hieronymus . *Justitia Justi* , Ezechiel c. 33. 12. inquit , *non liberabit eum in quacumque die peccaverit ; & impietas impii non nocebit ei , in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua .* Igitur *neque Justus debet esse securus , neque peccator desperare de sua salute* , ait Auctor ille , qui sub S. Hieronymi nomine circumfertur .

℣. 4. MEMENTO NOSTRI , DOMINE , IN BENEPLACITO POPULI TUI : VISITA NOS IN SALUTARI TUO .] Memento , Domine , nos esse posteros populi illius , quem elegisti , & quem

1 1. Par. 16. 34. & 2. Par. 5. 13. 7. 3. 6. 20. 21. Judith. 13. 21. Psal. 106. 1. 8. 15. 21. 117. 1. 2. 3. 135. 1. & sequ.
2 Vide Theodoret. & Interpret. passim.

quem olim tot beneficiis cumulasti. Et nobis confer eorum bonorum partem, quibus eos olim prævenisti. Hebr. [1] *Memento nostri tempore reconciliationis tuæ cum populo tuo*; vel eo tempore, quo populum tuum tua gratia dignaberis; *visitas nos, cum illum salvum facies*: Auctor Psalmi de Babylonica servitute reversus, noverat, Prophetas promisisse populo Dei futurum, ut in patria sua omnes congregarentur. Exigua jam redierat pars, at longe major adhuc variis in regionibus erat dispersa. Dominum ergo obtestatur, ut eos reducat, ac iterum simul omnes congreget in Judæam, eos visitet, ac patriæ telluri restituat. Syrus, Arabs, Septuaginta, quinta, & sexta Editio, Aquila, Symmachus, atque Theodotion [2] cum Vulgata legunt: *Memento nostri, & visita nos*; non autem: *Memento mei, & visita me*.

Versiculum hunc, & sequentem Patres [3] intelligunt de novo populo, quem JESUS CHRISTUS salvum fecit, atque in Ecclesia sua congregavit. Utinam, Domine, essemus ex numero filiorum tuorum, & eorum, quos mera liberalitate misericordiæ tuæ ad salutem perducis.

℣. 5. AD VIDENDUM IN BONITATE ELECTORUM TUORUM; AD LÆTANDUM IN LÆTITIA GENTIS TUÆ &c.] Concede illis, ut in Jerusalem revertantur ad exiguam illam partem populi tui, quem elegisti, & qui illuc reversus est; fac, ut nobiscum iis bonis fruantur, quibus nos post reditum nostrum cumulasti, & consortes sint nostræ lætitiæ, teque laudent in regione hac, quæ tua est hæreditas. *Videre bona* apud Hebræos idem est, ac illis frui, ea possidere: *Ad videndum in bonitate*, hoc est juxta S. Hieronymi versionem, *ut videam bona electorum tuorum*. Vertit autem numero singulari, non secus ac Chaldæus, totum hunc, superioremque versiculum. Alii vero numero multitudinis efferunt: *Ut videamus bona electorum suorum*; qui sensus cum superioribus cohærere mihi videtur.

℣. 6. PECCAVIMUS CUM PATRIBUS NOSTRIS.] Quidquid præcedit, est quoddam veluti proœmium. Isthic incipit sua, patrumque suorum fateri peccata. *Justus prior est accusator sui*, inquit Sapiens Prov. 18. 17. Nos, patresque nostri noxii fuimus; merito indignationis tuæ pondus subivimus, & passi sumus ea mala, quæ in nos irruerunt, eo quod patrum nostrorum ingratitudinem simus imitati.

℣. 7. IN ÆGYPTO NON INTELLEXERUNT MIRABILIA TUA.] Eorum quidem testes fuerunt, verum ea nihilum animos eorum affecerunt. Primo statim tempore eorum obliti sunt, neque cogitarunt amplius de infinita illa potentia, quæ tot prodigia patraverat. Obmurmurarunt, animis defecerunt, perinde ac Dux eorum non esset Deus Omnipotens.

℣. 8. ET IRRITAVERUNT ASCENDENTES IN MARE, MARE RUBRUM.] Te irritarunt, cum enim viderunt mare Rubrum, atque Ægyptios post terga sua, se persequentes, dixerunt Moysi Exod. 14. 11. *Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine; quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto? Non ne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes, Recede a nobis, & serviamus Ægyptiis? multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine*. Septuaginta [4], & antiqua Psalteria legunt simpliciter: *Et irritaverunt ascendentes in mari Rubro*. Sed Hebræus bis legit *mare*; & Kimchi putat, Psalmistam hic ad duplicem Israelitarum lapsum alludere, alterum quidem murmur, de quo nuper locuti sumus; alterum metum in maris imum ingrediendi postquam aquæ secesserant, causantibus limum, quem subsedisse dictitabant.

Hæc loquendi ratio: *ascendentes in mare*, innuere velle videtur, ipsos navim hoc in mari conscendisse, potiusquam sicco pede ab uno ad alterum littus illud traduxisse; descenderunt enim, non ascenderunt. Sed Hebraicum verbum ascendere, *ire* simpliciter significat; præterea Maris Rubri littora sunt juges montium terræ, quo nonnisi ascendendo aditus patet ex Ægypto, unde Israelitæ discesserant. Operam ludit Ferrandus, qui isthic contra Antiquorum omnium sententiam [5] quamdam S. Basilii hom. 4. in Hexaem. auctoritatem arripiens probare adnititur, Rubrum Mare Ægyptio solo elatius esse. Nequaquam fidei consonum est, Psalmi hujus Auctorem id cogitasse hoc scribentem. Ait, Israelitas ascendisse ad mare Rubrum; montes enim, qui in ora occidentali mare illud circumscribunt, elatiores sunt agris illis, qua Nilus præterfluit. In sequenti Psalmo ℣. 23. omnino oppositum legimus, *qui descendunt mare*; quoniam de mari tunc loquitur, habita ratione soli Jerusalem, quod sublimius erat, quam mare Mediterraneum, ubi naves conscendere consueverant.

℣. 9. SALVAVIT EOS PROPTER NOMEN SUUM.] Potuisset Dominus eorum ingrati animi vitium persequi, eos tradens Ægyptiis, quoniam insolenter dixerant, illis utilius futurum fuisse, ex servitute nequaquam emergere, quam Moysem sectari; sed eos perdere noluit; ne inimici nominis sui hinc occasionem arriperent illud blasphemandi, dicendique; non valuit Deus eorum ipsos e manibus nostris eripere. *Scidit aquas ante eos*, ait Isaias 63. 12. *ut faceret sibi nomen sempiternum . . . . adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ*.

℣. 10. INCREPUIT MARE RUBRUM;] ac illud exsiccavit. Poetica loquendi ratio ad innuendam iram Dei, ac omnipotentiam illius. Vix minaci ore hæc protulerat, cum dicto citius indomitum hoc elementum cedere, ac in partes recedere visum est. Nahum similiter loquitur c. 1. 4. *Increpans mare, & exsiccans illud*. Et David Psal. 17. 16. *Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum ab increpatione tua Domine*.

DEDUXIT EOS IN ABYSSIS SICUT IN DESERTO:] Isajas 63. 13. *eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem: Quasi animal in campo descendens, Spiritus Domini ductor ejus fuit*.

℣. 12. UNUS EX EIS NON REMANSIT.] S. Irenæus l. 4. c. 48. ait, Pharaonem, cum crederet Hebræos magicæ artis vi aperuisse Rubrum mare, nequaquam absterritum fuisse, quo minus una cum exercitu suo illuc ingrederetur, ratus fore, ut & Magi sui hoc ipsum præstarent. Sed cum Moyses aquis imperasset, redierunt illæ in pristinum locum, & Rex Ægypti una cum omnibus copiis suis submersus est. Manethon apud Joseph. l. 1. contra Appion. refert, Regem, a quo Hebræos ejectos fuisse dicit, plures adhuc annos regnasse ab exitu eorum; immo Lorinus, & nonnulli post illum credidere, Pharaonem ex hoc periculo incolumem evasisse. Verum Psalmi hujus textus, ac Moyses ipse eorum prorsus sententiam evertunt [6]. Idem populus ex Ægypto, qui Israelitis adhæserat, & cujus meminit Scriptura Exod. 12. 38. eodem, ac Hebræi, privilegio gavisus est, ac sine ullo periculo mare transmisit. Cum Psalmista ne unum quidem Ægyptium ait effugisse, de iis unice intelligit, inquit Eusebius, qui adversus Hebræos venerant. Transitus hic Rubri maris [7] in spirituali sensu de Baptismate explicatur; ubi Dæmon, & peccatum, qui in Pharaone, atque exercitu illius exhibentur, submersi sunt.

℣. 13. CREDIDERUNT VERBIS EJUS, & LAUDAVERUNT LAUDEM EJUS [8].] Post Rubri maris transitum *timuit populus Dominum*, ait Scriptura Exod. 14. 31. & 15. 1. *& crediderunt Domino, & Moysi servo ejus: tunc ceci-*

---

1 זכרני יהוה ברצון עמך פקדני בישיעתך Ita Chald. & Hieronym. *Recordare mei, Domine, in repropitiatione populi tui; visita me in salutari tuo*. 2 Aqu. Sym. Th. 5. & 6. Edit. Μνήσθητι ἡμῶν, κύριε, ἐν τῇ εὐδοκίᾳ τοῦ λαοῦ σου, &c. 3 Euseb. post vers. 41. Chrysost. Theodoret. Hieron. hic.

4 70. Παρεπίκραναν ἀναβαίνοντες ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. Ita Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. Edit. Complut.

5 Vide Strabon. Plin. Aristotel. 6 Exod. 45. 28. *Ne unus quidem superfuit ex eis*.

7 Vide Hieronym. hic, & Origen. in Exod. 8 Psalt. Rom. *Cantaverunt laudes ejus*. Ita 70. Καὶ ᾖσαν τὴν αἴνεσιν αὐτοῦ.

vicinis Moysis, & filii Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus &c.

℣. 14. CITO FECERUNT, OBLITI SUNT OPERUM EJUS.] Hebr. [1] *festinaverunt oblivisci operum ejus*. Re quidem vera vix elapso triduo, iterum obmurmurarunt. Cum enim tertia die post Maris Rubri transitum pervenissent in Mara Exod. 15. 22. ibique amaras aquas invenissent, exarserunt in Moysem. Deus consueta clementia sua novum illic prodigium operatus est, ut illis aquam ad potandum suppeditaret. Injecit Moyses lignum in aquas Mara, quod omnem illis abstulit amaritudinem.

NON SUSTINUERUNT CONSILIUM EJUS.] Patienter nequaquam præstolati sunt, donec consilia sua super illos exequeretur. Vel, Consiliis ejus noluerunt acquiescere [2]. Prout suum ferebat ingenium, agere voluerunt, ac Deo ipsi leges irrogare. Moyses ait, Dominum, mandata, atque præcepta dedisse populo suo in castris Mara Exod. 15. 25. Psalmista hic narrat, Israel illis non obtemperasse, neque aurem præbere voluisse consiliis, quæ illi Dominus suggerebat. Rebellis hic populus voluntatem suam sequi maluit, quin Dominum auscultaret.

℣. 15. CONCUPIERUNT CONCUPISCENTIAM IN DESERTO.] Alludit ad ea, quæ in deserto Sin contigerunt, ubi populo carnes efflagitanti, Deus coturnices demisit Exod. 16. 13. vel potius ad ea, quæ acciderunt in deserto Pharan, ubi Deo jubente aves iterum illis depluerunt, sed majori in copia Num. 11. 31. cui novissimæ circumstantiæ versiculus sequens magis suffragatur. Non semel jam admonuimus, Psalmistam temporum seriem nequaquam in iis sequi, ad quæ in Psalmis alludit. Loquitur infra de seditione atque supplicio Core, Dathan, & Abiron, antequam aurei vituli historiam attigerit, licet hæc illi non modico temporis intervallo præcesserit.

℣. 16. MISIT SATURITATEM IN ANIMAS EORUM.] Misit illis coturnices ad satietatem. Scriptura Num. 11. 19. palam ait, Deum eorum murmuratione irritatum, dixisse, illis ad tædium usque carnes se daturum. Ait deinde Psal. 77. 30. carnem adhuc in eorum ore fuisse, cum in illos Domini ira deronuit, quæ ingentem adeo illorum numerum occidit, ut loco nomen factum fuerit: *sepulchra concupiscentiæ*, Num. 11. 33.

Hebræus ita legit [3]: *Immisit Dominus maciem in animas eorum*. Non permisit Deus, ut hæc esca, quam importunis precibus extorserant, illis prodesset; eam adhuc ore tenebant, cum effecit Deus, ut illam evomerent. Textus Septuaginta duplicem sensum potest admittere [4]: *misit repletionem in animam eorum*. Eos saturavit, appetitum eorum ad satietatem explevit. Vel, ad fastidium usque illis carnes dedit; ex ea ad incommodum usque, & ventris cruditatem comederunt, qui sensus cum Hebraico posset congruere; habet enim: *Immisit Dominus maciem*. Nihil enim adeo valetudini obest, quam immodice esca repleri [5]. Mallem credere, Septuaginta in hebraico textu legisse *Sara*, vel *Saron*, pro *Rason* Cus, quarum prior vox *fastidium*, *maciem* altera significat. *Sara* est vox, qua usus est Moyses [6], ut Hebræorum nauseam, postquam comederant coturnices, significaret; & Græca vox *Plesmoni* in Septuaginta, atque probatissimis Græcis Auctoribus invenitur ad nauseam designandam [7]. Hinc profectus est ille Hippocratis aphorismus, toties citatus, sed perperam intellectus; omnis repletio, *plesmoni*, vel potius, *omnis nausea mala, panis vero pessima*.

℣. 17. ET IRRITAVERUNT MOYSEM IN CASTRIS: AARON SANCTUM DOMINI.] Core ex progenie Levi, Dathan vero, Abiron, & Hon ex tribu Ruben hanc excitarunt seditionem in Moysem, in quam ducentos, & quinquaginta, qui suis partibus studebant, pellexerunt [8]. Core, quique illi favebant, supremum Sacerdotii honorem sibi efflagitabant, dicentes, Aaronem nullo potiori jure eam sibi vindicare; Dathan, Abiron, & Hon cum essent ex progenie Ruben primogeniti Jacob regimen sibi deposcebant, quod Moysem occupasse conquerebantur. Hæc fuit seditionis causa. Aaron isthic *Sanctus Domini* appellatur, hoc est Summus Sacerdos illius.

℣. 18. APERTA EST TERRA &c.] Animadvertit Eusebius, Deum erga Hebræos indulgentia usum fuisse, donec ipsum tantummodo lacesserunt. Sed simulac servos ejus lædere ausi sunt, statim in illos exarsisse, perinde ac innuere vellet, se magis affici servorum, amicorumque suorum probris, quam si ipse læderetur. Psalmi hujus auctor strictim hanc historiam enarrat, & operæ pretium est, diligentius illius circumstantias explorare. Core, Dathan, & Abiron, cum tellus hisceret, absorpti sunt [9]. Sed filii Core paterni supplicii periculum evaserunt [10], & ducenti, & quinquaginta viri, qui erant in partibus Core, Dathan, & Abiron, flamma ex Domini Tabernaculo egressa consumpti sunt [11]. Non liquet vero, utrum *Hon* ex numero ducentorum, & quinquaginta calamitosorum fuerit, an ab eo nefario, quod inierat, consilio recesserit, Scriptura explicite quid de illo factum fuerit, non refertur. Judæi putant, ab uxore ex ea conjuratione evocatum ad officium rediisse. *Congregatio Abiron* [12], de qua textus hic loquitur, nihil est aliud, quam illius uxores, filii, pecus, tentorium [13]. Psalterium Carnutense legit: *Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & tabernaculum Abiron*.

℣. 19. FLAMMA COMBUSSIT PECCATORES.] Ignis a facie Domini erumpens ducentos, & quinquaginta fautores Dathan, & Abiron absumpsit Num. 15. 35. Veteres nonnulli [14] crediderunt, Core flammis crematum fuisse, quandoquidem ℣. 18 Psalmista eos referens, qui a terra absorpti fuerunt, illius non meminit. Sed Moyses in Numerorum libro [15] aperte refert, illum eadem pœna mulctatum fuisse, ac alios duos conjurationis auctores.

℣. 20. ET FECERUNT VITULUM IN HOREB: & ADORAVERUNT SCULPTILE.] Loquitur de aureo vitulo, quem ad radices montis Sinai, vel Horeb adoraverunt. Hebræus rem propius tangit, quam Vulgata [16]; addit enim, eos adorasse *opus conflatile*. Profecto aureus vitulus ex auro fuso conflatus erat, quemadmodum ex Exodo 32. 3. patet. Ego vero factum hoc fusius enarrandum minime aggredior: videri potest Commentarium nostrum in Pentateuchum.

℣. 21. MUTAVERUNT GLORIAM SUAM IN SIMILITUDINEM VITULI COMEDENTIS FOENUM.] Hoc appositum nequaquam inconsulto isthic vitulo adjectum est; hoc enim pacto populi dementia, atque cæcitas planius ostenduntur. Deum reliquit, ut adoraret; at quid? vitulum, vile animal, quod gramine vescitur. Deus passim populi sui *gloria* dicitur [18]. Oseas per jocum aureos Samariæ vitulos, adorantium gloriam appellat [19].

℣. 22. IN TERRA CHAM.] In Ægypto, quam frequentem

---

1 מהרו שכחו מעשיו 2 לא חכו לעצתו 3 וישלח רזון בנפשם
4 Ἐξαπέστειλε πλησμονὴν εἰς τὰς ψυχὰς αὐτῶν. Quasi legissent, רצון *Beneplacitum*, pro רזון *Macies*.
5 Vid. Geneb. hic, & Galen. in Aphorism 17. lib. 2. 6 זרון *Saron*. זרה *Sara* רזון *Rason*.
7 Num. 11. 20. והיה לכם לזרה 8 70. in Isai. 1. 14. Ἐγενήθητέ μοι εἰς πλησμονήν. Isocr. ad Demon. Πλησμονὴ γὰρ ἀπάντων. 9 Vide Num. 16. 10 Num. 16. 24. . . . . 31. 32.
11 Num. 26. 10. 11. 12 Num. 16. 35. 13 עדת אבירם 70. Συναγωγὴ Ἀβειρών.
14 Vide Num. 16. 27. *Dathan, & Abiron stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus, & liberis, omnique frequentia.* 15 Joseph. Antiqu. l. 4. cap. 3. Constit. Apostol. l. 2. cap. 27. Nyssen. de vita Mosi. Chrysost. homil. 4. *in vide Dominum* &c. Petr. Damiani Opuscul. 18. cap. 4. Euseb. hic.
16 Num. 16. 24. 31. 32 & 26. 10. *Aperiens terra os suum devoravit Core.*
17 וישתחוו למסכה 18 1. Reg. 4. 21. 22. Psalm. 3. 4. 61. 8. Jerem. 2. 11. Rom. 1, 23.
19 Osee 10. 5. *Æditui ejus super eum exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo.*

quentem reddidit Mizraim filius Cham Gen. 10. 6.

℣. 23. Et dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione.] Veluti Imperator, qui ut hostem propulset, ne civitatem invadat, se se illius telis objicit, atque confracti muri hiatum occupat, cum inhibiturus[1]. Vel, nisi Moyses inter utrumque stetisset, veluti duos inter se dimicantes separaturus. Conqueritur Deus de Pseudo-Prophetis, qui videntes iram Domini jam jam in populum suum erumpentem, se se veluti parietem minime objecerint: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel* Ezech. 13. 5. & 22. 30. *Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; & non inveni*.

Chaldæus: *Nisi Moyses se se coram Deo obtulisset, atque oratione sua prævaluisset*. Hebræus belle ita verti potest[2]: *eos perdere decreverat, nisi Moyses se obtulisset, ut illorum excidium averteret*. Hebraica vox, quam Vulgata reddidit confractionem, sæpius *excidium*, atque *destructionem* significat[3]. Septuaginta[4]: *Nisi Moyses intercessisset tunc, cum Deus eos perditurus erat*. Hoc ad illud referri potest, quod post aurei vituli adorationem contigit, cum Moyses Dei jam jam Hebræum nomen deleturi iram delinivit, dicens ei Exod. 32. 10. *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*. Vel hoc accidit post exitium Core, Dathan, & Abiron: cum enim iterum obmurmurasset populus, ac Deus jam jam illum perdere vellet, Moyses, & Aaron coram illo prostrati, iræ ejus impetum cohibuerunt Num. 16. 44.

℣. 24. Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.] Reversis illis, qui terram Chanaan exploratum fuerant dimissi, populus audiens ea, quæ legatorum nonnulli de immani Chananæorum corpore, ac de urbium fortitudine ennarrabant, cœpit obmurmurare Num. 13. 14. neque aures præbere voluit Domino, Moysi, Aaroni, Caleb, & Josue, qui dictitabant, divina favente gratia nihil facilius fore, quam ea regione potiri. *Non exaudierunt vocem Domini*.

℣. 26. Elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto.] Hoc accidit post Hebræorum murmur, in promissam terram ingredi renuentium, eo quod terror illis incesserat propter ea, quæ exploratores retulerant Num. 14. 29. *Elevare manum* plerumque jurare tantum significat[5].

℣. 27. Et ut dejiceret semen eorum in nationibus &c.] Dominus hoc illis minitatus fuerat in Levitico 26. 31. *Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me.... urbes vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam Sanctuaria vestra, nec recipiam ultra odorem suavissimum... vos autem dispergam in Gentes, & evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, & civitates vestræ dirutæ. Tunc placebunt terræ sabbatha sua* &c. Et in Deuteronomio 28. 36. *Ducet te Dominus, & Regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras.. & eris perditus in proverbium, ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus... Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terræ, usque ad terminos ejus.... in gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui*. Hæc autem vaticinia tunc eo magis eos perterrere debebant, quod Judæi actu eorum effectus expetiebantur. Ezechiel quoque cap. 20. meminit minatum, quas populo suo in Deserto Dominus intentavit: *Levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationes, & ventilarem in terras*.

℣. 28. Initiati sunt Beelphegor[6], & comederunt sacrificia mortuorum.] Hæc in Moabitide contigerunt. Adi nostram de Beelphegor Dissertationem Numeris præfixam: *Sacrificia mortuorum* ea sunt, quæ in Adonidis honorem fiebant. Chaldæus in Num. 25. 2. ubi hæc historia refertur, ait, populum de silicerniis eorum, vel de funebri eorum convivio comedisse[7].

℣. 29. In adinventionibus suis.] Antiqua Psalteria[8]: *in studiis suis*. Mediolanense: *in observationibus suis*; in impiis superstitionibus suis.

Multiplicata est in eis ruina.] Murmuratores omnes in deserti itinere perierunt, neque Domini promissis frui contigit illis. Si mavis asserere, hoc illis accidisse in pœnam sceleris, quod in festivitatibus Beelphegor patraverant, dici potest, Psalmista isthic alludere ad ea quatuor, & viginti hominum millia, quæ tunc temporis interierunt Num. 20. 9. Hebræus[9]: *Contrivit eos plaga*; peste illos percussit, ait Chaldæus, vel subita morte, Syrus inquit. Vide Commentarium in Numeros c. 25. ℣. 8. 9.

℣. 30. Stetit Phinees, & placavit[10], & cessavit quassatio.] Videlicet pestis, vel cædes, quæ brevi adeo viginti quatuor hominum millia peremerat. Hebræus[11]: *Phinees surrexit, & oravit*, vel ultus est, vel expiavit, *& plaga desiit*. Scimus, Phineem gladio suo simul & Israelitam quemdam, & mulierem Madianitidem in ipso concubitu confodisse, Num. 25. 8.

℣. 31. Et reputatum est ei in justitiam.] Deo gratissimus fuit zelus illius, eumque remuneratus est, pollicitus futurum, ut ab illius familia Sacerdotium numquam recederet: *Da ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israel* Num. 20. 12. Factum hoc reputatum est ei in justitiam: remunerationem accepit, & Domini sui gratiam meritus est.

℣. 32. Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos.] Cum per tumultum, ac minas populus poposcisset aquas, Moyses, & Aaron se se in Tabernaculum receperunt, ac Dominum obtestati sunt, ut eam leniret seditionem, aquam illi permittens. Præcepit Dominus Moysi, ut coram populo rupem alloqueretur, certus, tunc aquam inde emanaturam. Rupem allocutus est Moyses, sed parum fidenter: *Audite rebelles, & increduli*, ait ille ad populum, *num de petra hac aquam vobis poterimus ejicere?* Num. 20. 2. Deus hac irritatus diffidentia conquestus est, quod a Moyse dedecore affectus fuisset coram filiis Israel; eique hanc pœnam inflixit, ne umquam promissam terram ingrederetur.

Hebr.[12]: *Ipsi eum irritarunt ad aquas contradictionis, & Moyses male habitus fuit propter eos; eo quod exacerbaverant spiritum eius*. Eorum seditio causa fuit, ut Moyses illorum nequitiam intuitus diffideret, ac in terram promissam ingredi prohiberetur. Videri potest Isaias 63. 10. *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum Sancti eius*. Theodoretus ait, Moysem sororis suæ obitu, qui paulo ante contigerat, afflictatum[13], aliunde vero ob populi ingratitudinem, atque obmurmurationem succensum, hinc dolore, illinc ira agitatum non perfecisse mandatum Domini fide eadem, quam præ se in alia quavis occasione tulerat.

℣. 33. Et distinxit in labiis suis.] Se dubitare ostendit, hæsitanter locutus est[14]: *num de petra hac aquam*

1 Genebr. Muis, Vatab. Geier. alii. 2 ויאמר להשמידם לולי משה בחירו עמד בפרץ לפניו

3 Exod. 19. 24. 2. Reg. 5. 20. Job. 16. 14. Judic. 21. 15. Vide Hammond. hic.

4 70. Εἰ μὴ Μωϋσῆς ὁ ἐκλεκτὸς αὐτοῦ, ἔστη ἐν τῇ θραύσει ἐνώπιον αὐτοῦ. Vide Aug. hic.

5 Genes. 14. 22. Deuter. 32. 42. Num. 14. 21. Dan. 12. 7. Ezech. 20. 23.

6 Psalt. Rom. Mediol. Carnut. *Consecrati sunt Beelphegor*. S. Germ. *Consummati sunt vehementer*.

7 Chald. in Num. 25. 2. מכרוחיהון Vox כרות significat sacrificium funerum. Jerem. 16. 5.

8 Psalt. Rom. S. Germ. Carnut. 9 ותפרץ בם מגפה

10 Antiqua Psalter. *stetis Phinees, & exoravit*. 11 ויעמד פנחס ויפלל ותעצר המגפה Sym. Ἡ θραῦσις: *Plaga*. 12 ויקציפו על מי מריבה וירע למשה בעבורם כי המרו את רוחו

13 Num. 20. 1. 2. 3. 14 Heraclæot. Aug. Theodoret. Chrysost. Euthym. Geneb. Tir. alii passim.

aquam vobis poterimus ejicere. S. Hieronymus Hebræum vertit [1]: *Præcepit labiis suis*; quasi intrinsecus nequaquam certus esset illius, quod Domini verbis pollicebatur. Alii vertunt: *Protulit labiis suis*: Perinde ac Auctor, Moysi ut parceret, neque acri vocabulo errorem illius ob oculos poneret, usus fuerit ea voce, quæ leviter tantum dubitationem, atque diffidentiam ejus innueret. Alii [2] putant, de Deo hic sermonem haberi, qui adversus Moysem sententiam protulit, qua ab ingressu in terram promissam, prohibebatur, Num. 20. 12.

NON DISPERDIDERUNT GENTES, QUAS DIXIT DOMINUS ILLIS.] Postquam in terram promissam ingressi fuerunt, nequaquam delevere Chananæos, quemadmodum Deus illis præceperat, Exod. 23. 32. Deut. 7. 2. Josue 13. 13.

℣. 35. IMMOLAVERUNT FILIOS SUOS, & FILIAS SUAS DÆMONIIS.] Rabbini quidam [3], ac post eos nonnulli Interpretes crediderunt, nequaquam re ipsa flammis absumendos objecisse filios suos in Idoli Moloch honorem, sed effecisse tantum, ut per flammas transilirent, vel inter duos ignes pertransirent, ut quibusdam veluti lustrationibus, quarum quædam apud Ethnicos inveniuntur exempla, expiarentur. Verum ex ipsa Scriptura, immo ex Profanis etiam certissima suppetunt argumenta, quibus probatur, ipsos vere combussisse filios suos, eosque Dæmoniis immolasse. Vide nostram Dissertationem de Deo Moloch, & Commentarium in Leviticum c. 18. verf. 21. & 4. Reg. 16. 3. & Muis in hunc locum; atque Jeremiam 7. 30. 19. 5. Ezech. 16. 20.

℣. 37. ET INFECTA EST TERRA IN SANGUINIBUS.] Plurima antiqua Biblia Latina typis edita ante Sixti V. correctionem, antiqua Psalteria, Mediolanense, S. Germani, Carnutense, S. Martini Sagiensis, Vetus cusum in altera parte Fabri Estaplensis, S. Augustinus, S. Prosper, Auctor Commentarii sub nomine S. Hieronymi, Arnobius, Cassiodorus, Beda, Haimo Remigius, Petrus Lombardus, Gilbertus Porretanus, Turrecremata, Ludolphus, uterque Bruno, Hugo de S. Caro, Dionysius Chartusianus, Lindanus, aliique plures legunt: *& interfecta est terra in sanguinibus*. Quod convenit cum Septuaginta [4], ut S. Augustinus animadvertit, qui ait, nos arbitraturos *interfecta* esse mendum, quod pro *infecta* obrepserit, nisi adessent antiqui Interpretes Græci, qui *interfecta* legendum esse testentur. Franciscus Lucas Burgensis hanc probat legendi rationem, quam & veram putat, & veteris latini Interpretis genuinam versionem arbitratur.

Aliis [5] ea arridet versio, quæ habet *infecta*, & proferunt antiqua Romana Psalteria, necnon & Gallicanum, ubi invenitur. Lyranus, Genebrardus, Jansenius Gandavensis, Titelmanus, aliique pariter nonnulli legunt, *infecta est*; quorum auctoritas nequaquam tanti esset ponderis, nisi accederet & Hebraici textus momentum [6], qui potius *inficere*, & fœdare significat, quam *interficere*, & ipsorum Septuaginta, qui nonnumquam eodem utuntur verbo pro *fœdare* [7], tunc præcipue cum de sanguinis effusione sermo est. Denique longe planius est dicere, uti ipse S. Augustinus adnotat, *terra est infecta sanguine*, quam *terra interfecta est sanguine*; quam postremam locutionem in figurato dumtaxat, ac morali sensu ferre possumus, cum altera omnino simplex sit, ac naturalis. Mendum igitur sci-

A te castigatum videtur; & patet, errorem illorum, qui legendum putarunt *interfecta*, inde fuisse profectum, quod non satis noverint vim Græcæ vocis apud Septuaginta, & illius cum Authographi vocabulo rationem.

ET FORNICATI SUNT IN ADINVENTIONIBUS SUIS.] Hebræus verti potest [8]: *se se prostituerunt fœdis Chananæorum abominationibus*. In eorum idololatriam abierunt. Scriptura sæpius fornicationis nomine crimen istud designat.

℣. 38. IRATUS EST FURORE DOMINUS [9].] Sceleribus, quæ illi patrarunt in Chananitide irritatus, eos in manum Tyrannorum tradidit, qui subinde eos oppresserunt; modo illos Chananęis, modo Madianitis, Moabitis modo subjecit. Attingit ea, quæ ab

B Josue morte ad Saulis usque Regnum, vel Samuelis regimen evenere, varias scilicet sub Judicibus servitutes.

℣. 41. EXACERBAVERUNT EUM IN CONSILIO SUO.] Sunt [10], qui hoc intelligunt de illorum consilio, quo sibi Regem poposcere, quod mirum in modum Domino displicuit 1. Reg. 8. 7. Osee 13. 10.

℣. 42. VIDIT CUM TRIBULARENTUR, & AUDIVIT ORATIONEM EORUM.] Hebræus, & Septuaginta legunt [11]: *vidit eum tribularentur, & audivit clamores eorum*. Vidit afflictionem illorum, & misertus est; & non renuit audire questus eorum. Hoc etiam tempus Judicum respicit.

℣. 43. POENITUIT EUM SECUNDUM MULTITUDINEM MISERICORDIÆ TUÆ.] Misertus est veluti pater, qui

C filii sui dolore tangitur, & quem, illum percussisse, pœniret. Pœnitere in Deo nihil est aliud, quam a puniendo cessare, inquiunt Eusebius, & Theodoretus hic. Nemo nescit, Deum pœnitentiæ obnoxium non esse non secus, ac ille nec errare, nec deficere potest: sed ipsum pœnitet quodammodo severitatis suæ, cum per pęnitentiam nostram eum cogimus, ut nobis parcat: *Super pęnitentes pęnitet Deus, de malitia, quam locutus fuerat, ut faceret, & non fecit*, ait iste hic S. Hieronymus.

℣. 44. DEDIT EOS IN MISERICORDIAS.] Fecit, ut invenirent gratiam in oculis eorum, a quibus subacti fuerant: vel miserationis sensum erga illos immisit in animum inimicorum ipsorum, & Principum, quorum erant captivi. Vide Psalmum 83. 12. Cyrus

D eis secundum libertatem vindicias dedit; Darius filius Hystaspis illis quædam privilegia concessit; Artaxerses Nehemiam remisit, permisitque illis, ut urbem Jerusalem mœnibus circummunirent. Vide Eusebium & Theodoretum in hunc locum.

℣. 45. CONGREGA NOS DE NATIONIBUS.] Verba hæc jam inveniuntur in Cantico, quod in celebritate translationis Arcæ in Jerusalem cantatum fuit [12]; sed vel ab Esdra, vel ab alio quopiam Prophetarum addita ibi fuisse censentur. Hic vero in propria sede quiescunt. Psalmi Auctor Dominum orat, ut congreget Israelitas omnes in varias regiones dispersos. Namque in alterius Templi Dedicatione sub Nehemia, ubi arbitramur præsens, & CIV. ac CVI. cantica fuisse cantata, paucissimi Judæorum de captivitate redierant.

E ℣. 47. BENEDICTUS DOMINUS &c.] Hæc est conclusio quarti libri Psalmorum, addita fortasse huic loco non secus ac ad calcem aliorum Librorum Psalterii. Vide Psalmos 40. 14. & 71. 18.

---

1 ויבטא בשפתיו Aquil. Διέςειλε. 2 Kimchi, Ferrand. alii in Muis. 3 Vide Mos. Maim. Morè Neboch. 37. c. 3. & Rabb. Salom. in 4. Reg. 23. 10. 4 70. Καὶ ἐφονοκτονήθη ἡ γῆ ἐν τοῖς αἵμασι. Vide Aug. hic. 5 BuKentop. Lux de Luce l. 2. p. 212. 6 ותחנף הארץ בדמים 7 70. Καὶ οὐ μὴ φονοκτονήσετε τὴν γῆν, εἰς ἣν ὑμεῖς κατοικεῖτε ἐπ᾽ αὐτῆς Num. 35. 33. ולא תחניפו את הארץ וגו Aliis in locis vertunt Hebræum חנף, per Μιαίνω, *corrumpere*, uti Jeremiæ 3. 1. 2. ubi Μολύνω, Jeremiæ 23. 11. quæ voces æquivalent φονοκτονέω, in hoc loco. 8 ויזנו במעלליהם 9 Ὠργίσθη θυμῷ κύριος. Psalt. Rom. & S. Germ. *Iratus est animo Domini*. 10 Cocceius. 11 וירא בצר להם בשמעו את רנתם 12 1. Par. 16.

Finis Quarti Psalmorum Libri apud Hebræos.

QUINTUS

QUINTUS PSALMORUM LIBER
APUD HEBRÆOS.

PSALMUS CVI.

Gratiarum actiones Judæorum de Babylonis captivitate liberatorum. Captivitatem hanc per desertum horridum, carceri, gravi morbo, & procellæ comparant.

ALLELUJA.

ARGUMENTUM.

ALLELUJA non legitur Psalmo huic præfixum, neque in Hebraico textu, neque in Chaldæo, neque in plurimis Exemplaribus Septuaginta, sed dumtaxat in fine præcedentis. S. Augustinus hic legit duplex *Alleluja*. Patres Canticum hoc explicant veluti vaticinium quoddam vocationis Gentilium, & originis Ecclesiæ Christianæ. Mala universa, quæ isthic describuntur, & a quibus liberavit Deus populum suum, symbolice designant ignorantiam, & peccatum, in quibus eramus immersi, ac Dæmonis imperium, ex quo dignatus est Deus Ecclesiam suam per JESUM CHRISTUM eruere. Sed propter hunc mysticum, allegoricumque sensum, Theodorus Heraclæota, Theodoretus, Vetus Patris Corderii Paraphrastes Græcus, Syrus, plurimique recentiorum isthic deprehendunt sensus Judæorum de Babylonica servitute erutorum, qui captivitatem suam exhibent sub imagine gravissimorum vitæ hujus malorum, puta, erroris per horrentem sterilemque solitudinem, letalis morbi, carceris, tempestatis. Deo gratias agunt, quod in patriam evocati ex omnibus his malis evaserint.

Hanc amplectemur in Commentario sententiam, quemadmodum recepimus initio Psalmi 104. cujus hic, & 105. nihil aliud sunt, quam continuatio. Tres hi Psalmi unum dumtaxat prolixius Canticum efficiunt compositum, mea quidem sententia, dum alterius Templi Dedicatio perageretur. Hic autem auctor complexus est quidquid pro populo suo fecit Deus, quidquid in Deum sceleribus suis patravit populus, & demum misericordiam Dei, quem populi sui mala, clamoresque flexerunt.

Sunt [1], qui putent, Psalmum hunc latius patere, quam superiorem, ac versari in iis non solum, quæ Deus pro Judæis operatus est, verum etiam, quæ generatim hominibus beneficia largitus est. Hæc est quædam veluti Providentiæ Apologia, & confutatio eorum, qui, quæ in terris fiunt, Deo negotium facessere negant. Qui hæc omnia ad solos Israelitas coarctant, ipsi inter se quoque dissentiunt. Alii quippe tenent, his omnibus descriptionibus repræsentari dumtaxat ea mala, quæ Babylone captivitatis tempore Israelitæ perpessi sunt; alii vero ibi contineri ajunt ea etiam omnia, quæ iisdem post exitum de Ægypto contigerunt. Explicant verbi caussa vers. 4. & sequentes usque ad 16. de itinere Hebræorum per Arabiæ deserta, Moyse Duce: Vers. 17. 18. &c. de morbo, & curatione Ezechiæ; 23. 24. &c. de Jona procellæ vi jactato, ac in mare projecto; 33. 34. &c. de fame, quæ Joelis tempore grassata est, Joel. 1. 2.

Judæi apud Eusebium Psalmum hunc explicant veluti prophetiam reditus sui in patriam post adventum Messiæ, quem quotidie nequicquam expectant, & quem quondam regnantem in terra, sperant visuros. Psalmus hic inter elegantissimos, pulcherrimosque est adscribendus; canebatur autem a duplici choro cum intercalari modulo, qui in vers. 8. 15. 21. & 31. invenitur; *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.*

1. COnfitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia e-
jus. 2 Dicant, qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu ini-
mici: & de regionibus congregavit eos. 3 A solis ortu, & occasu: ab
Aquilone, & mari. 4 Erraverunt in solitudine, in inaquoso: viam civitatis habita-
culi non invenerunt. 5 Esurientes, & sitientes: anima eorum in ipsis defecit. 6
Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eripuit
eos. 7 Et deduxit eos in viam rectam; ut irent in civitatem habitationis. 8
Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum. 9 Quia
satiavit animam inanem: & animam esurientem satiavit bonis. 10 Sedentes in te-
nebris, & umbra mortis: vinctos in mendicitate, & ferro. 11 Quia exacerbave-
runt eloquia Dei: & consilium Altissimi irritaverunt. 12 Et humiliatum est in la-
boribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit, qui adjuvaret. 13 Et clamaverunt
ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberavit eos. 14 Et

1 De Muis, Moler. Vat.

eduxit eos de tenebris, & umbra mortis: & vincula eorum disrupit. 15 Confi-
teantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum. 16 Quia con-
trivit portas æreas; & vectes ferreos confregit. 17 Suscepit eos de via iniquita-
tis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt. 18 Omnem escam abomi-
nata est anima eorum: & appropinquaverunt usque ad portas mortis. 19 Et cla-
maverunt ad Dominum, cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberavit eos.
20 Misit verbum suum, & sanavit eos; & eripuit eos de interitionibus eorum.
21 Confiteantur Domino misericordiæ ejus; & mirabilia ejus filiis hominum. 22
Et sacrificent sacrificium laudis: & annuntient opera ejus in exultatione. 23 Qui
descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. 24 Ipsi vi-
derunt opera ejus, & mirabilia ejus in profundo. 25 Dixit, & stetit spiri-
tus procellæ; & exaltati sunt fluctus ejus: 26 Ascendunt usque ad cœlos, &
descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. 27 Turbati sunt,
& moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum devorata est. 28 Et clama-
verunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos.
29 Et statuit procellam ejus in auram: & siluerunt fluctus ejus. 30 Et læcati
sunt, quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum. 31 Confitean-
tur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. 32 Et exaltent
eum in ecclesia plebis; & in cathedra seniorum laudent eum. 33 Posuit flumina
in desertum; & exitus aquarum in sitim. 34 Terram fructiferam in salsuginem, a
malitia inhabitantium in ea. 35 Posuit desertum in stagna aquarum; & terram si-
ne aqua in exitus aquarum. 36 Et collocavit illic esurientes; & constituerunt ci-
vitatem habitationis. 37 Et seminaverunt agros, & plantaverunt vineas; & fece-
runt fructum nativitatis. 38 Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis: & jumen-
ta eorum non minoravit. 39 Et pauci facti sunt: & vexati sunt a tribulatione ma-
lorum, & dolore. 40 Effusa est contemptio super principes: & errare fecit eos in
invio, & non in via: 41 Et adjuvit pauperem de inopia: & posuit sicut oves
familias. 42 Videbunt recti, & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os suum.
43 Quis sapiens, & custodiet hæc? et intelliget misericordias Domini?

℣. 1. CONFITEMINI DOMINO, QUONIAM BONUS.] Laudate Dominum, quoniam suavissimus est, & misericors. Plurimi Patres intelligunt *Confitemini* de peccatorum confessione, non secus ac initio Psalmi 105. quod huic est simillimum. A

℣. 2. DICANT, QUI REDEMPTI SUNT A DOMINO.] Dicant scilicet, æternam esse illius misericordiam. Vos, quos eduxit Dominus de captivitate, & quos patriæ vestræ reddidit, hodie laudes illius celebrate. Omnem alloquitur cœtum populi, nuperrime Babylone reversi. Hebræus verti posset [1]: *Redempti Domini*, vel *ab ipso in libertatem asserti* enuntient illius misericordiam, *quos eduxit Dominus de manu tribulationis*, vel *de manu inimici*, vel *prædicent, se a Domino fuisse redemptos*. Hoc transfertur ad Ethnicos ad fidem evocatos, atque in B Christianam Ecclesiam congregatos. Annuntient toti terrarum orbi gratiam, quam acceperunt, & felicitatem, qua fruuntur.

℣. 3. A SOLIS ORTU, & OCCASU, AB AQUILONE, & MARI.] Postrema hæc vox vel Oceanum, vel Rubrum mare significat [2], quæ ad terræ sanctæ meridiem extant; nam antithesis aliarum Mundi plagarum, quæ in hoc versiculo memorantur, isthic de meridie intelligendum esse significat. Rabbini quidam putant [3] mare isthic usurpari pro regionibus trans mare positis, unde Judæi quondam in Jerusalem erant redituri; quæ omnes explicationes violentæ sunt. *Mare*, cum alteri Mundi plagæ opponitur, in Hebræorum stylo semper occasum significat. Hic vero nullus dubito, quin in authographo textu mendum adsit, & pro *jam*, quod *mare* est, legendum *Jamin* [4], hoc est *dexteram*, & meridiem, cum de locorum situ sermo est. Error idem supra invenitur in Psalmo 88. 13. *Aquilonem, & mare tu creasti*; vertendum enim, *Aquilonem, & meridiem tu creasti*. Alibi in peculiari Dissertatione ad id de industria concinnata ostendimus magnum Judæorum Israelitarumque numerum rediisse ex omnibus terrarum partibus, regnantibus Dario Hystaspis filio, Artaxerse, & Alexandro Magno. Verum eorum, quæ isthic asseruntur, veritas plenius apparuit in populorum omnium ad JESU CHRISTI fidem conversione.

℣. 4. ERRAVERUNT IN SOLITUDINE, IN INAQUOSO: VIAM CIVITATIS &c.] Incipit malorum descriptio, quæ in captivitate perpessi sunt. Ea, quæ præcesserunt, nihil aliud sunt, quam Psalmi hujus prooemium. Nobismet visi sumus tamquam homines in sterili, horrido, invio deserto errantes, ubi non hominis vestigium, non domus, non aqua, non iter esset. Hæc nobis erat Babylon [5]. Hebræus [6]: *Erraverunt in solitudine, in via, ubi aqua non aderat, ac ubi nullam inveniebant civitatem, ubi commorarentur*, vel *nullam civitatem habitatam*.

℣. 5. ESURIENTES, & SITIENTES.] Prosequitur allegoriam viatorum, qui devii in desertum descenderunt, incultum, inaquosum, ac sterile. Patres [7] hoc explicant de eo statu, in quem redactæ erant gentes ante J. C. adventum. Fames, ac sitis, quibus laborabant, erant fames, sitisque verbi Dei: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ: sed audiendi verbum Domini*; Amos 8. 11.

ET CLA-

1 יאמרו גאלי יהוה אשר גאלם מיד צר
2 B. Sippom. apud Muis, Geier. Munst. Pisc. Drus. Hamm.
3 Kimchi, Abenezra.
4 Lego ממזרח וממערב מצפון ומים ימין
5 Theodoret. & alii.
6 תעו במדבר בישון דרך עיר מושב לא מצאו
7 Euseb. Theod. August.

℣. 6. Et clamaverunt . . . . . (℣. 7.) & deduxit eos in viam rectam &c.] De hac solitudine, de captivitate Babylonica Judæi captivi ad Dominum clamaverunt. Pii homines, Prophetæ, veluti Daniel, complures optimi Sacerdotes, ac Levitæ, qui numquam a Legis amore, ac Domini timore secesserant, & qui sensuum suorum testes nobis reliquere plurimos Psalmos captivitatis tempore compositos: hi omnes ad Dominum clamarunt, & sanctam, ut ita dicam, vim illi intulerunt; qui recordatus est misericordiæ suæ, eosque de horribili ea solitudine eduxit, ut ad rectam viam revocaret, atque in Jerusalem ipsorum patriam reduceret. Legi potest in Isaia [1] itineris descriptio, quod Deus populo suo promittit, cum de Babylone revertetur. Cyrus illis integrum reliquit in patriam terram redire. Zorobabel, Esdras, Nehemias diversis temporibus plurimos illuc reduxerunt.

℣. 8. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.] Misericordiæ Domini sint argumentum laudum illius; commendetur ille propter mirabilia, quæ pro filiis hominum operatus est. Vel: Misericordiæ, & mirabilia Domini ejus laudes annuncient; easque filiis hominum prædicent. Invitat miracula Domini, ut os aperiant, ac magnifice de virtute, & misericordia Altissimi verba faciant. Illis enuntiandis nos impares sumus, vestrum est defectui nostro supplere. Pulcherrimus quidem, atque in paucis poeticus est sensus iste. Hebræus aliam admittere potest explicationem [2]: Qui de captivitate liberati sunt, *laudent misericordiam Domini, & annuntient mirabilia, quæ ipse fecit pro filiis hominum*. Intercalaris iste versiculus quater in Psalmo iteratur. Syriaca versio [3]: *Ipsi laudent Dominum, & mirabilia, quæ ipse fecit pro filiis hominum*.

℣. 9. Satiavit animam inanem.] Hoc octavo versiculo addendum est. Annuntiate mirabilia ejus, quoniam eduxit vos de angustiis, in quibus versabamini, atque de horribili co deserto vos eruit, ubi famem, sitim, atque languorem patiebamini. Vide vers. 4. 5. 6. Versiculus 10. novum sensum ordirur.

℣. 10. Sedentes in tenebris &c.] En aliam allegoriam, qua captivorum Babylonis infelix conditio describitur. Hæc pingendi ratio est præstantissima. Jugis, ac sibi constans allegoria, quæ magnifico intercalari concentu concluditur, longe magis afficit, quam oratio figurata, ubi allegoria esset aperta. Obscuritas, qua involvitur, haud postremus est illius decor; mens illam hoc obductam velo intueri gaudet, ornatior enim illi videtur. Psalmista nobis exhibet Justos in captivitatis squalore jacentes, veluti qui in vinculis inter carceris angustias, tenebrasque tenentur, catenis onusti, miseriis obruti, omni humana spe destituti. Talis erat natura humana sub Dæmonis, erroris, idololatriæ, & mortis imperio, antequam illi Evangelii lux effulgeret, atque Dei spiritus per fidem, & gratiam super hominum corda se effunderet. Hebræus hoc habet [4]: *Sedebant in obscuritate, ac in tenebris mortis, in vinculis paupertatis, & ferreis*. Vel, *in catenis afflictionis, & ferreis*.

℣. 11. Quia exacerbaverunt eloquia Dei.] Hæc vera est omnium, quæ patimur, malorum causa. Scelera nostra, inobedientia nostra. Hebr. [5] *mutaverunt*, irritaverunt, exacerbaverunt verba Domini. Vel: contra verba Domini extulerunt caput; *& Altissimi consilium contempserunt*. Imperata facere detrectarunt, & voluntates ejus nihili fecerunt.

℣. 12. Humiliatum est in laboribus cor eorum; infirmati sunt &c.] Hebræum ita reddere mallem [6], ne captivi, atque in vinculorum squalore jacentis allegoriam relinquerem: *gravissimis laboribus humiliavit eos; ceciderunt, neque ullus illis opitulatus est*. Sciendum est, antiquitus plurima fuisse servorum genera; alii enim in urbe, ac in dominorum suorum domibus haud ita molestis operibus exercebantur, variis videlicet dediti ministeriis familiæ obeundis. Alii pedicis constringebantur, ne fugam capessere possent. In pistrinum alii cogebantur, ut lacertorum vi immania molendina verterent; alii gravibus deferendis sarcinis, vel agris excolendis detinebantur; eorum quippe vincula oberant quidem, ne currerent; sed ne ambularent, non oberant. Noctu in tenebricosis claudebantur latibulis, quæ carceres potius, ac ferarum lustra, quam hominum domicilia videbantur. Psalmista Judæos Babylone captivos describit, catenis onustos, veluti calamitosos hos servos, non ferendis laboribus obrutos, sub ponderibus decidentes, quin aliquis solatium, vel opem afferat, ut resurgant. Descriptiones hæ acres sunt, animumque movent.

℣. 13. Clamaverunt ad Dominum.] Exaudivit eos, & de tenebricoso hoc carcere eduxit. Vide vers. 8.

℣. 15. Confiteantur Domino.] Hic est intercalaris versiculus vers. 8.

℣. 16. Quia contrivit portas æreas.] Carceris, ubi clausi detinebantur, ℣. 10. 11. 12. &c.

℣. 17. Suscepit eos de via iniquitatis eorum.] Ostendit illis Dominus errorem eorum, tetigit cor illorum: ipsi ad eum conversi sunt; & ille eorum misertus est. Hebr. [7] *Insipientes sunt propter viam suam, & afflictati sunt propter iniquitates suas*. Lectio Septuaginta [8], Syriaca, & Arabica præstare videntur: *Eduxit eos*, illis opem, auxiliumque tulit, *de via iniquitatum suarum: quod propter scelera sua fuerant humiliati*.

Sed mallem adhuc ita intelligere [9]: *Humiliavit eos propter iniquitatem eorum; afflixit eos propter illorum scelera*. Novus hic sermo est, vel recens allegoria, ubi confert statum, ad quem in captivitate Babylonica erant redacti, cum gravissimo morbo, quo Deus illos propter eorum iniquitates percusserat. Omnis testta est Scriptura popularibus id genus sententiis; morbos videlicet esse peccatorum pœnas; quæ opinio in omni Oriente obtinuerat. Apostoli cum hominem ex ipsa nativitate cœcum vidissent, non dubitarunt asserere, vel ipsum, vel parentes ipsius peccatum aliquod patrasse Johan. 9. 1. 2. 3. David in Psalmo 37. ℣. 1. 2. 3. 4. iræ Dei, suisque sceleribus eam, qua conficiebatur, ægritudinem refert acceptam. Eliu quidam ex amicis Job. 33. 19. ait, homines a Deo per morbos, quibus affliguntur, edoceri; ipsum eorum ossa dolore conficere, vitamque molestam, acerbamque efficere, ita ut nullum in quovis epularum genere saporem inveniant. Jesus Christus sanare volens paralyticum, qui ad se adductus fuerat, ait Matth. 9. 2. peccata omnia jam illi remitti. Alias cum alium curasset paralyticum, eumque nonnullis post diebus invenisset, ait illi Joan. 5. 14. *Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Quod in his præjudiciis fallax est, non Scripturæ, non Sancto Spiritui, quo Sacri Auctores afflati erant, vitio vertendum est; sed populo simpliciter tribuendum, ad quem cum Scriptores sacri loquerentur, ita orationem suam conformare debuerunt, ut ad eorum captum se se accommodarent.

℣. 18. Omnem escam abominata est anima eorum.] Præstantissima nimirum hominis descriptio, qui gravissimo correptus morbo omnia fastidit.

1 Isai. 11. 16. 35. 6. 7. & sequ. 40. 3. 4. & sequ. 41. 49.
2 יודו ליהוה חסדו ונפלאותיו לבני אדם Sym. Καὶ τὰ τεράστια αὐτοῦ τὰ εἰς τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων.
3 Legit חסין pro חסדו 4 ישבי חשך וצלמות אסירי עני וברזל
5 כי המרו אמרי אל ועצת עליון נאצו 6 ויכנע בעמל לבם כשלו ואין עזר
7 אולים מדרך פשעם ומעונותיהם יתענו 8 70. Ἀντελάβετο αὐτῶν ἐξ ὁδοῦ ἀνομίας αὐτῶν, διὰ γὰρ τὰς ἀνομίας αὐτῶν ἐταπεινώθησαν. Videntur legisse עזרם pro אולים
9 Lego אול אולם significat, *defecit, infirmatus est, dissipatus est, abiit*. Vide Deut. 32. 36. 1. Reg. 9. 7. Job. 14. 11. Prov. 20. 14.

Confer eum hoc loco Job. 33. vers. 19. 20. 21.

℣. 20. Misit verbum suum, & sanavit eos.] Mandavit Deus, & repente sanati sunt. Nequaquam illis similis, qui Medicam artem profitentur, pharmacis, moderatoque vivendi genere eos ad sanitatem vocavit; vix locutus est, statim curati sunt. Morbi etiam maxime pertinaces ad illius nutum concedunt. Patres [1] per *Verbum suum* intelligunt Verbum substantiale, Dei filium, pro generis humani salute missum; quem nullus dubito, loci hujus propheticum esse sensum; at litteralis ille est, quem primum attulimus, qui parum abludit a Centurionis oratione ad J.C. dicentis [2]: *dic verbo, & sanabitur puer meus*; vel ab eo, quod legitur in Job. 33. 23. ubi de ægrotante quodam est sermo: *Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem, miserebitur ejus, & dicet: libera eum, ut non descendat in corruptionem*. Et Psalmista de gelu, & pruina loquens Psal. 148. 18. *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea*. Verbum, quod misit Deus, ut populum suum liberaret, est mandatum, vel facultas, quam illis tribuit Cyrus in patriam revertendi.

℣. 21. Confiteantur Domino .... (22.) & sacrificent sacrificium laudis.] Israelitæ de captivitate liberati laudes ejus annuntient, atque in gratiarum actionem in Sancto illius Templo pacificas immolent hostias. Vel simpliciter, pro victimis laudes, & actiones gratiarum offerant illi. Vide Psalmos 26. & 115. 17.

℣. 23. Qui descendunt mare in navibus ... (℣. 24.) ipsi viderunt opera Domini.] Recens adhuc descriptio malorum captivitatis, sub imagine tempestatis, vel naufragii. Israel erat Babylone, tamquam in æstuaria navi longum iter aggressa. Ipse testis fuit prodigiorum Domini, & periculorum, quæ super abyssi aquas obire contigit. Eusebius, & S. Hieronymus universum hunc locum de Apostolis, & Evangelicis Prædicatoribus explicant, qui velut institores mari iter agentes, in omnes terrarum plagas Domini verbum, & felix Evangelii nuntium attulerunt. Tempestas sæviit, persecutiones navem, & qui eam conscenderant, jactarunt; at Dominus verbo procellam sedavit, ac nautis reddidit tranquillitatem. Hæc omnia nobis exhibent Ecclesiam, primum quidem ab Ethnicis exagitatam, mox vero sub Christianis Imperatoribus pacatam, atque tranquillam.

℣. 25. Dixit, & stetit spiritus procellæ.] Deus loquitur, ac statim omnia, quæ præcipit, fiunt: *Dixit Dominus, cujus dixisse fecisse est*, inquit S. Hieronymus in Isai. 31. flare cœpit ventus vehemens, qui agitato mari peperit tempestatem.

℣. 26. Ascendunt aquæ ad Coelos.] Fluctus ad nubes usque tolluntur, & mox in ipsum maris imum descendunt. Navis jactata fluctibus modo ad Cœlos usque evehitur, modo in aquarum imum subsidet. Virgilius Æneid. 3.

Tollimur in Cælum curvato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos descendimus unda.

℣. 27. Omnis sapientia eorum devorata est.] Illorum ars exhausta est. Terror, qui illos invadit, ne patitur quidem, eos sua mala perpendere.

Rector in incerto est, nec quid fugiatve, petatve,
Invenit: ambiguis ars stupet ipsa malis.

℣. 28. Et clamaverunt ad Dominum.] Adagium est: *Qui nescit orare, ascendat mare*.

℣. 29. Et statuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus.] Septuaginta, S. Augustinus, & vetus S. Germani Psalterium, legunt [3]: *Imperavit procellæ, & stetit in auram*, videlicet in tranquillitatem immutata est. Psalterium Mediolanense [4]: A *Percussit procellam, & stetit in auram*. Hebr. [5]: *Mutavit turbinem in silentium*, in tranquillitatem, in malaciam.

℣. 30. In portum voluntatis eorum.] Reduxit illos usque in patriam eorum, & Jerusalem, quæ erat summa votorum illorum.

℣. 33. Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim.] Irane exardescit Deus in Ægyptum, in Chananæos, in Sodomam? Mare Rubrum exsiccat, ut ex Ægypto populum suum educat. Israeli vim aperit per Jordanem, ut eum terræ Chanaan dominum constituat: ignem de cœlo in Sodomam demittit, atque agrum illius olim uberrimum, adeo sterilem efficit, ut terra sale, ac nitro adspersa videatur: *Terram fructiferam in salsuginem a malitia habitan-* B *tium in ea*.

Hoc etiam intelligi potest, veluti Divinæ Omnipotentiæ descriptio. In furore illius exarescunt flumina, agri uberes, & irrigui ad solitudinem rediguntur; ac terræ omnium maximæ, fœcundæ, & opimæ, steriles fiunt, statim ac locorum incolæ Deum suis flagitiis irritant. Domini etiam Misericordia emanare facit aquarum fontes, ubi antea non aderant, in deserta antea arida, exustaque, flumina fluere jubet; ubi populi sedes suas sibi constituant, agros excolant, & affluentem segerum copiam demetant.. ℣. 34. 35. *Posuit desertum in stagna aquarum; & collocavit illic esurientes, & seminaverunt agros* &c. Haud ita facile hoc intelligi potest de Israelitarum introitu in terram Chanaan, duce Josue. Regio illa tunc temporis in admodum paucis C exculta erat, ac fertilis; lactis, ac mellis flumina undequaque fluebant, uti loquitur Scriptura.

En autem sensum, qui, mea quidem sententia magis accedit ad litteram. Dominus Babyloniorum sceleribus irritatus in eos maledictionem effudit; & regio eorum, quæ adeo speciosa erat, fertilis, & irrigua, facta est veluti terra sterilis, & maledicta. Vide Isai. 5. 13. 14. 21. & 47. ac Jeremiam cap. 25. ℣. 12. Deus idem misertus populi sui, illi reddidit libertatem, ac desertum, qua transierunt, in amænissimum locum immutavit; effecitque, ut in eorum solatium plurimi aquarum rivuli emanarent. (Vide Isaiam 35. 8. 44. 4. 48. 21.) & regio illorum antea deserta, & inculta, iterum frequens facta, iterum culta est: ipse illos benedictionibus suis cumulavit, & eos, eorumque anima- D lia multiplicavit. Ad exiguum redacti erant numerum, tempore captivitatis; Principes eorum contemptui erat, & opprobrio ℣. 39. 40. *Et pauci facti sunt, & vexati sunt: Effusa est contemptio super Principes* &c. & erant in regione perdita, ignota, aliena: *Errare fecit eos in invio, & non in via*. Sed Omnipotens adduxit illos de angustiis, & de miseria, atque multiplicavit familias eorum, veluti ovium greges. *Et adjuvit pauperem de inopia, & posuit sicut oves familias*.

Id, quod de Babyloniis explicuimus, Patres ad Synagogæ reprobationem transferunt, & de Christiana Ecclesia ex Ethnicis, qui fidem suscepere, conflata, ea interpretantur, quæ de Judæorum ex captivitate reditu diximus. Hæc applicatio haud difficilis est, & per se patet.

E ℣. 37. Fecerunt fructum nativitatis.] Fructum, uti vulgo, produxerunt. Hebræus [6]: *fecerunt fructum reditus*. Septuaginta [7]: *fructum germinis*. S. Augustinus legit, *fructum frumenti*. S. Hieronymus hebraicum textum ita vertit: *Facient fruges germina*. Agri eorum magna in copia ferent fructus. Alii: *Vites eorum produxerunt fructus suos*. Confer Psalmum 134. 13.

℣. 39. Et pauci facti sunt, & vexati sunt a tribulatione malorum, & dolore [8].] Israelitæ exi-

---

1 Athanas. Orat. 3. contra Arian. Euseb. Theodoret. Hieron. alii passim.
2 Vide Matth. 8. 7. Luc. 7. 7. *Dic verbo, & sanabitur puer meus*.
3 7'. Καὶ ἐπέταξε τῇ καταιγίδι, καὶ ἔστη εἰς αὔραν. 4 Quasi legisset, Ἐπάταξε. *Percussit*.
5 יקם סערה לדממה Aquil. Ἀνέστησε λαίλαπα εἰς αὔραν. *Statuit procellam in auram*. Theodot. Καὶ ἔστησε τὴν καταιγίδα αὐτῶν εἰς αὔραν. *Et statuit procellam eorum in auram*. Sym. Στήσαντος αὐτοῦ τὴν καταιγίδα εἰς γαλήνην. *Convertit procellam in tranquillitatem*. 6 ויעשו פרי תבואה 7 Καὶ ἐποίησαν καρπὸν γεννήματος.
8 Psalt. Rom. *A tribulatione malorum, & dolorum*. Aliud Psalt. Rom. *A tribulatione malorum, & dolore improperiorum*.

tæ exiguum in numerum redacti fuerunt, ac malis, doloribusque confecti in captivitate sua sub injusto Chaldæorum imperio? Deus per potentiam, ac infinitam misericordiam suam ex his omnibus malis eos eripuit, eorumque post reditum numerum auxit. Hebr.[1]: *imminuti fuerunt numero, & mali oppressione, ac dolore confecti*. Symmachus[2]; *Afflictione, & dolore absumpti fuerunt*.

℣. 40. EFFUSA EST CONTEMPTIO SUPER PRINCIPES, & ERRARE FECIT EOS IN INVIO, & NON IN VIA.] Psalterium Romanum: *Seduxerunt eos in invio, et non in via*. Si justo iræ suæ effectu permittit Deus, ut Principes contemptui habeantur, inimicorum suorum conatibus cedant, ac mentis suæ erroribus derelinquantur, novit etiam eos ex his malis eruere, ac in pristinum decus, honoremque vocare. Hoc Jechoniæ B Regi Juda contigit, qui Babylonem deductus, atque a Nabuchodonosor in vincula conjectus, inde ab Evilmerodach eductus fuit, atque cum honore habitus[3]. Daniel, ac socii illius præcipuas in Nabuchodonosor, atque successorum ejus imperio dignitates obtinuerunt. Zorobabel, Esdras, Nehemias, & Mardochæus a regibus Cyro, Dario, & Artaxerse honorifice fuerunt excepti.

Hebræus verti potest[4]: *Effusa est contemptio super Principes, et errare fecit eos in confusione, et ubi non est via*. Symmachus[5]: *eos errare facies in spiritus vanitate*. Sunt, qui id explicent de hostibus Judæorum. Dominus contrivit Nabuchodonosor, & Balthasar, Principes illos superbos, atque impotentes, effecitque, ut ab omnibus contemnerentur. Nabuchodonosor in bel- C luatum numerum redactus est, & ex ædibus suis ejectus. Balthasar Dei manu inter pocula, & convivia

A percussus est, & Chaldæorum imperium funditus deletum. Pro his vocibus; *effusa est contemptio*, complura Latina exemplaria legunt; *Effusa est contentio*. Sed postrema hæc legendi ratio mendosa est, uti liquet eam cum textu Septuaginta[6] conferentibus.

℣. 41. ET ADJUVIT PAUPEREM DE INOPIA, & POSUIT SICUT OVES FAMILIAS.] Israelitas de captivitate liberavit, eosque in patriam reversos, veluti arietum greges, multiplicavit. Hebr.[7] *Elevat*, statuit in locum satis natura munitum, *pauperem, quem educit de inopia, et multiplicat familias, velut greges ovium*.

℣. 42. VIDEBUNT RECTI, & LÆTABUNTUR: & OMNIS INIQUITAS OPPILABIT OS SUUM.] Fideles Judæi horum testes fuerunt; ea ante oculos suos adimpleri viderunt, & Babylonii silere coacti sunt, turpi rubore suffusi. Israel de captivitate, & angustia liberatus est; Babyloni vero libertas, & ea privilegia, quibus nationum Domina constituebatur, fuerunt adempta. Psalmi Auctor urbem hanc ante illius excidium agnoverat.

℣. 43. QUIS SAPIENS, & CUSTODIET HÆC?] Hæc est eorum omnium, quæ hactenus dicta sunt, conclusio. Detur mihi vir sapiens, & pius; hic æternam servabit memoriam mirabilium Domini, potentiæ, misericordiæ illius, & eorum omnium, quæ operatus est pro populo suo, & suppliciorum, quibus hujus hostes afflixit. Oseas 14. 10. eodem ferme pacto suas prophetias concludit: *Quis sapiens, et intelliget ista? Intelligens, et sciet hæc: Quia rectæ viæ Domini* &c. Et J. C. in Evangelio sæpe præceptis suis per hæc verba finem imponit: *Qui habet aures audiendi, audiat*. Matth. 11. 15.

1 וימעטו וישחו מעצר רעה ויגון 2 Sym. Καὶ κατεφθάρησαν ἀπὸ συνοχῆς κακῆς, καὶ ταλαιπωρίας.
3 4. Reg. 25. 27. 4 שפך בוז על נדיבים ויתעם בתהו לא דרך
5 Sym. Καὶ πλανήσει αὐτοὺς ἐν ματαιότητι διανοίας. 6 70. Ἐξεχύθη ἐξουδένωσις ἐπ' ἄρχοντας.
7 וישגב אביון מעוני וישם כצאן משפחות Sym. Καὶ ὀχυρώσει πένητα ἀπὸ κακώσεως, καὶ τάξει ὡς ποίμνια συγγενείας. Aqu. Καὶ ὑπερεπαρεῖ πτωχὸν ἐν πενίας, καὶ θήσει ὡς ποίμνιον συγγενείας.

PSALMUS CVII.

Propheta semet ad laudes Domini celebrandas excitat; eum obtestatur, ut liberet populum suum de servitute; ac sibi pollicetur futurum, ut cito ac feliciter intra antiquos fines restituatur.

Canticum Psalmi ipsi David.

ARGUMENTUM.

Psalmus hic duabus constat partibus, quarum altera ex quinquagesimo sexto, altera ex quinquagesimo nono depromptæ sunt. Sex priores versiculi desumpti sunt ex fine psalmi 56. reliqua vero ex 59. Quæritur, cur ille, qui hos psalmos collegit, isthuc attulerit ea, quæ alibi jam inseruerat; vel cur Cantici hujus Auctor illud ex duabus aliorum psalmorum partibus concinnaverit. Putat Bellarminus[1], illum hoc simpliciter sibi proposuisse, ut centum, & quinquaginta psalmorum numerum expleret; & ob hanc rem præsentem hunc composuisse. Alii censent, Davidem jure suo usum fuisse, alia in occasione eosdem repetens psalmos, quos olim post relatas de Syris victorias fuerat elucubratus. Genebrardus eum psalmos 56. & 59. de victoriis David explicuerit, hunc de J. C. & Ecclesiæ triumphis intelligit, quos retulerunt jam, atque referre debent de Turcis, ac de Anti-Christo. Patres hunc explicant de Adventu, vel Resurrectione J. C. ac de Gentilium vocatione. Theodoretus vero illum de reditu Judæorum ex captivitate interpretatur.

Ex toto psalmi decursu videtur Babylonicæ captivitatis tempore, vel saltem tempore illo, cum Judæorum plerique trans Euphratem adhuc adorant, fuisse conscriptus. Auctor a Deo petit completum universæ Nationis suæ reditum; atque Prophetarum vaticiniis fretus populos etiam designat, qui Judæ subjicientur, & regiones etiam, quæ illi parebunt; tantum in Domini promissionibus spei collocarat. Psalmi hujus argumentum haud abhorret a psalmo 59.[2] Auctor postremos sex psalmi 56. versiculos mutuatus est, qui

1 Bellarm. hic. Ita & Corder. 2 Ita Muis, Grot. alii passim.

est, qui belle mentem illius exprimebant, ut Cantico suo proœmium appingeret; licet eos David alia in occasione, alioque consilio eosdem fuerit elucubratus. Videre est Commentarium nostrum in psalmos 56. & 59. Hic autem satis esse arbitramur, si præcipuas varietates, quæ occurrunt in textu, percurramus.

1. PAratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, & psallam in
gloria mea. 2 Exurge, gloria mea, exurge psalterium, & cythara; e-
xurgam diluculo. 3 Confitebor tibi in populis, Domine: & psallam tibi
in nationibus. 4 Quia magna est super cœlos misericordia tua: & usque ad nu-
bes veritas tua. 5 Exaltare super cœlos, Deus, & super omnem terram gloria
tua: ut liberentur dilecti tui. 6 Salvum fac dextera tua, & exaudi me Deus:
locutus est in sancto suo. 7 Exultabo, & dividam Sichimam, et convallem ta-
bernaculorum dimetiar. 8 Meus est Galaad, et meus est Manasses: et Ephraim
susceptio capitis mei. 9 Juda Rex meus: Moab lebes spei meæ. 10 In Idumæam
extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt. 11 Quis dedu-
cet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam? 12 Nonne
tu Deus, qui repulisti nos, et non exibis, Deus, in virtutibus nostris? 13 Da
nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis. 14 In Deo faciemus vir-
tutem; et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

A ℣. 1. PARATUM COR MEUM, DEUS, PARATUM COR MEUM.] Hebræus hoc in loco semel dumtaxat legit: *paratum cor meum*, quod bis in psalmo 56. ℣. 8. in textu eodem invenitur. Paratus sum, ut tibi obediam, Domine, *paratus sum non solum opere, sed etiam corde, & sensu*. S. Hieronymus.

CANTABO, & PSALLAM IN GLORIA MEA.] Omnem mei nominis gloriam in hoc constituam, ut annuntiem magnalia tua. Sunt, qui putent, *gloriam meam* isthic designare ipsum Dominum, vel Arcam fœderis, vel animam Prophetæ [1], vel donum Prophetiæ [2], vel musica instrumenta vel carmina, ac poesim Psalmistæ. Poetæ nonnumquam carmina sua vocant gloriam, decusque suum: *Nil sine te mei prosunt honores*, ait Horatius l. 1. Ode 26. Hebr. [3] *Canam, & psallam* B *instrumentis, utique gloria mea*. Vel uti est in psalmo 56. ℣. 9. *Cantabo, & psalmum dicam; exurge gloria mea, exurge psalterium, & cythara*, &c. Cum laudes tuas celebro, Domine, tuam minus, quam meam laudem quæro. *Quod servio tibi, gloria mea est. Bonorum meorum non indiges: quod ergo facio, pro me facio*, ait S. Hieronymus. Si quid a nobis exigit Deus, est veluti medicus, qui æque ægrotantis meliori gaudet valetudine, ac æger ipse.

℣. 2. EXURGE, GLORIA MEA.] Verba hæc in Hebræo, Chaldæo, Romana editione, in S. Augustino, in antiquis latinis Psalteriis, antiquisque Interpretibus non inveniuntur. Jure putat D. Hieronymus ad Suniam, & Fretell. ab Amanuensibus huc e psalmo 56. C ubi reperiuntur, fuisse translata.

℣. 5. EXALTARE SUPER COELOS DEUS.] Potentia, magnitudo, & gloria tua undique effulgeat, & super terram, & usque ad cœlos, nos educens de captivitate. Si dignaberis vim brachii tui exercere, ad nos liberandos, Cœli, ac terræ laudes tuas celebrabunt, ac infinitam potentiam tuam confitebuntur. Vide psalmos 7. ℣. 7. 8. 20. 14. 56. 12. 88. 14. Habac. 3. 3. ubi alias id genus locutiones inveneris.

℣. 6. DEUS LOCUTUS EST IN SANCTO SUO.] Hoc est per Prophetam suum, per Jeremiam [4], qui populo promisit, futurum, ut quamprimum liberaretur.

℣. 7. EXULTABO, & DIVIDAM SICHIMAM &c.] De captivitate reversus possidebo Sichem, & Samariam, & vallem Socoth, vel Tabernaculorum trans Jordanem. Duo hi loci ad Regnum decem Tribuum spectabant. Innuit igitur Psalmista, nullam amplius fore secessionem inter Judam, & Israel, Judam vero ditionem suam ad veteris usque imperii limites prolaturum. Dividere, ac metiri regionem, eam possidere, eique dominari significat. S. Augustinus, antiqua Psalteria S. Germani, & Carnutense legunt: *Exaltabor, & dividam Sichimam*, uti est in Septuaginta [5].

℣. 8. SUSCEPTIO CAPITIS MEI.] Hebræus [6]: *Fortitudo capitis mei*. Antiqua Latina Psalteria hic legunt, uti in psalmo 59. *Fortitudo capitis mei*.

℣. 12. ET NON EXIBIS DEUS IN VIRTUTIBUS NOSTRIS.] Si victoriam speramus: spes nostra tuo innititur præsidio. Aliter: quis nos inimicorum nostrorum victores efficiet, nisi tu, Deus, qui antehac nos abjeceras, neque exercitibus nostris felicitatem impertiebaris? Nunc vero, Domine, nobis fer opem, & de hoc servitutis squalore nos erue; tua nobis opitulante potentia erimus invicti.

1 Ita Kimchi, Abenezra, Muis. 2 Theodoret. 3 אשירה ואזמרה אף כבודי
4 Jerem. 25. 11. 12 29. 10. 5 Ὑψωθήσομαι καὶ διαμεριῶ Σίκιμα.
6 מעוז ראשי 70. hic. Ἀντίληψις τῆς κεφαλῆς μου. In Psal. 59. 9. Κραταίωσις τῆς κεφαλῆς μου.

PSALMUS CVIII.

Preces Psalmistæ adversus calumnias, odium, & perfidiam inimicorum ejus. Imprecationes, atque invectivæ in illos. Descriptio squaloris, & afflictionis, in qua Propheta versatur. Domini opem exposcit, ac se laudes illius æternum celebraturum promittit.

In finem, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Psalmi hujus stylus acer est, vehemens, atrox: terribiles complectitur minas in imprecationis modum intentatas adversus calamitosum nescio quem, qui, ut ait Propheta ℣. 18. *Et dilexit maledictionem, & veniet ei; &*

ei : & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Patres [1], atque Interpretes vaticinium hoc esse crediderunt infelicitatis, quæ in proditorem Judam, ac in Judæos J.C. carnifices irruere debebat. Christiana Ecclesia nonnumquam hoc usa est Psalmo in Episcoporum depositione; & adversus illos, qui Ecclesiastica bona invaserunt [2]. Sæculorum quoque rudium superstitio eumdem transtulit ad fures detegendos, ac pro certo affertur, a Judæis hunc recitari adversus suos hostes, & persecutores. David divino afflatus spiritu, ac ardenti justitiæ zelo succensus eum fortasse protulit vel in Doeg Idumæum [3], & inimicos suos, qui in Saulis aula versabantur, & qui quantum in ipsis situm erat, fœdis calumniis nomini ejus turpitudinis notam inurere adnitebantur; vel adversus Achitophel Absalonis Consiliarium [4], qui adolescenti huic prava adeo & nefaria in Patrem ipsius consilia tradidit. Doeg, & Achitophel erant veluti figuræ, & præcursores Judæ proditoris, ac Judæorum incredulorum. Beda, & veteres quidam Græci [5] crediderunt, hunc a Macchabæis fuisse compositum, dum Antiochi persecutio desæviret, adversus apostatas, ac falsos fratres, qui a sua natione defecerant, ac cum illius hostibus se se conjunxerant.

Nos autem in historico sensu illum de inimicis, & calumniatoribus David interpretabimur; in sensu vero elatiori de Juda, ac Judæis JESU CHRISTI persecutoribus. Ad Psalmum hunc Salvator alludere censetur, cum Judam *perditionis filium* vocat Joan. 17. 8. ad quem etiam S. Petrus Apostolus Act. 1. 20. transfert ℣. 7. *fiant dies ejus pauci, & episcopatum ejus accipiat alter*. Post ejusmodi auctoritatem licet ne adhuc illum isthic minime agnoscere.

1. DEus, laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os dolosi super
me apertum est. 2 Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermoni-
bus odii circumdederunt me: & expugnarunt me gratis. 3 Pro eo ut
me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. 4 Et posuerunt adversum
me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea. 5 Constitue super eum pecca-
torem: & diabolus stet a dextris ejus. 6 Cum judicatur, exeat condemnatus:
& oratio ejus fiat in peccatum. 7 Fiant dies ejus pauci: & episcopatum ejus ac-
cipiat alter. 8 Fiant filii ejus orphani: & uxor ejus vidua. 9 Nutantes transfe-
rantur filii ejus, & mendicent: & ejiciantur de habitationibus suis. 10 Scrute-
tur fœnerator omnem substantiam ejus: & diripiant alieni labores ejus. 11 Non
sit illi adjutor: nec sit, qui misereatur pupillis ejus. 12 Fiant nati ejus in inte-
ritum: in generatione una deleatur nomen ejus. 13 In memoriam redeat iniqui-
tas patrum ejus in conspectu Domini: & peccatum matris ejus non deleatur. 14
Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum; pro eo quod
non est recordatus facere misericordiam. 15 Et persecutus est hominem inopem,
& mendicum, & compunctum corde mortificare. 16 Et dilexit maledictionem, &
veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. 17 Et induit maledi-
ctionem sicut vestimentum: & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum
in ossibus ejus. 18 Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur: & sicut zona, qua
semper præcingitur. 19 Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum:
& qui loquuntur mala adversus animam meam. 20 Et tu, Domine, Domine,
fac mecum propter nomen tuum: quia suavis est misericordia tua. 21 Libera
me, quia egenus, & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est intra me.
22 Sicut umbra, cum declinat, ablatus sum, & excussus sum sicut locustæ. 23
Genua mea infirmata sunt a jejunio: & caro mea immutata est propter oleum. 24
Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita sua. 25
Adjuva me, Domine Deus meus: salvum me fac secundum misericordiam tuam.
26 Et sciant, quia manus tua hæc: & tu, Domine, fecisti eam. 27 Maledicent
illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur: servus autem tuus læ-
tabitur. 28 Induantur, qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur sicut diploi-
de confusione sua. 29 Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio mul-
torum laudabo eum. 30 Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a per-
sequentibus animam meam.

℣. 1. DEUS LAUDEM MEAM NE TACUERIS; QUIA OS PECCATORIS, & OS DOLOSI SUPER ME APERTUM EST.] Nosti, Domine, penitiores cordis mei latebras: testis esto justitiæ meæ. Apud Saulem nomen meum defertur, quod reipublicæ statum perturbem, Regnum affectem, ac Regis vitæ insidias struam. Tu nosti, A quid sit: ne diu sileas. J.C. isthic humanitus loquitur, ait Theodoretus; *laudem suam*, passionem suam vocat: *Laudem meam ne tacueris* [6]. Considera cruciatus, & pœnas, quas ipse subire volui. Vel fac, ut enitescat justitia, & innocentia mea, quibus per summum nefas Judæi accusatores, & inimici mei caliginem offundere adnituntur.

Hebr.

---

1 Vide Euseb. Chrys. Theodoret. Aug. Hieron. Euthym. 2 Vide Geier. Delrio, Grot.
3 Kimchi, & alii Rabb. Muis, Vatab. Flamin. du Pin alii. 4 Syr. Grot. Bossuet. Ferrand.
5 Apud Græc. Corderii Paraphrast. 6 Joan. 12. 23. *Venit hora ut glorificetur filius hominis*.

Hebr. [1] *Deus laudis meæ*, vel Deus, laus, & gloria mea, *ne taceas*, ne quieveris. Tu, qui es juge laudum mearum argumentum. *In te cantatio mea semper*, ait in psalmo 60. 6. tuere me, meum esto præsidium, abs te liberationem meam expecto: tu unicum es gloriæ, atque spei meæ objectum. Inimicorum meorum os *apertum est super me* [2]: me acerrime accusant, & quin aliquid vereantur, absentem enim calumniis suis proscindunt, idque coram Principe ad necem mihi inferendam paratissimo, & id unum nimirum quærente, ut colore aliquo injustam persecutionem prætexat.

℣. 2. LINGUA DOLOSA, & SERMONIBUS ODII CIRCUMDEDERUNT ME, & EXPUGNAVERUNT ME GRATIS.] Hebr. *lingua mendacii, & sermonibus odii*. Inimici David, ut suum odium, suamque invidiam explerent, integerrima quoque illius facta veneno adspergebant, ea malignis, infestisque interpretationibus in nequissimum sensum detorquentes. Scribæ, & Pharisæi ira succensi, eo quod J. C. liberrime illorum redarguebat hypocrisim, atque flagitia, eum accusabant, veluti rebellem, helluonem, Samaritanum, ariolum, Dæmones in nomine Beelzebub ejicientem, Legis violatorem, seductoremque. Sed eorum calumnias fallas esse ostendebat vitæ illius plane divinæ fulgor, & actionum ejus sanctitas. Nulla vi adducti, per iniquissimam libidinem illi bellum indixerant: *Expugnaverunt me gratis*. Quemadmodum verus fidelis Deum amat gratuito, nulla utilitatis ductus illecebra; ita impius eum nulla ratione adductus odit, sed tantum ut pravum cor suum expleat, ob malum inferendi cupiditatem, ait S. Augustinus: Catilinæ similis, de quo Sallustius ait [3]: *gratuito potius malus, quam crudelis erat*.

℣. 3. PRO EO, UT ME DILIGERENT, DETRAHEBANT MIHI: EGO AUTEM ORABAM.] Pro eorum conversione J. C. de cruce pro inimicis suis orabat [4]: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*. Aliter: Quin benefactis, & illis omnibus, quæ iis præstiti, amicitiæ, & grati animi officiis responderent, fictis criminationibus me petebant. Intelligi potest de David, qui Sauli, ac universæ nationi suæ insignia adeo præbuerat beneficia, & qui in præclaram tot beneficiorum mercedem ejectus fuerat, in exilium actus, proscriptus, atque in perenne vitæ periculum adductus.

Sed longe potiori jure, quam David, J. C. adversus Judæos conqueri potest. Judæam quippe universam *pertransierat benefaciendo, & sanando omnes oppressos a Diabolo* [5], Liberatoris adventum prædicans; atque missionem suam probaturus infinita propemodum ediderat miracula; nemini gravis erat, nullum temporale bonum possidebat; ejus vivendi ratio non irreprehensibilis tantum erat, sed admiratione, atque observantia dignissima. Nihilominus eum accusant, persequuntur, condemnant, crucifigunt, eumque illi ipsi nuper tot beneficiis cumulati nequissime cædunt. *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo*, ajebat ille Joan. 10. 32. *propter quod eorum me lapidatis?*

Sunt, qui Hebraicum textum ita reddant [6]: *pro amore, quo eos complectebar, se se meos adversarios* & accusatores *professi sunt: ego autem orabam*. Vel; *eram homo orationis*. Septuaginta [7] eumdem possunt sensum admittere. Sed Vulgata plures jactat asseclas. Notandum est, Græcum textum in hoc, undevigesimo, & vigesimo octavo versiculis Hebræo similem, ubique legere: *falso accusaverunt me*; e contra vero Vulgatam ibidem legere: *Detrahebant mihi*. Videmus isthic adamussim expleri de inimicorum amore præceptum, adeo in Evangelio commendatum: Moysis lex patiebatur talionis pœnam, atque ultionem ad statum usque finem [8]: *Oculum pro oculo, dentem pro dente; quæ si dici potest injustorum justitia est*, ait S. Augustinus; non quod injustum sit, addit ille, scelestum mali aliis illati pœnam ferre; sed quod in nobis ultionis cupiditas immoderatior est, & quod ultio ipsa Deo est reservanda: *Mihi vindicta* [9].

℣. 5. CONSTITUE SUPER EUM PECCATOREM: & DIABOLUS STET A DEXTRIS EJUS.] Quandoquidem inimicorum meorum iniquitas remedium pati nequit, ac eorum improbitas ad cumulum usque pervenit, impone illis injustos, sævosque dominos, & Dæmon indesinenter eos persequatur. Nos docet Evangelium Joan. 13. 2. cum Judas avaritiæ sese dedisset, dæmonem illius cor invasisse, atque illi suggessisse horribile scelus, quod Deum, ac Dominum suum prodens perpetravit. Judæi, J. C. carnifices, traditi fuerunt Romanis, atque in impœnitentia, & obduratione relicti, ac ad hanc usque diem veluti maledicta, ac reprobata natio considerantur. Doeg, & Achitophel adversarii David, ipsi quoque justam scelerum suorum pœnam subierunt; & sancta nobis narrat Historia, Achitophel desperatione adactum laqueo sibi mortem conscivisse, eo quod Absalon illius consilio non acquieverat 2. Reg. 17. 13. Hebræi vero docent, Doeg cum Saule in pugna prope Gelboe pugnata interiisse, & Davidem filio ejus necem intulisse. Vide ad Psal. 51. 5.

Hebræus [10]; *Constitue super eum peccatorem: & Sathanas* (adversarius) *stet a dexteris ejus*, eum persecuturus, atque in jus illum vocaturus. Alludit ad veterem judiciorum consuetudinem, ubi accusator ad accusati dexteram stare consueverat. Dominus ostendit Zachariæ [11], Summum Sacerdotem Jesum stantem coram Angelo, atque a dextris habentem adversarium, a quo accusabatur. *Sathan* Hebraice proprie accusatorem, & adversarium significat. Sæpe pro dæmone etiam usurpatur. Hebræus ita reddi posset: *Dominus revocet ad memoriam scelera ejus*: ad litteram: Visitet Dominus malum contra eum; *& Sathan stet a dextris ejus*. In Scripturarum stylo [12] visitare crimen, illud punire significat, ulcisci, illud, ut ita dicam, ex oblivionis tenebris eruere.

℣. 6. CUM JUDICATUR, EXEAT CONDEMNATUS; & ORATIO EJUS FIAT IN PECCATUM.] Judicii allegoriam persequitur. Accusetur, redarguatur, damnetur, & quidquid adfert, ut causam suam agat, illius iniquitati, atque damnationi accrescat. Vel, preces, quas coram Judicibus prostratus effundit, eosdem irritent, adigantque, ut in ipsum inclementer desæviant. Vel tandem: Preces illius rejiciat Deus, ejusque pœnitentiam contemnat, quemadmodum olim Antiochi, & Judæ aspernatus est, eo quod iis destituebatur qualitatibus, propter quas efficax, & meritoria esse solet [13]. Ab altero enim desperatio, ab altero servilis mortis, ac periculi, in quo aderat, metus pœnitentiam extorsit. Vera autem pœnitentia in fide esse debet, in spe, in charitate, ac in justitiæ, saltem inceptæ, dilectione. Timor commovere debet cor, atque sceleris horrorem immittere, non eo tamen usque, ut ipsam in Domini misericordia confidentiam excludat.

℣. 7. FIANT DIES EJUS PAUCI, & EPISCOPATUM EJUS ACCIPIAT ALTER.] Videlicet dignitatem, munus, officium. Græca vox *Episcopatus*, quæ in Septuaginta invenitur, & quæ in Vulgatam migravit, proprie significat inspectionem, attentionem, dignitatem, quæ alienæ vivendi rationis ad examen vocandæ potestatem tribuit. Doeg, & Achitophel nequaquam diu scele-

1 אלהי תהלתי אל תחרש 2 Confer Psalmum 34. 21. *Dilataverunt super me os suum*. Et 1. Reg. 2. *Dilatatum est os meum super inimicos meos*. 3 Sallust. de Bello Catilin. apud Aug. hic.
4 Luc. 23. 34. Vide August. Hieronym. Theodoret. Vatab. Flamin.
5 Act. 10. 38. *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo*.
6 תחת אהבתי ישטנוני ואני תפלה 7 70. Ἀντὶ τοῦ ἀγαπᾶν με, ἐνδιέβαλλόν με.
8 Exod 21. 24. 9 Rom. 12. 19. Deut. 32. 35. *Mea est ultio, & ego retribuam*.
10 הפקד עליו רשע ושטן יעמד על ימינו 11 Zach. 3. 1.
12 Exod. 20 5. 34. 7. Levit. 18. 25. 16. 29. Deut. 5. 9. & 2. Reg. 3. 8. Psal. 88. 33. & passim.
13 Vide S. Augustinum, S. Hieron. & Theodoret. in hunc locum.

scelerum suorum pœna caruere. Judas nequissimi consilii sui finem haud est præstolatus; se laqueo suspendit, antequam J.C. in cruce animam efflaret. Illius Apostolatus locum S. Matthias obtinuit, & S. Petrus Act. 1. 20. in ea concione, quam habuit, cum Sanctus ille vir eligeretur, locum, quem isthic legimus, recitavit, eumque ad hoc transtulit argumentum. Chaldæus vertit: *Dies ejus celeriter transeant; alius numerum annorum ejus hæreditet.* Syrus: *Dies ejus fiant pauci, & hæreditas eorum migret ad alios.*

℣. 8. FIANT FILII EJUS ORPHANI; & UXOR EJUS VIDUA] Fiat, vel permaneat. Explicatur de Doeg, Achitophel, & Juda. S. Augustinus, aliique plures, idque jure, putant Judæ uxorem, & filios fuisse; ac pro illis, putat Lyranus, ipsum suffurati consuevisse quidquid J.C. tribuebatur, eumque ille murmuravit propter unguentum super Filii Dei pedes effusum, adnotat Evangelista Joan. 12. 5. non in pauperum gratiam fuisse locutum, sed hanc murmurationi causam prætexisse; cum re ipsa ob furtum, quod facere consueverat, unguentum effundi gravatim ferret. Indignabatur enim, quod trecentorum denariorum summa sacculo suo non accessisset, ut inde non mediocre emolumentum hauriret. Patrum plerique hoc explicant de Synagoga, quæ post J.C. mortem vidua facta est; cujus filii, Judæi nempe, facti sunt orphani per Legis abrogationem, Templi sui eversionem, Nationis dispersionem, ac parentis suæ reprobationem.

℣. 9. NUTANTES TRANSFERANTUR FILII EJUS, ET MENDICENT, & EJICIANTUR DE HABITATIONIBUS SUIS.] Nihil hoc gravius, atque calamitosius contingere potest illis, qui aliquot bonis ditati olim fuerunt. Egestas est veluti omnium infelicitatum cumulus, illis præsertim, qui in misera ea conditione educati non sunt, & quibus ostiatim quæritare panem, ars non est. Vetus quidam optabat potius, ut filii sui e vivis excederent, quam ad mendicandum redigerentur. Hebr.[1] *Filii ejus vagi sint, & mendicent, & quærant victum,* de medio *ruinarum suarum.* E domorum suarum ruinis egrediantur dumtaxat ad victum quæritandum. S. Hieronymus ita vertit. *Et quærantur in parietinis suis.* Antiqui Interpretes Græci apud Theodoretum: *ejiciantur de domibus suis dirutis,* & eversis; ibi non quiete, nec tuto permanere queant. Septuaginta[2]: *Ejiciantur de loco habitationum suarum.* Hæc omnia adimpleta sunt præcipue in Judæis post J.C. mortem: ad miserrimam quippe egestatem redacti sunt, e patria ejecti, errantes, vagique ubicumque per plura sæcula. Illis imo interdictum fuit, ne inter patriæ suæ rudera delitescerent, eaque lacrymis suis rigarent.

℣. 10. SCRUTETUR FOENERATOR OMNEM SUBSTANTIAM EJUS; & DIRIPIANT ALIENI LABORES EJUS.] Ad turpissimam egestatem redactus non sine fœnore mutuam accipere cogatur pecuniam; eumque solvendo esse nequeat, fœnerator omnia illius auferat bona. Heb.[3] *Exactor liget,* auferat, involvat *omnia, quæ ad illum spectant, et alieni rapiant, quidquid ille laboribus suis coegit.* Symmachus[4]: *Exactor propellat,* evertat, *quidquid illi est.* Cum Romani ad miserrimum squaloris statum Judæos abjecissent, illos de patria terra ejiciendo, ac vetando etiam, ne illuc rursus pedem inferrent, ad hæc illos tributis onerarunt, atque ad extremum paupertatis opprobrium redegerunt. Domitianus illos etiam Roma ejecit, eosque in finitimum nemus compulit, ubi non alia eorum supellex erat, quam cophinus; ac parum fœni. Juvenalis Satyr. 3.

Quorum cophinus, fœnumque supellex.

Eorum vero uxores illinc in urbem ascendebant, ubi nonnisi trementes mendicare audebant. Juvenalis Sat. 12.

Cophino, fœnoque relicto
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem ....

Implet et illa manum: sed parcius ære minuto.

℣. 11. NON SIT ILLI ADJUTOR; NEQUE SIT, QUI MISEREATUR PUPILLIS EJUS.] Hebræus ad litteram[5]: *nemo extendat misericordiam super eum, neque misereatur orphanorum ejus.* Innuere videtur, ipsum postquam ad plures abierit, ab amicis omnibus derelictum iri; neminem illius amplius recordaturum, neque filiorum illius misertuturum. Chaldæus: *Nemo sit, qui illi impetret misericordiam.* Prior sensus melior est. Confer Psalmum 35. 11. *Prætende misericordiam tuam scientibus te.* Jerem. 31. 3. *Prætendi super te misericordiam meam;* in charitate perpetua dilexi te.

℣. 12. FIANT NATI EJUS IN INTERITUM; IN GENERATIONE UNA DELEATUR NOMEN EJUS.] Filii ejus non diu patri superstites sint, ac sine posteritate moriantur; ita ut post unam tantum generationem illius nomen oblivione obruatur. Hebræus[6]: *Posteritas ejus exterminetur, et nomen illius in altera generatione deleatur.* Generatio futura non reminiscatur amplius. Vel: *mors ejus sit infelix;* in nullam reditus spem pereat, *et nominis ejus generatio proxima obliviscatur.* Hoc de Judæis explicatur, qui J.C. morti addixerunt. Exitus eorum calamitosus fuit. Romanorum armis deleti fuerunt, idque ante unius generationis finem post annos quadraginta. Vide Hieronymum, & Theodoretum.

℣. 13. IN MEMORIAM REDEAT INIQUITAS PATRUM EJUS IN CONSPECTU DOMINI; & PECCATUM MATRIS EJUS NON DELEATUR.] Deus puniat eum propter parentum, vel simpliciter consanguineorum ejus flagitia. Scelus Judæorum, quorum opera J.C. crucifixus est, una cum sceleribus majorum suorum, qui Prophetas occiderant; *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare;* Matth. 23. 35. ac iniquitas matris eorum, injustæ, sævæque Jerusalem, quæ de Salvatore locuta exclamavit Matth. 27. 25. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros,* effecerunt tandem, ut super eos omnium gravissima calamitas rueret. Cum impleverunt mensuram scelerum tum suorum, tum patrum ipsorum[7], quorum se se imitatores præbuere, in eos ita Domini detonuit, atque gravissimis vulneribus contrivit.

Non secus ac justitia, & pietas parentum filiis prosunt, eisque Domini gratiam, ac benedictiones promerentur, quemadmodum in Abraham, Jacob, Moyse, Davide, eorumque posteritate innotuit: ita patrum iniquitas sæpe suis obest posteris, eisque gravissimas demeretur calamitates, tunc præcipue, cum majorum suorum perniciosa sectantur exempla[8]. Deus veluti supremus Arbiter, ac absolutus Dominus hominum vitæ, eam cum vult, & quemadmodum vult, cum e re censet, sine ulla injustitia, potest auferre. Impium patrem punire potest innocentium filiorum ejus nece; & nullo discrimine, quoad extrinsecos, ac sensibiles effectus justum, ac injustum eodem supplicio involvere; sibi in alteram vitam reservans justitiæ remunerationem, ac impii a bono separationem. Justi pœna, tunc nequaquam pœna est, si pressius loquaris, sed exercitatio & virtutis ejus, ac supremi Omnipotentis dominii in personam illius. Deus explicite per Ezechielem profitetur[9], quod *filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum.* Si minitatur in Exod. 20. 5. se patrum iniquitates persecuturum in filiis usque ad tertiam, & quartam generationem, minas has ad eos tantum coarctat, qui scelus patrant, & qui paternæ iniquitatis sunt imitatores: *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem, eorum qui oderunt me.* Cum vero nonnumquam videmus justos viros, veluti To-

1 ונוע ינועו בניו ושאלו ודרשו מחרבותיהם 2 70. Ἐκβληθήτωσαν ἐκ τῶν οἰκοπέδων αὐτῶν.
3 ינקש נשה לכל אשר לו ויבזו זרים יגיעו Videntur Septuaginta legisse יבקש pro ינקש
4 Sym. Συγκρούσει περιέκτωρ πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ. 5 אל יהי לו משך חסד ואל יהי חונן ליתומיו
6 יהי אחריתו להכרית בדור אחר ימח שמם Septuaginta legerunt דור אחד Ἐν γενεᾷ μιᾷ, pro דור אחר *In generatione altera.* 7 Matt. 23. 32. 8 Vide Euseb. & Theodoret. & Aug. hic.
9 Ezech. 18. 20. Jerem. 31. 29. Vide quoque Deut. 24. 16. & 2. Par. 25. 4.

Tobiam [1], Danielem, Baruch, a Deo petentes, ut dignetur oblivisci peccatorum & ipsorum, & patrum eorum, atque agnoscere, ipsos utrorumque pœnam ferre; hoc in eo sensu est intelligendum, quem attulimus, ac dicendum, Deum simul & famulorum suorum justitiam exercuisse, & inimicorum suorum insolentiam, & pervicaciam fuisse persecutum. Extrinsecus quidem effectus iidem videbantur; at longe diversi erant apud Deum, ac in consiliis ejus usquequaque justissimis, ac sapientissimis.

℣. 14. FIANT CONTRA DOMINUM SEMPER; & DISPEREAT DE TERRA MEMORIA EORUM.] Dominus semper illis sit infensus, ac in æternum iræ illius pondus, ac ultionis effectus experiantur, juxta ea, quæ ipse minitatur in lege Levit. 26. 21. *Si ambulaveritis ex adverso mihi: ego quoque contra vos adversus incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra*. Hebræus, & Septuaginta alium possunt sensum admittere [2]: scelera eorum *sint semper coram Domino, & deleatur de terra memoria eorum*. Sed prior explicatio mihi magis arridet.

℣. 15. PRO EO, QUOD NON EST RECORDATUS FACERE MISERICORDIAM, . . . & COMPUNCTUM CORDE MORTIFICARE [3].] Hoc est Judæorum scelus, hæc eorum calamitatis origo. Omnem misericordiæ in corde suo aditum intercluserunt. Crudelitate, ac furore in J. C. armati sunt. Virum hunc dolorum persecuti sunt; atquo nequissimo, teterrimoque injustitiæ exemplo eum mori voluerunt.

℣. 16. DILEXIT MALEDICTIONEM, & VENIET EI.] Judæi maledictionem dilexerunt, dicentes Matth. 27. 25. *sanguis ejus super nos, & super filios nostros*. Persecuti sunt, & maledixerunt JESUM CHRISTUM, falso illum accusantes veluti *Seductorem, Dæmonium habentem, Samaritanum, publicæ pacis perturbatorem* &c. In ipsum convicia, & maledicta congesserunt, & Filii Dei Discipulos vexare non destiterunt: *Maledixerunt ergo ei* (cæco Nato), *& dixerunt; Tu discipulus illius sis; nos autem Moysi Discipuli sumus*. Joan. 9. 17.

℣. 17. INTRAVIT SICUT AQUA IN INTERIORA EJUS; & SICUT OLEUM IN OSSIBUS EJUS.] Hæ locutiones mirum in modum exhibent maledictionem inhærentem, quæ stirpitus radices jecit, quæ corpus pervasit, velut aqua, quæ bibitur, & oleum, quo inungitur. Exsorbuerunt maledictionem velut aquam [4]; ea membra illorum imbuta sunt, velut oleo, quo fovemur.

℣. 19. HOC OPUS EORUM, QUI DETRAHUNT MIHI APUD DOMINUM.] Domino mentiri non verentur, gravissimas in illum calumnias ferentes. Vel potius cum Hebraico textu, & Septuaginta [5]; *ecce opus*, remuneratio [6], justa pœna, *qua a Domino mulctabuntur, qui injuste me accusant*. Verti quoque potest: *Hæc eorum remuneratio, qui Domino adversantur*, qui in illum insurgunt.

℣. 20. FAC MECUM PROPTER NOMEN TUUM.] Me tuere propter tui nominis gloriam. In meas partes concede. Vel: *Fac mecum misericordiam* [7]. Plurima antiqua Psalteria [8] isthic misericordiæ nomen supplent: *Fac mecum misericordiam tuam propter nomen tuum*.

℣. 21. COR MEUM CONTURBATUM EST INTRA ME.] J. C. Olivarum hortum ingressus mœrere cœpit, ac dolere [9]: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Cum ad Calvarium pergeret, earum commotus lacrymis, quæ illum sequebantur, ait illis [10]: *filiæ Jerusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*. Denique sui triumphi die oculis in Jerusalem conjectis, lacrymis obortis ait Luc. 19. 41. *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique; & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*.

℣. 22. SICUT UMBRA CUM DECLINAT ABLATUS SUM; & EXCUSSUS SUM SICUT LOCUSTÆ.] David hæc potuit dicere, cum a Saule vexaretur, extorris, & profugus a patria sua, & coactus asylum sibi inter saltus, ac nemora quærere. Sed verius hæc de se dicere potuit J. C. quoniam omni vitæ suæ tempore fuit, tamquam Sol ad occasum ruens, & veluti umbra, quæ in singula momenta decrescit. Nullam habuit umquam in terra statam sedem, nulla umquam terræ hujus bona possedit. Modo in hac, modo in illa civitate; semper errans, oves domus Israel, quæ erraverant, quæsiturus. S. Hieronymus hoc transfert ad Judæos e patria sua a Romanis ejectos; Sanctus vero Augustinus ad Apostolos, ac Fideles persecutionum vi dissipatos. Hebr. [11] *Ejectus fui tamquam umbra cum declinat*; vel evanui, tamquam umbra; *agitatus sum, velut locusta*, quæ a vento circumfertur, & quæ de loco in locum transilit.

℣. 23. CARO MEA IMMUTATA EST PROPTER OLEUM.] olei defectu. Me mea a consuetis unctionibus abstinui, & exaruit caro mea. Multo extrinsecus oleo inungi veteres consueverant, idque veluti aliquid vitæ necessarium, putabant. Oleo, unctione, & balneis non uti, maximum habebatur genus abstinentiæ. Sunt, qui Hebraicum textum ita vertant [12]: *Caro mea extenuata est, & nihil mihi adipis superest* [13]. Vox eadem, quæ oleum significat, pro adipe etiam usurpatur; quo in sensu isthic Interpretum plerique explicant. Nonnulli [14]: *macie confectus sum propter oleum*; non enim habeo escam solidiorem. Sed hic sensus violentior est. Alia quædam Psalteria legunt [15]: *caro mea immutata est propter misericordiam*. Græce vox *Eleos*, quæ significat misericordiam, plurimam habet similitudinem cum voce *Elaion*, quæ *oleum* significat. Hoc de J. C. explicatur, qui vixit inter persecutiones in inopia, procul a civitatum oblectamentis, & commodis. David quoque calamitatum suarum tempore plurima passus est incommoda, plurimisque rebus necessariis indiguit.

℣. 24. VIDERUNT ME, & MOVERUNT CAPITA SUA.] Semei Davidi insultavit, ut nemo nescit [16]. Judæi, qui adfuerunt morti J.C. capita insolenter concutientes clamarunt: *Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salva teipsum; si filius Dei es, descende de cruce*. Matth. 27. 40.

℣. 26. SCIANT, QUIA MANUS TUA HÆC: & TU, DOMINE FECISTI EAM.] Intelligant impii, se tua manu percuti; & confiteri cogantur, veluti olim Magi Pharaonis [17], quod *digitus Dei est hic*. Vel norint omnes, te esse protectorem, ac præsidium meum; a te me ereptum fuisse de manu furentium inimicorum meorum. Vel denique: sciant, me a te affligi, neque glorientur, te invito, de innocentia mea se egisse triumphum [18]. Ita J.C. Patrem alloquitur. Resuscita me, & erubescant adversarii mei.

℣. 27. MALEDICENT ILLI, & TU BENEDICES.] Me conviciis suis petant Judæi: probris persequantur Disci-

1 Tob. 3. 3. Dan. 9. 16. Baruch 3. 5. 2 יהיו נגד יהוה תמיד ויכרת מארץ זכרם 70. Γενηθήτωσαν ἐναντίον κυρίου διαπαντός, καὶ ἐξολοθρευθείη ἐκ γῆς τὸ μνημόσυνον αὐτῶν. Quidam apud Aug. *Sint in conspectu Domini*. Alii, *coram Domino*. 3 Psalt. Rom. Mediol. *Compunctum corde morti tradidere*. Heb. נכאה לבב למותת Hieron. *Compunctum corde ut interficeret*. 4 Confer Job. 15. 16. Prov. 4. 17.
5 זאת פעלת שטני מאת יהוה 70. Τοῦτο τὸ ἔργον τῶν ἐνδιαβαλλόντων με παρὰ κυρίου.
6 Confer Deut. 19. 13. 7 Confer Psalm. 85. 17. 118. 65. 124. & 102. 10.
8 Quidam apud Aug. Arnob. Cassiod. Arab. Psalt. Mediol. S. German. Carnut.
9 Matt. 26. 38. Vide Aug. 10 Luc. 23. 28. Vide Euseb. 11 כצל כנטותו נהלכתי ננערתי כארבה
12 בשרי כחש משמן Sym. Ἡ σάρξ μου ἠλλοιώθη ἀπὸ ἀναλείψεως. 13 Rabb. Muis, Munst. Castal. alii plerique. 14 Vide Muis. 15 Psalt. S. Germ. & Carnut. 16 2. Reg. 16. 5. 6.
17 Exod. 8. 19. 18 Hieronym. Muis.

Discipulos meos, & credentes in me; tu vero, Do- A mine, benedices illis, eorum numerum augebis, eos beneficiis tuis cumulabis [1].

℣. 28. INDUANTUR, QUI DETRAHUNT MIHI, PUDORE, & OPERIANTUR SICUT DIPLOIDE CONFUSIONE SUA.] Duplex hæc vestis, *diplois* [2] teste S. Augustino, intrinsecum, extrinsecumque pudorem designat; vel uti placet D. Hieronymo, magnum pudorem, quo ad se reverti cogantur, & agere pœnitentiam. Cum J. C. hæc dicit, *non contra Judæos, sed pro ipsis dicit* [3]. *Cum vindicas*, ait S. Augustinus hic ad ℣. 6. *non reddis malum pro malo, quoniam justum reddit injusto. Punis ergo non delectatione alienæ miseriæ, quod est malum pro malo; sed dilectione justitiæ, quod est bonum pro malo*. Pro *detrahunt mihi*, Hebræus [4] hic habet ut ℣℣. 4. & 19. *adversarios meos*, qui causam di- B cunt contra me.

℣. 29. IN MEDIO MULTORUM LAUDABO EUM.] J. C. in medio Ecclesiæ suæ gratias agit Deo Patri usque ad finem sæculorum.

℣. 30. QUONIAM ASTITIT A DEXTRIS PAUPERIS; UT SALVAM FACERET A PERSEQUENTIBUS ANIMAM MEAM.] Opem mihi attulit in calamitatibus meis; eduxit me de manu inimicorum meorum, resuscitavit me, ac infinita gloria cumulavit. Hebr. [5] *astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a Judicibus animam ejus*; ut illius vitam servaret invitis Judicibus, qui eum damnarunt. Hoc pacto prophetia magis perspicua est pro J. C. resurrectione, licet Pilati sententia, ac Judæorum ira fuerit interemptus. Vidimus supra, *stare ad dexteram alicujus*, in sensu penitus alio usurpari. Ibi significabat adversarium, accusatorem, qui urget adversarium, ut damnetur; hic vero patronum significat, qui clientem suum tutatur. In Hebraico textu syntaxis alia est [6].

---

1 Hieron. Theodoret. 2 Hebr. מעיל significat simpliciter *pallium*, Διπλοΐς: pallium duplex. Nonnulla vetera exemplaria ævi S. Augustini: *Operiantur sicut pallium duplex confusionem suam*.
3 Hieronym. hic. 4 שוטני *Adversarii mei*. 5 כי יעמד לימין אביון להושיע משפטי נפשו
6 ℣. 6. שטן יעמד על ימינו

PSALMUS CIX.

Messias ad Patris dexteram sedens. Inimici ejus sub illius pedibus prostrati. Regnum illius in omnes Gentes. Generatio ejus æterna. Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Judicii illius severitas. Ærumnosa ejus vita: ejusque victoriæ.

Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Hoc Canticum est ad celebrandum Regis ad solium adscensum, compositum, ejusdem ferme generis ac Psalmus 61. *Deus Judicium tuum Regi da &c.* Sed argumentum adeo est sublime, locutiones adeo magnificæ, & objectum adeo super homines elevatum, ut nullum in Historia Principem inveniamus, cui illud ad litteram applicare possimus. In uno JESU CHRISTO deprehendi potest, quidquid isthic asseritur, adimpletum. Judæi ægre ferentes utilitatem, quam ex mirabili hoc Cantico Christiana haurit Ecclesia, adnititur nequicquam illi possessionem auferre, ejusque sensum, & explicationem invertere. Sunt [1], qui putent ab Eliezero Abrahæ famulo fuisse compositum, ad Patriarchæ hujus victoriam celebrandam, de Regibus, qui Sodomam, & Gomorrham vicerant, relatam Genes. 14. 15. Alii [2] hoc transferunt ad David victoriam de Philisthiim, regni sui principio; alii vero ad Salomonem. Sunt etiam antiquiores nonnulli [3], qui Psalmum hunc ad Ezechiam referunt, ad quem putant, Deum loqui in primo Psalmi hujus versiculo dicentem illi: quiesce in ædibus tuis ad dexteram Templi mei, expectans donec efficiam, ut Assyriis, a quibus obsideris, sint pro scabello throni tui. Alii apud Chrysost. hic denique illud de Zorobabel explicabant, cui Dominus hic pollicetur, inquiunt illi, se illum constituturum super solium patrum suorum, ac omnes inimicos in illius potestatem subacturum. Immensi propemodum esset operis, prolixius tot sententias refellere; sed earum futilitas ex sola Psalmi lectione facili negotio innotescet.

Sermo hic est de Rege, qui est Dominus Davidis, sedente ad dexteram Dei, victore inimicorum suorum, in Jerusalem regnante, ante sydera genito, Rege ab æterno, æterno Sacerdote secundum ordinem Melchisech, Gentium Judice, Regum triumphatore, Principe bellicoso, atque infatigabili, & cujus cœptis numquam non fortunatissimus exitus respondit. Quisnam tot, ac tam varios characteres ostendet in Abraham, David, Salomone, Ezechia, vel Zorobabel? Si Rex esset proferendus, cui hæc in historico sensu quadrare possent, præter unum Salomonem, invenio neminem. Sed quamtumvis magnus fuerit hic Rex, toto cœlo tamen adhuc iis est inferior, quæ isthic dicuntur. Judæi, qui J. C. ævo degebant, unanimi consensu fatebantur, Psalmum hunc ad Messiam referri, & esse opus Davidis. Hinc etiam Salvator quædam pro se desumpsit argumenta, quibus illi, quid redderent, ignorarunt [4]. Apostoli S. Petrus Act. 1. 34. & S. Paulus 1. Cor. 15. 25. eodem pariter usi sunt, ut J. C. Messiam esse ostenderent. Doctores Hebræi hoc unum inficiebantur, quod scilicet referri posset ad Jesum e Nazareth; fatebantur vero, spectare ad eum, quem præstolabantur, Liberatorem.

Vis, ac fulgor veritatis adeo in animis valuit, ut plurimi Judæorum [5] non adeo antiqui, licet tot præjudiciis

---

1 Vide apud Hieronym. ad Matth. 22. & Chrysost. hic.
2 Kimchi, & alii Rabb. apud Muis. 3 Vide apud Justin. dialog. cum Tryphone; Tertull. lib. 5. contra Marcion. c. 9. Ambros. apolog. David altera c. 4. 4 Vide Matt. 22. 42.
5 Vide Talmud. tit. Suca c. 5. Midras Tehillim. R. Isaac Arama super Genes. R. Joden. in nomine; R. Chana in Psalm. 17. alii.

ciis imbuti, ac Religionem nostram perosi, coacti fuerint confiteri, Canticum hoc pressius de uno Messia intelligi posse; e quorum numero sunt Auctores *Midras Tehillim*, & *Talmud*, titulo *Suca*, Rabbini Isaac Arama, Obadias, Saadias Gaon, Barachias, & Levi apud Moysem filium Nachmam, aliique nonnulli. Hac in re Patrum, & Interpretum Christianorum [1] consensus constans est, & unanimis. Eorumque vestigia secuti Psalmi explicationem ordiemur.

1. DIxit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis. 2 Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. 3 Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. 4 Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te. 5 Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. 6 Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. 7 Judicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum. 8 De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

℣. 1. DIXIT DOMINUS DOMINO MEO: SEDE A DEXTRIS MEIS.] Pater æternus dixit A filio suo, qui est Dominus David, ut sederet a dextris ejus. Illum alloquitur post Resurrectionem, atque Ascensionem, eique perfectam tribuit gloriæ, & potestatis æqualitatem; ac jubet, creata quælibet coram illo flectere genu. J. C. utpote Deus semper sedit ad dexteram Patris sui, utpote homo post Ascensionem dumtaxat locum hunc cœpit obtinere. Velut homini Deus dixit illi, sede; velut Deus, & Filius Dei æqualis Patri, sedet a dextris ejus. *Audit quasi homo, sedet quasi filius*, ait S. Ambrosius in Apolog. David altera c. 4. J. C. etiam secundum humanitatem erat Dominus David [2]; si fuisset tantum simplex homo, non potuisset David hoc illi deferre nomen [3]. David enim sibi superiorem noverat neminem, præter Deum, vel Hominem Deum. B Non Salomon, non alius quispiam ex successoribus ejus Regibus Juda Dominus ejus potuit appellari. Ita J. C. cum Judæis argumentabatur Matth. 22. 43. *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Nequaquam negabat, Messiam secundum carnem e Davidis progenie nasciturum; sed ostendere volebat, Christum hoc præ David privilegium habiturum, videlicet qualitatem Filii Dei, qua constituebatur hujus Principis Dominus, qui illius secundum carnem erat Pater [4]. Pater, & Filius di- C stincte hic memorantur veluti duo diversi; sed belle perfecta eorum probatur æqualitas, quandoquidem eodem sedent in solio. *Una in sede, una majestate ponuntur; & sedent non pro discernicula dignitatis, nec pro ordine potestatis, sed pro copula charitatis*, ait S. Ambrosius in Apolog. 2. David. c. 4. Vide & Hilar. in Matth. c. 23. & Chrysost. hic.

Hebraicus textus habet: *Dominus*, Jehova, *dixit Domino meo*, Adoni, *sede a dextris meis*. Vel mandatum, *decretum Domini, Domino meo: sede a dextris meis*. Prior vox *Jehovah* est nomen ineffabile, & incommunicabile, quod uni Deo convenit. Altera vero *Adoni*, nonnumquam hominibus, & Deo ipsi nonnumquam tribuitur. Hanc Psalmista Deo tribuit infra ℣. 5. atque hoc in sensu alibi passim in textu invenitur. Nihil ergo ex hoc loco inferri potest contra J. C. D divinitatem; quandoquidem hoc vocabulum, non solum non repugnat divinitati, sed eam quam sæpissime designat, & David Nomen Domini uni Deo deferre poterat, quod in terris nullum sibi superiorem Dominum agnoscere poterat.

Novi equidem, Rabbinos quosdam in dubium vocare, utrum Psalmus hic ad David attineat; neque diffiteor, id ex titulo, qui in Hebraico textu, ac in Vulgata legitur, non satis aperte probari; sed consensus vete- A rum Judæorum ævo Christi, Salvatoris ipsius, Apostolorumque testimonium, & Psalmi Epigraphes, quæ hunc Davidis palam esse ait; hæc inquam omnia nequaquam integrum nobis relinquunt, ut a titulo recedamus, ignoto alicui Cantori illud opus delaturi, quod omnis antiquitas Davidi unanimi consensu censuit esse referendum.

℣. 2. DONEC PONAM INIMICOS TUOS, SCABELLUM PEDUM TUORUM.] Donec illos ad pedes tuos adducam, atque illi se se in conspectum tuum offerant. Josue devictis, captisque quinque Regibus Chananæorum, qui obsederant Gabaon, jussit, Principes Israel super illorum guttur pedes ponere Jos. 10 24. Sapor Persarum Rex Imperatore Valeriano tamquam scabello utebatur, cum equum ascenderet. Tamerla- B nus hoc ipsum cum Bajazette Turcarum Imperatore, captivo suo, consueverat. Pater Æternus JESU CHRISTO promittit, se illi omnes inimicos ejus subjecturum; quam promissionem per omnem temporum decursum adimplet. Judæi omnium primi victi fuerunt; postmodum secuti sunt persecutores Ecclesiæ. Hæretici, infideles, schismatici sub pedibus ejus quotidie proruunt, & armis potentiæ illius superantur. Dæmonis, Mortis, & Antichristi regnum postrema die penitus subvertetur. Tunc pacificum Messiæ Regnum universam extensionem suam, atque omnem splendorem suum obtinebit. Particula *Donec*, non significat Filium Dei ad Patris dexteram non amplius sessurum, cum omnes illius hostes ipsi fuerint subjecti. Ejus quippe imperium, quin cesset, semper gloriosius, atque absolu- C tius fiet; quod nulli amplius subjiciendi supererunt inimici 1. Cor. 15. ℣. 25. 26. 27.

Donec in Scripturis non semper ejus rei, de qua sermo est, finem significat. Exempli gratia Genes. 28. 15. *Nec dimittam te, nisi complevero universa, quæ dixi.* Et Psalmista Psal. 111. 8. *non commovebitur, donec despiciat inimicos suos*. Et Isaias Propheta 46. 4. juxta 70. *Ego sum, sum, & subsisto usque ad senectutem vestram*. Hæccine significant, Jacob a Deo iri derelictum, postquam suas promissiones expleverit, vel justum iri commotum, cum inimicos suos sibi subjectos intuebitur; vel Dominum non futurum amplius, cum homines consenuerint? Similiter quoque apud S. Matthæum 1. 25. *at non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Num dixeris, eam postea cognovisse? absit.

D ℣. 3. VIRGAM VIRTUTIS TUÆ EMITTET DOMINUS EX SION; DOMINARE IN MEDIO INIMICORUM TUORUM.] Imperium tuum incipiet quidem in Sion; verum illius finibus minime circumscribetur, latius in omnem terram patebit. Sceptrum, *virga*, isthic pro imperio usurpatur. Psalmista sceptrum Messiæ velut aliquid animatum ac sensus compos repræsentat. Illi imperat Dominus, ut ditionem suam in diversas gentes protendat. Dominus emittet sceptrum hoc, & dicet illi: dominare super inimicos tuos. Illud abibit, ac Domini mandata perficiet. J. C. *sceptrum* est illius

Crux,

1 Vide Hieron. hic, & Theodoret. 2 August. hic.
3 Theodoret. 4 Hieron. hic.

Crux, uti putat S. Chrysostomus, ac Theodoretus; vel uti mavult S. Athanasius, est verbum Evangelii ejus; vel illius omnipotentia, quæ ad fidem Gentes vocat, cum SS. Augustino, & Hieronymo; vel ipsius Judicii severitas, quæ impios in virga ferrea confringet, cum Eusebio.

Salvatoris imperium incœpit in Sion. *De Sion exibit lex*, ait Isaias 2. 3. *& verbum Domini de Jerusalem; & judicabit gentes, & arguet populos multos*. Et J. C. post passionem suam Apostolis *aperuit sensum, ut intelligerent scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est; & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus a Jerosolyma*. Luc. 24. 47. Antiqua complura Psalteria [1] legunt: *& dominaberis in medio inimicorum tuorum*; Alii [2]: *Et dominare* &c.

℣. 4. TECUM PRINCIPIUM IN DIE VIRTUTIS TUÆ; IN SPLENDORIBUS SANCTORUM EX UTERO ANTE LUCIFERUM GENUI TE.] Verbum in principio erat in Deo: *In principio erat Verbum*. Pater est principium, ait S. Hieronymus, & Filius est principium. Si Filius est in Patre, Pater quoque est in Filio. Uterque est principium, vel initium sine ulla potestatis inæqualitate. Filius est ab omni æternitate, genitus est in sinu Patris ante omnia sæcula, antequam sydera, & cœlestia corpora crearentur. Cum Scriptura ait, Patrem illum ex utero genuisse, idem est, ac si diceret, ipsum e substantia sua genuisse. *De utero generavit, de sua natura, de suis visceribus, de sua substantia, de medullis Divinitatis suæ*.

Patrum plerique [3] *principii* nomen, Græce *Arche* in Potestatis, Imperii, Principatus significatione interpretantur. Dei filius absolutum possidet imperium, infinitum, ac omnipotens, ante omnia sæcula. Eo fruitur *a die potentiæ suæ*, hoc est ab æterno, quoniam illius generatio, & regnum æterna sunt. Genitus est e sinu Patris in fulgore Sanctitatis ac Divinitatis ante quamlibet creaturam. Per ea verba *in die virtutis*, plurimi [4] intelligunt Judicii diem, quo J. C. exercebit imperium, severitatem, justitiam suam adversus impios, cum in majestatis suæ luce in medio Angelorum suorum apparebit: *In splendoribus Sanctorum*.

Tertullianus l. 5. contra Marcion. c. 9. S Augustinus hic, & alii quidam veteres apud Theodorum Heraclæotam de temporali J. C nativitate hæc intelligunt textus verba: *Ex utero ante luciferum genui te*; re enim ipsa Dominus noctu natus est, antequam Phosphorus illucesceret. Sed communior Patrum sententia [5], & ipse S. Augustinus hoc de illius æterna generatione interpretantur. Hinc etiam hauriunt argumentum ad Verbi consubstantialitatem, ac illius cum Patrem identitatem naturæ probandam.

Hebraicus textus varias patitur explicationes [6]. Aquila [7]: *Ros adolescentiæ tuæ*, vel pueritiæ tuæ *de auroræ sinu depluit*. Symmachus [8]: *Ros pueritiæ tuæ* descendit *velut aurora*. Quinta Editio similiter [9]; quæ variæ lectiones nullam Textui afferunt lucem, neque Hebræus ad litteram apertior est. Ita vertitur totus versiculus: *Populus tuus veniet æquo animo die expeditionis tuæ in pulchritudinem Sanctuarii tui*. Libenter sub vexillis tuis congregabitur. Vide Judic. 5. 2.

A Libenter veniet in Templum: *Posteritas tua est tamquam ros, qui ex auroræ sinu producitur*. Innuere vult posteritatem æque frequentem, ac roris guttas mane delabentes. S. Hieronymus ita vertit: *Populi tui spontanei tibi erunt in die fortitudinis tuæ* [10]: *In montibus sanctis de vulva orietur tibi ros adolescentiæ tuæ*. Hic ros adolescentiæ naturaliter filiorum productionem significat. Hebræi sæpe generationem designant nomine guttarum aquæ: *Fluet aqua de situla ejus* Num. 24. 7. Et Salomon Prov. 5. 16. *In plateis aquas tuas divide*. Et Isaias 38. 1. *Qui de aquis Juda existis*; & loquens de Messiæ nativitate c. 45. 8. *rorate cœli desuper &c.*

Verti quoque posset; *Populus tuus affert hostias voluntarias die victoriæ tuæ, in pulchritudine Sanctuarii*. B *Ros adolescentiæ tuæ egressus est de sinu*, copiosius quam ros *aurora*. Filii ex te geniti plures sunt, quam guttæ auroræ filiæ. Poeta Alcmanus rorem vocat aeris, ac Lunæ filium [11]. Postremus hic sensus mihi magis arridet. Templum locus est aptior ad victimas gratiarum actionis pro victoria offerendas, quam ad milites conscribendos, ut in hostem educantur. Qui alias sententiarum in locum hunc varietates videre cupit, Criticos, atque Interpretes potest consulere; quos non alius fortasse locus adeo exercuit. Muis scite ostendit Massoretharum punctis parumper immutatis Hebraico textui facile eum tribui sensum posse, quem Septuaginta, & Vulgata præseferunt, & qui adeo sublimis est, ac speciosus. Vide etiam Genebrardum.

℣. 5. JURAVIT DOMINUS, & NON POENITEBIT C EUM: TU ES SACERDOS IN ÆTERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH.] Cum ait Scriptura futurum, ut Deus juret, neque illum pœniteat, non innuit, Deum nonnumquam fallere posse, ac fidem non præstare; ita ut jusjurandum illius aliquid addat veritati promissionum ejus, vel eventuum certitudini. Hæ simplices sunt humanitus loquendi rationes, quæ decretorum illius certitudinem significant [12]. *Jurare* in Deo, inquit S. Augustinus, est seipsum testari [13]; ac essentialem illius veritatem in testimonium vocare. At Deus numquam aliquid absolute promittit, quin hoc faciat. Pollicetur isthic filio suo, se illi daturum Sacerdotium æternum secundum ordinem Melchisedech.

Triplicem Sacerdotii ordinem novimus ex Scripturis. D Ordo scilicet Regni, primogenitorum, ac Levitarum. Melchisedech, utpote Rex Salem, juxta vetustissimam gentium consuetudinem Sacerdotii munere in regno suo fungebatur; quare Hebraice nomen idem, quod Sacerdotem significat [14], ad Principem etiam significandum usurpatur. Per juris hujus extensionem Patriarchæ, & Patres familias Omnipotenti in ædibus suis sacra faciebant. Alter Sacerdotii ordo est primogenitorum in qualibet familia [15]; quorum jus naturaliter spectabat ad Ruben in domo Jacob; sed translatum fuit ad Levi propter quoddam scelus Ruben. Tertius denique est ordo Levitarum, qui unice Dei electioni innitebatur, & qui de progenie in progeniem traducendus erat in familia Levi, donec Mosaicæ Legis sacrificia antiquarentur. Ita hic ordo Sacerdotalis non erat E æternus; at perpetuus erat ordo Melchisedech; quippe jura gentium, & omnium populorum consuetudini

1 Ambros. de Benedict. Patriarch. l. 1. c. 4. Tertull. Cyprian. Psalter. Rom. Mediol. Sancti Germ. Carnut.
2 Chrysost. Euseb. August. Alii apud Hieron. ep. ad Suniam & Fretell.
3 Didym. Heraclæot. Chrysost. Theod. Basil. Euthym. Athanas. August. Μετὰ σοῦ ἡ ἀρχή *Tecum principatus*; & ita vox sumitur apud Aristot. Xenophont. alios. Vide Muis, & Ferrand.
4 Chrysost. Theodoret. August. Athanas. 5 Irenæus lib. 3. initio Hilar. l. 12. de Trinit. Ambros. l. 4. de fide c. 4. Chrysost. Theodoret. Athanas. alii passim.
6 עמך נדבות ביום חילך בהדרי קדש מרחם משחר לך טל ילדתך
7 Aquil. Ἀπὸ μήτρας ἐξωρθρισμένης σοι δρόσος παιδιότητός σου.
8 Ὡς κατ' ὄρθρον σοι δρόσος ἡ νεότης σου. 9 5. Edit. Ἐν μήτρας ἀπ' ὄρθρου σοι δρόσος νεότητός σου.
10 Legebat הררי *hareri*, montes; pro הדרי *hadrai*. 11 Apud Plutarc. Symposiac. l. 3. Vide quoque Job. 38. 28. 29. *Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris? De cujus utero egressa est glacies?*
12 Athanas. Chrysost. Euthym. 13 *Hoc est jurare, testari Deum .... cur ergo non & Deus jurando testetur seipsum*. August. hic. 14 כהן *Sacerdos & Princeps* Vide 2. Reg. 8. ult. collatum cum 1. Par. 18. ult. Vide & Genes. 41. 45. Exod. 11. 16. 15 Vide Hieron. trad. Hebr. in Genes.

innitebatur, apud quos Reges Sacerdotali dignitate semper insigniti fuerunt [1].

Ergo JESUS CHRISTUS veluti sæculorum Rex, immortalis, æternus, omnipotens est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech; & quemadmodum Melchisedech in Scriptura non patrem, non matrem, non genealogiam, non initium, non finem habet [2]: hoc est Biblia Sacra nullibi de illius origine, consanguinitate, vel morte loquuntur; silentium hoc in veteri illo rege figurativum est dumtaxat, in J. C. est reale, quemadmodum S. Johannes Chrysostomus animadvertit [3]; videlicet Dei filius, Sacerdos æternus nullum agnoscit in terra patrem, nec matrem juxtam aliorum hominum modum, non initium, non finem suæ essentiæ, atque existentiæ. Sacerdotium ejus, æque ac ille, æternum est. In omnem æternitatem obedientiæ sacrificium Patri suo obtulit, ejus scilicet obedientiæ, quam illi præstiturus erat, carnem assumens, ac vitæ mortalis stadium ingrediens; in tempore vero illi re ipsa obtulit vitæ, ac sanguinis sui sacrificium, quod ipsum in Christiana Ecclesia perenne fecit per oblationem sui Corporis, & Sanguinis sub panis, ac vini speciebus.

℣. 6. DOMINUS A DEXTRIS TUIS; CONFREGIT IN DIE IRÆ SUÆ REGES.] Hoc intelligitur de J. C. secundum humanitatem [4]; etenim secundum Divinitatem æqualem habet cum Patre potestatem, atque virtutem. Deus igitur semper adstitit ad dextram ejus, ut illi opem ferret, eumque tueretur. S.S. Augustinus, & Hieronymus hoc de Patris, ac Filii æqualitate interpretantur: *Dominus a dextris tuis*, quemadmodum tu a dextris ejus: *Sede a dextris meis*. Cum eo regnas in potentiæ, ac naturæ æqualitate perfecta. Verba hæc *confregit*, vel *confringet* [5] ad Patrem, vel ad Filium referri possunt. Sermonis decursus ea ad Salvatorem potius applicat; quoniam postremus versiculus: *de torrente in via bibet*, de Patre nequit intelligi. *Dies iræ* est dies judicii [6]: tunc Filius Dei exercebit præcipue Justitiæ suæ severitatem in Reges, Sanctorum suorum persecutores.

℣. 7. JUDICABIT IN NATIONIBUS, IMPLEBIT RUINAS; CONQUASSABIT CAPITA IN TERRA MULTORUM [7].] In medio alienigenarum gentium exercebit Judiciorum suorum severitatem; earum confringet superbiam, eosque veritatis, & Ecclesiæ suæ subdet imperio; ac eos disperdet, qui infideles, & increduli fuerint: *Implebit ruinas*, vel *cadavera* cum Septuaginta [8]: Hebræus vero [9], cadaverum acervos congregabit. JESUS CHRISTUS, uti loquitur Spiritus Sanctus Luc. 2. 34. natus est, *in ruinam, & resurrectionem multorum*. Fidelibus quidem est lapis angularis, & electus; infidelibus vero lapis offensionis, & petra scandali [10]. Denique *conquassabit capita in terra multorum*. Impii, infideles, hæretici, Ecclesiæ persecutores, pacis ejus perturbatores, & unitatem illius perfringere conantes, conterentur, ac in die iræ illius in pulverem redigentur. Hebræus [11]: *confringet caput regionis magnæ*. Prosternet quidquid roboris erit in omnibus terris, quas domabit. Totus Christianus orbis gloriatur Regem habere JESUM CHRISTUM. Potentissimi Reges illius agnoscunt imperium, atque coram illo caput inclinant, sceptrumque suum ad throni illius pedes abjiciunt. Interpretes nonnulli [12] ita hæc intelligunt verba: *Implebit ruinas*, replebit loca, quæ in cœlis vacua Angelorum nequam lapsus effecit; in eorum sedes collocabit Electos, quos ad gloriam evehet.

℣. 8. DE TORRENTE IN VIA BIBET; PROPTEREA EXALTABIT CAPUT.] Isthic exhibetur strenuus Dux laboris patiens, audax, qui numquam fatigatur, & qui contra inimicos suos nullo fractus timore incedit. Aquam, quæ prior occurret, ebibet, absque affectatione, ac fastidio. Patres [13] hoc explicant de frugali, simplici, & ærumnosa Redemptoris vita, vel de illius pœnis, cruciatibus, & Passione [14]. *Torrens*, & aquæ in Scriptura plerumque afflictiones, doloremque significant [15]. Incedet elato capite, vel *exaltabit caput*, imperterritus ambulabit. Vel victor erit, & gloriosus: *Sublimi feriet sydera vertice*.

Hic quoque Textui sensus appingi potest: *bibet aquam torrentis; propterea exaltabit caput*. Felix erit in expeditionibus suis. Ubicumque inveniet aquas affluenter. Nihil usquam deerit illius exercitui. Strenue in aciem descendet, & gloriosam referet victoriam. Jeremias felicem Israelitarum describens reditum de captivitate ait c. 31. 9. *adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impinget in ea*. In calidis, siccisque regionibus non levis erat felicitas invenire torrentes, quibus exercitus sitim extingueret. Gedeonis milites ad torrentem epotarunt Judic. 12. Non alium populo suo tribuit Deus potum in deserto: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt* Psal. 77. 20. Judith c. 16. 5. ait, Holophernem torrentes exhausisse, tantus erat ejus exercitus. Sennacherib hoc ipsum se facere jactitat Isai. 37. 23. nec aliter contingebat Xersis exercitui. Copiæ trium Regum Juda, Israel, & Edom siti confectæ in deserto interiissent, ni forte in castris Propheta Eliseus adfuisset, qui pro populo aquas impetraret 4. Reg. 3. 9. In hoc sensu levi negotio locus iste ad J. C. transfertur, cui in omni mortalis vitæ suæ curriculo, quod proprie est iter illius, numquam supernaturalia subsidia, ac gratiæ defuerunt; quas & affluenter Ecclesiæ, ac amicis suis communicavit, qui cum ipso contra veritatis, ac Religionis inimicos, contra errorem, Mundum, ac Dæmonem præliantur.

---

1 Vide Platon. in Politic. Arist. de Rep. l. 3. Xenophon. de Rep. Lacedæm. Strabo l. 14. Initio Dionys. Halicarn. l. 2. Ælian. Var. hist. l. 14. Virgil. Æneid. 3. & alii plures.

2 Hebr. 7. 3. *Hic Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia; neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in æternum*.

3 Vide Chrysostom. Theodoret. Hieronym. alios.

4 Chrysost. Theodoret.

5 70. Συνθλάσει *Confringet*. August. *Conquassavit*.

6 Athanas. Theodoret. alii.

7 August. legit: *Conquassavit capita super terram multa*. Psalter. Roman. Sancti German. Carnut. *Conquassabit capita multa in terra copiosa*.

8 Πληρώσει πτώματα.

9 מלא גויות *Implebit cadavera*. Hieronym. *Implevit valles*: quasi legisset גאיות

10 1. Petri 2. 6. 7. 8. Rom. 9. 33.

11 מחץ ראש על ארץ רבה

12 Rainer. Jansen. le Blanc.

13 Chrysost. Theodoret. Vide Muis, & Judic. 7. 5. 6.

14 Athanas. Hieronym. August.

15 Psalm. 17. 5. 123. 4. 68. 2. 3. 15. 16. Isai. 30. 28. &c.

PSALMUS CX.

Propheta Domini magnitudinem, potentiam, justitiam, ac veritatem commendat. Operum ejus magnificentiam, & nominis majestatem celebrat. Initium Sapientiæ est timor Domini.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

Psalmus iste est acrostieus, seu alphabeticus, sed ratione longe diversa ab aliis generis ejusdem, quos superius vidimus [1]. In iis enim quilibet versieulus incipit per litteras juxta alphabeticum ordinem dispositas; in hoc vero litteræ ordinem illum in dimidio quolibet versiculo tenent, ita ut duo, & viginti parvula membra hic sunt, decem tantummodo versiculos componentia, quorum priores octo singuli bina membra continent; terna vero in posterioribus duobus inveniuntur. Sive hæ Carminum species ita elaborarentur simpliciter in puerorum gratiam, ut memoriæ illorum consuleretur, vel ut legere, & scribere facilius edifcerent; sive mos hic apud Hebræos obtinuerit, ita pulcherrima moralis philosophiæ præcepta dirigendi, ut facilius animis inhærerent; dicendum est, ipsis peculiare aliquod oblectamentum in hoc poeseos genere fuisse, atque in eodem majorem invenisse pulchritudinem, & elegantiam, quam certe nos inde haurire non possumus; quandoquidem eo frequentius usi sunt.

S. Hieronymus [2] asserit, psalmum hunc, & subsequentem, esse priores duos, qui sint methodice, & ad unguem acrostici, cum alii, qui superius tamquam acrostici allati sunt, in eam formam unice Lectorum artificio, non Auctorum consilio fuerint dispositi. Re quidem vera maxima deprehenditur in versiculis inæqualitas, cum alii prolixiores sint, alii breviores. Cæterum ibi perturbatior est etiam litterarum ordo; & earum nonnullæ omnino desiderantur: quamobrem addit ille: Septuaginta nequaquam operæ pretium esse censuerunt in eorum capite litteras notare, quod in hoc perficere statuerunt. En judicium veteris illius Auctoris, quem D. Hieronymi nomine nuncupamus. Verum nescio, an huic illius sententiæ Eruditi viri acquieverint. Certum est saltem, Septuaginta in Exemplaribus nostris nullam habere appositam notam, quæ hos ab aliis psalmis distinguat. Nullum hodie in eorum Exemplaribus, nequa isthic, neque alibi, extat Hebraici alphabeti vestigium, nisi fortasse dixeris in psalmo 118.

Theodoretus putat, Davidem in spiritu Prophetiæ Canticum hoc pronuntiasse, cum prænosceret victoriam, quam Josaphat de Idumæis, Ammonitis, eorumque fœderatis erat relaturus [3]. Alii hunc psalmum veluti simpliciter moralem putant, ubi Propheta Dei magnitudinem, & operum illius magnificentiam commendat. Patres [4] eum explicant, veluti J.C. & Ecclesiæ Christianæ gratiarum actionem pro iis favoribus, quibus Deus cumulavit Sanctos suos, præcipue vero pro Eucharistiæ institutione, & conversione Gentilium. Beda, aliique nonnulli [5] eum rejiciunt in reditum de captivitate Babylonis; atque est, uti censent, gratiarum actio Judæorum, qui in libertatem vindicati in patriam reversi sunt. Veteres quidam Mss. huic favent sententiæ: habent enim [6]: *Hallelnia: Reversio Aggæi, & Zachariæ*; quod systema in Commentariis amplectemur.

1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: in consilio justorum, &
congregatione. 2 Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates
ejus. 3 Confessio, & magnificentia opus ejus: & justitia ejus manet in
sæculum sæculi. 4 Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator
Dominus: escam dedit timentibus se. 5 Memor erit in sæculum testamenti sui:
virtutem operum suorum annuntiabit populo suo; 6 Ut det illis hæreditatem gen-
tium. Opera manuum ejus, veritas, & judicium. 7 Fidelia omnia mandata ejus:
confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate, & æquitate. 8 Redemptionem mi-
sit populo suo: mandavit in æternum testamentum suum. 9 Sanctum, & terribi-
le nomen ejus: initium sapientiæ timor Domini. 10 Intellectus bonus omnibus fa-
cientibus eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

℣. 1. CONFITEBOR TIBI, DOMINE, IN TOTO CORDE MEO, IN CONSILIO JUSTORUM, & CONGREGATIONE.] Hebr. [7] *in secreto justorum, & congregatione*. Septuaginta [8] Vulgatæ similes sunt. *Consilium*, vel *secretum* Justorum hoc in loco particularem eorum societatem; *congregatio* vero publicum eorum cœtum significant. Annuntiabo, Domine, laudes tuas in medio famulorum tuorum, populi tui, Sanctorum, tam publice, quam privatim. Hebræi vocantur *Justi*, vel Sancti, eo quod

1 Vide Psal. 24. & 36. 2 Hieron. hic: *Ex quo puto magis observatione hoc legentium, quam studio scriptoris effectum. Denique & septuaginta Interpretes, quia aliquis in eis scrupulus nascebatur, in translatione Hebraæ litteras ponere noluerunt.* 3 4. Reg. 3.
4 August. Chrysost. Athanas. Euseb. 5 Ferrand. Choisy.
6 Codd. Reg. 222. & Colb. 1. 1339. Memm. 2. *Alleluja. Reversionis Aggæi, & Zachariæ.* Colb. 158. *Reversio Aggæi, & Zachariæ* apud Ferr. hic. 7 בסוד ישרים ועדה 8 70. Ἐν βουλῇ εὐθείων καὶ συναγωγῇ. Theodoret. Βουλὴν τοίνυν εὐθέων τὸ σύστημα προσηγόρευσε τῶν εὐσεβῶν.

eo quod Sanctitati destinati sunt, & eos Dominus peculiariter servitio suo addixit, unde profectæ sunt ex denominationes: *Gens sancta* Exod. 19. 6. *Multitudo Sanctorum* Num. 16. 3. *Moriatur anima mea morte Justorum* Num. 23. 10. *Populus sanctus es* Deut. 7. 6. & 14. 2. ubi de Israelitis est fermo.

℣. 2. MAGNA OPERA DOMINI, EXQUISITA IN OMNES VOLUNTATES EJUS.] Hi sunt fructus divinæ erga nos liberalitatis, & misericordiæ. Id unice quæsivit, ut nobis gratificaretur, omnia creata producens, nostrarum admirationum causas. Deus omnis in hominis gratiam fecit, hominem vero creavit, qui sibi famularetur, ejusque gloriam augeret. Aliter: *Magna sunt opera Domini*; *perfecta sunt*, exquisita, verbo, *ut in iis sibi complaceat dignissima. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat*, ait Moyses Genes. 1. 31. *& erant valde bona*. Dici nequit, Deum omnes potentiæ suæ thesauros exhausisse in iis, quæ creavit: verum certum est, nihil nisi perfectum fecisse [1], & confitendum est, ipsum nihil produxisse nisi cum electione, diligentia, & cura, quæ supremam illius decet Sapientiam; egregii opificis instar, qui cum plures habeat prototypos, ex illis pulcherrimum eligit, ad quem suum opus conformet. Hæc Psalmistæ hujus loci est sententia. Chaldæus, & Syrus: *Magna opera Domini, & quæsita*, studio, atque admiratione considerata *ab iis omnibus, qui diligunt illa*. S. Hieronymus [2]: *Magna opera Domini, exquirenda in cunctis voluntatibus ejus*.

℣. 3. CONFESSIO, & MAGNIFICENTIA OPUS EJUS; & JUSTITIA EJUS MANET IN SÆCULUM SÆCULI.] Quidquid ille fecit, laudes, & magnificentiam ejus concelebrant. Vel: Omnia opera ejus sunt gloria, & majestas [3], vel magna sunt, & magnifica. Versiculi 2. 3. & 6. sunt circiter synonimi. ℣. 2. *Magna opera Domini, & exquisita in omnes voluntates ejus*. 3. *Confessio, & magnificentia opus eius, justitia eius manet in sæculum sæculi*. 6. *Opera manuum eius veritas, & judicium*. Illa ejus magnitudinem, magnificentiam, liberalitatem, gloriam, majestatem, justitiam, æquitatem, & in promissionibus constantem prædicant fidelitatem. Ut elogiis istius magnitudinem, & pulchritudinem probe teneas, satis est, humana cum Divinis opera conferre. Quidquid hominum manu factum est infirmum est, exile, rude, breviter duraturum. Nihil in iis, nisi injustitia, infidelitas, atque inconstantia deprehenditur.

℣. 4. MEMORIAM FECIT MIRABILIUM SUORUM, MISERICORS, & MISERATOR DOMINUS.] Recordatus est fœderis, quod cum semine Abraham percusserat. Rursus pro nobis effulgere fecit antiqua potentiæ suæ prodigia. Nos de captivitate Babylonis eduxit in virtute brachii tui, uti olim patres nostros de Ægypti servitute liberavit. Vide Isai. 63. ℣. 11. 12.

ESCAM DEDIT TIMENTIBUS SE. MEMOR ERIT IN SÆCULUM TESTAMENTI SUI.] Patres nostri in deserto illius misericordiam experti sunt, cum in summa rerum inopia fame laborantibus illis in escam tribuit mannam. Nos Babylone in miserrima egestate esuriebamus, similes populo, & fame, & ægritudine confecto. Vide Psalmum 106. 5. *Esurientes, & sitientes anima eorum in ipsis defecit &c.* Sed Dominus misertus est nostri; ipse nobis escam dedit, in hanc terram evocavit, ubi in rerum omnium affluentia versamur. In sensu spirituali per hanc escam, quam tribuit Deus populo suo, S. S. Athanasius, & Augustinus intelligunt Panem, qui de Cœlo descendit, Verbum Carnem factum, animarum nostrarum pabulum; alii Eucharistiam; S. Chrysostomus Dei verbum instruens, & ædificans.

℣. 5. MEMOR ERIT IN SÆCULUM TESTAMENTI SUI; VIRTUTEM OPERUM SUORUM ANNUNTIABIT POPULO SUO.] Hoc ipsum dixerat vers. 4. Olim Dominus inaudita operatus est prodigia, ut in terram Chanaan patres

A nostros introduceret. Jordanis aquas divisit; Jerichuntis muros evertit; Solis, & Lunæ cursum cohibuit. Hæc pro nobis miracula instauravit. In Captivitate Babylonica luctu, & squalore confecti, malisque obruti jacebamus: Confregit Dominus vincula nostra, effecitque, ut in antiquam hæreditatem reverteremur; dissipavit inimicos nostros, & nos in pacata terræ nostræ possessione constituit: *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis hæreditatem gentium*. Septuaginta [4], S. Johannes Chrysostomus, Eusebius in præterito legunt *annuntiavit*, quod in Vulgata per futurum effertur. Orationis contextus poscit, ut id ita intelligamus.

℣. 6. OPERA MANUUM EJUS VERITAS, & JUDICIUM (℣. 7.) FIDELIA OMNIA MANDATA EJUS.]
B Quidquid pro nobis operatus est, veritas est, & judicium. Veritas est, quod illorum præstitit fidem, quæ per suos Prophetas spoponderat; Judicium est, quod propter scelera nostra nos puniit, & Babylonios vicissim propter illorum iniquitates percussit. Veritas illius ex ea nos eripuit servitute, in quam nos illius justitia conjecerat: *Fidelia omnia mandata ejus*, & semper stabilia, neque umquam mutanda. Ea nequaquam, ut humana, injustitiæ, inconstantiæ, varietati, ac falsitati sunt obnoxia; sed æternæ, ac immutabili veritati, & justitiæ innituntur. Scriptura sæpe Dei mandata his elogiis commendat. Vide Psalmum 18. 8. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis*; & Psalmum 88. 29. *Testamentum meum fidele ipsi*; & 118.
C 86. *Omnia mandata tua veritas*, & ℣. 160. ibidem: *Principium verborum tuorum veritas*; *in æternum omnia judicia justitiæ tuæ &c.*

℣. 8. REDEMPTIONEM MISIT POPULO SUO; MANDAVIT IN ÆTERNUM TESTAMENTUM SUUM.] Misit Dominus Moysem, ut educeret populum suum de Ægypto, & cum eo æternum fœdus in Sinai percussit. Mirabilia hæc instauravit, nos Cyri ope de captivitate Babylonis eruens, ac iterum cum populo suo Jerusalem reverso fœdus novum percutiens [5]. Tandem misit J. C. qui universum redimeret genus humanum, & mediator esset fœderis præ antiquis omnibus perfectissimi, atque utilissimi; cujus priora illa figuræ tantum erant; & quædam veluti promissiones.

℣. 9. SANCTUM, & TERRIBILE NOMEN EJUS. INITIUM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI.] Nomen Domi-
D ni est ipse Dominus. Illud infinite verendum est, ac terribile, & sanctitatis, & puritatis incomprehensibilis. *Sanctus Sanctis*, ait S. Hieronymus; *terribile peccatoribus*. Hebræis quoad Dei nomen quædam sunt consuetudines, quæ videntur quidem superstitiosæ, sed quæ palam ostendunt, qua ipsi observantia sacrum hoc, & inviolabile nomen venerentur [6]: Nefas illis est illud delere, etiamsi male scriptum sit; cum vero cuti impressum est, vel ablui, vel oleo inungi non licet. Legis liber in pollutum locum inferendus non est, non illotis manibus attrectandus, neque negligenter, sine reverentia, & cultu attingendus; non sine necessitate vendendus, neque illi incumbendum, neque in immundo loco asservandus. Eadem ferme Turcarum est consue-
E tudo cum Alcorano suo; quæ sane Christianorum irreverentiam, inanemque fidem redarguit.

Hæc vero sententia: *Initium sapientiæ est timor Domini*, apud Salomonem quoque Prov. 9. 10. & Job. c. 28 28. invenitur: *Timoris Domini* nomine intelligenda est pietas, Religio, cognitio, & cultus Domini. Timor Domini apud Hebræos sæpe generatim complectitur religiosum cultum, ac omne veræ Religionis exercitium; in quo Sapientes Israelitæ omnem sapientiam, doctrinamque suam constituebant. Domini præcepta *& observabitis, & implebitis opere*, Moyses Deut. 4. 6. ait. *Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc*,

---

1 Theodoret. in Psalm. 34. 6.   2 גדלים מעשי יהוה דרושים לכל חפציהם Hieronym. *Magna opera Domini, exquirenda in cunctis voluntatibus suis*.

3 הוד והדר פעלו 70. Ἐξομολόγησις καὶ μεγαλοπρέπεια Quid. apud Chrysost. Ἔπαινος καὶ ἀξίωμα, ἡ ἐργασία αὐτοῦ.

4 70. Ἰσχὺν ἔργων αὐτοῦ ἀνήγγειλε.   5 2. Esdr. 9. 38. 10. 1.

6 SchiKard. jus Reg. c. 5. Theor. 5. art. 6. & 9.

hac, dicant: En populus sapiens, & intelligens, gens A *magna*, populus illustris.

Apud alios populos pietas, at Religio veluti exigua studii sui pars habebatur. Omnem enim operam vel in bellum, vel in Reipublicæ gerendæ rationem, vel in mercaturam, vel denique in speculativas disciplinas transmittebant. Apud nos vero, ait Josephus contra Appion. l. 2. pietas, & Religio præcipuum studium est, atque essentiale. Reliquum est auctarium; immo virtutes ipsæ prudentia, justitia, temperantia, veluti Religioni subordinatæ considerantur: *Qui non timent Dominum*, ait S. Hieronymus, *non est in eis sapientia: aut qui non habent sapientiam, non habent timorem*. Timor initium, sed charitas est sapientiæ perfectio, Eusebius inquit. Interpretes nonnulli ita Hebræum reddunt [1]: *Timor Dei est suprema Sapientia*. B Ille caput, summa, præcipuum est sapientiæ [2].

A ℣. 10. INTELLECTUS BONUS OMNIBUS FACIENTIBUS EUM.] Sapientia speculativa procul dubio magno in pretio est habenda; sed vera, & solida sapientia in veritatum Religionis exercitatione consistit [3]. Simplex cognitio sine exercitatione prius in nostram damnationem, quam justificationem convertitur: *Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum: sed factores Legis justificabuntur*. Rom. 2. 13. Plurima antiqua Latina Psalteria habent [4]: *Intellectus bonus omnibus facientibus ea*. Qui hæc exercent, præclaro se ingenio præditos ostendunt. Hebraicus textus [5] eumdem potest sensum admittere, & plurimi ita illum intelligunt; *Magna est prudentia*, vel felicitas magna [6]: *Illis, qui hæc mandata sectantur*. S. Hieronymus: *Doctrina bona cunctis qui faciunt eam*.

B LAUDATIO EJUS.] Scilicet Domini, vel potius Justi. Vide Psalmum sequentem vers. 3. 6. 7.

1 ראשית חכמה יראת יהוה
2 Vide Jun. Muis, Hammond. alios.
3 Vide Chrysost. Euseb. August.
4 Psalt. Rom. Carnut. S. Germ.
5 שכל טוב לכל עשיהם
6 Jun. Tremel. Geier. Pisc. Ainsw.

PSALMUS CXI.

Felicitas timentis Deum, & misericordiam exercentis. Dives erit, & potens super terram: generatio ejus replebitur benedictionibus, justitia illius non peribit; Justi memoria æternum vigebit, inimicos suos ille superabit.

Alleluja, reversionis Aggæi, & Zachariæ.

ARGUMENTUM.

S. Augustinus in titulo simpliciter legit: *Conversio Aggæi, & Zachariæ*; neque aliter Editio Sixti V. Cassiodorus: *Conversionis Aggæi, & Zachariæ*; neque legunt *Alleluja*. Hebræus, Chaldæus, Syrus, Arabs, Æthiops; Septuaginta, & Patres Græci, simpliciter legunt *Alleluia*, quin Aggæi, vel Zachariæ meminerint. Psalmus est acrostichus eodem pacto ac superior. Pleique hunc explicant, veluti simplicem descriptionem felicitatis Justi, atque adhortationem, ad virtutem, & misericordiam exercendam. Syriaca versio hic contineri putat moralia præcepta, a Davide Salomoni filio suo tradita.

S. Johannes Chrysostomus eum explicat veluti Psalmi superioris continuationem; & profecto ejusdem est ingenii, atque est eadem ratione compositus. Muis putat, esse intelligendum veluti explicationem postremarum vocum Psalmi præcedentis: *Initium sapientiæ est timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum: Laudatio ejus manet in sæculum sæculi*. Psalm. III. *Beatus vir qui timet Dominum in mandatis ejus volet nimis* &c. Reor, hunc post captivitatem fuisse compositum fortasse ab Aggæo, & Zacharia, uti est in titulo; vel ab alio quopiam Auctore divinitus afflato, qui eodem tempore vixerit. Versiculus 4. captivitatem tenebrarum nomine, & reditum de Babylone sub specie novi luminis, quod tunc Justis apparuit, designat. Versiculis vero 8. & 9. attingitur excidium Imperii Chaldæorum, & Babyloniorum calamitas.

1. BEatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis. 2 Potens
in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. 3 Gloria, &
divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi. 4 Exor-
tum est in tenebris lumen rectis: misericors, & miserator, & justus. 5 Jucun-
dus homo, qui miseretur, & commodat: disponet sermones suos in judicio: quia
in æternum non commovebitur. 6 In memoria æterna erit justus: ab auditione
mala non timebit. 7. Paratum cor ejus sperare in Domino: confirmatum est cor
ejus: non commovebitur, donec despiciat inimicos suos. 8 Dispersit, dedit pau-
peribus: justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.
9 Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium
peccatorum peribit.

℣. 1. BEATUS VIR, QUI TIMET DOMINUM: IN A MANDATIS EJUS VOLET NIMIS [1].] Justus timendo incipit, & desinit amando. Incipientium est timere, perfectorum vero diligere [2]. Non ait Psalmista: Beatus vir, qui facit mandata Dei: *Multi enim & timore faciunt, & mercedem non habent*, eo quod sine amore, ac recta voluntate illis obtemperant. Sed ait: Beatus, qui ea cupit

1 Psalter. Romm. *Cupit nimis*.
2 Hieronym.

pit ardenter, ³ *volet nimis*. Ea optat, veluti qui uten- A ti incensus siti, refici desiderat. Haud gravatim Legi obedit, eam amat, imo & ardenter amat. *Anxie mandata non facis; sed vult; & vult non transitorie, sed nimie*, S. Hieronymus inquit. Non sufficit, ait S. Chrysostomus, timere Deum, cum oportet amare. Non satis est illius adimplere mandata; ea optare, opus est, cum zelo, ac ardore illa exercere; imo neque ea amare satis est, si vel præmii spe, vel supplicii metu, amentur. Deus ipse propter se vult amari, vult Legem suam observari propter amorem suum, atque ut suæ satisfiat voluntati.

℣. 2. POTENS IN TERRA ERIT SEMEN EJUS, GENERATIO RECTORUM BENEDICETUR.] Carnali populo Deus ea pollicebatur bona, & præmia, quæ illius studiis essent accommodata, frequentem posteritatem, bona ingentia, magnam potestatem, præclaram existimationem. Sed piis viris veteris Testamenti, veris Israeliris, qui recta cordis sui dispositione ad novum fœdus spectabant, alia mens erat, alia spes; & Deus, ut eorum virtutem experiretur, non solum non largiebatur illis ea, quæ rudibus promittebat, sed his eos exuebat, earumque rerum in illos contemptum, atque odium injiciebat. Potentia, gloria, & divitiæ, quæ vorotum illis summa erat, non erant ex hac terra; sed ipsi anhelabant ad regnum illud, quod nobis in viventium terra promittitur; easque optabant opes, de quibus Apostolus 1. Cor. 1. 5. loquitur: *Divites facti estis in omni verbo, & in omni scientia*.

℣. 3. GLORIA, & DIVITIÆ IN DOMO EJUS, & JUSTITIA EJUS MANET IN SÆCULUM SÆCULI.] Justus C circumdabitur gloria, & divitiis cumulabitur; non semper tamen præsenti gloria, neque divitiis fluxis, & transitoriis. Putaret se non esse ita justum, uti esse deberet, si gloriam, & opes sæculi hujus spei suæ argumentum esse censeret. Merces justitiæ, & virtutis ejusdem esse debet naturæ. ac justitia, videlicet supernaturalis, ac æterna: *Justitia illius manet in sæculum sæculi*. Congregat in Cœlo bona immutabilia, thesauros, quos fures surripere nequeunt; vult [1] *dives fieri in bonis operibus*.

Hebræus [2]: *Abundantia, & divitiæ erunt in domo ejus, et justitia ejus*, vel, ut alii vertunt [3], *eleemosyna*, vel *humanitas* [4] *ejus in æternum vigebit*. Præmium in altera vita recipiet; vel memoria ejus non delebitur inter homines. Omni tempore justitiæ, ac pietatis ejus D opera prædicabuntur.

℣. 4. EXORTUM EST IN TENEBRIS LUMEN RECTIS; MISERICORS, MISERATOR, & JUSTUS.] Veteres nonnulli [5] post vocem *justus*, has addunt: *Dominus Deus*; quo in sensu Textus vulgo ab Interpretibus explicatur. Justo inter densissimas tenebras, hoc est, inter sævissimas ærumnas lumen affulget. Fidei lumen, confidentia, Dei auxilium numquam illi deest. Familiare est Scripturis [6] tenebras pro adversitatibus, & lumen pro prosperitate usurpare. Aliter: Sol justitiæ J. C qui est lumen terrarum, in medio tenebrarum apparuit, cum mortalis in densissima ignorantiæ caligine, nequissimisque flagitiis essent immersi [7]. Nonnulli Hebraicum textum ita reddunt [8]. *In tenebris apparuit lumen illis, qui sunt recto corde, misericordi, clementi, et justo*. Eduxit Dominus de captivitate Babylonis populum suum afflictionibus obrutum. Justos hos, & misericordes viros visitavit. Vide versiculum sequentem; vel hos homines oculis ejus acceptos, ac illius dignos misericordia. S. Augustinus, & antiqua Psalteria legunt: *Exortum est in tenebris lumen rectis corde*.

℣. 5. JUCUNDUS HOMO, QUI MISERETUR, & COMMODAT, DISPONET SERMONES SUOS IN JUDICIO; QUIA IN ÆTERNUM NON COMMOVEBITUR.] Superiori versiculo dixit, hominem justum, misericordem, & clementem lumine frui vel inter tenebras; hic ait, ipsum beatum fore, & voti compotem, neque umquam conturbatum iri; vel cæptis ejus numquam felicem exitum defuturum. Ille sapienter, ac prudenter negotia sua regit; rationes suas veluti scitus œconomus, ac sapiens paterfamilias disponit; hic numquam egebit, numquam turbabitur. Hebraica vox [9], quæ redditur *Jucundus* significat, bonum, formosum, felicem, voti compotem; ea vero, quæ vertitur *sermones suos*, potest quoque significare res, rationes, bona, negotia. Itaque sic verti potest. *Beatus homo, qui miseretur, & B commodat* libenter, *qui disponit rationes suas*, vel qui agit negotia sua *prudenter*, qui non prodigus est, nec avarus, *hic in æternum non commovebitur*.

Aliter: *Vir bonus, misericors, et qui libenter commodat, qui ponderat verba sua cum judicio*, vel qui in judicio, cum adversus proximum loqui debet, sua verba considerat, *hic in æternum non commovebitur*; permanebit veluti fundatus super solidam rupem, semper immobilis, & constans. Sancti Hieronymus, & Athanasius hoc de eo explicant, qui prudens est in sermonibus, & qui in rem tantum loquitur, nec *projicit*, ut ait Evangelista Matth. 7. 6. *margaritas ante porcos*. S. Chrysostomus: Justus disponet negotia sua, ita ut nihil sibi sit metuendum judicii die. Erit veluti prudens Æconomus, qui novit uti bonis suis. Parum tribuet, ut plurimum accipiat. Ejus eleemosynæ pro eo Judicii die loquentur [10]. Symmachus vertit [11]: *Vir bonus, qui miseretur, et commodat* indigenti, qui negotia sua prudenter administrat.

℣. 6. IN MEMORIA ÆTERNA ERIT JUSTUS; AB AUDITIONE MALA NON TIMEBIT.] Non timet improbas linguas in præsens, neque de fama sua sollicitus est in futurum. Sibi suæ conscius integritatis, ac fretus amicis, quos sibi devinxit, præcipue inter pauperes, eos suis eleemosynis, ac largitatibus cumulans, nullus dubitat, quin post suum decessum ipsius memoria sit in benedictione. Omnia maledicentiæ tela contemnit. S. S. Augustinus, & Hieronymus; non timebit, quod judicii die auditurus sit terribilia ea verba: *Discedite a me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus* Matth. 25. 41. Vetus Interpres Græcus [12]: *Non timebit læva nuncia*; licet fractus labatur orbis, constans permanebit, atque immobilis. Non bella, non publicæ calamitates eum perterrebunt; scit enim, patriam suam lætissima pace frui, quæ numquam poterit perturbari: Bona illius in tuto sunt posita. Vide S. Chrysostomum. Propheta non ait, justum non auditurum sermones pravos, nec umquam detrahentium improbitati obnoxium fore; sed futurum ait, ut eos minime timeat: *Ab auditione mala non timebit*.

℣. 7. PARATUM COR EJUS SPERARE IN DOMINO; CONFIRMATUM EST COR EJUS: NON COMMOVEBITUR, DONEC DESPICIAT INIMICOS SUOS.] Hoc non innuit, ipsum commovendum esse, cum illos despexerit. Eos contemnet fidenter, quin umquam eosdem vereatur. E Hic est Hebraismus. Vide supra Psalmum 109. ℣. 2. Hebræus [13]: *Confirmatum est cor ejus: ipse sperat in Domino: cor ejus firmatum est; non timebit, donec videat de inimicis suis* ultionem, quam Dominus sumpturus est. Hoc in sensu Interpretes vulgo id intelligunt [14]. S. Augustinus legit: *donec videat inimicos suos*. Antiqua Psalteria: *donec aspiciat in hostibus suis*. Symmachus:

1 1. Timoth. 6. 18. Vide Chrysost. August. Athan. Hieronym. hic.
2 הון ועשר בביתו וצדקתו עומדת לעד 70. Δόξα καὶ πλοῦτος. Quasi legissent: הוד ועשר
3 Quid. apud Chrysost. Ἐλεημοσύνη αὐτοῦ. 4 Alius: Ἡ φιλανθρωπία αὐτοῦ.
5 Ita Aug. & Chrysost. 6 Vide Iob. 15. 22. Mich. 7. 8. Isai. 9. 2. 42. 16. 58. 10.
7 Aug. & Hieron. & Chrysost. 8 זרח בחשך אור לישרים חנון ורחום וצדיק
9 טוב איש חונן ומלוה יכלכל דבריו במשפט 10 Vide & Aug. hic.
11 Symmach. Ἀγαθὸς ἀνὴρ χαριστικὸς, καὶ κιχρῶν, οἰκονομῶν τὰ πράγματα αὐτοῦ μετὰ κρίσεως.
12 Quid. apud Chrysost. Ἀγγελίας κακῆς οὐ φοβηθήσεται.
13 נכון לבו בטח ביהוה סמוך לבו לא יירא עד אשר יראה בצריו
14 Munst. Cast. Flamin. Iun. Tremell. Pisc. alii. Vide Ps. 91. 11.

ctus [1]: *Cor ejus firmum erit, ac expers curæ in Domino* &c. Judæi Babylonica servitute liberati testes fuerunt ultionis, quam Dominus in Babylonios eorum hostes exercuit.

℣. 8. DISPERSIT, DEDIT PAUPERIBUS. JUSTITIA EJUS MANET IN SÆCULUM SÆCULI.] Justus large, effuseque sua bona distribuit; semper tamen prudenter, atque sapienter. Scit enim, quid, quomodo, & cui largitur. Non præcipit Sanctus Paulus, ut Fideles ad alios locupletandos ipsi pauperes fiant, sed eos, quæ necessaria sunt, jubet sibi reservari. *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate* 2. Cor. 8. 13. Hoc præceptum habemus, ut munus nostrum eleemosynas erogandi expleamus. Sed passim se se exuerunt Sancti, ut egenos induerent, eorumque exemplum nonnisi laudes promeretur. Hæc sancta est, atque laudabilis avaritia, thesauros in Cœlo collocare; ubi nec furum aviditas, neque aliud quodpiam periculum eos eripere potest. Licitum fœnus est, atque præclara œconomia perituris bonis æternitatem mercari, & æternis commutare divitias, quæ fluxæ sunt, fragilesque. *Justitia* hoc in loco humanitatem, & misericordiam, ac erga pauperes liberalitatem significat, juxta familiarem Scripturarum loquendi rationem [2].

CORNU EJUS.] Gloria, divitiæ, robur ejus exaltabuntur. Judæi de captivitate educti a Cyro, & melioribus inter Reges illius successores, honoribus fuerunt affecti.

℣. 9. PECCATOR VIDEBIT, & IRASCETUR.] Babylonii torvis oculis Judæorum felicitatem respicient. S. Augustinus hoc de damnatis intelligit, qui in furore suo, atque desperatione videbunt justorum in altera vita felicitatem. S. Athanasius per *peccatorem* dæmonem intelligit, qui ira disrumpitur, videns Ethnicos ad Christianam Religionem converti. S. Chrysostomus vero hoc de Judæis explicat gloriæ Christianæ Ecclesiæ invidentibus.

1 Sym. Ἑδραία ἡ καρδία αὐτοῦ ἀκίνητος ἐν κυρίῳ.

2 Vide 70. in Deut. 6. 25. 1. Reg. 12. 7. Psal. 23. 6. 35. 11. 50. 16. Prov. 10. 2. 11. 4. &c.

PSALMUS CXII.

Propheta Domini magnitudinem, Providentiam, atque omnipotentiam commendat.

ALLELUJA.

ARGUMENTUM.

Judæi vocant *magnum Alleluia*, Psalmum hunc, & quinque sequentes, quos simul connectunt, & solemniter canunt nocte Paschatis, postquam Paschalem agnum comederunt [1]. Haberi potest velut Exemplar laudum, & gratiarum actionis Domino, quod licet magnus, ac immensus, se se ad nos usque demittere non dedignatur [2]. S. Hieronymus hunc respicit, tamquam Christianæ Ecclesiæ orationem Deo gratias agentis ob conversionem Gentilium populorum ad veram Religionem. Eusebius isthic hunc titulum legit; *Psalmus Aggæi, & Zachariæ*, & Ferrandus putat, compositum fuisse post reditum de captivitate ad beneficium adeo insigne celebrandum. Profecto hoc in Psalmo plurimæ occurrunt locutiones illis persimiles, quibus Isajas [3] usus est, ad felicem hunc reditum designandum. Huic hypothesi in Commentariis innitemur.

1. LAudate, pueri, Dominum: laudate nomen Domini. 2 Sit nomen Domi-
ni benedictum, ex hoc nunc & usque in sæculum. 3 A solis ortu us-
que ad occasum, laudabile nomen Domini. 4 Excelsus super omnes gen-
tes Dominus, & super cœlos gloria ejus. 5 Quis sicut Dominus Deus noster,
qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra? 6 Suscitans a ter-
ra inopem, & de stercore erigens pauperem. 7 Ut collocet eum cum principi-
bus, cum principibus populi sui. 8 Qui habitare facit sterilem in domo, ma-
trem filiorum lætantem.

℣. 1. LAUDATE, PUERI, DOMINUM.] Alloquitur populum fidelem, simplicem, justum, innocentem, inquiunt SS. Augustinus, & Hieronymus; vel Gentiles recens Christianæ fidei initiatos [4], & in Spiritu Sancto renovatos, iterum genitos in J. C. & factos veluti pueros, recens in lucem editos. Laudate Dominum in innocentia, & perfecta morum integritate; *quasi modo geniti infantes sine dolo* 1. Petr. 2. 2. Novit Dominus ex ipso infantium puerorum ore laudes suas elicere, adeo admirabilia sunt opera ejus: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem* Psal. 8. 3.

Hebræus [5], Chaldæus, Syrus, veteres Græci Interpretes [6], & recentiorum plerique legunt: *Servi, laudate Dominum*. Levitæ, Ministri Domini, quorum est in Templo jugiter inservire, ac Omnipotentis laudes annuntiare, laudate illius magnitudinem, ac erga nos misericordiam. Confer Psal. 134. 1. *Laudate nomen Domini, laudate, servi, Dominum. Qui statis in domo Domini; in atriis Domus Dei nostri.*

SIT

1 Valentia apud le Blanc. hic.
2 Theodoret. Muis, Moller.
3 Confer. vers. 3. & 8. cum Isai. 45. 6. 49. 19. & 54.
4 Athanas. Euseb.
5 הללו עבדי יהוה
6 Aquil. Symmach. Theod. Ὑμνεῖτε, δοῦλοι, κύριον.

℣. 2. SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM, EX HOC NUNC, & USQUE IN SÆCULUM.] In gratiarum actionem, eo quod eduxerit nos de squalore, & captivitate Babylonis. Nomen Domini est benedictum in servis ejus, cum & vitæ sanctitate, & motum integritate illi gloriam deferunt, atque aliis illum laudandi, & benedicendi occasionem tribuunt, propter bonum, quod in illis mirantur.

℣. 3. A SOLIS ORTU USQUE AD OCCASUM LAUDABILE NOMEN DOMINI.] A mane scilicet ad vesperam; ita enim plurimi Interpretes explicant [1]. Sed Muis tenet, Hebraicam loquendi rationem non tempus, sed locum significare: *ab ortu ad occasum*, ab una ad alteram terrarum orbis oram. Ante J. C. adventum nomen Domini in Judæa tantum agnoscebatur; sed nunc ubique cognitum est; in omnibus terrarum partibus, nomen illius celebratur [2]. Antiqua Psalteria, Romanum, Mediolanense, S. Germani, Carnutense, & S. Augustinus legunt: *laudate*, pro *laudabile nomen Domini*.

℣. 5. QUI IN ALTIS HABITAT, & HUMILIA RESPICIT &c.] Nonnulli ita versiculi hujus verba distribuunt [3]: *Quis sicut Dominus Deus noster, in Cælo, & in terra? Qui in altis habitat, & humilia respicit*. Quis similis Domino in Cœlo, ac in terra? Sedes illius est in sublimiori cœlorum vertice, neque oculos suos in humillima quævis terrarum conjicere dedignatur. Hebræus ad litteram [4]: *Quis similis Domino Deo nostro, qui elevat sedem suam; ac se demittit, ut videat in cælo, & in terra?* Ipse super Cælos permanet; ac se se demittit, et humillima quævis mundi hujus consideret, quemadmodum cœlestia intuetur. *Quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* ait Psalm. 8. t. 5. Propheta: *Quid est homo, ut memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Psal. 137. 6. *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit*.

℣. 6. SUSCITANS A TERRA INOPEM &c.] De servitute eduxit Patriarcham Joseph. Extulit Moysem, David, Danielem, Mardochæum. E pulvere elevavit populum suum Babylone captivum. Demum resuscitavit J. C. eamdemque gratiam fidelibus, & amicis suis pollicitus est [5]. Confer Luc. 1. ℣. 52. 53. & 1. Reg. 2. 8. ubi eædem locutiones occurrunt.

℣. 8. QUI HABITARE FACIT STERILEM IN DOMO, MATREM FILIORUM LÆTANTEM.] Quæ sterilis erat, ait Anna Samuelis mater [6], plures habuit filios, quæ vero plures habebat filios, sterilis facta est. Ostendit Dominus potentiam suam, filios iis tribuens, quæ numquam naturaliter pariture videbantur, veluti Saræ, Annæ, Elisabeth Zachariæ conjugi. Hoc belle quidem transferri potest ad captivos de Babylone reversos, ad Isaiæ imitationem, qui de Jerusalem loquens ait c. 54. *Lauda sterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus, quæ habet virum* &c. Et cap. 59. 21. *Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem; Et dices in corde tuo? Quis genuit mihi istos? ego sterilis, et non pariens, transmigrata, et captiva?* &c. Vide quoque Psalmum 67. 7. S. Hieronymus hoc de Ecclesia Christiana intelligit, ex Gentilibus, qui fidei nomina dederunt, composita. Gentilitas sterilis, & a Deo derelicta, tot sæculorum spatio repente fœcunda facta est, ac Deo parit frequentissimam posteritatem.

1 Bossuet, du Pin. Vide & Hieronym. *Ab initio nativitatis usque ad mortem*.
2 Chrysost. Euseb. Theodoret. Hieron. ad vers. præced. Vide Isai. 2. 46. & Malach. 1. 10. 11.
3 Euthym. Ferrand. du Pin.
4 כי כיהוה אלהינו המגביהי לשבת המשפילי לראות בשמים ובארץ. 5 Hieron. hic.
6 1. Reg. 2. 5.

PSALMUS CXIII.

Miracula, quæ in exitu de Ægypto, in Maris Rubri, & Jordanis transitu contigerunt. Judæorum vanitas. Benedictio Domini super Israel.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

Hebræi psalmum hunc in duos partiuntur, & incipiunt psalmum 114. ab iis verbis ℣. 9. *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam*. Vetera quædam Exemplaria Græca eadem ferme ratione hos sejungebant. Sed hodie Septuaginta, Syriaca versio, Arabica, Æthiopica, ac omnia Vulgatæ exemplaria unanimi consensu unum tantum psalmum conficiunt. Videtur immo neque in antiquis hebraicis exemplaribus fuisse divisus; quoniam Eusebius, & S. Athanasius, cum Textum hunc sedulo examinassent, atque invenissent quædam Græca Exemplaria, quæ psalmum 114. inchoabant, alia quidem a v. 9. *Non nobis, Domine, non nobis* &c. [1]; alia vero a ℣. 12. [2] *Simulacra gentium argentum, et aurum*, nullam in Hebraico textu divisionis notam invenerunt. Immo Kimchi testatur, ævo suo optima quædam adfuisse Mss. exemplaria in Lingua eadem, in quibus duæ hæ partes simul connexæ legebantur, quemadmodum ad hanc usque diem videre est in hebraico libro, cui nomen *Ialkut*.

Chaldæus, cui plurimi suffragantur Interpretes, putat, duos esse psalmos. Alii tenent, duas hasce partes, quas alii sejungendas esse censent, invicem optime esse connexas. Ego vero malim psalmum 112. cum 113. conjungere, & novum inchoare Canticum ex psalmi hujus versiculo 9. Secundus psalmi *In exitu* versiculus necessariam dicit rationem ad aliud aliquod Canticum: habet enim. *Facta est Iudæa sanctificatio ejus: Israel potestas ejus*, quin superius aliquid memoretur, ad quod ea pronomina *ejus* referantur. Sed si cum psalmo 112. conjungatur, nexus liquido patet, atque statim innotescit, sermonem esse de Deo, cujus laudes celebrate, & superius exorsus fuerat, & isthic persequitur.

Quoad vero versiculum 9. &c. non satis aperta est cum sequentibus connexio. Auctor res altius repetit, juxta

1 Ita apud Euseb. 2 Ita apud Athanas.

justa eam methodum, quam in omnibus fere aliis ejusdem generis psalmis intuiti sumus. Statim afflicti populi, atque inter gentes, quæ Idola colunt, oppressi, exprimit sensus. Dominum obtestatur, ne se diutius in eo squalore versari permittat, neque sinat, nomen suum blasphemiis proscindi ab Ethnicis, qui fallacibus Diis suis felicem exitum referebant acceptum, atque populum Domini subsannabant, ab eo petentes, ubi nam esset Deus illius? Hæc omnia mirum in modum captivis adhuc Babylone detentis conveniunt. Sequenti psalmo pergit describere diuturnæ captivitatis mala; sed psalmos 115. & 116. videmus continere actionem gratiarum, summo affectu, ac pietate concinnatam. Theodoretus [1] hujus psalmi finem ad Judæos captivos transfert, quæ est etiam eorum sententia, qui Canticum hoc tribus Hebræis adolescentibus in fornacem conjectis, vel Esther, vel Mardochæo tribuunt, dum illum Aman persequeretur. Nos vero psalmum hunc a ℣. 9. & duos, qui consequuntur, explicabimus juxta eam, quam proposuimus, hypothesim, perinde ac simul omnes Canticum componerent.

Syrus, & Rabbini putant, Moysem alteram Cantici hujus partem ad mare Rubrum cecinisse, & cum hinc mari, ac inaccessis rupibus clauderetur, hinc urgerent Ægyptii, qui eum persequebantur, ad Dominum confugisse, ac illi preces has effudisse [2]. Alii psalmum hunc rejiciunt ad pugnas a Davide initio regni sui contra Philisthiim, aliosque hostes Israel pugnatas; nec desunt, qui eum referant ad bellum Absalonis adversus David. Patres [3] isthic contineri putant prophetiam miraculorum, quæ Dominus in Christianorum gratiam erat operaturus, ac præsertim conversionis Gentilium, eorumque per fidem, & aquas Baptismatis sanctificationem.

1. IN exitu Israel de Ægypto: domus Jacob de populo barbaro: 2 Facta est
Judæa sanctificatio ejus: Israel potestas ejus. 3 Mare vidit, & fugit: Jor-
danis conversus est retrorsum. 4 Montes exultaverunt ut arietes: & colles
sicut agni ovium. 5 Quid est tibi mare, quod fugisti: & tu, Jordanis, quia
conversus es retrorsum? 6 Montes, exultastis sicut arietes, & colles sicut agni
ovium. 7 A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob. 8 Qui convertit
petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. 9 Non nobis, Domi-
ne, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. 10 Super misericordia tua, & ve-
ritate tua: nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum? 11 Deus autem no-
ster in cœlo: omnia quæcumque voluit, fecit. 12 Simulacra gentium argentum,
& aurum, opera manuum hominum. 13 Os habent, & non loquentur: oculos
habent, & non videbunt. 14 Aures habent, & non audient: nares habent, &
non odorabunt. 15 Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non
ambulabunt: non clamabunt in gutture suo. 16 Similes illis fiant, qui faciunt
ea: & omnes, qui confidunt in eis. 17 Domus Israel speravit in Domino: ad-
jutor eorum, & protector eorum est. 18 Domus Aaron speravit in Domino: ad-
jutor eorum, & protector eorum est. 19 Qui timent Dominum, speraverunt in
Domino: adjutor eorum, & protector eorum est. 20 Dominus memor fuit no-
stri, & benedixit nobis. 21 Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.
22 Benedixit omnibus, qui timent Dominum: pusillis cum majoribus. 23 Adji-
ciat Dominus super vos: super vos, & super filios vestros. 24 Benedicti vos
a Domino, qui fecit cœlum, & terram. 25 Cœlum cœli Domino: terram au-
tem dedit filiis hominum. 26 Non mortui laudabunt te, Domine: neque omnes,
qui descendunt in infernum. 27 Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino,
ex hoc nunc & usque in sæculum.

℣. 1. IN EXITU ISRAEL DE ÆGYPTO, DOMUS JACOB DE POPULO BARBARO. (2.) FACTA EST JUDÆA SANCTIFICATIO EJUS &c. [4]] Hebræus ad litteram [5]: *In exitu Israel de Ægypto; in exitu Iacob de medio populi illius, cujus linguam non noverat. Iudas factus est sanctificatio ejus, & Israel imperium ejus*. Hoc est, Israel factus est populus Domino sacer, natio sancta: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis .... eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta* Exod. 19. 6. Natio, super quam Dominus exercet imperium suum, natio, cujus se Deum, & Regem appellat. Cum Israelitæ Regem sibi elegerunt, Deus cum Samuele conquestus est, quod ab illis rejectus fuisset. *Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* 1. Reg. 8. 7. Et cum Salomon ascendit super thronum Israel, Scriptura ait, illum super A B Domini solium sedisse: *Seditque Salomon super solium Domini* 1. Par. 29. 23.

Hæc loquendi ratio: *Facta est Judæa sanctificatio ejus, & Israel potestas ejus*, innuit, psalmum hunc fuisse compositum post secessionem Juda, & Israel, & fortasse post Babylonis captivitatem, quemadmodum in psalmo superiori sumus intuiti. Patres *sanctificationis* nomine *Templum* intelligunt [6]. Olim Judæa solum erat terra sanctificata; olim Dominus ibi tantum agnoscebatur, atque regnabat; at nunc regnum illius in omnes nationes extenditur, & nomen ejus in omni terrarum plaga agnoscitur, atque adoratur [7].

Hebraica vox *Loez*, quam Septuaginta, & Vulgata *barbarum* verterunt, proprie hominem significat, qui exoticam, ignotamque linguam loquitur [8]. Tales erant Ægyptii Hebræorum ratione. Cum Joseph in Ægy-

1 Theodoret. ad vers. 9. & sequentes. Ita Ferrand. & Choisy. 2 Exod. 14. 10.
3 Vide Aug. Euseb. Athanas. Theodoret. Hieron. 4 Psalt. Romm. & S. Germ. ... *Sanctificatio ejus Israel potestas ejus, Israel regnavit in ea*. 5 בצאת ישראל ממצרים בית יעקב מעם לעז היתה יהודה לקדשו ישראל ממשלותיו 6 Chrysost. Theodoret. Vide Zach. 7. 3. 7 Athanas. Euseb.
8 70. Ἐκ λαοῦ βαρβάρου. Aqu. Ἀπὸ λαοῦ ἑτερογλώσσου. Sym. Ἐκ λαοῦ ἀλλοφύλου.

Ægyptum descendisset, *linguam, quam non noverat, audivit*, ait Psalmista Psal. 60. 2. & Joseph idem se fratres suos cognoscere dissimulans, per interpretem ad eos loquebatur, Genes. 42. 23. Ægyptii, teste Herodoto l. 2. barbaros appellabant, qui in ipsorum lingua non loquebantur. Chaldæus habet [1] *Barbara*; & creditur vox hæc ex Chaldæa in Græciam migrasse. *Bar*, unde *Barbar* per litterarum iteratam repetitionem, Chaldaice *externum*, *desertum* significat, Arabice vero *terram incultam*. Primitus Barbari Phryges præsertim vocabantur; mox Græci nomen illud etiam Persis tribuerunt, ita ut hoc uno nomine eos designarent. Inde vero traductum est ad eos omnes, qui Græce non loquebantur: *Barbari dicebantur antiquitus omnes gentes, exceptis Græcis*, ait Festus; ac tandem ita vocati sunt, quicumque ignotam linguam loquerentur. Ovidius se barbarum esse inquit apud Ponti populos, non secus illi apud ipsum erant barbari [2]. Et S. Paulus 1. Cor. 14. 11. *Si nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur mihi, barbarus*. Nobis vero vox ista idem sonat ac ferox, sævus, crudelis, inelegans, exlex, inhumanus. Quod differt ab eo sensu, quem supra attulimus.

℣. 3. MARE VIDIT, & FUGIT; JORDANIS CONVERSUS EST RETRORSUM.] Eleganti prosopopæja rebus inanimis sensum isthic Psalmista impertitur, ut poesi spiritus, ac decor accederet. Mare vidit Dominum, & benevolentiæ ergo se se recepit; agnovit illum Arcæ insidentem, ac Ducem populi sui Jordanes, & recessit, ne illius agmen remoraretur.

℣. 4. MONTES EXULTAVERUNT, UT ARIETES &c.] Ut coram Domino, qui illos suo dignabatur conspectu, lætitiam suam testarentur [3]. Alii tenent, Prophetam describere velle formidinem, ac metum, qui illis incessit, in quorum sententiam potius abirem; alibi enim passim sacri Auctores nobis exhibent, montes perterritos, & commotos coram Domino [4]; & hic etiam vers. 7. Psalmista inquit, Terram præ timore contremuisse: *A facie Domini mota est terra* [5]. Hebræus [6]: *coram Domino terram parturientibus veluti doloribus correpta fuit*; vel *terra terrore concutiatur*; vel contremisce *coram Domino*.

℣. 8. QUI CONVERTIT TERRAM IN STAGNA AQUARUM.] Terra agnovit Dominum, cum illius virtus fontem elicuit de petra [7]. Tunc terror illam corripuit, eaque Omnipotentis præsentiam sensit, non secus ac mare Rubrum, & Jordanes illum agnovere, cum se se ille obtulit ante exercitum suum traducturus utrumque. Vide supra vers. 3. 4.

℣. 9. NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS; SED NOMINI TUO DA GLORIAM.] Hic incipit Psalmus 114. apud Hebræos. Cum superioribus ita connecti potest: Nullam, Domine, nobis vindicamus gloriam ex his omnibus prodigiis, quæ operatus es pro populo tuo; sed eam omnem nomini tuo deferimus. At orationis decursus potius efflagitat, ut cum sequentibus conjungatur: Vides, Domine, quem in statum redacti simus. Nosti quæ sit Chaldæorum crudelitas, ac impotentia; & scis quam onerosum, ac acerbum sit jugum, quo oppressi sumus. Nobis extende manum tuam, Deus, per misericordiam tuam, libera nos secundum veritatem promissionum tuarum: *super misericordia tua, & veritate tua*. Coram te iniquitates nostras confitemur. Ne spectes, quid simus, sed tui tantum nominis gloriam considera: *Sed nomini tuo da gloriam*. Ne permittas nos diutius irrideri ab inimicis nostris quærentibus: Ubinam sit Deus noster? ℣. 10. *Ne quando dicant Gentes: Ubi est Deus eorum?* Hebr. [8] *Cur dicent populi: Ubi est Deus eorum*. Vide Num. 14. 15. Deut. 9. 28.

℣. 11. DEUS AUTEM NOSTER IN COELO; &c.] Non diffidimus, Domine, de infinita potestate tua; neque ignoramus, quid nobis respondendum sit irrisionibus inimicorum nostrorum. Scimus, te esse in Cœlo, & nihil tibi arduum esse, & impossibile. Profecto non possumus digito illis ostendere Deum nostrum, neque efficere, ut illum sensibus percipiant: neque enim corporeus est, uti nos persequentium idola. Verum quinam Dii illi sunt? Conflatiles, opera manuum hominum, simulacra sensu, virtute, ac vita carentia, ac ideo magis adhuc contemptibilia, quam exiguus quilibet culex, ac minimum quodvis insectum [9]. Septuaginta legunt: *Deus noster in cælo est, & in terra: omnia quæcumque voluit, fecit*. S. Augustinus, & antiqua Psalteria: *Deus autem noster in cælo, & in terra omnia quæcumque voluit, fecit*.

℣. 13. OS HABENT, & NON LOQUENTUR.] Oracula, quæ idolis attribuebantur, non proferebantur a simulacris, quæ eorum speciem referebant: sed ab hominibus illic abditis, ut populis os sublineretur. Dæmon animatis his utebatur instrumentis, vel alio quolibet signo, sortes suas editurus [10]. Si aliquando statuæ aliquid enuntiare visæ sunt, hoc Dæmonis virtuti referendum est, qui in aere quosdam sonos efficere potuit, ac fallere sensus eorum, qui eas sibi audire loquentes videbantur [11].

℣. 15. NON CLAMABUNT IN GUTTURE SUO.] Hebræus [12]: *Neque submissa voce loqui poterunt*. Romana Psalteria, ac Mediolanense addunt: *neque enim est spiritus in ore ipsorum*, quod ex Psalmo 134. 17. desumptum est. Ethnici quoque silentium, ac statuas Numinum suorum in jocum verterunt. Juvenalis Satyr. 3.

> . . . . . . *audis*
> *Jupiter hæc, nec labra moves, cum mittere vocem*
> *Debueras, vel marmoreus, vel aheneus? Aut cur*
> *In carbone tuo charta pia thura soluta*
> *Ponimus? Ut video, nullum discrimen habendum est*
> *Effigies inter vestras, statuamque Bathilli*.

Conferri potest Isaias 46. 7. 41. 1. & seq. Jer. 10. ℣. 4. 5. & sequ. Baruc. 6. 3. Sap. 13. 11. 14. 8. Psalm. 134. vers. 15. 16.

℣. 16. SIMILIS ILLIS FIANT, QUI FACIUNT EA.] Nonnulli hoc veluti imprecationem quamdam interpretantur, quam & justitiæ zelus, & idololatriæ horror ex ore Prophetæ in Idolorum cultores extorserunt. Æque stupidi fiant, atque sensu carentes ac præclara hæc numina, quæ venerantur. Hoc pretio Dii fiant. Alii Hebraicum textum [13] per futurum tempus simpliciter vertunt: *Qui faciunt ea; illis similes fient*. Merentur illis similes fieri.

℣. 17. DOMUS ISRAEL SPERAVIT IN DOMINO.] Patres nostri in te spem suam collocaverunt, Domine, & opitulatus es illis, Nos, ut illi, in tua misericordia speramus, neque in irritum cedet spes nostra. Hebræus juxta ea puncta, quibus hodie notatur [14]: *O Israel spera in Domino: Domus Aaron, spera in Domino &c.* Sed Septuaginta, S. Hieronymus, & Antiqui cum Vulgata legerunt: *Israel speravit in Domino*, in hoc versiculo, & in sequentibus. In Psalmo 134. vers. 19. 20. 21. qui huic est geminus, legimus: *Domus Israel benedicite Domino: Domus Aaron benedicite Domino &c.* Quod non parum suffragatur Versioni Hebreorum, cui favet etiam sermonis decursus.

Notandum est, Prophetam triplicem isthic personarum ordinem distinguere, quæ spem suam in Domino collocarunt. Laicos nempe, vel simplices Israelitas: *Domus Israel*; Sacerdotes, vel Domum Aaron; & demum Proselytos; *Qui timent Dominum* vers. 19. [15] hoc est alienigenas non e stirpe Abraham, qui Mosaycæ Religioni initiati sunt, & qui adorant Dominum.

Vide

1 מעמא ברברא 2 Ovid. de Ponto. *Barbarus his ego sum, quia non intelligor ulli*.
3 Ἐσκίρτησαν. August. *Gestierunt*. Chrysost. Vide Ferrand. 4 Vide Psalmum 67. 9. Habacuc. 3. 6. 10. Exod. 19. 18. Judic. 5. 5. 5 Vide Bellarm. Muis, Genebr. Piscat. alii.
6 מלפני ארון חולי ארץ Aquil. Ὠδινήσατο. 7 Exod. 17. 6. Num. 20. 8. 10.
8 למה יאמרו הגוים איה נא אלהיהם 9 Hieron. Theod. 10 Theodoret. hic.
11 Tertull. de Spectacul. c. 12. Minut. Felix in octav. Cyprian. de Idolorum vanitate. Vide Ferrand. hic.
12 לא יהגו בגרונם 13 כמוהם יהיו עשיהם 14 ישראל בטח ביהוה 15 Vide Theodoret.

Vide Act. 2. 5. 10. 2. 13. ℣. 16. 26. Psal 134. 20.

℣. 20. DOMINUS MEMOR FUIT NOSTRI . . . . BENEDIXIT DOMUI ISRAEL ; BENEDIXIT DOMUI AARON.] Hebræus futuro effertur[1] : *Dominus memor erit nostri, & benedicet nobis: benedicet domui Israel, & domui Aaron*. Versio hæc melius huic Psalmo convenit in sensu orationis sumpto. Benedicet nobis ; vel cumulet nos suis benedictionibus.

℣. 24. BENEDICTI VOS A DOMINO.] Vel potius[2] *Vos, qui estis benedicti Domini*, novis benedictionibus repleamini. Hebræus, Septuaginta[3], antiqua Psalteria: *Benedicti vos Domino*.

℣. 25. COELUM COELI DOMINO ; TERRAM AUTEM DEDIT FILIIS HOMINUM.] Dominus habet habitaculum suum in Cœlo ; terram vero hominibus dedit habitandam. Ipsius sunt & Cœlum, & terra, sed constituit homines super terram, qui sibi inservirent, atque adorarent. Versiculus hiccum superiori est connectendus: *O vos qui estis benedicti a Domino Creatore Cœli, & terræ: Cœlum Cœlorum ipsius est, & ipse dedit terram filiis hominum*. Ipse absolutus est universorum Dominus. Vel[4]: *Cœli, utique Cœli sunt Domini, non secus ac tellus, quam dedit filiis hominum*.

℣. 26. NON MORTUI LAUDABUNT TE &c.] Si laudes, atque adorationes nostræ tibi acceptæ sunt, Deus, si te afficere possunt preces nostræ, iis aurem præbe, & libera nos de hujus captivitatis squalore. *Num mortui laudabunt te?* Expectasne, ut in sepulchrum efferamur, ibi laudes tuas celebraturi? Celeriter nobis fer opem ; ut reliquum vitæ spatium insumamus, tibi indesinenter gratias agendo. Psalmista sæpe his utitur argumentis, ut quod petit, a Domino impetret. Vide Psalmos 6. 6. 29. 10. 87. 11. Hebræus: *Non mortui, neque descendentes in silentium laudabunt te ; Sed nos laudabimus Dominum ex hoc nunc, & usque in sæculum*. Silentium pro sepulchro usurpatur, 1. Reg. 2. 9. Psalm. 93. 17. Isai. 47. 5.

1 יהוה זכרנו יברך את בית ישראל וגו 2 ברוכים אתם ליהוה
3 Εὐλογημένοι ὑμεῖς τῷ κυρίῳ. 4 השמים שמים ליהוה והארץ נתן לבני אדם

PSALMUS CXIV.

Gratiarum Actiones pro liberatione de captivitate Babylonica, quæ cum morte, ac sepulchro comparatur. Felix reditus in terram promissam, quæ terra viventium nomine designatur.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

Hebræus, Chaldæus, Syrus, quinta, & sexta Editio in Hexaplis Origenis[1] Psalmum hunc cum sequenti conjungunt. Uterque ad idem argumentum pertinent, ac in eumdem finem collimant[2]. Hic est superioris Psalmi continuatio, neque ab eo sejungendus, si verum illius sensum assequi cupimus. Auctor pathetice Babylonicæ captivitatis mala describit, & mox felicissimam libertatem, secundum quam Cyros Israelitis vindicias dedit. In Psalmis 115. & 116. Deo gratias agit summa cum humilitatis, atque amotis significatione. En quid mihi magis probabile videatur quoad trium horum Psalmorum argumentum[3]. Hammondius aliquot adnotat Chaldaismos in ℣℣. 7. & 12. qui fidem magis adstruunt, Psalmum hunc in captivitate fuisse compositum. Hypothesis hæc nequaquam est recens ; namque eam & Beda Venerabilis, & vetus Paraphrastes Græcus a Patre Corderio editus sequuntur.

Theodoretus, atque Origenes hunc de Antiochi Epiphanis in Judæos persecutionibus explicant. Alii putant, a Davide fuisse compositum postquam de Aula Achis Gethæi Regis aufugit 1. Reg. 21. 12. Psalmus hic plurimum habet similitudinis cum 55. qui in eadem occasione conscriptus fuit. Non desunt, qui eum esse censeant, quamdam orationem David, cum vel Saul illum persequeretur, vel eum Absalom bello lacesseret. Muis longe ab his omnibus sententiis recedit: eumque refert in tempus, quo David pacato regno fruebatur 2. Reg. 7. 1. S. Augustinus hic deprehendit patientis J. C. vel Ecclesiæ vexatæ orationem ; S. Hieronymus, sensus animæ, quæ vitæ hujus peregrinatione defuncta a cœlesti Sponso in æternitatem excipitur: S. Athanasius, prælia, victorias, ac præmia Fidelium.

1. DIlexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. 2 Quia incli-
navit aurem suam mihi : & in diebus meis invocabo. 3 Circumdede-
runt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. 4 Tribula-
tionem, & dolorem inveni : & nomen Domini invocavi. 5 O Domine, libera ani-
mam meam : misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur. 6 Custo-
diens parvulos Dominus : humiliatus sum, & liberavit me. 7 Convertere, anima
mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi. 8 Quia eripuit animam
meam de morte : oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. 9 Placebo Do-
mino in regione vivorum.

1 Vide Hieron. & Theodoret. hic. 2 Ita Hieron. Theodoret. Muis, Agell. Bossuet, alii passim.
3 Vide & Græc. Corder. Paraphr. & Ferrand. hic. Item Bedam Venerabil. & Hammond. & Chrysost. ad Psal. 115.

℣. 1. DILEXI, QUONIAM EXAUDIET DOMINUS VOCEM ORATIONIS MEÆ.] Dominum tota anima mea diligo; ac semper diligam propter beneficium, quod certo ipsum mihi spero collaturum, meas preces exaudiendo. Per præteritum tempus reddere, & cum Romano Psalterio legere possumus: *Dilexi, quoniam exaudivit*; Dominum amore prosequor, quod me voti damnavit. Vel: Deum ex toto corde diligo, ideo orationem meam exaudivit; in sensu eodem, quo dicitur in Evangelio [1]: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Alii Hebraicum textum ita reddunt [2]: *ardenter concupivi, quod Dominus orationem meam exaudiret* [3], & ille remuneratus est ardorem meum, voti me compotem efficiendo. Ita quoque potest intelligi, si cum superiori Psalmo connectatur. Festina, Domine, ut adjuves me; non mortui laudabunt te, sed nos, qui vivimus. Cum ardenter optarem, & enixe efflagitarem, Dominus orationem meam exaudivit: *Dilexi; quapropter exaudivit*. Vel: Voti compos sum; nihil ulterius opto; hoc mihi satis est, quod Deo placuerit exaudire orationem meam [4]. Priores explicationes magis sunt simplices, & cum sequenti versiculo melius cohærent.

℣. 2. QUIA INCLINAVIT AUREM SUAM MIHI, & IN DIEBUS MEIS INVOCABO.] Priori in versiculo dixit, se infinitas habere gratias Domino, eumque summo prosequi amore, quod oratio sua ab illo exaudita est; hic addit: Quandoquidem se se demittere dignatus est, ut precibus meis aures præberet, ad illum indesinenter confugiam, nullibi, nisi in eo præsidium, & auxilium inquiram. Amor, & fiducia duæ sunt conditiones, quæ in recta oratione quæruntur, quæ dispositiones magis augentur, quo magis oratur; quoniam in dies semper magis percipitur & virtus orationis, & effectus potentiæ Domini.

℣. 3. CIRCUMDEDERUNT ME DOLORES MORTIS: & PERICULA INFERNI INVENERUNT ME.] Hæ loquendi rationes summum significant periculum, & gravissimum malum. Iis utitur David Psal. 55. ult. ut ob oculos ponat periculum, quod subiit, cum agnitus fuit in Aula Achis Regis Geth [5]; & alibi [6] apertius, ut designet pericula, quæ illi in vita sua obeunda fuerunt. Auctor isthic describere adnititur squalorem fœdissimum, in quo populus Babylonicæ captivitatis tempore versabatur. Hebræus verti potest [7]: *Involverunt me funiculi mortis: conclusio sepulchri deprehendit me*. Me me intuitus sum factum similem mortuo vittis Ægyptiorum more circumornato, atque in sepulchri faucibus posito, quemadmodum cadavera in parvulis ædiculis in rupe aliqua exscisis collocabantur. Hoc in statu ad te, Domine, confugi: *Tribulationem, & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi &c.*

℣. 5. MISERICORS DOMINUS, & JUSTUS.] Misertus est infelicitatis meæ, clamorumque meorum; Vidit Babyloniorum me persequentium injustitiam.

℣. 6. CUSTODIENS PARVULOS DOMINUS. HUMILIATUS SUM, & LIBERAVIT ME.] Noram, Domine, te odio persequi superbiam, amore vero complecti parvulos, & humiles. Humiliatus sum, & liberasti me. Aliter [8]: *Dominus protegit*, & regit *parvulos*, simplices, rudes. *Elangui*, defeci, infirmatus sum, in squalore jacui, *& ille salvavit me*. Gaudet Deus suam potentiam ostendere, illis opem ferens, qui se tutari non possunt. Permisit, ut malis obruerer in captivitate mea, & mihi opitulatus est per misericordiam suam. S. Johannes Chrysostomus, & Theodoretus isthic admirantur Domini providentiam erga parvulos qui in matrum suarum utero delitescentes, quomodo ibi efformentur, crescant, nascantur &c.

℣. 7. CONVERTERE, ANIMA MEA, IN REQUIEM TUAM, QUIA DOMINUS BENEFECIT TIBI.] Revertere in patriam tuam, fruere ea requie, quam tandiu præstolaris; tandem aliquando te Dominus voti damnavit, tibique reddidit libertatem.

℣. 8. ERIPUIT ANIMAM MEAM DE MORTE.] Eduxit me de servitute; & squalore; abstersit lacrymas meas, elevavit me de lapsu. Hæc omnia Babylonis captivitatem designant; Confer Psalmi 55. versiculum postremum.

℣. 9. PLACEBO DOMINO IN REGIONE VIVORUM.] Heb. [9] *Incedam coram Domino in terra viventium*. Septuaginta [10]: *Placebo coram Domino in regione vivorum*. S. Augustinus: *Placebo Domino in conspectu Domini in terra viventium*. Nomine terræ viventium, vel regionis vivorum intelligitur terra Israel, ubi vivitur, spiritus ducitur, lux effulget, per antithesim ad Babylonem, quæ est regio mortis, afflictionis, ac tenebrarum. Vide vers. 3. 4. 8. & Psalmos 26. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium*, & 55. 13. *Ut placeam coram Domino in lumine viventium*. Patres hoc intelligunt in spirituali sensu de felicitate Cœli [11], quæ vera est terra viventium, cujus incolæ in æternum Deo jucundi sunt, quin timeant, ne de felicissimo hoc statu umquam deturbentur.

1 Luc. 7. 47. in Psalmo sequenti כי vertitur per *propter quod*.
2 אהבתי כי יאמע יהוה את קולי תחנוני 3 Rab. Salom. Ezr Hamm.
4 Vide CataKer. Jun. Pisc. Lud. de Dieu. Geier. 5 1. Reg. 21. 12. 13.
6 Psalm. 17. 6. 2. Reg. 22. 6. 7 אפפוני חבלי מות ומצרי שאל מצאוני
8 שמר פתאים יהוה דלותי ולי יהושיע Symmach. Ἠτόνησα, καὶ ἔσωσέ με. *Defecit & salvavit me*.
9 אתהלך לפני יהוה בארצות החיים 10 70. Εὐαρεστήσω ἐνώπιον κυρίου ἐν χώρᾳ ζώντων. Alius, Ἐμπεριπατήσω ἐμπροσθεν κυρίου. 11 Hieron. August. Theodoret. alii.

PSALMUS CXV.

Canticum gratiarum actionis pro liberatione de captivitate Babylonica.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

In superiorem Psalmum jam adnotavimus, hunc cum illo unum tantum olim effecisse in Textibus Hebræis, Chaldæis, atque Syriacis [1]. Patres, ac Interpretum plerique in utroque idem argumentum, eumdemque finem agnoscunt. S. Chrysostomus hunc explicat de Judæis, qui Babylonicum jugum excusserunt. Theodoretus illum non secus ac 114. de Macchabæis ab Antiocho Epiphane vexatis intelligit. Anastasius, Vetus

1 Vide Theodoret. Hieron. Euseb. hic.

Vetus Paraphrastes Græcus, & Venerabilis Beda hunc Ezechiæ tribuunt, timore Sennacherib liberato. Alii eum transferunt ad David, cum jam e persecutionibus evasisset, vel cum inde brevi se evasurum tuto speraret. Nos hypothesim persequemur, quæ illum Judæis attribuit de servitute Babylonica reversis.

1. CRedidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis. 2
Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax. 3 Quid retribuam Do-
mino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? 4 Calicem salutaris accipiam:
& nomen Domini invocabo. 5 Vota mea Domino reddam coram omni populo e-
jus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. 6 O Domine, quia ego
servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. 7 Dirupisti vincula mea: tibi sacri-
ficabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo. 8 Vota mea Domino reddam
in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

℣. 1. CREDIDI, PROPTER QUOD LOCUTUS SUM: EGO AUTEM [1] HUMILIATUS SUM NIMIS.] In ea afflictione, qua angor, nullus me incessit umquam metus, ut in verbis tuis diffiderem; semper constanter credidi, te fidem præstiturum promissionum tuarum, ac nos quam primum [2] de captivitate evasuros. Hoc dixi, atque ubique enuntiavi. Hebræus ad litteram [3]: *credidi, quoniam loquar*, vel *quoniam locutus sum*, vel *cum locutus sum*, vel *propterea locutus sum*. Hæc eadem ferme phrasis est ac illa, quam Psalmi superioris initio adnotavimus: *Dilexi, quoniam exaudiet*.

Versiculus hic subnectendus est fini Psalmi 114. *Incedam coram Domino in terra viventium. Credidi promissionibus tuis; propterea locutus sum*; & dixi, *ego humiliatus sum nimis*. Chaldæus: *Credidi; propterea loquar. Omnibus viribus meis Dominum laudabo*. Hebraica vox, quæ significat *affligere*, nonnumquam etiam significat *respondere*, intercalari carmine canere. Verti etiam potest: *Firmus fui*, & constans, *cum dixi: gravissime affligor*. Quamvis tot malis obruerer, ac vehementer afflictatus essem; numquam tamen me cepit diffidentia, neque animos umquam despondi. S. Paulus 2. Cor. 4. 13. hunc locum profert, ut ostendat, eos, qui fidei munere donati fuerunt, eam audacter prædicare, quin ne minimum quidem ab hominibus timeant.

℣. 2. EGO [4] DIXI IN EXCESSU MEO; OMNIS HOMO MENDAX.] Septuaginta [5], & S. Augustinus legunt: *Ego autem dixi in extasi mea*. Antiqua Psalteria [6]: *in excessu mentis meæ*. Extra me raptus dixi, omnem hominem esse mendacium. Supernaturali tuo lumine, Domine, ostendisti mihi, nullum mihi ab hominibus præsidium esse expectandum, sed te unum esse spem meam, solatium meum. Si Propheta ex se locutus dixisset, *omnis homo mendax*; dici potuisset, uti D. Hieronymus animadvertit, si quod ais, verum est, tu ergo mendax es; ideoque quidquid dixisti dubium est, ac incertum. Sin autem quod inquis, verum non est, te mendacem esse, non autem omnem hominem esse mendacem, est inferendum. Mendaces sumus, donec homines sumus, addit idem S. Hieronymus; sed mendaces esse cessamus, ex quo Deos esse incipimus, hoc est Sanctos, ac Divino Spiritu afflatos. Licet omnes homines mentiri queant, eos tamen semper mentiri, asserere non licet. Complures vertunt [7]: *Dixi in fuga mea*, in exitu meo; & id explicant de David, qui a patria exulare debuit, dum illum Saul persequeretur, vel fugam corripere, ne in Absalonis filii sui manus incideret.

Hebræus has omnes difficultates tollit [8]: *dixi in præcipitatione mea*, vel *in deprehensione mea*, in timore meo, *non est nisi mendacium*, vanitas, dolus, error in homine; non est, cur credas homini; non recta fides, non veritas in mundo invenitur. Aquila [9]: *Dixi in stupore meo: omnis homo est mendacium*, vel dolus. Symmachus [10]: *dixi in mœstitia mea*, in dolore meo; *omnis homo fallit*, & dicit mendacium. Theodotion [11]: *Omnis homo cadit in defectum*. Hæc dicebant captivi, exilii sui diuturnitatis pertæsi. Frustra spem nostram in hominum auxiliis collocamus. Brachium carnis nimis infirmum est, quam ut vincula nostra disrumpat. Homo nihil aliud est, quam infirmitas, & vanitas. Elevemus oculos nostros ad Dominum; ipse unus liberabit nos. Vide Chrysostomum.

℣. 3. QUID RETRIBUAM DOMINO?] Cum non perfecta libertate gaudeam, & fructu divinæ in me misericordiæ perfruar; quidnam facere possum, gratum illi animum meum testaturus? Hebræus ad litteram [12]: *Quid retribuam Domino; omnia illius beneficia sunt super me?* illis quodammodo obruor.

℣. 4. CALICEM SALUTARIS ACCIPIAM, & NOMEN DOMINI INVOCABO.] Post evitatas ærumnas, & pericula, Deo plerumque pacificæ victimæ offerebantur, illi nuncupabantur vota, atque religionis convivium insternebatur, ubi *calix salutis*, vel calix gratiarum actionis epotabatur. Hac de re superius jam locuti sumus in Psalmum 21. 27. Verum quidem est, ibi sermonem minime haberi de calice, vel poculo salutis; verum eam consuetudinem ex tertio Macchabæorum libro [13], & Paschatis cœna deprehendimus, ubi J. C. calicem gratiarum actionis propinavit, ac illum bibendum præbuit Discipulis suis in Sanctissimæ Eucharistiæ institutione [14]. Judæis ad hanc quoque diem supersunt solemnes hæ bibendi consuetudines inter benedictionum, ac laudum recitationem in festivitatibus, in nuptiis, & in conviviis, quæ post filiorum suorum circumcisionem facere consueverunt [15].

Prophanis quoque similes omnino cæremoniæ non deerant. Apud Homerum Hector Paridi ajebat: O utinam nobis liceat aliquando in domibus nostris offerre Superis calicem libertatis, vel gratiarum actionis, Græcis a Trojæ mœnibus expulsis [16]. Calicem illi habebant, quem *Jovis Sospitatoris* vocabant, ubi invocato Jovis nomine aqua immiscebatur, cum antea aliquantulum meri guttatim infusum fuisset; atque tunc ex eo, quoad illis placebat, delibabant [17].

Non desunt Interpretes quidam, qui putent, *calicem salutaris* nihil aliud fuisse, quam vinum, quod super victimas gratiarum actionis effundebatur juxta Mosaycæ Legis ritus, quæ sacrificiis quibusdam merum im-

1 Hæc particula non extat in Hebræo. 2 Vide Chrysost. & Confer. 2. Cor. 4. 13. 14.
3 האמנתי כי אדבר אני עניתי מאד 4 Septuaginta, S. Chrysost. Euseb. S. Athanas. S. Augustinus legunt. *Ego autem dixi*; at Hebræus legit non secus ac Vulgata.
5 70. Ἐγὼ δὲ εἶπα ἐν τῇ ἐκστάσει μου. 6 Psalter. Roman. Mediol. S. Germ. Carnut.
7 Genebr. Flam. Mariana, Vatab. 8 אני אמרתי בחפזי כל האדם כזב
9 Aquil. Ἐγὼ εἶπα ἐν τῷ θαμβεῖσθαί με, πᾶς ἄνθρωπος διάψευσμα. Ita Hieron. 10 Sym. Καὶ εἶπον ἀδημονῶν. Πᾶς ἄνθρωπος διαψεύδεται. 11 Theod. Ἐκλείπει. 12 מה אשיב ליהוה כל תגמולוהי עלי
13 3. Macc. 6. 27. Κώθωνα σωτήριον συνεστήσαντο. Et cap. 7. 16. Πότον σωτήριον ἐπιόντες. 14 Luc. 22. 20. Matt. 26. 27. Vide Chrysost. Muis, Vat. Kimchi, Mar. Grot. Castal. 15 Leo Mutin. c. 3. art. 7. & c. 9. art. 1.
16 Homer. Iliad. 2. ad finem. 17 Vide Athen. l. 1. c. 23. & l. 2. c. 2. & l. 15. c. 5.

misceri jubebat [1]. Alii credunt, simpliciter humi vinum effundi consuevisse in Domini honorem, eodem ferme pacto, quo David aquam effudit, quam tres illi strenui milites sitienti attulerant [2]. Patres, aliique plurimi hoc de passionis, & doloris calice interpretantur. Accipiam de manu tua Domine, quidquid mihi contigerit, ac libenter non sine gratiarum actione omnia patiar. Hi sunt Martyrum sensus [3].

℣. 5. VOTA MEA DOMINO REDDAM CORAM OMNI POPULO EJUS.] Modo Babylone reversus, cum mihi liceat grati animi sensus testari, reddam tibi vota mea, quæ tempore captivitatis pollicitus sum [4], eaque reddam in medio Templi tui, & coram populo tuo. S. Augustinus, & antiqua Psalteria locum hunc non legunt; Fortasse enim crediderunt, hoc perperam ex ℣. 8. Psalmi hujus repetitum.

PRETIOSA IN CONSPECTU DOMINI MORS SANCTORUM EJUS.] Infinita gloria Martyrum suorum mortem Deus remuneratur, ac pretiosissimis muneribus eorum coronat ærumnas. Ipsis etiam Martyribus mors est pretiosa, quoniam illis supremam confecit felicitatem. Sed Hebræus significat potius [5]: Sanctorum vita magis pretiosa est in oculis Dei, nec eos improborum iræ derelinquet. Numquam eorum mortem permittet. Illorum animam summopere diligit. Hic verus est loci hujus sensus [6]. Nobis in ipso captivitatis squalore vitam, Domine, servasti; & nos ex gravissimis eruisti periculis ea cura, quæ in rebus maxime pretiosis asservandis impenditur. Vita nostra pretiosa fuit in oculis tuis. Confer similem loquendi rationem 1. Reg. 26. 21. *Et quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis*. Et Psal. 71. 14, *honorabile nomen eorum coram illo*; eorum sedulo memoriam servat. Et Isai. 13. 12. *Pretiosior erit vir auro*. Hostis hominis unius interimendi voluptatem prædæ ipsius lucro præponet.

℣. 6. O DOMINE, QUIA EGO SERVUS TUUS.] Vita mea pretiosa fuit in oculis tuis, Domine, eo quod tuus sum. Duplici nomine tuus sum, & veluti servus tuus, & veluti filius ancillæ tuæ. Ex eorum mancipiorum genere sum, quibus nulla spes est libertatem acquirendi: sed hæc mihi gloriosa, atque utilis servitus est: hoc enim te adegit, ut me de tot ærumnis erueres.

℣. 7. DIRUPISTI VINCULA MEA; TIBI SACRIFICABO HOSTIAM LAUDIS.] In servitute positus eram, in captivitate [7], in vinculis. Tu me, Domine, liberasti. Nullas tibi referre gratias possum, nisi laudis sacrificium efferendo, invocando nomen tuum, & coram te confitendo, tibi uni me acceptam referre & libertatem, & salutem meam: *Hostiam laudis* designare quoque potest *sacrificia gratiarum actionis*, Levit. 7. 12. & 2. Par. 33. 16. & Psal. 26. 6.

ET NOMEN DOMINI INVOCABO.] Hebr. [8] *In nomine Domini clamabo*. Celebrabo nomen tuum in medio Templi tui; vel me servum tuum, ac a Domino redemptum vocabo: de nomine tuo me nuncupabo. S. Augustinus, & Antiqua Psalteria hæc verba non legunt.

1 Exod. 29. 40. Num. 15. 10. 28. 7. 14. 2 2. Reg. 23. 16. 17. Vide Rabb. Salom. Hamm. Ferrand. Bossuet. 3 Hieron. Theodoret. August. 4 Confer. Psalm. 65. 13. 14. 5 יקר בעיני יהוה המות לחסידיו 6 Vide Vatab. Genebrard. Muis, Grot. Castal. Mar. Geier. Tir. Hamm. &c 7 Vide Psalm. 101. 21. 106. 10. 14. Psalm. 114. 3. 8. 8 בשם יהוה אקרא 70. Ἐν ὀνόματι κυρίου ἐπικαλέσομαι.

PSALMUS CXVI.

Psalmista Nationes omnes invitat ad celebrandam Domini misericordiam ejusque in promissis explendis fidem.

ALLELUJA.

ARGUMENTUM.

Apostolus [1] Psalmi hujus adfert verba ad probandam vocationem Gentilium ad fidem Christianam. Re quidem vera eos Psalmista invitat ad Domini misericordiam, & veritatem celebrandam; quo in sensu psalmus hic a Patribus, atque Interpretum plerisque explicatur. Kimchi ipse fatetur, hunc ad Messiæ tempus spectare. Beda in litterali sensu eum refert ad Ezechiam, qui gentibus ob Solis retrocessionem stupore captis ostendit, Domino prodigii illius gloriam esse referendam. Nos vero hunc cum superioribus duobus connectimus, eumque explicamus veluti gratiarum actionem Captivorum, qui de Babylone reversi nationes omnes invitant ad agnoscendam secum Dei manum, qui misericordiam suam, atque veritatem ostendit, eos de exilio reducens. Insigne hoc factum figura est, quæ in admodum paucis, humani generis redemptionem per J. C. sanguinem peractam, aperte designat.

1\. LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi: 2 Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum.

℣. 1. LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES ... (℣. 2.) QUONIAM CONFIRMATA EST SUPER NOS MISERICORDIA EJUS, & VERITAS DOMINI MANET IN ÆTERNUM.] Populi, qui calamitatum nostrarum testes fuistis, & vidistis mirabilem rationem, qua liberati fuimus, vestras cum nostris voces conjungite ad Dominum laudandum, atque annuntiandum in omnem terram, quod enituit super nos illius misericordia, & quod veritas, ac fides ejus in iis, quæ pollicitus est, æternum vigent

1 Rom. 15. 11. *Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi.*

gent, & nihil est, quod earum effectum, vel averte- re queat, vel remorari. Sin autem hoc de Ethnicis populis ad fidem Christi evocatis explices; hi ad Dominum laudandum vocantur, cique gratias agendas, A quod ipse illos de erroris, sceleris, ac idololatriæ tenebris eduxit, ut illis misericordiæ suæ effectus communicaret, ipsis mysteria, ac veritates suas detegens, eosque ad cœlestem vocans hæreditatem.

PSALMUS CXVII.

Solemnes gratiarum actiones pro insigni Dei beneficio. Auctor nationes omnes ad Dominum laudandum invitat. Pericula, quæ subiit, describit; & rationem, qua illinc evasit, enarrat.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

Psalmi hujus stylus sublimis est, & magnificus. Argumentum nobile, ac illustre. Hoc plane Epinicion est: Describitur periculum, in quod adducti fuerunt, & mirabilis modus, quo illinc fuerunt educti. Omnes invitantur Ordines Israel, & ii etiam, qui ex nativitate erant alienigenæ, sed adorabant, & verebantur Dominum, ad agnoscendum potentem manum illius, qui opem tulerat populo suo, cique victoriam contulerat. Canticum hoc per dialogum, atque Drammatico stylo elaboratum est. Primum Auctor, mox Levitæ, deinde populus, ac tandem Psalmista loquuntur.

Origenes in Catena Corderii, Theodoretus, & Beda Venerabilis hic, quos recentiores nonnulli [1] sectantur, putant, post reditum de captivitate fuisse compositum, cum hostes Israel congregatos ad opprimendum populum, qui recens in patriam redierat, Deus dissipavit, eosque rubore suffudit, uti liquet ex Prophetis Joele 2. 3. Ezechiele 38. Michæa 4. 11. & Zacharia 2. 8. & 12. 9. & 14. 12. In Dissertatione data opera in id unum elaborata pro virili ostendere adnisi sumus, Psalmum hunc spectare mortem Cambysis, & exercitus ejus in Palæstina internecionem [2]. Nehemias quoque alludere videtur ad ℣. 22. Psalmi hujus, cum loquitur de formidine, quæ in Judæorum hostes incessit, cum muros Jerusalem instauratos viderunt: *Factum est, ut timerent universæ gentes, & concidrrent intra semetipsos, & scirent, quod a Deo factum esset opus hoc*, 2. Esdr. 6. 16. Sententia hæc nobis admodum probabilis videtur, eamque in Commentariis sequemur, quin tamen omnino deseramus sensum, qui Psalmum hunc de J. C. ejusque Ecclesia interpretatur, juxta sacros Auctores novi Testamenti, ac Patrum traditionem.

Recentiorum Interpretum plerique [3] hunc Davidi tribuunt, quem in gratiarum actionem cecinisse putant, cum post necem Isboleth totius Israel Regnum obtinuit, & cum devictis Philisthinis Fœderis Arcam transtulit in Jerusalem. Inficiari non possumus, hypothesim hanc belle sibi constare, & quemadmodum David erat figura J. C. ita Psalmum rationem habere apprime naturalem ad vitam, mortem, & resurrectionem Salvatoris, atque ad vocationem Gentilium populorum ad fidem; quo in sensu Patres [4], ac Interpretes complures illum explicuerunt. Judæi ipsi inficias ire non potuerunt, plurima hic adesse, quæ Messiam respiciunt; immo & ipsi quosdam Psalmi hujus versiculos adhibere consueverant ad Messiæ adventum a Deo petendum; unde factum est, ut pueri Hebræorum in J. C. triumpho hæc illi canerent verba ex ℣. 24. deprompta. *Hosanna, benedictus, qui venis in nomine Domini*. Matth. 21. 9.

1. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.
2 Dicat nunc Israel quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia
ejus. 3 Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.
4 Dicant nunc, qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia ejus. 5
De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus. 6 Do-
minus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo. 7 Dominus mihi ad-
jutor: & ego despiciam inimicos meos. 8 Bonum est confidere in Domino, quam
confidere in homine: 9 Bonum est sperare in Domino, quam sperare in princip-
bus. 10 Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia ultus sum in
eos. 11 Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini, quia ultus sum
in eos. 12 Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis:
& in nomine Domini, quia ultus sum in eos. 13 Impulsus eversus sum, ut ca-
derem: & Dominus suscepit me. 14 Fortitudo mea, & laus mea Dominus, &
factus est mihi in salutem. 15 Vox exultationis, & salutis, in tabernaculis justo-
rum. 16 Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me, dextera
Domini fecit virtutem. 17 Non moriar, sed vivam: & narrabo opera Domini.
18 Castigans castigavit me Dominus: & morti non tradidit me. 19 Aperite mihi
portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, justi intra-

1 Vide Ferrand. 2 Vide Dissertationem de Gog & Magog Ezechieli præfixa.
3 Muis, Flam. Vat. Moll. Bossuet. alii. 4 Euseb. Athan. Theodoret. Hieron. Aug.

bunt in eam. 20 Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in
salutem. 21 Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput
anguli. 22 A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris. 23 Hæc
est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea: 24 O Domine, sal-
vum me fac, o Domine, bene prosperare: benedictus, qui venit in nomine Domi-
ni. 25 Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.
26 Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris. 27 Deus
meus es tu, & confitebor tibi; Deus meus es tu, & exaltabo te. 28 Confitebor
tibi, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem. 29 Confitemini Domi-
no quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

℣. 1. CONFITEMINI DOMINO, QUONIAM BONUS.] Filii Abrahæ, qui toties Domini misericordiam estis experti, & qui nuper illius effectu estis gavisi, laudate Dominum, & ubique prædicate, æternam esse illius misericordiam, & omnibus sæculis vobis contulisse beneficæ suæ potestatis argumenta. Verba hæc, *quoniam bonus*, in Septuaginta, veteribusque Psalteriis [1] repetuntur ℣℣. 2. 3. & 4. Sed in Hebræo textu, Chaldæo, & Syriaco in primo tantum ℣. inveniuntur: in Vulgata vero tum in primo, tum in altero.

℣. 2. DICAT NUNC ISRAEL &c.] Septuaginta, S. Augustinus, & Psalterium Mediolanense: *Dicat nunc domus Israel.* Auctor seorsim & populum, & Sacerdotes, *domum Aaron*, & proselytos, *qui timent Dominum*, ad Deum laudandum invitat. Vide Psalm. 113. ℣. 11. 12. 13.

℣. 5. EXAUDIET ME IN LATITUDINE DOMINUS [2].] Eduxit me de captivitate, eruit me de squalore, eripuit me de manu inimicorum meorum. Veluti de angusto quodam loco, & de carcere eduxit me, & in vastum, spatiosumque locum adduxit. Locutio hæc frequens est in Scripturis.

℣. 6. DOMINUS MIHI ADJUTOR; NON TIMEBO, QUID FACIAT MIHI HOMO.] Si Deus pro nobis, quis contra nos [3]? Hebræus verti potest [4]. *Dominus est mihi*, vel cum me; ipse est in partibus meis; *nihil mihi metuendum est; quid mihi nocere poterit homo?*

℣. 7. EGO DESPICIAM INIMICOS MEOS.] Non minas, non conatus eorum timebo. Hebræus [5], & Septuaginta [6]: *Videbo inimicos meos*; videbo eorum cladem, & infortunium; testis ero ultionis, quam de illis Dominus sumet. Confer Psal. 3. 8.

℣. 8. BONUM EST CONFIDERE IN DOMINO, QUAM CONFIDERE IN HOMINE.] Homo nihil aliud est quam infirmitas, vanitas, mendacium Psal. 115. 2. Ludet operam, si tuæ studuerit incolumitati, ni Deus adfuerit: *Vana salus hominis*. Psal. 59. 31. Væ illi, qui confidit in homine, & collocat robur suum in brachio carnis, & fugit a Domino [7]. Nisi Deus ipse nos de Babylone eduxisset, nisi nobis tulisset opem adversus inimicos nostros, de captivitate non essemus egressi, & rursus exercitus eorum vi essemus oppressi.

℣. 10. IN NOMINE DOMINI, QUIA ULTUS SUM IN EOS.] Dei ope eos devici, ac ex eorum manibus evasi. Hoc intelligi potest, vel de Philistinis, aliisque hostibus Israel, David imperante; vel de Samaritanis, Idumæis, Ammonitis, aliisque, qui Nehemiæ consiliis adversabantur; vel de Cambyse, qui Judæam evertere, eamque militibus suis igni ferroque vastan- A dam tradere meditabatur: vel in sublimiori sensu de J.C. sanctisque Martyribus, mortis, Dæmonisque victoribus. Particula *quia* est in Hebræo, non ita vero in Septuaginta, in SS. Augustino, & Hieronymo [8]. Pro, *ultus sum*, Hebræus habet [9] *eos confregi*, delevi, ad nihilum redegi &c.

℣. 11. CIRCUMDANTES CIRCUMDEDERUNT ME.] Hebræus [10]: *Involverunt me: utique me involverunt*: Me circumundique obsederunt. Symmachus [11]: *Circumdederunt me, & rursus adhuc me circumdederunt.* Alii Hebræum vertunt: Nationes circumdent me; utique me circumdent undique; ego tamen eas delebo.

℣ 12. CIRCUMDEDERUNT ME SICUT APES; & EXARSERUNT SICUT IGNIS IN SPINIS &c.] Circumdederunt me frequentes adeo ac apum examen, & tanta ira, B & furore ac parvula hæc animalia. Apum ira, & dolor, quem suo inferunt morsu, insignis est, atque ad unguem violentos, acerrimosque inimicos repræsentat [12].

Illis ira modum supra est, læsæque venenum
Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animasque in vulnere ponunt.

Ignis, quo spinæ succenduntur, & qui pernicissime se se diffundit, ac violenter adurit, hoc ipsum belle exprimit. Scriptura sæpe usurpat ignis, vel incendii similitudinem, ad bellum, odium, iram, ac invidiam denotandam [13].

Septuaginta [14]: *Circumdederunt me, sicut apes favum mellis circumdant.* Eum exsugunt, ac melle, quo repletus est, exhauriunt [15]. Ita inimici mei circumdede- C runt me, & omnibus, quæ habebant, spoliaverunt. S. Augustinus hoc intelligit de J.C. quem Judæi ad mortem usque persecuti sunt. Pro his vocibus: *Exarserunt sicut ignis in spinis*; Hebræus habet [16]: *Extinctæ sunt, veluti ignis, qui in spinis exarsit.* Inimici mei acriter oppugnarunt me, velut apes irritatæ; sed eorum furor brevi desiit, non secus ac ignis, qui statim quidem in spinis succenditur, sed momento consumitur. Aquila [17] & Symmachus, hanc legendi rationem sectantur, non secus ac Syriaca versio, S. Hieronymus, Rabbini, ac Interpretes recentiores. Sed Chaldæus, Septuaginta, Arabs, & Æthiops priorem amplectuntur, quæ magis naturalis est, & melius cum sermonis decursu cohæret [18].

℣. 13. IMPULSUS, EVERSUS SUM, UT CADEREM.] D Undequaque ab inimicis meis oppugnatus, parum abfuit, quominus ad eorum pedes caderem, atque eorum conatibus superarer; sed Dominus tandem manum suam extendit ad me, & gressus meos confirmavit. Hebr. [19] *Violenter impulisti me, ut caderem; sed Dominus*

1 Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. 2 *Dominus* neque in 70. neque in S. Augustino, & Græcis Patribus exstat; sed extat in Hebræo. 3 Rom. 8. 31. 4 יהוה לי לא אירא מה יעשה לי אדם
5 ואני אראה בשנאי 6 70. Κἀγὼ ἐπόψομαι τοὺς ἐχθρούς μου. Psalt. Mediol. *Videbo super inimicos meos.* Psalt. Rom. Carnot. S. Germ. *Et ego videbo inimicos meos.* 7 Jerem. 17. 5.
8 Hieronym. Ep. ad Suniam & Fretell. 9 כי אמילם Sym. Διέθρυψα. 10 סבוני גם סבבוני
11 Sym. Ἐκύκλωσάν με, καὶ πάλιν περιεκύκλωσάν με. 12 Virgil. Georgic. 4. Vide si lubet Homer. Iliad. 12. & Deut. 1. 44. *Amorrhæus persecutus est vos, sicut apes solent persequi.* 13 Num. 21. 28. Deut. 32. 22. Psal. 17. 9. 20. 10. 78. 5. 88. 47. 119. 4. 14 70. Ἐκύκλωσάν με ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον. Ita Patres Græci, & Codices Græci omnes Regii & Colbert. apud Ferr. Ita & Hieron. in Comment. Aug. Psalt. Gothic. & Arab.
15 Vide Theodoret. 16 דעכו כאש קוצים 70. legerunt דלקו Ita legit etiam Chaldæus.
17 Aqu. & Sym. Καὶ ἀπεσβέσθησαν ὡς πῦρ ἀκανθῶν. 18 Vide Genebr. Hamm. du Pin.
19 דחה דחיתני לנפל ויהוה עזרני 70. Ὠσθεὶς ἀνετράπην τοῦ πεσεῖν.

minus mihi opem tulit. Chaldæus: *Peccatum meum vehementer impulit me, ut me subverteret*. Auctur per apostrophen violentissimum inimicorum suorum alloquitur. *Tu me violenter impulisti* &c. S. Augustinus legit: *Tamquam cumulus arenæ impulsus sum*, quin resistere possem. Antiqua Psalteria: *Impulsus, versatus sum* &c.

℣. 15. VOX EXULTATIONIS &c.] Cum hodie inimicorum nostrorum timor excesserit, undequaque se domibus nostris lætus auribus accidit sonus, Epinicia, laudes, & gratiarum actiones canentium. Judæi sæpe *justi, Sancti*, pii, ac *populus electus* vocantur. Tales quippe erant juxta Dei vocationem, ac mentem, quamvis perperam illius expectationi responderent.

℣. 16. DEXTERA DOMINI EXALTAVIT ME &c.] Hebr. [1] *Dextera Domini exaltata est; dextera Domini faciensis* prodigia *fortitudinis*. Domino refert omnem libertatis acceptæ gloriam, ac se una illius dextera salvari potuisse fatetur.

℣. 18. CASTIGANS CASTIGAVIT ME DOMINUS.] Effecit, ut omne brachii ipsius pondus sentirem, me tradens Babyloniis, atque in captivitate, & exilio me derelinquens; verum non passus est, me interire: *Sed morti non tradidit me*. Hebraicus textus, & Septuaginta [2] verti quoque possunt, quemadmodum S. Augustinus legit; *Emendans emendavit me*. Verum magis accommodum videtur, si de supplicio intelligamus.

℣. 19. APERITE MIHI PORTAS JUSTITIÆ; INGRESSUS IN EAS CONFITEBOR DOMINO.] Portæ justitiæ sunt Templi portæ; clausæ enim sunt impiis, Gentilibus, Idolorum cultoribus, ac iis omnibus, qui sorde aliqua fœdati sunt; verbo, quod hæc est porta Domini, neque ulli illuc pedem inferre fas est, nisi Justis, Fidelibus, Judæis: *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam*. Vide Psalmum 14. ℣. 1. 2. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo; aut quis requiescet in monte Sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam*; & Psalmum 23. 3. *Quis ascendet in montem Domini; aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde*. Commode etiam id explicari potest de Judæa, quæ justorum terra vocatur per antithesim ad idololatras regiones, quæ tamquam prophanæ, pollutæque habebantur. Vide Psalmum 142. 12. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, & Isajam 26. *Aperite portas, & ingrediatur gens justa, custodiens veritatem* &c. Loquitur de reditu e captivitate, atque de Jerusalem instauratione.

Sanctus Johannes Chrysostomus, S. Augustinus, S. Hieronymus, & Theodoretus hoc de Cœli, ac Beatitudinis janua intelligunt, quo nemini patet aditus, nisi per portam, quæ est J. C. per Fidem, per Charitatem, & per Ecclesiam, extra quam non est salus. Olim pœnitentes, sceleſti, prophani de Ecclesia ejiciebantur, neque illis sacris interesse mysteriis permittebatur. Ecclesia a sinu suo separat Hæreticos, Schismaticos, & Excommunicatos. Sunt etiam quidam e Patribus [3], qui per hanc justitiæ portam angustam pietatis viam, Christianarum virtutum exercitationem, perfectionis progressum intelligant.

℣. 21. LAPIDEM, QUEM REPROBAVERUNT ÆDIFICANTES, HIC FACTUS EST IN CAPUT ANGULI.] Hæc vel adagialis est, vel parabolica locutio. Qui reprobatus fuerat, ac velut inutilis habitus, factus est aliorum princeps, & caput. Chaldæus Paraphrastes, aliique plures hoc ad litteram intelligunt de David, qui erat fratrum suorum minimus, & qui cum diu profugus fuisset, atque a Saule exagitatus, mox totius Israel factus est Rex. Alii [4] de Zorobabel explicant, qui de captivitate reversus, nationis suæ regimen obtinuit, tamquam hæres domus David. Alii tandem de Judaico populo interpretantur, patriæ suæ restituto, atque de invidis inimicis suis, victori. Verum neque de David, neque de Zurobabel, neque de Judæorum natione potest intelligi, nisi tamquam J. C. figuris. Divinus hic Salvator a Judæis reprobatus, ab impiis contemptus, ab inimicorum nequitia interemptus, illis invitis, factus est lapis angularis, Ædificii Ecclesiastici fundamentum, vinculum utriusque populi, tum Judaici, cum Ethnici, in Religione, atque in fide Christiana conjuncti. Hoc in sensu Jesus Christus idem [5], atque Apostoli [6] explicuerunt, atque ita Isajas [7], non secus ac Psalmi hujus Auctor prædixerant.

℣. 22. A DOMINO FACTUM EST ISTUD.] Ipse Auctor est hujus miraculi, ac elevationis lapidis hujus angularis. Hebræus, & Septuaginta in genere muliebri habent [8]: *A Domino facta est ista*. Sed liquet Hebraice fœmininum genus pro neutro usurpari. S. Augustinus legit: *A Domino factus est ei, & est mirabilis* &c. Psalteria S. Germani, & Carnutense; *A Domino factus est: hic est mirabilis*.

℣. 24. O DOMINE, SALVUM ME FAC: O DOMINE, BENE PROSPERARE.] Salva me, Domine; felicem mihi eventum tribue: Benedictus sit, qui venit in nomine Domini. Vel cum Septuaginta [9]: *Salva, Domine, quæso; Domine, prosperum fac iter*; vel quodvis prosperitatis genus mihi impertire &c. Hebræus similiter [10] reticet personam, pro qua felix iter, vel successus exposcitur: *Quæso Domine, salvum fac; obsecro: Quæso, Domine, fac prospere agere; obsecro*. Hinc desumpta est acclamatio illa, quam Hebræorum pueri in J. C. introitu in Jerusalem adhibuere; *Hosanna Filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis*. Matth. 21. 9. Hebræi ad hanc quoque diem vocant, *Hosanna*, virides ramos, quos in lætitiæ signum in Tabernaculorum festivitate manibus præferunt [11]. S. Augustinus legit: *O Domine, salvum me fac: O Domine, bene prospera iter, quæso*. Psalterium Mediolanense: *Bene prospera nunc*. Alia antiqua Exemplaria habent [12]; *Benedictus, qui venturus est in nomine Domini*.

℣. 25. BENEDIXIMUS VOBIS DE DOMO DOMINI. DEUS DOMINUS, & ILLUXIT NOBIS.] Hæc est Levitarum responsio, a quibus Psalmista petierat, ut sibi justitiæ portas aperirent ℣. 19. Felix sit adventus tuus; te benedictionibus cumulamus nos, qui sumus in Domo Domini; Deum laudamus, eo quod votis tuis felicem tribuerit effectum, & eo quod dignatus fuerit nobis ostendere lumen suum, ac favores suos super nationem nostram effundere. Lumen vulgo pro lætitia, prosperisque rebus usurpatur, nox vero, ac tenebræ oppositum omnino significant. Patres [13] per hoc novum lumen, quod illusit, J. C. vel in Incarnatione, vel in Resurrectione ejus intelligunt.

℣. 26. CONSTITUITE DIEM SOLEMNEM IN CONDENSIS, USQUE AD CORNU ALTARIS.] Construite ex condensis tentoria in die solemnitatis vestræ, usque ad Altaris cornua. Nemo nescit, Tabernaculorum festivitate Judæos tentoria conficere ex viridibus ramis in Templi atrio, per omne montis sancti spatium, in plateis, & compitis civitatis consuevisse. Ea die, mea quidem sententia, Psalmum hunc cecinere, vel etiam ad id de industria compositus fuit, ut ea in solemnitate caneretur. Populus invitatur, ut in atrio Templi, immo usque in atrium Sacerdotale, ad pedes Altaris Holocaustorum, in cujus lateribus quatuor aderant cornua, vel tubera, de quibus fusius in Exodum [14] locuti sumus, hæc extruat tabernacula. Hic verus

1 ימין יהוה רוממה ימין יהוה עשה חול 2 יסר יסרני יה 70. Παιδεύων ἐπαίδευσέ με ὁ κύριος.
3 Vide Athan. Euseb. Chrysost. 4 Hebræi apud Theodoret.
5 Matt. 21. 42. Marc. 12. 10. Luc. 20. 17. 6 Act. 4. 11. Ephes. 2. 20. 1. Petri. 2. 6. 7.
7 Isai. 28. 16. *Ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum*. 8 מאת יהוה היתה זאת 70. Παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη. Quid. apud Chrys. τοῦτο.
9 Ὦ κύριε, σῶσον δή, ὦ κύριε, εὐόδωσον δή. 10 אנא יהוה הושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא
11 Vide Muisium. 12 Psalter. Gallican. S. Germ. Carnut. 13 Chrysost. Euseb. Theodoret. Aug.
14 Exod. 27. 2. 29. 12.

verus est hujus loci sensus, ac ita illum Symmachus [1] intellexit.

Rabbini, ac Interpretum recentiorum plerique Hebraicum textum ita explicant [2]: *Ligate* fortibus *funiculis* hostiam *festivitatis vestræ usque ad cornu Altaris*; Adducite usque ad Altaris cornua cum funibus victimas vestras, Domino immolandas. Chaldæus: *Vincite funibus agnum pro sacrificio solemnitatis vestræ, donec illum immolaveritis, ejusque cruorem super Altaris cornua effuderitis*. Paraphrasis hæc omne tollit absurdum; quod esset, dicendo, victimas immolandas adductas fuisse usque in atrium Sacerdotum, ibique Altaris cornibus fuisse alligatas; quæ quidem sententia probari nequit. Inauditum est, victimas ad Altaris cornua alligari ibi jugulandas. In Templo locus aderat ad id constitutus, vestibulum nempe septentrionalis portæ Atrii Sacerdotalis, quemadmodum ex Ezechiele innotescit [3]. Si quando in Atrium Sacerdotum victimæ adducebantur, hæ erant hostiæ pro peccato, quarum capiti manus suas imponebant Judæi, confes-

A sionem peragentes; inde vero trahebantur ad locum, iis mactandis constitutum, atque illinc cruor ad Sacerdotes afferebatur, ab illis super Altari effundendus, juxta ritus a Moyse Levit. 1. 5. & seq. statutos. Adde his, Hebraicam vocem [4], quam *funes* reddunt, certo certius significare nubes, ramorum coactorum, spissatorumque densitatem, funes vero non item. Denique præcedens versiculus, qui semper in Tabernaculorum festivitatibus, cum rami foliis onusti, ac fructibus prægraves, quos Judæi *hosanna* vocant, deferebantur, cani consuevit, priorem confirmat versionem, quam post Septuaginta, & Symmachum secuti sumus, S. Augustinus, & antiqua Psalteria legunt: *Constituite diem solemnem in confrequentationibus*. Magno conventu festivitatem vestram peragite.

B ℣. 28. CONFITEBOR TIBI, QUONIAM EXAUDISTI ME &c.] Versiculus hic in Hebræo, Chaldæo, ac Syro non adest. Sed in Septuaginta, atque in versionibus, quæ illis adhæserunt, invenitur, immo etiam ex Hexaplis fuerat expunctus.

---

1 Sym. Συνδήσατε ἐν πανηγύρει πυκάσματα. 2 אסרו חג בעבותים עד קרנות המזבח Aqu. Δήσατε ἑορτὴν ἐν πιμελέσι. *Ligate vestram festivitatem*, seu vestram victimam ob festivitatem, *inter hostias pingues*.
3 Ezech. 40. 39. *In vestibulo portæ, duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde, ut immolent super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto*. 4 עבות *Nubes, Densitas, Crassitudo*, & 2. Esdr. 8. 15. Ezech. 20. 28. Levit. 23. 40. *Densæ frondes*.

PSALMUS CXVIII.

Facilitas, & commoda Divinam Legem observantium. Elogium Legum Domini: Oratio ad petendam ab eo earundem agnitionem, & gratiam illas fideliter observandi.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

En Psalmorum omnium longissimum æque ac pulcherrimum, cujus pulchritudo est ipsa prolixitas: TANTO PRÆSTANTIOR, QUANTO PROLIXIOR [1], quippe admirabilem ostendit ingenii fœcunditatem Scriptoris sui, qui argumentum suum tot modis variare novit, & divinæ Legis encomium magnifice adeo, & affluenter contexere, quin vel deficeret umquam, vel eadem repeteret. Verum dicam melius: longitudo, sublimitas, perspicuitas, ac profunditas: *Quanto apertior, tanto profundior* [2] argumenta sunt magnitudinis, majestatis, sapientiæ, ac bonitatis Spiritus Sancti, qui ejus est Auctor. In aliis Psalmis satis Davidi fuit, nobis aliquod veræ sapientiæ radium ostendere: hic vero, totum quantus est, luminis fulgorem effundit. Illic sunt veluti aliquot stellæ in tenebris internitentes, hic vero sol omnia sua luce, ac virtute refulgens; S. Ambrosius ait. Psalmista Canticum hoc juxta alphabeticum ordinem instituit, ait idem S. Ambrosius; ut intelligeremus, hoc esse Christifidelium alphabetum, ibique omnium officiorum nostrorum elementa, ac principia inveniri: Et quemadmodum alphabetum pueris ex ipsis usque incunabulis ostenditur, ita nos Psalmo huic, a teneris usque unguilis studere opus est, sensus illius memoriæ altius mandare, & verba sedulo meditari, inquit S. Hilarius.

Psalmus acrosticus est, sive alphabeticus, sed ratione quadam peculiari. Continet enim octo versiculos sibi cohærentes, quorum singuli, ex eadem alphabeti littera ordiuntur, & deinde alios octo, qui altera incipiunt, & sic deinceps. Totus in hoc vertitur, ut Divinæ Legis amorem inspiret, ejusdem observantiam commendet, ac utilitates extollat. Auctor mirabili prorsus arte, & cura, ita argumentum suum pertractavit, ut Lex Dei in singulis versiculis inveniatur expressa, verum novis semper nominibus, quæ illius qualitates, atque excellentiam ostendunt, & unus tantum adest versiculus, nempe vigesimus secundus supra centesimum, ubi nomen illius non appareat [3]. Modo enim vocatur תורה Lex, דרך via, עדות testimonium, פקודים mandata, מצות præcepta; modo אמרת eloquium, דבר verbum משפטים judicia, צדק justitia, חקים statuta, אמונה veritas. Licet nomina hæc unum, atque idem adamussim minime significent, nihilominus hoc in Cantico veluti synonyma usurpantur. Ne idem sæpius repetere cogamur, harum omnium vocum isthic simul explicationem trademus.

Legis nomen genericum est, & complectitur quidquid Deus hominibus per semet, per Legislatores, & Prophetas suos imperavit. De Lege scripta Moysi tradita potissimum explicatur. *Via* significat agendi, vivendique rationem, quam quilibet sectari debet juxta Dei Leges, & exempla. *Testimonium* dicitur de Legibus cum ritibus quibusdam conjunctis, quæ sunt veluti monimentum, vel testimonium facti alicujus memorabilis: quemadmodum Sabbathum probat creationem Mundi, Pascha exitum de Ægypto testatur. Leges quoque

---

1 Muis hic: 2 August. Proœm. in hunc Psalm. *Quanto videtur apertior, tanto mihi profundior videri solet; ita ut etiam, quam sit profundus, demonstrare non possim. Aliorum quippe, qui difficile intelliguntur, etiamsi in obscuritate sensus latet, ipsa tamen apparet obscuritas; hujus autem nec ipsa*. 3 Ita Muis Prolog.

quoque testimonia vocantur; eo quod Deus illas populo suo irrogans, Cœlum, & terram testes appellat [1]. *Mandata* ea sunt, quæ tradit Deus, tamquam Dominus, ac absolutus Monarcha. Hebræa vox *PiKKudim* significare videtur ea, quæ custodienda sunt, atque veluti in depositum asservanda [2], vel exacte, accurateque observanda. *Praecepta* ea sunt, quæ peculiariter ad cultum, & amorem Dei, atque proximi spectant. *Verba* sunt illius promissa, minæ, documenta, jussa. *Judicia* significant Leges eas, quæ ad rempublicam litesque dijudicandas pertinent. Vox hæc designat quoque supplicia, quæ Deus in impios exercet. *Justitia* exprimit æquitatem, quæ in omnibus Dei Legibus dominatur, præsertim vero in illius erga homines providentia, quæ unicuique reddit secundum opera eorum. *Statuta* sunt, e Rabbinorum sententia, Leges, quarum ratio ignoratur. Hæc potius sunt negativa præcepta, quæ sine ulla exceptione obligant semper, & ad semper. *Justitia*, & *veritas* per se patent. Omnes Dei Leges justæ sunt, & veræ, æquæ, permanentes, innixæ veritati, ac justitiæ essentiali, quæ numquam mutantur.

Origenes, S. Chrysostomus, ac Theodoretus ajunt, Davidem, cum utramque expertus fortunam fuisset, modo persecutionibus agitatus, atque squalore confectus, modo prosperis rebus lætus, nunc abjectus, afflictusque, modo victor, & gaudens, omnes has vitæ suæ vices in aliis Psalmis expressisse, sed in hoc eas omnes collegisse; ita ut canticum hoc sit veluti vitæ illius, & cordis ejus sensuum compendium. S.S. Ambrosius, Hilarius, & Augustinus isthic omnem Evangelii doctrinam, ac pro quolibet vitæ statu monita, animadvertunt. Cassiodorus ait, Psalmum hunc simul complecti sensus Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ac omnium Sanctorum. Nemo negat, præcipuum Psalmi hujus scopum esse, Domini Legem celebrandi. Præclarum hoc canticum tanto in pretio habet Ecclesia, ut quotidie ab illis recitari jubeat, qui Divini Officii pensum solvere tenentur.

Quo tempore, quavis occasione compositum fuerit, non satis constat. Interpretum plerique [3] putant illud a David exule fuisse compositum, dum Saulis in eum persecutio sæviret. Non semel de persecutoribus suis conqueritur, quos superbos vers. 51. 69. 78. appellat. Ait, se a Principibus injuste fuisse vexatum, illos convenisse simul, & adversum se fuisse locutos vers. 23. 46. 161. se tamquam perditam ovem errasse vers. ult. ac demum se adolescentem, & contemptum dicit vers. 9. 99. 100. 130. qui omnes characteres belle conveniunt Davidi tempore calamitatum, & persecutionum ejus, Saule imperante.

Origenes, Theodorus Heraclæota, vetus Paraphrastes Græcus a P. Corderio editus, & venerabilis Beda eum transferunt ad Judæos Babylone captivos; quorum, qui integerrimi erant, a Deo solicite reditum in patriam petunt vers. 8. 41. 145. 147. 149. neque aliud habent tot malorum solatium, nisi spem, quam in Domini verbis collocarunt, qui illos in patriam se revocaturum spopondit. De Babyloniorum, quos Principum, superborumque nomine vers. 23. 46. 161. 51. 69. 78. designant, conqueruntur impotentia; fœdissimum squalorem, doloremque suum describunt vers. 22. 25. 28. 39. 143. 153. Deo profitentur vers. 19 50. 55. se in hac alienigenarum terra ab eo non defecisse; captivitatem suam, velut mortem, carcerem, statum tenebrarum [4], opprobrii, doloris, malorum, erroris [5], ac jugis periculi describunt [6]; queruntur se positos in medio inimicorum suorum, a quibus lacessuntur, injuste accusantur, in vinculis detinentur [7]; Dei manus, qua percussi, & humiliati fuerunt, justitiam fatentur [8]; denique aperte declarant, se extrema laborare miseria, ac jam jam deficere, promissionum Dei effectum præstolantes [9]; ac sæpius hanc tundunt incudem, & dicunt, tempus tandem adesse, quo sibi auxilium adferatur [10], quod improborum nequitia ad cumulum ascendit, ac Justorum patientia jam jam laborat, atque periculum est, ne superetur.

Profecto, quod conjectando consequi possum, psalmum hunc Babylone compositum fuisse reor, ut præ manibus puerorum versaretur, ne in illis Dei amor, ac Divinæ Legis studium, atque erga ritus, ac Religionem suam charitas defervesceret inter tot superstitiones, quas intuebantur, ac fabulas, quæ illis ea in regione venditabantur. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua* ℣. 85. Hoc autem in eorum gratiam ligata oratione expositum fuit, ut solatio illis esset, in exilio præclarum Canticum hoc recinentibus: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ* ℣. 54. Præmuniuntur illi adversus potentium virorum violentiam, atque crudelium, & insolentium dominorum tyrannidem. Centies aliter, atque aliter repetunt, Dominum sibi opem ferre debere, & hoc Prophetas spopondisse. Solicite etiam percontantur, quamdiu exilium suum permanebit: *Quot sunt dies servi tui; quando facies de persequentibus me judicium?* ℣. 84. Denique se adolescentes esse fatentur, atque unicam adolescentuli vitæ corrigendæ viam hanc esse, eam ad Divinæ Legis exemplar instituere [12], quam si fuerint secuti, sapientiores erunt præceptoribus suis, immo & senibus iisdem [13]; & licet adolescentes sint, atque in fœdissimo luctu, & squalore versentur, se tamen numquam mandatorum Dei sui esse oblituros [14]. Carmen hoc acrosticum est ad juvandam puerorum memoriam. Nos in Commentariis hypothesim hanc amplectemur.

In psalmi decursu plurima adsunt vestigia [15], quæ belle Danieli congruunt, & quæ conjecturam adstruere possent, illum hujus Auctorem fuisse. Exempli gratia: *sederunt Principes, & adversum me loquebantur, servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis*; & item; *& loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar*. Et ℣. 16. *Principes persecuti sunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum*. Alibi loquitur de sapientia, qua a Deo donatus fuit super præceptores suos, senes, & doctiores Babylonis ariolos [16]. Alibi meminit calumniarum, quas in illum commenti fuerant, & insidiarum, quæ sibi Babylone fuerant positæ ℣. 134. *Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua*; & ℣. 61. *Funes peccatorum circumplexi sunt me; & Legem tuam non sum oblitus*. Et ℣. 110. *Posuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erravi*. Amor, quem Auctor ubique testatur erga Domini Legem, & juge studium ejusdem, hic quoque character est, qui mirifice Danieli quadrat. Vide Dan. 9. 2. &c.

---

1 Hilar. Theodoret. 2 Kimchi, & Muis hic.
3 Muis, Moller. Ferrand. Bossuet. River. alii. 4 Vers. 77. 106. 124. 136. 159.
5 Vers. 132. 135. 6 Vers 176. 7 Vers. 109.
8 Vers. 61. & 110. 122. 154. 9 Vers. 67. 71. 75. 76.
10 Vers. 47. 50. 53. 81. 82. 123. 166. 170. 173. 11 Vers. 126. 84. 87. 92. &c.
12 Vers. 9. ... 130. 13 99. 100. 130. 14 Vers. 141.
15 Vide Vers. 46. 23. 36. 61. 69. 78. 99. 110 134. 161. 16 Psalm. 123. 99. 100. *Super omnes docentes me intellexi ...; & super senes intellexi ....*

ALEPH

1. ALEPH. Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini . 2 Beati ,
qui ſcrutantur teſtimonia ejus : in toto corde exquirunt eum . 3 Non e-
nim qui operantur iniquitatem , in viis ejus ambulaverunt . 4 Tu manda-
ſti mandata tua cuſtodiri nimis . 5 Utinam dirigantur viæ meæ , ad cuſtodiendas
juſtificationes tuas. 6 Tunc non confundar , cum perſpexero in omnibus mandatis
tuis . 7 Confitebor tibi in directione cordis : in eo , quod didici judicia juſtitiæ
tuæ . 8 Juſtificationes tuas cuſtodiam : non me derelinquas uſquequaque . 9 BETH.
In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam ? in cuſtodiendo ſermones tuos . 10 In
toto corde meo exquiſivi te : ne repellas me a mandatis tuis . 11 In corde meo
abſcondi eloquia tua : ut non peccem tibi . 12 Benedictus es , Domine : doce me
juſtificationes tuas . 13 In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui . 14 In
via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum , ſicut in omnibus divitiis . 15 In man-
datis tuis exercebor : & conſiderabo vias tuas . 16 In juſtificationibus tuis medi-
tabor ; non obliviſcar ſermones tuos. GHIMEL. 17 Retribue ſervo tuo , vivifica
me : & cuſtodiam ſermones tuos . 18 Revela oculos meos : & conſiderabo mira-
bilia de lege tua . 19 Incola ego ſum in terra : non abſcondas a me mandata
tua . 20 Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas , in omni tempore .
21 Increpaſti ſuperbos : maledicti , qui declinant a mandatis tuis . 22 Aufer a me
opprobrium , & contemptum : quia teſtimonia tua exquiſivi . 23 Etenim ſederunt
principes , & adverſum me loquebantur : ſervus autem tuus exercebatur in juſtifi-
tionibus tuis . 24 Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt : & conſilium meum
juſtificationes tuæ . DALETH. 25 Adhæſit pavimento anima mea : vivifica me ſe-
cundum verbum tuum . 26 Vias meas enuntiavi , & exaudiſti me : doce me ju-
ſtificationes tuas . 27 Viam juſtificationum tuarum inſtrue me : & exercebor in
mirabilibus tuis . 28 Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis .
29 Viam iniquitatis amove a me : & de lege tua miſerere mei . 30 Viam veritatis ele-
gi : judicia tua non ſum oblitus . 31 Adhæſi teſtimoniis tuis , Domine , noli me con-
fundere . 32 Viam mandatorum tuorum cucurri , cum dilataſti cor meum . HE .
33 Legem pone mihi , Domine , viam juſtificationum tuarum : & exquiram eam
ſemper . 34 Da mihi intellectum , & ſcrutabor legem tuam : & cuſtodiam illam in
toto corde meo . 35 Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum : quia ipſam vo-
lui . 36 Inclina cor meum in teſtimonia tua : & non in avaritiam . 37 Averte
oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me. 38 Statue ſervo tuo
eloquium tuum , in timore tuo . 39 Amputa opprobrium meum , quod ſuſpicatus
ſum : quia judicia tua jucunda . 40 Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua
vivifica me . VAU 41 Et veniat ſuper me miſericordia tua , Domine : ſalutare
tuum ſecundum eloquium tuum . 42 Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum :
quia ſperavi in ſermonibus tuis . 43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis
uſquequaque : quia in judiciis tuis ſuperſperavi . 44 Et cuſtodiam legem tuam
ſemper : in ſæculum , & in ſæculum ſæculi . 45 Et ambulabam in latitudine : quia
mandata tua exquiſivi . 46 Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum :
& non confundebar . 47 Et meditabar in mandatis tuis , quæ dilexi . 48 Et le-
vavi manus mea ad mandata tua , quæ dilexi , & exercebar in juſtificationibus
tuis . ZAIN. 49 Memor eſto verbi tui ſervo tuo , in quo mihi ſpem dediſti . 50
Hæc me conſolata eſt in humilitate mea : quia eloquium tuum vivificavit me . 51
Superbi inique agebant uſquequaque : a lege autem tua non declinavi . 52 Me-
mor fui judiciorum tuorum a ſæculo Domine : & conſolatus ſum . 53 Defectio te-
nuit me , pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam . 54 Cantabiles mihi e-
rant juſtificationes tuæ , in loco peregrinationis meæ . 55 Memor fui nocte nomi-
nis tui , Domine ; & cuſtodivi legem tuam . 56 Hæc facta eſt mihi : quia juſtifi-
cationes tuas exquiſivi . HETH. 57 Portio mea , Domine , dixi , cuſtodire legem
tuam . 58 Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo : miſerere mei ſecun-
dum eloquium tuum . 59 Cogitavi vias meas : & converti pedes meos in teſti-
monia tua . 60 Paratus ſum ; & non ſum turbatus : ut cuſtodiam mandata tua .
61 Funes peccatorum circumplexi ſunt me : & legem tuam non ſum oblitus . 62
Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi , ſuper judicia juſtificationis tuæ . 63
Parti-

Particeps ego sum omnium timentium te: & custodientium mandata tua. 64 Mi-
sericordia tua, Domine, plena est terra, justificationes tuas doce me. TETH.
65 Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum. 66 Bo-
nitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi. 67
Priusquam humiliarer, ego deliqui: propterea eloquium tuum custodivi. 68 Bo-
nus es tu: & in bonitate tua doce me justificationes tuas. 69 Multiplicata est
super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata
tua. 70 Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus
sum. 71 Bonum mihi quia humiliasti me: ut discam justificationes tuas. 72
Bonum mihi lex oris tui, super millia auri, & argenti. JOD. 73 Manus tuæ
fecerunt me, & plasmaverunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.
74 Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua supersperavi.
75 Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua: & in veritate tua humiliasti
me. 76 Fiat misericordia tua, ut consoletur me: secundum eloquium tuum ser-
vo tuo. 77 Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam: quia lex tua meditatio
mea est. 78 Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me: e-
go autem exercebor in mandatis tuis. 79 Convertantur mihi timentes te: & qui
noverunt testimonia tua. 80 Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis,
ut non confundar. CAPH. 81 Defecit in salutare tuum anima mea: & in ver-
bum tuum supersperavi. 82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes:
Quando consolaberis me? 83 Quia factus sum sicut uter in pruina: justificatio-
nes tuas non sum oblitus. 84 Quot sunt dies servi tui: quando facies de per-
sequentibus me judicium? 85 Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex
tua: 86 Omnia mandata tua, veritas: inique persecuti sunt me, adjuva me. 87
Paulo minus consummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.
88 Secundum misericordiam tuam vivifica me: & custodiam testimonia oris tui.
LAMED. 89 In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo. 90 In ge-
nerationem, & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet. 91 Or-
dinatione tua perseverat dies: quoniam omnia serviunt tibi. 92 Nisi quod lex tua
meditatio mea est: tunc forte periissem in humilitate mea. 93 In æternum non
obliviscar justificationes tuas: quia in ipsis vivificasti me. 94 Tuus sum ego, sal-
vum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi. 95 Me expectaverunt pecca-
tores, ut perderent me: testimonia tua intellexi. 96 Omnis consummationis vi-
di finem: latum mandatum tuum nimis. MEM. 97 Quomodo dilexi legem tuam,
Domine? tota die meditatio mea est. 98 Super inimicos meos prudentem me fe-
cisti mandato tuo: quia in æternum mihi est. 99 Super omnes docentes me in-
tellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. 100 Super senes intellexi: quia
mandata tua quæsivi. 101 Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut custodiam
verba tua. 102 A judiciis tuis non declinavi: quia tu legem posuisti mihi.
103 Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! 104 A manda-
tis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis. NUN. 105 Lucer-
na pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. 106 Juravi, & statui custodire
judicia justitiæ tuæ. 107 Humiliatus sum usquequaque, Domine: vivifica me se-
cundum verbum tuum. 108 Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine: & ju-
dicia tua doce me. 109 Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam non
sum oblitus. 110 Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non
erravi. 111 Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei
sunt. 112 Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter
retributionem. SAMECH. 113 Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi. 114 Ad-
jutor, & susceptor meus es tu: & in verbum tuum supersperavi. 115 Declinate a
me maligni: & scrutabor mandata Dei mei. 116 Suscipe me secundum eloquium tuum,
& vivam: & non confundas me ab expectatione mea. 117 Adjuva me, & salvus ero:
& meditabor in justificationibus tuis semper. 118 Sprevisti omnes discedentes a ju-
diciis tuis: quia injusta cogitatio eorum. 119 Prævaricantes reputavi omnes peccato-
res terræ: ideo dilexi testimonia tua. 120 Confige timore tuo carnes meas: a judi-
ciis enim tuis timui. AIN. 121 Feci judicium, & justitiam: non tradas me calumnianti-
bus

bus me. 122 Suscipe servum tuum in bonum: non calumnientur me superbi. 123 Ocu-
li mei defecerunt in salutare tuum: & in eloquium justitiæ tuæ. 124 Fac cum servo tuó
secundum misericordiam tuam: & justificationes tuas doce me. 125 Servus tuus sum ego:
da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. 126 Tempus faciendi, Domine: dissipave-
runt legem tuam. 127 Ideo dilexi mandata tua, super aurum, & topazion. 128 Pro-
pterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui. PHE. 129
Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea. 130 Declaratio sermonum tuo-
rum illuminat: & intellectum dat parvulis. 131 Os meum aperui, & attraxi spiri-
tum: quia mandata tua desiderabam. 132 Aspice in me, & miserere mei, secun-
dum judicium diligentium nomen tuum. 133 Gressus meos dirige secundum eloquium
tuum: & non dominetur mei omnis injustitia. 134 Redime me a calumniis homi-
num: ut custodiam mandata tua. 135 Faciem tuam illumina super servum tuum:
& doce me justificationes tuas. 136 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia
non custodierunt legem tuam. SADE. 137 Justus es, Domine: & rectum judi-
cium tuum. 138 Mandasti justitiam testimonia tua: & veritatem tuam nimis. 139
Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei. 140 Igni-
tum eloquium tuum vehementer: & servus tuus dilexit illud. 141 Adolescentulus
sum ego, & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus. 142 Justitia tua,
justitia in æternum: & lex tua veritas. 143 Tribulatio, & angustia invenerunt me:
mandata tua meditatio mea est. 144 Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum
da mihi, & vivam. COPH. 145 Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domi-
ne: justificationes tuas requiram. 146 Clamavi ad te, salvum me fac: ut custo-
diam mandata tua. 147 Præveni in maturitate, & clamavi: quia in verba tua super-
speravi. 148 Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.
149 Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine: & secundum judi-
cium tuum vivifica me. 150 Appropinquaverunt persequentes me iniquitati: a le-
ge autem tua longe facti sunt. 151 Prope es tu, Domine: & omnes viæ tuæ veri-
tas. 152 Initio cognovi de testimoniis tuis: quia in æternum fundasti ea. RES.
153 Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus. 154
Judica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me: 155
Longe a peccatoribus salus: quia justificationes tuas non exquisierunt. 156 Miseri-
cordiæ tuæ multæ, Domine: secundum judicium tuum vivifica me. 157 Multi, qui
persequuntur me, & tribulant me: a testimoniis tuis non declinavi. 158 Vidi præ-
varicantes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt. 159 Vide, quoniam
mandata tua dilexi, Domine: in misericordia tua vivifica me. 160 Principium ver-
borum tuorum, veritas: in æternum omnia judicia justitiæ tuæ. SIN. 161 Princi-
pes persecuti sunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum. 162 Lætabor ego
super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa. 163 Iniquitatem odio habui, &
abominatus sum; legem autem tuam dilexi. 164 Septies in die laudem dixi tibi, su-
per judicia justitiæ tuæ. 165 Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis
scandalum. 166 Expectabam salutare tuum, Domine: & mandata tua dilexi.
167 Custodivit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer. 168 Servavi
mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. TAU. 169
Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine: juxta eloquium tuum da
mihi intellectum. 170 Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundum eloquium
tuum eripe me. 171 Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificatio-
nes tuas. 172 Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua
æquitas. 173 Fiat manus tua, ut salvet me: quoniam mandata tua elegi. 174
Concupivi salutare tuum, Domine: & lex tua meditatio mea est. 175 Vivet ani-
ma mea, & laudabit te: & judicia tua adjuvabunt me. 176 Erravi sicut ovis, quæ
periit; quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

℣. 1. BEATI IMMACULATI IN VIA; QUI AMBULANT IN LEGE DOMINI.] Beati, qui sine macula viam suam custodiunt. Vel[1]: *quorum vita irreprehensibilis est*, integerrima, ac innocens, & qui ambulant in lege Domini. Via isthic vitam, vivendique rationem significat, vel uti vult S. Augustinus, Dei legem, ac viam virtutis, vel uti aliis Patribus lubet[2], ipsum J. C. qui Joann. 14. 6.

1 אשרי תמימי דרך ההלכים בתורת יהוה

2 Vide Hilar. Ambr. Hieron.

14. 6. se viam; veritatem, ac vitam profitetur. Non
A
sine profundæ Sapientiæ consilio Psalmista Canticum suum orditur, illis beatitudinem promittens, qui Domini Leges observant. Omnes felices esse cupiunt. Hæc summa votorum omnibus est, seu bonis, seu nequam: *Beatum esse tam magnum est bonum, ut hoc, & mali velint, & boni*, ait S. Augustinus: *Nec mirum est, quod boni propterea sint boni, sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sint mali, ut sint beati*; & cum omnes beatitudinem maxime cupiant, pauci tamen iis insistant viis, quibus eamdem consequi possint. *Hoc autem pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud, quod omnes volunt*. Ut quis beatus fit, non sufficit illi, Dei Legem cognoscere, verum illam amare debet, eamque ita observare, ut sit irreprehensibilis. *Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini*.

℣. 2. BEATI, QUI SCRUTANTUR TESTIMONIA EJUS; IN TOTO CORDE EXQUIRUNT EUM.] Ille serium, & quoad fieri potest, accuratum studium efflagitat. Huic studio Domini amorem, & præceptorum ejus exercitationem conjungit. Necquiquam Divinæ Legi studes, si ideo studes, ut tuæ satisfacias vanitati, vel curiositati. Beatitudo tibi nequaquam promissa est, sed illis, qui in toto corde suo Dominum quærunt, & quorum viæ sunt irreprehensibiles [1]: *Quam pretiosum etiam præcepti ipsius scire mysterium!* ait S. Ambrosius: Sed væ illis, qui bona videt, probatque, sequitur deteriora: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*; Jacob. 4. 17. Hebræus [2]: *Beati, qui custodiunt testimonia ejus; & toto corde exquirent ea*.

℣. 3. NON ENIM QUI OPERANTUR INIQUITATEM, IN VIIS EJUS AMBULAVERUNT.] Qui flagitiose vivit, non speret, se ex eo Beatorum esse numero, de quibus modo locuti sumus. Nullam concipere spem potest ad felicitatem perveniendi, nisi a via pessima, per quam graditur, recesserit. Non adeo tamen dicendum, justum non esse, qui in aliquot errores dilabitur. Alia enim scelera occidunt animam, alia eam dumtaxat infirmant. Postrema hæc nequaquam repugnant cum statu justi. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, ait S. Johannes Apostolus in 1. ep. 1. 8. Potest justus de sua justitia decidere, & in peccatum labi; sed per pœnitentiam si emerserit, iterum in viis Domini ambulabit, atque ad mortem usque in iis perseverare poterit.

Hebræus [3]: *Qui ambulant in viis ejus, non operabuntur iniquitatem*. Vel: *Multo minus operabuntur iniquitatem, si in viis ejus ambulaverint*; Si pro virili imitati fuerint Patrem Cœlestem, ejusque vestigia secuti fuerint, justitiam, misericordiam, & veritatem exercentes. Vide Muisium hic.

℣. 4. TU MANDASTI MANDATA TUA CUSTODIRI NIMIS.] Deus vult sibi obtemperari cum zelo, alacritate, attentione. *Non tepido corde, nec dissoluto animo; sed fortiter, & attente sua mandata edocet nos custodire*, ait S. Hieronymus. Vult, nos ea fideliter tamquam pretiosum depositum custodire in penitioribus cordis nostri latebris, ut inde per exercitationem in nostras actiones migrent.

℣. 5. UTINAM DIRIGANTUR VIÆ MEÆ AD CUSTODIENDAS JUSTIFICATIONES TUAS.] Sine ope tua, Deus, ne gressum quidem proferre valeo in via præceptorum tuorum; in te uno posita est spes fortitudinis meæ [4]: *Ad quorum custodiam nisi a Deo dirigamur, infirmus est per naturam nostram animus*, ait S. Hilarius. Hebræus [5]: *Utinam confirmentur viæ meæ ad custodienda mandata tua*.

℣. 6. TUNC NON CONFUNDAR, CUM PERSPEXERO IN OMNIBUS MANDATIS TUIS [6].] In terribili judi-
A
cio, rubore minime suffundar, si ad unguem ita mandata tua custodiero, ut ne in uno quidem deficiam. Quid enim mihi proderit, unum, vel alterum observasse, nisi universa perficiam? *Nam si quis unum mandatum custodiat, & aliud prævaricetur, nihil ei prodest*; ait S. Ambrosius; quam eamdem sententiam S. S. Hilarius, & Hieronymus sequuntur. Generatim in toto hoc psalmo, videntur illi ex eodem fonte, hoc est, ex Origene omnia hausisse. Hebræus in hoc sensu potest intelligi: Me non frustrabitur expectatio mea; si fideliter mandata tua adimplevero, fidelitas mea fons erit meæ felicitatis.

℣. 7. CONFITEBOR TIBI IN DIRECTIONE CORDIS, IN EO, QUOD DIDICI JUDICIA JUSTITIÆ TUÆ.] Laudabo te in rectitudine cordis, eo quod cognovi judicia tua.
B
Vel potius cum Hebraico textu [7]: *annunciabo laudes tuas in rectitudine cordis mei, cum edoctus fuero æquitatem judiciorum tuorum*. Ex tuæ Legis studio, ac judiciorum tuorum meditatione discam, te, uti par est, laudibus celebrare. Vel: Te, ut æquum est, tunc laudabo, cum accurate, ac fideliter cognovero, & adimplevero leges tuas [8]: *Non enim speciosa laus in ore peccatoris* Eccli. 15. 9.

℣. 8. NON ME DERELINQUAS USQUEQUAQUE.] *Ne usque ad animæ, & Fidei periculum derelinquas*, ait S. Hilarius. Timet ille tentationem; sed nisi illi resistatur, multo magis tristes tentationis effectus timet [9]. *Si enim dereliquisti*, ait S. Augustinus, *ut sine adjutorio tuo infirmus appaream; noli usque valde, ne peream*. Hic legit, *Usque valde*; & S. Hilarius: *Usquequaque nimie*, hic, & ℣. ℣. 43. 51. & 107.
C

℣. 9. IN QUO CORRIGIT ADOLESCENTIOR [10] VIAM SUAM: IN CUSTODIENDO SERMONES TUOS.] Adolescentulus, mei similis, qui vitæ suæ rationem instituere, ac laudabiliter vitam suam traducere quærit, numquid meliori inniti consilio potest, quam si Legum tuarum exercitationi adhæserit? Hebr. [11] *Quomodonam adolescens vitam suam puram, ac innocentem efficiet? Hoc sane, verba tua custodiendo*. Symmachus [12]: *Quomodonam adolescens viam suam illustrem*, & gloriosam *reddet*? S. Hilarius ait: *Optimus ille fuerit cultor, quem non modo delictorum remissio sine crimine constituerit, sed ipsa illa præstiterit vitiorum ignoratio innocentem*.

℣. 10. NE REPELLAS ME.] Hebr. [13] *Ne sinas me errare a via mandatorum tuorum*. Ne patiaris, me ab ea
D
recedere, ac eam sectari volentem, errare. Deus *neminem nisi obnitentem repellit, neminem nisi negligentem rejicit*. Vide S. S. Hilarium, & Ambrosium hic.

℣. 11. IN CORDE MEO ABSCONDI ELOQUIA TUA; UT NON PECCEM TIBI.] Ea in corde, ac memoria mea insculpsi, ne umquam in conspectu meo non sint, ac ne te scelere lædam. Qui aliquid valde pretiosum possident, illud clausum tenent, & summa cura custodiunt. Cœlestium veritatum cognitio est amplissimus thesaurus, quem homo queat possidere; illum summa solicitudine, atque diligentia tueri debet adversus vanitatem, superbiam, fallacemque sui spiritus scientiam. S. S. Hilarius, & Augustinus fusius hic verba faciunt de Veterum solertia, qua Religionis mysteria servabant abscondita, *quæ divulgata inexpiabilis peccati*
E
culpam comparabant, ait S. Hilarius.

℣. 12. DOCE ME JUSTIFICATIONES TUAS.] Vel simpliciter Leges tuas, quæ plenæ adeo sunt æquitatis: Nosti, me tenebris esse involutum: esto magister meus, fideliter audiam te, & mandata tua exercebo. Auctor se veluti discipulum ad pedes Domini considerat.

℣. 13. IN LABIIS MEIS PRONUNTIAVI.] Hebr. [14] *ennarravi ea*, ea prædicavi in medio populi hujus impii, & increduli; non erubui, tuas veritates enuntians. ℣.

1 Vide August. hic. 2 אשרי נצרי עדותיו בכל לב ידרשוהו
3 אף לא פעלו עולה בדרכיו הלכו 4 Vide Hieronym. Aug. Hilar. Ambros.
5 אחלי יכנו דרכי לשמר חקיך 6 Aug. legit: *Dum inspicio ad omnia mandata*. S. Hilarius: *Cum respicio ad omnia*. Ambros. *Cum perspiciam in omnia*, &c. 7 אודך בישר לבב בלמדי משפטי צדקך
8 Theodoret. 9 Ambros. Hilar. Theodoret. Hieronym. *Si ad tempus relinquimur, non tamen usquequaque relinquamur, ne peccemus*. 10 Ambros. Psalter. Rom. Carnut. S. Germ. *junior*.
11 במה יזכה נער את ארחו לשמר כדברך 12 Sym. *Ἐν τίνι λαμπρυνεῖ νεώτερος τὴν ὁδὸν αὐτοῦ*.
13 אל תשגני ממצותיך 14 בשפתי ספרתי כל משפטי פיך

11. ait, se illa in corde suo asservasse; hic vero se ea ore pronuntiare, ac de iisdem audacter loqui.

℣. 14. SICUT IN OMNIBUS DIVITIIS.] Alii divitias sibi, ac insigne in mundo nomen comparent; studendi, & agnoscendi leges tuas voluptatem, omnibus opibus, cunctæque sæculi gloriæ antefero. Talis discipulus uberrimum sane studiorum suorum fructum percipiet. Confer Psal. 18. ℣. 9. 11.

℣. 15. IN MANDATIS TUIS EXERCEBOR [1].] Hebr. vertitur [2]: *Meditabor*, vel *studebo*, vel *cum voluptate in præcepta tua incumbam*. Continenti studio ea ediscam, & meditabor. Persequitur discipuli accurati, ac diligentis similitudinem. ℣. sequenti addit futurum, ut illis studeat, nec umquam obliviscatur eorum.

℣. 17. RETRIBUE SERVO TUO, VIVIFICA ME [3]: & CUSTODIAM SERMONES TUOS.] Laborem, ac diligentiam meam vides, Domine; considera, quanta fide studio tuæ legis inhæream; ne permittas in irritum cedere labores meos, neque me in captivitate hac, veluti in statu mortis, ac in tumulo delitescere; redde mihi libertatem, ac vitam, observabo omnia mandata tua; quomodo enim in terra hac, impietate, atque superstitionibus affluenti observari possunt? Patres [4] per ea verba *vivifica me*, vitam æternam intelligunt. Redde mihi, Domine, laborum meorum pretium, fac me illa frui beatitudine, quam amicis tuis promisisti. Hæc est oratio Sanctorum, ac perfectorum. Hebr. [5] *Redde servo tuo mercedem illius; vivam, & custodiam sermones tuos*. Vel potius: *Ulciscere servum tuum; vitam mihi redde*, educ me ex hoc servitutis squalore: quem arbitror genuinum esse hujus loci sensum. Vide psalmum 137. 9. *Dominus retribuet pro me; Domine, misericordia tua in sæculum* &c. Et psal. 12. 6. juxta hebraicum textum: *Cantabo Domino, qui retribuit super me*. Qui ultus est me de inimicis meis. Vide quoque psal. 141. 8.

℣. 18. REVELA [6] OCULOS MEOS.] Aufer velum, quod est super oculos meos, & agnoscam mirabilia Legis tuæ; nam sine te, Deus, in tenebris versor. Lex tua nimis sublimis est, ac nimis ampla, quam ut eam per me intelligere valeam.

℣. 19. INCOLA SUM IN TERRA.] Babylone tamquam in exilio permaneo, neque ullam lætitiam, vel gaudium, nisi in præceptorum tuorum meditatione reperio. Ne deneges ergo mihi eorumdem cognitionem. Omnes homines in hoc mundo sunt, tamquam in terra aliena. Patria eorum cœlum est. Illuc cogitationes, ac vota sua debent erigere; non enim eo nisi per Divinæ legis observantiam pervenient.

℣. 20. CONCUPIVIT ANIMA MEA DESIDERARE JUSTIFICATIONES TUAS.] Mandata tua diligo, & opto; sed hæc votorum meorum summa, ut in dies amor, & zelus meus augeantur. Cætera molestiam mihi afferant, sed in me legum tuarum auge cognitionem, atque æstimationem. Illæ indesinenter versentur in mente, & corde meo. Hebr. [7] *Anima mea languet*, vel *deficit*, contrita quodammodo est, ac prostrata: *desiderio legum tuarum*; illis adeo intenta est, ut nihil reliquum curet.

℣. 21. INCREPASTI SUPERBOS. MALEDICTI, QUI DECLINANT A MANDATIS TUIS.] Minas intentasti Babyloniis, superbis illis nationum dominis; per prophetas tuos imminens illis excidium portendisti. In Psalterio, ac in Prophetis, Babylonii sæpe *superborum* nomine designantur [8]. Non carebunt effectu suo minæ, ac nos eorum interitus testes erimus. Væ Judæis apostatis, ac infidelibus, qui quin constanter Legum tuarum adhæreant observantiæ, eas deserunt, ut post inimicorum tuorum abominationes abeant.

℣. 22. AUFER A ME OPPROBRIUM, & CONTEMPTUM.] Educ me de captivitatis hujus vinculis, ne in aliquem errorem impingam adversus Legem tuam. Babylonios sæpe superborum nomine designat. Neque alio eos nomine auder nuncupare, quod inter illos, immo & Babylone ipsa vivebat.

℣. 23. ETENIM SEDERUNT PRINCIPES, & ADVERSUM ME LOQUEBANTUR; SERVUS AUTEM TUUS EXERCEBATUR IN JUSTIFICATIONIBUS TUIS.] Quin ullus mihi timor incederet, vidi Principes, & Regni Optimates insurgere in me, & inire consilium, quomodo me perderent; verum hoc minimum obfuit, quominus Legem tuam meditaret. Hoc mirum in modum convenit Danieli, ac sociis ejus, quos Principum Babylonis conjuratio, ac invidia deterrere non potuerunt, ne, quem debebant, Deo cultum præstarent [9]. Hoc ipsum, at pro ratione, credi potest de aliis Justis, qui in captivitate versabantur, quorum vita, & conditio minori obnoxiæ erant invidiæ, quam Daniel ad præcipuas imperii dignitates evectus.

℣. 24. ETENIM TESTIMONIA TUA MEDITATIO MEA EST [10]; & CONSILIUM MEUM JUSTIFICATIONES TUÆ [11].] Hebræus [12]: *Mandata tua sunt delectatio mea, & homines consilii mei*. Operæ pretium est semel pro semper animadvertere, in hebraico textu plerumque usurpari *delectatio*, & *delectari*, pro *meditari*, & *meditatio*. Dum Principes convenerant, atque interitum meum deliberabant, ℣. 23. eram in medio præceptorum tuorum, tamquam medius inter mihi amicissimos, qui me consolarentur, mihique egregia consilia tribuerent. Optimi inter omnes Consiliarios sunt mortui, sapiens quidam Princeps ajebat; hi enim neque adulari norunt, neque veritatem fuco illinire: at iis addere potuisset Domini Leges, quæ nobis, quid faciendum, vitandumve sit, ostendunt, atque cum auctoritate præcipientes omnem mentis tollunt ambiguitatem.

℣. 25. ADHÆSIT PAVIMENTO ANIMA MEA. VIVIFICA ME SECUNDUM VERBUM TUUM.] Ego sum tamquam homo ad sepulchrum redactus, prostratus humi, in pulvere jacens. Hæc omnia designant captivitatem, ac ea mala, quæ ab illa proficiscuntur. *Vivifica me*, me in libertatem vindica, in patriam meam revoca juxta ea, quæ mihi pollicitus es: *secundum verbum tuum*, quemadmodum toties, ac aperte adeo per Prophetas promisisti. Hebræus ad litteram [13]: *conglutinatus sum pulveri; resuscita me secundum verbum tuum*. Psalm. 21. 16. ait Propheta: *in pulverem mortis deduxisti me*; & Psal. 43. 25. *humiliata est in pulvere anima mea; conglutinatus est in terra venter meus*.

S. S. Hilarius, Ambrosius, & Hieronymus hoc explicant de animæ unione cum corpore, spiritus cum materia. Conqueritur anima propter sordes, quibus hac conjunctione fœdatur; & dolet propter concupiscentiam, qua ad peccatum prona rapitur. S. Augustinus ait, Dominum isthic a Psalmista rogari, ut animam illius a terrenis affectibus, & hoc pondere, quo anima fertur in malum, avellat. Cupiditatis extinctionem, charitatis vero postulat incrementum.

℣. 26. VIAS MEAS ENUNTIAVI, & EXAUDISTI ME.] Vel potius [14], *& exaudies me*. Nuper tibi ennarravi, quemadmodum factus sum similis homini ad sepulchrum redacto; meam tibi ob oculos calamitatem pono; tibi ostendo, quid mihi opus sit, & quo in statu sim constitutus; exaudi me, & doce me Leges tuas. In uno te spem omnem colloco; cor meum coram te effundo. Patres [15] id intelligunt de peccatorum confessione. Declaravi tibi peccata mea, tu vero mihi pepercisti.

VIAM

---

1 Aug. *Garriam*. Psalt. Rom. Mediol. *Meditabar*. 70. Ἀδολεσχήσω.
2 בפקודיך אשיחה 3 Aug. Hilar. Psalter. Rom. Sancti Germ. Carnut. *Vivam, & custodiam* . . . . . Ambr. Psalter. Mediol. *Ut vivam, & custodiam*. 4 Hilar. Ambr. Theod.
5 גמל על עבדך אחיה ואשמרה דברך
6 Ambros. *Adaperi* 7 גרסה נפשי לתאבה אל משפטיך בכל עת Aqu. 5. & 6. Edit. Ἐπεπόθησε. *Desideravit*. Symmach. Τελέια ἦν. *Perfecta erat*, vel *deficiebat*. 8 Vide Psalm. 93. 2. 118. 51. 66. 78. 122. 4. Jerem. 50. 31. 32. 9 Dan. 6. 5. *Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui*. 10 Psalt. Rom. S. Germ. Carnut. *Consolatio mea justificationes tuæ*.
11 70. Ambros. Hilar. *Concilia mea justificationes tuæ*. Αἱ συμβουλίαι μου τὰ δικαιώματά σου.
12 גם עדתיך שעשעי אנשי עצתי 13 דבקה לעפר נפשי חיני כדברך
14 דרכי ספרתי ותענני 15 Hilar. Ambros. Aug. Hieron. Theodoret.

℣. 27. VIAM JUSTIFICATIONUM TUARUM INSTRUE ME [1].] Fac, agnoscam vias, & consilia providentiæ tuæ; ea jugiter meditabor. Vel, deduc me in vias mandatorum tuorum, ne ab illis secedam.

℣. 28. DORMITAVIT ANIMA MEA PRÆ TÆDIO.] In exilio meo, Deus, anima fuit tamquam lethali somno sopita. Tædium, ac tristitia potita sunt spiritus mei; extremo languore conficior. Me verbis tuis confirma; nullum nisi in Lege tua solatium me spero inventurum. Hebræus [2]: *Liquefacta est anima mea præ tristitia, & dolore*. Liquefacta est tamquam cera; vel in lacrymas dissoluta est. Languet, deficit. Vide Psalm. 21. 15. 57. 9. 67. 3. Josue 7. 5 Cant. 5. 6. &c. Septuaginta [3]: *Anima mea præ tædio dormitavit*; uti est in Vulgata. Origenes [4] credebat, in Textu mendum esse; & pro *Ennstaxen*, dormitavit, legendum *Estaxen*, liquefacta est; qua in re Origenem S. Ambrosius secutus est; ratus, vulgatam lectionem Septuaginta Librariorum incuria mendosam esse, ac legendum: *Liquefacta est*. Aquila, Symmachus, & Editio quinta [5] in sensu eodem hebraicum textum intellexerunt, quorum sententiæ omnes ferme Interpretes Recentiores adhærent.

B

S. Hilarius eam præfert versionem, quæ habet, *dormitavit*; & putat, citra periculum Textum Septuaginta derelinqui non posse. Arabs, Æthiops, & antiqua Psalteria legunt, *dormitavit*. S. Germani Psalterium, *ingemuit*. Apollinaris [6]; prope fuit, ut caderem tamquam vir somno sopitus. Chaldæus [7]: *in agone fuit*. Somnus in Scripturis de morte sæpe intelligitur.

℣. 29. VIAM INIQUITATIS AMOVE A ME: & DE LEGE TUA [8] MISERERE MEI.] Ne permittas, me sequi viam iniquitatis; ne amoveas me umquam a via tua. Aliter: Averte a me ea mala, quæ iniquitatibus nostris meriti sumus; educ nos de hoc exilio, in quo propter scelera nostra ingemiscimus. Confer Psalm. 106. 17. *Suscepit eos de via iniquitatis ipsorum; propter injustitias enim suas humiliati sunt*. Patres [9] per hanc *iniquitatis viam* intelligunt originale peccatum, vel concupiscentiam ab eo profectam. Hebr. [10] *Amove a me viam mendacii, & concede mihi Legem tuam*. Opponie viam mendacii *viæ veritatis*, de qua sequenti versiculo loquitur: *Viam veritatis elegi*. Ne permittas, Domine, me umquam a fide deficere, mendacium sectari, & Babyloniorum vanitatem, fraudesque imitari.

C

℣. 30. VIAM VERITATIS ELEGI; JUDICIA TUA NON SUM OBLITUS.] Probitatem, sinceritatem, rectitudinem, bonamque fidem profiteor. Hebræus [11]: *Viam veritatis*, vel bonæ fidei *elegi*, *mihi tuajudisia proposui*; ea semper mihi ob oculos versantur; illa sunt meæ vitæ norma.

D

℣. 31. NOLI ME CONFUNDERE.] Ne permittas, in irritum cedere spem meam: Ne derelinquas me in statu hoc adeo tristi, & calamitoso.

℣. 32. CUCURRI, CUM DILATASTI COR MEUM.] Per amorem, & gratiam tuam. *Cordis dilatatio, justitiæ est delectatio*, inquit S. Augustinus. Hoc peculiare Dei est beneficium, ut in virtutis viam curramus, non supplicii metu, sed justitiæ amore, & ea adacti voluptate, quam juste operantes percipimus: *Hoc munus est Dei, ut in præceptis ejus, non timore pœnæ angustiemur; sed dilectione, & delectatione justitiæ dilatemur*. In Scripturis *cordis* dilatatio mentis nonnumquam vastam capacitatem significat. Scriptum est 3. Reg. 4.

E

A

29. Dominum Salomoni dedisse cordis dilatationem, arenæ maris persimilem. Locus hic in eodem sensu potest explicari. Cucurri in viam mandatorum tuorum, cum mihi tribuisti intellectum, & eam mentis extensionem, qua eorum magnitudinem, ac profunditatem capere possem. Verum prior sensus melior est.

℣. 33. LEGEM PONE MIHI, DOMINE, VIAM JUSTIFICATIONUM TUARUM.] Dirige gressus meos, viam meam ostende, deduc me veluti militem, cujus omnia itinera notata sunt, ut ad Jesum Christum, qui finis est mei itineris, perveniam. Sensum hunc S. S. Hilarius, & Ambrosius proponunt. Sanctus vero Augustinus: Legem pone mihi, Domine; non Legem severitatis, ac timoris in lapideis tabulis inscriptam; sed legem amoris insculptam in cordibus nostris. *Nam qui timore pœnæ, non amore justitiæ, opus Legis facit, profecto invitus facit*.

Hebr. [12] *Ostende mihi, Domine, viam mandatorum tuorum, & custodiam eam semper*; vel ad finem usque, vel perfecte [13] custodiam; vel *eam per vestigium sequar* [14]; vel denique eam observabo propter remunerationem, quæ cum illa cohæret [15]. Tot modis vertitur [16] hebraica vox *Hekeb*, quam Septuaginta, & Vulgata *semper* isthic reddidere. Mihi potius ea arridet versio, quæ habet: *Custodiam illam*, & sequar eam *per vestigium*, ad ejus lucernam omnes gressus meos dirigam; ne unum quidem gradum ab ea recedam.

℣. 36. INCLINA COR MEUM IN TESTIMONIA TUA; & NON IN AVARITIAM.] Veteres complures legunt: *Et non in utilitatem*. Hebraica vox *Baza* [17] quodvis illiciti lucri genus significat. Chaldæus vertit *mammonam*. Ne permittas, divitiarum amore me divelli ab amore tuo, & a studio Legis tuæ. *Radix omnium malorum cupiditas* 1. Timot. 6. 10.

℣. 37. AVERTE OCULOS MEOS, NE VIDEANT VANITATEM.] In medio scelestæ, ac perversæ hujus nationis, ubi plurima sunt perniciosa idololatriæ, ac flagitiorum exempla, averte oculos meos a nequissimis his objectis, ne in sensus meos, ac mox in cor, pravum aliquod desiderium obrepat. Idola sæpe *vanitas* appellantur. Fortuna, opes, felicitas Babyloniorum me non seducant, neque efficiant, ut illis similem fieri concupiscam. Vide psalmum 36. ℣. 1. 7. 8. S. S. Hilarius, & Ambrosius pro *vanitate* isthic intelligunt spectacula, & prophanos mundi conventus. Hebræus verti potest [18]: *Averte oculos meos, ne videant mendacium*, vel *inanem gloriam*. Ne inani fluxæ felicitatis fulgore falliantur.

℣. 38. STATUE SERVO TUO ELOQUIUM TUUM, IN TIMORE TUO.] Illi incute judiciorum tuorum timorem, ac alte insculpe verbum tuum in corde illius. Vel cum hebraico textu [19]: *Præsta fidem servo tuo in timore tuo*; vel ut repleatur timore tuo. Vel adimple ea, quæ illi pollicitus es, ac illum reple timore tuo.

℣. 39. AMPUTA [20] OPPROBRIUM MEUM, QUOD SUSPICATUS SUM.] Amove a me opprobrium, quod tantum mihi semper attulit acerbitatis. Celeriter educ me de loco hoc, ubi flagitiosissimis Babyloniorum probris obnoxius sum. Insolenter quærunt ex me: Ubi est Deus tuus? Meæ insultant calamitati, ac irrident, eo quod tuis Legibus adhæreo. Quousque hæc patiemur convicia? Hebræus [21]: *Averto a me opprobrium, quod vereor*. S. S. Ambrosius, & Hilarius verba hæc pro-

1 Aug. Ambr. Psalt. Rom. *Insinua mihi*. Hilar. & Psalt. Mediol. *Fac, ut intelligam*.
2 דלפה נפשי מתוגה קימני כדברך 3 Ἐνύσταξεν ἡ ψυχή μου ἀπὸ ἀκηδίας.
4 Origen. apud Heraclæot. in Catena. 5 Sym. & Aqu. *Distillavit*. 5. Edit. *Stillavit*. Apud Heraclæot.
6 Apoll. Ἥμυσε. 7 עגמת נפשי 8 Hilar. Ambrof. Aug. *Et a lege tua miserere mei*. 70. Καὶ τῷ νόμῳ σου ἐλέησόν με. 9 Hilar. Ambrof. Hieronym.
10 דרך שקר הסר ממני ותורתך חנני Aqu. *Viam mendacii*. Sym. *Viam mendacem*, apud Didym. & Heracl.
11 דרך אמונה בחרתי משפטיך שויתי 12 הורני יהוה דרך חקיך ואצרנה עקב Aqu. Theod. Φώτισον. *Illumina*. Sym. Ἀπόδειξον. *Ostende*. 13 Chald. עד גמירא *Ad complementum*.
14 Hieron. hic: *Custodiam eam per vestigium*. 15 Psalm. 18. 12. *Retributio multa*. עקב רב Et infra vers. 112. לעולם עקב *In æternum, propter retributionem*. 16 Ita plures apud Ambr. & August. Hilar. & Psalt. S. Germ. & Carnut. 70. Καὶ μὴ εἰς πλεονεξίαν. 17 ואל אל בצע,
18 העבר עיני מראות שוא 19 הקם לעבדך אמרתך אשר ליראתך
20 Hilar. *Circumcide*. Ambr. *Aufer*. 21 העבר חרפתי אשר יגרתי Aqu. & Theod. Ὑπεστάλην *Formidavi* Symmach. Ὃν εὐλαβοῦμαι. *Quem revereor*.

probrium, quod suspicatus sum, de abditis, ignotisque A criminibus, de cogitationum peccatis interpretantur.

℣. 41. ET VENIAT SUPER ME MISERICORDIA TUA &c.] Quamprimum tuæ in me misericordiæ effectus experiar: ac videam tuarum promissionum eventum, de captivitate hac liberatus, & in patriam reversus. Patres nonnulli verba hæc: *Salutare secundum eloquium tuum* ita explicant, perinde ac Psalmista juxta Prophetarum oracula Salvatoris adventum efflagitaret.

℣. 42. ET RESPONDEBO EXPROBRANTIBUS MIHI VERBUM.] Dicens illi, me in promissionibus tuis sperasse, neque inanem fuisse meam spem. Babyloniis ex me quærentibus: Ubi est Deus tuus? Si potens est, eripiat te de manibus nostris ℣. 19. quid respondere possum, Domine? Sed si effulserit super me misericordia tua, meque de tristi hac eduxeris captivitate ℣. 41. tunc B sciam, quid mihi erit respondendum, ac dicere potero: Spem meam nequaquam irritam fuisse vos ipsi videtis.

℣. 43. NE AUFERAS DE ORE MEO VERBUM VERITATIS.] Ne permittas, me promittentem futurum ut quamprimum liberemur, mentiri: ac tua fretum misericordia, ac in fide præstanda sedulitate, mendacem inveniri: Fac, Domine, quod promisisti populo tuo, *quia in judiciis tuis supersperavi*. Id si feceris, *custodiam legem tuam semper* ℣. 44. Instaurabo zelum, curamque meam, ut in patria rite meo munere perfungar. S. S. Hilarius, & Ambrosius in hæc verba: *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis*, præclara tribuunt Concionatoribus præcepta. *Vult* Deus *liberum a crimine esse Doctrinæ Cælestis Prædicatorem; vult eloquia sua a casti corporis* C *casto ore prædicari*, ait S. Hilarius. Vult, vitam verbis respondere: *Ne forte factis verba non congruant, & deforment iniquitatis opera, magisteria disciplinæ*. S. Ambrosius legit.

℣. 45. ET AMBULABAM IN LATITUDINE.] In futurum tempus redderem, quidquid in hoc, ac tribus, qui sequuntur, versiculis per imperfectum effertur: ita enim orationis decursus efflagitat, ac ita S. Hieronymus, ac melioris notæ Interpretes Hebraicum textum reddunt: Si tandem aliquando hoc jugum captivitatis excussero, *ambulabo in latitudine*, celeriter, audacter, haud hæsitanter in via præceptorum tuorum. Ne ille quidem qui giganteis gradu curreret, me in glorioso hoc stadio anteiret. Judæi Legem suam perfecte observare, nisi in patria, non poterant. D

℣. 46. ET LOQUEBAR DE TESTIMONIIS TUIS [1] IN CONSPECTU REGUM.] Libertas mihi vires, virtutemque conferet. Annuntiabo Leges, prodigia, magnitudinem tuam coram Regibus. Impotentium horum, crudeliumque Dominorum irrisiones, & contumelias non verebor amplius. Captivitatis ejusdem tempore Daniel mira cum libertate & Nabuchodonosor [2], & Balthasar [3], & Darium est allocutus.

℣. 47. QUÆ DILEXI.] Romana Psalteria, ac S. Germani, nec non S. Ambrosius: *Quæ dilexi nimis*. S. Hilarius, ac Psalterium Mediolanense: *Quæ dilexi vehementer*, quod congruit cum Septuaginta [4].

℣. 48. ET LEVAVI MANUS MEAS AD MANDATA TUA, QUÆ DILEXI [5].] Sursum attollam manus meas, ad innuendam admirationem, & reverentiam E meam. Vel elevabo manus meas ad te in oratione mea, & in præceptorum tuorum meditatione. Vel manus meas elevabo ad ea amplectenda, vel exercenda [6]: Vel denique quod litteræ magis hærere mihi videtur: Levabo manus meas, ac solemni jure jurando [7] me adigam, ad illa summa cum fidelitate, ac diligentia observanda.

℣. 49. MEMOR ESTO VERBI TUI [8] SERVO TUO.] Nosti, Domine, quid promiseris populo tuo per os Prophetarum tuorum. In eo omnis spes mea constituta est; hoc est orationum mearum argumentum. Deus oblivisci nequit, ajunt S. S. Augustinus, & Hilarius, & Propheta petens, ut Dominus reminiscatur, non id procul dubio contendit, ut aliquid jam obliteratum illi revocet in memoriam. Sed votorum suorum, sollicitudinisque suæ ardorem simpliciter testatur, uti S. Augustinus arbitratur; vel uti S. Hilarius intelligit, Deum rogat, ut dignus effectu promissionum ejus efficiatur.

℣. 50. HÆC ME CONSOLATA EST IN HUMILITATE MEA, QUIA ELOQUIUM TUUM VIVIFICAVIT ME.] Verbi tui effectum me visurum spero semper, ac tandem aliquando ex diuturna hac egressurum captivitate, in qua veluti, viventes adhuc, in sepulchro jacemus. *Hæc* pro *hoc* usurpatur, fœmininum pro neutro, Hebræorum more; neque aliud isthic mysterium est investigandum. *Humilitas* hic afflictionem significat [9].

℣. 51. SUPERBI INIQUE AGEBANT USQUEQUAQUE.] Licet impotenter, ac injuste in me Babylonii desævierint, numquam tamen a præceptorum tuorum observantia me divellere potuerunt. Babylonios vulgo Superbos appellat [10]. Hebræus [11]. *Superbi me irridebant; ego vero a lege tua non recessi*. Irridebant simplicitatem meam, ac zelum, quos tuis inhæreo mandatis; verum illorum irrisiones, & contemptus, non secus ac eorumdem minas, atque crudelitatem sum aspernatus.

℣. 52. MEMOR FUI JUDICIORUM TUORUM A SÆCULO.] Inter inimicorum meorum probra, & convicia consolatus sum, mente mecum reputans miracula, quæ omnium sæculorum decursu pro populo tuo es operatus. Patres nostri oppressi fuerunt in Ægypto (hæc mecum tacitus agitabam), & illinc eduxit eos Dominus: subinde Chananæis, Moabitis, Madianitis paruere; at illis suscitavit Dominus eos, a quo in libertatem vindicarentur. David sexcenta subiit pericula, at illum Dominus in gloria constituit. Ezechias timuit, ne quamprimum omni ditione sua privaretur; at temporis momento Dominus illum consolatus est, & gloria eum cumulavit. Cur autem non aget nobiscum, quemadmodum egit cum Patribus nostris? Num aliquid de illius potentia imminutum est? Num abbreviata est manus Domini? Vel nos non sumus amplius populus ejus? Pro *consolatus sum*, S. Hilarius, & antiqua quædam Latina Exemplaria apud S. Augustinum legebant: *Et exhortatus sum*. Quod ex Græcæ vocis æquivoco profectum est [12].

℣. 53. DEFECTIO [13] TENUIT ME &c.] Hoc respicit Judæos infideles Deo, & Legis illius prævaricatores, qui Religionem suam in captivitate abdicarunt, vel qui non adeo constantes fuerunt, ut se a legalibus sordibus mundos servarent, indiscriminatim quolibet escæ genere vescentes, ac ritus suos negligentes, quin tamen omnino a Judaica Religione discederent. Hebr. [14]: *Horror tenuit me*. Infrendui, videns peccatores legem tuam deserentes.

℣. 54. CANTABILES MIHI ERANT &c.] Babylone non aliud mihi erat solatium, quam laudes, legesque tuas nonnumquam canere. Ex Psalmo 136. liquet, Levitas numquam impelli potuisse ad Domini Cantica recinenda in terra aliena, cum a Babyloniis efflagitarentur: *Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* Nolebant, ut ita dicam, tradere canibus sancta, nec projicere margaritas ante porcos; verum inter se ut consolarentur, ac pietatem suam alerent, identidem, & ca-

1 Antiqui Vulgatæ libri, Editio Sixti V. an. 1590. & Clem. VIII. an. 1592. *Loquebar in testimoniis tuis*. Et ita legendum monent indices correctorii Bibl. Vatic. an. 1593. & 1598. 2 Dan. 2. 27. 28.
4 Dan. 5. 17. & sequ. Dan. 6. 4 Ἃς ἠγάπησα σφόδρα. 5 Psalt. *Quæ dilexi vehementer*. S. Ambros. & Psalt. sanct. Germ. & Carnut. *Quæ dilexi nimis*. 6 Kimchi, Vat. Muis, Mari. alii, maxime Theodoret. 7 Vide Genes. 14. 12. Exod. 6. 8. 8 Hilar. legit: *Memorare verbum tuum*.
9 זאת נחמתי בעניי 10 Vers. 21. 66. 78. 122. Vide quoque Psalmos 93. 2. & 122. 4.
11 זדים הליצני עד מאד מתורתך לא נטיתי 12 Καὶ παρεκλήθην.
13 Ambros. legit: *Pusillanimitas detinuit me*. Hilar. *Defectio animi*. Aug. & Psalt. Mediol. *Tædium tenuit me*.
14 זלעפה אחזתני

& canebant Psalmos, & conscribebant: Complures enim hactenus eorum vidimus, qui Babylone, & in ipsa captivitate fuere compositi.

℣. 55. MEMOR FUI NOCTE NOMINIS TUI;] Nocte, videlicet in captivitate, dum in nos fureret persecutio, dum affictaremur: & id unum ingentes mihi animos fecit, atque suasit, ut Leges tuas observarem.

℣. 56. HÆC FACTA EST MIHI, QUIA JUSTIFICATIONES TUAS EXQUISIVI.] Consolatus sum, immo in mandatis tuis recinendis delectabar, quia ex earum observantia non mediocrem percipiebam voluptatem. Vel, memor fui mandatorum tuorum ℣. 55. quia eadem exercens, gaudebam. *Hæc* pro *hoc* ponitur, & ad ea omnia, quæ præcessere, refertur. Pleraque Græca, & Latina Exemplaria, S. S. Hilarii, & Ambrosii ævo ℣. 56. cum 57. conjungebant, & litteram *Heth* a 58. inchoabant.

℣. 57. PORTIO MEA, DOMINE [1], DIXI CUSTODIRE LEGEM TUAM.] Voti compos sum, & nimis felicem me existimo, si tibi & servio, & placeo. Vel: *Tu portio mea, Domine: dixi custodire legem tuam*. Qui Dominum possidet, omnia possidet, ait S. Ambrosius: *Cui portio Deus est, totius est possessor naturæ*.

℣. 58. DEPRECATUS SUM FACIEM [2] .... MISERERE MEI SECUNDUM ELOQUIUM TUUM.] Coram te steti; ad litteram, Vultum tuum rogavi; mihi fer opem, quemadmodum pollicitus es. Præsta fidem eorum, quæ mihi spopondisti, Domine. Eamdem sæpe tundit incudem, eadem petit.

℣. 59. COGITAVI [3] VIAS MEAS, & CONVERTI [4] PEDES MEOS &c.] Libertatem, atque promissionum tuarum effectum exposco, fretus, quod non sine ope tua, vixerim, diligenter custodiens vias meas, & quod constanter statui gressus meos in via præceptorum tuorum dirigere. Scio etiam a te numquam derelinqui eos, qui tibi fideles sunt, tibique placere student. Alii [5] ita vertunt. Reputavi vias meas, exactumque vitæ meæ spatium in amaritudine cordis mei, ac in eo occupatus fui, ut fideliter tua mandata observarem. Septuaginta [6] in vulgatis editionibus, Arabs, Æthiops, Paraphrasis Apollinaris, Theodoretus, Eusebius, antiqua Psalteria Romæ, Mediolani, S. Germani, Carnuti, Græca Exemplaria Suniæ, & Fretellæ legebant: *Cogitavi vias tuas*; sed Hebræus, Chaldæus, Syrus, Textus Septuaginta ab Origene in Hexaplis castigatus, veteres omnes Græci Interpretes, omnesque recentiores, qui ex Hebraico textu versiones suas concinnarunt, S. S. Ambrosius, Hieronymus, Hilarius, Augustinus, ac Latina Biblia constanter legunt: *Cogitavi vias meas*; quæ genuina est lectio.

℣. 60. PARATUS SUM, & NON SUM TURBATUS.] Quidquid accidat, tuis Legibus observandis paratus sum. Non opprobria, non convicia, non contumeliæ, non minæ, non Babyloniorum crudelitas ab illis me umquam deterrebunt [7]. Hebr. [8]: *festinavi, neque distuli observare præcepta tua* Tarditas, incuria, negligentia in Dei cultu abominabiles sunt in oculis ejus. *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter* [9].

℣. 61. FUNES PECCATORUM CIRCUMPLEXI SUNT ME &c.] Hoc ipsum inferius repetitur ℣. 110. *Posuerunt peccatores laqueum mihi &c.* Peccatores hi sunt Babylonii. Mihi undique laqueos tetenderunt; illi omnes gressus meos observarunt, ut me deprehenderent, ac blanditiis, fraudibus, irrisionibus, contumeliis adnisi sunt, ut a Lege tua discederem; sed omnis eorum fraus, & nequitia in irritum abiit. Patres [10] hoc explicant etiam de insidiis Dæmonum, nos a justitiæ via quærentium avertere.

℣. 62. MEDIA NOCTE SURGEBAM AD CONFITENDUM TIBI.] Tanto amore prosequebar Leges tuas, ut non sufficeret mihi eas interdiu meditari; noctu etiam e strato surgebam, ut eas perpenderem, admirarer, canerem. Vel: undequaque hostibus meis circumseptus, mihi insidias molientibus, ut eorum improbitatem effugerem, noctu te adoraturus surgebam: S. Augustinus pro nocte hac, afflictiones intelligit; quæ cum ingruant, solicitius ad Deum est confugiendum.

℣. 63. PARTICEPS EGO SUM OMNIUM TIMENTIUM TE.] Hoc mihi gloriæ verto, quod necessarius eorum sim, qui te verentur, eisque, quanti a me fiant, quantoque in honore habeantur, palam ostendo. Pietatem propalam profiteri non erubesco. Quanto horrore persequor Babylonios, qui in idololatriæ flagitiis delitescunt, & improbos Judæos, qui levissime conscientiam suam prodiderunt, & sanctas Leges tuas dereliquerunt; tanto amore, ac reverentia fideles, servosque tuos complector. Particeps fui dolorum suorum; meas cum ipsorum lacrymis commiscui [11]. Symmachus [12]: *vinctus sum*. Syrus: *amicus sum* omnium timentium te.

℣. 65. BONITATEM FECISTI CUM SERVO TUO [13] DOMINE, SECUNDUM VERBUM TUUM.] Hactenus, Domine, multifariam expertus sum tuæ liberalitatis, ac protectionis effectus juxta veritatem verbi tui. Nunc autem hoc unum petendum mihi abs te superest, scilicet ut doceas me *Bonitatem, scientiam, & disciplinam*. Vide ℣. sequentem. Insigne Dei beneficium est, ait S. Augustinus, si te bonum delectat, ac illud libenter operaris: *Quando bonum delectat, magnum est Dei donum*.

℣. 66. BONITATEM, & DISCIPLINAM, & SCIENTIAM [14] DOCE ME.] *Docet Deus suavitatem, inspirando delectationem; docet disciplinam, temperando tribulationem; docet scientiam, insinuando cognitionem*, ait S. Augustinus, qui addit: *Sic docet, ut scienda sciamus, aperiendo veritatem; sic docet ut facienda faciamus, inspirando suavitatem*.

Dominus nos punit, quod amat, ait Theodoretus, & puniens nos edocet. Ita simul nobis ostendit suam erga nos *bonitatem*; salubres pœnas, *disciplinam*, & salutis *scientiam*. Propheta trium horum utilitatem agnoscens, Dominum orat, ut ipsum de eisdem erudiat. Hebræus habet [15]: *Doce me bonum, sapientiam, & scientiam*, vel bonitatem, *gustum, & scientiam*; vel tandem, *selectionem, & scientiam*. Psalmista se puero comparat, doctrinam, acre ingenium, optimum in studiis selectum, ac scientiam poscenti.

℣. 67. PRIUSQUAM HUMILIARER, EGO DELIQUI [16].] Me non humiliasti, afflixisti, percussisti in ira tua: ideo in oculis tuis noxium me reddidi. Non expertus adhuc pondus dexteræ tuæ, in flagitiis, ac erroribus volutabar. Tunc tandem me me collegi, cum to per afflictiones me revocasti. *Castigasti me*, ait Ephraim apud Jeremiam 31. 19. *& eruditus sum, quasi juvenculus indomitus; converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum*. Et c. 10. 24. *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me*. Et Psalmista inferius ℣. 71. *Bonum mihi, quia humiliasti me; ut discam justificationes tuas*.

Hebræus verti potest [17]: antequam humiliarer, in errore versabar; nunc vero *custodio verba tua*. Vel cum S. Hie-

1 S. Hilar. S. Ambr. & quid. apud Aug. *Pars mea*, vel, *Portio mea Dominus*.
2 Ambros. legit: *Deprecabor vultum tuum*. 3 Hilar. & Aug. *Quia cogitavi*.
4 Ambr. *Et averti*. Aug. *Et avertisti pedes meos*. Ita & quid. apud Hieron. ep. ad Suniam & Fretell.
5 Vide Hilar. & Ambros. 6 70. Rom. & Compl. Διελογισάμην τὰς ὁδούς σου, καὶ ἐπέστρεψα τοὺς πόδας μου εἰς τὰ μαρτύριά σου. 7 Vide Hieron. & Theod. Hilar. Ambros.
8 חשתי ולא התמהמהתי לשמר מצותיך 9 Jerem. 48. 10. vel 31. 10. in 70. Vulg. legit: *Fraudulenter*, sed 70. legunt. *Negligenter*. Ἀμελῶς. 10 Ambros. Aug. Theodoret. 11 Hilar. Ambros.
12 Sym. Συνημμένος. Aqu. Th. ut 70. Μέτοχος. Syr. Φίλος. Apud Theodoret.
13 Aug. *Suavitatem*. Amb. *Jucunditatem fecisti cum servo tuo*. Sym. Εὐηργέτησας τὸν δοῦλόν σου.
14 Aug. legit: *Suavitatem, & eruditionem, & scientiam*. 15 טוב טעם ודעת למדני
16 Alia Edit. Ambros. *Ego nescivi*. 17 טרם אענה אני שגג ועתה אמרתך שמרתי

S. Hieronymo: *Antequam audirem, ignoravi, nunc autem eloquium tuum custodivi*. Priusquam audirem vocem tuam, ac me erudire, mihique præcepta tradere inciperes, in profundæ ignorantiæ tenebris versabar; sed postquam tu locutus es, lumen accessit mihi. Prophetiæ Donum significat.

℣. 68. BONUS ES TU, ... [1] DOCE ME.] Vide ℣. 64. Hac tua bonitate, cujus specimen omnibus hominibus tribuis, dignare erudire me, & fieri præceptorem meum. Auctor ubique se met repræsentat, veluti Discipulum, omni studendi solicitudine, attentione, ac docilitate præditum.

℣. 69. MULTIPLICATA EST SUPER ME INIQUITAS SUPERBORUM &c.] Hoc tamen nequaquam me deterrebit, quominus inquiram, studeam, mediter mandata tua. Quamtumvis acerba sit, & gravis conditio nostra, Domine, & Babylonii superbi Domini in me ingerant contumelias, nihil tamen intentatum relinquam, ut ex præceptionibus, atque documentis, quæ mihi tradere dignaris, fructum percipiam. Hebræus [2]: *Superbi assuerunt simul mendacia adversus me; ego autem servabo mandata tua*. Nauci pendu illorum calumnias, ac inania dicteria. Hæc satis belle ad Danielem referri possunt, quem in odium apud Regem Babylonis adducere conati sunt, pravis artibus, iniquisque commentis.

℣. 70. COAGULATUM EST SICUT LAC COR EORUM.] Ad litteram [3]: *Induratum est sicut lac coagulatum*. Babylonici obdurati sunt, inclementer, atque crudeliter in me sævierunt; justitiæ, vocibusque tuis cor suum obstruxerunt. Verum neque eorum nequitia, neque crudelitas me dimovere potuerunt, ne, quæ debebam, tibi præstarem officia.

Hebræus juxta rationem legendi apud Massoretas [4]: *Cor eorum factum est velut buccella adipis; ego vero delector Lege tua*. Vel: *Cor eorum coagulatum est velut adeps*. Symmachus [5]: *Cor eorum factum est medulla refertum, velut adeps* [6]. Chaldæus: *cordis eorum jecur obstructum est velut adeps*. In Hebræorum stylo cordis adeps pro ignorantia, stupiditate, hebetudine, pervicacia usurpatur [7].

℣. 71. BONUM MIHI, QUIA HUMILIASTI ME.] Me felicem reputo, & ex afflictione summam me percepisse utilitatem profiteor. *Superbis est utile*, ait S. Augustinus de Civit. l. 14. c. 13. *cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant*. Prodest, illos nonnumquam labi, ut ex lapsu melius suam infirmitatem agnoscant, neque adeo in propriis viribus confidant. Æger gratias agit medico, postquam convaluit, inquit Theodoretus, licet omnem adhibuerit severitatem, quam morbi illius periculum, & pertinacia efflagitabant. Hebræus verti potest [8]: *Mihi prodest afflictatum fuisse*, quoniam ita paret tibi, tuaque mandata cognoscere didici.

℣. 73. MANUS TUÆ FECERUNT ME &c.] Origenes [9], cui veteres quidam adhæserunt, credidit, Psalmistam per verbum illud *fecerunt* animæ creationem, per alterum vero *plasmaverunt* corporis formationem indigitare voluisse; quam sententiam haud aspernatur S. Augustinus, sed illam explodit, quæ inter hominis prærogativas hanc recenset, quod utraque Dei manu effictus fuerit, cum ille alterutram tantum in Cœlorum factura, & vocem dumtaxat in cæterarum rerum creatione adhibuerit. Postrema hæc sententia apud SS. Hilarium, & Ambrosium invenitur, qui eam plane ex ipso Origene mutuati sunt. Theodoretus etiam, non allato Auctoris nomine, hanc eamdem explicationem refellit; ait enim, Deum, cum sit incorporeus, numquam in creatione manibus usum. Omnia verbo produxit; & si manus illi a Scriptura tribuuntur, hoc adinventum est ad summam illius erga opus suum benevolentiam testandam. Hebr. [10] MANUS TUÆ ME FECERUNT, & CONFIRMAVERUNT. Symmachus [11]: Me fecerunt, & perfecerunt. S. Augustinus legit. *Fecerunt me, & finxerunt me*. S. Hilarius, & Psalterium S. Germani: *fecerunt me, & præparaverunt me*. S. Ambrosius: *& paraverunt me*. Sum opus tuum, Domine! Tu de nihilo eduxisti, & fecisti me; verum hoc parum est, nisi & intellectum mihi dederis, & me legem tuam docueris: *Da mihi intellectum, & discam mandata tua*.

℣. 74. QUI TIMENT TE, VIDEBUNT ME, & LÆTABUNTUR.] Amici tui, qui me in Sanctorum scientia, ac in via virtutis progredi intelligent, lætabuntur. Angeli ob peccatoris conversionem gaudent, ait J. C. Luc. 15. 10. & summa cum voluptate filiorum suorum progressum in bono cernit Ecclesia [12]. Aliter: Qui timent te, maximo eum gaudio, me ex hac servitute emergere, intuebuntur. Eorum saltem habita ratione, *& quia in verba tua supersperavi*, libera me. S. S. Hilarius, & Augustinus legunt: *speravi*: S. Hieronymus Hebraicum textum reddit [13]: *quia sermonem tuum expectavi*.

℣. 75. IN VERITATE TUA HUMILIASTI ME [14].] Quidquid nobis in his terris accidit, suprema æquitate decretum est [15]. Si noxii sumus, Deus nos humiliat, ut puniat, ac revertamur ad frugem. Sin autem insontes benevolentiæ suæ effectu nos affligit, ut meritum nostrum augeat, virtutem nostram confirmet, lapsus nostros præveniat. S. Hieronymus Hebræum ita vertit [16]: *vere afflixisti me*. Vel: Afflixisti me, quemadmodum vere minitatus fueras. Vel denique versiculum omnem sumendo: *fateor justa esse judicia tua, & me a veritate tua esse humiliatum*. Veritas, & æquitas isthic Synonyma sunt. Hominum judicia plerumque falsa sunt, & injusta; Divina vero semper vera, & æqua.

℣. 76. FIAT MISERICORDIA TUA, UT CONSOLETUR ME [17].] Postquam me humiliasti, atque afflixisti, me consolare, ac tuis cumula beneficiis. Humiliasti me *in veritate tua*, ut quæ minitatus fueras, exple res [18]; me consolare in misericordia tua, ac in virtute promissionum tuarum, *secundum eloquium tuum servo tuo*. Recedat manus tua a nobis, & redde nobis tuam gratiam. S. Hieronymus hoc de J. C. adventu intelligit, ipse enim ea est misericordia, quam præstolamur. Versiculus iste idem est, ac subsequens. *Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam*. Educ me de statu hoc mortis, & redde mihi libertatem.

℣. 78. CONFUNDANTUR SUPERBI; QUIA INJUSTE INIQUITATEM FECERUNT IN ME.] Babylonios semper superbos appellat. De eorum injustitia, atque crudelitate conqueritur. Heb. [19] *Confundantur superbi; quia injuste*, fallaciter, *perverterunt me*. Me in idololatriam, atque apostasiam mendaciis, fictis promissionibus, dolosisque sermonibus pellicere studuerunt. Sacri Auctores sæpius usurpant actum inceptum, atque experimentum, pro re absoluta, & completa; *interfecerunt* pro interficere voluerunt; *perverterunt* pro *pervertere conati sunt*. Aliter: injustis criminationibus suis me tamquam scelestum haberi voluerunt: *falso*

1 Aug. *Suavis es, Domine, & in suavitate tua*. &c. Hilar. & Ambros. *Bonus es, Domine, & in bonitate*, &c.
2 טפלו עלי שקר זדים אני בכל לב אצור פקודיך 3 70. Ἐτυρώθη ὡς γάλα ἡ καρδία αὐτῶν.
4 טפש כחלב לבם אני תורתך שעשעתי 5 Sym. Ἐμυελώθη ὡς στέαρ ἡ καρδία αὐτῶν.
6 Aqu. Ἐλιπάνθη ὡς στέαρ ἡ καρδία αὐτῶν. 7 Vide Isai. 6. 10. Jerem. 5. 28. Deut. 32. 15. Job. 21. 24. Psal. 16. 10. 72. 7. 8 טוב לי כי עניתי Hieron. *Bonum mihi quia afflictus sum*. Sym. Συνήνεγκέ μοι ὅτι ἐκακώθην ὑπὲρ τοῦ μαθεῖν τὰ προστάγματά σου. 9 Vide Euseb. hic, & Aug. & Hilar.
10 ידיך עשוני ויכוננוני 11 Sym. Καὶ ἐστήριξάν με. 70. Ἐποίησάν με, καὶ ἔπλασάν με
12 Hieronym. 13 כי לדברך יחלתי 14 Hilar. *Vere humiliasti me*. Aug. *Veritate*. 70. Καὶ ἀληθείᾳ. 15 Hilar. Ambros. Theod. 16 ואמונה עניתני
17 Hilar. Ambr. Psalt. Mediol. S. Germ. Carnut. *Fiat misericordia tua, ut exhortetur me*.
18 Isai. 53. 5. *In veritate tua disperde illos*. 19 יבשו זדים כי שקר עותוני

falso me perverterunt; videlicet, me injuste accusarunt veluti perversum, & nefarium; quemadmodum in Levit. 13. 11. *Contaminabit eum Sacerdos*, hoc est eum contaminatum declarabit. Cum cupit Psalmista Babylonios rubore suffundi, in charitatem non peccat. Non enim mali aliquid in eos imprecatur, sed salubrem illis optat erubescentiam, qua ad Deum redire, ac flagitiis omnibus extremum vale dicere cogantur [1]. Hoc illius votum est, ut ipsius in bono perseverantiam atque constantiam in Religione, & in via præceptorum Domini inimici videntes erubescant, eo quod conatus sui in irritum cesserint.

℣. 79. CONVERTANTUR MIHI [2] TIMENTES TE.] Mecum societatem ineant, ut simul inimicis meis obsistamus, mihique adversus conatus eorum auxilium ferant. Vel, mihi adhærescant, ut dicant, quomodo Lex tua observanda sit, tu vero amandus [3]. Hebræus verti posset [4]: *Revertantur ad me timentes te*. Vel: eos in patriam suam redeuntes non videam. Symmachus [5]: *Timentes te, ne convertant*; vel me revocent ad te.

℣. 80. FIAT COR MEUM IMMACULATUM .... UT NON CONFUNDAR.] Hoc tribue mihi, Deus, ut viæ meæ ita probe institutæ sint, & cor meum adeo mundum, ut aliquam merear habere partem in promissionibus tuis, neque me expectatio mea, ac spes libertatis frustretur. Peccata mea dumtaxat remorari queunt effectum promissionum tuarum, quas toties iterasti.

℣. 81. DEFECIT IN SALUTARE TUUM ANIMA MEA; & IN VERBUM TUUM SUPERSPERAVI [6].] Velut qui siti laborat, nec aquam invenit; velut qui bonum, cujus desiderio flagrat, præstolatur, neque obtinere potest. Talis est conditio mea, Domine. Ulterius expectare non possum, langueo, deficio, opperiens libertatem meam, ac reditum in patriam. Tu illum mihi spopondisti; cur igitur illum differs? Patres [7] hoc explicant de Patriarcharum votis, quamprimum Liberatorem suum, & Messiam videre cupientium. Babylonicæ captivitatis liberatio erat humanæ redemptionis figura. Sequens versiculus hanc ipsam votorum sollicitudinem exprimit: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*, vel *in verbum tuum*, uti legunt S.S. Ambrosius, & Hilarius: hoc est *infirmati sunt oculi mei* sursum jugiter suspicientes, & aliquam inde opem expectantes. Expecto Verbum tuum, Christum liberatorem meum. *Dicentes, quando consolaberis me*; S. Hilarius, *exhortaberis me*.

℣. 83. QUIA FACTUS SUM SICUT UTER IN PRUINA [8].] Utres ex hircinis pellibus fiebant, iisque liquores, vinum, oleum, vel aliud aliquid asservabantur. Ita vero compositi sunt, ut vellera sint introrsum, diligenter pice illiti, ne liquor egrediatur. Hirci pes est vasis os. Veteres utribus passim utebantur, & hodie quoque aliquot in locis vulgo adhibentur. Propheta describere vult isthic statum, ad quem redactus est præ tædio, dolore, ac sollicitudine quamprimum captivitatis finem videndi. Cutis mea, inquit ille, exaruit, senio, & macie confecta est, ac obsoleta, tamquam uter pruinæ expositus. Hoc in sensu Septuaginta [9], & Patres [10] id intellexere. Sed recentiores Interpretes [11]. Hebraicum textum ita vertunt [12]: *fui tamquam uter fumo* expositus, fuligine atratus, exsiccatus, arctatus; *vel tamquam uter ad fumi odorem expositus*, quemadmodum vina olim exponebantur, ut odorem quemdam acquirerent, ac citius veterascerent [13]. *Apothecæ recte superponentur his locis, unde plerumque fumus exoritur*, ait Columella, *quoniam celerius vina vetustescunt, quæ fumi quodam odore præcocem maturitatem trahunt*. Horatius etiam Odar. l. 3. Od. 8. huic alludit consuetudini:

> *Amphoræ fumum bibere institutæ*
> *Consule Tullo*.

Verum in his omnibus sensus non differt. Consenui, macie confectus sum, contabui, ingemiscendo, ac reditum, libertatemque petendo. Non ideo tamen, Domine, oblitus sum mandatorum tuorum.

℣. 84. QUOT SUNT DIES SERVI TUI?] Quousque hoc in exilio senescam? Quandonam ultionem sumas de inimicis nostris. Vide Psal. 38. 5. & 101. 24. & Job. 10. 20. 14. 14.

℣. 85. NARRAVERUNT MIHI INIQUI FABULATIONES [14]: SED NON UT LEX TUA.] Babylonii mecum de Religione, ac Theologia sua, de scientiis, triumphis, ac imperii sui magnitudine loquebantur, verum non afficiebar. Audiebam hæc tamquam inanes jactantias merasque fabellas. In hoc sane æqua laus Judæis est reddenda, præ qualibet natione ipsos fidelius, ac ardentius Legum suarum studio adhæsisse. Verum quænam erant aliorum populorum Leges, Religio, historia? Hæc sane nihil aliud erant, quam inania commenta, & chaos monstrosum opinionum ineptissimarum, rituum ad rem nihil spectantium, factorumque incredibilium. Dii eorum vel homines erant vitiis diffluentes, vel bruta animalia, vel creata aliqua sensu carentia. Religio eorum erat superstitionum acervus: Leges vero, boni, & mali, æqui, & iniqui commixtio. Hæbræi vero præ cæteris gentibus antiquissimam, certissimisque probatam monumentis habebant historiam; Religionem sanctissimam, & divinæ revelationis innixam auctoritati; morum doctrinam præ Ethnica longe sublimiorem; & Leges, quæ veritati, justitiæ, Dei, ac humani erga Divinam majestatem officii agnitioni innitebantur. Hæc omnia objecta sunt toto cœlo a Gentilium objectis diversa. Hæc enim ne merentur quidem, quod vir sapiens in ea animum dignetur intendere, eique satisfacere nequeunt; alia vero mentis, & cordis explent capacitatem.

Hebr. [15] *Superbi foderunt mihi foveas*; *hoc nequaquam conforme est Legibus tuis*; vel scelus est Legibus tuis proscriptum. Ita illum explicant Chaldæus, Aquila, Symmachus, Theodotion, Editio quinta, Syriaca versio, & recentiorum Interpretum plerique. Videntur autem Septuaginta in Hebraico textu legisse aliter, ac nos hodie legimus. Sensus, quem eorum Textus, & Vulgata exhibent, longe melior est, quam quem hodiernus textus authographus præsefert.

℣. 86. INIQUE PERSECUTI SUNT ME [16]; ADJUVA ME.] Babylonii sine ratione ulla in me sæviebant. Psalmista *non orat sibi adimi causam certandi*, ait S. Hilarius, *sed tribui auxilium vincendi*. Virtus, ni exerceatur, languescit statim, ac interit. Hostis cum præsidiis vacua esse novit propugnacula, illa omnibus oppugnare viribus studet: *Remissas insidias callidus insidiator irrumpit*, ait S. Ambrosius. Hebræus [17]: *Falso persecuti sunt me*; *adjuva me*. Injuste me accusarunt, absque causa me sunt persecuti.

℣. 87. PAULO MINUS CONSUMMAVERUNT ME IN TERRA] sua, Babylone. Parum abfuit, quo minus me opprimerent, & nisi tu mihi tulisses opem, eorum impetum sustinere non potuissem. Sed tandem, licet omnes suos conatus exererent: EGO NON DERELIQUI MANDATA TUA.

℣. 89. IN ÆTERNUM, DOMINE, VERBUM TUUM PER-

---

1 Hilar. Ambros. Hieron. Theodoret.
2 Ambr. Aug. *Convertantur ad me*. 70. Ἐπιστρεψάτωσάν με. 3 Ambr. Hilar.
4 ישובו לי יראיך 5 Sym. Ἀποστρεψάτωσάν με οἱ φοβούμενοί σε.
6 Ambros. Aug. *Speravi*. Hilar. *Spero*. 70. Ἐπήλπισα. 7 Hilar. Ambr. Aug. Hieron.
8 Ambr. *in Gelicidio*. 9 70. Ὅτι ἐγενήθην ὡς ἀσκὸς ἐν πάχνῃ. 10 Vide Chrysost. & Theodor.
11 Quid. apud. Heraclæor. Vat. Geneb. Flam. Muis, Mont. Pagn. alii passim.
12 כי הייתי כנאד בקיטור חקיך לא שכחתי 13 Columell. de R. R. lib. 1. c. 6. Vide & Plin. l. 23. c. 1.
14 Aug. *Narraverunt ..... delectationes*. Ambros. Hilar. Psalter. S. Germ. & Carnut. *Exercitationes*. 70. Ἀδολεσχίας. 15 כרו לי זדים שחות אשר לא כתורתך Aquil. Ἔσκαψάν μοι ὑπερήφανοι βρόχους. Sym. Ὤρυξάν μοι ὑπερήφανοι ὀρυγάς. 5. Edit. Ὤρυξάν μοι ὑπερήφανοι βοθύνους. 16 Psalt. Rom. Mediol. Carnut. & Germ. Aug. Æth. *Iniqui*. Ambr. *Injusti persecuti sunt me*, 17 שקר רדפוני עזרני

PERMANET IN COELO.] Non satis patet nexus hujus versiculi, & duorum, qui subsequuntur, cum decursu orationis. Ita vero mihi videtur intelligendum. Cœli, terra, dies, annique tempestates ad nutum tuum permanent; ac perfecta obedientia tua mandata exequuntur. Ego autem, Domine, profiteor, nisi mihi Lex tua solatium attulisset, in afflictione mea fuisse periturum. Aliter vers. 89. Verbum tuum, Deus, est immutabile, ac æternum, ut Cœli: vers. 90. Veritas tua in omnes viget generationes, vigebitque æque ac terra: vers. 91. Hæc subsistunt adhuc, & reguntur mandatis tuis; ac omnia creata tuum facessunt imperium: vers. 93. Ego vero profiteor, nisi tua Lex adfuisset, in æternum me fuisse in nullam spem reditus periturum. IN ÆTERNUM VERBUM TUUM PERMANET IN COELO. Ordo, quem in cœlo constituisti, æternum viget. Cœli omnibus sæculis parebunt imperiis, quæ in ipso creationis exordio illis irrogasti.

℣. 90. IN GENERATIONEM, & GENERATIONEM VERITAS TUA. FUNDASTI TERRAM, & PERMANET.] Legum tuarum justitia, ac promissionum veritas æque immobiles sunt, ac terra. Hebræi terram immobilem esse opinabantur. Patres [1] per hæc verba: *In generationem, & generationem veritas tua* intelligunt, veritatem, veramque Religionem in duplici tantum generatione substitisse; in Synagoga videlicet, & in Ecclesia, apud Judæos, & Christianos.

℣. 91. ORDINATIONE TUA PERSEVERAT DIES; QUONIAM OMNIA SERVIUNT TIBI.] Hebr. [2] *Hodie non vigent nisi propter mandata tua; omnia enim obediunt tibi*. Cœlum, ac terra, de qua sermo fuit versiculo præcedenti, in eo, quem obtinent statu, Domini tantum jussu, ac virtute vigent, & permanent. Cur igitur illi homines non parebunt; quandoquidem cætera supremum illius agnoscunt imperium.

℣. 92. NISI QUOD LEX TUA MEDITATIO MEA EST, TUNC FORTE PERIISSEM IN HUMILITATE MEA [3].] Mihi, Domine, & necessitas est, & voluptas, meditari, atque exercere mandata tua; & fateor, me vitam meam, atque incolumitatem eorum studio debere. Itaque vers. 93. *In æternum non obliviscar &c.*

℣. 95. ME EXPECTAVERUNT PECCATORES . . . TESTIMONIA TUA INTELLEXI [4].] Non alio armorum genere adversus illos me tutatus sum, quam Legis tuæ studio. In salubri hac exercitatione opem, & solatium nactus sum. Speravi futurum ut servum, ac discipulum tuum minime desereres.

℣. 96. OMNIS CONSUMMATIONIS [5] VIDI FINEM: LATUM MANDATUM TUUM NIMIS.] Nihil adeo late patet, adeo magnum, perfectumque est, cujus fines, terminosque non viderim. Hominum scientiæ ac adinventa maxime præstantia, & exquisitissima eorumdem studia limitibus suis circumscribuntur. Ea agnovi, eorumdem penitiora adyta scrutatus sum: sed leges tuæ nullo continentur limite, immensam habent profunditatem, atque altitudinem inaccessibilem. Creatæ res duratione, pulchritudine, ac natura sua terminantur: Leges tuæ æternæ sunt, ac infinitæ; naturæ tuæ sunt participes, neque nisi in uno te, eorum invenitur profunditas, & origo. Hoc *mandatum latum nimis*, auctore Sancto Augustino, est charitatis præceptum, quod Deum complectitur, & proximum, quodque in omnia mandata, ac vitæ omnia officia protenditur; vel, teste S. Hilario, varia sunt divinæ Legis præcepta: Sanctus Hieronymus per *omnis consummationis finem* intelligit JESUM CHRISTUM, qui finis est Legis, & Prophetiarum, atque Scripturarum omnium consummatio. Symmachus textum reddit [6]: *Vidi finem omnis ædificii* vel omnis structuræ, dispositionis, apparatus, vel omnis demonstrationis; *sed mandatum tuum* maxime late patet.

Hebraico textui alium tribuere sensum vellem: *Sævissima ego vidi mala*, ad extrema quælibet adductus fui; *sed mandata tua posuerunt me in latitudine*; ibi certissimam opem in tot periculis, quæ undequaque gravissima emergebant, inveni. Certum est *consummationem* significare omnimodum excidium, ac interitum [7]. Dominus sæpe in Prophetis suis ait, se funditus urbem, vel gentem aliquam eversurum: *Consummationem faciam*; populo autem suo, quem veluti pater castigat, numquam se in nullam reditus spem interitum esse allaturum: *Non faciam consummationem*. Quoad vero *Mandatum latum*, Hebræus legit, *latitudo mandatorum tuorum*; quod palam oppositum est arcti, & angusti. At *angustum* significat periculum, & adversitatem, *latitudo* vero prosperitatem in Scriptura universa, ac in Psalmis potissimum.

℣. 97. QUOMODO DILEXI LEGEM TUAM, DOMINE!] Vult Deus non necessitatis, ac timoris ergo sibi obtemperari, sed amorem poscit, atque cordis potius sacrificia, quam manuum nostrarum opera efflagitet. *Ut magis voluntatum nostrarum munera, quam necessitatum obsequia conferamus*, ait S. Ambrosius. Namque, uti S. Hilarius inquit, *Non habet gratiam voluntatis, necessitatis operatio*.

℣. 98. SUPER INIMICOS MEOS PRUDENTEM ME FECISTI MANDATO TUO [8] &c.] Quantumvis se se Chaldæorum jactet sapientia, & illorum in Astronomicis rebus scientia, somniorum detegendorum cognitio, ac divinandi peritia celebretur; omnes eorum disciplinas flocci facio, ac unius Legis tuæ ope, cui uni studeo, illis me eruditiorem, ac sapientiorem in iis etiam profiteor, in quibus maxime gloriantur. Hoc re ipsa in Daniele adhuc puero compertum est, qui præ omnibus Magis Babylonis [9] præ omnibus ætate provectioribus, immo etiam præceptoribus suis in somniorum explicandorum scientia doctior inventus est ℣. 99. *Super omnes docentes me . . . .* ℣. 100. *Super senes intellexi*. Vide Daniel. 2. vers. 28. 29. & sequent. 5. 11. & sequen. Non solum super Babylonios eminebat, verum etiam longe omnibus fratribus suis, atque inter illos principibus antecellebat, quemadmodum reformatione Judicii de Susanna satis aperte colligitur Dan. 13. Ezechiel de illius sapientia, perinde ac in adagium abierit, verba facit c. 28. 3. *Ecce sapientior es tu Daniele*. Non ideo tamen pro certo affirmaverim, tres hos psalmi versiculos ad ipsum spectare; verumtamen illi ad unguem conveniunt.

℣. 101. AB OMNI VIA MALA PROHIBUI PEDES MEOS.] Nec duobus simul servire dominis, nec duabus simul viis insistere possumus. Si angustam sequeris præceptorum Dei viam, lata via sæculi tibi est relinquenda [10]. Psalterium Mediolanense legit; *Prohibe*; illud vero S. Germani: *prohibuisti*.

℣. 102. QUIA TU LEGEM POSUISTI MIHI.] Meus Legislator es, Magister meus. Hebr. [11] *edocuisti me*. S. Hieronymus: *illuminasti me*. Eadem isthic varietas invenitur, ac in ℣. 33. *Legem pone* &c.

℣. 103. QUAM DULCIA FAUCIBUS MEIS ELOQUIA TUA! SUPER MEL ORI MEO.] Hoc idem Psalmista ait

1 Hilar. Ambros. Hieron. August. Theodoret. 2 למשפטיך עמדו היום כי הכל עבדיך
3 Psalt. S. Germ. *In humiliatione mea.* 4 Psalt. S. Germ. *Non intellexerunt.*
5 Psalter. Rom. & Carnut. *Omni consummationi vidi finem*. Ita Aquil. Τῇ πάσῃ τελετῇ.
6 לכל תכלה ראיתי קץ רחבה מצותך מאד Symmach. Πάσης κατασκευῆς εἶδον πέρας. Εὐρύχωρος ἡ ἐντολή σου σφόδρα.
7 Vide 1. Reg. 20. 7. 9. 33. 25. 17. & 3. Reg. 13. 17. & 2. Esd. 9. 31. & 2. Par. 12. 12. Esth. 7 7. Psalm. 17. 38. Isai. 10. 18. 22. 23. 28. 22. Jerem. 4. 27. 5. 10. 30. 11. 46. 28. 49. 37. Ezech. 5. 13. 11. 13. 13. 15. Nahum. 1. 8. 9. Sophon. 1. 18. 8 August. & Psalter. Mediolan. *Super inimicos meos sapere me fecisti mandata tua*. Ita 70. Ὑπὲρ τοὺς ἐχθρούς με ἐσόφισάς με τὴν ἐντολήν σε.
9 Dan. 1. 19. 20. *Non sunt inventi tales de universis, ut Daniel. Ananias, &c. Et omne verbum sapientiæ & intellectus, quod sciscitatus est ab eis Rex, invenit in eis decuplum super cunctos ariolos & magos, &c.*
10 Vide Theodoret. 11 כי אתה הורתני

rit Psal. 18. 11. *Dulciora super mel, & favum.* Homerus Iliad. A. dulcedinem verborum Nestoris mellis comparat suavitati. S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, & antiqua Psalteria hic legunt. *Super mel, & favum ori meo.*

℣. 104. A MANDATIS TUIS INTELLEXI: PROPTEREA ODIVI OMNEM VIAM INIQUITATIS.] Cum semel doni cœlestis dulcedo percipitur, atque pulchritudo; & justitia Divinæ Legis intelligitur; omnes mundi ineptias odisse non possumus, omnemque iniquitatem abominari. Verum ut perfecta præceptorum scientia acquiratur, nequaquam sufficit quædam speculativa cognitio, sed illa ad praxim est redigenda. *Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam,* serva mandata; *& Deus præbebit illam tibi.*

℣. 105. LUCERNA PEDIBUS MEIS VERBUM TUUM.] *Mandatum lucerna est,* ait Sapiens Prov. 6. 23. *& lex lux; & via vitæ increpatio disciplinæ.* Et S. Petrus Apostolus 2. epist. 1. 19. *habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco; donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* S. Hilarius per *verbum tuum* hoc in loco intelligit Jesum Christum, Verbum Patris.

℣. 106. JURAVI, & STATUI CUSTODIRE JUDICIA JUSTITIÆ TUÆ.] Jurejurando, ac particularibus votis spopondi, me legem tuam ad unguem observaturum. Tecum instauravi, Domine, fœdus, quod cum patribus nostris percussisti, ac tibi pollicitus sum futurum, ut in æternum fideliter tibi adhæream. Hoc jusjurandum, e S. Augustini, ac Theodoreti sententia, nihil est aliud, quam deliberata Psalmistæ voluntas ea adimplendi, quæ ab ipso Deus petit. Hebræus [1]: *Juravi, ac in præceptorum tuorum observatione persistam.* Juravi, & non mentiar.

℣. 107. HUMILIATUS SUM USQUEQUAQUE; VIVIFICA ME.] Afflictatus sum, in captivitatem cecidi, calamitas mea summa est: redde mihi vitam, ac libertatem. Sæpius hoc repetit; hic scopus est Cantici hujus post Divinæ Legis elogium.

℣. 108. VOLUNTARIA ORIS MEI BENEPLACITA FAC, [2] DOMINE.] Bona voluntas mea tibi accepta sit, Domine, & jusjurandum, quo tua me præcepta observaturum recepi vers. 106. ratum fiat coram te. S. Augustinus per hæc verba, *Voluntaria oris mei,* laudes, & gratiarum actiones intelligit; S. Hilarius, S. Ambrosius, Theodoretus opera supererogationis, ea videlicet, quæ majoris perfectionis amore suscipiuntur.

℣. 109. ANIMA MEA IN MANIBUS MEIS SEMPER.] Duplex loco huic sensus appingitur: Primo: *Anima mea in manibus meis semper;* numquam ab ea meas cogitationes averto; jugiter illi custodiendæ invigilo; ad illius perfectionem adnitor. Secundo: *Teneo animam meam semper in manibus meis;* in jugi illius amittendæ periculo versor. Opus est, ut semper invigilem, ut ab hostibus animam meam tuear. Similis sum thesaurum manibus palam deferenti, & qui undequaque lacessitus est ab iis, qui eum rapere cupiunt. Postremus hic sensus dubio procul est melior. Locutio eadem in hoc eodem sensu invenitur in Job. 13. 14. Judic. 10. vers. 1. 3. Esth. 14. 4 1. Reg. 19. 5. & 28. 21. In prophanis etiam Auctoribus deprehenditur. Xenarchus apud Athenæum l. 13. c. 4. ut vitæ amittendæ periculum innuat, ait, *animam in manu sua se tenere.*

Græca, quæ habemus, Exemplaria Septuaginta [3], & veterum Græcorum [4], Latinorumque [5] Patrum plerique cum antiquis Psalteriis [6] habent: *Anima mea in manibus tuis semper,* quam lectionem in majori Exemplarium numero inveniri S. Ambrosius testatur; licet in nonnullis legatur, *in manibus meis semper.* S. Hieronymus in Epistola sua ad Suniam, & Fretellam priorem lectionem rejicit, ac tenet, Septuaginta, ac omnes Græcos Interpretes cum hebraico textu legisse, *in manibus meis,* atque in hoc sensu ab omnibus Ecclesiasticis Interpretibus explicari: quod vix hodie conciliaveris cum iis, qui extant, textibus Septuaginta, cum nuper allatis Græcis, Latinisque Patribus, immo & cum Commentariis, qui D. Hieronymi nomine inscribuntur; & qui saltem illius ævo conscripti sunt, ubi legimus; *In manibus tuis.* Attamen licet hæc omnia adversentur, altera lectio certo certius melior est: *Anima mea in manibus meis semper.* Ita enim Hebræus [7], Chaldæus, pleraque Latina Biblia, Aquila [8], Symmachus [9], Theodotion [10], quinta Editio in Hexaplis [11], & Patres, ac Interpretes post S. Hieronymum legerunt, ex quibus Arnobius, Remigius Bruno, Hasmonius, aliique plurimi.

℣. 110. POSUERUNT PECCATORES LAQUEUM MIHI.] Vide supra vers. 67. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Babylonii mihi tetenderunt insidias. Hæc causa est eorum, quæ superiori versiculo dicta sunt: *Anima mea in manibus meis semper.* Positus sum in medio inimicorum, me perdere quærentium. Verum hoc minimum obest, quo minus tua exequar mandata.

℣. 111. HÆREDITATE ACQUISIVI [12] TESTIMONIA TUA.] Hæc veluti patrimonium meum duco, bona, fortunasque meas, uberem, felicemque fundum, quem numquam deseram, immo æternum excolam.

℣. 112. INCLINAVI COR MEUM AD FACIENDAS JUSTIFICATIONES TUAS PROPTER RETRIBUTIONEM.] Ille non inclinavit cor suum ad Dei mandata exequenda; nisi postquam dixit vers. 36: *Inclina cor meum in testimonia tua; ut intelligamus,* ait S. Augustinus, *simul hoc esse divini muneris, & nostræ voluntatis.* Propheta procul dubio Deum integerrime diligebat: eique sine ulla utilitatis ratione serviebat; tamen hic fatetur, se ad illius explenda mandata adactum fuisse spe remunerationis. Non prohibet Deus, amicos suos spectare præmia, quæ pollicetur illis, neque formidare ea, quæ impiis præparat, supplicia; verum hoc primum, præcipuumque desiderii, vel timoris eorum esse argumentum non probat. Amor illius, ipse ille, cupiditas placendi eidem, timor illum lædendi, Sanctos, ac fideles Dei servos excitare debent. Gloriam, ac retributiones ejus desiderare debent, at multo magis illum ipsum concupiscere tenentur. *Ego ero merces tua, magna nimis* Genes. 15. 1. Hebræus aliter verti potest [13]: *Inclinavi cor meum ad exequenda mandata tua propter æternam retributionem:* vel, *ad obediendum mandatis tuis usque ad finem,* vel, *in æternum.* Vide v. 33.

℣. 113. INIQUOS ODIO HABUI, & LEGEM TUAM DILEXI.] Deus jubet proximum diligi, immo & inimicis ipsis bonum conferri; sed Jesus Christus verus, tutusque Divinarum Legum interpres imperat, ut odio prosequamur amicos etiam, & proximos, cum obsunt, quominus salutem nostram operemur. Ita, ait S. Hilarius, Propheta iniquos oderat, tamquam perniciosos inimicos, ac pestes, quæ ipsi tabum, ac luem possent afflare, evitabat. In ipsis nequitiam dumtaxat, & iniquitatem abominabatur, personam vero, ac salutem illorum diligebat, inquiunt S. S. Augustinus, & Hieronymus. Cogitationes, sententiasque injustas oderat, ajunt S. Ambrosius, & Theodoretus, & Dei sui Legem summopere amabat.

Hebræus aliter, ac aliter vertitur [14]: *Odi turbulentos, & Legem tuam diligo* [15]; vel *odi cogitationes* inanes, inanes fabellas; vel *perhorresco eos,* qui vanis, perniciosis-

---

1 נשבעתי ואקימה לשמר משפטי צדקך 2 Psalt. Mediol. *Bene prospera nunc.* S. Ambros. *Comproba.*
3 70. Edit. Rom. & Complut. & Regii, & Colb. codices Græci: Ἡ ψυχή μου ἐν ταῖς χερσί σου διαπαντός. Ita Ambros. & Æthiop. & Syr. 4 Apollin. Basil. Theodoret. Euthym. Heraclæot.
5 Hilar. Aug. Ambros. Hieron. in Comment. 6 Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut.
7 נפשי בכפי תמיד 8 Aqu. Ἡ ψυχή μου ἐν ταρσῷ μου.
9 Symmach. Ἡ ψυχή μου μετὰ χεῖρα μου. 10 Theod. ut 70. Ἐν ταῖς χερσί μου.
11 5. Edit. Ἐν χειρί μου. 12 Hilar. Ambros. *Hæreditavi.*
13 נטיתי לבי לעשות חקיך לעולם עקב 14 סעפים שנאתי ותורתך אהבתי 15 Ita Hieronym.

ciosisque cogitationibus vacant : vanos homines, ac leves, quibus nihil certum in Religione, vel homines perversos ; quæ tanta varietas satis probat, haud exploratam esse veram vocis in authographo significationem.

℣. 114. ADJUTOR, & SUSCEPTOR MEUS ES TU.] Hebr. [1] *Tu es asylum, & clypeus meus*, spes, & fortitudo mea.

℣. 115. DECLINATE A ME MALIGNI, & SCRUTABOR &c.] Solitudo, & recessus necessaria sunt, quicumque Dei Legem ad unguem observare desiderat [2]. Nihil magis pestiferum, quam societas, sermones, & exempla iniquorum. Hebr. [3] *Recedite a me iniqui, & servabo* &c.

℣. 116. SUSCIPE ME SECUNDUM ELOQUIUM TUUM, & VIVAM.] In uno te, Deus, omnem spem meam constitui. Tuis pollicitationibus unice innitor. Ne permittas, me diutius in infelici captivitate hac permanere.

℣. 118. SPREVISTI [4] OMNES DISCEDENTES &c.] Iniqui omnes abominabiles sunt, infames, contemnendi. Hebr.[5] *contrivisti sub pedibus tuis omnes a via præceptorum tuorum errantes ; eo quod dolus eorum nihil aliud est, quam mendacium* ; in id unum suas cogitationes intendant, & fallant ; vel potius ; *eo quod omnis eorum industria nihil erit aliud, quam mendacium* ; inanis erit, inutilis, ut eos eruat e manibus tuis [6]. Aquila [7] : *Crucifixisti*, vel infami patibulo suspendisti *omnes discedentes ab exactitudine ; eorum enim calumniæ falsæ sunt.* Symmach. [8] *Arguisti omnes discedentes a præceptis tuis ; quoniam omnis eorum ars vana est.* Theodotion, & quinta Editio [9] : *Sprevisti*, vel ad nihilum redegisti, *errantes a rectitudine Legum tuarum ; quia cogitatio eorum injusta.*

℣. 119. PRÆVARICANTES REPUTAVI OMNES PECCATORES.] Eos aspernatus sum, tamquam fide, ac Lege carentes, cum quibus nullum haberi vinculum debet. Omnino ab illis me secrevi, & adhæsi mandatis tuis. S. Hieronymus Hebræum ita reddit [10] : *Quasi scoriam, computasti omnes impios terræ* ; tamquam metallorum æruginem eos reputavi. Aquila [11] : *Considerasti velut vini floces, omnes impios terræ.* Theodotion, & quinta Editio [12] : *Confregisti*, redegisti *ad nihilum omnes impios terræ.* Chaldæus : *Contrivisti idola ; perdidisti omnes impios terræ.* Recentiores Interpretes vertunt : *Cessare feci*, exterminavi, *veluti metallorum scoriam, omnes impios terræ.* Hebraicum textum paulo aliter legunt, ac Septuaginta, S. Hieronymus, & veteres Græci Interpretes legerunt [13].

℣. 120. CONFIGE TIMORE TUO CARNES MEAS.] SS. Ambrosius, & Augustinus eum textu Septuaginta legunt [14] : *Confige clavis a timore tuo carnes meas* : quem eumdem sensum Aquila, & Theodotion [15] secuti sunt. Sed Symmachus [16], S. Hieronymus, Syrus, ac recentiores Interpretes, qui Rabbinis adhærent, legunt. *Caro mea perhorruit*, metu infremuit, *& ego timeo terribilia Judicia tua.* Chaldæus : *Caro mea inflammata est propter timorem tui, & vereor judicia tua.* Justus numquam satis tutus est ; & licet nonnumquam amor timorem explodit, numquam tamen adeo ejicit, ut subinde per intervalla illum minime revocet, & ab eo petat suppetias, ut inanem confidentiam, atque præsumptionem auferat.

℣. 121. FECI JUDICIUM, & JUSTITIAM : NON TRADAS ME CALUMNIANTIBUS ME. [17]] Vel injuste persequentibus me, injuriam mihi facientibus, me falso accusantibus. Non semel has Deo preces effundere potuit Daniel, quoniam non semel nomen illius injuste delatum est apud Regem Babylonis. Satis superque fidei consonum est, Babylonios per summum nefas dicam intentasse Judæis, ut quamdam sibi prætexerent causam, eorum bona excipiendi, eosque persequendi.

℣. 122. SUSCIPE SERVUM TUUM IN BONUM.] Tu nosti, Domine, innocentiam meam ; suscipe causam meam adversus eos, qui mihi calumnias ingerunt, & inimicos meos. Impune nequaquam triumphum referant de infirmitate mea. Hebr. [18] : *Fac, te vadem pro servo tuo in bonum* [19]. Pro illo responde, ac illius integritatem adversus fictas inimicorum criminationes tuere. Vel : Salva me, neque permittas, ut eorum calumniis obnoxius sim, ac periculum subeam, in laqueos eorum decidendi. Amove a me hanc tentationem. Vide Theodoretum.

℣. 123. OCULI MEI DEFECERUNT IN SALUTARE TUUM.] Velut homo numquam oculos amovens a via, per quam amicum venturum præstolatur, vel tamquam uxor, quæ indesinenter portum prospicit, ut sponsum advenientem intueatur : Ita, Domine, oculi mei defatigantur, ac deficiunt nimis diu suspicientes, ac salutare tuum, atque promissionum tuarum effectus operientes, propter quas tandiu libertatem nostram sperantes expectamus. Vide supra vers. 82. Patres [20] hoc intelligunt de Patriarcharum desiderio, qui se quamprimum Messiam visuros sperabant.

℣. 124. FAC CUM SERVO TUO SECUNDUM MISERICORDIAM TUAM &c.] Duo a te peto, Deus ; primum ut me de hac eruas captivitate juxta verbum, ac misericordiam tuam ; alterum, ut me tuam Legem edoceas. In hac vita Divina misericordia semper indigemus, ait S. Ambrosius. Licet summa adnitamur ope, ut quorum nostrum est, exequamur, ac mensuram justitiæ, quam Deus poscit, adimpleamus, plurimum adhuc nobis faciendum superest, ac in dies plurima errata committimus.

℣. 126. TEMPUS FACIENDI, DOMINE, DISSIPAVERUNT [21] LEGEM TUAM.] Tempus est, ut brachii tui virtutem impendas, nosque libertati restituas. Babylonii inimici nostri iniquitatibus suis cumulum addiderunt : atque scelerum suorum mensuram expleriunt. Patres [22] ita explicant : Tempus est, quo mittas Messiam tuum, Liberatorem nostrum : Judæi prævaricationibus suis, perniciosisque explicationibus Legem tuam susque deque verterunt. Tempus est, ut prodeat nova Lex illa, quam promisisti, ut vetus reformetur, atque illius observantia in vigorem suum revocetur.

Septuaginta [23], Symmachus [24], S.S. Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Athanasius, nec non Eusebius, Theodoretus, S. Germani Psalterium legunt : *Tempus faciendi Domino* : Tempus est, ut Dominus operetur, quod in Vulgatæ tedit sententiam. Vel : *Dominus sibi reservavit tempus ad agendum* ; & hoc tem-

---

1 סתרי ומגני אתה 2 Vide Hieronym. 3 סורו ממני מרעים ואצרה מצות אלהי
4 Aug. *Ad nihilum deduxisti.* 5 סלית כל שוגים מחקיך כי שקר תרמיתם 70. Ἐξουδένωσας &c.
6 Muis, Rir. Cast. Gejer. &c. 7 Aquil. Ἀπεσκολόπισας πάντας τοὺς ἀποσφαλλομένους ἀπὸ ἀκριβασμῶν, ὅτι ψευδεῖς συκοφαντίαι αὐτῶν. 8 Symmach. Ἀπήλεγξας πάντας τοὺς ῥεμβομένους ἀπὸ τῶν συνταγμάτων σου. Μάταιον γὰρ πᾶσα ἡ δολιότης αὐτῶν. 9 Th. & 5. Edit. Ἐξουδένωσας πάντας τοὺς πλανωμένους ἀπὸ τῶν ἀκριβασμάτων σου ; ὅτι ἄδικον τὸ ἐνθύμημα αὐτῶν. 10 סיגים השבת כל רשעי ארץ S. Hieronymus legit : חשבתי Septuaginta vero : סיגים חשבת Sym. Σκωρίαν ἐλογίσω πάντας παραβαίνοντας.
11 Aqu. Στέμφυλα διελογίσω πάντας ἀσεβεῖς τῆς γῆς. 12 Th. & 5. Edit. Εἰς οὐδὲν διέκοψας τοὺς ἀσεβεῖς τῆς γῆς. 13 Legimus hodie השבת *Feci cessare*, pro חשבתי *Cogitavi, reputavi.*
14 70. Καθήλωσον ἐκ τοῦ φόβου σου. 15 Aquil. Ἡλώθη ἀπὸ φόβου σου ἡ σάρξ μου. Theodot. ut 70.
16 Sym. Ὀρθοτρίχησεν ἀπὸ φόβου σου ἡ σάρξ μου. 17 Ambros. Hilar. Aug. Psalt. Mediol. *Non tradas me nocentibus me.* Quid. apud Aug. Psalt. Rom. & S. Germ. *Persequentibus me.* 70. Τοῖς ἀδικοῦσί με. Aug. Τοῖς ἀντιδικοῦσι με. *Iis, qui injuriis me afficiunt.* Heb. בל הנחני לעשקי Aquil. Συκοφαντοῦσί με.
18 ערב עבדך לטוב 19 Aquil. Theodot. Ἐγγύησαι. Hieronym. *Sponde pro servo tuo.* Symmach. Ἀνάδεξαι : *Excipe servum tuum.* 20 Hilar. Ambros. Hieron. Aug.
21 Hieron. in Comment. *Dissipaverunt iniqui legem tuam.* 22 Ambr. Aug. Hilar.
23 70. Καιρὸς τοῦ ποιῆσαι τῷ κυρίῳ. 24 Sym. Καιρὸς πρᾶξαι τῷ κυρίῳ.

tempus est judicii dies, e Pattum sententiæ. Tunc illa exequetur, quæ toties peccatoribus minitatus est. Hebræus [1] In eodem sensu potest intelligi. Alii ita interpretantur [2]: *Tempus est elaborandi pro Domino*, illi inserviendi, illum adorandi, ac opprobrium tollendi ab illis huic illatum, qui Legem ipsius contempserunt.

℣. 127. SUPER AURUM, & TOPAZION.] Topazion pretiosus lapillus est, quem SS. Hieronymus, Hilarius, & Ambrosius, veluti pulcherrimum, ac pretiosissimum inter reliquos celebrant. Sed SS. Hilarius, & Ambrosius illud adinventum fuisse referentes regnante Ptolemæo, Lagi filio, patre Ptolemæi Philadelphi, Rege Ægypti, dubitationem ingerunt, utrum de hoc Psalmista loquatur; quandoquidem juxta illorum sententiam topazium diu post Davidem, immo & post captivitatem Babylonis fuisset inventum. Græci, Latinique [3] naturalium rerum Scriptores hujus meminere, ac illud primi Ptolemæi ævo repertum dicunt. Itaque vel eorum narratio fallax sit oportet; vel Psalmista aliud quam *topazium* isthic innuere voluisse dicendus est. Re quidem vera Hebraica vox *Phaz* [4], vel *Paz*, purissimum potius aurum, *obrizum*, significat, vel aurum de Phaz, vel Phison in Colchide, quod Moyses adeo commendat Genes. 2. 11. Vide nostrum Commentarium in eum locum.

℣. 128. PROPTEREA AD OMNIA MANDATA TUA DIRIGEBAR, OMNEM VIAM INIQUAM ODIO HABUI.] Cum tuus sim, uti sum, & diligam sanctas Leges tuas, uti diligo, cum zelo, ac fide in viam præceptorum tuorum incedo, & ab iis omnibus, quæ tibi displicere possunt, secedo. Hebræus habet [5]: *Propterea probavi* [6], recta, & justa reputavi *omnia mandata tua*; *utique omnia mandata tua*; *omnem viam mendacii detestor*.

℣. 129. MIRABILIA TESTIMONIA TUA; IDEO SCRUTATA EST EA ANIMA MEA.] Leges tuæ, Deus, invias habent profunditates, atque altitudines inaccessibiles; ideo tanta cura, atque assiduitate illis studeo. Quo magis illas meditor, eo penitiora in illis mirabilia intueor. Equidem intelligo præter ea, quæ in speciem videntur, introrsum alium majoribus mysteriis gravem, magisque profundum sensum delitescere. Hebraica vox [7], quæ *admirabilem* significat, pro *difficili* quoque usurpatur, ita ut verti queat: *Præcepta tua difficilia sunt, ideo anima mea observat illa*. Sed prior sensus magis naturalis est. Difficultas enim nequaquam ratio est, quæ ad Leges observandas nos obliget: sed earum pulchritudo, præstantia, atque admirabiles qualitates illis amorem, & observantiam comparant: hæc vera est verbi illius significatio, quod Septuaginta vulgo *intellectum quærere* vertunt.

℣. 130. DECLARATIO [8] SERMONUM TUORUM ILLUMINAT [9], & INTELLECTUM DAT PARVULIS.] Superius, inquit, Dei verba vel admirabilia esse, vel difficilia: hic ait, illa explicatione indigere, sine qua parvuli, simplices, adolescentes, qui earum rudes sunt, nihil intelligunt. Moysis Lex, & Prophetæ abditos, reconditosque procul dubio continent sensus, admodum alios ab iis, qui in litteræ superficie videntur. Judæi nequaquam ignorabant, Scripturas suas, mysteriis, atque ænigmatibus esse refertas, atque longius aliquid spectare, quam quod primo intuitu præ se ferre videntur. Daniel Babylone in Scripturis evolvendis potissimum operam, ac studium impendebat [10]. Post J. C. velum hoc ademptum est; atque in Salvatoris persona mysteriorum omnium explicationem, omniumque Prophetiarum complementum intuemur. Judæi e contra, qui J.C. qui omnis Scripturæ est consummatio, noluerunt excipere, sunt veluti cæci in pleno meridie. Per tenebras ambulant, & januam quærunt, quin inveniant; quoniam eidem terga vertunt. Quo magis progrediuntur, eo magis errant, quia a recta via discesserunt. JESUS CHRISTUS in Evangelio ad hunc locum alludit, cum ait Matth. 11. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*.

℣. 131. OS MEUM APERUI, & ATTRAXI SPIRITUM &c.[11]] Quæsivi mandata tua ea solicitudine, qua fitiens, anhelansque, unde sitim relevet, quærit. Anhelo ad Legem tuam, quemadmodum anhelitu aerem quo vivimus, respiramus. Propheta os suum aperit, petendo, quærendo, pulsando, ait S. Augustinus, & obtinet rectum spiritum, cujus ope ea perficit, quæ ex semet explere minime potuisset. Prophetæ verba summum denotant desiderium, agnoscendi, exercendique Legem Domini. Vide Psal. 80. 11. *Dilata os meum, & implebo illud*. Et Ezechiel. 3. 2. *Aperui os meum, & cibavit me volumine illo*.

℣. 132. MISERERE MEI, SECUNDUM JUDICIUM DILIGENTIUM NOMEN TUUM.] Mecum age, quemadmodum cum amicis tuis agere consuevisti. Ne permittas, nos diutius in captivitate hac immorari, ac haberi veluti scelestos homines, in quos indignationem tuam effudisti. Verti quoque potest: *Miserere mei, quemadmodum justum est, ut timentium te miserearis*. Sed prior versio magis litteræ adhæret. *Judicium* isthic modum duntaxat significat [12]. Græci simillimas his habent loquendi rationes [13].

℣. 133. GRESSUS MEOS DIRIGE SECUNDUM ELOQUIUM TUUM; & NON DOMINETUR MEI &c.] Domine, mihi fer opem, & fac, ut gratiæ tuæ auxilio ea, quæ mihi præcipis, observem: *Quid orat*, ait S. Augustinus, *nisi ut præcepta, quæ Deus imponit jubendo, impleri facias adjuvando?* Heb. [14] *Confirma gressus meos in Mandatis tuis, & non dominetur mei omnis injustitia*.

℣. 134. REDIME ME A CALUMNIIS HOMINUM; UT CUSTODIAM [15] &c.] Vide supra ℣. 122. Libera me de horum improbitate, qui omnia in nequiorem partem detorquent, qui maligne, quidquid operor, interpretantur. Ne permittas, me illotum calumniis proscindi, neque eorum pravis sermonibus adigi, ut a via virtutis secedam [16]. Recte, ac solide ac virtute constitutus sit, oportet, qui non minis, non dicteriis, non pravis impiorum sermonibus commovetur. Quotus est quisque, qui hac sit virtute prædictus, ut invidentium, atque obtrectantium calumnias pati possit? Viri boni plerumque præ cæteris maxime afficiuntur, cum eorum læditur existimatio. Hebræus verti potest [17]: *Redime me de persecutione*, de tyrannide *hominum*.

℣. 135. FACIEM TUAM ILLUMINA.] Mihi gratiam tuam elargire; hunc meum squalorem absterge, educ me de hac servitute. Vide Psal. 17. 29. 66. 2. Num 6. 25. Prov. 16. 15.

℣. 136. EXITUS AQUARUM DEDUXERUNT OCULI MEI [18]; QUIA NON CUSTODIERUNT [19] &c.] Si in eam lapsus sum infelicitatem, ut tuum fœdus infringerem, ac Legem tuam desererem; lacrymis meis scelus eluere adnisus sum. Indesinenter fletu meas abstergo peccatorum sordes, ac jugiter invigilo, ne ulterius aliquid peccem. Hæc perfectæ pœnitentiæ verus est character:

---

1 עת לעשות ליהוה הפרו תורתך   2 Chald. Syr. Arab.
3 Vide Plin. l. 37. c. 8. Et notas in eumdem.   4 מזהב ומפז
5 על כן כל פקודי כל ישרתי כל ארח שקר שנאתי   6 Ita Chald. Syr. Arab. Hamm. Munst. Mar. Pagn. Vat. Muis, Jun. Pisc. Gejer. Glass.   7 פלאות עדותיך על כן נצרתם נפשי
8 Ambros. August. *Manifestatio*.   9 Ambros. *Illuminas me*.   10 Dan. 9. 2.
11 Ambros. *Eduxi spiritum*.   12 Chald. Vat. Pagn. Tig. Jun. Muis, Geier.
13 Δινεῖ ποταμῶν ῥεῖν. Fluere ad instar amnium; & hæc: ἣ θέμις ἐστὶ ἀνδρῶν ἠτε γυναικῶν. Ad instar virorum, & mulierum.   14 פעמי הכן באמרתך   15 Hebr. Græc. Ambr. Theodoret. Ambros. *Et custodiam*.
16 Vide S. Augustinum, & Theodoretum.   17 פדני מעשק אדם
18 Hilar. Psalter. Roman. Mediolan. S. German. Carnutens. *Exitus aquarum transierunt oculi mei*. August. *Descenderunt*. Ambros. *Decursus aquarum descenderunt*.
19 Ambros. Arab. 70. *Quia non custodivi*. Ἕως οὐκ ἐφύλαξα.

racter: *Vera est pœnitentia, jugiter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare*, ait S. Hieronymus.

℣. 137. JUSTUS ES, DOMINE &c. ℣. 138. MANDASTI JUSTITIAM TESTIMONIA TUA &c.] In duobus his versiculis & in 141. 142. 144. Psalmista præcipue justitiam mandatorum Dei commendat. Justus es Domine, nobisque justas, & æquas Leges irrogas. Vel: Justus es, & præcepta tua sunt justitia, & veritas; *Justitia*, eo quod justa dumtaxat officia nostra continent; *veritas*, vel fidelitas, quod nihil promittunt, quorum fidem summa sollicitudine non præstes. Psalmista sæpe Mandatorum Dei veritatem, ejusque in promissionibus fidem commendat. Vide supra vers. 86. *Omnia mandata tua veritas*; & 142. *Lex tua veritas*, & Psal. 18. 8. *Testimonium Domini fidele*, & 88. 28. *Testimonium meum fidele ipsi*; 110. 8. *Fidelia omnia mandata ejus*; & infra ℣. 151. *Omnes viæ tuæ veritas*, & 160. *Principium verborum tuorum veritas*. Nomen hoc *veritas* est nonnunquam Justitiæ synonymum; aliquando *fidelitatem* significat; alibi *durationem*, vel id, quod non mutatur, & sæpe id tantum, quod verum est. In his omnibus sensibus Divinæ Legi potest applicari. Theodoretus hic ait, Dominum in impios animadvertere *in justitia sua*, & bonos remunerari *in veritate sua*, juxta promissiones suas.

℣. 139. TABESCERE ME FECIT ZELUS MEUS [1] &c.] Zelus meus, indignatio mea, dolor meus me conficiunt, cum intueor, Judæos fratres meos Legum tuarum oblivisci, atque Ethnicorum superstitiones sectari. Nimis multi fuerunt, qui ex illorum numero Babylone, & in Ninive captivitatis tempore Religionem suam abdicarunt. Daniel cum sociis non solum ab idolorum cultu, & Babyloniorum flagitiis, verum etiam ab eorum escis abstinuerunt: *Proposuit Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus ejus* Dan. 1. 8. Et de Tobia hæc refert Scriptura: *Cum omnes ederent ex cibis Gentilium, iste custodivit animam suam, & non contaminatus est in escis eorum* Tob. 1. 12. Adversus hos peccatores Psalmistæ zelus inflammabatur. Heb. [2] *Absumpsit me zelus meus*, exterminavit me, confecit me. Symmachus [3]: *Zelus meus me ad silentium*, ad mortem, redegit. Vide vers. 158. *Vidi prævaricantes, & tabescebam*; & 53. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus Legem tuam*.

℣. 140. IGNITUM ELOQUIUM TUUM VEHEMENTER.] Verbum tuum perfectissime probatum est igni, tamquam metallum, quod in fusoria fornacula defæcatur. Lex Domini comparatur igni, quo probamur quidem, sed non absumimur: *Sicut peccatum consumit*, S. Hieronymus inquit, *ita peccantem si convertatur illuminat*. *Urit enim sermo divinus*, verba sunt D. Augustini, *ut corrigat conscientiam peccatoris; non exurit, ut perdat*.

℣. 141. ADOLESCENTULUS SUM EGO.] Patres [4] id ad litteram explicant de Davide natu minimo inter fratres suos, qui nihilominus a Deo electus est, ut super Israel regnaret; & in sensu spirituali de Paganis nationibus intelligunt, quæ acceptæ fuerant in Ecclesiam J. C. præ Judæis, qui primi erant, ac primogeniti. Juxta vero nostram hypothesim, id explicamus vel de Daniele, qui maturato, & ex ipsa veluti adolescentia Prophetiæ spiritu repletus fuit; vel de Discipulo, pro quo Psalmus iste conscriptus est, qui ait, se licet adolescentulum mordicus tamen Dei sui Legibus adhæsisse.

℣. 143. TRIBULATIO, & ANGUSTIA INVENERUNT ME, &c.] Hæc est hæreditas Sanctorum, ac Servorum Dei. In hoc gloriam, ac suam beatitudinem collocant: *Gloriamur in tribulationibus* Rom. 5. 3. Symmachus vertit [5]: *Tribulationes, & dolores comprehenderunt me*; sed in mandatis tuis delectabor.

℣. 144. ÆQUITAS TESTIMONIA TUA IN ÆTERNUM: INTELLECTUM DA MIHI, & VIVAM [6].] Agnosco, Domine, æquitatem Judiciorum, Legumque tuarum. Hoc unum posco, ut ea perfecte intelligere valeam, atque libertati reddar; non enim amplius spiritum ducere possum in captivitate hac, quæ morte ipsa mihi gravior videtur. Vel magis simpliciter: Fac, me intelligere legem tuam, alioquin vita mea est vera mors.

℣. 147. PRÆVENI IN MATURITATE [7], & CLAMAVI.] Hebr. [8] *præveni crepusculum*, auroram, diem, & ad te clamavi. Hic ℣. 22. ait, se de media nocte consurgere; quæ omnia illius studium, ac solicitudinem ostendunt ad petendum a Deo promissionum illius complementum, ac fidei ardorem in Dei sui verbis. Sequens versiculus hoc ipsum exprimit: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua*. Daniel summa diligentia in jejunio, cilicio, cinere, ac oratione Prophetiis vacabat [9]. Præcipuum illius studium in Jeremiam Prophetam versabatur, qui captivitatis finem prædixerat, neque aliter alios quoque captivos facere consuevisse credendum est. Hebr. [10] *Oculi mei vigilias prævenerunt, ut meditarer eloquia tua*. Primam tantum vigiliam somno impertiebatur, ait Kimchi, duabus reliquis meditationi vacabat. Sed plerique putant, ipsum tertia, & postrema noctis vigilia consurrexisse; vel multum nocturni temporis in divinæ Legis studium transmisisse, ita ut nulla præteriret nox, quin e strato surgeret, ut sanctæ huic exercitationi indulgeret. Ita Deo dicabat primitias sui cordis, & mentis. Hoc nobis documento esse debet: *An nescis, o homo, quod primitias tui cordis, & vocis quotidie Deo debeas*, ait S. Ambrosius: *Mane festina, & ad Ecclesiam defer primitias pii voti*.

℣. 150. APPROPINQUAVERUNT PERSEQUENTES ME INIQUITATI [11].] A Dei Lege recedere non possumus, quin simul ad iniquitatem accedamus. Nequaquam licet inter fidem, ac infidelitatem, inter bonum, & malum hærere. Jam malum est, si bonum non agas. Non procedere est retrocedere. Legem Dei non observare, idem est, ac eam violare. Hebræus verti potest [12]: *Qui sequuntur iniquitatem accesserunt ad me, & a Lege tua recesserunt*. At sensus, quem Septuaginta, & Vulgata, Symmachus, & S. Hieronymus sequuti sunt, longe præstat. Vide vers. 163. *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, Legem autem tuam dilexi*.

℣. 151. PROPE ES TU, DOMINE; & OMNES VIÆ TUÆ VERITAS.] Væ illi, qui recedunt a te, & sanctas Leges tuas infringunt. Tu es in medio nostri; per te unum vivimus, spiritum ducimus, subsistimus [13]; tu unica es nostra felicitas; creaturæ tuæ nihil habent, quod non habeant abs te. Quæ igitur cæcitas est hominum a te recedentium, atque mendacium, & vanitatem sectantium, cum in te supremam beatitudinem,

atque

---

1 Hilar. quid apud August. & Psalter. Mediol. *Zelus tuus*. Et ita 70. & Græci PP. Alii apud August. Psalt. Rom. S. Germ. Carnut. *Zelus domus tuæ*. Ambros. *Exquisivit me zelus domus tuæ*. August. *Tabescere me*.

2 צמתתני קנאתי Aquil. Ἐξώλεσέ με ὁ ζῆλός σου. 3 Symm. Ἀπεσιώπησέ με ὁ ζῆλός μου.

4 Ambros. Hilar. Theod. Hieronym. August. 5 Symmach. Θλίψις καὶ συγκλεισμὸς κατέλαβόν με. Αἱ δὲ ἐντολαί σου ἐτέρπον με. 6 August. Ambros. *Justa testimonia tua in æternum; intellectum da mihi eorum, & vivifica me*. Hilar. *Intellectum da mihi eorum & vivificet*.

7 Ambros. *Anticipavi in maturitate*. Edit. Complut. *In immaturitate*: 70. Ἐν ἀωρίᾳ. August. *In intempesta nocte*. 7 קדמתי בנשף 8 Daniel. 9. 2. 3. & sequ.

9 קדמו עיני אשמרות לשיח באמרתך 70. Προέφθασαν .... πρὸς ὄρθρον. Aug. *Ad matutinum*. Ambr. *Mane*.

10 August. *Appropinquaverunt persequentes me iniquitate*; Ambros. Quid. Codd. apud August. Psalter. Sanct. German & Carnut. *Inique*. Psalter. Roman. *Iniqui*.

12 קרבו רדפי זמה מתורתך רחקו Sym. Ἐπλησίασαν οἱ διώκοντές με. S. Hier. *Appropinquaverunt persequentes me sceleri*.

13 Act 17. 28. *Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus*. Vide Jerem. 23. 23.

atque perfectam quietem possint invenire? Aliter: Prope tu es, Domine, ut nos tuearis, & salves; sed procul es a peccatoribus ℣. 155. *Longe a peccatoribus salus*. Eos sibimet derelinques, ac in sua obduratione peribunt. Demum Lex tua est prope nos [1]. Nequaquam vel ad Cœlum ascendendum est, vel ad imum usque terræ descendendum, ut inveniatur. Ipsa est in ore nostro, & in corde nostro. Tu nos illam edocuisti; eam scimus; nostrum est eam observare; neque ullam afferre possumus excusationem, si prævaricemur. Sensus hic fortasse est melior: hic enim Psalmista alludere videtur ad Deuteronomium 30. vers. 11. 12.

℣. 152. INITIO COGNOVI DE TESTIMONIIS TUIS; QUIA IN ÆTERNUM FUNDASTI EA.] Jampridem scio, didicique ex patribus meis, Legem tuam esse æternam. Innititur illa æternæ veritati, immo tibi ipsi, Domine, & Sapientiæ tuæ. Ante Moysem ipsum erat illa in corde Sanctorum tuorum, ac æternum subsistet inter veros tui numinis adoratores, Judæorum lex adhuc viget, sed longe purior, & perfectior, in Religione Christiana. Verti quoque potest [2]: Jamdudum novi Legem tuam, ac illi a teneris usque unguiculis studui; quoniam constituisti eam, ut observaretur, ac æternum vigeret. Confer vers. 60. *Principium verbum tuorum veritas; in æternum omnia judicia justitiæ tuæ*.

℣. 153. VIDE HUMILITATEM MEAM, & ERIPE ME.] Non semel hactenus intuiti sumus humilitatis nomen, ad humiliationem, atque afflictionem innuendam. S. Hilarius, S. Augustinus, & Theodoretus hoc de virtute humilitatis intelligunt. Psalmista Dominum orat, ut illius rationem habeat, & auscultet preces, quas humillimis sui cordis sensibus, ante ipsum effundit.

℣. 154. JUDICA JUDICIUM MEUM, & ERIPE ME.] Me tuere, suscipe causam meam [3] adversus Babylonios, qui in me calumnias, & convicia ingerunt: educ me de hac servitute, mihique vitam redde cum libertate. Fidem eorum præsta, quæ mihi promisisti.

℣. 155. LONGE A PECCATORIBUS SALUS.] Prævaricatores Judæi, qui Legem tuam abdicarunt, sperare nequaquam debent, se visurus salutare tuum, neque ex illis evasuros vinculis, in quæ illos tua ira conjecit. Pro illis non oro, Domine; verum ne permittas, Justos eas subire pœnas, quæ improbis tantum debentur, neque propter peccatorum scelera diutius nostras differri vindicias. Sunt, qui vertunt: *Salus sit longe a peccatoribus*

℣. 157. MULTI QUI PERSEQUUNTUR ME, & TRIBULANT ME &c.] Verumtamen nihil me a Legibus tuis potest avellere. Hinc Babylonii, illinc falsi fratres, hi propter livorem, ac invidiam, illi propter improbitatem, ac odium me persequuntur; sed ego a Legum tuarum observantia ne latum quidem unguem recedo. Hoc unum me angit, & affligit, quod malum nempe video, ac illum vetare non valeo: *Vidi prævaricantes, & tabescebam &c.*

℣. 158. VIDI PRÆVARICANTES, & TABESCEBAM; QUIA ELOQUIA TUA NON CUSTODIERUNT.] *Prævaricantium* nomine præcipue Judæos infideles, ac Divinæ legis violatores intelligit; quorum plurimi fuere in Babylonis captivitate. Vide vers. 136. 139. & 100. Hebræus [4]: *Vidi prævaricantes, & fastidivi*, & dolui. Vel: *In ipsos contendi* [5], adversum illos insurrexi. Septuaginta [6], Arabs, S. Augustinus, vetera quædam exemplaria apud S. Ambrosium: *Vidi insipientes*. SS. Hilarius, & Ambrosius, vetus Commentarium sub nomine Sancti Hieronymi, antiqua Psalteria toties memorata cum Aquila, Theodotione, atque Editione sexta legunt [7]: *Vidi non servantes pactum*. Symmachus, & Editio sexta [8]: *contemnentes*, vel infringentes *fœdus*.

℣. 160. PRINCIPIUM VERBORUM TUORUM VERITAS.] De promissionum tuarum veritate, non ambigo, Domine, novi eas ipsi veritati inniti, æternasque, & immutabiles esse. Si ea, quæ per prophetas tuos nobis minitatus es, adimpleta sunt; si earum effectus in ea captivitate, in qua tabescimus, experimur, nonne æquo jure sperandus est nobis promissionum tuarum effectus, futurum ut brevi in patriam revertamur.

℣. 161. PRINCIPES PERSECUTI SUNT ME GRATIS.] Dixit supra ℣. 16. & 23. Principes jam sedisse, atque simul convenisse, ut in illum lite agerent, se vero imperterritum coram Regibus fuisse locutum: quem locum de Daniele, ac sociis illius explicuimus. Ad eos hic etiam locus belle referri potest. Omnes Captivi Babylonis plurima ab Aulicis, ac Principibus Aulæ Nabuchodonosor perpetiebantur: at Daniel eorum contumeliis præ cæteris magis expositus erat propter dignitatem, officium, ac locum, quem in Aula obtinebat; quæ res plurimorum invidiam, ac inimicitias illi conflabat. Auctor hic ait, quantuscumque esset inimicorum numerus, ac potestas, multo minorem illi metum incessisse, quam quem majestas ac vis verborum Domini ipsi injiciebant [9]. Loqui autem mihi videtur, de minis, quas Lex in illos intentat, a quibus infringitur. Vide Levit. 26. & Deut. 28. Patres hoc de Martyrum constantia interpretantur.

℣. 162. LÆTABOR EGO SUPER ELOQUIA TUA.] Majorem ex Legis tuæ studio voluptatem percipiam, quam vel avari in opibus suis, vel Victores in divitibus spoliis de hoste relatis, inveniant. Confer ℣℣. 14. 72. 127. ubi eamdem ferme rem exprimit. Superiori versiculo de reverentiali timore quem sibi Domini Lex injiciebat, locutus, ne quis arbitraretur, ideo vel ipsum ab eadem abhorrere, vel hanc illi non satis placere; isthic se ex ea infinitam voluptatem, ac omnium terræ hujus voluptatum suavissimam haurire profitetur.

℣. 163. INIQUITATEM ODIO HABUI.] Hebr. [10] *odi mendacium*. Babylonii emphatice mihi proposuerunt inanem commentitiæ Religionis suæ pompam: sed nihil in ea, solidum, ac verum inveni, & vanitates tantum, ac fabellas deprehendi. Quin me a Lege tua dimoverent; hoc immo majorem ejusdem amorem accenderunt: *Legem tuam dilexi*. Vide ℣. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut Lex tua*.

℣. 164. SEPTIES IN DIE LAUDEM DIXI TIBI.] Interpretum plerique [11] septenarium numerum indefinite pro pluribus vicibus, non secus ac in pluribus aliis Scripturæ locis, interpretantur. Exempli gratia, Prov. 24. 16. *Septies in die cadet Justus, & resurget*. Et Levit. 26. 28. *corripiam vos septem plagis propter peccata vestra*. Et 1. Reg. 2. 5. *quæ sterilis erat, septem filios enixa est*; & Psal. 11. 7. *argentum purgatum septuplum*. Rabbinus Salomon hoc ad litteram explicat, ac vult, Deo preces effundi bis mane ante Decalogi lectionem, semel postea; bis vespere antequam lectio eadem repetatur, ac bis itidem postea: Christiana quoque Ecclesia id ad litteram intellexisse videtur, cum Canonicas Horas instituit, quæ numero septem sunt, quin noctis vigiliæ recenseantur, quas Propheta superius ℣. 62. memoravit dicens, se media nocte ad Domini laudes recinendas consurgere: Septem hæ Horæ sunt Laudes, quæ sub auroram recitantur, Prima, Ter-

1 Deut. 30. 11. 12. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet in cœlum ascendere? &c. . . . . Sed juxta est sermo valde in ore tuo, ut facias illum.* 2 קדם ידעתי מעדותיך כי לעולם יסדתם
3 ריבה ריבי וגאלני לאמרתך חייני 4 ראיתי בגדים ואתקוטטה
5 Chald. Kimchi. 6 70. Εἶδον ἀσυνετοῦντας, καὶ ἐξετηκόμην. Aug. *Vidi insensatos*.
7 Aquil. Theod. 5. Edit. Ἀσυνθετοῦντας. 8 Sym. & 6. Edit. Ἀθετοῦντας.
9 Vide Theodoret. 10 Hilar. Ambr. Aug. Hieronym. 11 שקר שנאתי
12 Vatab. Muis, Geier. du Pin. Ferrand. alii passim. Quid. apud Theodoret.

tiæ, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium [1].

℣. 165. PAX MULTA DILIGENTIBUS LEGEM TUAM [2]; & NON EST ILLIS SCANDALUM.] Amor, & observantia Divinæ Legis sunt felicitatum omnium origo. Nihil obesse potest illis, qui Dei sunt. Non persecutiones, non alia hujus vitæ mala, non ipsa mors eos perterrent [3]. Hæc simul eorum pacem, ac animi tranquillitatem perturbare non valent, neque illis scandalum ingerere, ac in scelus pertrahere. Eos Fides illuminat, Spes sustinet, accendit Charitas, ac suave reddit, quidquid de manu Dei illis contingit. In Hebræorum stylo *pax* quodvis bonorum, ac prosperitatum genus significat; *scandalum* vero tumultum, lapsum, infelicitatem [4].

℣. 166. MANDATA TUA DILEXI.] Hebræus [5], Septuaginta, S. Ambrosius, ac S. Germani Psalterium: *Mandata tua feci*.

℣. 167. DILEXIT EA.] Complures legunt [6]: *Et dilexi ea valde*.

℣. 170. INTRET IN CONSPECTU TUO ORATIO MEA.] S. Ambrosius [7], Eusebius, S. Athanasius legunt in Græco textu *axioma*, quæ vox dignitatem significat: *Accedat ad te dignitas mea*. S. Ambrosius putat, Librarios pro *axiosi* posuisse *axioma*; illa enim vox significat *orationem*. Sed Græca, quæ nunc habemus exemplaria, unanimi consensu legunt *Deesim* [8], orationem, quemadmodum & Vulgata legit. Hebr. [9]: *Laus mea*, vel *clamor meus accedat ad te*.

℣. 171. ERUCTABUNT LABIA MEA HYMNUM.] S. Hilarius: *Eructaverunt*. Eusebius quoque legit in Græco [10]: *Labia mea cecinerunt hymnum*. Alia Græca Exemplaria [12]: *Labia mea eructent hymnum*. Hebr. [11] *Labia mea pronuntiabunt laudes tuas*; tamquam fons abundans, qui emittit extrinsecus aquas cum impetu.

℣. 175. VIVET ANIMA MEA, & LAUDABIT TE.] Cum me eduxeris de Captivitate, anima mea sibi videbitur recentem vivere vitam, in novis habitare plagis, atque tuis tantum laudibus vacabit in terra Israelt *Judicia tua adjuvabunt me*. Lex tua erit præsidium, spes, solatium mihi.

℣. 176. ERRAVI SICUT OVIS, QUÆ PERIIT. QUÆRE SERVUM TUUM &c.] In hac Babylonis terra sum veluti in deserto erranti ovi simillimus. Verum licet longe sepositus sim, tuus semper sum Domine, ex gregis tui numero. Ne tradas me inimicis meis, Lupis hisce rapacibus. Veni, ut quæras me, ut revoces in patriam meam, in pascua tua. Scis, quam fideliter tuis semper mandatis adhæserim. S. S. Hilarius, & Ambrosius, Psalterium S. Germani, & Exemplaria quædam apud S. Augustinum legebant: *Vivifica servum tuum*, pro *Quære servum tuum*. Verum mendum hoc ex Græco profectum est, ubi perperam legerant *Zeson* pro *Zeteson* [13].

1 Vide S. Bened. Regul. c. 8. & 16.
2 Hilar. & Ambros. *Nomen tuum*.
3 Rom. 8. 38. & sequ.
4 Vide Exod. 10. 7. 1. Reg. 18. 21. Psal. 48. 14. Isai. 8. 14. Ezech. 7. 19.
5 מצותיך עשיתי 70. Τὰς ἐντολάς σου ἠγάπησα. Ambr. Psalt. S. Germ. *Mandata tua feci*.
6 Aug. Psalt. Rom. S. Germ. Carnut. *Et dilexi ea valde*.
7 Ambros. hic. Ἀξίωμά μου, pro Ἀξίωσις.
8 70. Rom. & Complut. Ἠγγισάτω ἡ δέησίς μου.
9 תקרב רנתי לפניך
10 Euseb. Ἐφθέγξατο.
11 70. Ath. Theodoret. Ἐρεύξαιτο, *Eructent*.
12 תבענה שפתי תהלה
13 Ζῆσον, *Vivifica*, pro Ζήτησον, *Quære*. Hebr. בקש *Quære*.

PSALMUS CXIX.

Conqueritur propheta de pravitate detrectatorum; ac de exilii sui diuturnitate.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM, vel DISSERTATIO in quindecim Psalmos Graduales.

Tanta est de Psalmis Gradualibus sententiarum inter varios Scriptores varietas, ut operæ pretium nos facturos arbitremur, si fusius hac Dissertatione nostra idem argumentum dignum sane Dissertatione, tum merito suo, cum arduitate tractaremus. Illud ergo agendum est nobis, ut certus, si fieri potest, Author, finis, occasio, tempusque scribendi, quibus incognitis vix psalmos illos intellectu assequeremur, determinetur.

Titulus ipse in hæc verba conceptus, *Canticum graduum*, plura observanda proponit. Theodotion vertit, *Cantica ascensuum*; nec abludunt Aquila, & Symmachus, reddentes, *Cantica pro ascensibus*. Chaldæus habet: *Canticum in gradibus abyssi*. Obscura plane inscriptio, quæ Hebræorum traditione in Thalmud relata explicatur [1]. Narrant igitur Hebræi, quo tempore secundi Templi fundamenta, soluta jam captivitate, jaciebantur, uberrimam aquarum venam e terra pullulasse, ut ad altitudinem 1500. cubitorum assurgentes jam aquæ, totius mundi demersionem minitarentur, nisi Achitophel (vir ille celebris, qui laqueo sibi fauces præcidit sub Davide, nempe 400. annis ante solutam captivitatem) prompte accurrens, opportune ineffabile Dei nomen stans super 15. gradus Templi descripsisset. Is velut agger aquis crescentibus appositus est. Totam hanc fabellam construunt Hebræi super illa verba Psalmi 129. *De profundis clamavi ad te, Domine*. Validum sane fundamentum genti, quæ in procusas a patribus suis fabellas cæcorum more feruntur. Junius, & Tremellius reddunt Hebræum illud, *Cantica excellentiarum*; quod Muisio, aliisque nonnullis peritis Interpretibus non displicet. Vulgo tamen receptior est lectio, *Canticum graduum*.

Sed qui gradus isti, unde quindecim Psalmis titulus? Non alio quærendos illos Interpretes reputarunt, quam in Templo Jerosolymitano; & cum quindecim Psalmi ea inscriptione donentur, totidem etiam gradus in Templo investigandos susceperunt. Minus opportune Ezechiel 40. 22. 26. nonnisi septem statuit, pro singulis quatuor januis, atrii populi, & octo pro atrio Sacerdotum [2], totidemque tandem ex atrio Sacerdotum ad Tem-

1 Talmud. Tract. Succah. cap. 5. Sect. 4. Kimchi, alii Pseudo-Evang. de Virginis Nativitate n. 6. insinuant. 15. Psalmos in 15. gradibus cantari. Receptum id est Hebræorum traditione.
2 Ezechiel. 40. 31. 37.

ad Templi vestibulum, eodem Ezechiele authore 40. 49. ascendebatur. Cum igitur nihil suppetat opportunum in Scriptura, ad Josephum confugiunt, cujus testimonio constat, ex atrio mulierum per quindecim gradus ad magnum atrium ascendi; isti autem gradus, ait, humiliores erant aliis quinque, quibus ad alias portas ascendebatur; addit demum, in Sanctuarium per 13. gradus ascendi [1]. Itaque super quindecim hosce gradus e claustro mulierum ad magnum atrium deducentes, inquiunt hujus sententiæ patroni [2] quindecim isti Psalmi cantabantur. Affirmandum tamen mihi sumo, nullius censuram timens, numquam Levitas eo loci cantasse. An quindecim isti gradus ejusdem essent ætatis, ac Authores Psalmorum; an pariter Levitæ eo loci umquam stare ad cantandum consueverint, nemo sane demonstraverit. Consuetus cantandi locus constitutus erat in atrio Sacerdotum, & quandoque pariter, uti facile credimus, in superiori atrii Israel parte, e regione portæ ad atrium Sacerdorum deducentis.

Alii decantatos Psalmos illos credunt [3] super quindecim gradus ad vestibulum Sancti. Verum gradus in Sanctum deducentes Ezechiel sua ætate 8. Josephus 12. enumerat; ex quo sententiæ illius fundamentum omne corruit. At enim in Templo Salomonis quindecim erant gradus. Esto, fuerint; sed primo quindecim isti Psalmi Salomonis ætate posteriores sunt. 2. Quindecim gradibus ex atrio Sacerdorum ad vestibulum Sancti aditum patuisse in Templo Salomonis, quo indicio demonstratur? Res est igitur incerta, adeoque proposito nostro minus servit; principio enim incerto posito, nihil certi deduci potest.

Sunt qui gradus illos non in Templo quidem, sed per totam Urbem discurrentes, tandem in vertice montis Sancti repererint. Recentior quidam Author [4] censuit, Psalmos illos decantandos fuisse a Levitis excubias in domo Dei agentibus, super ascensum ex Urbe ad Templum. Per singulas noctis horas Levita excubias agens Psalmum cantabat, quo fratres suos ad vigilandum, laudandumque Dominum hortaretur. Porro hujus adhortationis formula legitur in Psal. 133. qui unus est ex Gradualibus. Sed, ut cætera admittamus de Levitis, excubias in Templo agentibus, quod in Scriptura pariter insinuatur [5]; affirmandum non abs re susciperemus, Cantica illa nihil præseferre congruens ascensui illi ex Urbe ad Templum; sicut etiam nullo argumento probari, Levitas per varias noctis horas varia carmina decantasse; ac tandem in eum usum quindecim istos Psalmos destinatos.

Nec moror eorum sententiam, qui spectatos credunt in inscriptionibus istis gradus Templi Salomonici, sive Horologii Achaz; temere hæc omnia effutiuntur, & quo magis Psalmi illi discutiuntur, eo minus hisce conjecturis credimus.

Quicumque in ea fuerunt sententia, Psalmos illos ideo potissimum ascensuum, sive elevationis inscriptos, quod a Levitis in prominenti aliquo suggestu in Templo posito cantarentur; egregie illi quidem demonstrant, post solutam captivitatem in superiori atrii Israel parte suggestum quoddam fuisse, unde a Levitis Textus Legis legebatur pariter, & explicabatur [6]; quemdamodum nostra etiam ætate Sacri Oratores e suggestu Verbum Dei annunciant, & Diaconus Evangelium legit. Sed illis demonstrandum pariter superest, eo loci decantari Psalmos consuevisse, & potissimum quindecim, de quibus impræsentiarum; quod numquam evincent.

Hieronymaster [7] tradit, in Templo Jerosolymitano plures fuisse dignitatum gradus, quibus singulis distinctus in Templo locus constitueretur. Supremus, qui & decimus quintus, Summo Sacerdoti destinatus, secundum tenebant inter Sacerdotes Viri amplissimi, alterum a Summo Pontifice dignitatis gradum obtinentes. Tertius erat Sacerdotibus; quartus Levitis, inter quos variæ classes cætera implebant loca a quarto usque ad postremum. Totum hoc systema merum est commentum; fac autem verum fuisset; quid hæc ad quindecim Psalmos? mentem suam in ea re confuse adeo, & parum exacte explicat Author ille, ut inexplorata nec satis sibi credita loqui videatur.

Rabbinorum nonnulli [8], quos Commentatores plurimi sequuntur [9], verrendum credunt, *Psalmus elevationis*; qua scilicet inscriptione designetur, Psalmos illos clarissima voce cantandos; sive quod Cantores sensim vocem suam ad singula Cantica intenderent; ut decimus quintus Psalmus totidem musicis notis altius quam primus cantaretur. Malunt alii [10], vocem *Mahaloth*, quæ in Originali Hebræo legitur, designasse, sive musicum instrumentum Judæis peculiare, sive vulgarem quamdam, ad cujus normam Psalmi cantus dirigeretur, cantilenam, vel musicam quamdam ejus decantandi Psalmi rationem: vana omnia, & frivola.

Nec minus committuntur inter se Scriptores in assignanda eorum Carminum scribendorum occasione. Persuasum habent nonnulli, decantatos eos Psalmos tribus majoribus anni Solemnitatibus, Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum; cum scilicet populus ascenderet, seu veniret ex universa undique regione Jerosolymam; vel saltem cum inde ad propria remearet; ex quo, inquiunt, inditum Psalmis illis nomen: *Cantica graduum*. Statuunt alii, Davidem carmina illa dictasse, cum adversarium haberet Saulem [11], sive cum arma in se Absalomi experiretur; vel cum Arcam ad Tabernaculum in Urbe Jerusalem constitutum traduceret; vel tandem in variis rerum vitæ suæ eventibus: neque enim satis convenit, omnes istos Psalmos ad idem tempus, idemque argumentum spectare. Credunt alii [12], celebrata illis prodigia in egressu ab Ægypto, & captivitatem, in ea regione ab Israelitis toleratam, in toto eorum Psalmorum contextu spectari. Origenes l. 3. de Principiis Salomoni tribuit, ratus ab eodem Principe elucubratos, cum Arcam solemni pompa in Templum a se constructum deduceret. R. Salomon apud Lyran. hic, ad dispersionem Judæorum revocat, tristemque rerum, quem nunc habent statum; cum scilicet post eversionem Templi, & Urbis per Romanos, per omnem terrarum orbis faciem palantes dispergantur.

Ex Patribus plerique literæ Psalmorum inhærentes, in toto eorum contextu animadvertunt captivorum Babyloniæ sensus, modo vices suas, longumque exilium dolentium, modo libertatem a Deo flagitantium, modo de concessa sibi ea libertate gratias agentium, modo Festum celebrantium pro dedicatione Templi; ac tandem Sacerdotes, & Levitas ad servitia Domino præstanda hortantium: hæc enim omnia in Psalmis istis apparent. S. Athanasius, S. Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, vetus Paraphrastes Græcus sæpius a nobis laudatus, Beda, Syriacus, aliique plures veteres Interpretes a S. Hilario laudati, & inter Recentiores, Genebrardus, Vatablus, Ferrandus, D. Bossuet Episcopus Meldensis, aliique plures eamdem sententiam adoptarunt; quod etiam a nobis præstandum, & adductis e re ipsa argumentis demonstrandum est.

Solemne est Hebræis, quoties reditum suum e Babylone exprimunt, verbum *ascendere* usurpare. Ita Cyrus copiam

1 Joseph. l. 1. cap. 14. in Græc. pag. 917. 2 Rasi, Kimchi, &c.
3 Hilar. Heraclæor. Pineda, Menoch. Grot. &c. 4 Vide Epistolam Anonymi in lib. *Memoires pour servir a l'histoire de la Republique des Lettres, mois de Novembre* 1705. pag. 515.
5 Vide 1. Par. 23. 30. 31. 32. Malach. 2. 1. 2. 6 2. Esdr. 9. 4. Vide Lyran. Moller. Hamm.
7 Expositione 2. in Psal. 119. pag. 514. nov. Edit. 8 Saadias.
9 Vide Hamm. Vat. Gatak du Pin, Ainsvort. 10 Vide Rabb. Kimchi, Levi, Abenezra, Le Blanc, Ferrand. hic. 11 Moller. Muis. 12 Vide Riberam, & Villipand.

faciens Judæis ad propria remeandi [1], ait ; *Quis est in vobis de universo populo ejus ? Ascendat in Jerusalem, quæ est in Judæa*. Ea facta a Rege potestate, *surrexerunt, ut ascenderent ad ædificandum Templum Domini*. Et Sassabasar discessit cum iis, *qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor in Babylonem* 1. Esdr. 2. 1. 2. *Hi sunt autem provinciæ filii, qui ascenderunt* 1. Esdr. 7. 6. Ipse Esdras de Babylonia alios secum magno numero adducens, *primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone* ibid. vers. 9. Porro hæc vox *ascendere* ideo potissimum in rem præsentem animadvertenda, quod eadem recurrit in inscriptione horum Psalmorum. In Ps. 12r. uno e Gradualibus, Author ædificatam dicit Jerusalem, velut novam aliquam civitatem ; *illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini ad confitendum nomini Domini*. Jeremias e captivitate Judæos regressuros his verbis prædicit c. 22. 22. *In Babylonem transferentur, & ibi erunt usque ad diem visitationis suæ ; & auferri faciam eam* (ascendere faciam) *& restitui in loco isto*. Pronum est igitur, ut Psalmum *ascensuum* decantatum credamus a Judæis e captivitate regredientibus ; congruunt enim qua voces, qua phrasium analogia, qua eventuum designatio.

Validius aliud argumentum ex eo deducitur, quod ea semel interpretatione admissa, prona sunt in quindecim illis Psalmis omnia. Porro in eo argumenti genere si tandem systema aliquod statuatur, quo posito tota Textus interpretatio prona, & naturalis fluat, ipsumque vero systema historiæ maxime congruat, nihilque habeat sive temporum, sive locorum, sive personarum circumstantiis repugnans ; illud sine controversia probatur. Plus aliquid in rem nostram additur ; non enim eo semel systemate constituto, prona fluunt omnia ; sed vix aliter exponi possunt plurium Psalmorum loca, nisi misere detortis sententiæ verbis, siquidem alio quam ad captivitatem Babylonicam distrahantur. Lege, e. g. illud Psal. 119. 1. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, & exaudivit me .... Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est ! habitavi cum habitantibus Cedar* (Hebraice Mesech, & Cedar): *multum incola fuit anima mea*. Et Psal. 120. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit Cœlum, & terram*. Et Psal. 121. 1. &c. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi : in Domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem ! Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini. Illic sederunt sedes in Judicio, sedes super Domum David*. Et Plal. 122. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis*. Et vers. 3. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione, quia multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus* (divitibus), *& despectio superbis*. Superborum nomine Babylonios designari non semel observavimus [2].

In Psalmo 123. fatentur Hebræi futurum fuisse, ut ab hominibus vivi deglutirentur, & aqua absorberentur, nisi speciali Domini protectione defensi fuissent. Respexisse Deum profitentur in Psalmo 124. ad eam, quam in ipso reposuerant, omnem fiduciam ; id scilicet committendo, ne diutius subjici virgæ peccatorum cogerentur. Tandem in Psalmo 125. apertius etiam produnt : *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione*. Cum tamen non omnes e Babylonia rediissent, addunt : *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in ausiro. Qui seminant in lacrymis, in exultatione mesent* (ibant in captivitatem lugentes, redibunt exultantes). De restitutione Templi post captivitatem, toleratisque Samaritanorum persecutionibus hæc legas in Psal. 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*. Describunt deinde in eodem Psalmo, & sequenti felicem timentium Deum statum, florentem eorum posteritatem, læta connubia, prosperum laborum suorum, & expeditionum eventum, novasque constitutas in Jerosolyma sedes, & politiam.

Sermone deinde ad populum e captivitate receptum converso, hæc habet Psalmus 128. *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam. Dominus justus concidet cervices peccatorum*. Quibus postremis verbis excidium Babylonis, ac Babyloniorum sub Cyro servitus insinuatur. In Psal. 129. Israel veluti de carcere, vel ab ipso sepulchro clamans ad Deum, crimen suum confitetur, a quo tandem sperare se dicit futurum, ut *redimat Israel ex omnibus iniquitatibus ejus* ; ex omnibus nempe malis, quæ criminum merito in se induxit. Eadem confessio proxime sequenti Psalmo continuatur, & venia speratur a Deo, cujus oculi ad humiles animos demittuntur.

Israelitæ in captivitate Deum rogant in Psal. 131. ut promissionum, quibus fidem suam Davidi obstrinxerat, memor, de Templo scilicet in æternum permansuro, ac de Regno in familia Davidis in perpetuum asserendo, id tandem committat, ut Templum dejectum restituatur, ac thronum Davidis prostratum relevet. Potest etiam non incongrue idem Psalmus haberi tamquam oratio Hebræorum e captivitate Babylonica reducum, & tamquam carmen in dedicatione secundi Templi decantatum ; quemadmodum etiam apte de duobus proxime sequentibus Psalmis suspicaremur. In Ps. 132. pulchra Sacerdotum, & Levitarum in Templo Domini concordia spectatur ; & in Pi. 133. postremo e Gradualibus, populus Levitas hortatur ad agendas in laudibus Domini noctes, opemque Divinam super Israelem implorandam. Hæc sumoia Gradualium. Aperti in illis plane exprimuntur characteres, qui reditui e captivitate Babylonica congruunt, nihilque continent huic systemati repugnans. Quare scriptos illos labente jam, & soluta etiam captivitate nonnisi probabilissime suspicaremur. Describit in illis Psalmista, juxta ac Theodoretus observat, mala omnia, quæ tolerari in exilio contigit, tum & gaudium de recepto libertatis nuncio, lætoque ad propria regressu, Templi restitutione, & quæ in eo moliendo ab Adversariis illata sunt mala

Vix autem, & ne vix quidem, certus omnium horum Carminum Vates designaretur ; an etiam omnia ad unum, eumdemque Scriptorem pertineant, ambiguum. Qui Davidis opus credunt, scripta ab Authore prophetico spiritu sibi persuadent ; quippe qui vices omnes Israelitarum tum in captivitate Babylonica, cum & reditum ipsorum ad propria divinitus revelata prospexerit [3]. Veterum nonnulli Salomoni tribuerunt [4] ; facile quod Psalmus 127. in nonnullis Exemplaribus ejusdem Regis nomine inscribitur. Malunt alii, partim Davidi, partim Salomoni, partim autem vindicare Authoribus Sacris, captivitate posterioribus, uti Esdræ, Aggæo, Zachariæ, Malachiæ. Ps. 122. & 124. & 131. & 133. Davidis nomen in Hebræo præferunt, sicut & 137. Salomonis. Quod autem suspicionem in titulos illos creat, illud est, nimirum neque in Septuaginta, neque in Vulgata legi ; unde non levis ansa suspicandi datur, recentius in Exemplaria Hebræa inscriptiones illas irrepsisse.

Quicumque tandem Author lucubrationes illas scripserit, post solutam captivitatem Babylonicam vitam produxisse constat. Neque enim oracula fundit, at sensus doloris, tædii, gaudii, actionis gratiarum, populi captivi,

---

1 1. Esdr. 1. 3. 5. 11. & 2. Esdr. 7. 5. 6.
2 Ps. 118. 21. 51. 66. 78. 122.
3 Vide S. Chrysost. & Theodor.
4 Origen. de Princip. l. 3.

ptivi, in libertatem restituti, libertatem spectantis, sive de recepta secum plaudentis, exprimit. Nec tamen minus Spiritu Sancto afflante scribit, quam si præterita, sive futura nunciaret.

Stylo sunt eleganti, jucundo, florentique; brevibusque conceptus suos omnes, maxime patheticos, sed luculenter exprimit Author. Simili artificio, atque elegantia lucubrationes hasce suas scripsit, qua solent epigrammata; brevibus enim ingentem aliquem sensum complectitur. Plurimi semper facta sunt Cantica illa ab Ecclesia, cujus in Officio tum frequenter leguntur, cum etiam in capite potissimum ejusdem Officii nocturni pluribus anni diebus recitanda præscripsit. S. Benedictus inter vetustissimos Scriptores, qui certam Psalmorum per anni circulum decantandorum regulam statuerit, novem priores Psalmos Graduales distribuit in Horas, Tertiam, Sextam, & Nonam, tota hebdomada recitandas, excepta tantum Dominica, & feria secunda, quibus diebus Psalmus 118. in varias partes distributus totum Horarum Officium tenet [1].

Patres, qui intra sensus spiritualis fines se se continuere [2], quindecim illos Psalmos perinde habent, ac totidem gradus, quibus ad virtutem, æternitatemque deducimur. Præclara in illis ad mores formandos documenta, eximii religiosæ animæ conceptus, atque ad omnem vitæ statum accommoda exempla. Sive enim pondere molis corporeæ oppressa ingemiscat anima, sive ad superna adspiret, sive de acceptis a Deo beneficiis grati animi sensus exprimat, sive promovendæ gloriæ Domini, & decoris Domus Dei ardeat amore, quibus vota hæc sua omnia expleat, abunde eorum Psalmorum penus sufficiet.

1. AD Dominum, cum tribularer, clamavi, & exaudivit me. 2 Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa. 3 Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? 4 Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis. 5 Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea. 6 Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

℣. 1. AD DOMINUM CUM TRIBULARER, CLAMAVI; & EXAUDIVIT ME [3].] Inter ea mala, quibus in exilio misertime conficiebamur, ad te confugimus, & tu questus nostros audivisti, ac nos in libertatem vindicasti. Nullum orationi magis accommodum tempus, quam quo res nostræ afflictæ sunt, inquit S. Johannes Chrysostomus. Numquam humiliores, attentiores, vehementioresque sumus ad suppetias a Domino petendas, quam cum adversa jactamur fortuna, quia numquam æque nostram necessitatem agnoscimus. Immo neque Deus alio umquam tempore paratior est, ac expeditior precibus nostris audiendis, quam cum similis ingruat occasio. Certissima jam spes est e periculo evadendi, cum per orationem ad Deum convertimur. *Conversio deprecandi, maxima pars, ac spes est salutis*, inquit S. Hilarius.

℣. 2. DOMINE, LIBERA ANIMAM MEAM A LABIIS INIQUIS, & [4] A LINGUA DOLOSA.] Cum dolore conficerer, tibi dicebam, Domine; libera me de manu Babyloniorum, inter quos vitam misertimam vivo, & cujus labia sunt labia iniquitatis, vel *mendacii* [5], & quorum lingua dolosa est. Populus exlex, fine fide, fine veritate, fine Religione, qui id unum quærit, ut me in errorem inducat, atque calumniis proscindat.

℣. 3. QUID DETUR TIBI, AUT QUID APPONATUR TIBI [6] AD LINGUAM DOLOSAM?] Quid recipies, vel quid tibi cedet ex lingua tua dolosa? Hic Hebraici textus sensus est [7], habet enim: *Quid dabit sibi, vel quid addet ille sibi, o lingua dolosa?* In juramentis, atque imprecationibus, ita loquebantur Hebræi [8]: *Hæc mihi faciat, Dominus, & hæc addat, si &c.* Hoc in loco Captivi extremas minitantur Babyloniis calamitates. Quæ non meremini supplicia, quæ fulmina in caput vestrum, o dolosæ linguæ, immittenda non sunt? Fulgura hæc, & fulmina sequenti versiculo per ea verba designantur: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.*

Patres [9] id vulgo intelligunt, perinde ac esset hæc Dei responsio ad questus Psalmistæ, vel captivorum: Quid tribui vobis potest, ut a dolosis, atque maledicis linguis tuti sitis? Vel, ne conqueramini, neque animos despondeatis, si in vos evomunt impii sua probra, & calumnias; Dominus eas pro meritis remunerabitur. Quibus autem illos suppliciis puniturus sit, quæris? eos suis sagittis confodiet, atque carbonibus suis succendet. Vide ℣. seqn. Sensus hic non abhorret ab illo, quem juxta Hebraicum textum proposuimus, atque conformis est veteribus omnibus Interpretibus apud S. Chrysostomum [10]: *Quid dabit tibi, vel quid addet ille tibi, o lingua dolosa?*

℣. 4. SAGITTÆ POTENTIS ACUTÆ, CUM CARBONIBUS DESOLATORIIS.] Telum acutum, ac inflammatum, validis, robustisque lacertis contortum, minus quam prava lingua, est metuendum. Vetus poeta Theognides ait, hominem, qui duplex est cor, & lingua dolosa, magis obesse, si amicus sit, quam si inimicus. Cætera mala præcavere potes, eaque præoccupare, ac effugere; sed non leges, non testes, non judices, qui te a furibus, latronibusque tuentur, te possunt a maledicis linguis eripere; hæ sunt veluti sagittæ e tenebris emissæ [11], quæ vulnus inferunt, quin eas vel accedere videas, vel qua manu torqueantur, agnoscas.

Hebræus [12]: *Sagittæ potentis, vel bellatoris viri, acutæ sunt cum carbonibus juniperi.* Ita reddidit S. Hieronymus post Aquilam [13]; quem eumdem sensum recentiorum plerique sectantur. Carbones e junipero maxime urere, ac diutius sub cineribus ignem delitescentem servare dicuntur [14]: nec desunt, qui referant, integros ibi permanere, quin extinguantur. Sunt, qui Hebraicam vocem *Rethamim* de *genista* explicent, Syrus certe de *quercu*. Vocis hujus significationem in Job 30. 4. sumus scrutati, atque ostendere adnisi sumus esse genericam, & de quovis spinarum genere intelligi: itaque verti posset: *Sagittæ potentis, vel bellatoris, cum carbonibus e spinis.* Psalmista Psal. 117.

1 S. Bened. Regul. c. 18. 2 August. Hieron. Hilar. Vide & Chrysost.
3 Hilar. Aug. Psalt. S. Germ. *Ad te, Domine, cum tribularer clamavi; & exaudisti me.*
4 *Et* abundat, neque extat in Hebræo. S. Hieron. ep. ad Suniam & Fretel. 5 משפת שקר
6 Aug. *Quid dabitur tibi aut quid apponetur tibi*, &c. 7 מה יתן לך ומה יוסיף לך לשון רמיה
8 Ruth. 1. 17. & 1. Reg. 3. 16. 14. 44. 25. 22. 2. Reg. 3. 9. &c. 9 Hilar. Aug. Theodoret. Athan. Chrysost. 10 Quid. apud Chrys. Τί παρέξει σοι, ἢ τί προσθήσει, γλῶσσα δολία. Alius, τί δῴη ἢ τί προσθείη σοι, γλῶσσαν κατοτιθέντος. 11 Vide Prov. 26. 18.
12 חצי גבור שנונים עם גחלי רתמים 13 Aqu. Μετὰ ἀνθρακιῶν ἐρημικῶν. Alius, μετὰ ἀνθράκων ἐστιβασμένων. *Cum carbonibus congestis.* 14 Vide Matthiol. in Dioscorid. l. 1. cap. 87.

c. 17. 12. inimicorum suorum impetum, ac vehementiam, cum igne comparat, in spinis succenso.

Sagittæ acutæ cum spinarum flamma isthic conjunguntur, eo quod antiquitus sagittas, vel tela inflammata in hostes ejaculabantur. Terribile hoc armorum genus simul confodiebat, atque adurebat. Videri possunt notata in Psalmos 7. 14. & 75. 3. Statius Thebaid. l. 5.

Spiculaque, & multa crinitum missile flamma.

Fabularum auctores [1] narrant, veteres Gigantes oppugnasse cœlum immanium saxorum ictibus, & quernis trabibus accensis, quas sursum ejaculabantur. Hercules ardentibus telis hydram vicit [2]. Persæ [3] Areopagum obsidentes missilibus utebantur, ea combustibili materia, atque inflammata involventes. Adiri possunt Justus Lipsius in Dialogis suis de veteri obsidendarum urbium ratione, & Adnotationes Ducangii in Historiam Joanvillæi; quorum alter vetera, recentia alter hujus rei suppeditabit exempla.

B Hoc præcedenti ℣. ita subnecti potest. Quid tibi proderunt calumniæ tuæ lingua dolosa? Similis es sagittis acutis cum igne devorante conjunctis; quocumque mortem infers, ac flammam. Alii aliter explicant, perinde ac Deus querelis populi sui captivi responderet. Quid nobis auxilii dabitur, ut tuti simus, ne nobis maledicæ obsint linguæ? Ejaculabor in illas sagittas acutas, fulmina, ac tela mea, & carbones ardentes, ignem cœlestem, fulgura &c. Vel demum quonam supplicio Deus animadvertet in te, lingua dolosa? effundet in te suas sagittas, & flammas; qui sensus textui magis conformis esse videtur. Hebræi, ut ignem de Cœlo, fulmina, ac tempestates significent, his plerumque utuntur locutionibus, easque vocant sagittas, tela ignita, carbones accensos. Vide Psalmos 17. 9. 13. 14. 139. 11. Habac. 3. 11.

C ℣. 5. HEU MIHI, QUIA INCOLATUS MEUS PROLONGATUS EST! HABITAVI CUM HABITANTIBUS CEDAR [4].] Quandonam doloribus meis finem impones, quandonam me de hoc exilio educes! Hebræus legit [5]: *Heu mihi! vixi tamquam hospes in Mesech; & habitavi cum tabernaculis Cedar.* Chaldæus per *Mesech* Asiaticos intelligit; per *Cedar* Arabes. Rabbini primum nomen de *Etruscis*, alterum de *Turcis* interpretantur. Sed Mesech, & Cedar nequaquam alibi sunt inquirendi, nisi in ditione Nabuchodonosor, neque alia isthic intelligenda captivitas, quam Babylonica. *Mesech*, vel *Mosoch*, uti vocatur in Genes. 10. 2. est fortasse *Moschorum* pater incolentium montes, quibus Iberia ab Armenia sejungitur, & utraque a Colchide. Provinciæ hæ Nabuchodonosori patebant; & liquido innotescit ex 4. Regum libro 17. 23. & 18. 11. & 19. 12. in finitimis iis locis plurimos Israelitas in captivitate fuisse. Liquet etiam ab Esdra, ex iisdem Provinciis, vel finitimis complures Judæos Jerosolymam reductos fuisse [6]. Cum dicitur populus Babylonem, vel Ninivem adductus fuisse in captivitatem, ne credas, in duabus his civitatibus constitisse. Magna enim pars in Provincias distribuebatur ad agros colendos, exercendosque.

Cedar vero Arabiam Petræam, ac Euphratem versus extendebatur, in eam terram, quæ deinde Saracenorum regio vocata fuit [7]. Theodoretus quoque ait, ævo suo regionem quamdam non procul a Babylone *Cedar* fuisse appellatam; & Jeremias 49. 28. refert, hanc a Nabuchodonosor oppugnatam fuisse, atque expugnatam. Illic autem fortasse partem Judæorum, quos de Judæa abduxerat, collocavit. Isajas loquens de reditu ex captivitate c. 42. 11. innuit quosdam etiam captivorum, de *Cedar* reversos. *Sublevetur desertum, & civitates ejus; in domibus habitabit Cedar: Laudate habitatores Petræ* &c. Quorum verborum hic, mea quidem sententia, sensus est. Judæi qui hactenus permanserunt in Cedar sub Tabernaculis, pro regionis illius consuetudine, in Judæam revertentur, ibique ut ante captivitatem, domos ædificabunt.

MULTUM INCOLA FUIT ANIMA MEA [8].] Me tædet diuturnæ adeo captivitatis. Hebræus verti potest [9]: *Defatigatus sum tali mora.* Nimis diu hoc exilium patior.

℣. 6. CUM HIS, QUI ODERUNT PACEM, ERAM PACIFICUS.] Hebræus ad litteram [10]: *Ego sum pax; et cum loquor*, illi currunt *ad bellum*. Babylonii bellum dumtaxat quærunt, dissidium, tumultum; serunt contentiones, ut me invadendi occasionem arripiant.

1 Apollodor. Bibl. l. 1. c. 6. 2 Idem l. 2. c. 4. Βαλὼν βέλεσι πεπυρωμένοις, ἠνάγκασεν ἐξελθεῖν. 3 Herodot. l. 2. c. 52. 4 Aug. *Incolatus meus longinquus factus est: habitavi cum tabernaculis Cedar.* 70. Μετὰ τῶν σκηνωμάτων Κηδάρ. Ita Chrisost. & Athan. 5 אויה לי כי גרתי משך שכנתי עם אהלי קדר Quid. Ὤμοι ὅτι παροικῶν παρείλκυσα. Alius, ὅτι παρεπιδημῶν ἐν μακρυσμῷ. *Diu mansi ut extraneus.* 6 Vide 1. & Esdr. 2. 59. & 8. 15. 17. 7 Vide Hieronym. in locis Hebr. 8 Aug. *multum peregrinata est anima mea.* 9 רבת שכנה לה נפשי Vide Deut. 1. 6. 2. 3. Eccle. 12. 12. 10 אני שלום וכי אדבר המה למלחמה Aqu. Ὅταν λαλῶ αὐτοῖς, εἰς πόλεμον. Sym. Ἐλάλει αὐτοῖς πολεμικῶς. Th. Ὅταν ἐλάλουν αὐτοῖς, ἐπολέμουν με.

PSALMUS CXX.

Captivi Domini opem exposcunt; in ipso uno omnem collocant spem. Hæc est superioris Psalmi continuatio.

Canticum Graduum.

ARGUMENTUM.

Grotius putat, Psalmum hunc a Davide fuisse compositum, cum inter ipsum, & Absalon bellum arderet: Muis, & Mollerus isthic aliquod militare deprehendunt ingenium; ex quo suspicio oboriri potest inter arma, in castris, atque in medio periculorum fuisse compositum. Origenes, S. Johannes Chrysostomus, Theodoretus, Vetus Paraphrastes Græcus, Beda illum explicant, veluti orationem Judæorum in Captivitate Babylonica, reditum, ac libertatem petentium; cui sententiæ libenter subscribimus. Psalmus in Dialogi speciem efformatus est.

1. LEvavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. 2 Auxilium
meum a Domino, qui fecit cœlum, & terram. 3 Non det in commo-
tionem, pedem tuum: neque dormitet, qui custodit te. 4 Ecce non
dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. 5 Dominus custodit te, Domi-
nus protectio tua, super manum dexteram tuam. 6 Per diem sol non uret te,
neque luna per noctem. 7 Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam
tuam Dominus. 8 Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc
nunc, & usque in sæculum.

℣. 1. LEVAVI OCULOS MEOS IN MONTES, UNDE VENIET AUXILIUM MIHI.] Jerusalem in monte erat posita; & Judæa universa montibus erat frequentissima. Babylonis captivi oraturi sese Jerusalem versus convertebant, uti ex Danielis exemplo innotescit [1]. Hinc autem Liberatorem suum, ac Domini opem opperiebantur. Huc semper oculos intentos habebant.

A

℣. 3. NON DET IN COMMOTIONEM PEDEM TUUM &c.] Propheta hic sibimet respondet. Consolare, anima mea: Deus, cujus opem expectas, nequaquam patietur te labi, neque custodes Israel dormitare. Patienter Domini momenta præstolare. Hebræus in futuro tempore legit [2]: *non derelinquet pedes tuos, ita ut commovearis: et qui te custodit, non dormiet*. Te conservat, & regit: ne vereatis ipsum passurum esse, te labi, vel ipsum esse dormiturum. *Si vis habere custodem non dormientem, Deum elige custodem*, ait S. Augustinus. Aquila, Symmachus, & Theodotion in secunda persona legunt [3]: *Ne des in commotionem pedem tuum*. S. Augustinus, Apollinaris, S. Chrysostomus, Origenes, & Theodorus Heraclæota legerunt, uti Septuaginta: *Non des ad movendum pedem tuum*.

B

℣. 5. DOMINUS PROTECTIO TUA, SUPER MANUM DEXTERAM TUAM [4].] Hebræus [5]: *Dominus est umbra tua super manum dexteram tuam*. Ille lateri tuo adstat, ac incedis sub umbra ejus, sub illius protectione. Quædam Septuaginta Exemplaria [6] legunt: *Dominus custodit te*; alia; *custodiat te*; Vulgata: *Custodit te*. Confer locum hunc cum Psalmo 90. ℣. 4. 7 11. & Ps. 15. 8. *Quoniam a dexteris est mihi, ne commovear*.

℣. 6. PER DIEM SOL NON URET TE; NEQUE LUNA PER NOCTEM.] Veteres nocturnum frigus Lunæ uti diurnum calorem Soli, tribuisse videntur [7]; eodemque nomine adustionis, tum frigoris, tum caloris effectus in corporibus appellabant: videbant enim, propter utrumque plantas arescere, ac intermori, fructus corrumpi, frondes, floresque tabescere, atque in viventibus corporibus eadem propemodum impressa vestigia relinquere. Jacob in Genesi dicebat Labano Gen. 31. 40. *Die noctuque æstu urebar, et gelu*. Hebræus: *consumabar*, conficiebar, *æstu diurno, nocturnoque frigore*. Auctores quoque Græci, & Latini calori æque ac frigori adurendi vim tribuerunt [8]. Virgilius Georg. 1.

Ne tenues pluviæ, rapidive potentia solis
Acrior, aut boreæ penetrabile frigus adurat.

Et Ovidius Trist. l. 3.

Ustus ab assiduo frigore Pontus habet.

Et alibi:

Me tenet astricto terra perusta gelu.

Et Justinus l. 2. de Scythis loquens: *Quamquam continuis frigoribus urantur*. Chaldæus: Te non perterrebunt spectra matutina, cum Sol dominatur, neque noctu sub imperio Lunæ. Isajas 49. 10. Israelitarum in patriam reditum vaticinans ait, calorem, ac Solem illis minime obfuturos, ac Dominum eos deducturum illuc, ubi copiosi erumpent fontes; & 4. 6. illis daturum umbraculum, quo adversus nimium calorem protegantur, ac ubi tuto eum ingruerit imber, & grando permaneant. S. Hieronymus per Solem prosperitatem, per Lunam vero adversitatem intelligit. Dominus incolumen te per vitæ hujus bona, & mala deducet.

C

℣. 8. DOMINUS CUSTODIAT INTROITUM TUUM, & EXITUM TUUM &c.] Introitus, & exitus hic vitam universam [9], omnemque vivendi rationem, facta omnia tum interna, tum externa significat. Vide *Deut.* 28. ℣. 6. 19. *Num.* 28. 17. & 1. *Reg.* 29. 6. & 3. *Reg.* 3. 7. & 2. *Par.* 1. 10. & Act. 1. 21. &c.

---

1 Dan. 6. 10. 2 אל יתן למוט רגלך אל ינום שמרך 3 Aqu. Μὴ δῷς εἰς σφαλμὸν πόδας σου. Sym. Μὴ δῷης περιτραπῆναι. Th. Μὴ δῷης εἰς σάλον. 4 Aug. *Dominus tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ*. Sic Hilar. & Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. Carn. *Super manum dexteræ tuæ*.
5 יהוה צלך על יד ימינך Quid. Παρὰ τὴν χεῖρα τὴν δεξιάν σου. *Juxta manum dexteram tuam*.
6 Quid. Φυλάξει. Alii, Φυλάξαι. 7 Vide Theodoret.
8 Arist. Meteor. l. 4. c. 5. 9 Heraclæot. Chryst.

PSALMUS CXXI.

Captivi se, quam primum liberatum iri freti, gaudium suum testantur, quod quamprimum Domini Templum, Sanctamque Civitatem visuri sint. Dominum orant, ut benedictiones suas super Jerusalem, atque incolas ejus effundat.

Canticum Graduum.

ARGUMENTUM.

Hebræus, Chaldæus, Syrus, Psalmum hunc Davidi tribuunt: ac plurimi Interpretes ab eo in prophetiæ spiritu compositum fuisse putant, cum Templi ædificationem, atque splendorem Jerusalem, Salomone imperante prænosceret. Alii conscriptum fuisse arbitrantur in usum populi, qui ex omnibus Judææ partibus Jerosolymam confluebat tribus præcipuis anni festivitatibus. Conferri potest eum Psalmo 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum &c.* quem eadem de causa compositum fuisse opinantur. Ego autem

autem eum Origene, S. Chrysostomo, Theodoreto, atque potiori Interpretum parte hos esse reor sensus lætitiæ, quos in Judæis felix nuntium concessæ a Cyro libertatis excivit. Haud abhorret a veri specie, Canticum hoc, & alia pleraque gradualia a Levitis fuisse conscripta: isthic enim eorum zelus, atque lætitia ob Domum Dei revisendam apprime deprehenditur: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus*. S. Hilarius, Augustinus, & Hieronymus explicant de Cœlestis Jerusalem beatitudine, quidquid Auctor isthic asserit de terrestri; quæ quidem applicatio speciosa est, & apta. Septuaginta, Vulgata, & Patres in Psalmi hujus fronte David nomen non legunt.

1. LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. 2
Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis, Jerusalem. 3 Jerusalem, quæ
ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum. 4 Illuc enim
ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. 5 Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David. 6 Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te. 7 Fiat pax
in virtute tua: & abundantia in turribus tuis. 8 Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te. 9 Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.

℣. 1. LÆTATUS SUM IN HIS, QUÆ DICTA SUNT MIHI: IN DOMUM DOMINI IBIMUS.] In superioribus Psalmis captivorum preces sumus intuiti, libertatem suam efflagitantium. Hic vero gaudium suum testantur, eo quod audierunt, Cyrum edictum proposuisse, quo in libertatem vindicabantur, eisque fiebat potestas in patriam suam redeundi. Primum autem ipsorum gratiarum actionis argumentum illud est, quod Domini Templum iterum videbunt. Nihil magis speciosum, piumque magis hac sententia. Zelus, atque integritas hæc sane est admirabilis.

℣. 2. STANTES ERANT PEDES NOSTRI IN ATRIIS TUIS [1] JERUSALEM.] Olim, atque ante nostram captivitatem nos stetisse meminimus in atriis portarum tuarum, Jerusalem. Liquet, e Babylone plurimos captivorum fuisse reversos, qui Templum, antequam everteretur, jam viderant, atque Sacerdotum, Levitarumque complures ibi munere suo jam functos fuisse antequam trans Euphratem traducerentur [2]. Hebræus per futurum tempus efferri potest [3]: *Stabunt pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem*. Suavissimam, jucundissimamque patriam nostram videbimus, atque in portis tuis, & inter septa tua commorabimur. Vel *portæ* nomen pro cœtuum loco explicantes: Congregabimur in portis suis, ubi nobis dicetur jus, agemusque de negotiis nostris.

℣. 3. JERUSALEM, QUÆ ÆDIFICATUR, UT CIVITAS; CUJUS PARTICIPATIO EJUS IN IDIPSUM.] Beata civitas, cujus beatitudo super omnes habitantes in illa se effundit. Jerusalem habebatur, veluti totius Judaicæ nationis Metropolis; eamque veluti patriam suam reputabant Judæi, in omnes terrarum plagas dispersi, ejusque conservatio, prosperitas, atque nobilitas illis summæ erat curæ, quippe quæ præ cæteris omnibus ad ipsos apprime spectaret. Hebræus legit [4]: *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, quæ iterum in se ipsa coniuncta est*. Non eris amplius deserta, atque domus tuæ non erunt amplius dissipatæ, & derelictæ, ut antea. Restauraberis, & ædificia tua jugi atque continenti domorum serie sibi connexa unum dumtaxat immensum civitatis coalescentis, frequentisque corpus efficient [5]. Pulcherrimam quamvis, maximamque civitatem fulgore, & magnitudine exæquabis.

℣. 4. ILLUC ENIM ASCENDERUNT TRIBUS, TRIBUS
A DOMINI: TESTIMONIUM ISRAEL AD CONFITENDUM NOMINI DOMINI [6];] Inde autem plurimum accedet amplitudini, ac dignitati Jerusalem, quod omnes Tribus Israel illuc undequaque confluent, Omnipotentis Dei laudes celebraturæ. Lex Israelitas omnes cogebat, tribus saltem in anno festivitatibus ad Templum ascendere. Mira undequaque confluentium multitudo maximam Jerosolymis pulchritudinem, opesque maximas conferebat. Psalmista data opera omnium Tribuum Domini concursum memorat, ut innuat post reditum de Captivitate nullam amplius fore secessionem, nullumque schisma in Israel, sed universas duodecim Tribus æque simul venturas ad Dominum in Jerusalem adorandum, ut Legem adimpleant; *Testimonium Israel* [7]. Aliter: Tribus Domini in Jerusalem ascendent,
B nomine totius Israel, veluti adituræ hæreditatem Majorum suorum, ac se Domini plebem esse testaturæ: *Testimonium Israel*; atque Deum adoraturæ, eique gratias acturæ.

℣. 5. QUIA ILLIC SEDERUNT SEDES IN JUDICIO; SEDES SUPER DOMUM DAVID.] In futurum tempus hoc reddi potest [8]: *Illic enim sedebunt sedes in Judicio, throni pro domo David*. Altera magnitudinis, ac potentiæ Jerusalem ratio ea est, quod illic tribunalia, uti ante, instituentur. Sacerdotes ibi Judicia exercebunt, quæ Lex, & consuetudo illis reservarunt, sive per provocationem, sive secus; ac Principes e domo David ibi solium suum, Aulam, & Judicium habebunt, ut ea quæ ad civilia spectant jurgia, dijudicent. Duplex hæc diversa Jurisdictio in Jerusalem restituta
C undequaque maximam populi frequentiam evocabit. Chaldæus: *illic tribunal præparatum est ad exercendum Judicium: Tribunal in domo Sanctuarii ad judicandos Reges de domo David*. Constat, Hebræos Sanhedrim suo Regum Judicandorum jus tribuere. Grotius ita intelligit. Ibi est magnum Sanhedrim, judicans regnum universum, quod velut domus David reputatur. Alii [9] contendunt, Psalmistam unice hic loqui de Regiis Judicibus, qui nationis totius causas cognoscebant. Prior sensus mihi magis arridet. Certum est est enim, sub Regibus Juda Jerosolymis fuisse cœtum Judicum in Templo, omnino aliam ab eo, qui Regiis ædibus judicium exercebat. Videri potest Dissertatio nostra de *Sanhedrin* in libro Numerorum.

℣. 6. ROGATE QUÆ AD PACEM [10] SUNT JERUSALEM.]

---

1 Aug. Hilar. Arab. Psalt. S. Germ. Carnut. non legunt: *Tuis*. 2 1. Esdr. 3. 12. *Plurimi de Sacerdotibus, & Levitis, & Principes patrum, & seniores, qui viderant Templum prius, cum fundatum esset*.
3 עמדות היו רגלינו בשעריך ירושלם 4 ירושלם הבנויה כעיר שחברה לה יחדו Sym. Ἱερουσαλὴμ τὴν οἰκοδομημένην ὡς πόλιν, συνάφειαν ἔχουσαν ὁμοῦ. 5 Chrys. Theodoret. Euthym. Vat. Muis, alii passim.
6 Aug. Psalt. Rom. S. Germ. Carnut. *Ad confitendum nomini tuo, Domine*.
7 Vide Muis, Hamm. Geier. Tir. Vat. Tig. Castal. Vide & Theodoret. & Chrysost.
8 כי שמה ישבו כסאות למשפט כסאות לבית דוד 9 Vat. Muis, Geier.
10 Aug. & Psalt. Mediol. *Interrogate quæ ad pacem sunt*, &c. Ita 70. Ἐρωτήσατε δὴ τὰ εἰς εἰρήνην τὴν Ἱερουσαλήμ.

LEM.] Septuaginta: *petite ex Jerusalem, quid paci illius conferre potest*, perinde ac illa posset hanc pacem efficere. Hebræus [1]: *Rogate pacem Jerusalem: qui te diligunt, pace fruantur*; quiescant; hoc est: Deum rogate, ut benedictionibus suis cumulet Jerusalem, nuncupate vota. Dicite illi: Te æternum sospitet Deus, civitas Domini; & incolæ tui certa pace lætentur. Jeremias statum Jerusalem post captivitatem describens hæc habet c. 31. 23. *Adhuc dicent verbum istud in Juda: & in urbibus ejus, cum convertero captivitatem eorum: Benedicat tibi Dominus, pulchritudo Justitiæ mons sanctus*.

℣. 7. FIAT PAX IN VIRTUTE TUA, & ABUNDANTIA IN TURRIBUS TUIS [2].] Hæc est continuatio votorum, & precum superiori versiculo inceptarum. Regnet pax in omnibus turribus tuis; divisio, secessio, seditio a tuis civitatibus extorres ejiciantur; arces, & propugnacula tua semper validis sint communita præsidiis, & instructa commeatibus. Hebræus [3]: *Pax sit in exercitu tuo*: felix sit ille, ac tranquillus: *& oppida tua pacata sint, ac beata*. Vel: *regnet pax in antemuralibus tuis, & tranquillitas in ædibus tuis*. Numquam ad muros tuos hostis accedat, neque speciosæ

A domus tuæ interna seditione turbentur. Symmachus [4]: *Pax sit in manibus tuis*, vel in septis tuis; *& fortitudo in regiis ædibus tuis*.

℣. 8. PROPTER FRATRES MEOS .... LOQUEBAR PACEM DE TE. ℣. 9. PROPTER DOMUM DOMINI [5] QUÆSIVI BONA TIBI.] Hæc eorum est responsio, quos superiori versiculo Psalmista adhortatus est, ut Jerusalem benedictionibus cumularent. Perquam libenter pro te vota nuncupabo, civitas sancta, atque omne benedictionum genus tibi exoptabo, eo quod in te fratres mei permanent. Dominum obtestabor, ut te bonis omnibus repleat, propter domum Dei mei, quæ in tui medio consurgit. Jeremias 29. 7. scribens ad Babylonis captivos, illis suadet, ut preces effundant pro ea civitate, quo illos Dominus transtulit: quoniam

B ab illius felicitate, ac pace illorum quoque pendebat pax, & felicitas: *Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea Dominum: quia in pace illius erit pax vobis*. Lex vetat, ne Hebræi bonum aliquid precentur, & a Domino pacem pro Chananæis deposcant [6]: *Non quæratis pacem eorum, & prosperitatem eorum, usque in æternum &c.*

1 שאלו שלום ירושלם ישליו אהביך Sym. Ἀσπάσασθε τὴν Ἱερουσαλὴμ εἰρηνεύσουσιν οἱ ἀγαπῶντές σε. *Amplectere Jerusalem: qui amant te, erunt in pace*. Alius. εὐπαθησάτωσαν οἱ ἀγαπῶντές σε. *Bene sit amantibus te*.
2 Hilar. *In turribus tuis gravibus*. 70. Ἐν πυργοβάρεσί σου. 3 יהי שלום בחילך שלוה בארמנותיך
4 Sym. Εἴη εἰρήνη ἐν τῷ περιβόλῳ σου ἰσχὺς, ἐν τοῖς βασιλείοις σου. Alius, ἐν τῷ περιτειχίσματί σου.
5 Hilar. Aug. *Propter domum Domini Dei mei*. 6 Vide Deut. 7. 3. & 23. 6. & 1. Esdr. 9. 12.

PSALMUS CXXII.

Oratio Captivorum Babylonis, a Deo libertatem suam petentium, & de Babyloniorum sævitia, & crudelitate conquerentium.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM.

Sunt [1], qui Psalmum hunc Davidi tribuunt, & ab eo compositum putant, dum bellum cum Ammonitis arderet. Syrus quoque Davidi hunc refert: verum censet: Zorobabel cum aliis de Babylonis captivitate liberatis post reditum suum eum cecinisse. Origenes, S. Chrysostomus, Theodorus Heracleota, Theodoretus, Beda, hunc explicant, veluti preces captivorum sub servitutis jugo oppressorum, ac in uno Deo spem suam collocantium. Nec desunt etiam [2], qui hunc transferant ad Hebræos eo tempore, quo illos Antiochus Epiphanes persequebatur. Nos vero Græcos Patres sectamur juxta eam sententiam, quam in fronte Psalmi 119. proposuimus.

1. AD te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. 2 Ecce sicut oculi
servorum, in manibus dominorum suorum. 3 Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec
misereatur nostri. 4 Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione. 5 Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium
abundantibus, & despectio superbis.

℣. 1. AD TE LEVAVI OCULOS MEOS, QUI HABITAS IN COELIS:] In uno te, Deus, spem omnem colloco; oculos in Cœlum semper intentos teneo; inde enim, non aliunde, auxilium, atque libertatem expecto.

℣. 2. ECCE SICUT OCULI SERVORUM, IN MANIBUS [3] DOMINORUM SUORUM .... (3) ITA OCULI NOSTRI AD DOMINUM.] Tres huic loco tribui sensus possunt. I. Non secus ac servi, & ancillæ,

A opem, præsidium, ac suam libertatem e manu Domini, Dominæque suæ præstolantur; ita ab uno te, Domine, opem, ac libertatem expectamus. II. Non secus ac utriusque sexus famuli indesinenter in dominorum, dominarumque suarum os intenti minimum quemvis nutum expectant, ut imperata faciant; ita oculi nostri tibi adhærent, Domine, ut ad quodlibet manus tuæ signum accurramus. Antiquitus servorum conditio adeo in contemptu erat, ut domini ne verbum quidem

1 Vatab. & alii quidam. 2 Lyran. Vide Muis, Moller. &c.
3 Athan. Hil. Chrys. Aug. *In manus*.

dem proferre dignarentur, quibus voluntatem suam illis significarent [1]. Ad hanc quoque diem in Oriente servi coram Dominis suis eo corporis habitu prodeunt, qui satis eorum vilitatem ostendit. Videntur enim parieti innixi, immotique manus decussatas ante pectus, oculos vero in heros suos intentos habentes, & ad minimum quemlibet nutum mandata facessere paratissimi. Homerus in Iliad. ut Menelai erga Agamemnonem reverentiam designet, ait, illius oculos in hunc semper hærere, & singulos motus illius sedulo observare.

Tertius vero sensus, qui huic tribui loco potest, hic est: Non secus ac servi escam, victumque suum e dominorum, dominarumque suarum manibus unice expectant: ita, Domine, te unum respicimus, tu unica es spes nostra in diuturna hac, & gravissima captivitate. Oculos in aliquem defigere, sæpius etiam ab eo victum præstolari significat. *Oculi omnium in te sperant Domine*, ait Propheta Psal. 144. 15. *& tu das escam illorum in tempore opportuno*. Et Psal. 110. 8. eadem utitur locutione, ad innuendam in Domini potestate confidentiam. Et Psal. 24. 15. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*. Postrema hæc explicatio mihi simplicior videtur. Vide Theodoretum, & Genebrardum.

℣. 4. MISERERE NOSTRI, QUIA MULTUM REPLETI SUMUS DESPECTIONE.] Hebræus [2] *Quia nimis saturati sumus contemptu*, & opprobriis. Tot taliaque ferendo defessi sumus; patientia nostra ulterius produci nequit. Jeremias Thren. 3. 30. ait oppressum, captivumque populum opprobriis iri saturatum: *Saturabitur opprobriis*.

℣. 5. QUIA [3] MULTUM REPLETA EST ANIMA NOSTRA: OPPROBRIUM ABUNDANTIBUS, & DESPECTIO SUPERBIS.] Omnino saturata est: pudore, ac mæstitia ad extremum usque confecta est. Babylonii, impotentes hi divites, hi superbi victores nos insolenter despiciunt, in nos certatim probra ingerunt & convicia. Symmachus [4]: *saturata est anima nostra, dum divites lacessunt nos sermonibus suis, & superbi contemptu suo*. Sunt, qui ita reddunt [5]. Anima nostra, hæc ulterius mala pati non potest. Contumeliæ, quibus nos obruunt divites, & contemptus, quo nos excipiunt, redeat in caput ipsorum. Ipsi vicissim erubescant, & confundantur. Postremus hic sensus Hebraico textui [6] magis conformis videtur.

1 Vide Pignor. de servis p. 64. & nostrum Comm. in Prov. 6. 13.
2 כי רב שבענו בוז
3 Chrys. Aug. non habent: *Quia*; nec 70.
4 Sym. Πολλῶν ἐνεπλήσθη ἡ ψυχὴ ἡμῶν, ἐπιλαλήτων τῶν ὑθυνάτων, καὶ ἐξουδενιζόντων, τῶν εὐθηνούντων. Alius, τῷ μυκτηρισμῷ τῶν ὑπερηφάνων. Alius, ἐξουδενώσεως αὐτῶν εὐθηνούντων.
5 Chrysost. Theodoret. Geneb. Geier. Jun. Mar.
6 רבת שבעה לה נפשנו הלעג השאננים הבוז לגאיונים

PSALMUS CXXII.

Gratiarum Actiones Captivorum Babylonis liberatorum; qui nisi Divinæ protectionis lux sibi effulsisset, se in nullam reditus spem interituros fuisse fatentur.

Canticum Graduum.

ARGUMENTUM.

Hebræus, Chaldæus, S. Hieronymus, & Latina quædam Exemplaria Psalmum hunc Davidi tribuunt; sed Septuaginta, Vulgata, & Patres non alium titulum legerunt, quam CANTICUM GRADUUM. Sunt, qui putent, Davidem post relatam de Ammonitis victoriam [1] Deo hic gratias agere. Alii [2] Psalmum hunc transferunt ad pugnas illius cum Philisthiim prospere pugnatas [3]. S. Augustinus, & Cassiodorus, eum de Martyribus, & Confessoribus post exantlatas persecutiones intelligunt. Beda, & vetus Paraphrastes Græcus epinicion esse putant a Judæis in gratiarum actionem compositum, ob concessam a Cyro libertatem in terras Israel redeundi, cui nos sententiæ adhærebimus. Intelligi quoque potest cum Origene, Theodoro Heraclæota, ac Theodoreto, veluti gratiarum Actio Judæorum solutorum metu hostium, qui illos vexaverant & atque in ipsorum terra post reditum, eorumdem fuerant adorti.

1. NIsi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quia Dominus erat in nobis, 2 Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos. 3 Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. 4 Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. 5 Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. 6 Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. 7 Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. 8 Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram.

NISI

1 Vatab. & alii nonnulli.
2 Lyr. Muis.
3 2. Reg. 5. 20. . . . . 25.

℣. 1. NISI QUIA DOMINUS ERAT IN NOBIS &c.] Potest quidem hodie Israel asserere, nisi peculiaris Dei benignitas adstitisset, de se jam actum fuisse. Vivens adhuc devoratus erat, in imum usque defluxerat; in nullam spem reditus perditus erat. *Forsitan* hoc in loco non innuit dubitationem, immò, uti in pluribus aliis Scripturæ locis, pro plane usurpatur [1]. Hebræus [2]: *Tunc nos viventes adhuc devorassent*, vel *jam diu, viventes adhuc devorati fuissemus*. Septuaginta [3]: *Nos igitur*, vel *nos certe viventes adhuc deglutiissent*. Nisi Deus improbitari, atque imperio Babyloniorum fines circumscripsisset, nisi exilio nostro finem dedisset, Juda jam nullus esset; neque diu inter tot mala vigere potuisset.

℣. 3. CUM IRASCERETUR FUROR EORUM [4] IN NOS.] Hæc cum superioribus sunt conjungenda. In furore suo nos viventes adhuc devorasset. Postremæ hujus locutionis vim nemo non sentit. Vide *Prov.* 1. 12. & *Job.* 19. 22. 31. 31. Apud Homerum quoque invenitur.

FORSITAN AQUA ABSORBUISSET NOS [5] (℣. 4.) TORRENTEM PERTRANSIVIT ANIMA NOSTRA: FORSITAN PERTRANSISSET . . . . . AQUAM INTOLERABILEM [6].] Nisi Dominus Babyloniorum furorem cohibuisset, naufragium jam passi essemus, atque malorum omnium voragine, afflictionumque pelago jam fuissemus absorpti. Euphratem traduximus, ut Babylonem peteremus: verum ille sane levissima erat earum pœnarum, quæ nobis erant ferendæ, figura. Futurum enim erat, ut inprofundis adeo aquis inveniremur, ut nobis inde evadere integrum non esset. Verti quoque potest cum Editione Complutensi: *Forsitan aquæ nos devorassent: Anima nostra pertransiisset torrentem, pertransiisset aquas, unde numquam esset reversura*. Omnibus exploratum, & compertum est, in Sanctorum Librorum lingua, aquas, fluvios, torrentes passim immanes calamitates designare. Græca [7] vox, quam Vulgata *intolerabilem* reddidit, significare illud potest, quod non subsistit, nihilque solidum habet; aquam, cujus imum nequit inveniri; vel rem viribus nostris minime ferendam. Hoc in loco in utroque sensu potest intelligi. Anima nulla profundissimam pertransiisset aquam; vel perniciosissimam, ex qua evadere præ virium infirmitate nequaquam potuissemus.

Hebræus [8]: *Tunc nos aquæ submersissent. Torrens super animam nostram pertransiisset; tunc pertransiissent aquæ superbæ super animam nostram*. Jampridem aquarum colluvie essemus demersi. Vide Jonam 2. 4. *Fluctus tui super me transierunt*. Et Nahum 3. 19. *Super quem non transiit malitia tua*. Et Psalmus 87. 17. *In me transierunt iræ tuæ*. Et in Psalmo eodem ℣. 7. *Super me confirmatus est furor tuus; & omnes fluctus tuos induxisti super me*. Quod vero addit: *tunc pertransiissent aquæ superbæ super animam nostram*, ingentem aquarum vim, exundantes aquas, vehementem inundationem, significat; quo in sensu Jordanis exundatio, in scripturis Jordanis superbia vocatur [9]: *Vastata est superbia Jordanis*. Chaldæus per has aquas superbas Regem Babylonis, ejusque exercitum, marinis fluctibus similem significat. Vetus quidam Interpres apud S. Chrysostomum vertit [10]: *tunc superbi transiissent super animam meam, velut aquæ*. Superbi hi sunt Babylonii, quemadmodum sæpe jam vidimus [11].

℣. 5. QUI NON DEDIT NOS IN CAPTIONEM [12] DENTIBUS EORUM.] Superius dixit, futurum fuisse ut vivens adhuc ab illis deglutiretur, ac devoraretur, ni Deus obstitisset. Nunc eos veluti venatores exhibet se persequentes, & a quibus jam in retia fuerat conjectus. Sed felici eventu retia contrita sunt, & ipse effugit. Hæc omnia liberationem de captivitate, & exantlata pericula designant.

℣. 6. SICUT PASSER.] Hebr. [13] *Velut avis*. Similitudo hæc unice Judæorum infirmitatem, atque impotentiam significat; laqueus vero repente contritus miraculum illud, quo divinitus liberati sunt [14]. Hæc imago jucunda est, atque in brevitate sua, quidquid exoptari potest significat. Concludit autem horum omnium gloriam, Domino acceptam referens: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*.

---

1 Genes. 31. 42. Judith. 7. 24. Psal. 54. 13. Dan. 4. 24. Joan. 8. 19. Vide Heraclæot. Euthym. Geneb. Ferrand. & Aug. ad vers. 4. 2 אזי חיים בלעונו 3 70. Ἄρα ζῶντας ἂν κατέπιον ἡμᾶς. Quid. apud Chrys. Τότε ζῶντας, &c. 4 Hilar. Hieron. in Comment. Psalter. Rom. Mediol. Carnut. *Animae eorum*. 70. Ἐν τῷ ὀργισθῆναι τὸν θυμὸν αὐτῶν. 5 Aug. *Forsitan aqua demersisset nos*. Psalt. Rom. *Velut aqua absorbuisset nos*. Psalt. Mediol. *Ut aquam absorbuisset nos*. 6 Aug. *Aquam sine substantia*. Hilar. & Psalt. Mediol. & S. Germ. *Aquam immensam*. 7 70. Ἄρα διῆλθεν ἡ ψυχὴ ἡμῶν ὕδωρ τὸ ἀνυπόστατον. Vide Hieron. 8 אזי המים שטפונו נחלה עבר על נפשנו אזי עבר על נפשנו המים הזידונים Quid. apud Chrysost. Τότε ἂν τὰ ὕδατα περιέκλυσεν ἡμᾶς, ὡς φάραγξ περιελθόντα κατὰ τῆς ψυχῆς ἡμῶν. 9 Jerem. 49. 19. & 2. 44. & Zach. 11. 3. 10 Quid. apud Chrys. Τότε παρῆλθον ὑπὲρ τὴν ψυχὴν ἡμῶν ὡς τὰ ὕδατα οἱ ὑπερήφανοι. 11 Psal. 118. 21. 51. 66. 78. 122. & 122. 4. 12 Aug. *In venationem*. S. Hilar. & Psalt. Mediol. *In capturam*. 70. Εἰς θήραν. טרף *In prædam*. 13 כצפור Hieron. *Sicut avis*. 14 Vide Theodoret.

PSALMUS CXXIV.

Deus Justorum protector, eorumque propugnaculum, illos diu peccatorum potestati subjectos non derelinquet. Illos puniet, qui ab oculis suis aufugiunt.

Canticum Graduum.

ARGUMENTUM.

Satis feliciter Psalmus hic de Judæis explicatur, qui mutuis se se confirmabant exhortationibus, ut resisterent Sanaballat, Tobiæ Ammonitæ, aliisque hostibus, a quibus vel palam, vel per calumnias post reditum de Babylone lacessebantur [1]. Hoc est consolationis canticum. Abenezra ad Messiæ tempus spectare censet.

QUI

---

1 Vide Bedam, Theodoret. Bossuet. alios, & 2. Esdr. 4. & 6.

QUi confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem. 2 Montes in circuitu ejus: Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, & usque in sæculum. 3 Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. 4 Benefac, Domine, bonis, & rectis corde. 5 Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem pax super Israel.

℣. 1. QUI CONFIDUNT IN DOMINO, SICUT MONS SION. NON COMMOVEBITUR &c.] Non secus ac mons Sion concuti nequit, atque montes alios exsuperat, ita qui in Domino confidit, qui Jerosolymis habitat, Judæus fidelis Legum illius observator numquam commovebitur. Palam quidem vim faciant in nos inimici, opus nostrum interrumpere adnitantur, apud Regem nomen nostrum deferentes, nobis insidias struant; nihil denique intentatum relinquant, quidquid vel invidia, vel nequitia illis suggerere poterunt, ut nobis officiant, atque a Templi, murorumque Jerusalem instauratione avertant [1]: constantes, ac firmi semper erimus sicuti mons Sion, eorum irritus nisus eludemus, freti promissionibus Domini, ac spe ejus auxilii.

℣. 2. MONTES IN CIRCUITU EJUS; & DOMINUS IN CIRCUITU POPULI SUI.] Jerusalem erat in editiori regionis illius loco, quapropter eam Josephus l. 4. de Bello vocat *umbilicum terræ*. Finitima illi loca lapidosa erant, sicca, montibus obsita [2] ad stadiorum sexaginta longitudinem, ita ut accessus arduus esset jumentis, & equis: neque illuc equitatus, vel elephanti adduci possent, nisi per Idumæam, hoc est per australem partem Juda aditus quæreretur; quod factum liquet in bellis Regum Syriæ adversus Macchabæos. Romanus exercitus, cui Titus præerat, per Samariam ascendit; at illum præcesserant fabri ad vias sternendas [3]; & Judæi ab agris recesserant. Paucissimorum militum manus frequentissimum cohibere potest exercitum iis in jugis, qua patebat aditus in Jerusalem, quod Macchabæorum ævo contigisse narrat historia. Hæc itineris difficultas non postremum erat celeberrimæ hujus civitatis præsidium, quod augebatur adhuc ab situ ejus, eo quod duobus, vel tribus montibus esset imposita, ita ut inter fortissimas Orientis arces haberetur. Auctor Psalmi hæc Jerosolymæ commoda commendat. Non secus ac illa montibus undique circumsepta est, qui illam ab hostili vi satis tuentur; ita Dominus est veluti vallum circa populum suum, eumque protegit adversus hostes illius. Phocas vetus Terræ Sanctæ viator refert, Jerusalem excelsam esse simul, & humilem: excelsam quidem, si cum Judææ regione conferatur, humilem vero habita ratione montium, qui eam circumambiant. Viatores, qui a Joppe Jerusalem proficiscuntur, ajunt, Sanctam Civitatem tunc tantum videri, cum illi proxime accesseris.

Hebræus huic versiculo addit nomen Jerusalem hoc pacto [4]: ℣. 1. *qui confidunt in Domino* sunt *veluti mons Sion*, qui *numquam commovebitur*. *His æternum subsistes*, vel *illi æternum subsistent*; nulla umquam vi inde extrahentur. ℣. 2. *Jerusalem circum undique habet montes, & Dominus est circum populum suum*. Sed Vulgatæ, ac Septuaginta lectio satis est commoda, si versiculo secundo suppleveris nomen Jerusalem, quod habetur in primo. Vetus quidam Interpres apud Sanctum Chrysostomum in eodem, ac Vulgata, sensu intellexit.

℣. 3. QUIA NON RELINQUET DOMINUS VIRGAM PECCATORUM SUPER SORTEM JUSTORUM, UT NON EXTENDANT JUSTI AD INIQUITATEM MANUS SUAS.] Vel ne tentationum vi superentur, ac animos despondentes, & desperatione correpti, Dominum omnino deserant, & sequantur Idola, atque Ethnicorum flagitia. Hinc oritur, quod Dominus numquam minitatur, se afflicturum populum suum, vel se illum hostibus ejus traditurum, quin addat, se illi veniam elargiturum, si pœnitentia ductus ab improbis viis suis recesserit. S. Paulus 1. Cor. 10. 13. testatur, Deum non sinere, ut supra vires nostras tentemur, sed nobis necessariam ad resistendum illis opem polliceri: *Deus non patitur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Virga peccatorum est illorum imperium, & impotentia. Hebr. [5] *Non relinquet sceptrum iniquitatis super hæreditatem Justorum*. Isaias 10. 5. vocat virgam indignationis Domini: *Væ Assur virga furoris mei: in manu ipsorum indignatio mea*. Vetus Interpres apud S. Chrysostomum: *Idcirco justi non extendunt manus suas ad iniquitatem*.

℣. 4. BENEFAC DOMINE, BONIS. ℣. 5. DECLINANTES AUTEM IN OBLIGATIONES [6] ADDUCET DOMINUS &c.] In via Dei incedendum recta, neque a præscripta semita umquam declinandum. Qui declinat, ac flexuosas sectatur vias, habetur, veluti alienus, atque infidelis. Scelus Judæi in Domini mandata peccantis minus excusari potest, quam Ethnici sine ullo fidei lumine aberrantis, & Legem, quam non novit, infringentis. Hoc ipsum de Christifidelibus dicendum est. Quo majora nobis Deus elargitur bona, eo majora a nobis exigit. Nostrum ingrati animi vitium, erroresque nostri eum magis irritant, quam omnia Ethnicorum, ac infidelium flagitia. Videtur Auctor velle hic præsertim Apostatas Judæos designare, qui Religionem suam abdicarant, vel eos, qui nationis suæ hostibus favebant. Ex Nehemia liquet [7], non defuisse falsos fratres, & Pseudo-Prophetas in Jerusalem, qui necessitudine devincti erant cum Tobia, & Sanaballat, & qui Nehemiæ metum incutere cupiebant, eumque a cœpto murorum Jerusalem instaurandorum opere absterrere.

Hebræus [8]: *Sed eos, qui declinant*, ut sequantur *vias tuas pessimas, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, in hos tamquam in illos desæviet*. Septuaginta [9]: *Qui in obliquas vias*, vel in dolosa consilia, *divertunt, eos Dominus cum injustitiam operantibus conjunget*. Credunt nonnulli [10], Vulgatæ auctorem Græcam vocem reddidisse *obliquationes*, pro qua perperam irrepsit *obligationes*. Aquila [11] Hebræum vertit *ambages*, meandros; Theodotion, & Editio quinta [12] *vias perversas*. Simmachus [13] *sinuosos flexus*.

1 Vide 2. Esdr. 4. & 5. & 2. Esdr. 4. 6. 7. 2 Strabo lib. 16.
3 Joseph. de Bello lib. 6. c. 11. in Lat. 7. 11. Græco p. 907.
4 הבטחים ביהוה כהר ציון לא ימוט לעולם ישב (.2 ירושלם הרים סביב לה ויהוה סביב לעמו
5 שבט הרשע על גורל הצדיקים 6 August. *Inclinantes autem in strangulationem, adducet Dominus*, &c. Psalter. S. German. *Ad suffocationes* 70. Εἰς τὰς στραγγαλιάς. 7 2. Esdr. 6. 14. 16.
8 והמטים עקלקלותם יוליכם יהוה את פעלי האון 9 70. Τοὺς ἐκκλίνοντας εἰς τὰς στραγγαλιὰς ἀπάξει κύριος μετὰ τῶν ἐργαζομένων τὴν ἀνομίαν. 10 Vide Muis. 11 Aquil. Διπλοκάς.
12 Theod. & 5. Edit. Διεστραμμένα. 13 Symm. Σκολιότητας.

PSALMUS CXXV.

Gaudium, & consolatio Judæorum de Captivitate liberatorum. Dominum rogant, ut reducat fratres suos, qui sunt adbuc in dispersione, quos se quamprimum visuros sperant.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM.

Syrus Psalmum hunc tribuit Aggæo, Zachariæ, ac illis, qui una cum ipsis de captivitate redierunt. Hammondus, & Grotius hoc Esdræ opus esse suspicantur. Muis fatetur, non esse Davidis, sed alterius alicujus viri cœlesti lumine afflati, ex eorum numero, qui de captivitate reversi sunt. Beda, Mariana, Ferrandus, Choisy putant, Psalmistam hic exhibere captivorum vota ad reditum, libertatemque suam impetrandam. Origenes, Theodorus Heraclæota, Theodoretus, Vetus Paraphrastes Græcus P. Corderii decantatum fuisse putant a Judæis, Babylone in patriam reversis. Quemadmodum enim plurimi adhuc trans Euphratem Captivorum aderant, qui Cyri venia uti noluerant, & qui adhuc inter gentes incolebant; Jerosolymitani eorum fratres Dominum hic obtestantur, ut in illorum animos immittat desiderium se se cum iis conjungendi, qui ex Judaica Natione in patriam redierant. Vide ℣. 5. Sententiæ huic adhærebimus in Commentariis.

1. IN convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati. 2
Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione. 3 Tunc
dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis. 4 Magnificavit
Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes. 5 Converte, Domine, capti-
vitatem nostram, sicut torrens in Austro: 6 Qui seminant in lacrymis, in exul-
tatione metent. 7 Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. 8 Venien-
tes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

℣. 1. IN CONVERTENDO [1] DOMINUS CAPTIVITATEM SION, FACTI SUMUS SICUT CONSOLATI.] Hebræus [2]: *Cum Dominus reverti fecit transmigrationem Sion, facti sumus sicut delirantes.* Insperatus hic reditus nobis delirium aliquod visus est. Vix credere poteramus ea, quæ videbamus. Ita S. Petrus [3] ab Angelo e carcere erutus rem veram esse credere non poterat; sed simul ac Angelus evanuit, tunc se collegit. Cum Romani Civitates Græcas libertate donarunt atque in generali totius Græciæ conventu solemniter edictum hoc promulgatum fuit, tanta fuit lætitia, ut impotes gaudii vix præconis vocem se satis audivisse sibi persuaderent: *Majus gaudium fuit, quam quod universum homines caperent: vix satis credere se quisque audire; alius alios intueri mirabunde, velut somnii vanam speciem* Liv. l. 33. Tanta etiam Hebræorum lætitia fuit audito suæ libertatis jucundissimo nuntio.

Chaldæus, & alii quidam [4] Hebraicum textum ita reddunt: *tamquam ex morbo repente convalescentes.* Sed veteres omnes Græci Interpretes, [5] ac recentiorum plerique, priorem sensum sequuntur. Alii [6] futuro tempore hoc efferunt: Cum Dominus de captivitate nos liberabit, hoc velut somnium reputabimus. Exantlatorum malorum obliviscemur, quemadmodum somno experrecti, somni obliviscimur. Theodoretus putat, Textum Septuaginta in sensu admirativo ita esse intelligendum [7]: Cum Dominus captivos nostros libertate donavit, quodnam eorum fuit gaudium, quæ consolatio!

℣. 2. TUNC REPLETUM EST GAUDIO OS NOSTRUM.] Nos animum gratum tibi fumus testati Canticis nostris, atque exultationibus. Hebræus [8]: *Os nostrum repletum est risu, & lingua nostra cantu.*

℣. 3. TUNC DICENT INTER GENTES &c.] In tempus præteritum vertendum est, si, uti nos, supponis, hoc respicere Judæos jam de captivitate reversos. Tunc populi plane intellexerunt, quomodo nos veluti amicos excipias, & libertatem hanc esse dexteræ tuæ miraculum.

℣. 5. CONVERTE, DOMINE, CAPTIVITATEM NOSTRAM, SICUT TORRENS IN AUSTRO.] Lætitia nostra omnibus esset numeris absoluta, si fratribus nostris, qui adhuc trans Euphratem immorantur, cupiditatem immitteres nobiscum in patriam suam revertendi [9]. Donec cum illis iterum non conjuncti erimus, dimidiatam dumtaxat, imperfectamque voluptatem experiemur. Constat, captivos diversis temporibus identidem rediisse. Vide nostram de Israelitarum reditu Dissertationem. Psalmista addit: Reduc eos tamquam torrentem in terram australem. Eorum frequentia tanta sit; reditus eorum sit adeo celer, ut conferri possit cum aquis torrentium australium, qui rapidissima præterfluunt celeritate. Quosdam novimus in meridionali Judææ plaga torrentes, qui Gazam inter, ac Pelusium in Mediterraneum mare dilabuntur. Scriptura loquitur de torrentibus deserti, & Gazæ; eorum quoque Viatores meminerunt. Isaias 66. 12. differens de Jerosolymæ felicitate post Babylonis captivitatem, ait: *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi tor-*

1 August. *Cum converteres.* Psalt. S. German. *Cum averteres.* Hil. *Dum avertit.*
2 בשוב יהוה את שיבת ציון היינו כחלמים 3 Act. 12. 9. 11.
4 Chald. Grot. Muis, Gatak. Chaldæus in Polyglottis Antuerpiensibus editus; *Sicut homo, qui e somno suo evigilat.* 5 Omnes Interpretes apud Hieron. in Comment. *Somniantes.* Ὡσεὶ ἐνυπνιαζόμενοι. Quid. ὡσεὶ παρακεκλημένοι. 6 Vide Chald. Kimchi, Ferrand. quid. apud Chrys.
7 Theod. Τὸ ὡς ἐκπλήξεως ἐστὶ σημαντικόν. 8 אז ימלא שחוק פינו ולשוננו רנה Sym. רנה Εὐφημίας. *Acclamatio.* Aquil. Αἴνεσις. *Laus.* 9 Origen. Heraclæot. Chrysost. Theodoret. Græc. Paraphr. Muis.

si torrentem inundantem. Et 60. 3. 4. *Leva in circuitu oculos tuos & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent .... Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madiam, & Epha &c.*

Græci Patres [1] textum aliter explicant. Domine, revoca captivos nostros, & redeant velut torrentes illi, qui liquescentibus nivibus efformantur, cum ventus perflat meridionalis. In Judæa venti australes calidiores erant [2]: & cum Libani liquescebant nives, Jordanes, ac torrentes statim exundabant. Aliter [3]: Reduc eos e fratribus nostris, qui in captivitate permanserunt. Reditus eorum æque jucundus erit nobis, ac torrens in arescentibus terræ australis agris. Chaldæus: *Fac, Domine, ut redeant captivi nostri, uti redit tellus, quæ siccitatis tempore aquarum rivulis alluitur*. Aquæ exustis, ac sterilibus agris ubertatem ac decorem restituunt. Alii [4] pro torrente Austri Nilum Ægypti flumen intelligunt. Domine, revoca fratres nostros captivos; eos expectamus, quemadmodum Ægyptii aquas Nili, qui dum magni sæviunt æstus in eorum arva se effundit. Ægyptus ad Palæstinæ meridiem erat posita, & Æthiopia, unde Nilus defluit, Austrum in Scripturis vocatur [5]. Non deest suum cuique ex his explicationibus pretium. Primæ vero nobis magis arrident. Hebr. [6]: *revoca nostram captivitatem*, vel captivos nostros, *veluti rivulos in plaga meridionali*.

℣. 6. QUI SEMINANT IN LACRYMIS, IN EXULTATIONE METENT.] Hoc adagium sapit. Qui abducti fuerunt in captivitatem lacrymantes, gaudentes revertentur. Transferrur etiam ad Sanctos, & Martyres, qui per plurima traducti supplicia, infinita tandem beatitudine fruuntur. Salvator in Evangelio Lucæ 6. 21. eos beatos esse dixit, qui plorant; & Discipulis

A suis annuntiavit, lacrymas [7], & persecutiones eorum esse hæreditatem. Ait autem: Væ ridentibus [8]. Jeremias 31. 9. loquens de reditu Judæorum de Babylone, dixit: *In fletu venient, & in misericordia reducam eos; & adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea; quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est*.

℣. 7. EUNTES IBANT, & FLEBANT, MITTENTES SEMINA SUA &c.] Eadem pergit allegoria, quæ præcedenti versiculo incœpit. Captivi Babylonem euntes erant veluti Agricolæ, qui agros cum labore colunt, ac semen gementes jaciunt, futuræ messis incerti. Sed nunc cum hilaritate redibunt, veluti messores, qui aristas suas colligunt, & uberrimas segetes demetunt. Hebræus ad litteram [9]: *ibat plorans, &*
B *gerebat traham seminis* [10] quo arva consereret; *sed redit cum cantibus lætitiæ, segetes suas deferens*. Nonnulli vertunt *semen pretiosum*, vel multo emptum pretio, id quod *seminis traham* reddidimus: alii calathum, vel saccum semine refertum, quem collo alligatum defert agricola seminans. Sed versio, quam secuti sumus, tutior videtur.

Isaias Judæorum reditum his verbis describit c. 66. 10. *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo, in Domum Domini*. Et Baruc. 5. 6. *Exierunt enim abs te pedibus ducti ab*
C *inimicis, adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore sicut filios Regni*. Hæc est naturalis loci hujus in Psalmo interpretatio: Ibant gemebundi velut agricolæ, qui semen jaciunt; sed reverrentur canentes veluti messores, qui suos manipulos deferunt.

---

1 Vide Theodoret. Chrys. Euthym. Vide & Hieron. in Comment. Muis, Menoch. Flamin.
2 Luc. 12. 55. *Et cum austrum flantem videritis, dicitis; Quia æstus erit: & fit*.
3 Muis, Munst. Vatabl. Pisc. 4 Vide Hammond.
5 Matth. 12. 42. 6 אפיקים בנגב Aquil. Καταῤῥύσεις. *Defluxus*. Symmach. Ὀχετοὶ. *Canales*. 5. Edit. Ἀφέσεις. *Emissiones*. 7 Joann. 16. 20. 8 Luc. 6. 25.
9 הלוך ילך ובכה נשא משך הזרע בא יבא ברנה נשא אלמתיו 10 Vide Amos 9. 13. Geier. Boch. Ainsw. Pisc. Chald.

CAPUT CXXVI.

Inutiles sunt hominum curæ, ac solicitudines, ni Domini adsit auxilium. Filii sunt peculiaris benedictio Dei. Felicitas patris frequentem Familiam habentis.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM.

Hebraicus textus, Chaldæus, Syriacus, veteres quidam Græci Patres, puta, Origenes, S. Athanasius, & Theodoretus, nec non Latinorum nonnulli, veluti S. S. Hilarius, Augustinus, & Hieronymus in Psalmi hujus titulo *Salomonis* nomen legerunt. Sed Exemplaria, quæ habemus tum Manuscripta, cum typis edita Septuaginta, & Vulgatæ, legunt simpliciter: *Canticum Graduum*. Parum etiam convenit inter eos, qui Salomonis nomen admittunt; Alii [1] quippe tenent, Psalmum hunc esse a Davide compositum, sed Salomoni traditum, ut hinc utilissimum hoc edisceret documentum, citra Domini auxilium hominem nihil posse, ac operam ludere, quidquid agat, nisi Deus illius cœptis adfuerit. Alii [2] putant, Salomonem hunc fuisse elucubratum regni sui initio, dum Templo ædificando invigilaret. Non desunt [3], qui sub nomine Salomonis censeant isthic Zorobabel esse intelligendum, qui Templi alterius conditor fuit post captivitatem Babylonicam. Alii demum [4], quin negotium illis titulus facessat, hunc Aggæo, vel Zachariæ tribuunt vel alicuipiam Prophetarum, qui Nehemia imperante vivebant; cum maxime urgebatur opus, primum quidem in muris Jerusalem restituendis, mox etiam in Templo ad pristinum fulgorem revocando. Auctor isthic populum ad-

---

1 Vide Muis, Pisc. Rab. Salom. 2 Hilar. Beda, Mariana, Hamm.
3 Origen. Theodoret. 4 Heraclæot. Chrysost. Syr. alii. Vide Euthym. & Græc. Paraphrast. Corderii.

lum adhortatur, ut in Domino spem omnem collocet, & congruam quietem capiat; irriti enim erunt omnes illorum conatus, laboresque, nisi Deus ipse illos ab inimicis eorum fuerit tutatus. Hic verus est Psalmi sensus, qui compositus fuit, dum Tobias, & Sanaballat, Nehemiæ opera diruere conarentur. 2. Esdr. c. 4. & 6.

1. NIsi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant
eam. 2 Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custo-
dit eam. 3 Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite, postquam
sederitis, qui manducatis panem doloris. 4 Cum dederit dilectis suis somnum:
ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris. 5 Sicut sagittæ in manu
potentis: ita filii excussorum. 6 Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex
ipsis: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

℣. 1. NISI DOMINUS ÆDIFICAVERIT DOMUM, IN VANUM LABORAVERUNT &c.] A Domum ædificare, triplicem in sensum potest explicari; primo, ut significet, Templum, vel Domum Dei ædificare; illud enim passim solo *Domus* nomine per antonomasiam designatur; secundo, domum, uti vulgo, extruere; tertio, frequentem posteritatem obtinere: quo in sensu dicitur in Exodo 1. 21. ædificasse Deus obstetricibus Ægyptiis domos, eo quod Hebræorum fuerant misertæ; & in Deuteronomio 25. 9. præcipit Dominus, ut qui tenuit ducere conjugem viduam fratris sui, absque liberis vita defuncti, excalceetur coram populo, ac illi dicatur: *Sic fiat homini, qui non ædificat domum fratris sui.* Tres hos sensus admittere potest locus iste, quem explicamus. Verum est, si asseras, nisi Domi- B nus Domum suam ædificaverit, nequicquam adniti illam extruere conantes: nisi Dominus fuerit eum propriam domum ædificante, cœptis illius eventum absore; denique nisi effuderit ille benedictiones suas super conjugia, neque nuptis fœcunditatem, filiisque vitam tribuerit, nullos futuros esse felices, & copiosos thalamorum fructus. Ita Jacob sapienter Racheli abs se filios petenti respondit: *Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui* Gen. 30. t. 2.

Nos vero isthic eos Patres sequimur, qui crediderunt, Psalmum hunc respicere tempus, quo nationes Judæorum finitimæ omnes conatus suos exerebant, ut illos a cœpto opere deterrerent, ne Domini Templum ædificarent. Operam luditis, opus hoc prohibere adnitentes, si hoc perfici Dominus voluerit, infideles po- C puli! Operam perdis, o Popule Domini, in illius restaurationem incumbens, nisi Deus ipse suam commodaverit manum, & domum suam ædificaverit. Ille curam, solicitudinemque tuam non respuit. Summa ope te decet in opus adeo sanctum adniti: verum memineris, ne quid tibi gloriæ vertas, sed omnia Domino accepta referas.

℣. 2. NISI DOMINUS CUSTODIERIT CIVITATEM &c.] Cum Nehemias 2. Esdr. 4. & 6. muros Jerusalem instaurare cœpit, Sanaballat, Tobias, aliique Judæorum hostes statim eos illudere cœperunt; sed cum viderent postea, opus haud mediocriter excrescere, collectis copiis congregati sunt, ut in Judæos laboribus intentos, ac inermes impetum facerent, eosque ad unum trucidarent. Haud fugit hoc Nehemias, qui po- D pulum arma capere jussit, eumque post murum in ordinem collocavit, ut inimicorum impetum propulsarent. Sed cum hi haud latuisse consilia senserunt, in civitates suas dilapsi sunt; & Nehemias, ut omnem illorum conatum eluderet, præcepit, ut populi dimidium in armis persisteret, dum alii operi vacabant, ut si repente ingruisset hostis, haud levi negotio vim vi repellerent. Ad hoc Psalmi Auctor alludit. Hoc præceptum tradit populo. Vigilate quidem ob servandam civitatis Jerusalem, ac fratrum vestrorum incolumitatem, verum ne Domini opem petere, obliviscamini; alioquin vigiliæ, ac diligentia vestra in irritum cedent. Heb. [1] *Nisi Dominus civitatem custodierit, excubiæ nequicquam vigilant.*

℣. 3. VANUM EST VOBIS ANTE LUCEM SURGERE &c.] Cum agnovisset Nehemias, eo pacto, quo opifices suos distribuerat, nimium defatigari, quod diebus, ac noctibus semper invigilandum illis esset, ne ab hostibus opprimerentur, præcepit illis [2], ut mutatis vicibus, alterno se se recrearent auxilio, & qui interdiu operi vacassent, noctu quiescerent; e contra vero, qui noctu vigilassent, interdiu somno reficerentur. Ipse vero cum suorum manu numquam vires suas refecerunt, neque vestibus suis se exuerunt, nisi ad eas, quæ in Lege præcipiuntur, purgationes perficiendas. Psalmista ergo isthic ait populo, ipsum nequicquam ante diem consurgere, atque Jerosolymæ custodiendæ invigilare. In Domino confide, illius fretus misericordia: quod quietis necessarium est, cape, ut tot, tantisque laboribus sufficere possis, cumque illud corpori dederis, sine quo regi vix potest, consurge, & ad majorem Dei tui gloriam adlabora.

Origenes, ac Theodoretus [3] explicant verbum *surgite*, perinde quasi modi esset infinitivi. *Vanum est vobis, ante lucem surgere; vanum est vobis surgere, simulac sederitis, o vos, qui manducatis panem doloris.* Nequicquam opus impenditis, nisi operi vestro benignus adfuerit Deus. Quiescite ergo, ac in uno illo omnem spem collocate. Chaldæus ita explicat. Irritum laborem sumitis vos, qui diei lucem ipsam antevertitis, ut rapinas vestras, atque latrocinia exerceatis, ac omnem curam, tempusque transmittatis in flagitia, eo vescentes pane, quem calamitosi homines laboribus suis sibi pepererunt. S. Hieronymus hic, & ep. ad Marcellam Theodotionis versionem secutus est, quæ habet, *panem idolorum* [4], pro *pane doloris*: atque ita intelligit. Nequicquam festinatis, ut ingrediamini Templum, ibi Dominum veneraturi vos, qui Idola colitis, atque sacris eorum estis initiati. Cultum vestrum respuit Deus, neque placet illi servitus dimidiata. Aquila vertit [5]: *panem laborum*. Symmachus [6]: *panem solicitudinis*. Editio sexta [7] panem erroris. Nomine autem manducantium panem doloris Judæos designat, quod vita eorum maximis tunc esset laboribus exercita, cum altera manus operari deberet, dum ferrum altera stringeret [8]; in jugi periculo, ne in singula momenta ab infestissimis hostibus oppugnarentur, atque trucidarentur.

℣. 4. CUM DEDERIT DILECTIS SUIS SOMNUM, ECCE HÆREDITAS DOMINI, FILII; MERCES, FRUCTUS VEN-

1 אם יהוה לא ישמר עיר שוא שקד שמר August. *In vanum laboravit, qui custodit eam.* 70. Εἰς μάτην ἠγρύπνησεν ὁ φυλάσσων. 2 2. Esdr. 4. 22. *In tempore illo dixi populo: unusquisque cum puero suo maneat in Jerusalem, & sint nobis vices per noctem, & diem ad operandum.*
3 Vide & Chrysost. qui legit: Ἐγείρεσθαι. *Surgere.* 4 Theodot. & 5. Edit. Ἄρτος εἰδώλων. לחם העצבים. 5 Aquil. Ἄρτος διαπονημάτων. 6 Sym. Ἄρτος κακοπαθημάτων.
7 5. Edit. Ἄρτον πλάνης. 8 2. Esdr. 4. 17. *Una manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.*

VENTRIS.] Apud Hebræos [1] *fructus ventris* idem significat, ac *filii*. Dominus fœcunditatem tribuit, & super conjugia suas benedictiones effundit. Peculiaris est divinæ misericordiæ favor, non autem effectus mere naturalis, filiorum numerus frequens, speciosus, & elegans. Psalmista ergo nimium operi deditis ait, non tantum laboribus suis, quam auxilio Dei esse fidendum, illisque quiescendum, ea fruituris requie, quam Deus illis largietur: *Cum dederit dilectis suis somnum*; qui si illis propitius arriserit, non solum pacate in utramque aurem stertere poterunt, sed frequentem etiam posteritatem sortientur. Hebræus habet [2]: ℣. 3. *Nequicquam summo consurgitis diluculo, ac sero sternimini vos, qui doloris panem comeditis. Dabit quoque Dominus somnum dilecto suo*, dabit illi *in hæreditatem filios, & in remunerationem, fructum ventris*. Nocturnam quietem, lenem somnum Deorum munus esse, inquiunt Poetæ ad loci hujus imitationem. Patres [3] pro somno Justorum mortem intelligunt, quam merces æterna subsequitur. Septuaginta ad litteram [4]: *Hæreditas Domini sunt filii, & remuneratio fructus ventris*. S. S. etiam Augustinus, & Hilarius legunt *fructus* in genitivo. Verum haud recedendum est ab eo sensu, quem in Vulgatæ, ac hebraici textus interpretatione secuti sumus.

℣. 5. SICUT SAGITTÆ IN MANU POTENTIS; ITA FILII EXCUSSORUM.] Filii eorum, qui afflictionibus urgentur, idem sunt ac sagittæ in manu potentis, vel bellatoris. Tela hæc illius terrorem in hostes incutiunt, qui illum adoriri non audent; immo ipse eos persequi potest, atque delere. Filii sui eum tuentur, ejusque domum communiunt. Hebr. [5] *Filii juventutis sunt veluti sagittæ in manu militis*. Filii juventutis ii sunt, quos pater initio conjugii, & dum viget adhuc ætatis suæ robur, gignit; quemadmodum *sponsa juventutis* [6] ea est, quæ in ipso juventutis flore nupsit. Nec temere Psalmista animadvertit, *robur patris* esse filios, quos in ipsa genuit juventute, ab iis enim dumtaxat auxilium expectare potest. Ii enim, qui vetulo patri oriri possunt, cum per ætatem adolescere nequeant, ac parenti suo opem ferre, ipsi sæpius calamitosi sunt, ac iis destituuntur auxiliis, quæ a patre obtinere potuissent. Chaldæus: *Sicut sagittæ sunt in manu potentis; ita erit merces eorum, qui maturato Legi ediscendæ vacarunt*.

℣. 6. BEATUS VIR, QUI IMPLEVIT [7] DESIDERIUM SUUM EX IPSIS. NON CONFUNDETUR [8] &c.] Hebraicus textus [9] cum superioribus melius congruit. Superiori versiculo dixit, filios esse veluti sagittas; hic ait, *felicem esse illum, qui iisdem refertam habet pharetram*. Qui hoc telorum genere satis munitus est, si quod illi in civitatis porta negotium ingruerit, lis aliqua, causa, quæstio, contentio cum ullo ex concivibus suis, non deerunt, qui causam ejus suscipiant, eumque tueantur [10].

Origenes, Theodotus Heracleota, ac Theodoretus putant, Psalmistam hic alludere ad veterem quamdam consuetudinem, qua hostium Legati in urbem non admittebantur; sed extra illam ad colloquium procedebatur; quod ipsum factum liquet in bello Sennacherib contra Ezechiam [11]. Rabsaces in Jerusalem admissus non fuit; sed ad illum missi fuerunt viri, qui Regis nomine quid afferret, audirent, eique responderent. Pater, frequenti filiorum corona circumdatus, propugnatores inveniet, cum ad muros hostis accesserit. Hæc quidem explicatio haud est spernenda, atque hoc in loco opportuna; verum haud ita facile a priori discesserim.

---

1 Vide Genes. 30. 2. 25. 21. & Psalm. 131. 11.
2 שוא לכם משכימי קום מאחרי שבת אכלי לחם העצבים כן יתן לידידו שנא הנה נחלת יהוה בנים שכר פרי הבטן Aquil. Εἰκῆ ὑμῖν ὀρθρίζοντες ἀνίστασθαι, βραδύνοντες καθῆσθαι. Sym. Μάταιον ὑμῖν ἐξ ὄρθρου ἀνίστασθαι εἰς τὸ οἰκῆσαι. Alius: χρονίζοντες τοῦ καθῆσθαι.
3 Hilar. Aug. Hieronym. 4 70. Ἰδοὺ ἡ κληρονομία κυρίου υἱοί, ὁ μισθὸς τοῦ καρποῦ τῆς γαστρός. Alius: μισθὸς ὁ καρπὸς τῆς γαστρός.
5 כחצים ביד גבור כן בני הנעורים Th. Ὡς βέλη ἐν χειρὶ δυνατοῦ. οὕτως υἱοὶ νεότητος. Ita Aquil. & Symmach. apud Theodoret. 5. Edit. [illegible]. *Filii acutæ mentis*. Alius, τῶν πεδητῶν. *Compeditorum*.
6 Joel. 1. 8. Malac. 2. 14. 7 Psalter. Mediol. & Gallic. *Qui implebit*. Ita Hieronym. ad Suniam, & Fretell. 8 70. Chrysost. Theodoret. Οὐ καταισχυνθήσονται, ὅταν λαλῶσι, &c. Ita Hilar. August. Psalter. Roman. S. German. Carnut. *Non confundentur, cum loquentur*.
9 אשרי הגבר אשר מלא את אשפתו מהם לא יבשו כי ידברו את איבים בשער
10 Eccli. 30. 4. 5. 6. *Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam*.
11 4. Reg. 18. 17. 18. &c.

PSALMUS CXXVII.

Temporalis Judæorum Dominum timentium felicitas. Manducare labores manuum suarum: fœcundam habere conjugem, plurimosque filios: ac in patria tranquilla pace frui.

Canticum Graduum.

ARGUMENTUM.

Auctor isthic eorum describit commoda, qui Dominum timent, ac viis ejus insistunt. Syriaca versio, Psalmum hunc tribuit Zorobabeli, urgenti opus murorum Jerusalem, ac Templi Domini. Ego vero malim hunc intelligere, veluti superioris Psalmi continuationem. Captivi de Babylone reversi a validis hostibus vexati fuere, qui eorum invidentes felicitati, eos delere, vel prohibere saltem adnisi sunt, ne civitatem Jerusalem communirent. In Psalmo 26. Auctor adhortatus est Israel, ut in Domino confideret; hic vero illius animum commendat, quodlibet benedictionum genus illi pollicitus, si fidelis Domino adhæserit. Mollerus videns, Psalmistam illis, quos alloquitur, fœcundam conjugem, ac frequentem posteritatem polliceri, velut Cœlestis benedictionis effectum, ratus est, Canticum hoc esse Epithalamium ad erudiendos, consolandosque illos compositum, qui conjugii vinculis arctati sunt. Ferrandus animadvertit, neque injuria, Psalmum hunc magnam habere cum Psalmo 101. similitudinem: *Beatus vir, qui timet Dominum: In man-*

in mandatis ejus volet nimis; & arbitratur in utroque Judæis Babylone reversis exponi ea bona, quæ a Deo consequentur, si summa officii fide fœderis cum illo instaurati conditiones servaverint 2. Esdr. 9. 38. 10. 1. Psalm. 110. vers. 8. 9.

1. BEati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. 2 Labo-
res manuum tuarum, quia manducabis beatus es, & bene tibi erit. 3
Uxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ. 4 Filii tui sicut
novellæ olivarum: in circuitu mensæ tuæ. 5 Ecce sic benedicetur homo: qui ti-
met Dominum. 6 Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Jerusalem o-
mnibus diebus vitæ tuæ. 7 Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

℣. 1. BEATI OMNES, QUI TIMENT DOMINUM.] Psalmo superiori eorum exhibuit felicitatem, qui sperant in Deo: hic de temporalibus loquitur bonis, quibus Deum timentes, ac fideliter Legem ipsius observantes fruuntur. In Veteri Testamento quosdam vidimus Sanctos, qui in domo sua promissa hæc adimpleri minime videntur; quod immo fidem nostram magis excitare debet; hoc enim argumento est, alteram adesse vitam, in quam Deus illis solidiora bona reservarit. Nos igitur eorum exemplo ducti spem nostram præsentis sæculi finibus circumscribere non debemus, sed in alteram differre vitam, ubi Deus ratione infinite perfectiori ea adimplebit, quæ in hac minime præstitit in gratiam eorum, qui illum verentur, eique serviunt. Promissa enim illius nec inania esse possunt, nec irrita.

℣. 2. LABORES MANUUM TUARUM, QUIA [1] MANDUCABIS: BEATUS ES &c.] Psalmista beatitudinem non in affluenti, inertique vita constituit. Hæc nec Sancti viri est vita, nec Deum timentis beatitudo. Hic laborabit; laboribus illis Dominus benedicet. Pacate, nec sine gratiarum actione ea comedet, quæ illi Divina paraverit providentia. Hostis illius messem non rapiet; eruca fructus illius non depascet; locusta virescentes adhuc segetes non populabitur; eas nebula non aduret, non conteret grando; sed iis omnibus flagellis immunis erit, quibus Deus impios, & eos, qui timorem illius abjecerunt, male percutit. *Frustra feretis sementem*, ait Moyses Lev. 26. 16. quæ ab hostibus devorabitur. Et Deut. 28. 30. *Plantes vineam; & non vindemies eam*.

Hebræus verti potest [2]; *Cum comedes laborem manuum tuarum, beatus eris, & bonis cumulaberis*. Septuaginta similiter legunt [3]. Sed Veterum Interpretum plurimi in errorem inducti [4] ab æquivoco Græcæ vocis *carpos*, quæ & *manum*, & *fructum* significat, reddidere: *comedes labores fructuum tuorum* pro laboribus *manuum tuarum*, quæ genuina est lectio.

℣. 3. UXOR TUA SICUT VITIS ABUNDANS, IN LA- A TERIBUS DOMUS TUÆ.] Conjugem viti comparat propter fœcunditatem, ac fructus excellentiam. Uxor tua erit velut palmes fructibus onustus prope domum tuam. Hebræus [5] a nonnullis vertitur [6], veluti vitis abundans in interiori domus tuæ. Sed intelligi nequit, nisi de area quadam, vel quodam viridario intus posito; vitis enim in domibus non crescit. Septuaginta, & Vulgatæ versio melior videtur. Usitatum enim est, vites prope domuum muros conserere.

℣. 4. FILII TUI SICUT NOVELLÆ OLIVARUM [7].] Vel nova olivarum germina, vel olivæ adhuc recentes, quæ germinant, & circum mensam tuam jucunda efficiunt incunabula. Justorum filii cum arbusculis, ac præsertim olivis comparantur etiam Psalmo 143. 12. Immo & Propheta ipse semet exhibet velut olivam in B Dei Domo consitam: *Ego autem sicut oliva fructifera in Domo Dei* Psal. 51. 10. & de populo Domini loquentes Prophetæ eadem similitudine utebantur [8]. Homerus Nausicaen puellam, palmæ germen appellat, Odyss. 6. 10. 163.

Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.

℣. 6. BENEDICAT TIBI DOMINUS EX SION.] Dominus, cujus sedes est in Sion, inde super te suas benedictiones effundat. Juxta populi opinionem loquitur. Sion erat locus, ubi Dominus præsentiæ suæ præsentissima signa ostendebat.

ET VIDEAS BONA JERUSALEM OMNIBUS DIEBUS VITÆ TUÆ.] Hebræorum more, *videre bona*, ea possidere significat. Videas bona Jerusalem: hoc est: faxit Deus, ut videas Jerusalem prosperis rebus fruentem, ac in ea diuturnæ, beatæque pacis fructum per- C cipias. Nihil hoc dulcius, atque suavius Judæis contingere poterat post diuturnam illam Babylonis captivitatem, ex qua nuperrime fuerant reversi.

℣. 7. VIDEAS FILIOS FILIORUM TUORUM.] Ad extremum usque senium felicem vitam producas, ac videre tibi liceat frequentem familiam tuam, atque optime confirmatam, & omnem Israel profunda pace fruentem: *Pacem super Israel* [9].

1 *Quia*, non est in Græco, nec apud Hilar. Aug. Origen. Chrys. &c.
2 יגיע כפיך כי תאכל אשריך וטוב לך 3 70. Τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι, μακάριος εἶ, & καλῶς σοι ἔσται. 4 Hilar. August. Hieronym. in Comment. Psalter. Rom. S. Germ. Carnut. Mediol. V de Hieron. ep. ad Marcellam. 5 אשתך כגפן פריה בירכתי ביתך
6 Quid. apud Chrysost. Ἐν τοῖς ἐσωτάτοις Vide Amos 6. 10. & Jon. 1. 5. Alius: Ἐν τοῖς μέρεσι. *In femoribus domus tuæ*. 7 Hilar. *Sicut novella olivarum*. August. *Sicut novellatio*.
8 Jerem. 11. 16. & Osee 14. 7. 9 Aug. Athan. Chrys. *Pax super Israel*. Hilar. *Et videas pacem* &c.

PSALMUS CXXVIII.

Israel ab ipsa pueritia exagitatus, sed semper liberatus a Domino. Repentinus hostium illius lapsus.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM.

Sunt, qui Psalmum hunc explicent veluti gratiarum actionem Judæorum pro beneficiis omnibus, quæ acceperunt a Deo, ac pro omnibus periculis illis, quæ ipsi post exitum de Ægypto, quem isti *pueritiam suam* vocant,

voeant, evitarunt. Alii hoc de David intelligunt, quem licet a puero inimici fuerint persequuti; eos tamen semper superavit. Beda illum explicat de Judæis Babylone captivis, jam jam in patriam redituris. S. Chrysostomus, Theodorus Heraclæota, Theodoretus, Euthymius, aliique plures putant, post reditum de captivitate fuisse compositum, cum Judæi, qui diutius ea omnia perpessi fuerunt, quæ hostium improbitas, & nequitia in eos excogitare potuerunt, tandem tranquilla pace in Jerusalem gavisi sunt, ac Templum Domini, murosque civitatis instauratos viderunt. Postremæ huic sententiæ libentissime subscribimus.

SÆpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel. 2 Sæpe expu-
gnaverunt me a juventute mea: etenim non potuerunt mihi. 3 Supra dor-
sum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam. 4 Domi-
nus justus concidit cervices peccatorum: confundantur, & convertantur retrorsum
omnes, qui oderunt Sion. 5 Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam evel-
latur, exaruit; De quo non implevit manum suam, qui metit, & sinum suum,
qui manipulos colligit. 6 Et non dixerunt, qui præteribant: Benedictio Domini
super vos, benediximus vobis in nomine Domini.

℣. 1. SÆPE EXPUGNAVERUNT ME [1] A JUVENTUTE MEA.] Populus, jugo Babylonicæ captivitatis excusso, [2] fatetur se Divinæ protectionis effectus semper expertum fuisse. *Juventutem* suam vocat tempus, quo in Ægypto permansit [3]. Ex tunc ad hanc usque diem infestos semper, eosque validissimos hostes invenit. Sed cum Dominus ex omnibus afflictionibus meis me eripuerit, spero etiam nequaquam fore, ut recentium horum inimicorum furori, ac improbitati me tradat. Hebræus [4]: *Plurimas passus sum afflictiones*; vel inimici mei *valde persecuti sunt me ab adolescentia mea*.

℣. 2. ETENIM NON POTUERUNT MIHI.] Particula *Etenim* isthic causam non adfert. Hebræus [5]: *Verum non potuerunt contra me*.

℣. 3. SUPRA DORSUM MEUM FABRICAVERUNT PECCATORES; PROLONGAVERUNT INIQUITATEM SUAM [6].] Peccatores [7] me earum rerum crimine accusaverunt, in quibus innocens sum; in dies semper iniquitatem suam auxerunt. Eorum calumnia nullam ingessit in animos hominum suspicionem. Hebræus [8]: *Agricolæ araverunt super dorsum meum; longiores sulcos duxerunt*. Adagium hæc sapit locutio. Inimici mei sunt veluti agricolæ, qui inclementer super dorsum meum araverunt. Loris me ceciderunt, me vulneribus confoderunt; caro mea dilaniata est. Hæ sunt hyperbolicæ locutiones, ad impotentiam, sævitiamque Babyloniorum adversus Hebræos exprimendam. Nullum est crudelitatis genus, quod in nos minime exercuerint. S. Hieronymus vertit: *Super cervicem meam arabant, arantes; prolongaverunt sulcum suum*. Me, ut ita dicam, aratro submiserunt, & cervici meæ imposuere jugum; velut jumentum laboribus me oppresserunt. Hoc ad J. C. flagella transfertur, vel ad Martyrum tum veteris tum novi Testamenti cruciatus [9].

℣. 4. DOMINUS JUSTUS CONCIDIT CERVICES [10] PECCATORUM.] Perdet eos, qui me persequuntur, Babylonis imperium evertet, ac Babylonios sub Persarum jugo subjiciet; quod re ipsa contigit, Babylone a Cyro devicta. Xenophon Cyropæd. l. 7. ait, Regem hunc Babylone potitum, victis arma ademisse, eosque agris colendis, vectigalibus persolvendis, ac illis, a quibus belli capti fuissent, veluti mancipia vilissima, inserviendo addixisse. Hebræus habet [11]: *Confregit Dominus vincula peccatorum*; ea scilicet vincula, quibus nos devinxerant, vel lora, quibus jugo eramus adnexi, vel funes, quibus dorsum nostrum verberabant. Aquila, & Symmachus: *Confregit laqueos peccatorum*. Theodotion: *eorum torques*, vel jugum.

CONFUNDANTUR, & CONVERTANTUR &c. [12]] Æternum erubescant, neque coram nobis umquam prodire audeant. Ab omnibus contemnantur, omnesque illos pertiorrescant. Salubri, Domine, rubore illos suffunde, ut convertantur, & redeant ad te.

℣. 5. FIANT SICUT FOENUM TECTORUM [13]: QUOD PRIUSQUAM EVELLATUR, EXARUIT.] Loquitur Auctor de planis tectis illis, quæ in Palæstina fieri consueverant, ubi nonnumquam fœnum crescebat: sed cum satis calida esset regio illa, ac fœno humor deesset; statim tabescebat, arescebatque. Hæc loquendi ratio perfecte ob oculos ponit caducitatem, brevemque durationem prosperitatis impiorum. Hoc autem potius intelligendum est veluti vaticinium interitus Babylonici imperii, quam veluti in eos imprecatio. Chaldæus: *Fiant sicut fœnum tectorum, quod antequam florescat, vehementi flante vento arescit, ac exsiccatur*. Non satis constat, quid proprie significet Hebraica vox [14], quam Septuaginta, & Vulgata reddiderunt, *evellatur*. S. Hieronymus post Aquilam vertit [15]: *Quod statim ut viruerit, arefit*. Symmachus [16]: *Antequam producat calamum suum*, atque ad justam magnitudinem perveniat. Editio sexta [17]: *antequam confirmetur*. Quædam Exemplaria Septuaginta habebant [18]: *Antequam floreat*. Et alii: *antequam evelleretur*. Ludovicus de Dieu pro novissima hac explicatione contendit; cui Hammondius etiam suffragatur; & credit, antiquitus falcium usu fœnum evelli consuevisse. Alii vertunt: *Tabescit, antequam prodeat*: Vix enim parvulum emittit germen, cum statim solaribus excoquitur radiis, atque enecatur. Confer 4. Reg. 19. 26. ubi eadem occurrit similitudo.

DE QUO NON IMPLEVIT MANUM SUAM, QUI METIT.

1 S. Hilar. *Multi expugnaverunt me*. 2 Heraclæot. Chrysost. Theodoret. Euthym. Græc. Paraphrastes alii plerique. 3 Vide Osee 2. 15. Jerem. 2. 2. Ezech. 16. 4. 5. 6.
4 רבת צררוני 5 גם לא יכלו לי 70. Καὶ γὰρ οὐκ. Alii: ἀλλὰ οὐκ, &c. apud Chrys.
6 Aug. *Longe fecerunt injustitiam suam*. 7 Vide Hilar. hic.
8 על גבי חרשו חרשים האריכו למעניתם Aquil. Th. Ἠροτρίασαν. חרשו Symmach. Παρέτειναν κακῶντες. *Prolongaverunt iniquitatem facientes*. Aquil. Ἐμήκυναν. 9 Vide Theodoret.
10 Hilar. Aug. Antiqua Psalt. *Concidet cervices*. 11 יהוה צדיק קצץ עבות רשעים Aqu. & Symmach. Βρόχους. *Laqueos*. Th. Κλοιούς. *Torques*. 12 Psalt. Rom. *Confundantur, & revereantur*.
13 Hilar. Psalter. Roman. Mediol. S. Germ. Carnut. *Fiant sicut fœnum ædificiorum*. 70. Ὡσεὶ χόρτος δωμάτων.
14 יהיו כחציר גגות שקדמת שלף יבש 15 Aquil. Ὃ ἐγχύθη ἀνέθαλεν ἐξηράνθη. Hieronym. *Quod statim ut viruerit, arefit*. 16 Symmach. Πρὸ τοῦ ἐκκαυλῆσαι.
17 6. Edit. Πρὸ τοῦ στερεῶσαι. 18 70. In quibusd. codd. Πρὸ τοῦ ἐξανθῆσαι. In aliis vulgo πρὸ τοῦ ἐκσπασθῆναι.

TIT [1]:] Si textum ad litteram sequi velis, dicendum est, *sanum tectorum*, de quo nuper fuit sermo, esse herbescentes segetes; vel potius textui aliquid isthic supplendum; fiat veluti segetes illæ in aridum, ingratumque solum conjectæ, quæ similes sunt fœno tectorum, quod Solis ardore statim arescit; messis earum nulla erit, neque agricolæ expectationem umquam replebit.

℣. 6. ET NON DIXERUNT, QUI PRÆTERIBANT ... BENEDICTIO DOMINI &c. [2]]. Hebræi, & generatim Syri, atque Asiatici in delitiis habent similitudines; neque eas obiter proponere, uti nostri moris esset, illis est satis; verum ibi multis detinentur, eas producunt, & gestiunt, earum pulchritudinem, earumque eum re, cui conferuntur, rationem omnem ostendere. Non sufficit Psalmistæ isthic asserere, impii prosperitatem brevi adeo esse duraturam, ac messem in arido solo consitam; segetes has fœno tectorum compàrat, omnes effectus ob oculos ponit, inutilitatem, defectus; nullus inde fructus percipietur, nulla illis dabitur benedictio; agricola nihil inde vel honoris, vel quæstus, vel voluptatis accipiet.

Cum arva belle culta, & replera videmus, ait Theodoretus, statim admiramur illa, cultoris industriam commendamus, eique Domini benedictionem concupiscimus. Ex historia Booz [3] liquet, salutem dici consuevisse messoribus, cum quis in agros, ubi meterent, pervenisset. Hoc etiam religiose fieri consueverat apud Christianos tempore S. Augustini, quemadmodum ipse hoc in loco testatur. Chaldæus: *Qui illac præteribant, non dixerunt: Benedictio Dei super vos: neque illis responsum est: Benedicimus vobis in nomine Domini.*

1 Hilar. & Psalt. Rom. & alia non pauca: *Non implebit, ... qui metet ..... qui colliget.*
2 Hilar. *Benedicamus vos.* 3 Ruth 2. 4.

PSALMUS CXXIX.

Oratio Judæorum in captivitate Babylonica. Peccata sua Domino confitentur, omnem spem in illius collocant Misericordia, & veniam suarum sperant iniquitatum.

Canticum Graduum.

ARGUMENTUM.

Pluribus ab hinc sæculis Ecclesia Psalmum hunc inter Pœnitentiales adscripsit: quæ fortasse causa fuit, ut illud nonnulli Interpretes Davidi tribuerent, pœnitentia ducto post patratum cum Bethsabee flagitium [1]. Vulgo etiam recitatur in suffragium animarum, quæ in Purgatorio detinentur, tum propter ea verba: *De profundis ad te*, quæ nobis adstruunt ideam animæ in obscuro, profundoque carcere clausæ; tum quod sæpe sermo est de Domini Misericordia, de iniquitatum venia, de spe Justorum. Syriaca versio, ac recentiores nonnulli Interpretes, [2] hunc Nehemiæ, ac Judæis nupertime reversis Jerusalem tribuunt; qui de Samaritanorum, aliorumque inimicorum prohibere adnitentium, ne patriæ suæ mœnia restaurarentur, insultationibus, ac improbitate queruntur. Sed veterum plerique [3], ac recentiorum non pauci hanc esse putant Judæorum orationem, qui in Babylonis captivitate jugo servitutis oppressi, Domini opem implorant, ac in illo uno omnem spem collocant. Sententia hæc præ cæteris mihi magis arridet.

1. DE profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam. 2
Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ. 3 Si iniqui-
tates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit? 4 Quia apud te
propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te, Domine. 5 Sustinuit anima
mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino. 6 A custodia matutina usque
ad noctem, speret Israel in Domino. 7 Quia apud Dominum misericordia, & co-
piosa apud eum redemptio. 8 Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus
ejus.

℣. 1. DE PROFUNDIS CLAMAVI AD TE &c.] Captivi Babylonici exilium, atque servitutem suam describunt veluti carcerem, abyssum, foveam profundam, & aquarum colluvie repletam, ubi submersi sunt. Sanctus Chrysostomus, Theodoretus, aliique Græcorum nonnulli verba hæc *de profundis*, de cordis imo interpretantur.

℣. 2. FIANT AURES TUÆ INTENDENTES.] Dominus omnia videt, omnia cognoscit; & quidquid sensus, ratio, attentio, studium nobis comparat, præstat illi solus intuitus, ac sola cognitio; verum ratione toto cœlo superiore.

℣. 3. SI INIQUITATES OBSERVAVERIS, DOMINE: QUIS SUSTINEBIT?] Quis ferre poterit tuæ indignationis effectum, vel etiam examinis tui severitatem? Vel, quis tuo resistet judicio? De me actum jam est, nisi mihi tuam opem tulerit misericordia. Hebræus [4]: *si observaveris*, ad examen vocaveris, diligenter scrutatus fueris *iniquitates meas, quis poteris sustinere?* ad litteram, *quis stabit?*

℣. 4. QUIA APUD TE PROPITIATIO EST; & PROPTER LEGEM TUAM SUSTINUI TE.] Tu es Deus misericors, ac in misericordia tua speravi, propter Legis tuæ promissiones [5]. Nobis quidem sævissima es minitatus supplicia, si sancta mandata tua perfregissemus;

1 Muis, Mollet. 2 Lorin. Leblanc. 3 Chrysost. S. Hilar. Euthym. Theodoret. Beda. Ferrand. alii. 4 אם עונות תשמר יה אדני מי יעמד 5 Levit. 26. & Deut. 28.

femus; verum etiam veniæ spem nobis dedisti, statim ac ad te rediremus. Agnoscimus præsentia mala justam esse iniquitatum nostrarum pœnam; sed cujus opem implorabimus, nisi Dei misericordiarum?

Hebraicus textus, quem hodie habemus, longe alius est ab eo, qui tempore Septuaginta, aliorumque veterum Interpretum legebatur. Habet autem [1]: *Quia apud te est propitiatio, ut timearis* (℣. 4) *Expectavi Dominum &c.* Licet terribilis sis, es tamen etiam misericors; ac ideo in te speravi. Septuaginta [2]: *Quia apud te est misericordia; & propter nomen tuum, expectavi te, Deus meus.* Symmachus, & Theodotion legebant: *Propter legem tuam* [3]; non secus ac hodie Vulgata legit. Aquila, & Editio quinta [4]: *propter timorem tuum*, quo nomen tuum colui, & propter pietatem meam erga te. Editio sexta [5]: *Propter nomen tuum*; Per te ipsum, non autem propter merita nostra misereberis. Vetus Interpres Græcus: *Ut agnoscatur verbum tuum*. Chaldæus. *Clementia est in te: ut videaris* [6], ut agnoscaris. Sensus Septuaginta, & Vulgatæ, his omnibus melior videtur.

℣. 5. SUSTINUIT ANIMA MEA IN VERBO EJUS.] In captivitatis meæ squalore animos nequaquam despondi, propterea quod Dominus me quamprimum liberatum iri spopondit. Prophetarum verbis acquievi. Hebræus [7]: *Speravi in verbo ejus*; vel effectum verbi illius expectavi. S. S. Hilarius, Augustinus, Chrysostomus, & Psalteria Romanum, & Carnutense: *Sustinuit anima mea in verbum ejus.*

℣. 6. SPERAVIT ANIMA MEA IN DOMINO. A CUSTODIA MATUTINA, USQUE AD NOCTEM, SPERET ISRAEL &c.] Ne cesses, semper in Domino spera. Si tibi opem afferre differt, ne animos despondeas, de die in diem, de mane ad vesperam omnimoda fiet status tui permutatio. Deus, cum minus credideris, te liberabit. Hebræus longe differt [8]: *anima mea attenta est in Dominum, a custodia matutina ad custodiam matutinam.* De die in diem auxilium tuum præstolatur: In singula momenta sperat fieri posse, ut tristis sua conditio mutetur. Aliter: *In Dominum intenta est, plusquam custodiæ matutinæ, utique plusquam custodiæ matutinæ.* Majori solicitudine liberationem suam præstolatur, quam excubiæ auroram, & diei apparitionem expectent. Chaldæus: majori attentione Domini auxilium opperitur, quam qui vigilant in Templo, ac momentum observant, ut offerant sacrificium matutinum. Hoc sacrificium diluculo fiebat. Aquila [9]: *Anima mea*, in iis, quæ spectant ad auxilium, quod expectat *a Domino, vigilantior est diluculum observantibus.*

SPERET ISRAEL.] Hebræus isthic incipit vers. 7. *Israel spera in Domino, quia apud Dominum misericordia.*

℣. 8. ET IPSE REDIMET ISRAEL EX OMNIBUS INIQUITATIBUS EJUS.] Remittet illi veteres iniquitates, & simul liberabit eum malis, quæ illæ ipsi conflarunt. Educet illum de captivitate hac, in quam propter sua scelera decidit. Iniquitas pro supplicio isthic usurpatur.

1 כי עמך הסליחה למען תורא (4.) קויתי יהוה 2 Ὅτι παρὰ σοὶ ὁ ἱλασμός ἐστι, Ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, ὑπέμεινά σε, κύριε: Ita Arab. & Psalter. Mediol. *Propter nomen tuum*. Et ita antiqui libri apud Hieron. ad Suniam, & Fretell. 3 Symmach. Theod. Ἕνεκεν νόμου. Legebant: תורה

4 Aquil. & 5. Edit. Ἕνεκεν φόβου. Heb. היראי 5 6. Edit. Ἕνεκεν τοῦ ὀνόματος.

6 Deducit תורא a ראה *Vidit*. 7 ולדברו הוחלתי

8 נפשי לאדני משמרים לבקר שמרים לבקר Hieron. *A vigilia matutina, usque ad vigiliam matutinam.*

9 Aquil. Ἡ ψυχή μου εἰς κύριον ἀπὸ φυλασσόντων τὸ πρωΐ.

CAPUT CXXX.

Sensus humilitatis Captivorum Babylonis. Omnem spem suam in Domino collocant.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM.

Plerique Interpretes [1] putant, Psalmum hunc a Davide compositum, ut se iis purgaret suspicionibus, quæ de se in Saulis aula percrebuerant, perinde quasi superbia, & ambitione commotus Regnum appeteret. Hæc illius est apologia. Deum testem vocat, quàm ipse ab omni abhorreat vanitate, ac ambitione. Juxta vero hypothesim, quæ Psalmos omnes graduales Judæis Babylone captivis attribuit, vel iisdem a captivitate reversis, credimus, hanc esse confessionem primorum e Judæis Babylonicis, qua se humillime prosternunt coram Deo, pœnitentia ducti peccatorum suorum, & sperant futurum, ut Dominus eorum dolorem, atque afflictionem considerans eorum misereatur, & tandem liberet illos. Hic uti superior, definit: *Speret Israel in Domino: ex hoc nunc, & usque in sæculum*: quæ conclusio sane Davidi non convenit, superbiæ, & ambitionis notato a Saule, & Aulicis ejus. Psalmus referri potest ad Esther, vel Mardochæum, vel Nehemiam; cujus quanta fuerit modestia, ac in populo suo regundo sapientia, satis compertum est, atque exploratum [2].

1. DOmine, non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei. 2
Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. 3 Si non humiliter sentiebam: sed exaltavi animam meam. 4 Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea. 5 Speret Israel in Domino, ex hoc nunc, & usque in sæculum.

DOMINE

1 Muis, Hamm, Grot. alii plerique. 2 2. Esdr. 5. 15. 16.

℣.1. **DOMINE NON EST EXALTATUM COR MEUM.**] Nequaquam existimandum est, eam fuisse captivorum Babylonis conditionem, ut omnino libertatis suæ jacturam subierint, neque sui juris aliqua habuerint bona, neque ullam Legum suarum exercitationem. Ex Susannæ liquet Historia, Babylone quosdam fuisse Judices ex eorum gente, qui patriis Legibus innixi judicabant. Cæterum ejusdem erant conditionis ac alii subditi Regis Babylonis, vectigalia pendebant, & agros sibi assignatos colebant: etenim in Oriente subditi omnes veluti Regum suorum mancipia reputantur. Sed præter hanc servitutem omnibus communem, alia quædam peculiaris erat plurimorum e Judæis, qui re ipsa Babyloniorum servi facti erant, vel jure victoriæ, vel vi, vel necessitate, cum coacti fuissent libertatem ipsam venumdare, ut mala majora evitarent.

In Psalmo hoc sane nequaquam illi loquuntur, qui miserrimam hanc servitutem serviebant, nec illi, qui gravissimis exerciti laboribus obscuro loco positi, atque contempti in luctu, sordibusque jacebant. Hujus enim generis homines sibi laudi vertere, neque se jactare queunt, quod nulla ambitionis aura extollantur, neque ultra suæ conditionis modum eleventur. Multo minus illis convenit, se hac de re, veluti bene meriti fuerint, apud Deum gloriari, uti faciunt, qui hoc Psalmo loquuntur. Intelligendum igitur est de promissionibus Judæorum, qui tunc populo suo præerant Babylone; veluti Jechonia, qui Rex fuerat in Juda, & qui ab Evilmerodach honeste habitus erat [1], vel Salathiel, qui caput erat e domo David, vel illis, qui magna adepti fuerant bona, veluti JoaKim Susannæ viro [2], vel Esther Assueri uxore, & Mardochæo principe inter præfectos illius; vel viris in dignitate constitutis, uti Daniele, & sociis ejus; vel denique hominibus illis, qui aliquo fungerentur officio in Aula, veluti Nehemia. Hos viros haud dedecet dicere Domino: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei* (vers. 2.) *neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me*. Sed coram te humilis fui, ac pœnitentis habitu fleti, ut flecterem iram tuam; atque mihi, fratribusque meis effectus misericordiæ tuæ demetere. Hebræus ad litteram [3]. ℣. 2. *non ambulavi in magnitudinibus, neque in miraculis super me*.

℣. 3. **SI NON HUMILITER SENTIEBAM; SED EXALTAVI ANIMAM MEAM** (℣. 4.) **SICUT ABLACTATUS EST &c.** [4]] Omnibus favoribus tuis priver, ac habeat veluti puer, qui ablactatur, si umquam oblitus sum in elatione mea. Si me impatientia abripi in captivitate passus sum; si umquam mandatis tuis parere gravate tuli, omnem in me tuam severitatem exerceas. Hebr. [5] *Si non reddidi animam meam similem puero, qui a matre sua ablactatur, anima mea sit mihi, velut infans, qui ablactatur*. Nisi doloris, atque humilitatis sensus semper alui coram Deo, & sub potenti manu illius, quemadmodum filius, qui ablactatur, gemit in sinu matris suæ; non abnuo, quod in me Dei ira succenseat, mihique ille deneget consolationes, atque suavissimos effectus suæ misericordiæ [6]. Aliter: *Nisi humiliavi animam meam, eamque ad silentium redegi, quemadmodum puer, qui ablactatur*, humiliatur, & silere cogitur, *respectu matris meæ, anima mea sit respectu mei velut puer, qui ablactatur*. Symmachus [7]: *Si animam meam non respexi, neque cum illa egi, quemadmodum agitur a matre cum filio, qui ablactatur, ita agatur cum anima mea*.

℣. 5. **SPERET ISRAEL IN DOMINO.**] Hæc est totius Psalmi conclusio. Speramus, Domine, te nostrorum malorum misertum, neque humilitatem nostram aspernatum tandem reditum nobis concessurum. Vel si hanc Danielis orationem esse dixeris: O Israel, ne animos despondeas, ne in captivitate hac impatientia te abripi sinas. Æterna est Domini misericordia. Vel si explicare velis, tamquam Nehemiæ adhortationem: Israel, spera in Domino, & nunc, & in sæcula. Affliget ille inimicos tuos, te vero de laqueis eorum liberabit. Nomen Israel suspicionem ingerere posset, Esther, vel Mardochæum isthic consolari Israelitas decem tribuum.

---

1 4. Reg. 25. 27. 2 Dan. 13. 1. 2. 3.
3 ולא הלכתי בגדלות ובנפלאות ממני Aquil. Ἐν μεγαλειότησι. Symmac. Ἐν μεγαλωσύναις, οὐδὲ ἐν ὑπερβάλλουσιν ὑπὲρ ἐμέ. 4 August. *Quemadmodum qui ablatus est a lacte super matrem suam*. S. Hilar. *Sicut ablactatum super matrem suam, ita retribues in animam meam*. Psalter. Gallic. *Sicut ablactatum est super matre sua, ita retributio in anima mea*. S. Bened. Reg. c. 7. *Ita retribuet in animam meam*. Ita Chrysost.
5 אם לא שויתי ודוממתי נפשי כגמל עלי אמו כגמל עלי נפשי
6 Vide Chrysost. Vatabl. Genebr. Flamin. 7 Symmach. Εἰ μὴ ἔξισα καὶ ἡσύχασα τὴν ψυχήν μου ἀπογαλακτισθέντι πρὸς μητέρα αὐτοῦ, οὕτως ἀνταποδοθείη τῇ ψυχῇ μου.

PSALMUS CXXXI.

Oratio Judæorum in captivitate: Dominum obtestantur, ut memor sit eorum, quæ pollicitus est Davidi, eumque rogant, ut restauret Templum suum, ac relevet thronum servi sui.

Canticum Graduum.

ARGUMENTUM.

Plurimi Interpretes [1] Psalmum hunc Davidi tribuunt; eumque fuisse elucubratum putant tunc temporis, cum Templi Domino ædificandi iniit consilium, quod opere impletum non est. Sed contendunt, Sanctum illum vatem hoc relinquere voluisse optimæ voluntatis suæ monumentum, eoni jussisse Psalmum hunc, cum de Cariath-iarim adduceretur Arca in Tabernaculum, quod illi in monte Sion præparaverat. Putant [2] alii, hunc a Salomone fuisse conscriptum, atque in solemnitate Dedicationis Templi decantatum. Inde autem sententiæ huic robur accedit, quod isthic nonnulli deprehenduntur versiculi [3], qui inveniuntur etiam in oratione solemni, quam Rex ille ea in occasione pronunciavit.

Græci

---

1 Kimchi, Muis, Ferrand. alii. 2 Bossuet. Hamm. Grot. &c.
3 Confer 2. Par. 6. 41. 42. cum vers. 8. 9. hujus Psalmi 131.

Græci Patres post Origenem [1] crediderunt, Psalmum hunc Babylonicæ captivitatis tempore fuisse compositum, & captivos isthic obsecrare Dominum, ut memor sit Davidis servi sui, & populi sui misereatur, atque exequatur ea, quæ Davidi pollicitus est, Templum suum Jerosolymis restaurans, ac iterum suscitans nomen, ac potentiam Regis hujus in posteris ejusdem. Psalmus hic non mediocrem habet similitudinem cum Psalmis 88. 73. 43. & 76. ubi continentur questus Judæorum in captivitate degentium; perinde quasi Deus dereliquisset populum suum, ac promissionum suarum esset oblitus. Hanc in Commentariis hypothesim amplectemur. Alii [2] hunc referunt ad solemnitatem Dedicationis Templi alterius; quæ sententia præ reliquis maxime probaretur, nisi de Arca isthic esset sermo, quam fidei consonum est non amplius in Templo adfuisse post captivitatem. Verum respondéri potest, tunc temporis Judæos iisdem verbis utentes, quibus Salomon usus fuerat in prioris Templi Dedicatione, ea immutare non debuisse, licet Arca in secundo Templo non adesset. Vide Psalmum 98. 1. & Commentarium.

S. Hilarius hunc de J. C. interpretatur; immo asserit, improbam dumtaxat Judæorum fidem obesse, ne primus Psalmi versiculus ad ipsum unice pertinere agnoscatur. Sed Judæi haud gravatim partem Psalmi hujus de Messia explicant, exempli gratia duos postremos versiculos. Verum quidem est, illos excusari non posse, quod plane prophetias has in J. C. persona adimpletas esse non videant: verum eodem jure possunt reprehendi, quod non sentiant cæterarum prædictionum, quæ huic neque perspicuitate, neque evidentia decedunt, apertissimam veritatem. Plurimi etiam Catholici Interpretes, immo & Patres de Davide, Salomone, vel Zorobabel in litterali sensu id explicuerunt, quod cum S. Hilario de J. C. dumtaxat, in spirituali sensu, explicamus.

1. MEmento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus. 2 Sicut juravit
Domino, votum vovit Deo Jacob. 3 Si introiero in tabernaculum do-
mus meæ, si ascendero in lectum strati mei. 4 Si dedero somnum oculis meis,
& palpebris meis dormitationem. 5 Et requiem temporibus meis, donec inve-
niam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. 6 Ecce audivimus eam in Ephra-
ta: invenimus eam in campis sylvæ. 7 Introibimus in tabernaculum ejus: ado-
rabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. 8 Surge, Domine, in requiem tuam,
tu, & arca sanctificationis tuæ. 9 Sacerdotes tui induantur justitiam, & Sancti
tui exultent. 10 Propter David servum tuum, non avertas faciem christi tui.
11 Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris
tui ponam super sedem tuam. 12 Si custodierint filii tui testamentum meum, &
testimonia mea hæc, quæ docebo eos. 13 Et filii eorum usque in sæculum, se-
debunt super sedem tuam. 14 Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in ha-
bitationem sibi. 15 Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quo-
niam elegi eam. 16 Viduam ejus benedicens benedicam; pauperes ejus saturabo
panibus. 17 Sacerdotes ejus induam salutari, & sancti ejus exultatione exulta-
bunt. 18 Illuc producam cornu David, paravi lucernam christo meo. 19 Ini-
micos ejus induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

℣. 1. MEMENTO, DOMINE, DAVID, & OMNIS MANSUETUDINIS EJUS.] Ne respexeris peccata nostra, Domine, sed memineris meritorum David, ac mansuetudinis, & clementiæ, cujus toties præclarum edidit specimen. Babylonici captivi ita loquuntur. Memento eorum, quæ illi pollicitus es, & quæ ipse pro tua gloria perpessus est. Hebræus [3]: *Memento in gratiam David, omnium afflictionum ejus*. Alii: *Memor esto David, ac modestiæ*, vel moderationis, & humilitatis *ejus*, cujus egregia edidit argumenta, cum se commode, & magnifice habitare considerans, rubore non suffundi non potuit, & dixit ad Nathan 2. Reg. 7. 2. *Videsne, quod habitem in domo cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium?*

℣. 2. SICUT [4] JURAVIT DOMINO; VOTUM VOVIT DEO JACOB.] Hebræus ad litteram [5]: *Qui juravit Domino; votum fecit Forti Jacob*, vel *Potenti Jacob*; quo nomine Dominus jam appellatur in Genesi 49. 24. *Per manum potentis Jacob*. Numquam explicite legimus in Scripturis, Davidem voto, aut jurejurando se se obligasse ad Templum Domino ædificandum; neque in eo adeo fuisse sollicitum, quemadmodum isthic describitur. Sed Scriptura vulgo alibi supplet, quod alibi omissum est, & cura, qua David reliquo regni sui spatio aurum, argentum, ligna, metallaque ad Templi ædificium comparavit; immensa earum rerum copia, quam ille collegit, satis ostendunt, quanto flagraret desiderio, ut feliciter magnificum illud expleretur opus, cujus gloriam Salomoni Deus reservarat.

℣. 3. SI INTROIERO IN TABERNACULUM DOMUS MEÆ... DONEC INVENIAM LOCUM DOMINO.] Locum scilicet aptum ad Templum illi extruendum. Hæc sunt verba David. Per imprecationem nuncupat votum suum; verum nullam exprimit pœnam, qua se mulctatum velit, nisi promissa fuerit exequutus. Hoc Hebræis erat familiare. Nisi hoc fecero: ni fidem præstitero; supple, Deus severe in me animadvertat.

℣. 5. ET REQUIEM TEMPORIBUS MEIS.] Intelligendum est de *temporibus capitis* [6], non autem de tempore regni ipsius. Hebræus, Chaldæus, Syrus non legunt hunc locum, qui nihil est aliud, quam superioris versiculi explicatio. Videtur autem, e Theodotionis versione in Septuaginta migrasse. In Hexaplis Origenis obelo præfixus erat, ut additum fuisse ostenderetur.

℣. 6. ECCE AUDIVIMUS EAM IN EPHRATA; INVENIMUS

1 Origen. Theodoret. Græc. Paraphrast. 2 Vide Chrys. Heraclæot. Euthym. &c.

3 זכר לדוד את כל עניתו Aquil. Κακωχίας. Symmach. Κακώσεως *Ejus dolorum, calamitatum, afflictionum*. 5. Edit. Ταπεινώσεως, *ejus humilitatis, vel humiliationum*. 70. Πραότητος. *Ejus mansuetudinis*. Psalter. S. Germ. *Modestia ejus*. 4 Heb. אשר *Qui* 70. Ὡς ὤμοσε pro Ὃς ὤμοσε.

5 אשר נשבע ליהוה נדר לאביר יעקב 6 70. Ἀνάπαυσιν τοῖς κροτάφοις μου. Theod. Καὶ τοῖς κροτάφοις μου νυσταγμὸν, pro τοῖς βλεφάροις μου νυσταγμὸν. *Palpebris meis dormitationem*, ut est in Vulgata, & in Septuaginta.

MUS EAM IN CAMPIS SYLVÆ [1].] Hæc est sermonis, vel voti Davidici continuatio. Cum hoc iniissem consilii, & locum quærerem, ut ibi Domum tuam constituerem, audivi, Tabernaculum tuum esse in *Ephrata*. Illuc me contuli, ac inveni illud *in campis sylvæ*. David haud ignorabat profecto, Arcam esse in Cariath-iarim, quandoquidem Prophetæ Nathan dixit 2. Reg. 7. 2. turpe esse Arcam Domini in parum decenti loco esse positam, dum ipse interim in cedrina domo habitaret. Sed Psalmi Auctor ita figura Orationis rem conformavit, ut melius solicitudo, ac vehemens desiderium David emicaret. Quærit ille decentem locum Domino; audit, hunc in Cariath-iarim habitare; illuc advolat vers. 7. ingreditur, adorat. Sed (℣. 8.) considerans, locum hunc nequaquam parem esse magnitudini Dei sui, illum invitat, ut in eam migret domum, quam ipse illi præparaverat: *Surge, Domine, in requiem tuam: tu, & Arca sanctificationis tuæ*.

Loci hujus difficultas in duabus illis vocibus sita est: *Ephrata*, & *in campis sylvæ*. Sunt [2], qui hoc pacto intelligunt: Cum adhuc adolescentulus eram, & immorabar in *Ephrata*, vel Bethleem patria mea, audiebam, Tabernaculum Domini esse *in campis sylvæ*, hoc est in *Cariath-iarim*. Nomen enim *Cariath-iarim* civitatem nemorum significat; & Hebræus loci hujus ait: *Sede-jar* campi sylvæ. Sed haud abhorret a veri specie, utrumque illud nomen isthic unum, & idem significare.

Alii [3] putant, *Ephrata* esse terræ tractum prope Bethleem, quæ sæpius in Scripturis *Ephrata* dicitur [4], & *campum sylvæ* esse aream Ornam, ubi Salomonicum Templum ædificatum est. David igitur innuere vult, se per revelationem didicisse, locum, quem elegit Dominus, esse in Jerusalem [5], sita in terra Ephrata, ac Templum extruendum esse in area *Ornam* in monte Sion, ubi reipsa a Salomone postea extructum est. Verum hac in sententia duplicem invenio difficultatem: Priorem quidem, quod Jerusalem numquam nomine Ephrata nuncupatur, neque fidei consonum est, Judææ metropolim isthic designari ex nomine ignobilis vici, qualis tunc temporis Bethleem erat; quod idem esset, perinde ac diceres, Lutetiam Parisiorum in Sancti Dionysii agro esse positam. Altera vero difficultas sita est in nomine *camporum sylvæ*, quod nulla auctoritate suffulti areæ Ornam tribuunt. Area hæc in monte erat posita, non in agro, neque probari ullo modo potest ibi nemus aliquod fuisse.

Opinantur alii, *Ephrata* designare tribum Ephraim [6], ubi aderat *Silo*, & *campum sylvæ* esse urbem *Cariath-iarim*. Hac ratione facile totus hic locus explicatur. David se nullam requiem habiturum profitetur, nisi antea repererit locum Domino haud injucundum, ibique Majestati illius Templum ædificaverit. Audivi, addit ille, Domini Tabernaculum aliquandiu in Ephraim tribu fuisse, scilicet *in Ephratea*. Illud vidi in Cariath-iarim, hoc est *in campis sylvæ*. At non illum sibi locum elegit Dominus, sed Jerusalem. Veni ergo Domine: habita in loco quietis tuæ, tu, & Arca sanctitatis tuæ; quæ sententia admodum probabilis mihi videtur; sed una res dumtaxat mihi negotium facessit; nempe quod nomen *Ephrata* vulgo nullibi tribuitur terræ Ephraim. *Ephratæi* quidem homines ex ea tribu vocantur [7]; & certum est, Arcam ea in tribu permansisse a Josue ad Samuelem, trecentorum, ac viginti annorum spatio; inde vero translatam fuisse in *Kariath-iarim*, ubi septuaginta permansit annos usque ad initium regni David in Israel universum. Vide Psalmum 77. vers. 60. & 67. *Et repulit Tabernaculum Silo .... & repulit Tabernaculum Joseph, & tribum Ephraim non elegit*.

Intelligi quoque possunt versiculi 6. 7. & 8. non veluti Davidici voti continuatio, sed tamquam captivi populi verba. Dominum ita alloquuntur. A Patribus nostris didicimus, Tabernaculum tuum olim in *Ephratea*, in Silo, in tribu Ephraim diutius constitisse. Ex historiis liquet, illum in campis sylvæ, vel in *Cariath-iarim* stetisse. Exinde illud, Domine, collocasti in Jerusalem, ac promisisti, nomen tuum ibi in æternum esse permansurum, & hunc esse locum, quem elegisti [8]. Nihilominus Jerusalem subversa est, ac Templum in suis ruderibus jacet. Consurge ergo, Domine, redi in locum quietis tuæ, tu & Arca Sanctitatis tuæ &c. Repetunt ea verba, quæ dixerat Salomon in ipsa Templi dedicatione 2. Par. 6. 41. Voti numquam damnati fuerunt, quoad Arcam Fœderis; quam nusquam in secundo Templo illam fuisse arbitramur. Verum congruebat, ut captivi hoc pacto loquerentur. Hæc explicatio mihi simplicissima videtur, ac verisimillima.

Pater le Blanc hunc in locum sententiam affert sane inauditam. Credit autem, Judæos de captivitate Babylonica reversos, isthic dicere, se a patribus suis didicisse, Arcam a Jeremia abditam fuisse, Jerusalem a Chaldæis capta, in quodam specu montium Abarim, cui nomen *Ephrata* in loco, qui *campus sylvæ* dicebatur. Sed Macchabæorum libro secundo 4. 2. 5. & seq. ubi invenitur narratio Arcæ a Jeremia conditæ, ne verbum quidem habetur de *Ephrata*, vel de *campo sylvæ*; atque maxime incertum est, utrum Arca post captivitatem reperta fuerit, atque in secundo Templo collocata, quemadmodum in peculiari Dissertatione in Macchabæorum libros ostendimus.

Patres [9] per Tabernaculum Ephrata J. C. Incarnationem intelligunt, qui nasciturus erat de tribu Juda, ex familia David, ac in urbe Ephrata; alio nomine Bethleem; per Templum vero, vel *campum sylvæ* illud, quod erat ædificandum a Salomone in area Ornam in monte Sion. Judæi per imaginem in Templi ædificatione viderunt Incarnationem Verbi, quod a Prophetis promissum fuit. *Ecce audivimus eam in Ephrata*: Et re ipsa viderunt Templum Salomonis in Jerusalem: *Invenimus eam in campis sylvæ*. Pronomen *eam* refertur ad *Tabernaculum*, quod Hebraice generis est feminini [10].

℣. 7. INTROIBIMUS IN TABERNACULUM EJUS.] Septuaginta [11]: *Ingrediamur in Tabernacula ejus: adoremus* &c. David semper loquens inducitur. Invenimus locum Tabernaculi tui; ibi adorabimus te expectantes, donec nobis aperias, quem tibi locum elegeris: namque usque ad Davidis tempora voluntatem suam nondum prodiderat [12]: *Neque enim habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de Terra Ægypti, usque in diem hanc*, dixit Dominus ad Nathan: *sed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio. Per cuncta loca, quæ transivi cum omnibus filiis Israel, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?*

℣. 8. SURGE, DOMINE, IN REQUIEM TUAM.] Ut scilicet in requiem tuam ingrediaris. Hæc est petitio captivorum Babylonis, Dominum rogantium, ut Templum suum restitui velit, atque illuc redire iterum dignetur, quemadmodum eo ingressus est, cum Salomon ejusdem solemnem Dedicationem peregit 2. Par. 6. 41. Regis hujus eadem repetunt verba, quibus ille in eadem occasione usus est, & quibus olim in Deserto populus utebatur, cum ad iter peragendum Arca elevabatur Num. 10. 35.

TU, & ARCA SANCTIFICATIONIS TUÆ.] Hebræus

1 August. *In campis saltuum*. 2 Vatab. Muis, Grot. Bossuet. alii.
3 Vide Jansen. du Pin. Menoch. Tirin. Geneb 4 Genes. 35. 19. 48. 7.
5 Vide 1. Par. 21. 26. 22. 1. & 2. Par. 3. 1. Psalm. 77. 68. 6 Jun. Pisc. Ainsvort. Ferrand.
7 Judic. 12. 5. 6. *Numquid Ephrataeus es?* & 1. Reg. 1. 1. *Elcana Ephrataeus* אפרתי
8 Vide Psalm. 77. 68. & hic vers. 13. 14. 9 Theodoret. Hieron.
10 כצאנוה .... שמענוה *Supple* משכנת *Tabernaculum*. 11 70. Εἰσελευσόμεθα εἰς τὰ σκηνώματα αὐτοῦ. Hilar. & August. *In tabernacula ejus*. Ita Heb. & Gezci, 12 1. Reg. 7. 6. 7.

bræus [1]: *Tu & arca fortitudinis tuæ*; neque aliter legunt Paralipomenon libri. Arca, per quam ostendis infinitam potestatem tuam in inimicorum nostrorum cæde, & protectione, qua populum tuum dignaris. SS. Athanasius, Hilarius, Hieronymus, aliique nonnulli apud S. Augustinum, Arcam hanc de sanctitate Corporis J. C. interpretantur, tamquam locus hic ad J. C. post illius Resurrectionem directus esset. Revertere in Cælum cum corpore tuo glorioso.

℣. 9. SACERDOTES TUI INDUANTUR JUSTITIAM; & SANCTI TUI EXULTENT.] Sacerdotes, & Sancti hoc in loco significant Sacerdotes, & Levitas [2]. Salomon hoc ipsum oraverat in Templi Dedicatione 2. Par. 6, 41. Sacerdotes tui eam servent integritatem, ac innocentiam, quæ domum tuam decet; cum timore, ac tremore munere suo persungantur: Levitæ tui sanctificati, atque tuo servitio per particularem quamdam consecrationem devoti laudent te, atque hilariter laudes tuas concinant. Præcipuum eorum officium erat, sacris personare instrumentis, & canere in domo Dei. Hebræus [3]: *Sacerdotes tui induentur justitia, & Sancti tui*, pii tui, misericordes tui, *cantabunt*. S. Paulus ad Ephes. 6. 14. & Auctor Sapientiæ 5. 19. spiritualia describentes arma *de thorace justitiæ* loquuntur. Plerique [4] per hæc *indumenta justitiæ* intelligunt simpliciter Sacerdotum vestes, quæ symbola erant justitiæ illorum, & quibus indui non debebant, nisi a quovis sordium genere expiati. S. Johannes Chrysostomus per eadem rectum vivendi genus, sanctas cæremonias, & sacrificia &c. intelligit.

℣. 10. PROPTER DAVID SERVUM TUUM, NON AVERTAS FACIEM CHRISTI TUI.] Non deneges Uncto tuo gratiam, quam petit. Hæc est conclusio orationis, quam a Salomone Auctor mutuatus est, uti dictum est vers. 8. 9. Te, Domine obsecro, & obtestor per morita Davidis servi tui, ne hoc mihi deneges: in 2. Paralip. 6. 42. hisce verbis effertur: *Domine Deus, ne averteris faciem Christi tui: memento misericordiarum David servi tui*. Captivi Davidicis, & Salomonicis vocibus utebantur eo libentius, quod noverant utrumque Regem Deo summopere acceptum fuisse, & si quid illum movere poterat, atque cogere, ut Templum suum restauraret, id sane partim erat memoria integerrimi, ardentisque Zeli David, qui Templi ædificandi consilium injerat, & partim sapientia, & pietas Salomonis, qui magnificum opus istud adeo feliciter fuerat executus.

℣. 11. JURAVIT DOMINUS DAVID VERITATEM, & NON FRUSTRABITUR EUM [5]. DE FRUCTU VENTRIS TUI PONAM SUPER SEDEM TUAM.] Hactenus de Templi ejusque instauratione captivi locuti sunt, nunc vero a Domino petunt, ut in familiam David Regnum restituat, quemadmodum toties antiquitus pollicitus est [6]. Satis illis est referre verba, quæ Dominus Davidi protulerat; ac sinunt, alios illinc illationem eruere. Sufficit dicere Deo, ipsum aliquid promisisse. SS. Cyprianus Testim. l. 2. & Hilarius pro *sedem tuam* legunt *thronum tuum*. Thronus Regum Juda est Domini thronus 1. Par. 28. 5. & 29. 23. *Sedit Salomon super solium David*.

Omnes hæ promissiones ad litteram de Salomone, ac successoribus ejus explicantur; in sensu vero sublimiori intelliguntur de J. C. qui secundum carnem e Davidica stirpe ortus est, æternusque est Rex non solum tribuum Israel, verum omnium terræ populorum. Ea quæ Davidi spopondit, ad unguem perfecta non fuerunt, præsertim post captivitatem; cum familia hæc numquam rursus ad solium ascenderit, neque Regis titulo insignita fuerit. Verum hoc ipsum Judæos cogere debebat ad agnoscendum J. C. qui illis in persona sua omnes exhibebat Messiæ characteres, eisque alterius generis, ac toto cœlo sublimius, majusque regnum pollicebatur, quam quod fuerat Davidis regnum, & Salomonis. Domini verba vana esse non possunt. Igitur si Davidis posteritas nequaquam obtinuit regnum temporale in Juda, & Israel, aliud objectum inquirendum est, atque in J. C. ex David secundum carnem ortum, & immortalem creaturarum omnium Regem, incidendum.

℣. 12. SI CUSTODIERINT FILII TUI TESTAMENTUM MEUM .... SEDERUNT SUPER SEDEM TUAM.] Promissiones factæ posteritati David secundum carnem conditionales sunt, non absolutæ, & innuunt, illas aliquando cessaturas. Sed quæ Messiam respiciunt, regnumque illius, absolutæ sunt, atque indefinitæ [7]: Minæ, quæ hic exprimuntur, sunt quoddam veluti vaticinium reprobationis Judæorum, ac institutionis Ecclesiæ Christianæ [8].

℣. 14. QUONIAM ELEGIT DOMINUS SION, ELEGIT EAM &c.] Dominus revelavit David, Sion esse locum, quem ipse elegerat; cum Regi illi in area Ornan Angelus apparuit [9]. Hebræus [10]: *Elegit Sion: locum hunc pro sede sua desideravit*. Et similiter ℣. 15. *hic habitabo, quoniam elegi eam*. Hoc de Christiana Ecclesia intelligitur. Illa dilectus est sponsus ipsius, ex quo Synagogam repudiavit.

℣. 16. VIDUAM EJUS BENEDICENS BENEDICAM.] Viduas, egenosque Sion bonis cumulabo. Nihil illis deerit, donec mihi fideles fuerint. Hebræus habet [11]: *benedicam venatum*, vel prædam *ejus*. Septuaginta [12]: in iis, quæ habemus, Exemplaribus similiter legunt. Textus Latinus Complutensis Editionis legit *venationem* pro viduam; & S. Hilarius in antiquis Exemplaribus nonnullis se legisse testatur; *Captionem ejus benedicens benedicam*. Verum communem versionem non deseruit, quæ habet *viduam*, quemadmodum legunt omnia antiqua Psalteria, omnesque Latini Patres, immo & Apollinaris, Arabs, ac Æthiops. S. Hieronymus in epistola ad Suniam, & Fretellam nullam in hunc locum memorat varietatem. Sed in Commentario suo in Psalmos ait, Septuaginta legere *Thera* prædam juxta Hebræum; sed Librarios non satis vim hujus vocabuli intelligentes hoc in loco, illi substitisse *Chera* viduam, eo libentius, quod in versiculo eodem legobant: *pauperes eius saturabo panibus*. Pater idem in Hebraicis Quæstionibus suis in Genesim ait, plerosque legisse *Thera* in Septuaginta pro *Chera*. Addit etiam primum Autographo esse conforme, & hoc in loco *cibaria* significare. S. Athanasius fatetur, quædam Exemplaria habuisse *viduam*, sed alteram sequitur lectionem. S. Cyrillus in Isai. 60. pro *Theran* legit *Thyran*, portam.

Consentiunt Interpretes, verum hujus loci sensum eum esse, qui in Hebraico textu habetur: benedictionibus cumulabo ejus cibaria. Templo meo non deerit triticum, neque vinum, neque oleum, neque sal; neque animalia pro sacrificiis; & Sacerdotibus meis suppetet, unde opipare in Domo mea alantur. Sacerdotes, pauperes suos vocat: *Pauperes eius saturabo panibus*;

---

1 אתה וארון עזך Quid. apud Chrysost. Τῆς ἰσχύος σου. Alius, τῆ κιβωτὸς σου.
2 Kimchi, Chald. Vat. Geier. Ferrand. 3 כהניך ילבשו צדק וחסידיך ירננו
4 Chald. Kimchi, Vatab. Geier. 5 S. Hilar. Psalter. Rom. Mediol. S. German. Carnut. *Et non frustrabitur eum*. Gotic. *Non frustrabit eum*. August. *Et non pœnitebis eum*. Edit. Sixt. V. & omnes pene Vulg. libri ante correct. Clement. VIII. legebant: *eum*; non *eam*. 6 2. Reg. 7. 12. *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus*. Et 1. Par. 28. 7. & Psalm. 88. 36. 37. &c.
7 Confer. Psalm. 88. 30. 31. & seq. & 2. Reg. 7. 14 15. Act. 2. 30. 8 S. Hilar.
9 2. Reg. 24. 18. 19. & 1. Par. 21. 26. Vide 2. Par. 3. 1. & Psal. 77. 68.
10 כי בחר יהוה בציון אוה למושב לו 70. Ἐξελέξατο .... ᾑρετίσατο. Hilar. Aug. antiqu. Psalt. *Elegit eam ... prælegit eam in habitationem sibi*. 11 צידה ברך אברך Aquil. [Greek]. *Annonam ejus*. Symmach. [Greek]. *Cibos ejus*. Hieronym. *Venationem*. 12 70. Τὴν θήραν αὐτῆς εὐλογῶν εὐλογήσω. Ita Heracl. Chrysost. Theodoret. Græc. Parapht. Athan.

nibus; quia agros non possidebant, ac omnes redditus A eorum in fortuitis oblationibus, in decimis, atque primitiis consistebant.

℣. 17. SACERDOTES EJUS INDUAM SALUTARI, &c.] Induam sacerdotes ejus virtute salutari, vel salutem illis tribuam, eos incolumes servabo, bonis, & gratiis cumulabo; ita ut benedictionibus meis tamquam indumento circumdati videantur. Eos perfecte beatos reddam, & Levitæ, Sancti Domini laudabunt me in gaudio, curæ omnis expertes: *Sancti eius exultatione exultabunt*. Hebræus: *Cantando cantabunt*.

℣. 18. ILLUC PRODUCAM CORNU DAVID,] scilicet potentiam David. Nam in Scripturis cornu significat gloriam, imperium, dignitatem, potentiam. In priori sensu, qui legentibus se se offert, promissio B hæc Davidi facta intelligitur de Salomone filio ejus, qui tanta cum gloria regnavit in Sion, & qui tantum nominis sibi comparavit, Domino suum Templum ædificans. Sed in sublimiori sensu de J. C. explicandum est [1], gloria David, & felicitate familiæ ejus. Rabbini iidem in hoc intelligunt sensu [2]. Hebræus magis adhuc explicite habet [3]: *Germinare faciam cornu David*, quod melius congruit cum idea, quam nobis de Messia tribuunt Prophetæ [4], tamquam de germine, vel radice florenti, & ex se met ex trunco existenti ad innuendam miraculosam J. C. nativitatem, ex intacto Virginis matris utero in lucem editi.

PARAVI LUCERNAM CHRISTO MEO.] Lucernæ nomine isthic filius, vel successor intelligitur. Ita sacri Auctores pluribus in locis locuti sunt [5]; eamque C loquendi rationem prophani etiam Scriptores nonnumquam sunt imitati [6]. Hoc explicatur de Salomone, vel Zorobabel ad litteram, de J. C. vero in sublimiori sensu, qui quidem primus erat in mente Spiritus Sancti. S. Lucas, vel potius Simeon Senex ad hunc locum videtur alludere, cum ait Luc. 2. 32. *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem populorum; lumen ad revelationem gentium*. Et S. Johannes in Apocalypsi 21. 23. ait, Agnum esse lucernam cœlestis Jerusalem: *lucerna eius est agnus*. S. S. Athanasius, & Augustinus hoc intelligunt de S. Johanne Baptista, qui ab eodem J. C. vocatur *Lucerna ardens, & lucens*, *Johan.* 5. 35.

℣. 19. SUPER IPSUM AUTEM EFFLOREBIT SANCTIFICATIO MEA.] Illum induam gloria, & sanctitate. Hoc respectu diversorum de David, & J. C. intelligitur. Prior quidem alterius imago fuit. David religiosissimus fuit, atque sanctissimus Regum Israel. J. C. est Sanctus Sanctorum, & fons omnis justitiæ, & sanctitatis. S. Hilarius, & vetus S. Germani Psalterium legunt *flories* pro *florebit*, & S. Augustinus l. 2. de Doctr. Christ. c. 13. refert, ævo suo ex ore populi pravam hanc legendi rationem oblitterari minime potuisse; adeo perperam pronuntiando assueverant. Hebræus [7] longe aliter verti potest. S. Hieronymus: *super ipsum autem efflorebit diadema eius*. Gestabit David coronam usquequaque nitentem, semperque gloriosam, quin hostes possint umquam splendori ejus officere, atque pulchritudini illius notas offundere. Regnum illius semper gloriosum erit, neque obscurabitur unquam ejus gloria. Hoc vere convenit dumtaxat JESU CHRISTO, Regi immortali, glorioso, æterno, impeccabili, ac omnibus Cœli, ac terræ potestatibus superiori. Alii [8] vertunt: *Consecratio*, vel *separatio eius* germinabit, vel florebit super eum. Quod redit ad sensum Septuaginta, atque Vulgatæ.

---

1 Ita Patres, & Interpp. passim. 2 Vide Muis hic. R. Saad. in Hammond.
3 שם אצמיח קרן לדוד 70. Ἐξανατελῶ. Aug. *Ibi suscitabo cornu David*.
4 Vide Isai. 4. 2. 11. 2. & Jerem. 23. 5. 33. 15. Ezech. 30. 21. Zach. 6. 12.
5 2. Reg. 14. 7. & 3. Reg. 11. 36. & 15. 4. & 4. Reg. 8. 19. & 2. Par. 21. 7. & Eccli. 30. 4.
6 Theocrit. Idyll. 27. Νέον φυτὸν ἐξέφυσεν. 7 עליו יציץ נזרו
8 70. Τὸ ἁγίασμά μου. Alius, τὸ ἀφόρισμα; vel ἀφωρισμένον. Quid. κέρας, apud Chrysost.

PSALMUS CXXXII.

Felicitas, & utilitas unionis Levitarum.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM.

Triplex proponitur de Psalmi hujus argumento sententia. Prior, ipsum a David fuisse compositum, cum post exantlatas plurimas ærumnas, & mala, vidit tandem omnes tribus Israel sub suo imperio conjunctas [1]. Altera, isthic exhiberi omnes tribus Israel de captivitate reversas, atque sub uno capite congregatas. Opponitur autem felicitas unionis earum fœdis effectibus secessionis ipsarum, quæ sub initium regni Roboam contigerat [2]. Israelitæ, cum omnes ex eadem sint progenie, isthic fratres dicuntur, perinde ac unam dumtaxat simul familiam componerent. Tertia demum sententia Psalmum hunc de Sacerdotibus, atque Levitis de captivitate reversis, in Templo congregatis, ac iterum muneri suo obeundo vacantibus interpretatur [3]; quæ sane omnium maxime simplex mihi videtur. Aaronis nomen, quod isthic occurrit, ejusque Sacerdotalis inunctio, ex qua præcipuam similitudinem suam auctor desumit, non parum roboris huic addunt sententiæ. Psalmus hic cum subsequente apertissimum habet nexum. Qui putant, Psalmum *Memento, Domine, David* in alterius Templi Dedicatione fuisse cantatum, reputare possent hunc 132. & sequentem 133. veluti superioris 131. continuationem. Ibi Dominus rogatur, ut in Templum suum ingrediatur, ac ibi suas benedictiones effundat. Hic vero commendatur recte institutus ordo, atque unanimis Ministrorum consensio; Psalmus autem 133. eos ad vigilantiam adhortatur. Hebræus, & Vulgata illum Davidi attribuunt, non item vero Septuaginta.

---

1 Jansen. Gand. Muis, alii. 2 Chrysost. Theod. Græc. Interp. Euthym. Beda. Bossuet.
3 Abenezra.

1. Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum. 2 Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. 3 Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. 4 Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum.

℣. 1. ECCE, QUAM BONUM, & QUAM JUCUNDUM, HABITARE FRATRES IN UNUM.] Hoc spectaculum quanto est solatio Domini Ministris in Sancto illius Templo congregatis, qui in id omnem operam, curamque transmittunt! Quam jucundum est Sacerdotibus, ac Levitis post exilium adeo diuturnum, se se hodie intueri in sancta civitate, & in Domini Templo congregatos! Septuaginta ad litteram [1]: *Quid adeo speciosum, & jucundum est, nisi videre fratres congregatos!* A

℣. 2. SICUT UNGUENTUM IN CAPITE, QUOD DESCENDIT IN BARBAM &c.] Sacerdotum, ac Levitarum unio in Domo Domini æque dulcis est, æque jucunda, & æque suaviter olens, ac unguentum, quo Aaron in consecratione sua fuit delibutus; unguentum illud, quod Moyses effudit super caput summi Sacerdotis tanta in copia, ut non solum comæ, & barba illius maduerint, verum etiam usque ad fimbriam, vel collare vestis ejus defluxerit [2]. Hebræus ad litteram [3] *super os vestium illius*; & in Scripturæ stylo, os vestium, superior illarum hiatus dicitur, qua collum inseritur [4]. Septuaginta [5] eam adhibent vocem, quæ proprie significat fimbriam ex pellibus arietis, quæ inferiori vestium parti, vel etiam earumdem collo assuebantur ad eas conservandas [6]. Moyses [7] fusius docet, quomodo confectum fuerit unguentum, quo Aaron in consecratione sua fuit inunctus, & eos persequitur ritus, in ea solemnitate observatos. Ad hæc alludit isthic Psalmista. B

℣. 3. SICUT ROS HERMON, QUI DESCENDIT IN MONTEM SION.] Hebræus, & Septuaginta [8]: *in montes Sion*. Sacerdotum in sacro ipsorum ministerio cœtus, eorum in Templum reditus, omni populo æque jucundus est, ac ros montibus Hermon, & Sion. C

Ita enim plerique Interpretum explicant, perinde ac legeremus: *Sicut Ros, qui descendit in Hermon, & qui descendit in montem Sion*. Re quidem vera quomodonam ros, qui descendit in montem Hermon, trans Jordanem positum, caderet super montem Sion, citra hunc fluvium, ultra quinquaginta leucas ab altero monte sepositum. Nonnulli, ut huic respondeant difficultati, putant, Sion hoc in loco esse appellativum, & significare quemlibet aridum, sterilemque montem [9].

Alii, majori sane veritatis specie, putant Hebraicam vocem *Zion* isthic pro *Sion* fuisse usurpatam per quamdam immutationem, quæ facillima est inter duas litteras, quæ eumdem ferme sonum habent [10]. At *Sion*, si eum *Sin* scribatur, nomen est unius ex jugis montis Hermon [11]. Nomen *Sion*, veluti synonymum Hermon, in Ecclesiastico etiam 24. 17. deprehenditur: *quasi cypressus in monte Sion*. Hebræus legit: *in monte Hermon*. Ergo Psalmista unum, & idem asserere vult in utroque versiculi membro. Cœtus Sacerdotum, & Levitarum æque jucundus est, atque exoptatus, ac ros decidens super montem Hermon, & super jugum Sion, quod illi est contiguum.

℣. 4. QUONIAM ILLIC MANDAVIT DOMINUS BENEDICTIONEM, & VITAM USQUE IN SÆCULUM.] Ubi est consensus, ibi gratiam suam, diuturnam, beatamque vitam Deus impertitur. Vel: In Templo, ubi Sacerdotes, & Levitæ uno corde, ac una mente congregati sunt, Dominus effundit benedictiones suas, *& vitam*, hoc est omnia gratiarum, ac beneficiorum genera. Hebræus [12], & Septuaginta ad litteram: *Illic mandavit Dominus benedictionem, vitam* (absque *&*) *usque in sæculum*. Reor autem, mendum obrepsisse in Hebraicum textum, legendumque esse: *Dominus illic effudit benedictiones suas hodie, & in æternum*.

1 70. Ἰδοὺ δὴ τί καλὸν, ἢ τί τερπνὸν; ἀλλ᾽ ἢ τὸ κατοικεῖν ἀδελφοὺς ἐπὶ τὸ αὐτό.
2 Ita Theodoret. Kimchi, Rab. Muis, alii. 3 על פי מדותיו
4 Vide Exod. 28. 31. & Job. 30. 18. 5 70. Καταβαῖνον ἐπὶ τὴν ᾤαν τοῦ ἐνδύματος αὐτοῦ.
6 Vide Ludov. de Dieu. hic. & Boch. de animal. p. 1. l. 2. c. 43. 7 Exod. 30. 23. 24. 25. 30. & Levit. 8. 10. 8 Aug. *In montes Sion*. Ita 70. Ἐπὶ τὰ ὄρη Σιών. Et Hebr. על הררי ציון
9 Kimchi, Rab. Salom. Muis. 10 ציון Tzion. שיון Sion. 11 Deut. 4. 48. *Usque ad montem Sion, qui est & Hermon*. 12 כי שם צוה יהוה את הברכה חיים עד העולם Legere mallem היום עד העולם *Hodie usque in sæculum*.

PSALMUS CXXXIII.

Adhortatio ad Sacerdotes, & Levitas, ut Dominum laudent.

Canticum Graduum.

ARGUMENTUM.

Hic novissimus est e quindecim Psalmis Gradualibus. Sunt, qui putent a Davide fuisse compositum, ut a Levitis in Templum euntibus caneretur. Alii censent, hoc esse opus Salomonis, atque pro Dedicationis Templi solemnitate fuisse conscriptum: alii opinantur a populo cani consuevisse, postremo trium magnarum festivitatum die, antequam digrederetur domum suam reversurus. Nos vero hunc in tempus Dedicationis secundi Templi conjicimus, post reditum de captivitate [1]. Populus Sacerdotes, ac Levitas adhortatur, quorum pene conflatum consensum Psalmo superiori commendavit, ut indesinenter se se exerceant, Domino inservientes, eumque benedicentes, atque interdiu, ac noctu orantes Deum, ut benedictiones suas in universum Israel effundat. Plurimi [2] hanc esse putant benedictionum formulam, qua Levitæ utebantur,

1 Ita Origen. Theodoret. Græc. Paraphrast. Ferrand. 2 Muis, Moller. Bossuet. Vide Dissertationem in Psalmos Graduales.

tur; qui in Templo excubias agebant. Princeps, vel Caput eorum subinde clamabat: *Ecce nunc benedicite Dominum &c.* aliique respondebant: *benedicat te Dominus ex Sion &c.* Mos excubias agendi in Templo diebus, & noctibus, atque præ januis illius vigilandi, ex Scriptura innotescit. Verum nihil signate afferri potest de hac consuetudine identidem clamandi, ad excitandos custodes, eosque ad munus suum alacres detinendos. Nollem tamen sententiam hanc omnino refellere. Psalmus hic est veluti sequentium duorum compendium.

1. ECce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini. 2 Qui statis in domo
Domini, in atriis domus Dei nostri. 3 In noctibus extollite manus ve-
stras in sancta, & benedicite Dominum. 4 Benedicat te Dominus ex Sion,
qui fecit cœlum, & terram.

℣. 1. ECCE NUNC BENEDICITE DOMINUM] vos, A qui estis servi Domini, qui in Domo, atque in Atrio illius immoramini. Hæc adhortatio ad Sacerdotes fit, & Levitas, qui per ea verba designantur: *Qui statis in domo Domini, in atriis Domus Dei nostri*. Ecce nunc feliciter iterum congregati estis, vestrisque muneribus redditi. Vestrum est, fideliter munere vestro perfungi. Ne cessetis igitur Dominum benedicere, eique repræsentare necessitates populi totius, cujus oblationes excipitis, & cujus apud Deum estis interpretes.

℣. 2. QUI STATIS IN DOMO DOMINI, IN ATRIIS DOMUS DEI NOSTRI.] Postrema hæc verba: *in atriis Domus Dei nostri*, non sunt in Hebræo textu, neque in Chaldæo; sed ex sequenti Psalmo ℣. 2. desumpta sunt [1]. Hebræus huic versiculo addit initium sequen- B tis, hoc pacto ℣. *Vos qui statis in domo Domini in noctibus: extollite manus vestras in Sancta*. Laicis in Templo noctu immorari nefas erat; Sacerdotes, & Levitæ, qui tunc ibi aderant in præsidio, soli immorabantur; at agebant excubias. Liquet duo, proprie loquendo, fuisse atria in Templo, sacerdotale videlicet, & atrium Israel; sed in hoc quædam pro mulieribus erat divisio, & fortasse etiam in altero ad Sacerdotes a Levitis sejungendos.

℣. 3. IN NOCTIBUS EXTOLLITE MANUS VESTRAS IN SANCTA.] Vos, qui noctem in Templo traducitis, Dominum rogate, ut misereatur Israel. Hoc refertur ad Levitas Templi custodes; non enim ex Lege liquet, Sacerdotes etiam vigilasse; nisi aliquis fortasse ad alendum ignem Altaris holocaustorum, ubi ultima apponebatur hostia sub crepusculum vespertinum, tali arte, ut ad auroram usque combureretur, quo tempore alia victima afferebatur. Judæi sæpius manibus ad Cœlum elatis, vel Templum versus orabant; qui naturalis est gestus omnium Deo preces fundentium. S. Paulus 1. Tim. 2. 8. jubet, fideles mundas attollere manus ad Cœlum in omni loco, & quovis tempore. Agatharcides apud Joseph. contra Appion. l. 1. ait, Sabbatho Judæos nullum servile opus facere, neque labore ullo fatigari, sed in Templo ad vesperam usque permanere, Deum elatis manibus orantes. Hebræus verti potest [2]; *Extollite manus vestras in Sanctitate*, in innocentia. Chaldæus: *in suggestu sanctitatis*. Levitæ nonnumquam suggestum hunc ascendebant, ut ibi vel canerent, vel Legem legerent. 2. Esdr. 9. 4.

℣. 4. BENEDICAT TE DOMINUS EX SION, QUI FECIT COELUM, & TERRAM;] Deus scilicet Omnipotens, & universorum Creator. Hæc est responsio Sacerdotum, & Levitarum ad populum, post peractam Templi Dedicationem digredientem. Quod optas, explebimus: vale: Dominus te suis benedictionibus cumulet. Benedicere populo, munus erat secundum Legem Sacerdotibus tantummodo reservatum; qui his utebantur formulis, quæ eidem æquivalent, quam isthic legimus. *Sic benedicetis filios Israel*, ait Moyses Num. 23. *& dicetis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.*

1 Hieronym. hic. 2 שאו ידיכם קדש

PSALMUS CXXXIV.

Laudes Domini. Referuntur præcipui potentiæ ejus effectus, & ea, quæ Israeli contulit beneficia. Idolorum vanitas.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

Psalmi hujus argumentum idem est, ac illud superioris. Est autem adhortatio ad Sacerdotes, Levitas, omnemque Israel, ut Dei laudes, & magnalia prædicent. Postrema Psalmi pars eadem est ferme ac finis Psalmi 113. Quod de Idolis, & effectibus Divinæ potentiæ adfertur, depromptum est ex capite 10. Jeremiæ. Hi characteres fidem adstruunt, Psalmum hunc post captivitatem fuisse compositum [1]; & fortasse in Dedicationis alterius Templi solemnitate. Psalmus consequens hunc omnem ferme repetit, singulis hemistichiis hæc intercalaria admiscens verba: *Quoniam in æternum misericordia ejus*.

1. LAudate nomen Domini, laudate servi Dominum. 2 Qui statis in domo
Domini, in atriis domus Dei nostri. 3 Laudate Dominum, quia bonus
Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave. 4 Quoniam Jacob elegit
sibi Dominus, Israel in possessionem sibi. 5 Quia ego cognovi, quod magnus

1 Theodoret. Ferrand.

est Dominus, & Deus noster præ omnibus diis. 6 Omnia, quæcumque voluit,
Dominus fecit in cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis. 7 Educens
nubes ab extremo terræ: fulgura in pluviam fecit. 8 Qui producit ventos de
thesauris suis: qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus. 9
Et misit signa, & prodigia in medio tui Ægypte: in Pharaonem, & in omnes
servos ejus. 10 Qui percussit gentes multas, & occidit reges fortes. 11 Schon
regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan. 12 Et dedit
terram eorum hereditatem, hereditatem Israel populo suo. 13 Domine, nomen tuum
in eternum: Domine, memoriale tuum in generationem, & generationem. 14 Quia
judicabit Dominus populum suum, & in servis suis deprecabitur. 15 Simulacra
gentium argentum, & aurum: opera manuum hominum. 16 Os habent, & non lo-
quentur: oculos habent, & non videbunt. 17 Aures habent, & non audient: ne-
que enim est spiritus in ore ipsorum. 18 Similes illis fiant, qui faciunt ea, & om-
nes, qui confidunt in eis. 19 Domus Israel benedicite Domino: domus Aaron be-
nedicite Domino. 20 Domus Levi benedicite Domino: qui timetis Dominum, bene-
dicite Domino. 21 Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.

℣. 1. LAUDATE NOMEN DOMINI; LAUDATE, SERVI DOMINUM.] Hoc Sacerdotibus, ac Levitis peculiariter Domini servitio devotis dictum est. Hebræus verti potest [1] *laudate nomen Domini; laudate servi Domini*. Ita Hieronymus, & alii.

℣. 2. QUI STATIS IN DOMO DOMINI, IN ATRIIS DOMUS DEI NOSTRI.] Adhuc alloquitur Sacerdotes, & Levitas, quemadmodum superiore Psalmo ℣. 1. 2. Nonnulli putant [2], verba ea: *Qui statis in atriis domus Dei nostri*, designare simplices Israelitas; verum præstat intelligere de Sacerdotibus, & Levitis. Templum consueta erat illorum sedes: erant veluti servi domestici Ædium Domini.

℣. 3. QUONIAM BONUS DOMINUS [3]: PSALLITE NOMINI EJUS, QUONIAM SUAVE [4].] Hebræus [5]: *laudate Dominum*, quoniam bonus est Dominus: *canite* in honorem *nomini ejus, quoniam suave est*; quoniam hæc jucunda est exercitatio; gloriosum, & utile officium. Aquila [6]: *quoniam decet*. Septuaginta [7] *Quoniam bonum est*, vel speciosum, utile &c. Vide Psalmum 146. 1. *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus, Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio*.

℣. 4. ISRAEL IN POSSESSIONEM SIBI.] Alios populos quodammodo errori tradidit, Principi tenebrarum, idololatriæ, sed sibi assumpsit Jacob. *Quando dividebat Altissimus gentes*, ait Moyses Deut. 32. 8. *quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. Pars autem Domini populus ejus. Jacob funiculus hæreditatis ejus*. Dominus nobis exhibetur, velut Princeps latissimum possidens imperium, qui variis Provinciis præficit Angelos suos [8]; sed unum ex illis sibi eligit, ubi inhabitet; ac populum, qui sibi serviat, accipit, cujus se caput, & Dominum profitetur. Populus hic est Israel; regio hæc est Chananitis.

Putant, Hebraicam vocem [9], quam Vulgata reddidit *possessionem*, proprie significare gemmas, rara quælibet, ac pretiosa, quæ in Principis thesauro condi solent [10]. Alii vero *peculium* reddunt, id quod proprium est, & particulare. Chaldæus [11]: *Elegit sibi in dilectum*, filium, amicum; Symmachus [12]: *populum suum electum*. Accepit illum, peculiari quadam distinctione eum aliis præferens.

℣. 5. DEUS NOSTER PRÆ OMNIBUS DIIS.] Elevatus est super omnes Deos, super eos omnes, quibus Dei nomen tribuitur, sive Angeli sint [13], sive personæ a Deo missæ, atque in dignitate constitutæ; vel etiam falsa numina [14], quibus Deorum nomen per abusum solummodo convenit. Ex decursu liquet, inanibus his præcipue numinibus opponi Deum Israel, namque hujus omnipotentia, & bonitate commendatis, statim Idolorum impotentiam, vanitatem, infirmitatem, & ea colentium dementiam ostendit.

℣. 6. OMNIA QUÆCUMQUE VOLUIT, DOMINUS FECIT.] Hæc res illum secernit ab iis omnibus, qui Dii nuncupantur. Ipse omnium creator est, ac Dominus. Homo, Angelus, corpus, spiritus, exilia, magna, Reges, subditi, omnia obtemperant illi. Quidquid subsistit in Cœlo, super terram, in mari, in profundissimis abyssis, sub terra, in imo maris, opus est illius. Vide Psalmum 110. 2. *Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus*.

℣. 7. EDUCENS [15] NUBES AB EXTREMO TERRÆ.] Hebræi putabant, terram undequaque aquis esse involutam, iisque persuasum erat, nubes e mari se se attollere, quemadmodum re ipsa pleræque attolluntur [16]. In regionem illorum pluviæ, & nubes ab Occidentali plaga, vel a Mediterraneo mari [17] ingruebant. Auctor vocat *extremum terræ*, maris littora. Miraculum elevationis nubium in eo situm est, quod aqua licet gravis, & fluens, atque ingenio suo deorsum tendens, parit tamen vapores, & nubes, quæ sursum feruntur, & diu pendent in aere, donec in pluvias dissolutæ super terram decidunt [18]. Confer. Job. 5. ℣. 7. 10. *Amos* 5. 8. *Jerem*. 10. 13. 14. 22. 51. 16.

FULGURA IN PLUVIAM FECIT.] Mutat fulgura in pluviam; vel, immittit fulgura veluti signa, & præcursores imbrium [19]. Vel: consociat fulgura cum imbribus, ignem cum aqua; ea, quæ simul per se esse non possunt [20]. Hæ sunt Theodori Heracleotæ, ac Theodoreti explicationes. In allegorico sensu, immutat Deus fulgura in pluviam, cum immittit in animam sanctum terrorem, qui in solidam desinit pœnitentiam.

Minæ

1 הללו את שם יהוה הללו עברי יהוה 2 Kimchi, Muis, Geier.
3 S. Hilar. Hieron. Psalt. Rom. S. Germ. *Quoniam benignus est Dominus*.
4 Aug. Psalt. Rom. Germ. *Quoniam suavis est*. 5 הללו יה כי טוב יהוה זמרו לשמו כי נעים
6 Sym. Ὅτι εὐπρεπὲς. כי נעים Alius, ὅτι ἡδύ. 7 70. Ὅτι καλόν.
8 Aug. hic p. 1497. 9 ישראל לסגלתו 10 Vide Par. 29. 3. Eccle. 2. 8.
11 ישראל לחביבה 12 Sym. Εἰς ἐξαίρετον. 13 Vide Hilar. August. & Hieron.
14 Chrysost. Athan. Theodoret. 15 Aug. *Suscitans*. Quid. apud Chrys. Ἀναβιβάζων. Alii, ἐξάγων.
16 Vide Heracleot. & Theodoret. Ita Hilar. & Athan. 17 Luc. 12. 54. *Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus erit, & ita fit*. 3. Reg. 18. 44. *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari*. 18 Vide Theodoret. & Heracleot.
19 Confer Jerem. 10. 13. 51. 16. Job. 38. 35. 20 Chrysost. Theodoret.

Minæ Apostolorum, & Concionatorum sunt veluti fulgur, & fulmen. Fulgura hæc immutantur in aquam per lacrymas pœnitentiæ, ac fructus salutis [1].

℣. 8. QUI PRODUCIT VENTOS DE THESAURIS SUIS.] Jeremias omnino similiter [2] loquitur, æque ac Poetæ Græci, & Latini [3], qui nobis describunt ventos clausos in antro, neque illinc egredientes, nisi Eoli, falsi numinis, jussu, qui speluncæ illi præpositus est. Videtur Psalmista innuere voluisse, obscuram esse ventorum originem, eos in Dei thesauris recondens [4]. S. Hieronymus per thesauros unde venti erumpunt, intelligit Angelos, quos Deus de Cœlo mittit, ut adducant, cohibeant, abducantque ventos, ac tempestates. S. Hilarius id de Custodibus Angelis interpretatur, a Deo nostræ tutelæ, ac præsidio præpositis. Theodoretus magis adhuc simpliciter: Dei voluntas est thesaurus, ex quo venti egrediuntur. Statim ac annuit, perflant, & debacchantur. Antiquæ Versiones Græcæ reddunt [5]: *Qui producit ventos de thesauris eorum*, de thesauris nubium, vel potius de locis, ubi clausi detinentur.

℣. 10. QUI PERCUSSIT GENTES MULTAS, & OCCIDIT REGES FORTES [6];] Amorrhæos, Hevæos, Hethæos, & omnes populos Chanaan; Reges Og, & Sehon, torque alios Chananæos, quin pupulos, ac Reges a David superatos recenseamus.

℣. 14. QUIA JUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM, & IN SERVIS SUIS DEPRECABITUR [7].] Cognoscet Dominus, quomodo vexetur populus suus, audiet questus illius; ejus injurias persequetur; atque adversus inimicos Israel illius ultio desæviet. Hæc genuina est Hebraici textus sententia [8]. *Consolari* sæpe ultionem sumere significat. Vide *Deut.* 32. 36. & *Isai.* 1. 24. & 2 *Macc.* 7. 6. & Commentarium nostrum in hos locos. Affliget Deus inimicos nostros. Ulciscetur injurias, & contumelias, nobis a Samaritanis, & aliis illatas.

℣. 15. SIMULACRA GENTIUM &c.] Reliquam Psalmi partem explicuimus in Psalmo 113. 4. & sequentibus.

℣. 17. AURES HABENT, & NON AUDIENT; NEQUE ENIM EST SPIRITUS IN ORE IPSORUM.] S. Augustinus non legit hæc verba: *Neque enim est spiritus in ore ipsorum*; & addit ea, quæ sequuntur: *Nares habent, & non odorabunt; os habent, & non loquentur; manus habent, & non operabuntur; pedes habent, & non ambulabunt*. S Hilarius, & antiqua Psalteria, Romanum, S. Germani, Mediolanense, & Carnutense parum aliter legunt: *Nares habent, & non odorabunt; manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo*. Quod desumptum est ex Psalmo 113.

℣. 19. DOMUS ISRAEL, BENEDICITE DOMINO: DOMUS AARON, BENEDICITE DOMINO.] Propheta semper Sacerdotes a populo distinguit. Intelligebat enim distinctionis hujus necessitatem propter effectus, & reverentiam, quam populi habere debent erga eos, qui ad sanctarum rerum administrationem divinitus evocati sunt.

---

1 Aug. & Cassiodor. hic. 2 Jerem. 51. 16. Vide Sap. 16. 17. Exod. 9. 24.
3 Vide Homer. Odyss. K. Virgil. Æneid. 1, Horat. l. 1. Ode 3. Juvenal. Sat. 5. Statius l. 10. Thebaid.
4 Euthym. 5 מוצא רוח מאיצרותיו Aqu. Sym. Th. 5. & 6. Edit. Ἐκ θησαυρῶν αὐτῶν.
6 Psalt. S. Germ. *Reges mirabiles.* 7 Hilar. & Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut. *In servis suis consolabitur*. S. Aug. *Advocabitur*. 70. Ἐπὶ τοῖς δούλοις αὐτοῦ παρακληθήσεται.
8 כי ידין יהוה עמו ועל עבדיו יתנחם

PSALMUS CXXXV.

Psalmista Domini laudat misericordiam, præcipua illius enarrans mirabilia, quæ in gratiam Israel operatus est.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

Alleluja, quod in fronte hujus Psalmi Vulgata legit, in fine præcedentis legitur in Hebræo, & Chaldæo: In SS. Augustino, & Chrysostomo non invenitur, adest vero in SS. Hilario, Athanasio, Hieronymo, in Theodoreto, & Septuaginta. Canticum hoc nihil aliud ferme est, quam superioris repetitio, addita intercalari clausula, *quoniam in æternum misericordia ejus*, quæ in singulos redit versiculos. Populus fortasse intercalaria hæc recinebat verba, priori versiculi parte a Levitis pronuntiata. Origenes, & vetus Paraphrastes Græcus putant, Psalmum hunc decantatum fuisse post reditum de captivitate, quod satis liquido probatur ex ea ratione, quam habet cum Psalmis 106. 110. 113. 133. & 134. Versiculi 23. & 24. [1] ipsi quoque non mediocriter huic favent sententiæ, in quam haud ægre descendimus.

1. CONfitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia
ejus. 2 Confitemini Deo deorum: quoniam in æternum misericordia ejus.
3 Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia ejus.
4 Qui facit mirabilia magna solus: quoniam in æternum misericordia ejus. 5 Qui
fecit cœlos in intellectu: quoniam in æternum misericordia ejus. 6 Qui firmavit
terram super aquas: quoniam in æternum misericordia ejus. 7 Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum misericordia ejus. 8 Solem in potestatem diei:
quoniam in æternum misericordia ejus. 9 Lunam, & stellas in potestatem noctis:
quoniam in æternum misericordia ejus. 10 Qui percussit Ægyptum cum primoge-

---

1 Vers. 23. *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri*, &c. 24. *Et redemit nos de inimicis nostris*. Confer Psalmum 134. 14.

nitis eorum : quoniam in æternum misericordia ejus. 11 Qui eduxit Israel de me-
dio eorum : quoniam in æternum misericordia ejus. 12 In manu potenti, & bra-
chio excelso : quoniam in æternum misericordia ejus. 13 Qui divisit Mare rubrum
in divisiones : quoniam in æternum misericordia ejus. 14 Et eduxit Israel per me-
dium ejus : quoniam in æternum misericordia ejus. 15 Et excussit Pharaonem, &
virtutem ejus in Mari rubro : quoniam in æternum misericordia ejus. 16 Qui tra-
duxit populum suum per desertum : quoniam in æternum misericordia ejus. 17
Qui percussit reges magnos : quoniam in æternum misericordia ejus. 18 Et occi-
dit reges fortes : quoniam in æternum misericordia ejus. 19 Sehon regem Amor-
rhæorum : quoniam in æternum misericordia ejus. 20 Et Og regem Basan : quo-
niam in æternum misericordia ejus. 21 Et dedit terram eorum hæreditatem : quo-
niam in æternum misericordia ejus. 22 Hæreditatem Israel servo suo : quoniam in
æternum misericordia ejus. 23 Quia in humilitate nostra memor fuit nostri : quo-
niam in æternum misericordia ejus. 24 Et redemit nos ab inimicis nostris : quo-
niam in æternum misericordia ejus. 25 Qui dat escam omni carni : quoniam in
æternum misericordia ejus. 26 Confitemini Deo cœli : quoniam in æternum mise-
ricordia ejus. 27 Confitemini Domino dominorum : quoniam in æternum miseri-
cordia ejus.

℣. 1. QUONIAM IN ÆTERNUM [1] MISERICORDIA EJUS.] Psalterium Mediolanense pro his verbis : *Quoniam in æternum* &c. simpliciter legit : *Quoniam bonus* a Versiculo 2. ad Psalmi usque finem. S.S. Hilarius, & Hieronymus per hoc verbum *Confitemini*, duplex isthic confessionis genus intelligunt, alterum quidem laudum, peccatorum alterum ; quorum utrumque objectum habet misericordiam Dei.

℣. 2. CONFITEMINI DEO DEORUM . . . ℣. 3. DOMINO DOMINORUM.] S. Hieronymus pro primo Filii personam, pro altero personam Patris intelligit ; ut autem ostendat, hos nequaquam esse duos Deos, addit, Psalmistam sequenti versiculo adjicere : *Qui facit mirabilia magna solus*. Theodoretus nomine Dei Deorum, & Domini Dominorum, non vult intelligi Deum Idolorum, fictorumque numinum ; Deus enim nequaquam est Deus mortuorum [2], & Idolum nihil est [3] ; sed putat, explicandum esse de Sacerdotibus, Judicibus, potestatibus terræ, quibus Scriptura nonnumquam nomen Deorum tribuit [4]. S. S. Chrysostomus, & Augustinus omnino e contra isthic *Deum Deorum* interpretantur de præstantia Domini præ Idolis, atque Dæmonibus. Abenezra, *Deorum* nomine, superos Angelos intelligit, nomine vero *Dominorum*, eos Angelos, qui terræ præsident. Kimchi pro prioribus illis intelligit quoque Angelos, qui inferioribus rebus præsunt ; pro posterioribus, Cæleſtes Orbes, qui in hæc terrena influunt, eaque gubernant. Simplicius tamen, ac verius est asserere, nomine Dei Deorum, & Domini Dominorum, Auctorem generatim innuere voluisse, Deum toto cœlo superiorem esse cuilibet Potestati, cujuslibet generis ea sit, sive in Cœlo, sive in terris, sive etiam in inferno.

℣. 4. QUI FACIT MIRABILIA MAGNA SOLUS.] Kimchi per hæc puras interpretatur Intelligentias, atque ab omni materia expeditas, quæ neque corpus sunt, neque corpori adhærent. Hoc autem ille, *mirabilia magna* vocat. Verum sensus hic arctis nimium finibus coercetur. Deus solus est Auctor mirabilium omnium, quæ videntur in natura. Non dixerim ideo, Sanctos nulla operari miracula, Theodoretus ait ; sed ea Deus per illos semper operatur. Verum miraculum, profecto Divinitatis est argumentum. Cum enim Dæmones, & impii aliqua patrare possent prodigia, non possent tamen virtute propria, sed per potentiam Dei, vel eo permittente : ideoque eorum gloria illi semper accepta referenda est.

℣. 5. QUI FECIT COELOS IN INTELLECTU,] scilicet cum infinita sapientia. Eos per potentiam suam creavit, eosque infinita sapientia tuetur, & regit [5]. Nonnulli [6] : eos creavit per Verbum suum, increatam videlicet sapientiam. Alii : eos creavit, ut ad agnitionem Attributorum, Divinitatisque suæ nos adduceret. Veteres nonnulli [7] intellectum Cœlis, Syderibusque tribuerunt ; quam inter recentiores Cajetanus suscitavit sententiam. Ait enim, Deum creasse Cœlos cum intellectu, vel eos intelligentes creasse, sive illi vere intellectu præditi reputentur, sive eorum motui præesse dicantur intelligentiæ, sive motus eorum respiciatur, quem intellectualem non esse, hoc est a potenti productum intelligentia, dixerit nemo. Verum sententia hæc generatim ab aliis rejicitur Interpretibus, qui hoc ea explicant ratione, quam primum proposuimus. Cum alicubi Scriptura loquitur de Syderibus, ac Cœlis, veluti anima præditis, atque ratione, & intellectu donatis, figurate, vel juxta rudis, ignarique populi sententiam loquitur.

℣. 6. QUI FIRMAVIT TERRAM SUPER AQUAS.] Antiqui longe alias a nostris habuere sententias, quoad terræ constitutionem. Eas autem ad examen revocabimus in peculiari Dissertatione de Mundi systemate apud Veteres Hebræos. Hic autem satis est dicere, illos credidisse terram aquis impositam, & quodammodo liquido illi elemento innatantem. *Terra super aquas pendula firmitate consistit*, ait S. Hilarius. Hoc ferme incomprehensibile miraculum est, Theodoretus hic ait, terram undequaque undis circumdatam, sibimet incumbentem consistere.

℣. 7. LUMINARIA MAGNA.] Solem, & Lunam ; ita enim vocantur in Genesi 1. 16. *Fecit Deus duo luminaria magna*. S. Hieronymus stellas intelligit : ea plane de causa, quod de Sole, ac Luna sequentibus versiculis redit sermo. Sed Auctor ℣. ℣. 8. & 9. ea tantum explicat, quæ hic generatim dicit. In tres versiculos distribuit hæc Moysis verba Gen. 1. 16. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei : & luminare minus, ut præesset nocti*.

℣. 10. QUI PERCUSSIT ÆGYPTUM . . . QUONIAM IN ÆTERNUM MISERICORDIA EJUS.] Cum percutiebat Ægyptum, non erga Ægyptios, sed Israelitas ab Ægyptiis per nefas oppressos, exercebat misericordiam.

1 Psalt. Rom. S. Germ. Carnut. *In sæculum*. 70. Εἰς τὸν αἰῶνα. 2 Matt. 22. 32.
3 1. Cor. 8. 4. 4 Exod. 22. 28. Psalm. 81. v. 6.
5 Prov. 3. 18. 19. *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cælos prudentia*.
6 Vide Aug. hic. 7 Vide Origen. l. 1. Περὶ ἀρχῶν. Et alibi Clem. Alex. Videsis Huet. Origenian. l. 6. q. 3. & Comment. nostrum in Genes. 1. 14. p. 23.

diam. Hæc erga Ægyptios justitia erat, misericordia erga Israelitas.

℣. 13. QUI DIVISIT MARE RUBRUM IN DIVISIONES.] Hebraicum textum [1] ad unguem Vulgata reddidit. Locum hunc perperam intelligentes Judæi, hinc arripuere occasionem dicendi, mare duodecim in locis fuisse divisum, ut quælibet tribus singulas haberet vias, ut sine tumultu, & impedimento mare traduceretur: quæ vetustissima quidem est Traditio, & quam quodammodo Origenes hom. 5. in Exod. Eusebius in Psal. 77. 13. aliique Veteres nonnulli adoptarunt [2]. Sed Theodoretus eam fabulis adscribendam censet, eamque in Exod. 14. 22. refutavimus.

℣. 16. TRADUXIT POPULUM SUUM PER DESERTUM.] Haud postremum est Providentiæ miraculum, Hebræorum iter per desertum. Frequentissimus populus in medio solitudinis sterilis, atque horridæ quadraginta annos permansit, hostibus undequaque circumseptus; omni aliena destitutus ope, quin neque immodico æstu interdiu aduretetur, neque noctu tenebræ illi officerent, neque illi deesset, unde e multo acervo & biberet, & comederet, & indueretur: Pacatus semper, in medio inimicorum suorum potenti manu protectus, quæ sedulo, atque paterna charitate omnia, quæ opus illi erant, suppeditabat.

℣. 18. REGES FORTES.] Auctor loquitur isthic dumtaxat de Regibus Og, & Sehon, quoniam erant illi, qui præ cæteris maxime viribus prævalebant, & eorum erant fortissimi, quos Israelitæ devicerant, & in quorum cæde manus Dei potissimum enituerat. Hebræus [3] *Reges magnificos*. Chaldæus: *Reges superbos*. Antiqua Psalteria [4]: *Reges mirabiles*; & ante hunc ℣. 18. addunt: *Qui eduxit aquam de petra rupis: quoniam in æternum misericordia ejus*. Quod in nullo Textu legitur.

℣. 23. IN HUMILITATE NOSTRA MEMOR FUIT NOSTRI.] Sunt, qui id explicent de servitute, quam toties sub Judicibus Hebræi passi sunt. Alii de virtute humilitatis intelligunt. Tunc recordatus est nostri, cum humiliatissimus. Credimus autem, Auctorem ad Babylonis captivitatem alludere; ex qua haud ita pridem Dominus eos liberaverat.

℣. 27. CONFITEMINI DOMINO DOMINORUM &c.] Versiculus hic in Hebræo textu, in Chaldæo, in Syriaco, in Septuaginta, apud S. Hilarium, & in Polyglottis Antuerpiensibus non invenitur: legitur vero in Antiquis Psalteriis, & in Arabica Versione, æque ac in Vulgata. S. S. Augustinus, & Hieronymus illum in suis Commentariis legerunt. Nihil vero aliud est, quam ℣. 3. repetitio. In antiquis Psalteriis castigatioribus obelo præfigitur, ad innuendum supervacaneum esse, atque in Hebræo textu non legi.

---

1 לגזר ים סוף לגזרים 2 Athanas. ibidem. Heraclæota hic, & Chrysost.
3 מלכים אדירים Hieronym. *Reges magnificos*. 70. *Βασιλεῖς κραταιούς*.
4 Psalt. Rom. S. Germ. Carnut.

CAPUT CXXXVI.

Levitæ Babylone captivi de salicibus musica instrumenta suspendunt, neque Babyloniorum precibus impelli queunt ad sacra Cantica recinenda. Prædictio infelicitatis Idumæorum, & Babyloniorum.

Psalmus David, Jeremiæ.

ARGUMENTUM.

Exemplaria hujus Psalmi nequaquam sibi consentiunt quoad titulum, qui illi præfigitur. Antiqua Græca Exemplaria Septuaginta, & unum e Romanis Psalteriis legunt simpliciter: *Psalmus David*. Alia antiqua Psalteria nullum præseferunt titulum. Alia habent [1]: *Psalmus David, Jeremiæ*, in dandi casu, vel *pro Jeremia*; alia [2]: *Psalmus David, per Jeremiam*, id est quem elucubravit, vel cecinit Jeremias: alia [3]: *Psalmus David, propter Jeremiam*. In Hebraico textu, & Chaldæo nullus habetur titulus, cujus rei Theodoreti exemplaria nos admonent. Pater hic, una cum veteri Paraphraste Græco temeritatem vocat illorum audaciam, qui Jeremiæ nomen apposuerunt; constat enim, Prophetam hunc, qui numquam fuit Babylone, nullam habere potuisse in hoc Cantico partem, quod ab iis decantatum fuisse, qui in ea aderat Civitate, ex illis verbis liquet. *Super flumina Babylonis, illic sedimus*.

Quo tempore signanter Psalmus hic fuerit compositus, non satis inter Interpretes convenit [4]; asserentibus aliis, fuisse conscriptum a captivis, qui nuper Babylonem venerant: aliis vero [5] tenentibus, post illorum reditum in patriam fuisse cantatum. Postremam hanc sequemur sententiam. Gejerus haud ambigit illum Davidi attribuere, qui in Prophetiæ spiritu illum canere potuit, non secus ac Isajas, & Templi excidium, & captivitatem, & reditum captivorum vaticinatus est. Arbitratur Genebrardus, Jeremiæ nomen titulo fuisse appositum, quod Propheta ille locutus est de malis, quæ Judæi Babylone perpessi sunt, quorum magnitudo in hoc Psalmo ad vivum describitur. Schnepfius, & Grotius [6] putant, Jeremiam hunc ad captivos misisse, ut Babylone caneretur, eumque scripsisse, ut eos consolaretur, atque in eo captivitatis squalore illis solatium aliquod afferret. Nihil in his omnibus absolute invenitur absurdium. Sed cum de conjecturis, ac hypothesibus agitur, maxime commodas simplicesque eligere cupimus. In Psalmo hoc invenimus captivi populi propheticam descriptionem; quam Auctor eleganti venustate mirifice adornavit.

Super

---

1 Ita Bibl. Clem. VIII. Vulgar. & antiqu. Gallican. & Rom. in nov. Edit. Hieronymi.
2 Theodoret. & Paraphr. Græc. Τῷ Δαυὶδ διὰ Ἱερεμίου. Ita 70. Arab. antiqu.
3 Hieronym. in Comment. Sixti V. Hugo Cardinal. Vatab.
4 Interpres seu Paraphr. Græc. Corderii. Rabb. in Muis, Ferrand. Bossuet.
5 Muis, du Pin, Theodoret. Hammond. 6 Ita & quid. apud Hilar.

1. SUper flumina Babylonis, illic sedimus, & flevimus: cum recordaremur
Sion. 2 In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra. 3 Quia
illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum:
4 Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. 5 Quomo-
do cantabimus canticum Domini in terra aliena? 6 Si oblitus fuero tui, Jerusa-
lem, oblivioni detur dextera mea. 7 Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non
meminero tui. 8 Si non proposuero Jerusalem, in principio lætitiæ meæ. 9 Me-
mor esto, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem. 10 Qui dicunt: Exinani-
te, exinanite usque ad fundamentum in ea. 11 Filia Babylonis misera: beatus,
qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. 12 Beatus, qui
tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.

℣. 1. SUPER FLUMINA BABYLONIS ILLIC SEDIMUS, & FLEVIMUS [1].] Dum Babylone essemus, in agris, & ad fluviorum ripam considebamus, ut lacrymis prosequeremur excidium Templi, & Jerusalem. Levitæ ita loquuntur. Homines squalore confecti, ac dolore tabescentes, remota quærunt loca ad orandum [2]. Humi sedere ii solent, qui in luctu, lacrymisque versantur. Judæi in exilio cum in civitatibus commoda non haberent loca ad conveniendum, plerumque in agros secedebant, & secus aquas, ut ibi suas preces effunderent. Philo adv. Flaccum narrat, cum Flaccus Judæis Alexandrinis Synagogam ademisset, eos quotidie mane ad proximos fluvios oraturos concessisse; cumque facultas illis permitteretur Synagogas ædificandi, eas vulgo secus flumina extruxisse sub dio, & sine tecto, qualia erant atria in Templo Jerusalem [3]. *Fluvii*, de quibus hic loquuntur Captivi, sunt vel varia flumina in Euphratem defluentia, vel ipse Euphrates, & Tigris, qui prope Babylonem sese conjungunt, vel denique varii Euphratis rami, qui in plures fluvios circum Babylonem dividebantur [4].

℣. 2. IN SALICIBUS IN MEDIO EJUS SUSPENDIMUS ORGANA NOSTRA.] Magna salicum vis, quæ secus Euphratem aderat, causa fuit, ut flumen illud salicum torrens ab Isaia 15. 7. vocaretur: *Ad torrentem salicum ducent eos*. Neque mirum esse debet, quod arbores consitæ fuerint in ripa fluminis, civitatem interluentis. Babylon adeo vasta erat, ut haud parva pars intra ipsum pomærium aratro inserviret [5]. Magna aderant spatia inter domos, & muros urbis. In Oriente, arborum opacitas in omni domo, omnique viridario in deliciis habetur. Viatores ajunt, maximam quamlibet civitatem eminus nemus aliquod videri, propter magnam arborum copiam, quæ ad umbram captandam ibi sunt consitæ. Plurimæ ergo Babylone erant salices, & captivi illuc nuper advecti lyras suas, aliaque musica instrumenta appendebant; quæ veluti artis suæ supellectilem secum attulerant [6]. Hebraica vox *Kinnor* [7], quæ vertitur organa, vel generatim musica instrumenta, proprie Veterum lyram significat.

℣. 3. QUIA ILLIC INTERROGAVERUNT NOS .... VERBA CANTIONUM.] Judæi, ac præsertim Levitæ cantu suo erant celeberrimi [8]. Musica erat solum ferme negotium plurimarum familiarum, quæ Templi, ac nationis sumptibus alebantur. David regnante ducen- A tos, atque octoginta octo recensemus Musicæ Moderatores, qui canerent in Templo [9]; & qui in quatuor, & viginti classes erant distributi, quæ per vices suas Templo inservirent; sin autem & Levitas musicæ destinatos recensere velis, quatuor eorum millia fuerunt, qui variis psallebant instrumentis. Fidei consonum est, illos a patribus suis edoctos, cum musicæ tantum vacarent, in ea maxime floruisse. Omnis Oriens profecto noverat, Levitas hac in arte excelluisse: ideoque a Babyloniis rogabantur, ut eas sibi canerent cantiones, quas in Dei sui Templo consueverant. Theodoretus putat, Babylonios non ut illos canentes audirent, sed ut contumeliam inferrent, ac eorum calamitatibus insultarent, hoc a Levitis petiisse.

℣. 4. ET QUI ABDUXERUNT NOS: HYMNUM CANTATE &c. [10]] B Hebræus [11]: *Et qui nos redegerunt in acervos*, qui civitatem nostram ruderum acervum effecere, dixerunt nobis: *Cantate* Canticum *lætitiæ de canticis Sion*. Alii [12] vertunt: *Qui irridebant nos, dicebant nobis* &c. Vetus Interpres Græcus [13]: *Qui impotenter nobis illudebant*. Chaldæus [14], cui plures notæ melioris Interpretes favent: *Qui rapuerant nos*, vel abduxerant; quod a Septuaginta, & Vulgata non differt.

℣. 5. QUOMODO CANTABIMUS CANTICUM DOMINI IN TERRA ALIENA?] Non vetabat Deus, laudes suas in terra aliena cantari. Eas sæpius captivi illic cecinerant, sæpius Laudum Cantica elucubrati fuerant, immo & instrumenta sua pulsaverant, ut exilii sui tædium imminuerent, atque ad confidendum in Domino C sese excitarent. Verum hoc inter se, & clam peragebant, cum prophanorum præsentia nequaquam objiciebat divina Cantica, ludibriis, irrisionibus, & fortasse etiam blasphemiis Babyloniorum. Alioquin, quid voluptatis percipere poterant captivi canentes in conspectu inimicorum suorum; dum anima sua dolore, ac mæstitia conficiebatur? *Musica in luctu importuna narratio* Eccli 22. 6. S. Hilarius ait, illis a Babyloniis fuisse interdictum, ne tempore captivitatis uxores ducerent. Narrant Rabbini, Levitas pollicem sibi corrosisse, cum ab illis cantiones expetebantur, eosque Babyloniis respondere consuevisse: *Quando cantabimus canticum Domini in terra aliena*.

℣. 6. SI OBLITUS FUERO TUI, JERUSALEM, OBLIVIONI DETUR DEXTERA MEA.] Obliviscar potius dexteræ manus meæ, ne utar illa; ejusque memoriam omni-

1 Complura Exemplaria legunt: *Dum recordaremur tui, Sion*. Ita Rom. & vetus in quintupl. & Genebr. & Muis, &c. 2 Origen. Heraclæot. Theodoret.
3 Vide Tertull. de pudicitia cap. 16. Epiphan. hæres. 80. Basnage hist. des Juifs l. 5 c. 4. art. 8.
4 Origen. Heraclæot. Vide Boch. Phaleg. l. 1. c. 8.
5 Q. Curt. l. 5. *Cætera serunt, coluntque, ut si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur*. 6 Chrysost. & Græc. Paraphrast. 7 תלינו כנורותינו Quid. Κιθάρας. Alii, λύρας.
8 Lactant. seu quis alius author poematis de Phœnice:

Incipit illa sacri modulamina fundere cantus,
Et mira lucem voce ciere novam.
Quam nec Judææ voces, nec tibia possit
Musica cyrrhæis assimilare modis.

9 Vide 1. Par. 15. 10 Aug. *Et qui abduxerunt nos hymnum. Cantate nobis verbum canticorum, cantate nobis hymnum, cantate nobis de canticis Sion*. 11 והוללינו שמחה שירו לנו משיר ציון
12 Rab. Salom. Campens. 13 Quid. apud Chrys. Οἱ κατακλαζόμενοι ἡμᾶς.
14 ובזוונא על עסק חרוה אמרין שבחו Vide Ludov. de Dieu, & Hamm. Quasi תללינו flueret a שלל Chald. תלל

omnino potius omittam, quam tui, Jerusalem, umquam me capiat oblivio! Hæc dicebant captivi exilii tempore. Vel: instrumentis meis psallere obliviscar; manus mea motu careat, eaque captus sim, si tui umquam oblitus fuero. Veteres complures legunt [1]: *Si tui oblitus fuero, manus mea obliviscatur mei*; cum opus fuerit, viribus careat; vel Deus, cum periculum aliquod subiero, suum mihi deneget auxilium. Prior sensus magis est naturalis. Quemadmodum fieri nequit, ut dexteræ manus, qua singulis momentis utimur, obliviscamini, ita ego tui numquam obliviscar.

℣. 7. ADHÆREAT LINGUA MEA FAUCIBUS MEIS.] In semet imprecatur, si umquam suavissimæ patriæ suæ fuerit oblitus. Numquam ad canendum hiscere valeam, si tui oblitus fuero. Malim in æternum vocis usu destitui, quam lingua mea his eversoribus tuis, o Jerusa- B lem, canendo gratificari.

℣. 8. SI NON PROPOSUERO JERUSALEM IN PRINCIPIO LÆTITIÆ MEÆ.] Si aliquid haufero voluptatis, donec Jerusalem eversam, & solo æquatam videro. Vel: nisi hæc præcipua mihi erit lætitia, de Jerusalem colloquenti. Quidquid ad dolorem meum leniendum diceetur, nullo me afficiet solatio, nisi de te Jerusalem, sermo institutus fuerit. Hebræus ad litteram [2]: *nisi ascendere fecero Jerusalem super caput gaudii mei*. Nisi Jerosolymam reversus voti compos factus fuero videns patriam meam pristino decori suo restitutam. Septuaginta [3], quinta, & sexta Editio, S. Hilarius, S. Augustinus, antiqua Psalteria Romæ, S. Germani, atque Carnuti: *Si non præposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ*; vel *jucunditatis meæ*. Septuaginta: *Si* C *non præposuero Jerusalem, non secus ac in principio lætitiæ meæ*. Nisi Jerusalem æque nunc diligo, ac olim; modo in ruderibus, & excidio, æque ac tunc in splendore, ac dignitate.

℣. 9. MEMOR ESTO, DOMINE, FILIORUM EDOM; IN DIE JERUSALEM [4].] Ex hoc loco, & Prophetis Abdia ℣. 11. 12. 13. 14. Jeremia 12. 6. & 24. 14. & 49. & Thren. 4. 21. & Ezechiele 25. 12. liquet, Idumæos vires suas cum exercitu Nabuchodonosor conjunxisse adversus Judæos fratres suos, & non insultasse tantum horum infelicitati, sed in illos excitasse etiam Babylonios, eisque opem dedisse ad Jerusalem funditus evertendam. Exprobrantur etiam, quod montium fauces occuparint, atque inaudita crudelitate eos obtruncarint, qui illac aufugere ex certissima cæde quærebant. D

Hoc illis Propheta Psalmi hujus Auctor exprobrat; ac ideo imminentem illis divinitus ultionem portendit: ita enim Interpretum plerique hæc explicant verba, quæ non veluti imprecationes, sed tamquam vaticinia interpretantur. S. Chrysostomus putat, Scriptorem isthic exprimere sensus non suos, sed rudis populi, atque ultionum amantis, qui iracundia commotus a Deo A petit inimicorum suorum pœnam, cum interim Propheta sapientior, & moderatior Deo ultionem reservet, & quidlibet patienter ferre non abnuat.

Minæ, vel si mavis, prædictiones, quæ isthic leguntur, Machabæorum tempore præsertim adimpletæ sunt, cum Hircanus Idumæos subegit, eosque coegit, ut & circumciderentur, & Judaicam Legem amplecterentur [5]. Hoc autem ab illis dicendum est, qui tenent, Psalmum hunc post reditum de captivitate fuisse compositum: Ii enim, qui putant fuisse conscriptum sub ipsum Judæorum adventum Babylonem, supplicium hoc illud esse asserere queunt, quo ipse Nabuchodonosor Idumæos male mulctavit quinto post captam Jerusalem anno [6].

℣. 10. QUI DICUNT: EXINANITE &c.] Hoc ajebant Idumæi Babylonios ad Jerusalem evertendam adhortantes; ita ut ne minimum quidem superesset vestigium. Hebr. [7] *Detegite, detegite usque ad fundamenta in illa*. In Hebræorum stylo, *detegere fundamenta* [8], ea convellere, muros a fundamentis usque stirpitus demoliri significat.

℣. 11. FILIA BABYLONIS MISERA &c.] Hæc est prophetia adversus Babylonem. Civitatis hujus incolæ, Hebræorum more, filia Babylonis vocantur. Cyrus eam affligere cœperat, omnia illi ademerat privilegia, & quæ fuerat domina gentium, facta fuerat subdita Persarum [9]. Ipsa quodammodo jam in captivitatem erat redacta, quemadmodum tot illa populos redegerat. Sed graviora illi ferenda supererant mala, antequam omnino in ruderibus suis jaceret, quod illi post tot sæcula contigit. Hebræus habet [10]: *Filia Babylonis diruta*, desolata; vel cum nonnullis Interpretibus [11]: *quæ igni, ferroque es vastanda*. Symmachus [12]: *civitas prædatrix*. Babylon jam tunc, videlicet post captivorum reditum, quodammodo erat jam diruta, quandoquidem Cyrus, & Persæ eadem fuerant potiri, eique vectigalia, aliaque onera irrogaverant, quæ victis civitatibus imponi consueverunt.

℣. 12. BEATUS, QUI TENEBIT, ET ALLIDET PARVULOS TUOS AD PETRAM.] Hoc Isaias propheta contra Babylonem prædixerat 1. 3. 16. *Infantes eorum allidentur in oculis eorum*. Judæi hic petunt, ut hæc prophetia adimpleatur. Crudelitas, de qua loquitur textus, tunc temporis in bellis maxime debacchabatur; neque enim ea in re ullam injustitiam se committere opinabantur. Hoc jus erat, vel potius non ferendus abusus, cui ex consuetudine accesserat auctoritas, & quem hostes ultro citroque vicissim permittebant. Hunc & in Osea [13], & in Homero Iliad. 22. deprehendimus. Non legimus tamen Cyrum id crudelitatis genus in Babylonem exercuisse; verum Darius Hystaspis filius capta ea civitate, quæ rebellaverat, muros ejus evertit, & inclementer in illam desæviit [14].

1 Hilar. Aug. Psalt. Rom. S. Germ. Mediol. Carnut. *Obliviscatur me dextera mea*. Ita Chrys. & Theodoret. sed 70. Ἐπιλησθείη ἡ δεξιά μου.
2 אם לא אעלה את ירושלם על ראש שמחתי 3 70. Ἐὰν μὴ προανατάξωμαι τὴν Ἱερουσαλὴμ, ὡς ἐν ἀρχῇ τῆς εὐφροσύνης μου. *Sicut in principio lætitiæ meæ*. 4 S. Hilar. & Aug. *In diem Jerusalem*.
5 Joseph. Antiqu. l. 13. c. 18. 6 Idem Antiq. l. 10. cap. 11.
7 הערו ערו עד היסוד בה 8 Vide Psal. 17. 6. *Revelata sunt fundata orbis terrarum*. Jerem. 51. 37. *Discooperientur fundamenta ejus*. Mich. 1. 6. *Fundamenta ejus revelabo*, Habac. 3. 13. *Denudando fundamentum ejus usque ad collum*. 9 Xenophon. lib. 7. Cyropæd.
10 בת בבל השדודה Aquil. Ἡ προνομευομένη. 11 Theod. Ἡ διαρπαζομένη.
12 Λῄστρια. *Prædatrix*. 13 Osee 14. 1. *In gladio pereant, parvuli eorum elidantur, & fetæ ejus discindantur*. 14 Herodot. l. 3. c. 159.

PSALMUS CXXXVII.

Propheta Dominum laudat, quod ab illo voti damnatus fuerit. Principes omnes invitat, ut illum venerentur. Sperat, futurum ut Dominus liberet ipsum ex omni periculo, & deprimat hostes ipsius.

Ipsi David.

ARGUMENTUM.

Septuaginta isthic addunt nomina *Aggei, & Zachariæ*, quæ non in hebraico textu, non in Chaldæo, non in Syriaco inveniuntur. Immo plurima adsunt Exemplaria Græca, ubi deest [1]. S. Athanasius, & Manuscri-

1 Nobilius hic, in not. edit. Rom.

nuscripti quidam [1] Zachariæ nomen dumtaxat retinent, quin Aggæi meminerint. Hæ additiones, quæ non extant in authographo, & quæ apud Græcos etiam parum adeo sibi constant, minimæ sunt auctoritatis; neque eas rejicere notæ melioris Interpretes ambigunt, cum nulla suppetat aliunde peculiaris ratio, qua illas cogantur admittere.

Origenes, ac Theodoretus [2] Psalmum hunc rejiciunt in tempus, quod reditum de captivitate subsecutum est; idque esse putant Canticum gratiarum actionis Judæorum, ex omnibus inimicis suis liberatorum, a quibus post reditum suum diutius vexati fuerant; neque enim, nisi Dario Hystaspis filio, qui uxorem duxerat Esther, imperante, in patria sua gavisi sunt perfecta tranquillitate: ita ut Aggæus, & Zacharias, qui tunc temporis degebant, fortasse hujus Psalmi auctores extiterint; quæ saltem eorum opinio fuit, qui utriusque Prophetæ nomina titulo addiderunt. Sententia hæc ad unguem congruit cum sensu litterali Psalmi hujus, quemadmodum in Commentariis videbimus.

Putant [3] alii hoc esse Davidis opus, qui ex inimicorum suorum, ac Saulis præsertim insidiis liberatus, in regno suo pace fruens solemnes agit gratias Deo, finitimosque principes, testes mirabilium Dei sui invitat, ut illum accedant adoraturi. Referri quoque potest ad Ezechiam, postquam Dei ope convaluit.

1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei. 2 In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. 3 Super misericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum. 4 In quacumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem. 5 Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui. 6 Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini. 7 Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit. 8 Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua. 9 Dominus retribuet pro me: Domine, misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.

℣. 1. CONFITEBOR TIBI, DOMINE, IN TOTO CORDE MEO; QUONIAM AUDISTI VERBA ORIS MEI.] Hebræus, Chaldæus, Syrus, vetus S. Germani Psalterium hæc verba non legunt: quoniam audisti verba oris mei. S. Hieronymus confessionem, de qua hic loquitur versiculus, putat esse peccatorum confessionem. Quem, inquit ille, pœnitet scelerum suorum, hic *confitetur Domino in toto corde suo*. S. S. Hilarius, & Augustinus, uti mos illis, de confessione duplici, & peccatorum, & laudum intelligunt.

℣. 2. IN CONSPECTU ANGELORUM PSALLAM TIBI &c.] Hebræis persuasum erat, Angelos in Templo adesse, illud tueri, ibi nostras preces excipere, quas ante Dei thronum afferant. Sententia hæc ab Hebræis ad Christianos migravit, qui Ecclesiis, sacrisque Aris patronos Angelos tribuerunt, & alios, qui cœtibus nostris intersunt, cum Deum adoramus, & orationum nostrarum thus ante supremam Majestatem offerunt [4]. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo*. Videri potest Origenes hom. 9. in Num. Tertullianus de Pudic. c. 14. & de Orat. c. 12. Auctor Constitutionum Apostolicarum l. 8. n. 4. S. Basilius ep. 191. & in Isa. 1. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 32. S. Ambrosius in Luc l. 2. S. Chrysostomus hom. de incompr. Dei natura. Palladius, in Vita Chrysost. Johannes Moscha Prat. Spirit. c. 4. S. Bernardus in Psal. *Qui habitat* &c.

Hebræus habet [5]: *Laudabo te in toto corde meo, canam laudes tuas coram Diis*, vel Deo *Elohim*. Vox hæc nonnumquam usurpatur ad ipsum Deum; aliquando vero ad Angelos, & alibi ad Principes significandos. S. Chrysostomus quasdam affert Editiones, ubi legebatur; *coram Diis*. Origenes, Theodorus Heracleota, ac vetus Paraphrastes, hoc *de Sacerdotibus* intelligunt; Chaldæus, Abenezra, & Kimchi, *de Indicibus*; Rabbinus Salomon, *de Principibus*; Septuaginta, Vulgata, ac patrum plerique *de Angelis*. Laudabo te in templo tuo, quemadmodum Angeli tui te laudant in Cœlo, ait Theodoretus. Vide psalmum 96. 8. *Adorate eum omnes Angeli ejus*. Hebr. *Adorent eum omnes Dii*.

℣. 3. CONFITEBOR NOMINI TUO SUPER MISERICORDIA TUA, ET VERITATE TUA [6].] Annuntiabo universæ terræ, te Deum esse misericordem, ac in exequendis promissionibus tuis fidelem. Sensi effectus infinitæ misericordiæ, ac fidei tuæ. In miserrimæ captivitatis squalore versabar, quolibet destitutus auxilio; neque ut illinc emergere possem, intelligebam; attamen cum mihi per Prophetas tuos spopondisses, futurum ut nos visitares, speravi, neque spes irrita fuit.

QUONIAM MAGNIFICASTI SUPER OMNE, NOMEN SANCTUM TUUM [7].] Ut me liberares, celeorem reddidisti gloriam tuam, ac nomen tuum in oculis gentium maxime enituit. Populi omnes hac in re potentiam, ac infinitam magnitudinem tuam cognoverunt. Heb. [8] *relevasti verbum tuum super omne nomen tuum*. Effecisti, ut fidelitas tua in explendis promissionibus tuis magis enitesceret, quam cæteræ omnes divinæ tuæ qualitates. Vel: *Elevasti nomen tuum, & verbum tuum super omnia*. Nos de captivitate liberans, æternam tibi gloriam comparasti. Denique: *Elevasti nomen tuum super omne verbum*. Major est gloria tua, quam ut enarrari possit. S. Hieronymus ad Suniam, & Fretell. hoc de Verbo Dei intelligit: *Elevasti verbum tuum super omne nomen*. Dedisti illi nomen, & gloriam superiorem cuicumque rei, quæ vel in Cœlo, vel in terra sancta possit nuncupari Philip. 2. 9. 10.

℣. 4. MULTIPLICABIS IN ANIMA MEA VIRTUTEM.] Si deinceps me exaudies, quemadmodum hactenus me voti damnasti de virtute in virtutem progrediar, & anima mea, tua ope suffulta, in dies elevabitur, ac novas

1 Mss. Codd. Reg. & Colbert. plures apud Ferrand. hic.
2 Vide Origen. in Catena. Theodoret. & le Blanc. hic. Grot. Hamm.
3 Moller. Muis. 4 Apoc 5. 8. & 8. 3. 4. 5 נגד אלהים אזמרך Quid. Ἔναντι Θεῶν. 7. Ἐναντίον ἀγγέλων. Παρ' ἄλλοις ὁ Θεὸς, ἄσω σε. 6 Psalter. S. Germ. *Super misericordia tua, & pietate tua*. Aug. *In misericordia*. 7 S. Hilar. Psalt. Mediol. S. Germ. Carnut. *Magnificasti super omnia nomen sanctum tuum*. Psalt. Rom. *Magnificasti super nos* &c. Alii: *Super omnes*. Hieron. ad Sun. & Fretell.
8 כי הגדלת על כל שמך אמרתך Quid. apud Chrysost. Ἐμεγάλυνας ὑπὲρ πάντα τὰ ὀνόματα σοῦ ῥήματά σου. Alius, Τὸ λόγιόν σου.

vas vires acquiret. Hunc sensum S.Chrysostomus græco hujus loci textui appingit. Hebræus [1] in utrumque tempus, præteritum, & futurum, verti potest: Cum te invocavi, *multiplicasti in anima mea virtutem*. Vel: Auxisti animum mihi ea die, qua invocavi te, & me exaudisti. Septuaginta [2]: *Celeriter exaudi me, quacumque die te invocavero*: dabis *animæ meæ recentem vim in virtute tua*. Non aliter legunt antiqua Psalteria. Symmachus [3]: *Exaudisti me in die, qua invocavi te; tu potenter opitulatus es animæ meæ*.

℣. 5. CONFITEANTUR TIBI, DOMINE, OMNES REGES TERRÆ.] Omnes Reges terræ testes eorum, quæ in populi tui gratiam operatus es, nos in libertatem vindicans, laudes tuas prædicent; *quia audierunt omnia verba oris tui*. Audierunt minas, & promissiones tuas, & utrasque adimpletas viderunt. Experti sumus, quidquid justitia tua durius excogitare potest in scelerum nostrorum pœnam; recens autem obtinuimus effectus promissionum tuarum, reddita nobis libertate. Jeremiæ vaticinia non comperta esse non poterant Regibus Judææ finitimis; ille enim ea, quæ his etiam erant eventura, portenderat c. 27. 7. 8. Miserat vincula Regibus Edom, Moab, Ammon, Tyri, & Sydonis, eisque prædixerat, nisi se se subjecissent Nabuchodonosor, futurum, ut Deus in ira sua eos peste, fame, aliisque vulneribus affligeret. Isajas quoque fuerat vaticinatus, quid de his populis erat futurum [4]. Hi Prophetæ portenderant eorum captivitatem, & mox etiam reditum, atque liberationem. Videri potest Ezechiel 24. 25. 26. 29. 35. Jure igitur eos invitat Psalmista, ut secum Domini nomen concelebrent.

℣. 6. ET CANTENT IN VIIS DOMINI [5]; QUONIAM MAGNA EST GLORIA DOMINI.] Principes terræ canite præclara Domini gesta, admiramini prudentiam illius, Judicia adorate, Providentiam cognoscite, & gloriam ejus infinitam esse confitemini. Viæ Domini significant ejus consilia, & Providentiam [6].

℣. 7. QUONIAM EXCELSUS DOMINUS, & HUMILIA RESPICIT, & ALTA A LONGE COGNOSCIT.] Dominus infinite sublimis est; non dedignatur humillima quæque respicere, ac de Cœli vertice ea, quæ sunt magis excelsa, considerat. Vel: licet magnus ille sit, non renuit oculos ad humilia demittere, & superbi nihil habent oculis illius non apertum. Eos de summo cœlo scrutatur. Vel simplicius [7]: *Dominus est magnus, & humillima respicis; elevatus est, & a lon-*
A *ge cognoscis altissima*. Æque & summa, & ima, & magna, & parva intueris. Neque rerum absentia, neque earum parvitas eas tuo surripiunt adspectui. SS. Chrysostomus, & Hilarius: res cognoscis, diu antequam accidant: *A longe*. Hoc idem Psalmista ait, Psalmo 112. vers. 4. 5. *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria ejus. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra?* Confer quoque Psal. 138. 8. *Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades*; Et vers. 2. *Intellexisti cogitationes meas de longe*, antequam etiam eas mente conciperem.

℣. 8. SI AMBULAVERO IN MEDIO TRIBULATIONIS, VIVIFICABIS ME.] Cum tot, tantaque mihi præstiteris, quid mihi sperandum non est; vel quid est me-
B tuendum, cum te patronum jactare possim? Vel in præteritum tempus vertendo: Cum in medio gravissimarum afflictionum incessi, tu me conservasti. Vide Ps. 22. 4. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es*. Deus nobis vitam non reddet, nisi per tribulationes ambulaverimus, ait S. Augustinus. His nos probat, & regit: *Aliter non vivificabis me, nisi in medio tribulationis ambulavero*.

ET SUPER IRAM INIMICORUM MEORUM EXTENDISTI MANUM TUAM.] Effecisti, ut Babylonii a quibus opprimebamur, brachii tui pondus perciperent: *Ira inimicorum meorum* significat inimicos vehementes, crudeles, furentes.

℣. 9. DOMINUS RETRIBUET PRO ME [8].] Non per-
C mittet amplius, ut inimici dominentur mei: vel in præteritum tempus vertendo [9]: *Dominus tutatus est me adversus inimicos meos*. Ex injusta eorum tyrannide me eripuit. Vide Psal. 108. 17. *Retribue servo tuo: vivifica me &c*. & Psal. 141. 8. *Me expectant Justi, donec retribuas mihi*; Hebr. *pro me*, vel *super me*. Expectant Justi, ut ultionem sumas de inimicis meis. Et Psalmo 12. 6. Cantabo Domino, qui meam tutelam suscepit. Hebræus: *Cantabo Domino, qui retribuit super me*. Hoc in sensu S. Chrysostomus id intellexit.

OPERA MANUUM TUARUM NE DESPICIAS [10].] Ne derelinquas populum tuum, qui est opus tuum [11]. Uti hactenus, ita imposterum tuo illum dignare præsidio. Vel: Perfice opus manuum tuarum; & quandoquidem libertatem nobis reddidisti, hoc nobis etiam concede, ut nos adversus hostes nostros tuearis

---

1 ביום קראתי ותענני תרהיבני בנפשי עוז 2 Psalter. S. German. & Carnut. *Multiplicasti me in anima mea virtute tua*. Ita Hilar. & August. & 70. Πολυωρήσεις με ἐν ψυχῇ μου δυνάμει σου.
3 Symmach. Ἐν ᾗ ἡμέρᾳ ἐπεκαλεσάμην σε, ἐπήκουσάς μου, συνέσεις τῆς ψυχῆς μου δυνάμει.
4 Isai. 21. 23. 27. 5 Athanas. Psalter. Rom. S. German. Carnut. *Cantent in canticis Domini*. Legebant: Ἐν ταῖς ᾠδαῖς, pro Ἐν ταῖς ὁδοῖς κυρίου. 6 Vide Chrysost. Quid. apud eum, Ἀδέτωσαν τὰς ὁδοὺς κυρίου. *Cantent vias Domini*. 7 כי רם יהוה ושפל יראה וגבה ממרחק יידע
8 Ambros. in Psalm. 118. August. Psalt. S. German. *Domine, retribue pro me*. Ita 70. Edit. Roman, Κύριε, ἀνταποδώσεις ὑπὲρ ἐμοῦ. Psalter. Rom. *Domine, retribue pro me*. Hilar. *Retribuis*.
9 Chaldæus יהוה יגמר בעדי *Verbum Domini reddet illis malum propter me*.
10 Hilar. Psalter. Roman. & S. German. *Ne omittas*. 70. Μὴ παρίδῃς. 11 Psal. 99. 3. Isai. 64. 8. 19. 25. *Opus manuum meum Assyrio, hæreditas autem mea Israel*. Et 45. 11. & Eccli. 36. 17.

PSALMUS CXXXVIII.

Deus omnia cognoscit, obscurissima, ac profundissima quælibet penetrat. Væ impiis qui infinitam illius cognitionem se posse fallere, sperant.

In finem, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Septuaginta Complutensis Editionis, & alii nonnulli tam typis editi, quam manuscripti [1] titulo hæc addunt verba:

---

1 Codices Reg. & Colb. apud. Ferrand & Athanas. hic.

ba [1]: *Psalmus Zachariæ pro dispersione*, vel *in dispersione*; hoc est de Judæis in captivitatem Babylonicam redactis. Vel simpliciter [2]: *Psalmus Zachariæ*, vel [3] *Alleluia Zachariæ*. Titulorum horum Auctores, S. Athanasius, & vetus Paraphrastes Græcus, crediderunt, canticum hoc a Zacharia fuisse compositum, ad captivos, qui erant Babylone, consolandos. Ferrandus putat a Zacharia conscriptum in gratiarum actionem propter captivitatis liberationem, & ad implorandum auxilium Dei adversus gentes, a quibus primordiis illis Judæi vexabantur. Theodoretus acriter invehitur in perniciosam eorum licentiam, qui pro libidine, quæcumque vellent, Psalmorum titulo adjungerent. Ipse vero, cum Origene, credit, hunc spectare ad pium Regem Josiam, qui in omni virtutum genere enituit, & quo regnante pietas floruit, vehementi zelo sublatis Sacerdotibus Idolorum, & omnium bonorum genere Dei servis cumulatis. Hoc, inquit ille, Psalmista in isto cantico refert.

Syrus putat a Davide fuisse compositum, qui ab Absalone Jerosolymis ejectus & a Semei probris lacessitus (ab eo enim vir sanguinum appellabatur) & juste a Deo propter sua scelera mulctatus, Deum sensuum, cogitationumque suarum testem appellat. Alii censent, illum isthic se se purgare ab iis calumniis, quibus apud Saulem in adfectati regni suspicionem vocabatur. Quistorpius nonnulla isthic Chaldæa vocabula deprehendit [4], quæ fidem adstruere possent, post captivitatem fuisse conscriptum. Ad hæc loquitur Auctor de quibusdam inimicis, ex quibus ultionem Deus sumpturus est, & quos odio persequitur; qui adversabantur consiliis ipsius, & qui injuste Domini civitates diripere conabantur. Hi inimici fortasse fuerunt Samaritani, Ammonitæ, & Idumæi, qui captivitatis tempore occupaverant urbes Juda, & Israel, earumque possessione decedere renuebant, invitis licet legitimis earum possessoribus, & qui vim, atque dolum exercebant, ut vel potirentur Jerusalem, vel obsisterent, ne a ruderibus excitata communiretur. En quid huic sententiæ favere possit. Fateor quidem, priorem hujus Psalmi partem minimam ad id rationem habere, atque Hebraicum ipsum Versiculorum 19. 20. & 21. textum aliter posse detorqueri. Itaque non nisi incertus adhuc animi, hanc sententiam amplector; & præstaret fortasse Psalmum explicare, velut morale præceptum de Providentia, & Justitia Dei, quam ad aliquam circumstantiam ex vita David, vel ex Judæorum historia referatur.

Abenezra huic Psalmo primas tribuit, eumque omnium excellentissimum, atque speciosissimum vocat. Nullus huic vel sententiarum magnitudine, vel styli dignitate, vel figurarum varietate, vel sensuum profunditate (quæ res illum difficilem, atque obscurum efficit [5]) est comparandus. Prior præcipue pars, quæ pulcherrimam Sapientiæ, atque infinitæ Scientiæ Dei continet descriptionem, est præstantissima. Concinnabimus hic Psalmi ex Hebraico textu versionem, ut facilius deprehendatur discrimen inter Autographum, ac versionem Septuaginta, ad cujus lucernam Vulgata adornata est:

(℣. 1.) Domine, examinasti me, & cognovisti me. Tu scis dormitionem, & consurrectionem meam. (2.) Longe detegis cogitationes meas. Involvis viam meam, & locum, ubi consistere debeo. (3.) Et omnes vias meas frequentasti. Antequam verbum ullum proferam, quid sim dicturus, jam nosti.

(℣. 4.) Ante, & retro afflixisti me, posuisti manum super me. (5.) Cognitiones tuæ toto cœlo meum captum exsuperant. Adeo sublimes sunt, ut in eas aciem intendere nequeam. (6.) Quo ibo a tempestate tua? Quo ab ira tua fugiam? (7.) Si ascendero in Cœlum tu illic es: si in sepulchro jacuero, tu illic ades. (8.) Nigræ aquilæ alas sumam, atque ad maris extremas oras habitaturus avolabo. (9.) Sed ipsa manus tua illuc adducet me, & sustinebit me dextera tua.

(10.) Dixi: forsitan tenebræ erunt aurora mea, & nox erit lumen mihi *in secretis* voluptatibus meis. (11.) Sed tenebræ ipsæ tibi tenebræ non sunt: & nox tibi æque ac dies affulget. Dies, vel obscuritas ejus apud te æquales sunt. (12.) Nam renes mei sunt in manibus tuis; *tu eos possides*. Tu vidisti me, cum adhuc in sinu matris meæ delitescerem.

(13.) Laudabo te, quoniam terribilia, & admirabilia mihi fecisti. Mirabilia sunt opera tua, & anima mea ea perfecte cognoscit. (14.) Ossa mea, quæ secreto formasti, tibi ignota non sunt. (15.) Et cum corpus meum [6] in imo terræ subsidebit, oculi tui videbunt Sceletum meum, *vel cadaver meum linteis involutum*. Omnes homines scripti sunt in libro tuo. Dies eorum ibi numerati sunt, quin ne unus quidem desit. (16.) Sed quam sublimes mihi videntur cogitationes tuæ, *Judicia tua?* Quousque eorum numerus crevit? (17.) Si recensere voluero, Maris arenam exsuperant. Si ex sepulchro consurrexero, adhuc ero tecum.

(18.) Quoniam disperdis, Domine, flagitiosos, hi viri sanguinum recedunt a me; (19.) illi, qui sceleribus suis insurgunt in te. *Recedant* inimici tui, illi qui sine ulla ratione superbiunt. (20.) Nonne eos perhorresco, qui te oderunt, Deus; nonne excrucior, videns inimicos tuos? (21.) Irreconciliabili odio eos persequor, eosque veluti infestissimos mihi considero.

(22.) Proba me, Domine, & vide *imum* cordis mei. Proba me, & considera cogitationes meas. (23.) Vide, utrum via mea via sit iniquitatis, & deduc me in viam æternitatis.

1. DOmine, probasti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. 2 Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, & funiculum meum investigasti. 3 Et omnes vias meas prævidisti: quia non est sermo in lingua mea. 4 Ecce Domine, tu cognovisti omnia, novissima, & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. 5 Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. 6 Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? 7 Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. 8 Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. 9 Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. 10 Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. 11 Quia tenebræ non obscurabuntur a te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. 12 Quia tu pos-

1 Ψαλμὸς Ζαχαρίου ἐν τῇ διασπορᾷ: vel περὶ τῆς διασπορᾶς. 2 Cod. Reg. 2852.
3 Colber. 4431. Ἀλληλούϊα Ζαχαρίου. 4 In versibus 2. 3. 7. 9. 19. 20. collatis cum Dan. 2. 29. 30. 4. 16. 7. 28. 5 Vide Junium, & Geier. 6 Lego ורקמתי *Et substantia mea*, cum 70. & Vulgata, pro רקמתי ut hodie legit Hebræus.

tu possedisti renes meos : suscepisti me de utero matris meæ. 13 Confitebor ti-
bi, quia terribiliter magnificatus es : mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit
nimis. 14 Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto, & sub-
stantia mea in inferioribus terræ. 15 Imperfectum meum viderunt oculi tui, &
in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur, & nemo in eis. 16 Mihi au-
tem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eo-
rum. 17 Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur : exurrexi, & adhuc
sum tecum. 18 Si occideris, Deus, peccatores : viri sanguinum declinate a me.
19 Quia dicitis in cogitatione : Accipient in vanitate civitates tuas. 20 Nonne,
qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? 21 Per-
fecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. 22 Proba me, Deus, &
scito cor meum : interroga me, & cognosce semitas meas. 23 Et vide, si via
iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.

℣. 1. DOMINE PROBASTI ME, & COGNOVISTI ME.] En Psalmi totius argumentum. Hoc Auctor deinceps probaturus est. Tu probasti, examinasti, penetrasti me, & perfecte me cognovisti : *Probasti*, ait S. Augustinus, *non qnia non noverat; sed quia notnm aliis fecerat*.

TU COGNOVISTI SESSIONEM MEAM, & RESURRECTIONEM MEAM.[1]] Tu nosti omnem vivendi, agendique rationem meam [2]. Scis, quid sedens, quidve stans operor. Vel : *Vides quietem meam, & actionem meam*. Grotius : *Omnia mea otia, & negotia nosti*. Scis ubi quiescere debeo, & unde discedendum est mihi, veluti venator, qui ferarum lustra novit [3]. Hæc loquendi ratio, *sessionem meam, & resurrectionem meam* æque significat ac *introitum, & exitum meum*, quæ verba pro omnibus vitæ actionibus in Scriptura sæpe usurpantur [4]. Patres id explicant de J. C. Nosti Domine humilitatem vitæ meæ, dolores Passionis meæ, meæque Resurrectionis gloriam.

℣. 2. INTELLEXISTI COGITATIONES MEAS DE LONGE.] Eas agnovisti, antequam nascerer [5]. Eas intellexisti, antequam conciperem illas [6]. Hebræus reddi potest [7] : *Nosti malum meum*, peccatum meum, *de longe*, antequam de corde meo egrediatur. Vel metaphoram venatoris persequendo : *Nosti quo concedam, ut pascar*. Sed prior versio præstat.

SEMITAM MEAM, & FUNICULUM MEUM [8] INVESTIGASTI.] Omnem scilicet semitam, per quam ambulo, omnemque vitæ meæ decursum. Ægyptii iter, & agros funiculis, vel *schœnis* metiebantur [9], quæ sexaginta stadiorum, vel passuum 7500. erat mensura. Ad hoc alludunt Septuaginta. Scis, quænam est via mea, & mensura, quam absolvere debeo, antequam conquiescam. Nosti meum iter, viam meam, & locum, ubi consistere debeo. Prævidisti actiones meas, & vitæ meæ diuturnitatem. *Semita* vitam innuit, funiculus vero illius durationem [10]. Vel juxta Theodoretum : cognovisti actiones meas, earumque rectitudinem. *Semita* vitæ rationem designat; *funiculus* vero actionum rectitudinem, earumque cum divina Lege conformitatem. Theodotion : *semitam meam, & viam meam*. S. Hieronymus ita Hebræum vertit [11] : *Semitam meam, & accubationem meam eventilasti*. Me secutus es, quemadmodum urgetur fera, illius vestigia, vel odorem sectando. Alii : *involvisti vias meas, & cubile meum*, ita ut egredi nequeam, quin in laqueos tuos incidam.

℣. 3. QUIA NON EST SERMO IN LINGUA MEA.] Penitiores cordis mei latebras scrutaris; neque expectas verba mea, ut quid sentiam, agnoscas. Septuaginta [12] : *Scis, qnia non est fraus in lingua mea*. Chaldæus similiter : *non est sermo mendacii in lingua mea*. Sed Hebræus [13] Vulgatæ simillimus est, præterquamquod ita est distributus. [14] (℣. 3.) *Licet lingua mea nullum adhuc protulerit verbum, nosti jam quidquid afferre velit* (4.) *Formasti me ante & retro, & posuisti manum tuam super me &c* Sed en Vulgatæ sensum. (℣. 3.) *nosti omnes vias meas, antequam iter ingrediar;* (℣. 4) *Ne unum quidem ex verbis meis te fugit. Æque omnia cognoscis, & recentia, & vetera*. (℣. 5.) *formasti me, & posuisti super me manum tuam*. Me in tutelam tuam suscepisti.

Hæc loquendi ratio vers. 4. [15] *Formasti me ante, & retro* pro ea, quam adhibet Vulgata : Nosti *omnia novissima, & antiqua, tu formasti me &c.* significare potest actionem figuli, qui argillam vertit, exercetque, eique ex omni parte formam tribuit. Job fere similiter : *Plasmaverunt me totum in circuitu* manus tuæ. Chaldæus : *Ante, & retro me afflixisti, & percussisti me manu tua*. Huic innititur loco illa Rabbinorum fabella, qui venditant, Deum cum fecisset Adam magnitudinis immodicæ, post peccatum illius ictu, in ejus caput incusso, eum redegisse ad centum cubitorum altitudinem. At nonne hoc est Sacras Scripturas in jocum, & ludibrium convertere? Hebræus textus haud respuit quidem sensum, quem illi Chaldæus Paraphrastes appinxit, immo eam loci hujus esse reor explicationem; hæc enim locutio *mittere manum super aliquem*, illum plerumque punire significat. Sed isthic potest quoque simpliciter innuere protectionem, ejus providentiam, vim eam, quæ nos alit, qua vivimus, & crescimus. Vide Psalmos 79. 18. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ*; & 118. 137. *Fiat manus tua, ut salvet me*; & 143. 7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me &c.*

℣. 5. MIRABILIS FACTA EST SCIENTIA TUA EX ME.] Caput meum excedit, neque eam concipere valeo [16]. Intelligere nequeo, quomodo simul cognoscere possis tot objecta innumerabilia, præterita, præsentia, & futura, ea adeo intus scrutari, eaque jugiter tuæ menti habere præsentia, quin eorum multi-

1 Psalter. S. German. *Tu cognovisti passionem meam, & resurrectionem meam*.
2 Origen. Theodoret. Ita & Chrysost. 3 Euthym.
4 Deut. 28. 19. 31. 1. Act. 1. 21. & alibi. 5 Kimchi, Abenezra, Muis, Lyr.
6 Theodoret. Chrysost. 7 בנתה לרעי מרחק Hieron. *Intellexisti malum meum de longe*.
8 S. Hilar. Psalter. Roman. S. German. Carnut. *Semitam meam, & directionem meam*. S. August. *Et limitem meum*. 9 Herodot. l. 2. c. 6. 10 Heraclæota, Origen.
11 ארחי ורבעי זרית 12 Ὅτι οὐκ ἔστι δόλος ἐν γλώσσῃ μου. Ita Chrysost. Athanas. August. Hilar. Psalter. Mediol. S. German. Carnut. Theodotion. Antiqui apud Hieron. ad Suniam. Edit. Rom. Οὐκ ἔστι λόγος ἄδικος ἐν γλώσσῃ μου. Ita Arab. Æthiop. Apollin. Aquila. Λαλιά. Symm. Ἐπιλογία.
13 כי אין מלה בלשוני 14 כי pro *quamvis*. Vide Psalm. 77. 15. 20. Jerem. 7. 10. Isai. 11. 1.
15 אחור וקדם צרתני 16 Chrysost. Heraclæot. Theodoret.

titudo vel confusionem ingerat, vel laborem, atque A distractionem pariat. Rabbini hoc explicant de mirabili ratione, qua Deus homines effinxit. Creatio mysterium est, quod hominum mentes capere non valent. Sunt, qui ita reddant. Admirabilis est cognitio, quam habes, rerum spectantium ad me; fateor, eam, quo magis mecum reputo, mihi admirabiliorem videri. Captum meum longe exsuperat, illuc assequi nequeo. Me victum confiteor. Abyssus est, cujus imum scrutari non possum. Hebræus [1]: *Cognitio hæc magis est mirabilis, quam ut referre valeam; elevata est & nihil potero contra illam*. Nimium perspicax est, neque illius intuitum effugere nequeo; nimis sublimis est, neque ad eam pervenire valeo.

℣. 6. QUO IBO A SPIRITU TUO, QUO A FACIE TUA FUGIAM.] Spiritus tuus replet universam terram [2], B omnia vivificat, in creata quælibet effusus est. Omnia videt, omnia cognoscit. Ipse est veluti oculus infinitæ Majestatis tuæ. Quo pergam, ubi delitescam, ne videat me? Hebræus [3] iram Dei potius videtur innuere. *Spiritus* sæpe *ventum*, & tempestatem significat; *facies* vero *Domini* iram illius: *Quo ibo a facie procellæ tuæ, & quo ab ira tua fugiam?* Hic sensus est Chaldæi, S. Augustini, ac Interpretum plurimorum [4]. Patres quidam [5] hoc de Spiritu Sancto, tertia Trinitatis Persona, intelligunt, cujus divinitas aperte isthic innuitur, cum ubique esse dicatur: *Ex quo intelligimus Deum esse, qui totus ubique sit*, ait S. Hieronymus; ejus quoque cum Patre æqualitas, & consubstantialitas satis probantur ex eo, quod unam cum ipso eamdemque habent operationem, potentiam eam- C dem, ideoque & eamdem naturam, inquit Theodoretus: *Quo ibo a Spiritu tuo? quo a facie tua fugiam?*

℣. 7. SI ASCENDERO IN COELUM, TU ILLIC ES: SI DESCENDERO IN INFERNUM, ADES.] Deus per potentiam suam est ubique; majestas, & misericordia illius effulget in Cœlo, justitia vero, ac severitas in inferno desævit. Itaque vel in Cœlum ascendam, vel in imum usque terræ centrum descendam, ille mihi ubique obvius occurrit. Hebræus [6]: *Si ascendero in Cælum tu illic es, si stravero cubile meum in inferno*, vel *in sepulchro, ibi quoque ades*. Alludit ad modum, quo in sepulchris corpora sternuntur; ibi cubant, & quodammodo in lectulo suo dormiunt; unde *dormire* dicitur pro *mori*, & *somnus* pro morte, & *cœmeterium*, D vel dormitorium pro loco, ubi cadavera tumulantur. Job eodem in sensu inquit c. 17. 13. *infernus*, sepulchrum, *domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum*. Viventes æque, ac mortui omnes sunt in manibus tuis.

℣. 8. SI SUMPSERO PENNAS MEAS DILUCULO [7], & HABITAVERO IN EXTREMIS MARIS.] Sic te non ibo. Si illuc proripuero, tu me inde auferes. Itaque licet e manu potentiæ tuæ coner effugere, quocumque pergam, semper ero in manibus tuis. Hebr. [8] *Assumam alas auroræ, & habitabo in extremis maris. Manus tua me illuc adducet*. Hebræi alas tribuunt Soli [9], ventis [10], auroræ, Angelis [11], immo & ipsi Deo [12]. Hæ poeticæ sunt loquendi rationes, quæ in id genus elucubrationibus plurimum habent leporis, & venustatis.

Nonnulli [13] per *auroram* orientem intelligunt, & per *mare* occidentem. Si alas sumpsero, ut in extremas orientis, vel occidentis plagas aufugiam, illuc adducet me dextera tua. Alii [14] nomen *Schachar*, quod auroram significat, de quodam aquilæ specie interpretantur: *Si sumpsero alas aquilæ nigræ, & evolavero ad extremas maris oras*. Græcis quoddam aquilæ genus vocatur *Melænetos* propter atrum illius colorem [15]. Hæc est quoque Hebraicæ vocis significatio; & Arabice quamdam avis speciem significat.

℣. 10. ET DIXI: FORSITAN TENEBRÆ CONCULCABUNT ME. ET NOX ILLUMINATIO MEA IN DELICIIS MEIS.] Cum me magis clam delitescere puto, me deprehendis in secretioribus voluptatibus meis. Nequiequam conantur homines tibi turpia sua flagitia abscondere, in tenebris eas perpetrantes; tu enim in densissimis etiam tenebris vides. Verbum *conculcare*, quod pedibus obterere significat, nonnumquam etiam usurpatur pro *aquam turbare* [16], vel in pulverem redigere, in lutum immergere: quo in sensu hic adhibetur. Tenebræ calcabunt me velut sub pedibus suis. Hebræus [17]: *dixi: forsitan tenebræ obtegent me. Sed nox mihi est lumen*. Nitet veluti dies, ut me detegat: *Lucens est circum me*, Symmachus ait [18]. Ita reddere mallem: *dixi: profecto tenebræ erunt aurora mea* [19], *& nox lumen meum in voluptatibus meis*. In densissimis tenebris delitescam, & noctem mihi convertam in diem, ut fœdissimis me ingurgitem cupiditatibus. Sed nox tibi obscura non est &c.

℣. 10. QUIA TENEBRÆ NON OBSCURABUNTUR A TE &c.] Pro nobis dumtaxat sunt tenebræ, nox, ignorantia. Hæc Deus non novit. Æquo illi discrimine sunt dies, & nox. Nox æque ac dies illi coruscat. Deus omnia videt, omnia cognoscit, & quodammodo totus oculus est, totus auris: *Deus totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui*, Plinius ait l. 2. c. 7. Histor. natur.

℣. 12. QUIA TU POSSEDISTI RENES MEOS: SUSCEPISTI ME DE UTERO MATRIS MEÆ.] *Renes* significant cogitationes, desideria, secretiores cordis mei sensus [20]: omnia interiora mea, me totum: Remotiores partes ad totum designandum usurpat [21]. Possides tenes meos; eorum dominus es, & creator, de illis, quodcumque vis, facere tibi licet. Ab ipso matris utero sum in manu tua. Tu aluisti, ac educasti me, tu mihi victum tribuisti, quemadmodum pater filii sui curam gerit. Hebræus [22]; *adeptus es*, possedisti, formasti [23] *renes meos* (Hebræi putant, renes primum in fœtu efformari.) *Abdidisti me in sinu matris meæ*. Pater meus es; me cute, & nervis cooperuisti. Vel in tutelam tuam me excepisti ex ipso tempore conceptionis meæ. Ego vero textum vertere mallem juxta Chaldaicæ vocis *Suca* significationem: *Me palam vidisti in sinu matris meæ*.

℣. 13. CONFITEBOR TIBI, QUIA TERRIBILITER MAGNIFICATUS ES [24].] Tot miracula mihi terrorem incutiunt, meque perturbant. Cum perpendo potentiam, magnitudinem, ac infinitam perspicacitatem tuam, contremisco. Hebræus [25]: *Laudabo te, quia erga me terribili, atque admirabili modo egisti*. Vel potius: *Prædicabo laudes tuas, quia terror, & admiratio*

---

1 פליא הדעת ממני נשגבה לא אוכל לה 2 Sap. 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum &c.*
3 אנה אלך מרוחך ואנה מפניך אברח 4 Menoch. Tir. alii.
5 Theodoret. Hieron. 6 אם אסק שמים שם אתה ואציעה שאול הנך
7 August. *Pennas meas in directum*. Ita 70. Edit. Rom. Τὰς πτέρυγάς μου εἰς ὄρθρον. S. Hilar. Psalter. Roman. & Carnut. *Ante lucem*. Mediolan. *A Matutino*. 70. Edit. Complut. Κατ' ὄρθρον. S. German. *Ante lucem in directum*. 8 אשא כנפי שחר אשכנה באחרית ים 9 Malac. 4. 2.
10 Psalm. 17. 11. 11 Ezech. 1. 7. 8. 10. 12. &c.
12 Deut. 32. 10. 11. Psalm. 90. 4. 13 Origen. Theodoret. Hieron. Vat. alii.
14 Lyran. Arab. Æthiop. 15 Plin. l. 10. c. 1. *Melænetos a Græcis dicta, eademque Valeria: minima magnitudine, viribus præcipua, colore nigricans*. 16 Ezech. 32. 13.
17 ואמר אך חשך ישופני ולילה אור בעדני 18 Symmach. Ἀλλὰ καὶ νὺξ φωτεινὴ περὶ ἐμέ. Aquil. Καὶ νὺξ φῶς περὶ ἐμέ. 19 ישופני ab בשף *aurora*. Jun: Pisc. Gejer.
20 Theodoret. Vatab. Grotius. alii. 21 Chrysost. 22 כי אתה קנית כליותי תסכני בבטן אמי
23 Syr. Arab. Æthiop. Vide Prov. 8. 22. & Ferrand. hic. 24 August. Psalter. Rom. & Medio. *Terribiliter mirificatus es*. S. Hilar. & Psalter. S. German. *Mirificatus sum*.
25 אודך על כי נוראות נפלאתי נפלאים מעשיך

ratio me cepit; admirabilia tua opera considerantem.

℣. 14. NON EST OCCULTATUM OS MEUM [1] A TE, QUOD FECISTI IN OCCULTO; & SUBSTANTIA MEA IN INFERIORIBUS TERRÆ.] Effinxisti me in sinu matris meæ, ubi velut in imo terræ latebam [2]. Itaque tibi ignotus esse nequeo, me intus, & extra cognoscis: *Inferiora terræ*, ut plurimi Interpretum censent, isthic sinum matris significant. Nec desunt, qui putent Apostolum [3] hoc nomine appellasse S. Virginis uterum, cum ait, J.C. ad Cœlum non ascendisse, nisi postquam in inferiora terræ descendit: *Quod autem ascendit, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ.*

Sed per *inferiora terræ* præstat intelligere sepulchrum, non secus ac alibi passim in Scripturis [4]. Modo allatus S. Pauli locus multo melius in hoc sensu explicatur. B Hebræus ita reddi potest [5]: *Ossa mea*, vel corpus meum, *quæ fecisti in secreto, tibi ignota non sunt. Ego factus sui, velut opus Phrygium* in sinu matris meæ, tamquam *in imo terræ*, vel tamquam in sepulchro; nequaquam efformatus fui eo in loco, quem minime cognosceres. Humani corporis formationem texturæ, vel phrygio operi comparat; quippe nervorum, venarum, fibrarum, omniumque partium corporis textura opus est admirabile, ac toto cœlo magis variegatum, ornatumque, quam vestes acu pictæ, quæ majori habentur in pretio. Septuaginta [6] Hebraicum textum paulo aliter legerunt, ac nos; eorumque lectio commodum profecto sensum adfert. Ita vero id cum sequenti ℣. connectere mallem: *Substantia mea estne in sepulchro in imo terræ? oculi tui ibi intuentur cadaver meum*, sordes meas. C

℣. 15. IMPERFECTUM MEUM VIDERUNT OCULI TUI [7].] Vidisti me in sinu matris meæ, & antequam coalescerem; cum adhuc essem rudis embryo, & massa informis. Hunc sensum his verbis plerique Interpretes tribuunt. Hebraica vox *Galmi*, quæ redditur *imperfectum*, vel *informe*, & quæ vulgo de embryone explicatur, in hoc sensu isthic tantum invenitur; neque liquido constat, utrum hæc illius vera sit explicatio. In superiore versiculo adnotavi, jam æque de cadavere posse explicari. Si in imum terræ descendero, vides corpum meum informe, tabe, ac macie diffluens, ac deformatum. Sensus hic, quem Septuaginta indigitant, mihi magis arridet, quam Rabbinorum sensus, quem recentiores Interpretes sequuntur. Sepulchri mentio, *inferiora terræ*, quæ præcedit, & libri, in quo omnes viventes scribuntur, & unde vita functi expunguntur, qui infra statim memorantur, *In libro tuo omnes scribentur. Dies formabuntur, & nemo in eis*, non parum huic interpretationi suffragantur. Chaldæus vertit: *Oculi tui viderunt corpus meum*. Syrus: *Viderunt remunerationem meam*. D

IN LIBRO TUO OMNES SCRIBENTUR. DIES FORMABUNTUR [8], & NEMO IN EIS.] Nullus e diebus eorum in libro hoc recensitus non est; momenta singula,

A quin ne unum quidem desit, notata sunt. Nobis integrum non est, ne unum quidem vel addere, vel tollere diem: *Nec una dies, ante plus, aut minus est, quam tu conditor esse voluisti*, ait S. Hieronymus. Symmachus apud eumdem: *Dies, quibus formati sunt, ne una quidem deest*. En versiculum totum juxta hunc Interpretem [9]: *Oculi tui me præviderunt, antequam formarer*, vel cum essem adhuc informis, *ante eos omnes, qui scripti sunt in libro tuo, & quibus ne una quidem deest dies, ut omnimodam perfectionem assequantur*. Hoc est, auctore D. Chrysostomo, me distincte adeo vidisti, perinde ac omnino formatus essem, & singulæ partes meæ omnibus essent absolutæ numeris, velut puerum jam jam in lucis auras proditurum.

B In Scripturis [10] Dominus sæpe exhibetur velut Imperator, censum habens omnium subditorum suorum, omniumque hominum, eorumque nomina, & qualitates cognoscens. Scriptum esse in vitæ libro, in viventium numero versari significat: de Libro vitæ expungi, idem est ac emori, vel morti destinari. In sublimiori sensu de prædestinationis, vel reprobationis libro, vel de fidelium, amicorumque Dei nomenclatura intelligitur [11]. Isthic Psalmista innuere velle videtur, omnes homines, qui procreati sunt, qui nascuntur, & vivunt, adeo a Domini nutu pendere, ut ne minimum quidem vitæ eorum momentum fluat, quod ille non noverit, & cujus Dominus non sit. Porro ita vers. 14. & 15. intelligimus: *Ossa mea, quæ secreto formasti, tibi ignota non sunt.* Si mea substantia, si *corpus meum in imum terræ*, & in sepulchrum *descendit* vers. 14. *Oculi tui ibi intuebantur cadaver meum, carne exutum* [12], sceletum meum, vel corpus meum linteis involutum: *Omnes homines scripti sunt in libro tuo; dies eorum ibi recensiti sunt, quin ne unus quidem desit*. Vel cum versione Syriaca [13]. *Dies eorum abbreviati sunt, neque ullus in æternum subsistet.*

℣. 16. MIHI AUTEM NIMIS HONORIFICATI SUNT, AMICI TUI, DEUS; NIMIS CONFORTATUS EST PRINCIPATUS EORUM [14].] Hic incipit pars altera Psalmi. Priori in parte locutus de altissima Dei scientia, isthic celebrat commoda, quibus servi ejus fruuntur, & supplicia describit, quæ impios morantur. Quam gloriosa, & præstans mihi videtur amicorum tuorum conditio! Quam potens, & sublime eorum imperium! Quam frequens eorum numerus! felicitatem, qua illi fruuntur, iis omnibus, quæ in terris magis magnifica, & pretiosa sunt, censeo antesetendam. Hebræus verti potest [15]: *amici tui, Domine, qui mihi videntur honore digni! Quam fortis numerus eorum!* Quam frequentes sunt! *Eos enumerabo, & illos arena frequentiores inveniam*. Si eos recensere voluero, operam ludam; arenæ maris sunt numerosiores.

Plerique recentiorum Interpretum aliter omnino textum reddunt: *Quam profundæ sunt*, pretiosæ, difficiles, inviæ, *cogitationes* [16] *tuæ, Domine! Quantus earum numerus* [17], varietas, extensio! *Si eas enumerare instituam, inveniam numerum earum arena maris amplio-rem!*

1 Psalter. S. German. *Non occultum ossum meum ad ea, quæ fecisti in occulto*. Vide & August. hic.

2 Vide Chrysost. Theodoret. Chald. Flamm. Vatab. Grot. Muis, Munst. Geier. & alios.

3 Ephes. 4. 9. Vide Grot. Fag. in Genes. 37. 35.

4 Psalm. 62. 10. *Introibunt in inferiora terræ*. 75. 13. 77. 7. Ezech. 31. 16. *De inferno novissimo*. Thren. 3. 55. *Eduxit me de lacu novissimo*. Ezech. 36. 29. *Collocabit te in terra novissima &c.*

5 לא נכחד עצמי ממך אשר עשיתי בסתר רקמתי בתחתיות ארץ Aquil. Οὐκ ἀπεκρύβη ὀστοῦν μου ἀπό σου, ὅτι ἐποιήθην ἐν ἀποκρύφῳ. Symm. Οὐκ ἔλαθόν σε ἡ κατασκευή μου, ἣν ἐποιήθην ἐν τῷ κρυπτῷ, ἐποικίλθην ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς. 5. Edit. apud Hieron. *Conflasti me de utero matris meæ*.

6 70. Καὶ ἡ ὑπόστασίς μου ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς. *Substantia mea in inferioribus terræ*. Legebant וקמתי pro רקמתי

7 Psalter. S. German. *Imperfectum tuum viderunt oculi mei*. Psalter. Mediolan. *Inoperatum meum*. 70. Τὸ ἀκατέργαστόν μου.

8 August. *Per diem errabunt*. Legit: Πλανηθήσονται a Πλάνομαι. pro πλασθήσονται. S. Hilar. *Die replebuntur*. Psalter. Mediol. & Carnut.

9 Symm. Ἀμόρφωτον με εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σου, πάντες δὲ ἐν τῷ βιβλίῳ σου ἦσαν γεγραμμένοι, ἡμέρας πλασθέντες ἐν ἐνδεία μηδεμιᾶς.

10 Exod. 32. 22. 24. Psalm. 68. 29. *Deleantur de libro viventium*.

11 Philip. 4. 3. Apoc. 3. 5. 17. 8. 21. 27.

12 Deduco verbum גלמי ab Arab. גלמא *Ossa carne nudavit*. Vel a Chald. גלם *Convolvit*. Legit יצערו, pro יצרו

13 August. *Nimis confortati sunt principatus eorum*. Ita 70. Λίαν ἐκραταιώθησαν αἱ ἀρχαὶ αὐτῶν. Psalter. Carnut. & S. German. *Nimie confirmati sunt*, &c.

14 ולי מה יקרו רעיך אל מה עצמו ראשיהם Quid. Τίμιοι ἐγένοντο οἱ ἑταῖροί σου. Τί πληθυνθεῖσαι αἱ κεφαλαὶ αὐτῶν.

15 רעה Pro cogitatione habetur supra vers. 2. Job. 36. 33.

16 ראש *Summa, ratio*. Vide Exod. 30. 12. Num. 1. 49.

17 Ita Pagn, Mont. Muis, Geier. alii passim.

rem! Theodotion [1]: *Quam gloriosi mihi videntur amici tui, Domine! Quam magno in numero sunt pauperes eorum*. Sed prior versio ex Hebraico textu concinnata longe præstat. Scriptura, ut plurimum, nobis exhibet exiguum sane Sanctorum, & amicorum Dei numerum. Chaldæus similis est Septuaginta, & Vulgatæ.

℣. 17. EXURREXI, & ADHUC SUM TECUM.] ℣. 14. & 15. dixerat fururum ut, cum etiam in sepulchri latebris delituerit, eum Deus intueatur, & ob oculos suos semper habeat sceletum ejus: nunc ait fore, ut si e sepulchro exurrexerit, sit semper cum Domino. Vivens, mortuus, resuscitatus, semper in manu tua sum: quam si explicationem sequaris, ℣. 16. de cogitationibus, & judiciis Domini, non autem de amicis Dei erit intelligendus: alioquin sententiæ contextu nimium esset intercisus.

Plerique Vulgatam versiculi hujus 17. ita explicant. Si recensere velim *amicorum* tuorum, vel tuarum *cogitationum* numerum; hic numerum arenæ maris exsuperaret. In iis tota nocte somniavi, & cum exurgo, adhuc experrectus eadem occupor cogitatione. Vel: Statim ac consurgo, iis enumerandis vacu, nec desinere possum. Vel denique: Licet post vitæ hujus spatium reviviscerem, tota mihi non sufficeret æternitas, ut eas universas enumerando recenserem. Sed in postremis hisce explicationibus nimium Textui supplendum est. !

℣. 18. SI OCCIDERIS, DEUS, PECCATORES: VIRI SANGUINUM DECLINATE A ME.] Quoniam peccatores sunt inimici tui, Domine, mei quoque sunt. Eos odi, & fugio. Vereor justitiam, & ultionem tuam, neque patior, me una cum illis eodem mulctari supplicio. Sunt [2], qui Hebræum ita reddant [3]: *O Domine, si occideris peccatores, & viri sanguinum recederent a me!* Usquequo inter nefarios, impiosque viros vitam traham? Usquequo scelesti vivent?

℣. 19. QUI DICITIS IN COGITATIONE [4]: ACCIPIENT IN VANITATE CIVITATES TUAS.] Recedite a me viri sanguinum; quoniam dicitis, alienigenas injuste oppida nostra occupaturos. Non satis liquet, quibus ista dicantur, & minus adhuc, quinam illi sint, qui civitates Juda, vel Domini oppida dicuntur expugnaturi. Intelligi potest velut Apostrophe Auctoris ad Samaritanos, qui adversabantur Nehemiæ, & qui in ditionem suam redigere voluissent Jerusalem, & civitates Juda. Quousque patieris, Domine, hos impios, hos viros sanguinum, qui alunt in corde suo perniciosa consilia, occupandi civitates populi tui, vel, *civitates tuae? Quid Judæi faciunt imbecilles?* ajebat Sanaballat ad Samaritanos 2. Esdr. 4. 2. *Num dimittent eos gentes? Num sacrificabunt, & complebunt in una die? numque ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt? Ædificent*, addebat Tobias Ammonites, *si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum*. En sensus impios, superbosque sermones, in quos Psalmistæ zelus isthic succenditur.

Hebræus [5]: *Qui injuste tibi obsistunt; ut injuste capiant civitates* [6]. Hoc belle quadrat iis, de quibus modo locuti sumus, qui Judæos de hæreditate Domini deturbare voluissent. Aliter: *Qui impie loquuntur in te; hi inimici* [7] *inutiliter insurgentes in te*. Inanes erunt conatus eorum, neque illorum prævalebit improbitas. Nehemias diligentia, & sapientia sua omnia nefaria Sanaballat, ac Tobiæ consilia subvertit, ut liquet 2. Esdr. 4. 6.

℣. 20. NONNE, QUI ODERUNT TE, DOMINE ODERAM.] Neque odisse, neque amare eos volo, nisi quos odisti, vel amas. Odium, amoremque meum ad tui exemplar componere cupio. In peccatoribus crimina, & flagitia odisti, sed in illis id, quod tuum est, diligis, hoc est naturam humanam, & qualitates ingenitas, quarum es auctor [8]. Ego quoque similiter facio; hominem amo, peccatum abominor. Inimici hi generatim sunt omnes impii, ac idololatræ, speciatim vero Samaritani, Ammonitæ, Idumæi, aliique, qui Judæis bellum intulere, postliminio reversis.

℣. 21. PERFECTO ODIO ODERAM ILLOS.] Odio implacabili, & irreconciliabili. Eos odio, ut ita dicam, plusquam Vatiniano persequebar. Eorum nequitiam, invidiam, fraudem perhorrescebam. Judæi ex hoc loco perperam inferunt, sibi licere odisse inimicos suos, & alienigenas. Propheta non ait, se odisse inimicos suos, sed Dei. At homines nequaquam sunt inimici Dei, eo quod Judæos non ament, & ex eorum natione non sunt. Deus omnia creata sua diligit; sed scelera, ac improborum pravos habitus detestatur.

℣. 22. INTERROGA ME, & COGNOSCE SEMITAS MEAS [9].] Meus esto Judex, & quæsitor meus, ac vide, qua sedulitate in viis tuis incedo. Te meæ vivendi rationis testem voco. Hebræus [10]: *Proba me, & cognosce ramos meos*, vel cogitationes meas. Non quæro te fallere: nosti enim, quid in penitioribus cordis mei latebris delitescat.

℣. 23. VIDE SI VIA INIQUITATIS IN ME EST.] Utrum peccati vias, & impiorum vestigia sequar. Hebræus verti potest [11]: *Utrum in me sit via fraudis*, doloris, erroris, afflictionis.

ET DEDUC ME IN VIA ÆTERNA [12].] Deduc me per viam, quæ ad æternam ducit felicitatem. Vel deduc me per viam æternarum Legum tuarum. Vel potius: Si per viam iniquitatis incessero, duc me ad sepulchrum, & mortem. Si scelestos imitatus fuero, extremis in me animadverte suppliciis, & infelicitas, quæ illos manet, decidat super me: *Via æterna*, vel via æternitatis, est via mortis. Salomon sepulchrum *domum æternitatis* appellat Eccle. 12. 5. S. Petrus alteram vitam *diem* vocat *æternitatis* in 2. Epist. 3. ult. Mortui quoque *mortui æternitatis*, a Jeremia 51. 39. & mors *somnus æternitatis* Thren. 6. 3. nuncupatur. Et Psalmista de impiis loquens, ait Psal. 48. 12. *sepulchra eorum domus illorum in æternum*. Et Job 27. 6. improborum viam, *viam æternitatis* vocat.

---

1 Theod. Οἱ φίλοι σου αὐτῶν 2 Syr. Flamm. Castal. Gejer. Grot. &c.
3 אם תקטל אלה רשע ואנשי דמים סורו מני 4 Hilar. August. Sixti V. & alia plura antiqua Psalteria: *Accipient in vanitate civitates suas*. Psalter. Mediol. *Qui contentiosi estis in cogitationibus; accipient, &c.* Ita 70. [illegible] 5 אשר ימריך למזמה נשוא לשוא עריך
6 שוא *Frustra*, pro *injuste*. Vide Job. 2. 3. 34. 12. Prov. 24. 28. Isai. 29. 21.
7 עריך *Hostes tui*. Vide 1. Reg. 28. 16. Dan. 4. 19. Idem quod צר, mutato ע in צ more Chald. Aquil. [illegible], Symmach. [illegible]. Hieronym. *Adversarii tui*. 8 Vide Theodoret.
9 Psalter. Mediol. *Afflige me, & scito vias meas*. August. *Scrutare me, & cognosce &c.*
10 בחנני ודע שרעפי 11 ראה אם דרך עצב בי
12 Hilar. & Psalter. Roman. *In viam æternam*.

PSALMUS

PSALMUS CXXXIX.

Psalmista Deum rogat, ut ab improborum laqueis liberetur. Inimicorum suorum excidium vaticinatur. Domini justitiam expectat.

In finem Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Psalmus hic magnam habet cum 55. similitudinem. Interpretum plerique [1] credunt, a Davide fuisse compositum eo tempore, quo Saul vehementius illum persequebatur. Inimici, de quibus Propheta conqueritur, sunt Saul ipse, deinde Doeg, & Ziphæi, qui ardenter nimium Regis illius injustum affectum induerunt. Syrus eum transfert in tempus illud, quo Saul adnisus est Davidem lancea, quam manu gerebat, confodere [2]. Alii [3] vero in illud rejiciunt tempus, quo David ab Achitophel proditus fuit. Alii denique ad captivos Babylonis. Impiæ, scelestæ, superbæ, ac nefariæ linguæ, de quibus loquitur Auctor, de Babyloniis intelligi possunt. Bellum, quo virum justum lacessunt, insidias, quas struunt illi, conatus, quibus eos in errorem impellere adnituntur, belle quidem explicantur de Babyloniorum impotentia, & cura, qua Judæos seducere, atque in Idololatriam allicere conabantur. Præsidium, quod tribuit Dominus servo suo, in die prælii, designat vim, quam ipse contulit Judæis fidelibus, ut tot oppugnationibus resisterent. Babylonios toties *Superborum* nomine designari sumus intuiti [4]. Descriptio eorum scelerum, & improbitatis, quam isthic legimus, simillima est iis, quas aliis in Psalmis vidimus [5]. Itaque nihil obesset, quominus Psalmum hunc intelligeremus, velut querelam captivorum, quos infestissimi hi inimici affligunt, & persequuntur. Nos vero eos sequemur, qui illum de David a Saule exagitato interpretantur. Beda eum refert ad Ezechiam, cui Sennacherib bellum indixerat, ac Patrum plerique ad J. C. & Fideles impiorum persecutionibus expositos.

1. ERipe me, Domine, ab homine malo: a viro iniquo eripe me. 2 Qui
cogitaverunt iniquitates in corde: tota die constituebant prælia. 3 Acue-
runt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum. 4
Custodi me, Domine, de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me.
5 Qui cogitaverunt supplantare gressus meus: absconderunt superbi laqueum mi-
hi. 6 Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.
7 Dixi Domino: Deus meus es tu: exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.
8 Domine, Domine, virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die
belli. 9 Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra
me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur. 10 Caput circuitus eorum: labor la-
biorum ipsorum operiet eos. 11 Cadent super eos carbones, in ignem dejicies
eos: in miseriis non subsistent. 12 Vir linguosus non dirigetur in terra: virum
injustum mala capient in interitu. 13 Cognovi, quia faciet Dominus judicium ino-
pis, & vindictam pauperum. 14 Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, & ha-
bitabunt recti cum vultu tuo.

℣. 1. ERIPE ME, DOMINE, AB HOMINE MALO [6].] Malus hic homo Saul est, crudelis Princeps, invidus, ingratus, perfidus, qui persequebatur Davidem, cujus hoc unum scelus erat, quod nimium de republica, deque Saul ipso bene erat meritus, ac celebrem sibi virtute sua gloriam comparaverat. Jugibus precibus Deum fatigare debemus, ut ab improborum faucibus nos eripiat. Dæmon per se non posset adeo nobis obesse, nisi nefarii hominis ministerio uteretur, ait S. Hieronymus: *Non intantum potest nos decipere Diabolus, quantum per organum hominis*. S. Hilarius in toto Psalmo pro malo hoc homine Judam proditorem intelligit.

A

℣. 2. QUI COGITAVERUNT INIQUITATES [7] IN CORDE: TOTA DIE CONSTITUEBANT PRÆLIA.] Prælia hæc nequaquam re ipsa prælia fuerunt, ita ut in aciem descenderint, & manus conseruerint; sed simplices fuerunt persecutiones furentis viri, qui infestis æque animis inimici sui quærebat interitum, ac si illi in prælium obvius occurreret. Saul jugiter districtum pugionem in David habebat. Ubicumque illum adesse rumor ferebat, illuc eum persequebatur.

℣. 3. ACUERUNT LINGUAS SUAS SICUT SERPENTIS [8].] Hoc respicit Doeg, Ziphæos, & Aulicos Saulis, qui illum adversos Davidem concitabant. Lingua eorum æque ac lingua serpentis erat acuta, quæ qui-

1 Origen. Theodoret. Paraphr. Græc. Kimchi, Muis, Hammond. du Pin.
2 1. Reg. 19. 9. 10. 3 Bossuet. hic.
4 Psalm. 93. 2 118. 21. 51. 66. 78. 122. Jerem. 50. 31. 32. 5 Psalm. 13. & 10. secundum Hebr. & 11. secundum Vulg. 118. 22. 25. 61. 95. 107. 109. 110. &c. 6 August. *Exime me, Domine, ab homine maligno*. 7 S. Hilar. *Malitias in corde*. August. *Injustitias*. 70. Ἀδικίας.
8 Hilar. August. Psalter. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut. *Sicut serpentes*. Ita Edit. Sixti V. & alia non pauca.

dem similitudo satis est vehemens. Dicuntur angues trifidam habere linguam, vel ut alii putant, bifidam. Verius tamen est, unicam tantum habere; sed duplicem, vel triplicem videri, propter frequentem illius vibrationem. Profani eadem loquendi ratione usi sunt. *Tamquam prorepens bestia, & bilinguis, & scelestus,* ait Plautus in Persa, de maledico loquens.

VENENUM ASPIDUM.] Hebraica vox [1] *acsub* isthic tantum invenitur. Chaldæus [2] reddidit *acubita*, quæ vox *araneam* significat. In Textu eædem ferme sunt litteræ, sed inversæ, anagrammatum more. Bochartus de Animal. par. 2. l. 3. c. 4. Septuaginta Versionem probat, legentium *aspidem*. Sed Hebræi aliam habent vocem ad aspidem significandum; & virus araneæ maxime perniciosum est.

℣. 5. QUI COGITAVERUNT SUPPLANTARE GRESSUS MEOS.] Saul, aulicique ejus quærebant opprimere David, atque in insidias attrahere. Hoc autem innuere vult per ea verba: *absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, juxta iter scandalum posuerunt mihi*. Scandalum hoc, scilicet offendiculum, & hi laquei sunt criminationes eæ, quas maligni interpretes Sauli obtrudebant, & ea, quæ de David obloquebantur. Abeat, ajebant, Diis alienis serviat [3]; ad alienigenas concedat, neque particeps sit hæreditatis Domini: *Qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, servi Diis alienis*.

℣. 8. DOMINE, VIRTUS SALUTIS MEÆ, OBUMBRASTI SUPER CAPUT MEUM [4] IN DIE BELLI.] Mihi pro clypeo, vel casside fuisti adversus hostem meum. Hoc vulgo explicatur de David victore Goliath [5]. Mihi victoriam de gigante hoc contulisti. Intelligi quoque potest in figurato sensu, non secus ac ℣. 2. Tu me protexisti eo in bello, quod intulerunt mihi inimici mei, in persecutionibus, quas ab illis perpessus sum.

℣. 9. NE TRADAS ME, DOMINE, A DESIDERIO MEO PECCATORI [6].] Ne permittas, Saulem voti compotem fieri, mihique necem inferre. Ne illi integrum sinas, ut pravam in me voluntatem exerceat suam [7]. Vel; Ne tradas me impiis, contra desiderium meum, meque invito. Hebr. [8] *Ne tradas, Domine, desiderium meum peccatori*. Ne tradas illi vitam libertatemque meam, id, quod præ cæteris diligo. Alibi animam suam vocat [9] unicam suam, dilectam suam. Symmachus [10]: *ne tribuas peccatori ea, quæ desiderat*. Ne mihi mortem, qua nihil optatius illi contingere posset, inferas.

COGITAVERUNT CONTRA ME; NE DERELINQUAS ME, NE FORTE EXALTENTUR.] Sensus hic satis est perspicuus. En Hebraicum textum [11]: *Prava inierunt consilia, ne expleas illa*, ne *exaltentur*. Vel, *ne exequaris consilia eorum, elevantur*; vel pereant. Vel, ne sinas ipsos ea exequi consilia, de quibus gloriantur. Chaldæus: Ne eos voti compotes feceris: auferantur a mundo, ne superbia intumescant. De Ziphæis, & pravis Consiliariis Saul loqui videtur. Eorum lapsum, ac infelicitatem portendit.

℣. 10. CAPUT CIRCUITUS EORUM; LABOR LABIORUM IPSORUM OPERIET EOS.] Centrum circuitus eorum, scopus improborum consiliorum, malarumque artium ipsorum, in eorum dedecus, ac infelicitatem convertatur [12]. Vel circuitus pravarum consuetudinum suarum involvat eos, quemadmodum fera plagis capta involvitur; in laqueos, quos mihi tetenderunt; decidant [13]. Symmachus [14]: *Amaritudo eorum, qui me circumdant, labor labiorum ipsorum decipiat eos*, vel *operiat illos*. Hebræus [15]: *Virus eorum, qui me circumdant*, ut capiant, *iniquitas*, vel *labor labiorum suorum operit*, & opprimit *illos*. Venenum ponit pro odio, ira, nequitia; & laborem pro scelere, iniquitate, juxta familiarem Scripturarum consuetudinem [16]. *Iniquitas* illic pœnam, & supplicium, uti alibi passim significat. Mala, quæ in me meditantur, pœna nequitiæ eorum in ipsos recidat.

℣. 11. CADENT SUPER EOS CARBONES &c.] En mala, quæ in inimicos meos irruent. Cœlestem ignem, fulmen in illos ejaculaberis. Hoc nempe carbones vocat hic, & in Psalmo 17. 9. & 119. 4. & alibi. En Hebraicus totius versiculi textus [17]. *Conjicientur super illos carbones. Eos in ignem ruere facies. Non emergent amplius e fovea, in quam ceciderint*. Ignis de Cœlo percutiet illos; in ardentem fornacem decident, ex qua numquam egredientur. Vel: *carbones accensi decidant super eos. Da eos præcipites in foveas, e quibus numquam evadant*: quæ postrema versio mihi magis litteralis videtur. Exemplaria Septuaginta discrepant inter se. Romana editio legit [18]: *Carbones ardentes decident super eos in terram*. S. Hilarius, Apollinaris, Arabs, & Æthiops, ipsi quoque hæc legerunt verba, *in terram*. Sed in Hebræo, Chaldæo, Syriaca versione, atque Complutensi Editione Septuaginta, non extant. Per hos carbones ardentes Theodorus Heraclæota, & S. Chrysostomus Dei iram intelligunt, & supplicia de cœlo demissa. Alii infernum interpretantur.

℣. 12. VIR LINGUOSUS NON DIRIGETUR IN TERRA.] Blatero numquam prosperum aliquid in terra assequetur. Vel potius: maledicus, calumniator; Doeg, Ziphæi numquam votorum summam consequentur, neque felices erunt umquam in terris. Commune sibi constant odium. Statim ac aliquis sycophanta esse deprehenditur, omnes eum oderunt, atque tamquam perniciosam, virulentamque feram evitant. Hebræus [19]: *Homo linguæ non erit stabilis in terra*.

VIRUM INJUSTUM MALA CAPIENT IN INTERITU [20].] Prophetia hæc ad litteram in Saule adimpleta est, qui sibi necem conscivit post pugnam infelici marte pugnatam ad Gelboe. Hebræus [21]: *Malum, veluti venator persequitur hominem rapacem, ut eum ad terram deturbet*. Sua illum urget infelicitas, neque illum sinit, nisi antea in foveam præcipitem dederit. Horatius l. 2. Od. 2.

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo

℣. 14. JUSTI CONFITEBUNTUR NOMINI TUO; & HABITABUNT RECTI CUM VULTU TUO.] Dum ultio tua in impios desæviet, Justi in Tabernaculo tuo te laudabunt; accedent coram te, tibi gratias acturi [22]. Justorum nomine loquitur de se ipso, ac de illis, qui sibi fideles adhæserant. Verba hæc, *habitabunt recti cum vultu tuo*, nonnulli in hoc explicant sensu: speciali tua protectione gaudebunt; beneficiis tuis fruentur [23]. Vel: Tibi æternum adhærebunt, quærent te, ut alibi ait [24]: *Exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram*.

---

1 עכשוב 70. Ἀσπίδων. 2 עכוביתא 3 1. Reg. 26. 19.
4 Psalt. Rom. *Obumbra caput meum*. 5 Theodoret. Muis.
6 Psalt. Rom. Carnut. & Gallic. &c. *Non tradas, Domine, desiderio meo peccatori*.
7 Heraclæot. 8 אל תתן יהוה מאוי רשע 9 Psal. 21. 21. 34. 17.
10 Sym. Μὴ δῷς, κύριε, τὰς ἐπιθυμίας τῷ παρανόμῳ. Aqu. Ἐπιθυμήματα ἀσεβοῦς. Ita Syr. & alii plures.
11 זממו אל תפק ירומו 12 Chrysost. Heracl. 13 Euthym.
14 Sym. Ὁ πικρασμὸς κυκλούντων με, ὁ μόχθος τῶν χειλέων αὐτῶν ἀπατησάτω αὐτούς. Alii codices, καλυψάτω αὐτούς.
15 ראש מסבי עמל שפתימו יכסמו 16 Psal. 10. 7. 14. 54. 11. &c.
17 ימוטו עליהם גחלים באש יפלם במהמרות בל יקומו 18 70. Edit. Rom. Πεσοῦνται ἐπ' αὐτοὺς ἄνθρακες πυρὸς ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ καταβαλεῖς αὐτοὺς ἐν ταλαιπωρίαις, οὐ μὴ ὑποστῶσι. Quid. apud Chrysost. Πεσοῦνται εἰς βόθυνας, μήποτε ἀναστῶσι. Alius, ἐμπλακήσονται, καὶ οὐ μὴ ἀναστῶσι. 19 איש לשון בל יכון בארץ
20 Aug. *Virum injustum mala venabuntur ipsum in introitum*. 21 איש חמס רע יצודנו למדחפות
22 Vide Psal. 73. 17. Chald. Ferrand. 23 Vide Psal. 30. 11. 17. 88. 16. 89. 9. 24 Psal. 26. 8.

PSALMUS

PSALMUS CXL.

Psalmista Deum orat, ut suas preces exaudiat, non sinat ipsum impatientia abripi; sed eum a necessitudine, & societate impiorum avertat. Iis præfert Justorum reprehensiones; conquéritur de persecutionibus, quas patitur; in Domino sperat,

Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Origenes, Theodoretus, & plerique Interpretum [1] fatentur, Psalmum hunc magnam habere cum superiori conformitatem, ac Davidem isthic conqueri de persecutionibus Saul, ac exorare Deum, ut sibi vim tribuat, ne impatientia abripiatur, neque obmurmuret, vel conqueratur adversus inimicos suos. Beda hunc transfert ad Ezechiam eo tempore, quo bello a Sennacherib lacessitus erat. Veteres nonnulli, teste Græco Paraphraste, crediderunt, hunc in ipsa Babylonis captivitate fuisse compositum. S. Chrysostomus [2] docet, in Ecclesia Orientali Fideles hunc quotidie vespere recitare consuevisse, ad peccatorum veniam impetrandam, fortasse propter ea secundi versiculi verba: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Hic vespertinus dicebatur Psalmus, quemadmodum sexagesimus secundus matutinus appellabatur. Pater idem hunc admodum difficilem esse fatetur. En illius versionem ad Hebraici textus lucernam elaboratam.

(℣. 1.) Domine, clamavi ad te; accelera, ut venias ad me. Exaudi vocem meam, quoniam clamo ad te. (2.) Ascendat oratio mea veluti thus coram te, & elevatio manuum mearum, veluti oblatio vespertina. (3.) Pone, Domine, excubiam ori meo; vigila in janua labiorum meorum. (4.) Ne patiaris, os meum obloqui, ac proferre malas cogitationes cum opificibus iniquitatis. Non comedam ex epulis eorum licet exquisitissimis.

(5.) Si justus me *violenter* percusserit, hæc est misericordia, si me *acriter* corripuerit, hoc est præstantissimum thymiama. *Scio*, non confringet ille mihi caput.

Nam oratio mea semper opposita est impiorum improbitati, (6.) Judices eorum secus rupem præcipites dabuntur: audiant verba mea, quoniam jucunda sunt.

(7.) Non secus ac agricola serram findit, & glebas tollit: ita ossa nostra in ore sepulchri disperguntur. (8.) Domine oculi nostri ad te sunt elati. In te confidentiam meam collocavi; ne exuas animam meam: *vel ne mihi vitam adimas*. Salva me de manu laquei, quem tetenderunt mihi, & de vinculis operantium iniquitatem. (10.) Impii decident in laqueos suos, *vel in laqueos Dei*; ego vero, qui solus sum, *super eum transibo*, & effugiam.

1. DOmine, clamavi ad te, exaudi me: intende voci meæ, cum clamavero
ad te. 2 Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleva-
tio manuum mearum sacrificium vespertinum. 3 Pone, Domine, custo-
diam ori meo: & ostium circumstantiæ labiis meis. 4 Non declines cor meum in
verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. 5 Cum hominibus ope-
rantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum. 6 Corripiet me
justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet
caput meum. 7 Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti
sunt juncti petræ judices eorum. 8 Audient verba mea, quoniam potuerunt: si-
cut crassitudo terræ erupta est super terram. 9 Dissipata sunt ossa nostra secus in-
fernum: quia ad te, Domine, Domine, oculi mei: in te speravi, non aufe-
ras animam meam. 10 Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi: & a scan-
dalis operantium iniquitatem. 11 Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulari-
ter sum ego, donec transeam.

℣. 1. DOMINE, CLAMAVI AD TE, EXAUDI ME.] Psalmista sæpius Psalmos suos hoc ordititur procemio. Dolor, & timor impatientiam afferunt. Hebræus: *Clamavi ad te, accelera, ut audias me*, vel ut mihi opem feras. Cum tepide, ac frigide oramus, non satis necessitatem nostram intelligimus. Deus cogi vult, ac importuni- A tate quadam impelli. Tunc quamdam nobis permittit audaciam, quæ mortali Creatorem suum alloquenti congruere nequaquam videtur.

℣. 2. DIRIGATUR ORATIO MEA SICUT INCENSUM &c.] Oratio, & manuum elevatio isthic unum, & idem significant. Hebræi manibus in Cœlum elatis vulgo suas preces effundebant. Gestum hunc suopte ingenio

1 Muis, Ferrand. Bossuet.

2 Chrys. hic, & Athanas. ep. ad Marcellin. & Constit. Apostol. l. 2. c. 59. & 7. cap. 34.

nio natura producit in illis, qui Cœlum testantur, vel illius opem exposcunt. *Incensum, & oblatio vespertina*, ita enim in Hebraico textu habetur [1]; ipsa quoque unum ac idem videntur innuere. Quotidie bis, videlicet vespere, & mane, thus coram Domino offerebatur in Sancto, ac super Aureo Altari ante velum Sanctuarii [2]. Incensum hoc vocari jure potest *oblatio*, vel munus; hæc enim vox generalis est, & iis omnibus convenit, quæ coram Domino offeruntur.

Sanctorum Orationes odori thuris non semel in Scripturis comparantur [3]. Neque inconsulto vespertini thuris meminit Auctor, quia illius suavitas magis percipiebatur, non solum propter noctis quietem, & tranquillitatem, verum etiam quod noctu super Altare Holocaustorum nullum offerebatur sacrificium, cujus odor cum thymiamatis odore permixtus, hujus posset effectum, ac sensum imminuere.

Si incensum ab oblatione distinguere velis, primum intelligi poterit de thymiamate, quod mane adolebant, alteram vero de sacrificio vespertino, quod erat holocaustum, non sine oblationibus farinæ, & salis; quæ illis in occasionibus præcipiebantur. In vespertino hoc sacrificio invenitur [4] typus sacrificii J. C. quod sub vesperam consummatum est, atque Eucharistiæ post cœnam institutæ.

℣. 3. PONE, DOMINE, CUSTODIAM ORI MEO [5].] Hebræus ad litteram [6]: *Domine, pone, custodi os meum; conserva ostium labiorum meorum*; vel cum aliis: *Pone, Domine, janitricem ori meo, & custodem ostio labiorum meorum*. Voces Authographi fœminini sunt generis, & apud Hebræos domorum januæ a mulieribus vulgo servabantur [7]. Alii parum probabiliter vertunt: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostiariam super id, quod hauriunt labia mea*, vel, *super id, quod hauriri posset ex labiis meis*; alii, *super pauperem labiorum meorum*, vel *labiorum meorum elevationem*, vel *inferius labium meum*. Quæ omnis varietas profecta est ex Hebraica voce *Dal*, quæ isthic pro *Deleth* janua usurpatur.

Propheta Deum rogat, ne permittat, se impatientia abripi, ne imprudenti aliquod elabatur verbum, cujus mox illum pœniteat, sive illud sit contra charitatem, seu contra eam, quæ Sauli debebatur, reverentiam. Re quidem vera hoc illi concessit Deus, neque Historia hac in re umquam ipsum defecisse testatur. Semper enim de Rege suo summo honore locutus est, quod ipsum & Saul non confiteri non potuit 1. Regum 24. 18. *Justior tu es, quam ego*. Immo cum etiam Rex ille ad plures abieerat, erga illius nomen, atque memoriam eos aluit sensus, quos ingenita illi humanitas, & clementia suppeditabant. Morti enim addixit Amalecitam, qui se Regem interemisse gloriabatur [8], & Jabitas dignis excepit encomiis, qui illius cadaver abstulerant, ut justa illi persolverent, atque in amplissimum sepulchrum efferrent 2. Reg. 2. 5. 6.

Theodoretus isthic animadvertit, naturam linguæ duplex opposuisse vallum, ne nimiam illius facilitatem compesceret, ac nos admoneret, quanta maturitate sermones sint proferendi. Prophani has Prophetæ locutiones imitiati sunt; & januam, & clavem linguæ memorant, nebulonem, verbosum, atque inverecundum virum describentes, cujus os, nec januam habet, neque habenas [9].

℣. 4. NON DECLINES COR MEUM IN VERBA MALITIÆ AD EXCUSANDAS EXCUSATIONES IN PECCATIS CUM HOMINIBUS OPERANTIBUS INIQUITATEM [10].] More videlicet peccatorum. Hominum excusationes in peccatis suis semper inanes sunt, ait S. Hieronymus. Neque enim accusare debent, vel naturam, vel infirmitatem, neque extrinseca objecta. Nihil umquam ad peccandum eos cogit. Quia volunt, peccant. Ipsorum est, divina favente gratia, peccatis non assentiri. *Cum in potestate nostra sit, & peccare, & Domino adjuvante non peccare*.

Hebræus [11]: *ne inclines cor meum ad pravos sermones, ad ineunda consilia*, vel ad illa exequenda *in iniquitate, cum hominibus, qui operantur iniquitatem*. Ne permittas cor meum, vel pravos sermones habere, vel improba inire consilia. Amove a me cor pravum, ac nefariam eorum peccatorum mentem, quorum omnis cura in eo posita est, ut inique agant. Locutio hæc: *Ne declines cor meum ad malum*, aliæque id genus, quæ in Scripturis occurrunt, de simplici permissione sunt intelligendæ. Deus in malo non concurrit, nisi illud non impediendo.

℣. 5. NON COMMUNICABO CUM ELECTIS EORUM.] Cum iis, qui præ cæteris honore, ac dignitate excelluerint; cum potentioribus, & locupletioribus [12]. Eos odi, & abominor propter illorum flagitia. Hebræus [13]: *Non comedam de exquisitissimis epulis eorum*. Nullam cum illis habere cupio necessitudinem, neque ad mensam, nec alibi. Syrus, & vetus quidam Græcus Interpres [14]: *Non comedam sal umquam cum illis*. Hoc adagium sapit; idemque occurrit in Esdra [15], in Actis [16], & in antiquis Pythagoræ sententiis: *Sal, & mensam ne violaveris*: hoc est; Fidem illis serva, quibuscum vesceris; hospitalitatis jura tuere. Verum fortasse id omne a Librariorum errore profectum est, atque in Græco textu legendum: *Ne verser*, ne permaneam, *in eorum deliciis*. Septuaginta [17]: *Non communicabo*, vel *non combinabo*. In eorum cœtu numquam interero. S. Augustinus, & vetus S. Germani Psalterium: *non combinabo*. S. Hilarius: *non comminabor*. Apostolus S. Johannes ep. 2. ℣. 10. 11. domi nostræ vetat excipi, vel salutem reddi illi, qui pravam Doctrinam attulerit. Et S Paulus ad Tit. 3. 10. præcipit, ut post primam, alteramque correctionem evitentur hæretici.

℣. 6. CORRIPIET ME JUSTUS IN MISERICORDIA [18] &c.] Salubrem Justi severitatem perniciosis impii blanditiis præfero: Malo bonum percutientem, & castigantem, quam impium mihi blandientem. *Meliora sunt vulnera diligentis*, ait Sapiens [19], *quam fraudulenta oscula odientis*. Crudelitas potius censenda est, quam benevolentia in amicos, malum, quod deprehenderis, non corripere. Prodest quidem reprehendere, dummodo id cum misericordia, justitia, & charitate fiat, inquit S. Hilarius: *Est enim misericordiæ modus, & miserandi adhibenda justitia est*.

Hebræus ita habet [20]: *Conterat me justus*, hæc est misericordia, & *me corripiat*, hoc *exquisitissimum unguentum*

1 מנחת ערב Quid. Δῶρον ἑσπέριον. Alius ἡ προσφορὰ ἑσπερινή. 2 Exod. 29. 39. & Num. 28. 4.
3 Apoc. 8. 3. & 5. 8. &c. 4 Aug. Geneb. Men. Tir. &c.
5 August. *Custodiam ori meo, & ostium continentiæ*, &c.
6 שיתה יהוה שמרה לפי נצרה על דל שפתי Aqu. & Th. Ἐπὶ τὰ χείλη μου. Sym. Ἐπὶ τοῖς χείλεσί μου.
7 Joan. 18. 17. *Ancilla ostiaria*. Vide & 2. Reg. 4. 5. *Ostiaria domus purgans triticum*.
8 2. Reg. 1. 15. 16. 9 Aristophan. in Ranis act. 3. scen. 2.
Ἄνθρωπον ἠγριωποιὸν, αὐθαδόστομον
Ἔχοντα ἀχάλινον, ἀκρατὲς, ἀπύλωτον στόμα.
10 70. Τοῦ προφασίζεσθαι προφάσεις. *Ad prætexendum prætextus*.
11 אל תט לבי לדבר רע להתעולל עללות ברשע את אישים פעלי און Symm. Μὴ ἐπιστρέψῃς τὴν καρδίαν μου εἰς λόγους πονηροὺς, ὥστε ἐπιτηδεύειν ... 12 Vide Theodoret. & Hieronym.
13 בל אלחם במנעמיהם Sym. Μὴ συμφαγοίμι τὰ ἡδέα αὐτῶν. 14 Μὴ συναλισθῶ ἐν ταῖς τερπνότητσιν αὐτῶν. Alias: συναλισθῶ. 15 Esdr. 4. 14 *Memores salis, quod in palatio comedimus*.
16 Act. 1. 4. *Convescens*. Græc. Συναλιζόμενος. 17 70. Οὐ μὴ συνδυάσω. Alii codices: οὐ μὴ συνδιάγω. 18 Psalterium S. Germani loco *oleum peccatoris* legit: *Misericordia peccatoris*. Legerat in Græco ἔλεος pro ἔλαιον. 19 Prov. 27. 16. 20 יהלמני צדיק חסד ויוכיחני שמן ראש אל יני ראשי

tum est; ad litteram [1], *sit oleum capitis*, unguentum A videlicet optimum, ut super convivarum capita effunditur; *Non infringat caput meum*; vel caput meum non infringet. Certus sum, justum nequaquam adniti, ut labem nomini meo adspergat, utque obsit mihi amicis objurgationibus suis. Mea dumtaxat vitia persequitur, id unum quærit, ut melior evadam. Autographo alii plures sensus tribuuntur. Exempli gratia [2]: *Corripiat me justus in misericordia, & arguat me; oleum amaritudinis non impinguet caput meum*. Aliter: *oleum venenatum non impinguet caput meum*.

℣. 7. QUONIAM ET ADHUC ORATIO MEA IN BENEPLACITIS EORUM.] Deum rogo, ut eos affligat, atque confundat; & salubri amaritudine omnem eorum dulcedinem adspergat [3], ut eam fastidientes ad Deum revertantur. Hæc est Theodoreti explicatio innixa B Versioni Symmachi, quæ habet [4]: *Nam oratio mea est intra eorum nequitiam*; quod Hebraico textui est conforme [5]. Hic quoque sensus illi tribui potest: Deum oro, ut liberet me a nequitia eorum; vel pro illis oro, licet tot, tantaque ab illis patiar.

ABSORPTI SUNT JUNCTI PETRÆ JUDICES EORUM [6].] Judices eorum, primores ex eis eorum Principes (Judicum enim nomen nonnumquam postremo hoc in sensu intelligitur) de rupe præcipites dabuntur, petræ allidentur. Septuaginta Romanæ Editionis legunt, *Potentes eorum*. Apud Hebræos satis diu suprema auctoritas penes Judices fuit. Et apud Pœnos præcipui Magistratus Judices appellabantur. Per optativum potest efferri: *Judices eorum de rupe dentur præcipites, & audiant sermones meos, quoniam speciosi sunt*, C justi, æqui. Edificant tandem aliquando jus dicere injustissimi hi Judices, qui merentur, ut in abyssum præcipites demittantur. Sunt etiam [7], qui ita intelligant: *Judices*, præcipui Ministri Saul, *obrepserunt in loca rupibus frequentia*, me persequentes. Saul ingressus est ad speluncam, ubi delitescebam [8]; fimbriam pallii ejus præsecui; *qui cum eo erant, audierunt sermones meos, & sciunt*, quam suaviter, ac humiliter, *cum eo locutus sum*. *Audient verba mea, quoniam potuerunt*. Hebræus [9]: *audient verba mea, quia suavia sunt*, & clementiam tantummodo, atque humanitatem redolent. Putant alii, Psalmistam hic infelicem Saulis, militumque illius mortem portendere, in jugis Gelboe, unde plurimi fortasse de rupibus præcipites dati fuerunt. Sed postremæ hæ duæ explicationes nimis longe ductæ videntur.

℣. 5. SICUT CRASSITUDO TERRÆ ERUPTA EST SUPER TERRAM, DISSIPATA SUNT &c.] Hebræus [10]: *non secus ac ab agricola terra frangitur*; *ita ossa nostra in ore sepulchri dissipata sunt*. Ossa nostra sunt veluti glebæ agri, hac illac dispersa circa tumulum; velut ossa illa, de quibus loquitur Ezechiel 37. 11. *Dominus dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, & circumduxit me per ea in gyro; erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer*. Ossa hæc adeo exsiccata, & super terræ faciem projecta, designant statum captivorum Babylonis. Hic autem, ut mihi videtur, innuere vult David persecutiones, quas patiebatur, & assidua pericula, quibus erat obnoxius. S. Augustinus legit: *Sicut crassitudo terræ disrupta est*; alii [11], *eruptum est*: alii [12], *ossa eorum* pro *ossa nostra*. *Infernus* sæpe pro sepulchro usurpatur.

℣. 9. NON AUFERAS ANIMAM MEAM.] Hebræus ad litteram [13]: ne exuas me anima mea; vel, *ne effundas animam meam*.

℣. 11. CADENT IN RETIACULO EJUS PECCATORES.] In laqueum Dei, Patres inquiunt [14]. Ipsi mihi struunt insidias, sed eos Deus præstolatur, & licet inviti, in illius laqueos decident. Aliter [15]: *In suos ipsi laqueos cadent* [16]: iis, quos mihi tetenderunt, laqueis ipsi capientur. Saul Davidem persequens bis in manus Davidis lapsus est. S. Hilarius: Peccatores in Dæmonis laqueos ruent.

SINGULARITER SUM EGO, DONEC TRANSEAM.] Ego autem solus sum, vel potius: Licet ego solus sim, ac nullo suffultus præsidio, tamen divina mihi favente gratia super omnes hos laqueos pertransibo, ac ex illis incolumis effugiam. Hoc re ipsa contigit. David omnes evitavit insidias, illi positas. Aliter [17]: Ego in hoc mundo vitam vivo seorsim ab impiis, quin ulla cum illis necessitudine devinctus sim, donec ex hoc vitæ ergastulo egrediar, quod undique laqueis, atque periculis circumseptum est. Hebræus verti potest [18]: *decident impii in laqueos suos, & ego cum illis*; ibi illi permanebunt; *ego vero illinc emergam*. Sed eæ, quas antea attulimus, explicationes, magis simplices sunt.

---

1 *Oleum præcipuum*. שמן ראש Exod. 30. 23. Cant. 14. Ezech. 27. 22.
2 Ita Hieronym. 3 Theodoret. & Chrysost. 4 Sym. Ἔτι δὲ ἡ προσευχή μου ἐντὸς τῶν κακιῶν αὐτῶν. Aquil. Ὅτι ἔτι καὶ προσευχή μου ἐν κακίαις αὐτῶν. 5 כי עוד ותפלתי ברעותיהם
6 August. *Juxta petram judices eorum*. Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. Hilar. *Absorpti sunt continuati petræ judices eorum*. 70. Edit. Rom. Κατεπόθησαν ἐχόμενα πέτρας οἱ κραταιοὶ αὐτῶν. *Absorpti sunt juxta petram potentes eorum*. Ita Æthiop. 7 Abenezra, Muis, Hammond. Jun. Pisc.
8 1. Reg. 29. 9 שמעו אמרי כי נעמו 70. & Th. Ὅτι ἡδύνθησαν. Plures codd. ἡδύνθησαν. *Dulces facti sunt*. Symmach. Ἀκούσονται γὰρ τοὺς λόγους μου ἡδίστους. *Verba mea dulcissima*. Aquil. Ὅτι εὐπρεπίσθησαν. *Quia convenientia erant*, vel *decentia*, *suavia*. Alius: Ἐδραγμονίσθησαν. *Arrepta*. Alius: Εὐπρεπίσθησαν. *Pulchra erant*.
10 כמו פלח ובקע בארץ נפזרו עצמינו לפי שאל 11 Psalter. S. Germ. & Carnut.
12 Arab. & Æth. & plures Græci: Ὀστᾶ αὐτῶν. 13 אל תער נפשי Aquil. Μὴ ἐκκενώσῃς. Th. Μὴ ἀποκενώσῃς.
14 Heracleot. Chrysost. Theodoret. Hieron. Paraphrast. alii.
15 יפלו במכמוריו רשעים 16 R. Salom. Kimchi, Ezra, Muis &c. Symmach. Ἐμπέσοιεν εἰς τὰ δίκτυα αὐτῶν οἱ ἁμαρτωλοί. 17 Chrysost. 18 יפלו במכמוריו רשעים יחד אנכי עד אעבור

PSALMUS CXLI.

David in spelunca Engaddi a Domino petit libertatem, & promittit, se illius laudes celebraturum, atque solemnes illi gratias acturum, postquam ex eo periculo evaserit.

Intellectus David, cum esset in spelunca. Oratio.

ARGUMENTUM.

David duplex subiit periculum in diversis duabus speluncis. I. in spelunca Odollam, postquam ex Aula Achis

Achis effugerat [1]. II. in spelunca Engaddi [2], ubi de se jam actum censebat, cum Saul illuc ad quamdam corporis necessitatem ingressus est, atque inscius se se tradidit in manus illius, quem persequebatur. Bellarminus, Ferrandus, aliique nonnulli putant, Psalmum hunc fuisse compositum in spelunca Odollam, tunc enim David solus erat, sine ullo præsidio, quemadmodum testatur ℣. ℣. 5. 6. hujus Psalmi; in spelunca vero Engaddi Saul, non David periculum adiit. Sed plerique veterum, ac recentiorum Interpretum [3] tenent, Psalmum hunc illud tempus respicere, quo David Saulis exercitu undique clausus fuit in specu Engaddi. Nullibi periculum vel majus fuit, vel præsentius. David utique solus non erat, sed parva ea manus, qua stipatus erat, adeo impar erat opem illi ferendo eo in discrimine, ut ne unus quidem inter illos adesset, qui se perditum jam minime arbitraretur. David mirum in modum isthic ob oculos ponit militum suorum formidinem, simulque certissimam sui ipsius in divino auxilio fiduciam.

Syriaca versio hunc explicat Psalmum de ea annonæ caritate, quæ Judæam triennio vexavit, sub Davidis imperio, in pœnam cædis Gabaonitarum, quos Saul interemerat. S. S. Hilarius, Augustinus, & Hieronymus, nec non Cassiodorus Psalmum omnem de J. C. interpretantur. Minime ambigendum est, inquit S. Hilarius, quo minus David orans in spelunca, imago esset, ac Prophetia J. C. Transfertur autem ad Salvatorem a Judæis vexatum vel in Passione, vel in horto Olivarum, vel in sepulchro. S. Chrysostomus in ℣. 4. de Captivis Babylonicis intelligere videtur; quam quidem sententiam probare haud operosum foret: verum a Psalmi titulo non recedimus.

1. VOce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.
2 Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio. 3 In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognovisti semitas meas. 4 In via hac, qua ambulabam: absconderunt superbi laqueum mihi. 5 Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me. 6 Periit fuga a me, & non est, qui requirat animam meam. 7 Clamavi ad te, Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.
8 Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis. 9 Libera me a persequentibus me: quia confortati sunt super me. 10 Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.

℣. 1. VOCE MEA AD DOMINUM CLAMAVI.] Quomodo nam David in spelunca Engaddi inimicis undequaque circumseptus, vocem audet attollere? Clamat ille, non ea voce, quam corporis aures intelligant, sed voce cordis, acuta, & efficaci, voci Moysis persimili ad Rubri maris oram [4], cui Deus, *Cur clamas ad me?* licet extrinsecus ne verbum quidem protulisset. Sed *Omnis fidelis viri etiam tacita, & spiritualis expectatio, Deo clamor est*, ait S. Hilarius. A

℣. 2. EFFUNDO IN CONSPECTU EJUS ORATIONEM MEAM [5].] Prolixius enarrabo illi infelicitatem meam; aperiam illi penitiora cordis mei: effundam animam meam coram illo, velut amicus, qui animum suum exonerat amico omnes, quibus afficitur, curas narrando. Vide Psalmum 61. 9. *Effundite coram illo corda vestra*. B Et Lament. 2. 14. *Effunde sicut aquam cor tuum, in conspectu Domini*. Locutiones hæ innuunt votorum vehementiam, & orationis ardorem, ait Theodoretus.

℣. 3. IN DEFICIENDO EX ME SPIRITUM MEUM [6]; & TU COGNOVISTI SEMITAS MEAS.] Cum majoribus afflictor malis, & cum ad periculi conspectum deficit animus meus, ad te confugio. Ne momentum quidem vitæ reliquum est mihi, nisi dexteræ tuæ virtus effulserit, me hinc liberans. Saul, & exercitus illius speluncæ, in qua delitesco, aditum obsident; ex eorum manibus elabi, nisi divina hinc erepiar ope, non possum. *Tu cognovisti semitas meas*. Nosti, quænam mea sit erga Saulem innocentia. Mea agendi ratio neque te fugit, neque displicet tibi. Tu unice viam mihi aperire vales, qua ex hoc periculo evadam. Tu scis, quos laqueos C mihi tetenderint; quos omnes sensus ea pati possunt verba: *Tu cognovisti semitas meas*.

℣. 4. ABSCONDERUNT LAQUEUM MIHI.] Antiqua Psalteria legunt [7]: *Absconderunt superbi laqueum mihi*. Sumpserunt autem eam vocem *superbi* ex Psalmo 136. 6. Saul, ac servi illius mihi undequaque insidias struunt. Observant illi vias meas, & quocumque incessero, me persequuntur. Dæmon cum asseclis suis, impiis videlicet, undequaque bonis collocant insidias [8], eosque & dolo, & vi oppugnare non cessant.

℣. 5. CONSIDERABAM AD DEXTERAM, & VIDEBAM.] David in spelunca Engaddi hæc loquitur. Oculos meos quoquoversum conjicio, dextrorsum, atque lævorsum, ac nullibi aliquem invenio, qui me cognoscat, qui pro me stare, ac ne minimam quidem opem audeat afferre. Plerique [9] supplent *ad lævam* hoc in loco, perinde ac diceret: Considerabam ad dexteram, oculos ad sinistram vertebam, nec aliquis me cognoscere voluit. Dextera vulgo auxilium, atque protectionem significat: *Dominus a dextris est mihi, ne commovear*. Psalm. 15. 8. Hebræus [10]: *respice ad dexteram, & vide: nemo adest, qui me cognoscat*. Quocumque oculos conjice, Domine, ac vide, quomodo ab omnibus sim derelictus.

℣. 6. PERIIT FUGA A ME [11]: & NON EST, QUI REQUIRAT ANIMAM MEAM.] Nemo opem mihi ferre vult. Undique inimicis meis conclusus sum, quin sperare possim futurum, ut hinc vel per fugam, vel per hominum auxilium evadam. Periculum evitari non potest. Hebræus [12]: *fuga mihi periit. Nullum habeo vindicem animæ meæ*; ad litteram, *nullum qui quærat animæ meæ*; qui illi optet bona, vel qui eam servare studeat, vel qui eam vindicare, & tueri festinet. Hoc mirum in modum congruit J.C. quem Apostoli ipsius deseruerunt, & Pontificum satellites comprehenderunt.

℣. 7. TU ES SPES MEA, PORTIO MEA IN TERRA VIVENTIUM.] In hac vita, Domine, in te uno sita est

---

1 1. Reg. 22. 2 1. Reg. 24. 3 Theodoret. Hieron. Rab. Salom. Kimchi, Sipporn. Muis, Bossuet, &c. 4 Exod. 14. 15. 5 Aug. *Effundam . . . & pronuntiabo*. Psalt. Rom. *Effundam . . . & pronuntiem*. 70. Chrysost. Athan. Ἐκχεῶ. *Effundam*. 6 Aug. *Dum deficit a me spiritus meus*. Psalt. Rom. Mediol. Carnut. *In deficiendo in me*. 7 Psal. Rom. & Mediol
8 Hieronym. 9 Kimchi, Muis, Grot. Glass. Junii. alii. 10 הביט ימין וראה ואין לי מכיר
11 Vide Jerem. 25. 35. *Peribit fuga a pastoribus*. Et Amos 2. 14. *Peribit fuga a veloce*.
12 אבד מנוס ממני אין דורש לנפשי

est spes mea. Omnes homines deseruerunt me. Terra viventium ad litteram significat terram Juda [1], præsentem vitam. David se reputabat veluti in regione mortis, alios vero homines in regione viventium, atque ex his omnibus hominibus neminem videbat, qui vel posset, vel illum tueri vellet. Deus unica erat spes illius. In sensu spiritali, & apud Patres terra vitæ, vel viventium Cœlum, beatamque æternitatem significat.

℣. 8. HUMILIATUS SUM NIMIS,] vel nimiis afflictionibus confectus. Hebræus [2]: *nimis extenuatus sum*, infirmatus; extrema laboro egestate. Symmachus [3]: *langueo*.

℣. 10. EDUC DE CUSTODIA ANIMAM MEAM; AD CONFITENDUM NOMINI TUO.] Educ me de hoc specu [4], ubi veluti in carcere clausus sum. Erue me de hoc periculo. Hebr. [5] *Educ animam meam de hoc loco, ubi clausus sum, ut confitear nomini tuo*. Hæc est petitionis summa; major tui nominis gloria. Efficiam, ut omnes tuum nomen, tuamque potestatem agnoscant. Hæc est maxima utilitas, ac suavissima voluptas, quam ex liberatione mea percipiam. Nihil hac petitione purius, nihil integrius. Sciebat ille, Deum gloriæ suæ maxime studiosum esse, atque in præmium eorum, quæ nobis elargitur bonorum, animi grati officia, & laudes tantum efflagitare. *Eruam te, & honorificabis me*. Psalm. 49. 15.

ME EXPECTANT JUSTI, DONEC RETRIBUAS MIHI.] Sæpius jam similes offendimus locutiones. Psalmista Deum, ut sibi faveat, conatur impellere, proposito illi intuitu & gloriæ, quæ illi hinc cedet, & voluptatis quæ ad Sanctos, amicosque illius emanabit; quæ quidem rationes amplissimæ sunt, ac Deo dignæ. Ille gloriam suam quærit, amicos suos diligit, afflictos libenter exaudit. Hebræus [6]: *Justi me coronabunt, cum eam, quæ mihi debetur, mercedem reddideris*. Justi, boni Israelitæ mihi coronam deferent, Regemque suum salutabunt, cum ultionem sumpseris de inimicis meis, & meam justitiam, ac innocentiam compensaveris. Symmachus [7]: *Justi coronabunt nomen tuum, cum benefeceris mihi*. Sed Aquila, & Septuaginta [8] verbum *Jattira* in Chaldaica, & Syriaca significatione, pro *expectare* intellexerunt. Vide *Psal.* 118. ℣. 74. 79. 39. 4. 51. 8. 64. 9. 101. 16. sensus illis persimiles, qui hoc in loco exprimuntur.

---

1 Vide ad Psalm. 26. 13. 114. 9. Job. 38. 13. Vide Chrysost. 2 כי דלותי מאד
3 Sym. Ὅτι ἠτόνησα σφόδρα. 4 Theodoret. Muis, Grot. Pisc. Mar. alii pleríque.
5 הוציאה ממסגר נפשי Sym. Ἔξω ποίησον ἀπὸ συγκλεισμοῦ τὴν ψυχήν μου. Aqu. Ἐξ ἀποκλεισμοῦ.
6 בי יכתירו צדיקים כי תגמל עלי 7 Sym. Τὸ ὄνομά σου στεφανώσουσι δίκαιοι, ὅταν εὐεργετήσῃς μοι. Nectit את שמך Nomen tuum, cum בי יכתירו 8 70. Ἐμὲ ὑπομενοῦσι, ἕως οὗ ἀνταποδῷς μοι. Aq. *In me excipiuntur justi, quando retribues super me*. Apud Heracl.

PSALMUS CXLII.

David Jerosolymis ab Absalon ejectus, Domini opem exposcit; eumque obtestatur, ut ostendat sibi vias suas, & inimicorum suorum exitium portendit.

Psalmus David, quando persequebatur eum Aabsalon filius ejus.

ARGUMENTUM.

Hebræus, Chaldæus, ac plurima antiqua Psalteria in titulo ea verba non legunt: *Quando persequebatur eum Absalon filius ejus*: sed tantum, *Psalmus David* [1]. Origenes etiam, atque Theodoretus testantur, ea in quibusdam Exemplaribus Septuaginta, atque in nonnullis ex antiquis Græcis Interpretibus non extitisse. Editio Romana Septuaginta, & Romana, & Gallicana Psalteria Absalonis nomen non adferunt; sed simpliciter: *Psalmus David, quando persequebatur eum filius ejus*. S. Hilarius non ambigit, quominus titulus iste a Græcis additus fuerit. Sed melioris notæ Interpretes plerique, quin titulus illis negotium facesseret, illum intellexerunt, alii quidem [2] de eadem circumstantia, ac Psalmum superiorem, de David scilicet in spelunca Engaddi delitescente: alii [3] de Captivis Babylonicis reditum exposcentibus. Syriaca versio hunc explicat de Davidis bello adversus Idumæos. Sed Origenes, Theodoretus, & alii plerique a titulo non recedunt, qui quidem nihil habet, quod Psalmi litteræ adversetur. Patres felicissime hunc transferunt ad J. C. quem Judæi persecuti sunt, & Judas prodidit, cujus Absalon erat imago. Eorum quoque sententia, qui hunc de Judæis in Captivitate positis explicant, haud est contemnenda: verum eum, quem inscriptio præsefert, sensum haud reliquerim.

℣. 1. DOmine, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia. 2 Et non intres in judicium cum
servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. 3
Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam. 4
Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi, & anxiatus est super me spiritus
meus, in me turbatum est cor meum. 5 Memor fui dierum antiquorum, medi-
tatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar. 6 Ex-
pandi

---

1 מזמור לדוד Psalter. vet. & Concil. apud Fabr. Stapul. & Reg. cod. 138. & Colb. 158. apud Ferrand.
2 Kimchi, Moller. Muis, Hamm. Bossuet, du Pin. Flamm.
3 Heraclæot. & Paraphr. Græcus, Ferrand. alii.

pandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi. 7 Velociter exau-
di me, Domine: defecit spiritus meus. 8 Non avertas faciem tuam a me, & si-
milis ero descendentibus in lacum. 9 Auditam fac mihi mane misericordiam tuam:
quia in te speravi. 10 Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te le-
vavi animam meam. 11 Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: do-
ce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. 12 Spiritus tuus bonus
deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, vivificabis me, in
æquitate tua. 13 Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua
disperdes inimicos meos. 14 Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quo-
niam ego servus tuus sum.

℣. 1. DOMINE, EXAUDI ORATIONEM MEAM... IN VERITATE TUA,... IN TUA JUSTITIA.] Nosti, Domine, quæ sit filii mei inhumanitas, atque injustitia, neque te fugit, quemadmodum egi cum illo; quanta clementia illi peperci, qua indulgentia illum excepi. Neque oblivisceris etiam eorum, quæ mihi pollicitus es; futurum quippe, ut me super thronum populi tui servares, mihique veniam concederes sceleris illius, quod perpetravi. Tua fretus æquitate, ac veritate, nunc ad te confugio. Ne sinas injustitiam prævalere, innocentiam opprimi, ac promissiones tuas irritas fieri. S. Chrysostomus justitiæ nomine isthic *misericordiam* intelligit; atque animadvertit, non injuria, justitiam sæpius pro clementia, & misericordia in Scripturis usurpari; quæ quidem significatio huic loco unice convenit.

℣. 2. NON INTRES IN JUDICIUM CUM SERVO TUO.] Non enim mortalis homo sperare potest, futurum ut te coram innocens habeatur; immo, si ad examen omnes illius iniquitates pro tua severitate vocaveris, nemo judicii tui pondus poterit sustinere [1]. Si cum Absalone me comparas, noxius non sum; sin autem tibi, justus non invenior. Me de Jerusalem justissime ejicis; sed filius meus, quo veluti instrumento ad hoc uteris, iniquissimam perpetrat injustitiam.

℣. 3. HUMILIAVIT IN TERRA VITAM MEAM.] Absalon me abjecit, atque prostravit; jam jam animam sum efflaturus. Hoc innuit periculum, in quo tunc versabatur.

℣. 4. COLLOCAVIT ME IN OBSCURIS [2] SICUT MORTUOS SÆCULI.] Sum veluti clausus in sepulchro; me veluti hominem in nullam reditus spem perditum putant. Mors, & sepulchrum non raro obscuritatis nomine, uti etiam calamitates mortis vocabulo denotantur [3]. *Mortui sæculi* sunt illi, qui jam pridem fato functi sunt, quorum nomina oblivio jam obruit [4]. Jeremias loquens de squalore captivorum Babylonis, eodem loquitur pacto Thren. 3. 6. *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.* Qui in peccatorum sordibus volutantur, inquit S. Hieronymus, in mortis statu versantur; qui obdurato animo sunt, neque ad frugem queunt revocari, hi vere sunt mortui; sed qui pœnitentiam differunt, hi sunt, tamquam jampridem mortui: *quasi mortui sæculi.* S. Augustinus hoc intelligit de J. C. in Sepulchro.

ANXIATUS EST SUPER ME SPIRITUS MEUS [5].] David fugiens, cum ambigeret, quid esset consilii initurus Absalon, utrum sine mora ad se festinaret, an Jerosolymis consisteret, satis animi sui ægritudinem iis verbis testatus est 2. Reg. 15. 25. *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me in Jerusalem... Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum faciat, quod bonum est coram se.* Cumque intellexisset, Achitophel in Absalonis partes concessisse, ait loco cit. ℣. 31. *infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel.* Hoc ad J. C. agonem mirifice transfertur. Hebr. [6] *Spiritus meus rediit*, subversus est *super me*, agitatus est, excruciatus.

℣. 5. MEMOR FUI DIERUM ANTIQUORUM;] temporum eorum videlicet, quibus pro populo tuo tot, tantaque prodigia operabaris; & hæc mecum dixi. Dominus ne idem non est ac olim? num abbreviata est dextera illius? Non poterit pro me hodie ea facere, quæ pro Abraham, Isaac, Joseph, Moyse, aliisque innumeris est operatus? Quid autem pro me non egit ille, dum Saule persequente, tot malis obruerer? In te igitur spetabo, neque poterit quidpiam mihi terrorem incutere.

℣. 6. EXPANDI AD TE MANUS MEAS.] Ad te meas preces effudi. Judæi orantes plerumque manus extensas ad Cœlum attollebant [7].

ANIMA MEA SICUT TERRA SINE AQUA TIBI.] Tuum auxilium opperior, quemadmodum arescens tellus, ac solaribus radiis exusta imbrem expectat. Hoc magis significat, quam quæ ad expectationem hanc exaggerandam poterant excogitari.

℣. 8. SIMILIS ERO DESCENDENTIBUS IN LACUM.] Si orationem meam rejicis, jam morior, jam in sepulchrum descendo. Deprehenditur hic etiam Orientalium stylus.

℣. 9. AUDITAM FAC MIHI MANE &c.] Noctu fortasse orabat. Accelera, ut mihi opem feras; & statim ac diluculum emicabit, videam tuæ misericordiæ effectus. Hoc Davidi priore nocte, qua Jerosolymis egressus est, apprime convenit. Eam curis confectus, obtutusque transegit, & crastina die dumtaxat, cum copias suas Jordanem traduxisse cognovit, spiritum ducere occœpit [8]. Plerique pro *mane* intelligunt *cito*, celeriter.

AD TE CONFUGI.] Hebræus [9] uti in Textibus, quos habemus, extat: *Cooperui versus te*, hoc est, cooperui me umbra tua, in tuam tutelam confugi. S. Hieronymus: *A te protectus sum.* Sed lectio, quam Septuaginta [10] secuti sunt, cæteris præstat.

℣. 10. QUIA AD TE ANIMAM MEAM LEVAVI.] Omnia in te vota mea, meamque spem contuli. Vel: Te ardenti amore concupivi. Levare animam suam ad aliquid, in Scripturarum stylo, illud vehementer appetere significat. Solve celeriter artifici laboris pretium, antequam Sol occidat, quoniam pauper est, *& ad illud elevat animam suam*, ait Moyses Deut. 24. 15. Numquam eam revertentur in terram, *ad quam elevant animam suam*, Jeremias inquit c. 22. 27. Vide Psalmum 24. 1. Fac, ut cognoscam viam, per quam mihi pergendum est, ut gratiam tuam rursus obtineam; id enim summa animi aviditate concupisco. Hoc belle quidem ad Babylonis captivos transfertur, non secus ac Versiculi 5. 6. 7. 11.

℣. 12. SPIRITUS TUUS BONUS DEDUCET ME IN TERRAM RECTAM [11].] Educes me de terra hac, ubi omnia

1 Psal. 129. 3. Aug. *Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam; coaptas me ad eam, & pravus invenior.* 2 Aug. *In tenebrosis.* 3 Chrysost. & Theod. hic.
4 Psal. 87. 6. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius*, &c.
5 Aug. *Tædium passus est in me spiritus meus.*
6 ותתעטף עלי רוחי Quid. Ἠκηδίασεν ἐπ' ἐμὲ ἡ ψυχή μου. 7 Psal. 62. 5. & 140. 2. &c.
8 2 Reg. 17. 12. 9 אליך כסיתי 10 70. Πρὸς σὲ κατέφυγον. Legisse videntur, חסיתי *Speravi.* Ita & Chald. 11 Ambros. lib. 3. de Spir. sancto c. 16. & Psalt. Rom. *In viam rectam.* 70. Complut. Ἐν γῇ εὐθείᾳ. Edit. Rom. Ἐν τῇ εὐθείᾳ. Alius apud Chrysost. Διὰ γῆς ὁμαλῆς.

omnia ardua, atque prærupta invenio, & constitues me in æquo solo, ubi facile possim incedere. Eodem in sensu ait Psal. 5. 9. *Dirige in conspectu tuo vitam meam*. Et Psal. 26. 11. *dirige me in semitam rectam*. Et Psal. 24. 12. *Pes tuus stetit in directo* &c. Hebræus ad litteram [1]: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectitudinis*; quam asserere possumus esse terram Israel, quæ alibi terra viventium, ac terra justorum vocatur [2]; quæ nomina illi peculiariter congruebant, tum maxime cum Babyloni conferebatur. *Spiritus bonus* significat Spiritum Sanctum, vivificantem, Creatorem, & conservatorem rerum omnium, atque omnium consolationum Auctorem. Ipsum quoque Deum, ipsius gratiam, & misericordiam denotare potest. Sunt, qui vertant: Da mihi ventum prosperum, qui me feliciter in patriam reducat. Se comparat nautæ in medio mari, timenti, ne submergatur.

℣. 14. IN MISERICORDIA TUA DISPERDES OMNES, QUI TRIBULANT ANIMAM MEAM.] Omnes eos scilicet, qui in Absalonis partes concesserunt. Neque falsus fuit vates. Omnes enim interierunt, immo & rebellis ipse, inhumanusque filius, licet præter voluntatem David, qui præceperat, ut vitæ illius parceretur [3]. Interitus inimicorum David effectus fuit, tum misericordiæ erga Regem hunc, tum etiam justę severitatis Dei adversus seditiosos subditos ejus.

1 רוחך טובה תנחני בארץ מישור 2 Psal. 68. 28. *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur*. Vide & 117. 19. *Aperite mihi portas justitiæ*. 117. 15. *In tabernaculis justorum*. Isai. 26. 2. 60. 21.
3 2. Reg. 18. 5.

PSALMUS CXLIII.

Gratiarum actio propter auxilium a Domino impetratum. Rogatur ille, ut Reges populi pacem perturbantes deleat. Pro Israelis pace, atque rerum affluentia vota nuncupantur.

Psalmus David, adversus Goliath.

ARGUMENTUM.

Verba hæc, *adversus Goliath*, vel *Goliam*, quemadmodum S. Augustinus, ac Romanum Psalterium legunt, neque in Hebræo, neque in Chaldæo inveniuntur. Theodoretus etiam testatur, eadem neque in Hexaplis Origenis, neque in castigatioribus Exemplaribus Septuaginta extitisse. Attamen S. Hilarius putat, epigraphem hanc a Septuaginta fuisse profectam, & veteres illos Interpretes superno afflatos lumine eam isthic addidisse. Alii aliter putant, & hanc additionem esse arbitrantur Græci cujuspiam longe recentioris, cujus auctoritas nullius est momenti. Hinc sane ortum est, quod nemo se teneri censuerit, ut eam amplecteretur; & hactenus integrum sibi esse quilibet ratus est in suo sensu abundare, in litterali, historicaque Psalmi hujus explicatione.

Chaldæus, licet titulum hunc minime legat, iis tamen favet, qui Psalmum hunc explicant, velut gratiarum actionem David, ob relatam de Goliath victoriam; namque ℣. 10. pro illis verbis: *Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno*, legit, *de gladio Goliath*. Syrus putat, a David fuisse compositum ad celebrandam victoriam, quam retulit de Asaph, fratre Goliath. Paralipomenon quidem liber primus cap. 20. 5. hoc factum attingit; sed victi gigantis nomen non memorat. Putant alii [1], a David conscriptum fuisse, qui totius Israel Rex inauguratus, & læta pace fruens nullis vel intestinis, vel externis lacessitus bellis, Deo isthic humillimas agit gratias. Videtur quidem citra quamcumque dubitationem Rex tunc fuisse [2]; ideoque non orat Dominum, ut sibi adversus Goliath præsidium ferat. Ferrandus censet, illum isthic eamdem adversus Philisthinos victoriam exposcere, cujus gratias agit Deo in Psal. 17. ℣. ℣. 32. 17. 20. 50.

Ab omnibus his sententiis longe recedunt Origenes, & Theodoretus, qui Psalmum hunc in illud tempus rejiciunt, quod post captivitatem subsecutum est, ac putant, recitatum fuisse a Zorobabel, ac Summo Sacerdote Jesu, ut Deo gratias agerent, ob victoriam sibi a Domino concessam adversus exercitum Gog, de quo apud Ezechielem c. 38. est sermo. Verum quidem est, quædam isthic adesse lineamenta, quæ satis cum Ezechielis descriptione consentiunt: sed hæ poeticæ sunt loquendi rationes, quæ ad quamlibet victoriam extraordinario Dei beneficio relatam, possunt transferri. Vetus Paraphrastes Græcus Psalmum hunc in Machabæorum usque tempora rejicit; & Patres illum vulgo explicant de J. C. Inferni, mortis, & peccati Victore. Kimchi, & Saadias Gaon hunc in tempus Messiæ referunt.

In Commentariis aliud ab iis, quæ hactenus proposuimus, systema sectabimur. Hoc est Canticum gratiarum actionis a Davide compositum, Absalonico bello confecto, subactisque rebellibus, qui in filii partes secesserant, iis etiam, qui faverant Sebæ filio Bochri, cujus defectio bellum Absalonis statim excepit. Propheta ℣. 10. suum nomen profert, seque Regem appellat: Deus, qui *das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum de gladio maligno: eripe me*. Duobus in locis [3] loquitur *de filiis alienis*, qui profecto alii non sunt, quam rebellis populus, atque filius humanitate quavis exutus. Deo gratias agit, quod populum ad officium redire coegerit ℣. 3. Ipse est, inquit, qui subdit populum meum sub me.

Tanta est inter Psalmum hunc, & 17. similitudo, ut asseri queat, hunc illius esse veluti compendium. Paucissimi sunt hujus versiculi, quorum fere sensus in Psalmo 17. non extet. In utroque fatetur David Deum suæ virtutis, ac roboris auctorem [4]; hunc suum esse patronum, sospitatorem, ac spem [5]; ab hoc non sine potentiæ ipsius miraculo fuisse e periculo ereptum; hunc Cœlos inclinasse, fulmina ejaculatum esse, terrorem in ho-

1 Vatab. Jun. 2 Vide vers. 3. 11. 8. Bossuet. & du Pin. hic.
3 Vers. 8. & 12. 4 Psal. 143. 1. & 17. 33. 34. 35. 40.
5 Psal. 143. 2. 3. cum 17. 2. 3. 4.

in hostes immisisse, eosque fudisse, & fugasse [1]. *De alienis filiis* mendacibus, infidelibus, rebellibusque, ac de inimicorum manu, quæ in ipsum irruerat, conqueritur [2]. Fatetur, Dominum Regum esse Protectorem, per hunc illos regnare, per hunc populos sibi subditos, ac dicto parentes habere [3]. Omnes hi characteres simul collecti in duobus his Psalmis, mea quidem sententia, probant, utrumque ab eodem Auctore profectum, ac David in Psalmo 17. quem sub extremum vitæ spatium elucubratus est, repetere, quod antea jam in præsenti cecinerat, cum recens adhuc erat beneficium, ac statim post finem civilis belli, quod in eum ipsius Filius succenderat.

1. BEnedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium, &
digitos meos ad bellum. 2 Misericordia mea, & refugium meum: su-
sceptor meus, & liberator meus. 3 Protector meus, & in ipso spera-
vi: qui subdit populum meum sub me. 4 Domine, quid est homo, quia in-
notuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? 5 Homo vanitati similis fa-
ctus est: dies ejus sicut umbra prætereunt. 6 Domine, inclina cœlos tuos, &
descende: tange montes, & fumigabunt. 7 Fulgura coruscationem, & dissipabis
eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos. 8 Emitte manum tuam de alto,
eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum. 9 Quo-
rum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis. 10 Deus
canticum novum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi. 11 Qui das
salutem regibus: qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, eripe me.
12 Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem,
& dextera eorum, dextera iniquitatis. 13 Quorum filii sicut novellæ plantatio-
nes in juventute sua. 14 Filiæ eorum compositæ: circumornatæ, ut similitudo
templi. 15 Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. 16 Oves eo-
rum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boves eorum crassæ. 17 Non est rui-
na maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum: 18 Beatum dixe-
runt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

℣. 1. BENEDICTUS DOMINUS ... QUI DOCET MANUS MEAS AD PROELIUM.] A Hebr. [4] *Benedictus Dominus, rupes mea, quæ docet manus meas ad prælium.* Si quam nominis existimationem belli mihi comparo, Domine, si quando cœptis meis fortuna non abfuit, hoc tibi uni acceptum referre debeo. In Psalmo 17. ℣. 33. 34. 35. similiter fatetur sibi a Deo robur in prœlio, atque eorum pernicitatem collatam fuisse; ab eodem manus suas ad arma tractanda edoctas, & brachia, æque ac æs, fortia effecta &c.

℣. 2. MISERICORDIA MEA, ET REFUGIUM MEUM.] Omnia Dei nomina desumpta sunt e beneficiis, quæ nobis impertit: *Quot nomina, tot beneficia* [5]. Hebræus ad litteram [6]: *Misericordia mea, arx mea, altitudo mea, liberator meus, clypeus meus.* Confer Psal. B 17. ℣. 1. 3. 4.

℣. 3. QUI SUBDIT POPULUM MEUM SUB ME.] Ipse me Regem Israel constituit; ipse ad officium revocavit populum hunc, qui Absalonem secutus, me dereliquerat.

Hebræus in plurali numero legi potest [7]: *Qui subdit populos sub me*, ac intelligi de populis a Davide subactis. Psalmus 17. 48. & 2. Reg. 22. 48. Chaldæus, & Syrus legunt in plurali, neque aliter Rabbini intelligunt [8]. Sed hæc legendi ratio nostram explicationem non evertit, Israelitæ enim ad officium redire coacti, erant ex eorum populorum numero, quos David subegerat.

℣. 4. QUID EST HOMO, QUIA INNOTUISTI EI?] Quid ego sum, Domine, ut merear, quod cogites de C me, ac temet prodas flagitioso mortali, qualis ego sum? Quis ego, ut tot in me collata beneficia mereri potuerim? Grati animi affectu licet extra se quodammodo raptus, non potest tamen, quominus ad se redeat, seque cum Deo conferens infinitam admiretur Domini sui largitatem, qui se se adeo non dedignatur demittere, ut de illo cogitet [9]. Hebræus [10]: *Quid est homo? & cognoscis illum: & filius hominis?* ac de illo cogitas. Confer Job. 7. 17. & Psal. 8. 5. S. Augustinus legit: *Aut filius hominis, quia æstimas eum?* Tanti illum fecisti, ut pro eo Filium tuum tradideris. Rom. 8. 31.

℣. 5. HOMO VANITATI SIMILIS FACTUS EST.] Ecce, Domine, quid sum; ecce creaturam hanc, ad quam providentiæ tuæ effectus extendere non dedignaris. Symmachus [11]: *Homo vapori similis est.* Theodotion: *aeri.* Homo nihil est, & momento viget, ac statim evanescit. *Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinde exterminabitur* Jacob. 4. 15.

℣. 6. INCLINA COELOS TUOS, ET DESCENDE; TANGE MONTES &c.] Semet exhibet velut adhuc medium inter inimicos suos: tunc dixi tibi, Deus, inclina cœlos, & mihi opem accelera; in nubibus veni, quæ currum tuum a ventis actum, constituunt; ostende te super montium juga, uti olim in Sinai [12], & accedente Majestate tua montes hos ignescere, ac fumo involvi videbimus. Hæc poetica est descriptio auxilii, quo illum Deus miraculose dignatus est. Confer ea, quæ ipse ait Psalmo 17. ℣. 8. 9. 10. ac ibi eadem lineamenta deprehendes.

Nonnulli [13] montium nomine isthic superbos intelligunt, quos Deus iratus percutit; S. Augustinus sæculi dignitates, & S. Hilarius invisibiles potestates interpretatur. Vetus Interpres Græcus [14]: *Cum nubes inclinasti, descendisti, & montes percussisti; hi fumigarunt.*

FUL-

1 Psal. 143. 5. 6. 17. 8. 9. 10. 2 Psal. 141. 7. 8. 9. 17. 17. 18. 44. 45. 46.
3 Psalm. 143. 1. & 10. 17. 31. 48. 4 ברוך יהוה צורי 5 Hieron. hic.
6 חסדי ומצודתי משגבי ומפלטי לי מגני 7 הרודד עמי תחתי
8 Vide Geier. hic. 9 Heracl. Theodoret. 10 מה ארם ותדעהו בן אנוש ותחשבהו Symm. Τί ἄνθρωπος ὅτι γνωρίζεις αὐτόν. Aquil. Τί ἄνθρωπος καὶ γνώσῃ αὐτόν. *Et nosces ipsum.*
11 Sym. Ἀτμῷ ὡμοιώθη. Th. Ἀτμίδι. 12 Exod. 19. 16. 18. *Totus autem mons Sinai fumabat.*
13 Origen. Hieron. Chrys. 14 Apud Heraclæot. & Chrys. Κλίνεται τὸ ἐκεῖνος, καὶ κατέβη, καὶ ἐψηλάφησε τῶν ὀρέων ἐκκαπνισθέντων.

℣. 7. FULGURA CORUSCATIONEM, EMITTE SAGITTAS TUAS &c.] Sagittæ Dei ſunt fulmina, fulgura, tempeſtates, tonitrua, quæ alibi vocat tela ignita, carbones ardentes. Hæc eſt deſcriptio poetica. Vide Pſal. 17. ℣. 9. 10. 11. 15. Pſal. 7. 14. & 76. 18. & 119. 4. Habac. 3. 11.

℣. 8. LIBERA ME DE AQUIS MULTIS.] Hæ aquæ, atque hæc inundatio inimicorum, vel afflictionum multitudinem ſignificat [1]. David ſæpe maxima obierat pericula; verum non alias tanto in diſcrimine verſatus fuerat, quam eum ab eo Abſalon, populique ſui defecerant; ad quod præcipue videtur alludere, quandoquidem addit, *libera me de manu filiorum alienorum*; quod ipſum ſuperius repetit ℣. 12. & in Pſalmo 17. 46. ubi magis adhuc explicite ait: *Filii alieni mentiti ſunt mihi*, a fide mea defecerunt, *filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt a ſemitis ſuis*. Eos autem per antiphraſim *alienos filios* appellat, eo quod veluti alieni, immo alienis pejus, ſecum egerant: nationes enim, quas ſubegerat, non receſſerant ab officio, cum interim univerſus Iſrael Abſaloni faveret. Hoc eodem in ſenſu Prophetæ nonnumquam Hebræos vocant ſemen Chanaan, & non Juda, vineam alienam, populum incircumciſum, reprobatam, ignotamque nationem.

℣. 9. QUORUM OS LOCUTUM EST VANITATEM; & DEXTERA &c.] En deſcriptionem populi vagi, inconſtantis, atque rebellis. Ea, quæ mihi promiſerat, violavit; fidem perfregit. Os illius eſt os *vanitatis*; vel potius *mendacii*, atque perjurii, (ſæpius enim vanitas mendacium ſignificat: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum* [2], hoc eſt, non pejerabis) dextera vero, quam extulit ad jurandum, eſt *dextera mendacii* juxta hebraicum textum [3]. Hoc ipſum iiſdem verbis inferius exprobrat ℣. 12.

℣. 10. IN PSALTERIO DECACHORDO.] Hebræus [4], & Chaldæus: *in Nablo decachordo*. Vide noſtram de muſicis Inſtrumentis Diſſertationem.

℣. 11. QUI DAS SALUTEM REGIBUS, QUI REDEMISTI [5] DAVID &c.] Deus Omnipotens, auctor virium, & felicitatis Regum, ſine quo omnes omnium hominum vires inanes ſunt; qui me toties ex graviſſimis eripuiſti periculis, & præſertim de gladio Goliath, ne mihi hoc tempore auxilium tuum deneges. Loquitur, perinde ac eſſet adhuc periculo obnoxius, in medio populi ſui rebellis, ac novarum rerum ſtudioſi. Propheta eodem ferme loquitur modo in Pſalmo 17. 51. *Magnificans ſalutes Regis ejus, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo David, & ſemini ejus uſque in ſæculum*.

℣. 13. QUORUM FILII SICUT NOVELLÆ PLANTATIONES IN JUVENTUTE SUA [6].] Inimici, infideles ſubditi mei eo magis inexcuſabiles ſunt in defectione ſua, quo magis bonis referti ſunt, ac familia eorum magis eſt frequens, & florens. Nulla ipſis aderat cauſa, quamobrem de regimine meo quererentur. Quid autem ex regni immutatione, atque in bello pluſquam civili ſe aſſecuturos ſperabant? Hoc fortaſſe illis utile eſſe poterat, quorum res afflictæ eſſent, ac perditæ. Innuit autem, opulentiores, atque magis ſpectabiles e populo Abſaloni fuiſſe velificatos. Filii eorum, ait Propheta, ſimiles ſunt arboribus, quæ adoleſcunt ſucco, & virtute plenæ, & quæ altius jam radices miſerunt.

Hebræus [7]: *filii noſtri ſunt velut plantæ, quæ in ipſa juventute ſua magnæ ſunt*; optimo innutritæ ſucco, ac maturato validæ effectæ. In reliqua Pſalmi parte a Septuaginta, & Vulgata penitus differt. Septuaginta impiis omnes has benedictiones, & commoda tribuunt; ſed Hebræus eas bonis optat. Filii noſtri ſint velut novellæ plantationes bene innutritæ, ac filiæ noſtræ tamquam olivæ, atque tauri noſtri pingues &c. Cæterum veteres Interpretes legerant, uti Septuaginta, quemadmodum ex ℣. 17. innoteſcit.

℣. 14. FILIÆ EORUM COMPOSITÆ; CIRCUMORNATÆ, UT SIMILITUDO TEMPLI.] Hoc eſt, ut Idolum Templi, vel ut Templum. Omni ea pulchritudine affulgent, quam natura, & ars poſſunt conferre. Hebræus [8]: *Filiæ noſtræ ſint velut anguli graphice ornati in ædificatione Templi*. Procero ſint corporis habitu, ornatæ, atque expolitæ, quemadmodum anguli in Templo. Levi Textus immutatione, ita redderem [9]: *Filiæ noſtræ ſunt velut olivæ, ornatæ veluti ſtructura Templi*, vel magnificæ domus. Filii etiam Pſal. 128. 3. olivis comparantur. Jeremias 11. 16. & Oſeas 12. 7. ajunt, populum Domini proſperitatis tempore, olivæ ſimilem fore. Canticorum Sponſus Sponſam palmæ comparat cap. 7. 7. quod ipſum præſtat Homerus Odyſſ. Z. cum Nauſicaa Antinoi Regis filia. Hæ ſimilitudines adoleſcentum corporis proceritate, atque forma præſtantium cum proceris, ſpecioſiſque arboribus, tunc cum maxime vigent, & florent, longe magis appoſitæ ſunt, quam quæ ab angulo ædium deſumuntur.

℣. 15. PROMPTUARIA [10] EORUM PLENA &c.] Heb. [11] *Promptuaria noſtra referta ſunt, exundantia ex hoc in illud*: vel *ex una ſpecie in alteram*. Segetum acervi diverſi generis adeo ingentes ſunt, ac vaſti, ut unus ab alio ſepoſitus conſiſtere nequeat. Loci, ubi continentur, nimium anguſti ſunt, illi ſe ſe commiſcent, invicemque confundunt. Chaldæus: *Ex anno in alium exuberant*. Hujus anni fructus cum anni elapſi fructibus commixti ſunt. Hæc ingens eſt bonorum cujuſlibet generis copia. Veteribus nequaquam abſumptis, recentia adſunt, quæ veteribus ſuperjiciuntur. Vide ſimilem ferme deſcriptionem Levit. 26. ℣. 10. 12. *Comedetis vetuſtiſſima veterum; & vetera novis ſupervenientibus projicietis*.

℣. 16. OVES EORUM FOETOSÆ &c.] Hebræus [12]: *Oves noſtræ* (vel minutum pecus, quod capras ſimul, & oves complectitur) *millenæ, ac denæ millium in plateas noſtras ingrediuntur*. Chaldæus: *oves agnos pariunt millenos, ac denos millium in ovilibus noſtris*. Antiqua Pſalteria [13]: *Abundantes in itineribus ſuis*, pro *in egreſſibus ſuis*.

℣. 17. OVES EORUM CRASSÆ [14]: NON EST RUINA MACERIÆ &c.] Hebræus [15]: *Vaccæ noſtræ felici partu enituntur, non abortus, non ſterilitas; non mugitus eſt in ſtabulis noſtris* [16], vel in plateis. Vaccæ tunc mugiunt, cum vituli ipſarum vel depulſi, vel mortui ſunt. Alii aliter intelligunt: *Tauri noſtri ſarcinas ferre conſueverunt; non eſt ruina*, in mœnibus noſtris, *non abactio* pecorum noſtrorum, *non ejulatus* lugubres *in plateis*. Sed priorem verſionem anteferendam cenſeo. Symmachus [17]: *Non eſt ruina, funus, non luctus in publicis compitis eorum*.

℣. 18. BEATUM DIXERUNT POPULUM, CUI HÆC SUNT &c.] Mortales felicem eum eſſe populum cenſent, qui in rerum affluentia, honoribuſque verſatur. Non luctus, non vulnera ſunt domi illius. Non pati-

1 Heraclæota, Chryſoſt. Theodoret. Pſal. 123. 5. Iſai. 8. 8. 28. 2. & paſſim.
2 Exod. 20. 7. Deut. 5. 11. 3 וימינם ימין שקר 4 בנבל עשור
5 Hilar. Pſalter. Rom. S. Germ. Mediol. Carnut. *Qui redimes*. 6 Aug. *Sicut novellæ ſtabilitæ in juventute ſua*. Pſalt. Rom. & Mediol. *Sicut novellæ plantationes ſtabilitæ a juventute ſua*. Pſalt. S. Germ. & Carnut. *Sicut novella plantationis ſtabilita a juventute ſua*. S. Hilar. *Sicut novella plantatio*, &c. 70. Ὡς υἱοὶ αὐτῶν ὡς νεόφυτα ἱδρυμένα, ἐν τῇ νεότητι αὐτῶν. 7 אשר בנינו כנטעים מגדלים בנעוריהם Aquil. Ὡς νεόφυτα μεμεγαλυμμένα. Sym. Ηὐξημένα. 8 בנותינו כזוית מחטבות תבנית היכל Aquil. Ὡς ἐπιγώνια διασκευασμένα. Sym. Κεκοσμημένα. 9 Lego זית *Oliva*, pro זוית *Angulus*.
10 Hieron. in Comment. *Cellaria*. 11 מזוינו מלאים מפיקים מזן אל זן
12 צאננו מאליפות מרבבות בחוצותינו 13 Pſalt. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut.
14 Aug. *Craſſi*. 15 אלופינו מסבלים אין פרץ ואין יוצאת ואין צוחה ברחובותינו
16 Vide Boch. de anim. ſacr. l. 2. c. 30. 17 Sym. Οὐκ ἔστι διακοπή, οὐ ἐκφορά, οὔτε κωκυτὸς ἐν ταῖς ἐπαύλεσιν αὐτῶν. Ita & alii Interpr. apud Theodoret. Alius: Ἐν ταῖς ἐπαύλεσιν αὐτῶν. *In caulibus eorum*.

tur mala, reliquis mortalibus communia. *Non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*, ait Propheta Psal. 72. 4. 5. Verum non est hæc Beatitudo Sanctorum; non hæc hæreditas eorum, qui veri sunt secundum spiritum, Israelitæ: quorum spes Deus est: *Ego ero merces tua magna nimis*. Dæmon sectatoribus suis divitias pollicetur, sed ut illis inferat mortem: Jesus Christus vero offert Discipulis suis paupertatem, & crucem, sed ut eos beatos efficiat: *Diabolus promissis divitias, ut occidat, Christus paupertatem pollicetur, ut salvet* [1]. Hebræus legit [2]: *Beatus populus, cui sunt hæc omnia! beatus populus, qui Dominum habet in Deum*. In omnibus versiculis loquitur de Israelitis. Beatus populus tuus, Domine, quod & temporalibus benedictionibus tuis cumulatus est, & tibi famulatur.

---

1 Hieron. hic. 2 אשרי העם שככה לו אשרי העם שיהוה אלהיו

PSALMUS CXLIV.

Laudes Domini. Magnitudo illius, potentia, providentia, misericordia erga suos & omnia creata celebratur; hæc autem omnia ad Dominum laudandum invitantur.

Laudatio ipsi David.

ARGUMENTUM.

Psalmus hic, & sequentes quinque divinis laudibus referti sunt. Ab *Halleluja*, quæ vox, *Dominum laudate* significat, exordium sumunt, ac in eamdem desinunt. Hoc est Canticum gratiarum actionis, ac præstantissimum elogium attributorum, ac beneficiorum Dei: sed quo tempore compositum fuerit, nos fallit. Ferrandus hoc a Judæis de servitute reversis compositum putat, qui Deo gratias agunt ob ea, quibus a Deo in exilio suo cumulati fuerunt, beneficia. Nullum tamen adest vestigium, quod in eam nos sententiam compellat; & vix crediderim, Auctori Psalmum hunc elucubranti, peculiare aliquod factum ob oculos fuisse obversatum.

Rabbini Psalmum hunc adeo habent in pretio, ut asserere non ambigant, quicumque ter illum in singulos dies recitaverit, alterius vitæ beatitudine esse fruiturum; non sufficit tamen, ait Kimchi, illum ore tenus pronuntiare, sed labiorum, & linguæ motibus cordis attentio est adjungenda. Acrostychus est, vel Alphabeticus. Sed in Hebraico textu deest versiculus, qui juxta alphabeticum ordinem a littera *Nun* ordiri deberet. Defectus hic negotium facessit Hebræis, qui operam ludunt, rationem inquirentes, cur hæc littera desit. Sed probamus, illam olim non abfuisse, testimonio Syriacæ Versionis, Græcæ, Vulgatæ, & Arabicæ, ubi versiculus, qui illi respondet, invenitur. In Vulgata quidem ille est, *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, &c. qui refertur ad Hebræum *Neeman Jehovah* &c. qui non extat amplius. Non desunt isthic prædictiones satis perspicuæ de vocatione Gentilium, de regno Salvatoris, ac Ecclesiæ ipsius institutione. S. Chrysostomus refert, eos, qui recens baptismate initiabantur, Canticum hoc recitare consuevisse, ut gratias agerent ob cœleste pabulum, quod acceperant in Communione Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI.

1. EXaltabo te, Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in
sæculum sæculi. 2 Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen
tuum in sæculum, & in sæculum sæculi. 3 Magnus Dominus, & lauda-
bilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis. 4 Generatio, & generatio lauda-
bit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt. 5 Magnificentiam gloriæ sancti-
tatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. 6 Et virtutem terribilium tuo-
rum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt. 7 Memoriam abundantiæ suavitatis
tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt. 8 Miserator, & misericors Dominus:
patiens, & multum misericors. 9 Suavis Dominus universis, & miserationes ejus
super omnia opera ejus. 10 Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, &
Sancti tui benedicant tibi. 11 Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam lo-
quentur. 12 Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magni-
ficentiæ regni tui. 13 Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, & dominatio
tua in omni generatione, & generationem. 14 Fidelis Dominus in omnibus ver-
bis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. 15 Allevat Dominus omnes, qui
corruunt: & erigit omnes elisos. 16 Oculi omnium in te sperant, Domine, &
tu das escam illorum in tempore opportuno. 17 Aperis tu manum tuam; & im-
ples omne animal benedictione. 18 Justus Dominus in omnibus viis suis, & san-
ctus in omnibus operibus suis. 19 Prope est Dominus omnibus invocantibus eum:
omnibus invocantibus eum in veritate. 20 Voluntatem timentium se faciet, & de-
precationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos. 21 Custodit Dominus omnes
diligen-

diligentes se, & omnes peccatores disperdet. 22 Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.

℣. 1. EXALTABO TE, DEUS MEUS REX [1].] Hoc est Psalmi totius argumentum: qui in Deo præcipue Regis, atque creatorum omnium Domini, dignitatem commendat.

℣. 3. MAGNITUDINIS EJUS NON EST FINIS.] Magnitudo Dei nequaquam fluxa est, ac temporum vicibus obnoxia; nec initium habet, nec finem. Hebr. [2] *Magnitudo illius ea non est, quæ perlustrari queat*, ac intelligi. *Fecit magna, & inscrutabilia, & mirabilia absque numero*, ait Job. 5. 9.

℣. 4. GENERATIO, ET GENERATIO LAUDABIT OPERA TUA.] Omnibus sæculis, & ab omnibus terrarum Gentibus laudaberis. Gentilium ad fidem vocatio portenditur [3]. Hebræus [4], & Syrus: Generatio narrabit, laudabit, jactabit alteri generationi mirabilia opera tua.

℣. 5. MAGNIFICENTIAM GLORIÆ SANCTITATIS TUÆ LOQUENTUR [5].] Acervus hic vocabulorum, atque attributorum Divinitatis, significat magnitudinem sensuum Prophetæ, ac sublimem ideam, quam de Divino hoc objecto, quo plenus erat, conceperat. Mens, & lingua illius vix pares sunt sensibus, quos aliis inspirare vellet, exprimendis. Hebræus [6]: *loquentur de pulchritudine, gloria, & magnificentia tua*, vel *prædicabunt pulchritudinem gloriæ, quæ magnitudinem tuam comitatur*.

ET MIRABILIA TUA NARRABUNT.] Hebræus [7]: *narrabo verba*, vel res *mirabilium tuorum*. Vulgatæ sensus magis appositus est, ac naturalis.

℣. 6. VIRTUTEM TERRIBILIUM TUORUM DICENT.] Hoc explicatur præcipue de effectibus ultionis, & iræ Dei: illius, exempli causa, quam adversus Ægyptios, & Chananæos exercuit [8].

℣. 7. ET JUSTITIA TUA EXULTABUNT.] Lætabuntur prædicantes justitiam tuam, eam videlicet, qua amicos tuos protegis, ultionem, quam adversus impios exerces. Vetus quidam Græcus Interpres [9] legebat: *laudabunt misericordias tuas*. *Justitia* non raro pro misericordia usurpatur, quæ quidem significatio belle huic loco convenit.

℣. 9. MISERATIONES EJUS SUPER OMNIA OPERA EJUS.] Illius misericordia in omnibus operibus ejus effulget. Ad omnes homines se extendit, Judæos, Ethnicos, Barbaros; eosque universos ad salutem invitat; ac illis excipiendis semper præsto est. Hæc omnibus manum porrigit. Propheta videtur isthic Gentilium vocationem ad Fidem vaticinari. Sunt, qui hoc pacto intelligant: *Misericordia ejus excellit omnibus operibus illius*. Sed hæc explicatio litteralis non est. Ferrandus: Domini misericordia ad universum Israel se extendit. Populus Domini crebro opus illius appellatur. Vide Psal. 89. 18. & 137. 8. Sequens versiculus sententiæ huic non parum suffragatur.

℣. 10. CONFITEANTUR TIBI, DOMINE, OMNIA OPERA TUA.] Opera Domini illius potentiam prædicant, eo quod nobis essentiæ illius argumenta suppeditant, nobisque præbent occasionem laudandi eam, ejusque sapientiam, fortitudinem, ac providentiam commendandi [10]. Vide Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei* &c. *Opera Dei* denotare hic possunt populum Domini propter ea, quæ sequuntur, ubi prioris membri repetitio esse videtur; *Sancti tui benedicant tibi*; Amici tui, servi tui [11], populus tuus te laudibus prosequatur.

℣. 12. POTENTIAM TUAM, ET GLORIAM MAGNIFICENTIÆ REGNI TUI [12].] Hebræus [13]: *Fortitudinem suam, & gloriam pulchritudinis regni sui*. Hic quoque synonymorum acervus videtur ad sublimem illam ideam exprimendam, quam Propheta de Domini regno conceperat.

℣. 14. FIDELIS DOMINUS &c.] Summa fide, quæ spopondit, exequitur; nihilque nisi justum, perfectumque operatur. Versiculus hic neque in Hebræo textu adest, neque in Chaldæo. Neque ibi aderat ævo Symmachi, Aquilæ, ac S. Hieronymi. Syriaca versio hunc legit, verum non liquet, utrum illum ex Hebraico fonte, vel a Septuaginta depromserit. Hoc tamen constat, in Hebraico textu istius omissionem inveniri, & versiculum hunc requiri necessario ad explendum numerum duarum, & viginti litterarum, quæ juxta alphabeticum ordinem debent inchoare versiculos. Illam in Textu suo Septuaginta legebant, nec difficile est, eum, ipsis opem ferentibus, supplere [14].

℣. 16. OCULI OMNIUM IN TE SPERANT, DOMINE.] Creata quælibet a te victum, atque escam, uti filii a parentibus, a Dominis famuli expectant. Vide Psal. 104. ℣. 27. 28. & 122. 2.

℣. 17. APERIS TU MANUM TUAM; ET IMPLES OMNE ANIMAL BENEDICTIONE [15].] Eis abunde, ac facile tribuis. Sufficit, te aperire manum, ut eos bonis repleas [16]. Hebræus [17]: *Saturas appetitum omnium animantium*.

℣. 19. INVOCANTIBUS EUM IN VERITATE.] In sinceritate, cum rectitudine cordis. Non sufficit invocare Deum, ait Theodoretus, sed in veritate invocandus est, & exercenda justitia. *Non omnis, qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum*, ait Jesus Christus in Evangelio Matth. 7. 21.

℣. 20. VOLUNTATEM TIMENTIUM SE FACIET.] Obtemperabit quodammodo desideriis eorum, uti fecit cum Moyse, ac tot aliis Sanctis, quibus virtutem faciendi prodigia concessit. Paruit ille voci Josue, efficiens, ut ad nutum illius Sol consisteret: *Obediente Deo voci hominis*, inquit de hoc loquens Scriptura [18]. Vel potius: Eos voti damnabit; eos in necessitatibus suis clamantes exaudiet, illis opem non denegabit.

---

1 Aug. Hilar. *Deus meus, Rex meus*. Ita 70. Ὁ Θεός μου, ὁ βασιλεύς μου.
2 לגדלתו אין חקר 3 Theodoret. 4 דור לדור ישבח מעשיך
5 Hilar. Psalt. Rom. Carnut. *Magnificentiam majestatis tuæ, & sanctitatem tuam loquentur*.
6 הדר כבוד הודך ידברו Quid. Ὡραιότητα τῆς ἁγιωσύνης σου. Al. Τὴν μεγαλοπρέπειαν τῆς δόξης τῆς ἁγιωσύνης σου.
7 ודברי נפלאותיך אשיחה Quid. Καὶ τοὺς λόγους τῶν παραδόξων σου διηγήσονται.
8 Vide Hieron. & Theodoret. 9 Quid apud Chrys. Καὶ τὰς ἐλεημοσύνας σου εὐφημήσουσι.
10 Hieron. Theodoret. hic. Vide & ad Psal. 148. Hilar. Aug. Chrysost. 11 וחסידיך יברכוכה
12 Aug. *Et gloriam magnitudinis decoris regni tui*. 13 גבורותיו וכבוד הדר מלכותו
14 70. Πιστὸς Κύριος ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις αὐτοῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. Legebant in Heb. נאמן יהוה בכל דבריו וחסיד בכל מעשיו 15 Hilar. *Omnem animam benedictione*. 16 Theodoret. hic.
17 משביע לכל חי רצון 18 Josue 10. 14.

PSALMUS CXLV.

Se excitat Propheta ad Dominum laudandum. Fiducia nequaquam collocanda est in Principibus, neque in filiis hominum, sed in uno Deo, cujus potentia, & bonitas sunt infinitæ.

Alleluja: Aggæi, & Zachariæ.

ARGUMENTUM.

Aggæi, & Zachariæ nomina, quæ in Psalmi hujus fronte Vulgata legit, non in Hebraico textu, neque in Chaldæo reperiuntur. SS. Augustinus, & Chrysostomus eorum non meminerunt. Theodoretus ea in Hexaplis non invenit: sed SS. Hilarius, atque Athanasius, a Septuaginta addita fuisse arbitrantur; & Psalmi decursus nihil habet, quod illi repugnet tempori, quo uterque Propheta degebant, seu referatur in tempus Babylonicæ captivitatis cum Ferrando, seu post reditum de Babylone rejiciatur cum Syriaca Versione, Grotio, aliisque non paucis. Ego quidem reor, post captivitatem fuisse compositum, cum Cyrus, cui Judæorum hostes dolose, ac nefarie falsa quædam retulerant, antiquavit facultatem Templi ædificandi, quam illis concesserat, cum eos in patriam redire permiserat [1]. Aggæus, & Zacharias alludere videntur huic immutationi voluntatis Cyri, cum inquiunt: *Nolite confidere in Principibus*. Reliqua Psalmi pars est adhortatio ad populum, ut in Domino confidat. Suspicor autem, Psalmum hunc, & reliquos ad finem usque Psalterii unum dumtaxat prolixius Canticum efficere, quod in celebritate Dedicationis murorum Jerusalem fuit decantatum [2]. Auctor rem altius orditur. Cyrus Judæis permiserat, ut Templum, ac urbem Jerusalem e ruderibus excitarent. Eorum inimici adnisi sunt, ut edictum hoc abrogaretur. Cum populus operi huic non vacaret amplius, ac in id unum incumberet, ut sedem sibi ea in regione communiret, Deus illi sterilitatem, ac famem immisit. Aggæus imbrem, ubertatemque promittit, si cœptum, intermissumque opus recepissent; rursus illi adlaborarunt, nec distulit imber, quemadmodum Psalmo 146. refertur. Nehemias rediit a Rege Persarum facultate rursus impetrata. Muri Jerusalem ædificati sunt, quod Psalmo 147. narratur. Post hæc dedicatio celebrata est, & gratiæ peractæ, quæ in sequentibus tribus Psalmis continentur. Vox *Hallelu-ja* fronti inscripta quædam lætitiæ vox erat, qua ad laudes Domini devote recitandas se se mutuo excitabant [3]. Fatetur quidem S. Hilarius, Psalmum hunc esse Zachariæ, & Aggæi, sed putat præcipuum eorum intuitum fuisse cœlestem Jerusalem, cujus typus dumtaxat erat illa terrestris.

1. LAuda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo
meo, quandiu fuero. 2 Nolite confidere in principibus; in filiis homi-
num, in quibus non est salus. 3 Exibit spiritus ejus, & revertetur in
terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. 4 Beatus, cujus
Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: qui fecit cœlum, & ter-
ram, mare, & omnia, quæ in eis sunt: 5 Qui custodit veritatem in sæculum,
facit judicium injuriam patientibus: dat escam esurientibus. 6 Dominus solvit
compeditos: Dominus illuminat cœcos. 7 Dominus erigit elisos, Dominus diligit
justos. 8 Dominus custodit advenas, pupillum, & viduam suscipiet, & vias pec-
catorum disperdet. 9 Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion, in generatio-
nem, & generationem.

℣. 1. LAUDABO DOMINUM IN VITA MEA.] In uno te, Domine, constantem amorem, ac perpetuam benignitatem invenio. Tu unus mereris, ut corda nostra tibi insolubiliter adhærescant; teque laudum nostrarum perenne faciamus argumentum. Tu neque immutationi, neque morti, neque errori obnoxius es, ut ii, in quibus homines suam spem collocant. Te omnibus diebus vitæ meæ celebrabo.

℣. 2. NOLITE CONFIDERE IN PRINCIPIBUS.] Si Rex aliquis mereretur, ut in ipso omnem fiduciam constitueremus, hic sane Cyrus esset. Nos ille suis beneficiis cumulaverat, nobis ille libertatem reddiderat, nostrum ille se patronum professus fuerat, suamque Religionem ostenderat, sacra vasa restituens, atque ut Templum iterum excitaretur, integrum nobis relinquens. Attamen Regis hujus Religio decepta fuit, cor ejus immutatum, facultatem Templi extruendi, quam ipse concesserat, idem abrogavit. Verumtamen hoc minimum obesse debet, quominus Deum laudibus prosequamur; quandoquidem propter ipsius Misericordiam libertate fruimur, ac in patria nostra versamur. In uno Deo omnis nostra spes est collocanda; ab eo omnia nobis expectanda. Rex mortalis est, homo est, immutationi obnoxius est. Vita illius brevis, potestas certis circumscripta finibus, cognitio ejus dubia, gratia incerta: *In filiis hominum, in quibus non est salus*. Principes nihil amplius sunt, quam homines; illi nec se, neque alios eruere possunt ex sexcentis, quæ semper imminent, periculis.

℣. 3. EXIBIT SPIRITUS EJUS, ET REVERTETUR [4] IN TERRAM SUAM.] Princeps, non secus ac novissimus

1 Vide 1. Esdr. 1. 3. & 4. 4. 5. 19. 20. 21. 23. 24.

2 2. Esdr. 13. 27.

3 Tob. 13. 18. seu 20. Apoc. 19. 1. 3. 4. 6.

4 *Revertetur*; supple *homo*, vel *princeps*; nam verbum Hebræum est in genere masculino, neque refertur ad *Spiritus*, quæ vox in hac lingua est generis fœminini. תצא רוחו ישב לאדמתו

mus quilibet e popello morietur. Anima ipsius [1] a corpore ejus recedet, & caro ex limo concreta revertetur in limum. *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat*, ait Sapiens Eccle. 12. 7. *& spiritus redeat ad Deum, qui dedit illi*. A

IN ILLA DIE PERIBUNT OMNES COGITATIONES EORUM.] Omnes Principum, omniumque mortalium, qui in illis spem suam constituerunt, cogitationes, urbium expugnandarum, triumphorum, fortunarum, dignitatumque comparandarum, in ipsa morte evanescent.

℣. 4. BEATUS, CUJUS DEUS JACOB &c.] Deus fortis, Potens Israelis. Vide Genes. 49. 29. *Per manus potentis Jacob*; & Psal. 131. 2. juxta Hebræum: *vovit Forti Iacob*.

℣. 5. QUI CUSTODIT VERITATEM IN SÆCULUM.] Hac in re omnino alius a filiis hominum, & a Principibus, quorum promissiones adeo parum certæ sunt, & verba errori adeo obnoxia. Hoc autem apertius intelligebant Judæi post Cyri exemplum; qui illis antea præclarum adeo elementiæ suæ specimen præbuerat. B

FACIT JUDICIUM INJURIAM PATIENTIBUS.] De Babyloniorum manibus nos eduxit, ac illatas nobis per summum nefas contumelias est ultus. Nos etiam de Samaritanis, aliisque hostibus, qui apud Cyrum, atque Consiliarios ejus nomen nostrum falso detulere, ulciscetur.

℣. 6. DOMINUS SOLVIT COMPEDITOS.] De captivitate, ubi tamquam in horribili carcere detinebamur, nos eruit; eruere quoque poterit de jugo Persarum, & abrogare allatum nobis edictum, quo Templum ædificare prohibemur. Tempus aptum expectandum est.

ILLUMINAT COECOS [2].] Nos de tenebris mortis, de sepulchri obscuritate, de cœcitate, ad quam eramus redacti, de malis, quibus obruti eramus, nos eruit. Hæc omnia liberationem de captivitate, ac in sublimiori sensu Evangelii prædicationem significant [3].

℣. 7. DILIGIT JUSTOS.] Populum suum amat. Israelitæ sæplus *justi*, misericordes, vel *Asidai*, pii, & opus Domini appellantur. Vide Psalmos 96. 11. 115. 5. 144. 21.

℣. 8. CUSTODIT ADVENAS [4].] Eos protegit, ac regit. Advenæ fuimus Babylone; ille servavit nos, nobisque attulit præsidium. Eramus velut orphani, & natio nostra veluti vidua; ipse in suam tutelam nos excepit, atque de inimicorum nostrorum tyrannide liberavit. *Pupillum, & viduam suscipiet*. Vide Psal. 112. 9. Isai. 49. 21. 54. 1.

VIAM PECCATORUM DISPERDET.] Babylonii veteres inimici nostri, & Samaritani recentes nostri persecutores interibunt. Non permittet Deus, innocentiam, nostramque infirmitatem, illorum nequitia, & invidia superari. Viam eorum subvertet; deteget pravam illorum fidem, injustas eorum criminationes puniet; eos erubescere faciet.

℣. 9. REGNABIT DOMINUS IN SÆCULA.] Certo scimus, Deum nostrum non mori, potentiam illius nullo esse limite circumscriptam, ipsum fidelem esse in promissionibus suis. Itaque ne confidamus in Principibus, sed solum in Domino. Hæc est totius Psalmi conclusio.

---

1 Theodoret. Hieron. alii. 2 Aug. *Dominus sapientes facit cæcos*. Hilar. *Sapientificat*. 70. Κύριος σοφοῖ τυφλούς. Heb. פקח עורים *Illustrat cæcos*. 3 Vide Isai. 35. 5. & 61. 1. 2. & Matt. 11. 5.
4 Hilar. *Proselytum*. Aug. *Proselytos*. 70. Φυλάσσει τοὺς προσηλύτους.

PSALMUS CXLVI.

Laudes Domini. Mirabilium operum illius enarratio. Dispersum populum suum congregat. Restaurat Jerusalem. Impios affligit. Justos bonis cumulat. Hominibus, ac brutis appositam escam impertit.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

Septuaginta Romanæ Editionis, Arabica versio, Æthiopica, Syriaca, atque alia plurima Græca, & Latina Psalteria [1] in Psalmi hujus titulo legunt: *Alleluja, Aggæi, & Zacchariæ*. Sed neque Hebræus, neque Chaldæus ullum præseferunt titulum. Liquet, illos, qui hæc addiderunt verba, credidisse, Psalmum hunc a duobus illis Prophetis fuisse compositum in gratiarum actionem ob libertatem, in quam Deus populum suum vindicaverat, & ob facultatem civitatis, ac Jerosolymitani Templi iterum ædificandi impetratam. Hoc in sensu Origenes, S. Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, Vetus Paraphrastes Græcus, & plerique Interpretes intellexerunt [2]; & Cantici Textus ad unguem cum hac congruit sententia. Ferrandus arbitratur, Captivitatis tempore fuisse compositum, non secus ac superius. Jansenius Gandavensis eum refert in initium Regni David, cum universus Israel una congregatus est, ut illum sibi Regem adscisceret. Bossuet Meldensis Episcopus putat, conscriptum fuisse post eam annonæ charitatem, de qua Esdras l. 2 cap. 5. 1. 2. & seq. & Aggæus 1. 6. 7. loquuntur. Grassata illa fuerat in pœnam negligentiæ Judæorum, qui post antiquatum Cyri edictum, quod illis permittebat Templum, murosque Jerusalem excitare, omnem illius operis curam abjecerant. Versiculi 8. & 9. ubi de pluvia, atque effectibus illius quoad terræ ubertatem, & versiculus secundus, ubi de Jerusalem ædificatione sermo est, plane sententiæ huic suffragantur. Syrus putat, Zorobabel, Jesum filium Josedech, & Esdram isthic urgere populum, ut Templo ædificando iterum impensius vacent; quod a sententia nostra minime abludit.

---

1 Psalter. S. Germ. & Carnut. & Græci Codd. Reg. 2851. 2852. 2854. 2855. 3421. 3422. & Colb. 4439. 6051. 6158. 1182. apud Ferrand. 2 Vide Muis, Grot. Moller.

Lau-

1. LAudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit jucunda,
decoraque laudatio. 2 Ædificans Jerusalem Dominus: dispersiones Israe-
lis congregabit. 3 Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eo-
rum. 4 Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. 5
Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus; & sapientiæ ejus non est nume-
rus. 6 Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad ter-
ram. 7 Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cythara. 8 Qui
operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam. 9 Qui producit in montibus fœ-
num, & herbam servituti hominum. 10 Qui dat jumentis escam ipsorum, & pul-
lis corvorum invocantibus eum. 11 Non in fortitudine equi voluntatem habebit:
nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. 12 Beneplacitum est Domino super timen-
tes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus.

℣. 1. LAUDATE DOMINUM, QUONIAM BONUS EST PSALMUS [1].] Prodest nobis, Deum colere, ejusque magnalia celebrare. Nihilum ipsi nostra afferre possunt Cantica. Nulla gloriæ ipsius ex laudibus nostris fit accessio; sed nos hoc sibi præstare jubet, ac nostra interest, rite hoc munere perfungi. Nihil hoc vel ad gloriam præstantius, vel ad utilitatem uberius aggredi possumus. Symmachus Hebræum ita reddit [2]. *Alleluja; quoniam bonum est canere*. Theodotion [3]: *Laudate Jah*, quod unum est ex nominibus Dei.

DEO NOSTRO SIT JUCUNDA, DECORAQUE [4] LAUDATIO.] Non vocis sonus, non instrumentorum concentus, non elegantia numerorum, non conceptuum sublimitas, neque verborum magnificentia Deo placent, sed cor, amor, zelus, vitæ integritas, ac innocentia canentium. Cum quis Dei amore, ac zelo succensus est, non nisi decore, atque digne illum celebrare potest. Sed hæ animi dispositiones simul esse non possunt cum tepore, negligentia, & incuria eorum, qui Domino inserviunt. Hebraicus totius primi hujus versiculi textus ita reddi potest: *Laudate Dominum; quoniam bonum est canere Deo nostro, quod speciosa laus* omnino *est decora*.

℣. 2. ÆDIFICANS JERUSALEM DOMINUS: DISPERSIONES ISRAELIS CONGREGABIT [5].] Tibi accepta referimus ea omnia, quæ nobis contigerunt, bona. Tu confregisti vincula nostra, & nos de captivitate eduxisti. Tu fecisti, ut abrogaretur interdictum, ne urbem nostram, Templumque tuum ædificaremus. Tu denique nobis spem fers, urrumque ædificantibus. Vide *Psal.* 126. *Nisi Dominus ædificaverit Domum* &c.

℣. 3. QUI SANAT CONTRITOS CORDE; & ALLIGAT &c.] Ipse percutit, & sanat; ipse mortem infert, & vitam reddit; vulnerat, & medetur vulneribus. Hæc omnia generatim vera sunt, sed hoc in loco simpliciter designat libertatem, quam Dominus populo suo reddidit, postquam propter illius flagitia in fœdissimum captivitatis squalorem redegerat. Vide loquendi modos fere similes Deut. 32. 39. *Ego occidam, & ego vivere faciam; percutiam, & ego sanabo*. 1. Reg. 2. 6. *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad Inferos, & reducit*. Job. 13. 2. *Tu flagellas, & salvas: deducis ad inferos, & reducis*. Job. 5. 18. *Ipse vulnerat, & medetur; percutit, & manus ejus sanabunt*.

℣. 4. QUI NUMERAT MULTITUDINEM STELLARUM, & OMNIBUS EIS NOMINA VOCAT.] Deus est tamquam Imperator, qui omnium Ducum, subditorumque suorum habet nomenclaturam; vel qui copias suas militesque recenset, eorumque numerum novit, & singulos ex nomine appellat; hoc est eos perfecte, atque distincte cognoscit, quemadmodum dixit Moysi Deus Exod. 33. 12. *novi te ex nomine*: & in Evangelio Joan. 10. 3. bonus Pastor singillatim omnes oves agnoscit, *& vocat eas nominatim*. Narrat Historia [6] Cyrum omnium Ducum suorum nomina didicisse; atque illi placuisse, eos, quos honorare vellet, semper ex nomine nuncupare. Dicuntur etiam Adrianus Imperator, & Scipio Asiaticus gregariorum quoque militum ex exercitu suo nomina agnovisse.

Psalmista igitur celebrare contendit infinitam Domini potestatem, atque incomptehensibilem ejus scientiam, quibus fecit, & adeo distincte cognoscit astra, ac stellas, quæ in Scripturis, veluti phalanges exercitus ejus exhibentur. *Potestas, & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis*, ait Job. 25. 3. *numquid est numerus militum ejus? & super quem non surget lumen illius?* Et Isaias 40. 25. *Levate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creavit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat*. Et Dominus alloquens Abraham Gen. 15. 5. *Suspice cœlum, & numera stellas si potes . . . sic erit semen tuum*. Demum cum Scriptura numerum aliquem exaggerare vult, eum stellis Cœli, vel maris arenæ comparat. Prophani, ut aliquid maxime arduum, vel quod maximam exposcat cognitionem, significent, ajunt [7]: *Etiam si dinumerare se stellas, aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur* &c.

Ergone adeo ingens est numerus stellarum? Kimchi apud Muisium hic ait, Astronomos in hoc convenire, stellas esse 1098. sed quemdam ex Hebræorum Sapientibus dixisse, longe plures esse exiguæ magnitudinis, quas oculus percipere nequit, ideo creatas, non ut lucerent, sed ut terræ dominarentur, juxta illa Geneseos 1. 18. verba: *& præessent diei, ac nocti*. Deum vero, uti cæteras, ita etiam has hominibus ignotas recensere; quam ob rem illius cognitio longe nostram exsuperat; neque tantum earum numerum tenere, sed virtutem quoque, naturam, ordinem, situm, atque influxus in hæc inferiora cognoscere; namque uti Rabbini putant, ne una quidem in pratis est herbula, cui stella non respondeat in Cœlo, quæ illinc eam respicit, in ipsam suos influxus effundens, ac dicens illi: Cresce. Rabbinus alius apud Selden. de Diis Syris Syntag. 2. c. 2. eas esse ait 390060. & alius [8] 290000140.

Ptolomeus, veteresque Astronomi 1022. eas esse putant. Sed post inventum Telescopium major adhuc earum numerus detectus est, & liquet, non omnes adhuc deprehensas fuisse. Keplerus 1382. numerat: Baverus 1709. Griembergius 1225. Schikardius 1692. Galilæum maxima stellarum copia, quam in orione conspexit, deterruit, ne numerum recenseret, ibi enim quingentas

1 70. Ὅτι ἀγαθὸν ψαλμός. Edit. Compl. Ὅτι ἀγαθὸς ψαλμός. 2 הללויה כי טוב זמרה Sym. Ἀλληλούϊα, ὅτι ἀγαθὸν ψαλμός. 3 Th. Αἰνεῖτε τὸν Ἰά. 4 Aug. Hilar. Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut. *Deo nostro jucunda sit laudatio*. Ita 70. Τῷ Θεῷ ἡμῶν ἡδυνθείη αἴνεσις.

5 S. Aug. *Colligens*. Hilar. Psalt. Rom. & Carnut. *Congregans*. Sym. *Ædificabit, congregabit*. Οἰκοδομῶν.

6 Xenophon. Cyropæd. l. 5. p. 131. 132. 7 Cicero de Offic. l. 1.

8 Selden. l. 2. de Synedr. c. 9. art. 3. p. 410. ex Midrasch apud R. Abraham Ben Chaiah in sphæra mundi porta 10.

tas usque deprehenderat. Pater Rheita ultra duomillia enumeravit. Ricciolus in recenti suo Almagesto asserit, eum, qui diceret duas & ultra adesse stellarum myriadas, nihil a veritate alienum, allaturum. Hoc saltem certum est, magnum adeo esse stellarum numerum, atque hominibus adeo ignotum, ut Scriptura inter Divinitatis attributa recensere potuerit, quod *numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*.

℣. 5. MAGNUS DOMINUS NOSTER, & MAGNA VIRTUS EJUS.] Reges, quorum ditio late patet, Præfectos habent, vel Proreges, qui eorum nomine Provinciis præsunt, eisque curæ partem adimunt. Licet maxima sit Principis sapientia, omnibus par esse nequit. Sed Deus prudentiam habet, scientiam, imperiumque, nullo fine circumscriptum. Ditionis ejus extensio, subditorum multitudo, negotiorum copia illius scientiam, mentemque minime exhauriunt; sed his omnibus infinite superior est. *Virtus Domini* designare quoque potest Verbum æternum, Filium Dei, robur, ac Sapientiam Patris.

℣. 6. HUMILIANS PECCATORES USQUE AD TERRAM.] Ita ille generatim, atque uniformiter agit. Ita Ægyptios, & Chananæos afflixit, neque aliter egit nobiscum. Babylonii quoque humiliati sunt; & Samaritanos etiam hostes nostros idem exitus manet.

℣. 7. PRÆCINITE DOMINO IN CONFESSIONE [1].] Hebræus ad litteram [2]: *Respondete Domino*: intercalaribus numeris canite, vel duplici choro in Domini honorem concinite. Symmachus [3]: *recensionem facite*.

℣. 8. QUI OPERIT COELUM NUBIBUS &c.] Psalmista hic memorat præcipuos Divinæ omnipotentiæ effectus in natura. Sacri Auctores [4] nobis exhibent elevationem aquarum maris in nubes, earumdem condensationem, lapsumque moderatum, veluti mirabiles potentiæ Creatoris effectus. Quamvis vaporum elevatio, & imbres ex communibus naturæ legibus pendeant; non ideo tamen minus admirabilis est Creatoris potentia; quandoquidem non minor potentia requiritur ad ea, quæ creata sunt, conservanda, quam quæ opus fuit, ut ex nihilo educerentur. Eorum conservatio quædam est jugis productio.

℣. 9. QUI PRODUCIT IN MONTIBUS FOENUM, & HERBAM SERVITUTI HOMINUM.] Vide Psalmum 103. 14. ubi eadem occurrunt verba. Isthic in Hebraico textu non leguntur amplius; neque ea legerunt Chaldæus, Syrus, & S. Hieronymus. Sed ævo Septuaginta, veterumque Græcorum Interpretum [5] adhuc aderant. Psalmista Domini potestatem commendat, qui fœnum producit in montibus; hæc enim loca natura sua arida sunt, atque sterilia, neque aliquid eniti possunt, nisi Divina largitate imbribus irrigentur. Cotovicus in itinere suo Syriæ refert, in Palestinæ montibus opima esse pascua; quod in pluribus aliis regionibus etiam videmus.

℣. 10. QUI DAT JUMENTIS ESCAM IPSORUM, & PULLIS CORVORUM INVOCANTIBUS EUM.] Hebraica vox [6], quæ redditur *jumenta*, vulgo domesticum animal, & cujus opera utimur, significat. Sed feras quoque designat nonnumquam; immo isthic hoc in sensu intelligendum est, si verba ea *servitus hominum* ℣. 9. de domesticis animantibus intelligantur. Deus per providentiam suam tribuit animalibus agri, & volatilibus cœli, quæ corvorum specie hic denotantur, idoneam escam; eamque tribuit *invocantibus se*; hoc est cum indigent illa, cum fame urgente clamitant suopte ingenio, atque ad eam quærendam festinant: ita enim quodammodo illam a Deo petunt. Vide aliquid simile *Joel.* 1. 20.

Interpretes hic impensius requirunt, quid sibi velit Psalmista, corvos nominans, perinde ac inter aves ipsorum dumtaxat pulli ad Dominum clament, ut ab eo victum exposcant: eorum vero solicitudinem magis, magisque ea Job verba adaugent, quibus ille apertius hoc ipsum refert c. 38. 41. *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibos?* Rabbini apud Muisium, immo plurimi quoque ex Patribus [7] asseruerunt, quod corvi intuentes pullos suos candida obductos lanugine, primis diebus postquam prodierunt, eos derelinquunt, ac renuunt illos propter colorem hunc tamquam suos filios agnoscere: Providentia vero parvulorum animantium clamoribus ad misericordiam commota eos alit rore, & quodam muscarum genere, quod in ipsorum nidulo ex ipsorum excrementis gignitur, quo ipsi nutriuntur, donec albicans illa intercidit lanugo, ac pennæ paullatim nigrescunt. Sed nihil ad fabulas propius accedit, quam hujus generis commenta, quæ nemo novit, nisi quod ea alios temere effutientes audivit. Vossius [8] ostendit non propter plumarum albedinem, sed propter nimiam suam voracitatem pullos corvorum a parentibus derelinqui; eo quod hi nequaquam pares sunt, ut illorum expleant ingluviem.

Plinius [9] a corvis pullos maturato e nidulis ejici, & ad volatum cogi, atque etiam longius ab illis fugari testatur. Sed auctor idem narrat, cornices alere pullos suos satis diu etiam, ex quo e nido avolare cœperunt. Itaque hoc minimum lucis afferre potest ad loci hujus explicationem. Alii asserunt corvum adeo esse obliviosum, ut nonnumquam nidum, recensque natos derelinquat filios, quin illuc revertatur; & tunc temporis Providentiæ esse curæ, ut pullis illius præparet escam. Certum videtur ex hoc loco, quem explicamus, cum illo Job, quem superius attulimus, & cum S. Luca c. 12. 24. dicente, Domino esse curæ, ut corvos enutriat, comparato, Hebræis peculiarem aliquam opinionem, vel experimentum fuisse quoad hæc animantia, quod hodie nos fugiat, & illos credidisse, Deum sollicitius corvorum, quam aliorum animantium pullis invigilasse. Sacri Auctores passim loquuntur juxta populi sententiam, ut facilius se se simplicium captui accommodent, & ab iisdem intelligantur. Hebræus legit simpliciter [10]: *Tribuit bestiis escam earum, & pullis corvi clamantibus*; non autem ait, eos ad Dominum clamare. Et fortasse *filii corvi* simpliciter pro corvis generatim afferuntur, quemadmodum *hominum filii* pro hominibus usurpantur. Itaque locus iste hoc unum diceret, Dominum veluti Parentem optimum, animantium, aviumque clamores audire, & omnibus aptam escam tribuere.

℣. 11. NON IN FORTITUDINE EQUI VOLUNTATEM HABEBIT, NEC IN TIBIIS VIRI [11].] Non vult, nos equorum pernicitati, vel humanorum pedum celeritati confidere; Vel, non exigit ut valentes simus equites, neque præpetes cursores ad aufugiendum. Sed hoc unum petit, ut in misericordia ipsius confidamus, ac nomen sanctum ejus vereamur. Non equus viribus suis, non homo sua velocitate Domini misericordiam promerentur, ac pericula effugiunt. Job c. 39. 19. equi vires commendat, non secus ac Psalmista, atque Prophani Scriptores. Plurima etiam suppetunt exempla virorum, pedum pernicitate præstantium. David Psal. 17. 34. Deo gratias agit, quod sibi cervorum celeritatem tribuerit; & 2. Reg. 2. 18. dicitur, Azael capreo-

1 Aug. Psalt. Rom. Mediol. S. German. Carnut. *Incipite Domino*. Hilar. *Inchoate*. 70. Ἐξάρξατε.
2 ענו ליהוה בתודה 3 Sym. Κατολέξατε. 4 Job. 5. 9. 10. & 37. 6.
5 Οἱ λοιποὶ, τὸν χόρτον, καὶ χλόην τῇ δουλείᾳ τῶν ἀνθρώπων. 6 נתן לבהמה לחמה
7 Hieronym. & Cassiodor. hic. Greg. Magn. & Chrysost. in Job 38. 41. Albert. Magn. hist. anim.
8 Voss. de Idololat. l. 3. c. 84. Valess. de sacr. Philos. c. 55. 9 Plin. l. 10. c. 12. *Pellunt nidis pullos & volare cogunt . . . sed robustos quoque fœtus suos fugant longius*. Et paulo superius: *Sola cornix etiam volantes pullos aliquandiu pascit*. Vide Ælian. l. 2. c. 49. & Arist. hist. l. 2. c. 41.
10 נתן לבהמה לחמה לבני ערב אשר יקראו 11 Hilar. Aug. Psalt. Rom. S. Germ. Carnut. *Nec in tabernaculis viri*. Legebant: *Ἐν ταῖς σκηναῖς*; pro *κνήμαις*. Psalt. Mediol. *Nec in tibialibus viri*. Edit. Sixt. V. *Nec in filiis viri*.

capreolorum in montibus cursum æquasse. In Historiis quoque [1] inveniuntur virorum nomina, qui per immensos viarum tractus eucurrerunt. Non defuerunt enim, qui die una, exempli gratia 1140. & alii qui 1200. stadia, vel leucas quinquaginta emensi sunt. Alii 160. passuum millia, alii centum & septuaginta millia explerunt. Hodie quoque hac in re mirabilia non desunt experimenta. Vide Psalmos 19. 8. 32. 17. 75. 7. Amos 2. 13. Isai. 31. ℣. 1. 3. ubi occurrunt locutiones, quæ ab hac minime abludunt.

1 Vide Plin. l. 7. c. 20.

PSALMUS CXLVII.

Propheta hortatur Jerusalem, ut Dominum laudet, eo quod illam protexerit, ac bonis cumulaverit. Commendat Domini potentiam, quæ in nivis, pruinæ, grandinis, & glaciei productione enitescit, & præclara beneficia, quæ Deus contulit Israeli.

ALLELUJA.

ARGUMENTUM.

In Hebraico textu Psalmus hic cum præcedenti est conjunctus; ad idem certe argumentum pertinet. Psalmista hic Deo gratias agit ob ea, quæ Jerosolymis contulit, bona, permittens, ut Nehemias a fundamentis muros excitaret, urbem januis clauderet, eam frequenti incolarum cœtu repleret, eique omnia circumundique pacata efficeret. Mox vero gradum facit ad naturales Divinæ potentiæ effectus, & ad peculiaria beneficia, quibus populum suum donavit. S. S. Hilarius, & Augustinus, Syriaca versio, & Arabica, & alia plurima tum Græca, tum Latina Psalteria [1] una cum Septuaginta in titulo legunt; *Halleluja Aggæi, & Zachariæ*. Origenes, Theodoretus, ac plerique Interpretes conveniunt, compositum hunc Psalmum fuisse post alterius Templi Dedicationem, & murorum Jerusalem restaurationem; & fortasse in solemnitate Dedicationis murorum eorumdem [2], quemadmodum in Psalmum 145. docuimus. Patres ad Ecclesiam, Cœlestemque Jerusalem referunt quidquid isthic de terrestri narratur; & quod ad litteram de pluvia, & nive dicitur, de Apostolorum prædicatione, deque Evangelii in omnem terrarum orbem propagatione interpretantur.

1. LAuda, Jerusalem, Dominum: lauda Deum tuum, Sion. 2 Quoniam confor-
tavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te. 3 Qui posuit fi-
nes tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. 4 Qui emittit eloquium suum ter-
ræ: velociter currit sermo ejus. 5 Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut ci-
nerem spargit. 6 Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus
quis sustinebit? 7 Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus;
& fluent aquæ. 8 Qui annuntiat verbum suum Jacob: justitias, & judicia sua Is-
rael. 9 Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Alleluja.

℣. 1. LAUDA, JERUSALEM, DOMINUM.] O Civitas Sancta, Deo dilecta, quæ in Domini habitaculum electa fuisti, & quæ postquam tandiu in ruderibus, squalore; atque ignominia jacuisti, tandem iterum excitata, ac pristinæ dignitati es restituta, ob tanta hæc bona Dominum laudibus prosequere.

℣. 2. QUONIAM CONFORTAVIT SERAS PORTARUM TUARUM;] vel potius *vectes*, vel *pessula* portarum tuarum; Hebraica enim vox *beriah*, & Græca *mochlos* potius ferreos vectes, quam seras significat, imo & ipsa Latina vox *sera* dicitur de iis omnibus, quæ ad januam claudendam inserviunt. Judæorum hostes illudentes dixerant [3]. Quid cum mœnibus istis facere contendunt? ea enim vulpecula transiliret. Sed illorum superbiam confudit Deus. Muri tui, januæ, & vectes adeo robusti sunt, ut impetum eorum valeant sustinere.

BENEDIXIT FILIIS TUIS IN TE.] Cives tui bonis affluunt; vel Dominus speciosam, frequentemque tibi tribuit familiam, ingentem populum. Tu tandem facta es civitas plena populo. Videri potest, quo pacto Nehemias innumeros in Jerusalem cives congregaverit. 2. *Esdr.* 7. ℣. 4. 6. & 11. 1. Omnes nationis primores ibi sedem suam constituerunt, & ex omnibus familiis, quæ in agris morabantur, decimam quamvis elegit, quæ illuc commigraret. Ita repente & mœnia instaurata sunt, & civitas repleta.

℣. 3. POSUIT FINES TUOS PACEM.] Profunda pace frueris sive ab hostibus, sive a civibus. Post regnum Assueri, vel Darii filii Hystaspis Jerusalem, & Judæa magna tranquillitate gavisæ sunt. Judæorum hostes scientes, Regem hunc illis favere, ac mœnia Jerusalem e ruderibus excitata videntes, magno timore correpti sunt, ait Scriptura 2. Esdr. 6. 16. neque ulterius illos lacessere conati, cum illis immo fœdus, & consuetudinem iniere.

ADIPE FRUMENTI SATIAT TE.] *Adipem* Hebræi quidlibet maxime pretiosum, & exquisitum appellant, vinum, oleum, frumentum [4]. Dominus benedictionem suam in agros tuos effudit, qui affluenter triticum produxerunt. Frumenti nomine quodlibet fructuum genus continetur [5]. Patres [6] *per adipem frumenti* vel Eucharistiam, vel Sanctas Scripturas intelligunt.

QUI

1 Ita codices duo Carnutens. Latini & Regii Græci. 2851. 2852. 2853. 2854. 2855. 3421. 3422. Colb. 6051. 6158. 6510. 4439. 1182. apud Ferrand. 2 2. Esdr. 3. 4. 5. 7. 12. 3 2. Esdr. 4. 3. 4 Num. 18. 12. & Deut. 32. 14. Psalm. 80. 17. 5 Theodoret. Heracl. 6 Aug. Hieron. Euthym.

℣. 4. QUI EMITTIT ELOQUIUM SUUM TERRÆ.] Psalmista nobis isthic exhibet verbum, mandatum [1], præceptum Domini, tamquam animatum aliquid, tamquam Legatum ab eo missum, & temporis momento provinciam sibi demandatam procurantem. Verbum illius egreditur, & pernicissime de summo cœli vertice in terram devolat, ibi ea producturum, quæ sequentibus versiculis sumus visuri. S. Augustinus, & S. Hieronymus per *verbum* isthic intelligunt Filium Dei, J. C. at S. Hilarius, Theodoretus, & ipse quoque S. Hieronymus Evangelii prædicationem. Celeritas, qua J. C. fides in omnes terrarum plagas effusa est, belle per hæc verba indigitatur: *Velociter currit sermo ejus*. Kimchi opinatus est, Psalmistam hoc in loco innuere voluisse pluviam in terram delabentem. In Sacris Bibliis verbum sæpius pluviæ, ae rori comparatur. Vide *Deut.* 32. 2. *Job.* 29. 23. *Ecclis.* 39. 9. *Isaiam* 55. ℣. 10. 11. ubi hæc legimus. *Quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

℣. 5. QUI DAT NIVEM SICUT LANAM.] Dei Omnipotentia ex eadem aqua, quæ in vapores ascendit in aerem, nivem, pruinam, grandinem, & pluviam efficit. Nix alba, uti lana, in terram decidit [2]: vel lana instar nivei flocci descendit [3]; quod ipsum innuere voluerunt Auctores Græci [4], & Latini, cum nivem vellus aquæ, aut vellus in lanæ formam vocarunt: Virgilius Georgic. 1.

Tenuia nec lanæ per Cælum vellera ferri.

Et Martialis l. 4. Epigr. 3.

Densum tacitarum vellus aquarum.

Credidere nonnulli [5], Psalmistam alludere ad calorem, & fœcunditatem, quam nix terræ communicat. Arva nivibus obducta sunt, velut oves velleribus suis amictæ. Credidit Democritus apud Senecam Natural. quæst. l. 4. c. 8. humum nivibus foveri; Theophrastus de Plantis l. 4. c. 10. & Plinius l. 17. pinguescere. *Vota arborum, frugumque communia sunt, nives diutinas insidere . . . . quod & liquorem sensim præbent; purum præterea levissimumque, quando nix aquarum cælestium spuma est.* Sterilitatem, atque infelicitatem terribilis annorum nuper elapsorum hyemis non magnum frigus peperit, sed nivium nimis prompta & maturata liquatio, quæ agris ademerat nives, quibus antea obducebantur, & quæ fruges, plantasque servasset, uti ex iis liquet locis, ubi nix diu permansit; ibi enim segetes, uti felicioribus annis affectatæ fuerunt.

NEBULAM SICUT CINEREM SPARGIT.] *Nebulæ* nomen [6] hoc in loco de *pruina* intelligendum est, quod ex Hebræo textu [7], ac ex Interpretibus innotescit. Pruina super terram effunditur instar plurimorum granulorum, quæ illius superficiem obtegunt, eamque veluti cinere stratam intuentibus exhibent; seu quod cineris nomine intelligas, quod vulgo hoc nomine significatur, quodque satis crebro ad terram saginandam usurpatur [8]; sive nomen illud de creta quadam albicanti explices, quæ Gallis *marne* appellatur, & quæ in agros effusa, ibi in pulverem solvitur, ac illud ipsum, quod fimus, præstat. Hoc autem in Evangelio sal terræ vocatur.

℣. 6. MITTIT CHRYSTALLUM SUAM SICUT BUCCELLAS,] *Chrystallus*, græce *Chrystallos* glaciem significat; in qua significatione Vulgatæ Auctor vocem illam in Ecclesiastico adhibuit [9]. Pro *sicut bucellas*, antiqua Latina Psalteria legunt [10]: *Sicut frusta panis*. Videntur autem Hebræi grandinem esse credidisse frusta glaciei de Cœlo delabentia, quæ in magnas, exilesve particulas Providentia confringeret, prout vellet durius, vel mitiùs in populos animadvertere. Hoc autem ille Ecclesiastici locus videtur innuere [11]: *In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis.* Tirinus putat, Prophetam per hæc innuere velle, Deum miro Providentiæ suæ effectu æstatis tempore imbribus terram inebriare; hyeme vero eam nivibus cooperire, pruina fovere, ac nutrire grandine, quæ in minuta decidit frusta, ne si integra decideret, eam vulneraret.

ANTE FACIEM FRIGORIS EJUS QUIS SUSTINEBIT [12].] Si frigus hybernum nimis diu sæviret, quis illud ferret? Deo curæ est animantium salus; hyemis dies breviores facit; immittit verbum suum, quo glacies, nives, & grando liquescant. *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea* [13]. Verbum hoc est voluntas, & imperium illius. Mittit spiritum suum, *ventum suum* [14], austrum, qui solvit ac dissipat, quidquid hominibus atque animantibus incommodum affert. *Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ*. S. Hieronymus isthic Sanctam Trinitatem deprehendit; *Patrem* mittentem verbum: *Emittet verbum suum*; *Filium* a patre missum, & *Spiritum Sanctum* nives liquefacientem.

℣. 9. NON FECIT TALITER OMNI NATIONI.] Nationibus cæteris verbum, mandatumque suum non annuntiavit. Hæc est gloria, hæc felicitas Israel. En, Domine, præcipuum nostræ gratitudinis argumentum. Vide *Deut.* 4. ℣. 7. 32. 33. *Psal.* 143. 3. 4. 8. 5.

---

1 Heraclæot. Chrysost. Vatab. Muis, Mar. Geier. alii. 2 Chald. Kimchi. Vide Ezech. 28. 28. Dan. 7. 9. 3 Muis, Geier. Gatak, 4 Ἐριῶδες ὕδωρ. Eustath. in Dionys. Vide Agell. hic.
5 Ferrand. hic. Vide & Muis, & Geier. 6 Ὁμίχλην ὡσεὶ σποδὸν πάσσοντος.
7 כפור כאפר יפזר Quid apud Chrysost. Δρόσον τετηγμένην. 8 Cato de Agric. c. 37. Virgil. Georgic. 1. Plin. l. 17. 9. Pallad. de Re Rustic. l. 1. c. 33. Vide Ferrand. hic. 9 Eccli. 43. 22. *Gelavit chrystallus ab aqua.* 10 Aug. & Psalt. Rom. Mediol. S. Germ. Carnut. 11 Eccli. 43. 6.
12 Aug. *Quis subsistet? Emittet . . . & tabefaciet, &c.* 13 Chrysost. Vide sup. vers. 4.
14 Chald. Syr. Interpp. passim.

PSALMUS CXLVIII.

Psalmista creaturas omnes invitat ad laudes Domini celebrandas,

ALLELUJA.

ARGUMENTUM.

Veteres nonnulli duplex *Alleluja* in Psalmi hujus fronte legerunt; & Theodoretus credidit id factum, ut major lætitia, atque vehementior ardor excitaretur ad Omnipotentis laudes recinendas. At S. Hieronymus id simplicius intelligit dicens, primum *Alleluja* ad superioris finem, alterum vero ad præsentis initium specta-

ſpectare. Pater idem in Cantici hujus titulo nomina legit *Aggei*, & *Zachariæ*, quod conforme eſt Syriacæ verſioni, Septuaginta, S. Auguſtino, ac plurimis vetuſtiſſimis Manuſcriptis [1], quamvis nec Hebræus, neque Chaldæus, neque Vulgata eorum meminerint.

S. Hilarius putat, hanc eſſe Sanctorum gratiarum actionem pro cœleſtis Jeruſalem conſtructione, ac pro votorum ſuorum complemento. S. Auguſtinus eodem ferme pacto explicat. Vult autem ſub liberationis, quam Prophetæ Aggæi, & Zachariæ populo pollicebantur, figura intelligi perfectam libertatem, quam nobis J. C. procuravit. Totus Pſalmi contextus probat, hoc eſſe Canticum gratiarum actionis, & ℣. ℣. 13. & 14. innuunt, hunc poſt reditum de Captivitate fuiſſe compoſitum. Auctor iſthic creata quælibet ad Dominum laudandum invitat, atque eadem recenſens nullum præterit, quod vel generatim non complectatur, vel peculiariter non deſignet. Quamobrem nonnulli Pſalmo huic nomen *Phyſicæ ſacræ* [2], vel *Phyſicæ Chriſtianæ* tribuerunt. Nos vero credimus iſthic ſuperiores tres Pſalmos continuari, qui non ſecus ac præſens in ſolemnitate Dedicationis Jeruſalem cantati fuerunt.

1. LAudate Dominum de cœlis; laudate eum in excelſis. 2 Laudate eum om-
nes angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus. 3 Laudate eum ſol,
& luna: laudate eum omnes ſtellæ, & lumen. 4 Laudate eum cœli cœlorum,
& aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. 5 Quia ipſe dixit, &
facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt. 6 Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi:
præceptum poſuit, & non præteribit. 7 Laudate Dominum de terra, dracones, & om-
nes abyſſi. 8 Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum
ejus. 9 Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri. 10 Beſtiæ,
& univerſa pecora: ſerpentes, & volucres pennatæ. 11 Reges terræ, & omnes
populi; principes, & omnes judices terræ. 12 Juvenes, & virgines, ſenes cum
junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius. 13 Con-
feſſio ejus ſuper cœlum, & terram, & exaltavit cornu populi ſui. 14 Hymnus o-
mnibus Sanctis ejus; filiis Iſrael, populo appropinquanti ſibi. Alleluia.

℣. 1. LAUDATE DOMINUM DE COELIS.] A perfectioribus, atque ſublimioribus creaturis incipit. Statim primum Cœleſtes alloquitur ſpiritus: *Laudate Dominum de Cœlis*; mox aſtra, ac corpora lucentia, atque cœleſtia: *laudate eum in excelſis*: quod ipſum, ſed variatis vocibus ſequenti verſiculo repetit; *Laudate eum, omnes Angeli ejus: laudate eum, omnes virtutes ejus*.

Alii [3] duplex Cœlum eſſe ajunt, alterum quidem firmamentum, quod ſuperiores aquas ab inferioribus dividit; alterum ſuper firmamentum, & aquas ſuperiores. Pſalmiſta duos hoſce Cœlos invitat, ac omnia, quæ in eis ſunt corpora, omneſque ſpiritus ibi inhabitantes, ut Dominum laudent. Alii [4] priori nomine: *Laudate Dominum de Cœlis*, Angelos intelligunt, altero vero cœleſtes omnes virtutes & diverſos Angelorum, atque Archangelorum choros.

℣. 2. LAUDATE EUM, OMNES ANGELI EJUS: LAUDATE EUM, OMNES VIRTUTES EJUS.] Natura quælibet intelligens, ac beata iſthic Angelorum, ac virtutum nomine continetur. Primi quidem ſunt veluti Nuntii, & Legati Dei; poſteriores ſunt Miniſtri voluntatis ejus, atque mirabilia ipſius operantur [5]. Hebræus [6]: *Laudate eum, omnes Angeli*, vel Nuntii ejus; *laudate eum omnis exercitus ejus*. Nomine Cœleſtis exercitus ſydera vulgo intelligitur. Sed iſthic illud de Angelis plerique interpretantur [7].

℣. 3. OMNES STELLÆ, & LUMEN.] Sol, Luna, ſydera, lumen pro modulo ſuo, videlicet pulchritudine, fulgore, ordine, diſpoſitione, regulari, & uniformi curſu Creatoris laudes enarrant. Hæc omnia probant magnitudinem, potentiam, ſapientiam illius, qui fecit ea, hominesque invitant, ut illum colant, eique obſequantur. Hæ mutuæ ſunt voces, quæ nobis ingrati animi vitium, inconſtantiam, atque erga Creatorem noſtrum infidelitatem exprobrant. Origenes [8], & S. Hilarius hic aſtris intellectum tribuere videntur, eo quod Propheta illa ad Dominum laudandum invitat, ut dignas illi laudes rependamus [9]: *Cum ipſorum conſideratione laudatur Deus . . . . omnia laudant Deum*; ait S. Auguſtinus. Hebræus *Stellæ lucentes*, vel ſtellæ lucis. Kimchi hoc de planetis, & Rabbinus Salomon de ſtellis, intelligunt.

℣. 4. LAUDATE EUM, COELI COELORUM; & AQUÆ OMNES, QUÆ SUPER COELOS SUNT.] Cœli Cœlorum, Cœli ſunt altiſſimi [10], quemadmodum Dominus Dominorum, Deus Deorum, Canticum Canticorum, vanitas vanitatum, mons montium illud ſignificant, quod in ſingulis iis rebus excellit. Hoc illud eſſe dicitur Cœlum, ubi inhabitat Dominus; quod tertium Cœlum S. Paulus 2. Cor. 12. 2. appellat. Hoc primum eſt Cœlum, ait Theodoretus, prima die Orbis conditi creatum, omnino aliud a firmamento, quod altera tantum die creatum fuit [11], & quod inferiores a ſuperioribus aquas ſecernit. Hæ ſunt illæ ſuperiores aquæ, quas Pſalmiſta hic ad Dominum laudandum invitat: *Aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt*. Hæ ſunt, ait Pater ipſe, ſuper firmamentum, ac ſuper ſphæram ignis, verum duræ adeo, ac ſolidæ, ut nec motu, neque calore vel confringantur, vel liqueſcant. Non abhorret a veri ſpecie, Hebræos credidiſſe, quædam adeſſe ſuperiorum aquarum receptacula; ſed non liquido conſtat, an per hæc nubes, vel aquas alias intelligerent. Vide Commentarium noſtrum in Geneſim cap. 1.

℣. 5. QUIA IPSE DIXIT, & FACTA SUNT.] *Dei juſſiſſe, feciſſe eſt*, ait S. Hieronymus. *Deus* dixit, & Deus fecit, addit ille; dixit Pater, & fecit Filius; ſine tamen inæqualitate, & quin alter penderet ab altero. Deus, ut loquatur, verba non profert; voluntas ejus, ipſius eſt verbum, & actio. Cæterum verba hæc: *Ipſe dixit, & facta ſunt*, neque in Hebraico textu, neque in Chaldæo extant, ſed ex Pſalmo 32. 9. ſunt deſumpta.

℣. 6. STATUIT EA IN ÆTERNUM.] Aſtra, & cœleſtia corpora non mutantur in ſingula momenta, uti corpora terreſtria, & ſublunaria. Ea numquam intermori,

1 Codd. Regii, & Colbert. plures apud Ferrand. 2 Apud Muis, hic.
3 Vide Theodoret. hic. 4 Vide Chald. & Chryſoſt. 5 Theodoret.
6 הללוהו כל מלאכיו הללוהו כל צבאיו Symmach. Πᾶσαι αἱ στρατιαὶ αὐτοῦ.
7 Vide Chryſoſt. & Heraclæot. & Ferrand. Vide & Matt. 26. 52. *Duodecim legiones Angelorum*. Et Pſ. 102. 21.
8 Origen. Damnatus, in appendice Concil. 2. Conſtantinop. 9 Vide Heraclæot. Chryſoſt. Theodoret. Auguſt. hic. 10 Kimchi, Muis, Geier. Mar. 11 Geneſ. 1. 6.

mori, nulloque senio confici videmus. Sol, Luna, Stellæ, idem sunt hodie, quod in ipsis mundi incunabulis erant. Sed ex eo tempore quot, quantæque hactenus fuerunt terrestrium rerum perturbationes? Quot hominum generationes abierunt, atque oblivionis caligine submersæ sunt? Possunt quoque hæc verba intelligi, veluti eadem continentia sensum, ac quæ sequuntur: *Præceptum posuit, & non præteribit*. Illis irrogavit Deus leges, quas numquam prævaricabuntur. Ordo, motus, cœlestium corporum dispositio variari, perturbarique non potest. Deus illis eam tribuit naturam, ut semper constanti, atque immutabili ratione in eodem statu permanerent.

℣. 7. LAUDATE DOMINUM, DE TERRA; DRACONES, & OMNES ABYSSI.] Astris, virtutibusque cœlestibus ad Dominum laudibus celebrandum invitatis, in terram descendit, omniaque hæc inferna creata ad Creatoris laudes prædicandas invitat. A mari autem, atque ab abyssis orditur, *ad dracones* marinos, vel [1] *ad cete* se se convertit, quæ animantibus omnibus, quæ noverimus, magnitudine præstant. *Abyssorum* nomine quidquid in mari est complectitur, non secus ac nomine *terra* omnes homines, omniaque terrestria animantia, immo & volucres intelligit.

℣. 8. IGNIS, GRANDO, NIX, GLACIES, SPIRITUS PROCELLARUM.] In quodam sensu flagella hæc Deum laudant, eique serviunt; iis enim vulgo utitur ad impios puniendos, ac deprimendos superbos. Boni isthinc justitiæ Dei laudandæ, impii vero iræ metuendæ, atque ad misericordiam illius confugiendi occasionem arripiunt: *Ignis* cœlestis, fulmen, fulgur, ignitæ exhalationes, ignis elementum, Domini mandata facessunt: *Quæ faciunt verbum ejus*. Non decidunt, non percutiunt, non urunt, nisi ut illius pareant voluntati.

Hebraica vox, quæ vertitur *glacies* [2] ad litteram significat fumum, exhalationem, aliquid grave olens. Creditur Psalmista innuere velle exhalationes, ex quibus coalescunt meteora, & ignes, qui in aere accenduntur. Pro *spiritus procellarum* verti potest [3]: ventus, ac turbo, vel *ventus, qui turbines paris*, ventus vehemens: *Quæ faciunt verbum ejus*. Hebræus verti [4] posset: *Hæc omnia facis verbum ejus*; opus sunt verbi illius [5].

℣. 9. MONTES.] Antiqui passim [6] animas aquis, terræ, montibus, aerique tribuerunt. Abs re puto rei hujus isthuc afferre argumenta. Auctor per familiarem Poetarum Prosopopœjam ad res anima, sensuque carentes orationem convertit, easque sensu, ac ratione præditas supponit.

LIGNA FRUCTIFERA, & OMNES CEDRI.] Cedrorum nomine omnes agrorum arbores complectitur, speciem videlicet universam, nomine earum arborum, quæ cæteris magnitudine, atque specie præstant.

℣. 10. SERPENTES, & VOLUCRES PENNATÆ.] Serpentum nomine generatim intelliguntur omnia reptilia, vermes, immo & pisces [7], qui in aquis eodem ferme pacto moventur ac volucres in aere.

℣. 13. CONFESSIO EJUS SUPER COELUM, & TERRAM.] Creata omnia, quæ sunt in Cœlo, & in terra Deum laudant, eo in sensu, quem diximus, justis suppeditando illius laudandi argumenta. Impii quoque in nequissimis flagitiis suis, & damnati in suis cruciatibus, licet inviti, conferunt aliquid tamen ad gloriam Omnipotentis. Ostendunt enim, & Dei misericordiam, quæ improbos patitur, eosque ad pœnitentiam expectat, & justitiæ illius severitatem, quæ illos punit, cum misericordiam ipsius aspernati iram provocarunt. Hebræus ad litteram [8]: *gloria illius est super terram, & in Cœlis*; quod explicari potest vel in proposito sensu, vel hac ratione: *Laudes ejus non sunt super cœlum, & terram*; Laudes meretur & Cœlo sublimiores, & latiores terra; infinitas nempe, & si alia quoque entia præter cœlum, ac terram in laudes ejus incumberent, numquam tamen, quantum satis esset, eum celebrarent.

EXALTAVIT CORNU POPULI SUI.] *Cornu*, hoc est potentiam, gloriam, fortitudinem. Reduxit Israel de captivitate, cumque illustrem reddidit, atque hostibus illius formidabilem.

℣. 14. HYMNUS OMNIBUS SANCTIS EJUS.] Laudetur ab omnibus Israelitis, qui in Scripturis, ac præcipue in Psalmis *Sancti* vocantur, ii præsertim, qui de captivitate reversi sunt, qui re ipsa parentibus suis minus erant corrupti. Hebræus: *Misericordes ejus* [9], vel potius illi, quos miserationibus suis cumulavit, laudes ejus enuncient.

POPULO APPROPINQUANTI SIBI.] Hoc quoque de Israelitis intelligitur, qui sunt populus ejus, qui ad eum spectant, qui illi adhærent [10]. Malim tamen de Sacerdotibus, ac Levitis id explicare. Hi vere sunt populus, qui Domino appropinquat, qui illi famulatur, qui in domo ejus inhabitat, atque adstat ante faciem illius.

---

1 Heb. תנינים Tanninim *Cete*. 2 קיטור 70. Κρύσταλλος.
3 רוח סערה Hieron. *Ventus, turbo*. Quid. Ἄνεμος καταιγίδος.
4 עשה דברו 5 Ita Syrus. 6 Thales apud Laert. l. 1. in Thalete. Origen. homil. 4. in Ezech. Manichæi apud August. lib. 15. contra Faust. c. 4. & de Genesi ad litteram c. 14.
7 Vide Genes. 1. 20. Psalm. 103. 25. 8 הודו על ארץ ושמים
9 תהלה לכל חסידיו 10 Deut. 4. 7. *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.*

PSALMUS CXLIX.

Israel lauda Dominum, qui te gloria, ac felicitate donaturus est, ac depressurus inimicos tuos, eosque sub pedibus tuis subacturus.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

Græci Patres [1] putant, Psalmum hunc, cujus auctor ignoratur, post reditum de captivitate fuisse cantatum in actionem gratiarum ob beneficia, quæ Deus Israeli contulerat, & pacem, quam illi concesserat. Adduntur etiam vaticinia, quibus portenditur, futurum ut Reges, & Gentes Domino, populoque illius subjiciantur,

1 Heraclæota, Origen. Chrysost. Theodoret. Euthym.

quod Macchabæorum ævo dumtaxat, ac perfecte tandem tempore adventus J. C. atque Evangelicæ prædicationis adimpletum est, cum Reges, & Gentes Fidem amplexi sunt. Hic verus est hujus Cantici sensus, quod haud perperam conjungi potest cum quatuor, vel quinque, quæ præcesserunt, cum omnia ad idem argumentum, ac tempus attineant.

Judæi sperant victorias, quæ hic referuntur, ultionem de inimicis suis, gloriosum nationis suæ regnum, Messiæ tempore, quem tandiu nequicquam expectant. Cur autem oculos non aperiunt, ut promissiones has ad unguem absolutas in J. C. persona, atque in imperio Ecclesiæ ipsius plane intueantur? Muis putat, Psalmum hunc fuisse compositum, cum David in Israel universum regnare occæpit, postquam Jerosolymis potitus, sedem suam super montem Sion collocavit. Tunc Judæi sublimes adeo spes conceperunt, videntes Regem ita sapientem, ac Deo acceptum. Psalmi Auctor magnificis, atque hyperbolicis verbis novi illius Regis victorias, atque triumphos vaticinatur. Hæc profecto sententia nihil habet a Psalmi hujus textu absonum: Sed Patrum opinionem præferimus, quæ & ipsa perfectissime illi congruit. Theodoretus legit duplex *Alleluja* in Psalmi hujus fronte, uti etiam in fronte superioris, & subsequentis.

1. CAntate Domino canticum novum: laus ejus in ecclesia Sanctorum. 2 Læ-
tetur Israel in eo, qui fecit eum, & filii Sion exultent in rege suo. 3
Laudent nomen ejus in choro: in tympano, & psalterio psallant ei. 4 Quia bene-
placitum est Domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem. 5 Exul-
tabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. 6 Exaltationes Dei in gut-
ture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum. 7 Ad faciendam vindictam in
nationibus: increpationes in populis. 8 Ad alligandos reges eorum in compedi-
bus, et nobiles eorum in manicis ferreis. 9 Ut faciant in eis judicium conscri-
ptum: gloria hæc est omnibus Sanctis ejus. Alleluia.

℣. 1. CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM: LAUS EJUS IN ECCLESIA SANCTORUM.] En Psalmi totius argumentum. Hæc est Sacrorum Scriptorum consuetudo, juxta artis præcepta, ut statim Poematis sui subjectum exponant. *Ecclesia Sanctorum* est cœtus Israelitarum, quibus vulgo Sanctorum nomen tribuitur, eo quod Sanctitati destinati sint, & a Deo peculiariter electi, ut ex ipsis natio Sancta fieret [1]: *Canticum novum* est præclarum Canticum, & excellens: *Pollio & ipse facit nova Carmina*, ait Virgilius [2], hoc est optimos versus. Scriptura [3] passim Canticis *novorum* epithetum addit. Hoc autem præ cæteris suo veluti jure hoc appositum postulat, eo quod novum fœdus, atque Salvatoris adventum portendit [4].

℣. 2. LÆTETUR ISRAEL IN EO, QUI FECIT EUM; & FILII SION [5] EXULTENT IN REGE SUO;] Sunt, qui id ita intelligant. Lætetur in Domino, qui suus est Deus, & in David, qui suus est Rex. Sed præstat omnia ad Deum referre. Ostendat lætitiam suam laudans *Dominum, qui fecit eum*, qui creavit, protexit, instituit, glorificavit illum. *Facere* sæpius constituere significat: *Et Filii Sion*, Israelitæ, *laudent Dominum, qui est Rex ipsorum*. Reges Israel nihil aliud erant, quam Vicarii Domini [6]; super illius thronum sedebant: *Dominus elegit Salomonem, ut sederet in throno Regni Domini super Israel*, ait David 1. Par. 28. 5. Et cum Hebræi Regem a Samuele petierunt, Dominus conquestus est, quod populus suus abjecisset se, ac nollet, ipsum ulterius super Israel regnare [7]. Hebræus ad litteram [8]: *Israel lætetur in illis, qui fecerunt eum*; de Domino loquitur numero multitudinis, honoris ergo, ajunt Rabbini. Eadem loquendi ratio invenitur in Job 35. 10. & in Isai. 54. 5.

℣. 3. LAUDENT NOMEN EJUS IN CHORO.] *Chorus* significat vel Musicorum, Musicarumque puellarum cœtum, vel choræam, vel quoddam musici instrumenti genus. Hebræus [9] satis ostendit, postremo hoc

A in sensu isthic esse intelligendum.

℣. 4. BENEPLACITUM EST [10] DOMINO IN POPULO SUO.] Illum bonis, ac favoribus cumulavit. Invenit Israel gratiam in oculis ejus. Nihil Deus reperit in Israel, quod ipsi molestum esset, ac displiceret.

EXALTABIT [11] MANSUETOS IN SALUTEM.] Honore afficiet fideles, populum, Sanctos suos: populus ille, qui antea in squalore, sordibusque captivitatis delitescebat, gloria decorabitur, ac rerum affluentia perfruetur. S. Hieronymus Hebræum ita reddit [12]: *& exaltabit mansuetos in Jesu*. Nomen *Jesus*, salutem, ac Salvatorem significat. Aliter verti potest: *Eos ornabit salute*, hac illos veluti pretiosa veste induet, non secus ac ait Psal. 131. 9. 16. *Sacerdotes tui induantur*
B *justitiam, & inimicos ejus induam confusione*.

℣. 5. EXULTABUNT SANCTI IN GLORIA; LÆTABUNTUR IN CUBILIBUS SUIS.] Tua protectione suffulti, tuaque freti gratia, Domine, omnia nobis prospera adversus inimicos nostros eventura sperare debemus [13]. Gloria cumulabimur, atque in sedibus nostris tranquilla pace fruemur. Sancti in æterna vita gaudebunt pace, gloria, felicitate, cujus levissima erat imago, ea gloria, eaque felicitas, qua Israelitæ gaudebant. Hebræus habet [14]. *Misericordes*, pii, Sancti, vel ii, quos Deus suis miserationibus prævenit, *lætabuntur in gloria*, qua erunt circumamicti, *canent super cubilia sua*. In ipsa requie, & per noctem Dominum laudabunt.

℣. 6. EXALTATIONES DEI IN GUTTURE EORUM.]
C Elevabunt vocem suam, & canent ex toto corde, & ut ita dicam, gutture pleno. *In gutture eorum*. Vel cum antiquis Psalteriis [15]: *Exaltationes Dei in faucibus eorum, & gladii ancipites in manibus eorum*. Zelo succensi ad Dominum laudandum, robusti, atque interriti adversus nationis suæ inimicos, ancipites manu stringent gladios. Videtur Auctor alludere ad ea, quæ Nehemias, ac populus præstiterunt, dum Jerusalem mœnia

1 Exod. 19. 6. *Gens sancta* 22. 31. *Viri sancti eritis mihi*.
2 Virgil. Eclog. 3. Serv. *nova Carmina, magna, miranda*. 3 Psalm. 32. 3. 39. 4. 95. 1. 97. 1. 143. 9.
4 Chrysost. Genebr. 5 Edit. Sixt. V. & aliæ *Filiæ Sion*. Male. Heb. בני ציון Υἱοὶ Σιών.
6 1. Reg. 12. 6. *Dominus, qui fecit Moysen, & Aaron*. Exod. 9. 24. *Ex quo gens illa condita est*. Ezech. 28. 15. *A die conditionis tuæ*. 7 1. Reg. 8. 7. 8 ישמח ישראל בעשיו
9 במחול 10 August. *Benefacit Dominus*. 11 Hilar. August. *Exaltavit*.
12 יפאר ענוים בישועה 13 Theodoret. Euthym.
14 יעלזו חסידים בכבוד ירננו על משכבותם 15 Gallic. Rom. & vetus apud Fabr. Stapul. Hebr. רוממות *Exaltationes*. Ita 70. Αἱ ὑψώσεις.

mœnia ædificarent. Altera enim manu labori vacabant: altera enses tenebant ad hostium impetus propulsandos. Domini laudes in templo celebrabant, diebus illis, quibus ad celebritates suas conveniebant: exempli gratia, die illa, qua murorum urbis Dedicatio peracta est; sed aliis temporibus semper erant parati ad propulsandos, si qui Domini sui hostes repente ingruerent, atque aggrederentur. Alii hoc ad Macchabæos transferunt, qui e Sacerdotum erant numero, & qui parem semper bellicæ virtuti pietatem ostentarunt. Intelligi quoque potest de Sacerdotibus, ac Levitis.

In Spirituali [1] gladius anceps, vel bifidus in manu Sanctorum, est scientia Legis, & auctoritas Scripturarum in veteri, novoque Testamento, qua Catholicæ Ecclesiæ Doctores in hæreticos, impios, & peccatores utuntur. Gladius designare quoque potest auctoritatem, quam Dei filius dedit Ecclesiæ suæ adversus improbos, ut per anathemata, atque censuras illos a suo corpore abscinderet. J. C. in Evangelio Matth. 19. 28. nos docet, Sanctos in novissimo Judicio judicaturos esse impios, & peccatores, & fore quodammodo gladio Domini armatos, ut ultionem illius adversus improbos exerceant,

℣. 8. AD ALLIGANDOS REGES EORUM IN COMPEDIBUS.] Hebræus: *ad alligandos Reges eorum in catenis*; vel in compedibus, *& nobiles eorum in vinculis ferreis*. Hæ poeticæ sunt, atque hyperbolyeæ locutiones, ad innuendam potestatem, ac vim Victoris, qui belli Reges capit, ac Imperatores profligat. Post Macchabæos Judæi plurima de Samaritanis, Philisthinis, Idumæis, ac Moabitis trophæa retulerunt; quod videre est in libro Macchabæorum [2], quod etiam magnificis sane verbis Isaias est vaticinatus c. 49. 23. *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ*; & c. 60. 14. *Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te*. Judæi expectant hæc omnia ad Messiæ adventum complenda; sed ea perfecte jam adimpleta viderunt Patres, atque Fideles videntes Reges, ac Imperatores Fidei J. C. subjectos.

℣. 9. UT FACIANT IN EIS JUDICIUM CONSCRIPTUM.] Ultionem scilicet Dei mandato præscriptam, atque a Prophetis prædictam. Ad litteram [3]: *Judicium scriptum*. Quidquid in terra contingit, ab æterno scriptum est in Libro Domini, atque decretis illius; hæc ea est, quam sæpe Scriptura nobis adstruit, Divinæ justitiæ idea. Conqueritur Job cum Deo his verbis c. 13. 26. *scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ*. Et cap. 31. 35. 36. fiducia repletus, Judicem sibi dari petit, qui jus suum ad examen revocet, & sententiam scribat. Daniel nobis describens Divini Judicii apparatum, ait c. 7. 10. *Judicium sedit, & libri aperti sunt*. Prophetæ sæpius minitati fuerant Idumæis, Philisthinis, Moabitis ea mala, quæ mox perpessi sunt a Macchabæis, eorumque successoribus.

GLORIA HÆC EST OMNIBUS SANCTIS EJUS.] Privilegia hæc nuper memorata; gloria, quies, pax, victoria, super inimicos elatio, non uni tantum arctata sunt, sed sunt universæ nationi communia, omnibus scilicet Israelitis de captivitate reversis, & iis præcipue, qui Samaritanorum conatibus restiterunt. Omnes bonis, & gloria cumulabuntur. Hi totidem Heroes erunt, qui zelo, ac virtute armati Domini ultionem in omnes nominis ejus hostes exercebunt. Novissimo Judicii die non Apostoli solum impios judicabunt, sed Fideles omnes, omnesque Sancti, ac ii præsertim, qui Apostolorum exemplum secuti terrena hæc omnia dereliquerunt, ut J. C. sequerentur.

---

1 Vide Hieronym. 2 1. Macc. 5. & 2. Macc. 12. & 3. 3. Macc. vers. finem & Joseph. Antiq. l. 12 c. 11. 12. 17. 3 לעשות בהם משפט כתוב

PSALMUS CL.

Psalmista adhortatur Ministros Domini, ut Dominum laudent in Templo ipsius ad varium diversorum instrumentorum concentum.

Alleluja.

ARGUMENTUM.

Theodoretus legit duplex *Alleluja* in Psalmi hujus fronte, & vetus Manuscriptus Græcus [1] hunc attribuit *Aggæo & Zachariæ*. Psalmi hujus argumentum idem est, ac superiorum. Domini laudes recinuntur, & præser tim Sacerdotes, ac Levitæ invitantur ad illius magnalia celebranda. Hoc potest subnecti Psalmis 148. & 149. imo etiam 145. 146. & 147. tamquam pars toti suo. In Psalmo 145. Auctor conqueritur, quod revocata fuerit facultas a Cyro Jerusalem reædificandæ permissa. In 146. loquitur de sterilitate, quæ contigit in pœnam negligentiæ populi, atque de fertilitate, qua Aggæi promissiones explevit. In 147. loquitur de murorum restauratione. In 148. creaturas omnes ad Dominum laudandum invitat; in 149. ad Israelitas præsertim se se convertit, & in 150. ad Sacerdotes, & alios Domini Ministros. Hæc est methodus, & consueta gradatio, quæ in omnibus generis ejusdem Canticis observatur. Vox illa *Alleluja*, quæ non semel repetita invenitur, veluti concentus intercalaris, occasionem tribuit, ut in tres Psalmos distingueretur.

Seldenus l. 3. de Synedriis ait, hunc cani consuevisse, cum primitiæ in Templum afferebantur. Muis vero censet, Canticum hoc esse, quo Levitæ se mutuo ad Dominum laudandum hortabantur, instrumentorum suorum sonitu, quibus in Templo personabant. Theodoretus hanc esse putat futuræ Gentilium prædictioni s conversionem, & S. Hieronymus, veluti solemnem gratiarum actionem Sanctorum, Deum in Cœlis laudantium post sæculorum consummationem, ac votorum suorum complementum.

1. LAudate Dominum in Sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.
2 Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.
3 Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & cithara.
4 Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chor-

1 Cod. Colb. 4439.

dis, & organo. 5 Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis; 6 Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.

Ỳ. 1. LAUDATE DOMINUM IN SANCTIS EJUS; LAUDATE EUM IN FIRMAMENTO VIRTUTIS EJUS.] Laudate Dominum in Sanctuario ejus; laudate eum in immobili throno potestatis ejus. *Sanctuarii* nomine Scriptura nonnunquam cœlum intelligit [1]. Laudate Dominum in Cœlis residentem, laudate eum in firmamento ejus, quod est veluti arx quædam inaccessibilis, atque inexpugnabilis [2], & locus, ubi illius gloria magis coruscat propter fulmina, fulgura, ignes, tempestates, pluvias, grandines, quas ibi producit. Firmamenti enim nomine intelligimus aerem. Alii versiculum hunc de Sanctuario, & Arca interpretantur: *Laudate Dominum in Sanctuario suo residentem; laudate eum insidentem Arcæ suæ* [3], quæ nomine firmamenti, vel [4] virtutis Dei potest designari. Alii [5]: *Laudate eum propter potentiam, & fortitudinem ejus*. Sed prior explicatio melior videtur.

Ỳ. 2. LAUDATE EUM IN VIRTUTIBUS EJUS [6].] Laudate eum in effectibus divinæ virtutis ejus, quam toties pro nobis exercuit. Laudate omnia prodigia potestatis ejus in Cœlo, ac in terra.

Ỳ. 3. LAUDATE EUM IN SONO TUBÆ.] Psalmista decem hic numerat instrumenta, quibus ad Domini laudes celebrandas in Templo utebantur. Tubarum usus solis Sacerdotibus reservatus erat juxta Moysis præceptum Num. 10. 2. 8. Sed cæteris omnibus instrumentis Levitæ personabant. Symmachus isthic corneam tubam [7], vel cornu intellexit.

IN PSALTERIO, & CYTHARA.] Hebræus [8]: *In nable, & cinnor*. Adiri potest Dissertatio nostra de Musicis instrumentis.

Ỳ. 4. IN TYMPANO, & CHORO.] *Chorus* hoc in loco musicum instrumentum significat. Hebræus [9]: *In tympano, & machol*. Tradidimus alibi horum instrumentorum descriptionem.

IN CHORDIS, & ORGANO.] Hebræus [10]: *in minnim, & huggah*. Hæc, ut ferunt, duo erant tibiarum genera; vel potius *minnim* instrumentum erat, fidibus exornatum, & *huggah* tibia. Vetus quidam Græcus Interpres: *cum instrumentis fidium, & cum cythara*.

Ỳ. 5. IN CYMBALIS BENE SONANTIBUS.] Hebræus [11]: *Cum zalzelim sonoris*, vel bene sonantibus. Hoc autem vel *sistrum* est, vel *cymbalum* veterum.

OMNIS SPIRITUS LAUDET DOMINUM.] Sunt, qui ita explicent. Spiritus omnes a materia secreti, Angeli, intelligentiæ, animæ a corporibus sejunctæ laudent Dominum. Alii: Laudate Dominum, omnibus pneumaticis instrumentis, qualia sunt omnia tibiarum genera. Sed verus sensus authographi [12] est: ea omnia, quæ vivunt, ac spirant, Domini laudes concelebrant. Muis putat, postremum hunc versiculum additum fuisse tamquam Psalterii totius clausulam ab eo, qui Psalmos collegit.

ALLELUJA.] Vox hæc non extat in Septuaginta, non in Syriaca versione, neque Arabica, & S. Augustinus in Psal. 104. ait perpauca fuisse Latina exemplaria, & pauciora adhuc Græca, in quibus isthic legeretur. In antiquis certe Psalteriis [13], ac in plerisque Patribus non invenitur. Invenitur autem in Hebræo textu, in Chaldæo, & in Vulgata, & sane non aptior, ac dignior finis Psalterio universo poterat appingi; cum enim operis totius argumentum sit Domini Laus, non poterat accommodatius concludi, quam dicendo: *Laudate Dominum: Alleluja*. Hoc unicum deberet esse nobis negotium in terra; hæc nobis unica in cælis consolatio. Deo uni sit gloria, & honor in sæcula sæculorum. Amen.

---

1 Psalm. 19. 7. 101. 20. Rab. Mos. & Kimchi. 2 Symmach. Ἐν στερεώματι τῷ κατοικητηρίῳ αὐτοῦ. ברקיע עוזו 3 Rabb. Judas, Levita. 4 Psalm. 62. 3. & 77. 61.
5 Muis, Jun. Ainsv. 6 Psalter. Rom. Mediol. S. German. Carnut. *In potentatibus ejus*. 70. Ἐν δυναστείαις αὐτοῦ. 7 Symmach. Διὰ ἤχου κερατίνης בתקע שפר
8 בנבל וכנור Aquil. Ἐν σκεύει ψαλμοῦ καὶ λύρᾳ. Alius διὰ ναύλα καὶ λύρας.
9 בתוף ומחול 10 במנים ועגב Quid. Διὰ χορδῶν καὶ κιθάρας.
11 בצלצלי שמע 12 כל הנשמה תהלל יה Quid. Πᾶσα ἀναπνοή. 70. Πᾶσα πνοή.
13 Psalter. Gallic. & Rom. & Vet. apud. Fabr. Stapul.

FINIS QUINTI, ET ULTIMI

PSALMORUM LIBRI.

PSALMUS CLI.

APOCRYPHUS.

Canticum gratiarum actionis David, cum vicit Goliath.

ARGUMENTUM.

Titulus hujus Psalmi Græce hæc habet. *Psalmus inscriptus* peculiariter *nomine David*: vel *Psalmus autographus*, & propria David manu exaratus: *extra numerum* centum & quinquaginta Psalmorum Canonicorum, *cum singulari certamine cum Goliath conflixit*. Manuscripti quidam Latini [1]: *De puero David*. Alii [2]: *Proprie scriptus*. Hic autem neque in Hebræo, neque in Chaldæo, neque in Vulgata invenitur, neque vel a Græcis, vel a Latinis in Sacrarum Scripturarum Canonem admittitur. Legitur tamen in Versione Syriaca, Arabica, & in pluribus Exemplaribus Græcis, in Versione Anglo-Saxone, in libris orationum apud Græcos, in pluribus antiquis Latinis Bibliis, & apud Apollinarem. S. Athanasius in Synopsi, ac in sermone ad Marcellinum de Psalmorum interpretatione; Euthymius in Prologo in Psalmos, Vigilius Thapsensis in Disputatione Arnobii, & Serapionis, Auctor Epistolæ sub nomine Mariæ Castabalis ad S. Ignatium, Psalmi hujus meminerunt, & ad eumdem alludit S. Chrysostomus in Homilia 17. ad populum Antiochenum. Sed nemo ex Patribus hunc illustravit commentariis; nec desunt Exemplaria Græca, eaque magni nominis, ubi non invenitur. Nos vero isthic illum referimus, dumtaxat satis facturi nonnullorum cupiditati, qui eum legere cuperent; nihil sane continet, nisi quod prodesse legentibus possit.

1. *Pusillus eram inter fratres meos, & adolescentior in domo patris mei; pascebam oves*
patris mei. 2 *Manus meæ fecerunt organum; & digiti mei aptaverunt psalte-*
rium. 3 *Et quis annuntiavit Domino meo? ipse Dominus; ipse omnium exau-*
ditor. 4 *Ipse misit Angelum suum, & tulit me de ovibus patris mei; & unxit me*
oleo unctionis suæ. 5 *Fratres mei pulchri & magni; & non fuit beneplacitum in eis Do-*
mino. 6 *Exivi obviam alienigenæ; & maledixit me in simulacris suis.* 7 *Ego autem*
evaginato ab eo ipsius gladio, amputavi caput ejus; & abstulit opprobrium a filiis Israel.

℣. 3. QUIS ANNUNTIAVIT DOMINO?] Syrus: *Quis annuntiabit Deo meo? Ipse est Dominus, & Deus meus.* Arabs: *Quis docuit me? Dominus meus, & Deus meus.* Manuscripta quædam legunt *annuntiabit* juxta Græcum textum [3]: sed *annuntiavit* meliorem sensum adfert.

℣. 4. OLEO UNCTIONIS SUÆ.] Manuscripti quidam legunt [4]: *Unxit in misericordia unctionis suæ*; pro *oleo unctionis suæ*. Eumdem lapsum non semel in Psalmis deprehendere licet, ubi Græce legitur *eleos*, misericordia, pro *elaion* oleum. Lectio nostra melior est, & Græco textui magis conformis [5].

℣. 5. FRATRES MEI PULCHRI, & MAGNI.] Iidem Manuscripti nuper allati habent: *Fratres mei boni, & magni*, uti est in Græco ad litteram [6]. Sed *bonus* istic idem valet, ac *pulcher*. Eadem vox Hebraica *tob*, & *bonum*, & *pulchrum* significat.

℣. 6. Post hunc versiculum Arabs addit: *Jeci in illum cum funda mea tres lapides, qui percusserunt frontem illius: ac Dei virtute auxiliante dejeci illum* (℣. 7.) *& evaginato gladio ipsius &c.*

---

1 Psalter. S Albini Andeg. 2 Cod. Reg. 138. 222. Colb. 1339. Memm. 2.
3 Καὶ τίς ἀναγγελεῖ τῷ κυρίῳ μου. 4 Codex Memm. 2. Bibl. S. Albini Andegav. & Codices Regii, & Colb. apud Ferr. unus Reg. 222. omittit, *in misericordia unctionis suæ*.
5 Οἱ ἀδελφοί μου καλοὶ καὶ μεγάλοι. 6 Ἐν τῷ ἐλαίῳ τῆς χρίσεως αὐτοῦ.

FINIS.

dis, & organo. 5 Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis iubilationis; 6 Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.

ỹ. 1. LAUDATE DOMINUM IN SANCTIS EJUS; LAUDATE EUM IN FIRMAMENTO VIRTUTIS EJUS.] Laudate Dominum in Sanctuario ejus; laudate eum in immobili throno potestatis ejus. *Sanctuarii* nomine Scriptura nonnumquam cœlum intelligit [1]. Laudate Dominum in Cœlis residentem, laudate eum in firmamento ejus, quod est veluti arx quædam inaccessibilis, atque inexpugnabilis [2], & locus, ubi illius gloria magis coruscat propter fulmina, fulgura, ignes, tempestates, pluvias, grandines, quas ibi producit. Firmamenti enim nomine intelligimus aerem. Alii versiculum hunc de Sanctuario, & Arca interpretantur: *Laudate Dominum in Sanctuario suo residentem; laudate eum insidentem Arcæ suæ* [3], quæ nomine firmamenti, vel [4] virtutis Dei potest designari. Alii [5]: *Laudate eum propter potentiam, & fortitudinem ejus*. Sed prior explicatio melior videtur.

ỹ. 2. LAUDATE EUM IN VIRTUTIBUS EJUS [6].] Laudate eum in effectibus divinæ virtutis ejus, quam toties pro nobis exercuit. Laudate omnia prodigia potestatis ejus in Cœlo, ac in terra.

ỹ. 3. LAUDATE EUM IN SONO TUBÆ.] Psalmista decem hic numerat instrumenta, quibus ad Domini laudes celebrandas in Templo utebantur. Tubarum usus solis Sacerdotibus reservatus erat juxta Moysis præceptum Num. 10. 2. 8. Sed cæteris omnibus instrumentis Levitæ personabant. Symmachus isthic corneam tubam [7], vel cornu intellexit.

IN PSALTERIO, & CYTHARA.] Hebræus [8]: *In nablo, & cinnor*. Adiri potest Dissertatio nostra de Musicis instrumentis.

ỹ. 4. IN TYMPANO, & CHORO.] *Chorus* hoc in loco musicum instrumentum significat. Hebræus [9]: *In tympano, & machol*. Tradidimus alibi horum instrumentorum descriptionem.

IN CHORDIS, & ORGANO.] Hebræus [10]: *in minnim, & huggab*. Hæc, uti ferunt, duo erant tibiarum genera; vel potius *minnim* instrumentum erat, fidibus exornatum, & *huggab* tibia. Vetus quidam Græcus Interpres: *cum instrumentis fidium, & cum cythara*.

ỹ. 5. IN CYMBALIS BENE SONANTIBUS.] Hebræus [11]: *Cum zalzelim sonoris*, vel bene sonantibus. Hoc autem vel *sistrum* est, vel *cymbalum* veterum.

OMNIS SPIRITUS LAUDET DOMINUM.] Sunt, qui ita explicent. Spiritus omnes a materia secreti, Angeli, intelligentiæ, animæ a corporibus sejunctæ laudent Dominum. Alii: Laudate Dominum, omnibus pneumaticis instrumentis, qualia sunt omnia tibiarum genera. Sed vetus sensus authographi [12] est: ea omnia, quæ vivunt, ac spirant, Domini laudes concelebrant. Muis putat, postremum hunc versiculum additum fuisse tamquam Psalterii totius clausulam ab eo, qui Psalmos collegit.

ALLELUJA.] Vox hæc non extat in Septuaginta, non in Syriaca versione, neque Arabica, & S. Augustinus in Psal. 104. ait perpauca fuisse Latina exemplaria, & pauciora adhuc Græca, in quibus isthic legeretur. In antiquis certe Psalteriis [13], ac in plerisque Patribus non invenitur. Invenitur autem in Hebræo textu, in Chaldæo, & in Vulgata, & sane non aptior, ac dignior finis Psalterio universo poterat appingi; cum enim operis totius argumentum sit Domini Laus, non poterat accommodatius concludi, quam dicendo: *Laudate Dominum; Alleluja*. Hoc unicum deberet esse nobis negotium in terra; hæc nobis unica in cœlis consolatio. Deo uni sit gloria, & honor in sæcula sæculorum. Amen.

1 Psalm. 19. 7. 101. 20. Rab. Mos. & Kimchi. 2 Symmach. Ἐν στερεώματι τῷ φ' κατακράτῳ αὐτοῦ. ברקיע עזו 3 Rabb. Judas, Levita. 4 Psalm. 62. 3. & 77. 61.
5 Muis, Jun. Ainsv. 6 Psalter. Rom. Mediol. S. German. Carnut. *In potentatibus ejus*. 70. Ἐν δυναστείαις αὐτοῦ. 7 Symmach. Διὰ ἤχου κερατίνης בתקע שפר
8 בנבל וכנור Aquil. Ἐν νεύλῳ & λύρᾳ. Alius διὰ νεύλα καὶ λύρας.
9 בתוף ומחול 10 במנים ועגב Quid. Διὰ χορδῶν καὶ κιθάρας.
11 בצלצלי שמע 12 כל הנשמה תהלל יה Quid. Πᾶσα ἀναπνοή. 70. Πᾶν πνεῦμα.
13 Psalter. Gallic. & Rom. & Vet. apud. Fabr. Stapul.

FINIS QUINTI, ET ULTIMI

PSALMORUM LIBRI.

PSAL.

PSALMUS CLI.

APOCRYPHUS.

Canticum gratiarum actionis David, cum vicit Goliath.

ARGUMENTUM.

Titulus hujus Psalmi Græce hæc habet. *Psalmus inscriptus* peculiariter *nomine David*: vel *Psalmus autographus*, & propria David manu exaratus: *extra numerum* centum & quinquaginta Psalmorum Canonicorum, *cum singulari certamine cum Goliath conflixit*. Manuscripti quidam Latini [1]: *De puero David*. Alii [2]: *Proprie scriptus*. Hic autem neque in Hebræo, neque in Chaldæo, neque in Vulgata invenitur, neque vel a Græcis, vel a Latinis in Sacrarum Scripturarum Canonem admittitur. Legitur tamen in Versione Syriaca, Arabica, & in pluribus Exemplaribus Græcis, in Versione Anglo-Saxone, in libris orationum apud Græcos, in pluribus antiquis Latinis Bibliis, & apud Apollinarem. S. Athanasius in Synopsi, ac in sermone ad Marcellinum de Psalmorum interpretatione; Euthymius in Prologo in Psalmos, Vigilius Thapsensis in Disputatione Arnobii, & Serapionis, Auctor Epistolæ sub nomine Mariæ Castabalis ad S. Ignatium, Psalmi hujus meminerunt, & ad eumdem alludit S. Chrysostomus in Homilia 17. ad populum Antiochenum. Sed nemo ex Patribus hunc illustravit commentariis; nec desunt Exemplaria Græca, eaque magni nominis, ubi non invenitur. Nos vero isthic illum referimus, dumtaxat satis facturi nonnullorum cupiditati, qui eum legere cuperent; nihil sane continet, nisi quod prodesse legentibus possit.

1. *PUsillus eram inter fratres meos, & adolescentior in domo patris mei; pascebam oves
patris mei.* 2 *Manus meæ fecerunt organum; & digiti mei aptaverunt psalte-
rium.* 3 *Et quis annuntiavit Domino meo? ipse Dominus; ipse omnium exau-
ditor.* 4 *Ipse misit Angelum suum, & tulit me de ovibus patris mei; & unxit me
oleo unctionis suæ.* 5 *Fratres mei pulchri & magni; & non fuit beneplacitum in eis Do-
mino.* 6 *Exivi obviam alienigenæ; & maledixit me in simulacris suis.* 7 *Ego autem
evaginato ab eo ipsius gladio, amputavi caput ejus; & abstulit opprobrium a filiis Israel.*

℣. 3. QUIS ANNUNTIAVIT DOMINO?] Syrus: *Quis annuntiabit Deo meo? Ipse est Dominus, & Deus meus.* Arabs: *Quis docuit me? Dominus meus, & Deus meus.* Manuscripta quædam legunt *annuntiabit* juxta Græcum textum [3]: sed *annuntiavit* meliorem sensum adfert.

℣. 4. OLEO UNCTIONIS SUÆ.] Manuscripti quidam legunt [4]: *Unxit in misericordia unctionis suæ*; pro *oleo unctionis suæ*. Eumdem lapsum non semel in Psalmis deprehendere licet, ubi Græce legitur *eleos*, A misericordia, pro *elaion* oleum. Lectio nostra melior est, & Græco textui magis conformis [5].

℣. 5. FRATRES MEI PULCHRI, & MAGNI.] Iidem Manuscripti nuper allati habent: *Fratres mei boni, & magni*, uti est in Græco ad litteram [6]. Sed *bonus* istic idem valet, ac *pulcher*. Eadem vox Hebraica *tob*, & *bonum*, & *pulchrum* significat.

℣. 6. Post hunc versiculum Arabs addit: *Jeci in illum cum funda mea tres lapides, qui percusserunt frontem illius: ac Dei virtute auxiliante dejeci illum* (℣. 7.) *& evaginato gladio ipsius &c.*

---

1 Psalter. S. Albini Andeg.
2 Cod. Reg. 138. 222. Colb. 1339. Memm. 2.
3 Καὶ τίς ἀναγγελεῖ τῷ κυρίῳ μου.
4 Codex Memm. 2. Bibl. S. Albini Andegav. & Codices Regii, & Colb. apud Fest. unus Reg. 222. omittit, *in misericordia unctionis suæ*.
5 Οἱ ἀδελφοί μου καλοὶ καὶ μεγάλοι.
6 Ἐν τῷ ἐλαίῳ τῆς χρίσεως αὐτοῦ.

FINIS.

IN PROVERBIA SALOMONIS

PRÆFATIO.

OMnium, quotquot unquam scripta fuerint, Operum elegantissimum ac maioris momenti Proverbia Salomonis censenda esse arbitror; continet enim Liber thesaurum omnem Divinæ illius sapientiæ, qua eximius ille Scriptor, & Sapientiæ veluti Sacrarium affatim ditabatur. Ipse de se ultro fatetur, Lucubrationes illas fructum esse & consummatæ prudentiæ suæ, & altissimarum meditationum, pluraque se tum investigasse, tum assiduo studendi labore didicisse, antequam ad scribendas Parabolas animum, manumque conferret (1). *Manifestum est*, ait S. Hieronymus in Eccle. 12. 9. *Proverbiorum Librum non, ut simplices arbitrantur, patentia habere præcepta, sed quasi in terra aurum.* Hinc excellentiæ quadam appellatione apud veteres Patres *Panaretos* nomine appellatur, ac si diceretur summa totius moralis facultatis, & ad virtutes omnes institutio. Eo titulo etiam inscribuntur similis argumenti Libri, Sapientiæ nempe & Ecclesiastici.

Proverbiorum nomen aliter quàm vulgari sensu hic usurpandum est; designat enim sententias, axiomata, & lectiones aliquas breves ad mores informandos aptas, & in sententiæ morem vibratas. *Parabolæ*, quo titulo à Græcis Liber inscribitur, satis consonat Hebræo *Misle;* quadrat autem admodum cum saniori sententiarum ejus Libri parte, parabolico & figurato stilo proposita. Similitudines autem suas Author plerumque derivat è rebus ad manum & naturalibus; quibus solidas & maximè utiles Lectoribus institutiones accommodat. Profectò moralia documenta tùm maximè in spiritum faciliùs influunt, cùm figurarum velamentis adumbrata, quàm cùm nudè proposita traduntur,

Eandem methodum Veteres sectati, nunquam fermè dogmata sua nisi sub figuris proposuerunt. Obtinebat id maximè inter Pythagoricos, qui ænigmatico sermone ceu vernaculo utebantur (2). Idem fermè & à Sacerdotibus Ægyptiis, sicut & Gymnosophistis Indorum, & Druidis Gallorum præstitum (3). Eundem etiam Orientalium morem primi Græciæ Sapientes adoptarunt, quos inter Cleobulus, ejus filia Cleobulina, ænigmatibus suis & gryphis (eo etenim nomine designabantur breves quædam & vibratæ sententiæ in conviviis maximè familiares) per totam Græciam claruerunt; Cleobulus enim, authore Diogene Laertio, scripsit ad 3000. carmina, & Gryphos; & Cleobulinam carmina pariter ænigmatica scripsisse, eodem teste compertum est. Nihil ab earum Lucubrationum genere alienum, non religio, non politica, non moralis, non œconomica, non ludicra etiam quandoque. Cephisodotus Isocratis auditor (4) vitio vertit Aristoteli, quòd vetera proverbia colligenda neglexisset. Tandem Sanctus Clemens Alexandrinus non semel testatur (5), hanc docendi rationem breviorem esse, graviorem, & vetustissimam, facilem etiam tutamque, utpote quæ omnium captui maximè congruat, memoriæ facilius, cùm breuis sit & aperta, mandetur. Quare nullus hominum status ad vitæ & morum suorum rationem ducendam hisce doctrinis non juvatur.

Salomonis ætate Parabolarum & ænigmatum studium potissima erat Sapientum virorum occupatio: *Audiens Sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animadvertet parabolam & interpretationem, verba Sapientum, & ænigmata eorum.* Prov. 1. 6. 7. Author Eccli. 39. 1. 2. &c. *Sapientiam omnium Antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur. In medio Magnatorum ministrabit, & in conspectu Præsidis apparebit. In terram alienigenarum gentium pertransiet, bona enim & mala in hominibus tentabit.* Eo studii genere occupabantur sapientissimi illi viri. Regina Saba ab ultimis terræ finibus Regem Salomonem consultura Jerosolymam venit (6). Hiram Rex Tyri (7), qui referente Menandro, & Dione, literarum consuetudine cum Salomone familiariter egit, propositis ænigmatibus sapientiam illius tentavit, iisdemque ab eodem Rege provocatus aptas interpretationes reponebat.

Salomon, quod Patres etiam animadvertisse constat (8), in tribus, qui ex ipso supersunt,

(1) Eccle. 12. 9. *Cum esset sapientissimus Ecclesiastes docuit populum & narravit quæ fecerat; & investigans composuit parabolas multas.*

(2) Vide Diogen. Laert. lib. 8. (3) Clemens Alexandr. lib. 6. & Laert. lib. 1.

(4) Athen. lib. 2. cap. 17. (5) Vide lib. 1. Strom. pag. 299. & lib. 2. initio & lib. 6. pag. 677.

(6) 3. Reg. 10. 1. & Matt. 12. 42. Joseph. lib. 8. cap. 2. Antiquit.

(7) Joseph. Antiquit. lib. 8. cap. 2.

(8) Theodoret in Cant. Præfat. Hieron. in Eccle. & 1. Orig Prolog. in Caten; Basil. hom. 1. in Prov. Ambros. in Ps. 36. &c.

ſunt, Libris aptas ſingulis hominum ſtatibus inſtitutiones præſcribit. Proverbia ſimplicum & tyronum in virtute captui accommodantur. Adoleſcentibus inſcribuntur, & quem Salomon inſtituit diſcipulum, eodem ſæpè nomine compellat. Eccleſiaſtes virum inſtruit, rerum hujus mundi vanitatem demonſtrans: Cantica perfectas jam animas, quæ de carne, & ſanguine nihil, omnia verò de ſpiritu ſapiant. Primum Opus fere reſpondet *Ethicæ* Philoſophorum, id eſt ſcientiæ morum; ſecundum Phyſicæ, id eſt ſcientiæ *naturæ*; tertium Logicæ i. e. ſcientiæ rationis perficiendæ; ſive juxta Teodoretum, tota Salomonis doctrina tribus veluti gradibus conſtat, morali, naturali, & myſtico. S. Iſidorus Peluſiota lib. 4. Ep. 40. tres illos Libros tribus Templi partibus comparat; Proverbia atrii exterioris Iſraelitis omnibus patentis loco ſunt; Eccleſiaſtes cum Sancto conſerendus, quem locum velamenta præ foribus oppanſa prophanorum oculis abſcondunt, neque adire quenquam niſi Sacerdotes initiatos fas eſt. Canticum Canticorum Sanctuarium, ſive Sanctum Sanctorum refert, unde excluſi omnes, etiam Sacerdotes, unuſque ſemel in anno admiſſus Antiſtes ſupremus, nec niſi prius variis ritibus & luſtrationibus expiatus. Omnes ad Proverbiorum ſtudium invitantur, rari ad Eccleſiaſtem, rariſſimi penetralia Cantici Canticorum pervadunt.

Omnium conditioni aptam vivendi normam Proverbia ſtatuunt, Regibus, Aulicis, mundi commerciis occupatis itemque ab omni commercio ſecretis, heris, famulis, viris, uxoribus. Regulæ in eo Libro moralis, politicæ, & œconomicæ. Hortamenta quandoque pietatis, interdum decoris, utilitatis, amoris, timoris, & natura inſitæ charitatis. Potiſſima Authoris cura eò tendit, ut grandem aliquam Numinis ideam & judiciorum ipſius metum ingeneret; tum ardens in virtutem & ſapientiam amor incenditur, cujus & virtutis, & ſapientiæ elegantes ſanè imagines, ſæpiſſimè depingit. Delineat etiam injuſtitiam, impietatem, licentiam, inertiam, imprudentiam, & ita delineat, ut earum horrore omnes, qui famæ ſuæ & decoris aliquo ſtudio tenentur, maximè arceat. Cum verò nihil æquè ab amore ſapientiæ, & bonorum operum exercitio homines, & maximè adoleſcentes, abducat, quàm crapula & laxatum in voluptates frænum, id ſibi potiſſimùm ſuſcipit Author, ut diſcipulum ſuum, ne voluptatum illecebris, & laqueis muliercularum capiatur, cautum efficiat. Uno verbo, pulcherrima ibi morum documenta ad omnes vitæ ſtatus traduntur, tanta varietate, ut ne unus quidem Lectorum vacuus diſcedat.

Scriptum à Salomone Opus vulgo creditur, cùm ejus nomen in fronte Libri apparens, in contextu etiam recurrat (1). Conveniunt ea in re Synagoga pariter & Eccleſia. Fuerunt identidem tractu temporis Critici, qui ea de re ambigendum ſibi arbitrarentur; quod mirari non ſubit in tanta Scriptorum copia, & eo, quo incitantur, pruritu, ut opinionum novitate ſingularitatem affectent. Collectas eo Opere eximias, quæ apud Judæos ferrentur, ſententias Grotius autumavit (2); collectas autem juſſu Salomonis è vetuſtiſſimis quà Poetis quà Hiſtoricis, quemadmodum recentiori ætate Imperatores Conſtantinopolitani non diſſimili exemplo ſingularia quæque optimorum Authorum in unum colligenda juſſerunt. Sub Ezechia verò, addit (3), huic Collectioni additamentum aliquod factum eſt ex iis ſententiis, quæ à Sapientibus Judæorum prolatæ utiliſſimæ videbantur. Ea verò confidentia hæc narrat Grotius, ut nomina ipſa Collectorum adnotet, nempe Eliacim, Sobna & Joake, quorum meminit 4. Reg. 18. 26. Porrò Scriptor iſte Rabbinorum fidem ſubleſtam planè, & nullius ponderis ſecutus eſt; itaque verbo affirmanti verbo omnia, quoadusque dicti ſui certiora documenta non exhibeat, negabimus. Præſtat enim ſectari Eccleſiæ, Patrum & Interpretum authoritatem, uno conſenſu Salomoni unico omnium Proverbiorum Authori Opus vindicantium, duobus tantùm exceptis poſterioribus capitibus, facilè Agur, & Lamueli tribuendis. Porrò Librum iſtum portionem eſſe 3000. Parabolarum, quas ab eodem Rege dictatas novimus (4), ne ambigimus quidem.

Ad Parabolarum ordinem quod attinet, eandem manere, quæ olim ſub Salomone, diſpoſitionem aliqui opinantur. Fragmenta quædam amplioris cujuſdam Collectionis ſupereſſe malunt alii, quorum opinioni maximè favet Textus Operis, in quo variæ ſparſim occurrunt inſcriptiones. Continuata rerum ſeries ab exordio uſque ad caput 10. ſingularis veluti præfationis Operi præfixæ loco habenda eſt (5). Exinde priori titulo, *Parabolæ Salomonis*, repetito, novo ſtilo Liber incipit. Sunt autem breves quædam ſententiæ, nulla inter ſe rerum connexione junctæ, antithetis plerumque, & alienas hiſtorias ſpectantibus verbis, ac tandem ſimilitudinibus propoſitæ: ſingulæ autem ſenſum præſeferunt abſolutum & planè ab alia ſeparatum. Hæc lucubrationis ratio uſque ad cap. 22. 17. obtinet. Excipit deinde alius rerum tenor, ſtilo magis prioribus novem capitibus uniformi. In cap. 24. 23. nova hæc inſcriptio promitur: *Hæc quoque Sapientibus*, i. e. pro Sapientibus vel Sapientum dicta, tum conciſus & ſententioſus ſtilus uti priùs in cap. 10. &c. recurrit. Cap. 25. novam collectionem his verbis exorditur: *Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ*

(1) Prov. 25. 1. (2) Grot. in 3. Reg. 4. 32. & Præf. in Proverb.
(3) Grot. ad Prover. 24. 25. (4) 3. Reg. 4. 32.
(5) Mercer. Grot. Munſt. alii paſſim.

Ezechiæ Regis Juda. Definit ea rerum feries in cap. 30. in cujus exordio hæc legas. *Verba Agur filii JaKe*. (Ita Hebr.) Tandem cap. 31. infcribitur: *Verba Lamuelis Regis*.

Ex quibus omnibus fatis demonftratum arbitror, Proverbiorum collectionem, qualis modò extat, è variis Salomonis fententiis adornatam nec unius effe Authoris, nec temporis; redegiffe verò illas in unum corpus Efdram five alium quemcumque, qui Libros Sacros recenfendos, & in eum ftatum, quem modò tenent, redigendos poft captivitatem Babylonicam fufcepit. Ex quo data Interpretibus quibusdam occafio, totum Opus in tres Libros diftribuendi. Priorem librum definit Baynus intra decimum caput; decimum, & deinceps ufque ad cap. 23. 17. fecundum conftituit; tertium reliqua occupant.

Aliud argumentum, quod collectum plurium Authorum cura Opus illud demonftrat, crebra eft verfuum & fententiarum repetitio (1). Vix enim perfuademur, fingularem Authorem non intermiffè fcribentem eadem fæpiùs repetere, veluti priorum oblitum, fufcepiffe. Nihil moror hic fententias in Textu quidem Septuaginta & Vulgatæ legendas, quæ in Hebræo defiderantur; 12. vel 13. fimiles leguntur Latino Textui poft S. Hieronymum adjectæ (2).

R. Kimchi Collectionem illam Ifaiæ authori tribuendam cenfuit; alii Helciæ, & Sobnæ Præfecturam fub Ezechia agentibus. Et fanè Ezechiam fingulares Salomonis ac fortè etiam Sapientum aliorum virorum fententias colligendas mandaffe conftat; quo verò tempora, quomodo, quo fine, quid tandem Opus illud contineret, an hodie fuperfit, incerta omnia. S. Hyppolitus, ab Anaftafio Nicæno (3) laudatus, tradit, fub Rege Ezechia laboratum à viris lectiffimis quibufdam Operibus Salomonis excerpendis, relictis iis quæ minùs utilia, & minùs formandis moribus populifque inftituendis effe arbitrarentur. E' Canticis igitur unum Canticum Canticorum felectum eft; è Parabolis illæ difcretæ, quæ in hac Collectione leguntur. Paria fermè tradit Eufebius Cæfarienfis ab eodem Scriptore laudatus; autumat enim fub Ezechia laboratum fuiffe, ut felectiffimis quibufque è Libris Salomonis excerptis, cætera omnia fupprimerentur; ne fcilicet populus, quod jam fieri à multis contigerat, Volumina illa ftudiofiùs pro remediis affectę valetudinis quærendis confulens, ad impetrandam à Deo opem minùs fe promptè conferret. Porrò quæ Ezechia curante refervata funt, inquiunt illi, hæc ad noftram ufque ętatem manferunt, In eandem ferè fententiam concedunt Rabbini, Ezechiæ tres illos Libros collectos tribuentes (4), ac viciffim ab illo plura Salomonis volumina fu ppreffa afferentes.

De tempore fcripti à Salomone Operis non fatis convenit. Judæi quidam tenent (5), Canticum Canticorum prima ætatis juventa fcriptum; Proverbia maturo jam Scriptore; in exitum jam inclinati Ecclefiaftem deberi: id Judæis illis ex ipfis eorumdem Operum infcriptionibus affirmandum fuccurrit. In fronte enim Proverbiorum Regis Ifrael fibi titulum Author vindicat; in Ecclefiafte verò Regis Jerufalem. Solida planè argumenta. Rabbinorum aliis (6) vifum eft, non priùs quam in fenectute, paulò ante obitum, Salomonem ad fcribendum applicare, cum fcilicet hebetatum antea molliffimæ vitæ illecebris ingenium fingulari Deus beneficio viro reftituit. S. Hieronymus in Ezech. 43. luculenter afferit, Salomonem poft commiffum crimen Proverbia fua dictaffe; fed verofimiliùs credimus, tunc potiffimùm ad Proverbia fe applicaffe Salomonem, cùm in maximo effet fapientiæ culmine; fapientiæ, inquam, cujus præ cæteris omnibus univerfi Orbis Regibus fumma fuit viro laus. Proverbia fua laudat ille in Ecclefiafte (7); unde facilis conjectura, Proverbia illa Ecclefiaftem præceffiffe. Carmine fcriptum effe Opus S. Hieronymus Præfat. in Ifai. afferuit, id fortè fignificans, vel carmina illa nullis fuiffe legibus adftricta, vel ftilum referre poeticum, quemadmodum veterum Philofophorum fententiæ omnes (8).

De authoritate ejus Libri ambigit nemo; unus apud Veteres Theodorus Mopfueftenus (8) ambigendum de illo fufcipiens contendit, fcriptum à Salomone Opus, naturali tantùm fapientia inftructo; neque enim divinum accedere lumen debuit viro ufque adeò naturalibus ingenii dotibus ornato. Hanc opinionem inftauravit Author in Specimine opinionum Theologorum quorumdam Hollandorum de infpiratione Sacrorum Librorum. Sed de parfimonia illorum, nihil ad Deum; & Ecclefia, quam Divinus Spiritus inftruit pariter & moderatur, Proverbiorum Librum in cenfum Sacrorum nunquam non habuit. Laudarunt illum, nec infrequenter;

(1) Vide cap. 14. 2. 16. 25. Item cap. 11. 2. & 16. 18. & 18. 12. Item cap. 12. 14. & 13. 2. & 18. 20. Item 6. 19. & 19. 5. 9. Item 13. 11. & 20. 21. 23. Item 20. 10. 23. Item 21. 9. & 25. 24. & 19. 24. & 26. 15.

(2) Vide Notas ad Præfat. Prov. in priori volumine Operum S. Hieron. nov. Edit.

(3) Anaft. Nicæn. quæf. 39. in Script. Vide in cap. 25. 1. Cornel. à Lapid. Toftat. in 3. Reg. cap. 4. quæf. 8. Vatabl. in cap. 24. 23. Proverb. Et Salazar in cap. 21. 17.

(4) Vide Bayn. in Prov. 25. 1. & Talmudic. apud Mercer. Præfat. in Prov.

(5) Vide Bayn. hic, Cornel. a Lap.

(6) Zemach David p. 33. Seder Olam Rabba 11. c. 15.

(7) Eccle. 12. 9. *Compofuit Parabolas multas*.

(8) Laert. lib. 1. in Adomena. Vide not. Cafaub.

(9) Vide Concil. CP. IV. Collat. 4. art. 63.

frequenter, Scriptores sacri N. T. (1); quare uti authoritatem hujus Libri in dubium revocemus, nihil est.

Versio Proverbiorum sive à Septuaginta adornata, vel saltem sub eorum nomine vulgata; laudata ab Apostolis vetustissimisque Patribus, ab originali frequentissimè discrepat; continet enim plures sententias frustra quidem in Hebræo quærendas, sed in libro Ecclesiastici, saltem ex illis quasdam, recurrentes. Versiones Syriacæ, & Arabicæ, & quod singulare est, Paraphrasis Chaldaica nonnullis in locis è Græco expressa videtur. In Textu Romanæ Editionis transposita quædam, maximè à cap. 24 22. quo in loco interserit 14. priores versiculos cap. 30. sequitur dein caput 31. ac cap. 25. & subsequentia adusque totum 29. versiculum Librum claudentem. Minoris momenti transposita quædam, sicut & variantia in singulis capitibus, quod crebriora sint, prætermitto. Quid earum rerum fuerit in causa, non facile est divinare. Viri quidam docti (2) suspicantur, plures olim obtinuisse variorum temporum & Authorum non satis uniformes inter se collectiones; cum igitur aliæ alium tenerent ordinem, inde varia pariter series capitum, dogmatum, axiomatum, & sententiarum. Cave tamen hæc de Originali, quod nunquam variavit, sed tantùm de Græca Versione credas. Authores Hellenistæ primi omnium hæc facilè invexerunt; nec abs re suspicamur, Interpretem ad usum privatum scribentem, quid sibi maximè liberet, hoc in Opere adornando secutum. Sed hæc incerta.

Præter tria hæc Opera, Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum, genuinos Salomonis fœtus, sequiorum temporum impostura nonnulla etiam eidem Authori Opera perniciosa maximè, & magiam plerumque continentia affinguntur; quo scilicet sub tanti nominis obtentu majori confidentia merces illæ pravæ venderentur. Ita Salomonis nomine inscribitur *Liber de remedio morborum* apud Kimchi; *Contradictio Salomonis*, *Testamentum Salomonis*, Gaulmino notum. Tanto etiam nomine inscribuntur 5. Libri apud Albertum Magnum in *Speculo Astrologiæ*, quorum 1. *Liber Almadad.* 2. *Liber quatuor annulorum*. 3. *Liber de novem Candariis.* 4. *De tribus figuris Spirituum*. 5. *De Sigillis ad Dæmoniacos*. Quatuor alios memorat Trithemius, 1. *Claviculam Salomonis ad filium Roboamum*. 2. *Librum Lamene*. 3. *Librum Pentaculorum*, fortè *Pentagonorum*. 4. *De Officiis Spirituum*. Laudatur à Reuclino Liber *Raziel*, & à Chico alter de *Nigromantia ad filium Roboamum*. Apage hæc a viro sapientissimo.

Porrò hæc vetustissima est fraus, cùm ipse de Salomone Josephus Antiq. l. 8. c. 2. persuadere credulis nitatur, scripsisse illum pellendis morbis atque Dæmonibus potentissimas adjurationes, quæ adhuc Josephi ætate valerent. Testatur autem, Eleazarum quemdam plures expulisse Dæmones coram Vespasiano, applicata tantùm radice quadam à Salomone indicata, quam in annulo gestabat, & ejusdem Principis nomine invocato. Omnia hæc Salomonis Opera, sicut & Epistolæ Salomonis ad Hiram & Hiram ad Salomonem, quamvis Josepho probatæ, inter apocrypha rejiciuntur.

(1) Vide Hebr. 12. 5. 6. *Canis reversus ad vomitum*. Ex Proverb. 26. 11. Jacob. 4. 6. *Humilibus dat gratiam* Ex Proverb. 3. 34. Apoc. 19. 3. *Ego quos amo corrigo & castigo*. Ex Proverb. 3.12.

(2) Grot. in cap. 15. 33. & Bossuet. Præfat. in Prov. pag. 16.

DISSERTATIO

AN VETERES LEGISLATORES & Philosophi è Scriptura Leges suas, & Moralem scientiam hauserint.

Rectam in scriptis Polemicis lancem tenere, & in æstu disputationis in adversam veritati partem tantùm non abripi, arduum est pariter & infrequens. Certæ ætatis opinio fuit, id omnibus viribus enitens, ut demonstraret veteres Philosophos plura & optima quæque tum in legibus, cùm in scriptis suis è Sacris Judæorum Libris expressisse. Accidit etiam non infrequenter, ut variatis temporum circumstantiis contraria probarentur, nihilque intactum relinqueretur, quo intelligerent homines, nihil nosse de Scripturis Philosophos; quippè qui mentem haberent & spiritum, non secus ac reliqui omnes Ethnici, errorum tenebris obvolutam, atque in incertum spiritus vagarentur; ut si quid inter eorum Libros & Mosaicos Propheticosque congruere deprehenderetur, id unicè casui, & scintillæ naturalis luminis, omnibus æquè mortalibus à Deo concessi, tribuendum fuisset. Eo tandem, quo versamur, sæculo Scriptores quidam id sibi, in aliam extremitatem abrepti, probandum susceperunt (1), Moysem ipsum leges suas & caremonias Ægyptiis debuisse; quippè qui in Ægypto institutus,

(1) Marsham, Canon. Ægyptiac. & Spencer. de Legibus Hebræorum Ritual.

stitutus, quæ ibi didicerat optima (erat enim juxta S. Stephanum, Act. 7. 22. *eruditus omni sapientia Ægyptiorum*) in succum suum transtulerit. Postremam hanc opinionem refutandam suscepimus in Præfatione ad Exodum. Modò aliorum opiniones in examen revocandæ sunt.

Ex quo Judæi Ægypti solum deseruerunt, usque ad extremam Regni Juda & Israelis ætatem, in sua semper regione se continentes, colendis agris & terræ ubertati, quæ lacte, & melle manabat, promovendæ laboribus suis occupati, tum & curas suas omnes nutriendis parvulis filiis, meditationi, & exercitationi Legis intentas habentes; discreti semper ab externarum gentium consortio; mari, quantùm commodis suis sat esset propinqui, sed quantùm corruptioni morum ex aliorum commercio avertendæ satis remoti; cùm neque connubia, neque Religionem haberent cum Idololatris gentibus communem; singularem tandem vitæ tenorem sectati, quo & odio erant & contemptui cæteris per orbem gentibus; his, inquam, omnibus perpetuo inter se charitatis fœdere ita conjungebantur, ut simul nihil haberent cum cæteris gentibus commercii. Hanc de populo suo ideam subjicit Josephus lib. 1. contra Appion. pag. 1038 eamdemque de illis prophani quique Scriptores habebant. Tacit. Histor. lib. 5. *Instituta sinistra, fœda, pravitate valuere .... apud ipsos fides obstinata; adversus omnes alios hostile odium .... Judæorum mos absurdus sordidusque*.

Post restitutam è captivitate gentem, minus & claritate nominis & potentia valuerunt; vicissim tamen plus studii positum, tum in colendis veteribus cæremoniis, cùm pariter à commercio exterorum sese continendis. Cùm tamen frequentibus populi transmigrationibus & exiliis factum esset, ut per universam terrarum Orbis faciem longè latèque plures è Judæis disperderentur, nullaque esset in toto Oriente, Ægypto, Africa, Insulis Mediterranei, Græciæ, & Italiæ regio Judæis habitatoribus vacua; Hebræi, gens licèt omnibus contempta, singulari vitæ genere & politia admirationem in se omnium gentium, quas inter versabantur, converterunt. Tum omnium versa studia inquirendæ eorum origini, historiis, & Legibus. Tandem sub Ptolemæo Philadelpho Rege Ægypti Versio Legis ex Hebræo in Græcum suscepta est; ex quo deinde veluti traditi in manus Libri Philosophorum studia exercuerunt. Nihil tamen certi ea de re affirmandum suscipimus; neque enim extra omnem dubitationis aleam positum est, hunc Ægypti Regem, vel Bibliothecæ ipsius Curatorem eam Pentateuchi Versionem procurasse; quidquid enim asseverent Aristæas, Philo, Josephus de Versione à Septuaginta adornata, facilè tamen contingere potuisse credimus, ut Judæus aliquis spontè illam susceperit. Tradit Philo de vita Mosis, Judæos Insulæ Phari solemnem ejus rei memoriam singulis recurrentibus annis celebrasse; cum interim alii Judæi solemne ad diem 8. Thebet jejunium indixissent, quod etiam nostræ ætatis Calendaria notant. Addunt Judæi, eo prophanatæ Legis horrore, tridui tenebras Orbis universi faciem obduxisse. Vide Joseph. Scal. in Calend. Jud. in Can. Isagog. l. 1. Vide & Selden. de jure Nat. & Gent. l. 3. c. 3. Judæos vetus Testamentum in Græcum transtulisse Judæis cæteris invitis, Ligfootus autumavit.

Tunc Philosophi, quibus opportunè accidit, ut vernacula eorum lingua, Græca scilicet, per totum ferè Orientem post constitutum Imperium Alexandri Magni cæterorumque post ipsum, vulgaretur, iter aggressi sunt, quò extra Patriam suam viros doctos, unde aliquid discerent, convenirent. Ægyptus jam inde à pluribus sæculis inter primores sapientiæ laude florentes nationes princeps habebatur. Eò proinde frequentiùs ventum est. Ipsi pariter Hebræi, externorum morum discendorum avidi, itinera ea de re & peregrinationes suscipere non recusarunt; quod exemplo discimus Jesu filii Sirach, Authoris Ecclesiastici, qui plures se regiones excurrisse perhibens, idem cæteris præstandi author est (1).

Eo temporis intervallo, quod inter solutam captivitatem & Jesu Christi adventum continetur, fama est, Paganos Philosophos è Sacris Scripturis in rem suam derivasse optima quæque moralia præcepta, quæ in eorum scriptis admiramur; tum & grandia, quæ de Deo ipsi sentire & gemina cum Moyse loqui visi sunt. Ex his fontibus Pythagoras, Plato, aliique plures optimam absolutissimæ Reipublicæ suæ politiam derivarunt; ex his Solon majorem legum suarum partem. Pythagoras, qui longè latèque discurrisse fertur, Jeremiam in Ægypto, ut fama est, vidit (2), Ezechielem in Chaldæa (3). Illum autem non Judæos tantùm nosse, sed & ex eorum Legibus plures in suam Philosophiam transtulisse, Hermippus apud Josephum Lib. 1. contra Appion. est author. Idem pariter Josephus ibid. l. 2. observat, Platonem ad Moysis imitationem injunxisse, ut patriarum Legum tabulas assiduè cives manibus versarent.

Clemens Alexandrinus Admonitione ad gentes p. 46. Paganos alloquutus, asserit, Leges Platonis aliorumque Legislatorum, Hebræis pro saniori earum parte deberi; undè etiam optima quæque & beatam illam eloquii ubertatem hauserint. Plura ejus rei exempla satis conformem utriusque exprimendi rationem testantia in medium adducit. S. Justinus Martyr Apolog. 1. pag. 15. Edit. Paris. 1636. persuasum habet, veteres illos Paganos Philosophos non tanquam primos præstantissimarum veritatum, quæ in eorum scriptis demiramur, Authores habendos; vix enim hæc homini in mentem venire poterant; sed omnia ad Scripturas Divinas, quæ illi in rem suam traduxerint, referenda. Singula autem propiùs dispiciens, demonstrat, Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, aliosque plures, cum per Ægyptum peregrinarentur, in Libros Mosaicos incidisse, quorum lectione plurimùm in cognitione Divinæ naturæ profecerint. Contendit etiam alibi (4), Philosophos omnes Græcos, quæ de animæ immortalitate, & quæ de pœnis impiorum scripserunt, non aliunde, quàm ex Scriptis Propheticis repetiisse; additque eam, quæ inter Platonem & Moysem, simul utriusque scriptis collatis, apparet, discrepantiam Platoni tribuendam, qui Mosaicorum Scriptorum sensum minùs rectè fuerit assecutus (5). Si quid ergo, ait, commune nos inter & vos in doctrina fuerit, non illud nostri ex vestris, sed vos ex nostris accepistis.

Hanc inter Platonem cum Moyse cæterisque Judæorum Prophetis consonantiam Celsus pariter agnoscens (6), Judæos è Platone didicisse concludit. Sed ejus calumnias refutatimus Origenes demonstrat, è Moyse potiùs cæterisque Prophetis, utpotè Platone vetustioribus, Philosophi illius doctrinam derivandam fuisse. Aliud in speciem quidem plausibilius Celsus addebat; cui bono, inquiens, Authores Judæos consulamus, cùm eadem apud Platonem concinniùs apertiùsque exprimantur? Cui reponit Origenes, Sacros quidem Authores plus curarum posuisse, ut prodessent, quàm ut Lectores delectarent; quare stilo usos fuisse ad multitudinis captum accommodo; cùm interim Pagani nonnisi viris doctis scribentes,

(1) Eccli. 34. 12. & 16. 23. & 39. 5. (2) August. lib. 2 de Doctrin. Christ. c. 28. & lib. 8. de Civit. cap. 11.
(3) Quidam apud Clem. Alex. lib. 1. Strom. (4) Justin. 2. Apolog. p. 81. 82.
(5) Justin. 2. Apolog. p. 93. (6) Vide Origen. lib. 6. contra Celsum.

bentes, angustos studiis suis atque utilitati exin- A dè hominibus obventuræ fines constituerint. Factum indè, ut parciùs plerumque Philosophorum scripta legerentur; sicut frequentissimè vicissim Sacrorum Scriptorum Lucubrationes, quæ multitudinis captui quadrarent. His causis propagationem Evangelii deberi, cùm interim Plato neglectus maneret, & solitarius.

Tertullianus Apologet. Edit. Rigalt. pag. 19. 39. 41., post constitutam Legum Mosaicarum cæterarumque Scripturarum vetustatem, tandem addit: *Sciatis ipsas Leges quoque vestras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de Divina Lege, ut antiquiore, formam mutuatas*. Subdit deinde: *Quis Poetarum, quis Sophistarum, qui non de Prophetarum fonte potaverint? Inde igitur & Philosophi sitim ingenii sui rigaverunt*. Sed, ait idem Tertul- B lianus, tanta earum luce perstricti, in medio licèt luminis versantes, totam earum elegantiam pulchritudinemque intueri non potuerunt; cæci pariter & præsumptuosi, earum veritatem suis præjudiciis conformare volentes, corruperunt, opiniones suas & ambages divinis certisque Sacrorum Oraculorum veritatibus intermiscentes: *Nec mirum, si Vetus Instrumentum ingenia Philosophorum interverterunt*.

Dæmones, ait alibi (1), de industria in scripta Poetarum quædam è Scripturis Divinis vera fabellis admixta induxerunt; eodemque spiritu erroris factum est, ut in Philosophorum Scripta, quædam à Religione nostra non aliena irreperent; quò scilicet insidiæ in veritatem pararentur, cùm tempore à Divina Providenta constituto in mundo manifestari contingeret. Semel enim falsis C hisce ideis & fabellis Poetarum animi hominum occupati, quid inter veritatem & mendacium intercederet discriminis, mente distinguere vix poterant. Perniciosum planè artificium, quod tamen in eos tantùm valuit, qui errori pervicaciùs inhærentes deponere illum recusârunt. Ita factum est, ut *omnia adversus veritatem de ipsa veritate construerentur*. Veritas fabellis delibuta, vim omnem juvandi amittit. Mendacio enim fides omnis detrahitur, & Apostolis ad destruendos Paganorum errores, atque superstitiones laborantibus, unà simul factum est, ut eodem veluti fato veritates, arcto quodam cum illis vinculo conjunctæ, intercideretur: *Ut quis ideo non putet Christianis credendum, quia nec Poetis nec Philosophis*.

Hæc à Tertulliano fusiùs disputata, exprimit D pariter S. Justinus Martyr in secunda Apologia; habet enim persuasum mali cujusdam Genii artificio factum esse, ut Poetis quædam exciderent vera, ad Jesum Christum pertinentia, atque in eorum Operibus plurima deprehenderentur ex Jesu Christi gestis, sed fabularum quodam gustu tradita, & Paganorum Numinibus applicata. Doli enim artifex Spiritus ille, probè nolcens lata de Jesu Christo Oracula, præoccupandas in illum mentes hominum ratus, omnia fabellis, & rebus supra fidem prodigiosis inserit, quò scilicet, cum in mundum venire Redemptorem contingeret, homines fabellis fictisque prodigiis assueti, minùs essent recipiendis veritatibus, quæ in Evangelio referendæ erant, comparati; atque difficultate & arduitate examinis distinguendi vera à falsis ab- E sterriti, omnia æquè quà vera, quà falsa, utpotè quæ omnia fabulosa sibi viderentur, rejicerent.

S. Cyrillus Alexandrinus adversùs Julianum scribens l. 1. disertè asserit, veteres Philosophos, per universam maximè Græciam celebratos, cùm longa ætate essent Moyse posteriores, plura ex ejus Libris in succum suum, quamvis non felici semper successu, convertisse. Cùm enim hebetiori essent ingenii acumine, quàm ut Legislatoris Hebraici genuinum sensum pervaderent, falsa quædam, vel minùs saltem perfecta de Natura Divina supposuerunt. Addit pariter, ex iis Philosophis aliquos Prophetis Judæorum recentiores, id sibi suscepisse, ut plura ex illis Divinis Authoribus exscriberent. Ecquis enim, ait, in animum sibi potuisset inducere, Philosophos illos, qui longas adeò peregrinationes, & maximè in Ægyptum, discendi gratia susceperunt, illud neglexisse, quod magis & eorum vota, & ardens inquirendæ veritatis studium expleret? Quæ tandem apparet inter illos, cùm maximè de generalibus rerum notionibus agitur, consonantia, ea sanè argumentum est apertissimum, omnes pariter ex eodem fonte potasse, cùm in rebus cæteris, in quibus singuli ingenium suum sectati sunt, nunquam inter se non committantur. Excutienda deinde suscipit eatum dogmata de creatione, natura, & attributis Divinis, de Verbo, Spiritu Sancto, & anima Mundi.

Theodoretus in suo Opere adversùs Græcos sive Gentiles, Historicorum testimonio (2) probat, Veteres Philosophos, ut Pythagoram, Thaletem, Solonem, Platonem peragrasse Ægyptum, Siciliam, & Italiam, nullamque fuisse sive gentem, sive locum adeò remotum, à moribus abhorrentem propriis, diversis licèt servientem Regibus, quò illi sese conferre inquirendæ veritatis gratia renuerint; ut ubicumque nossent Sapientes aliquos viros versari, eò statim advolarent: ex quo factum, ut non Ægyptiorum tantùm, sed etiam Hebræorum doctrina profecerint adeo, ut Pythagoras alienum sibi non duceret, si circumcisione, quam Ægyptii ex Judæis receperant, sese initiandum præberet. Laudat in eam rem testimonium Porphyrii Philosophi, Christiani nominis osoris, qui è Delphico quodam Oraculo probat, demonstrandi itineris ad Deos deducentis (3) authores fuisse Chaldæos, Ægyptios, Phœnices, Lydos, & Hebræos; eam verò doctrinam, quam è Barbaris tenebant, exscripsisse tantùm Græcos, quin & surripuisse quandoque. Ex Prophetis igitur Judæorum, ipsius Oraculi testimonio, prima veritatis & veræ Philosophiæ origo repetenda est. Si quos verò populos alios, nempe Chaldæos, Ægyptios, & Phœnices Apollinis Oraculum Hebræis jungit, operæ pretium est animadvertere, ait Theodoretus, veritatis cognitiones in eas gentes non nisi à Judæis devenisse. Debent enim doctrinam suam Phœnices commercio cum finitimis Judæis, debent Caldæi Judæis in sua regione captivis. Quibus enim prodigiis Deus Danieli ejusque sociis favit, illis pariter insinuata pluribus Chaldæorum veritas. Ipse pariter Cyrus in vera Religione institutorem habuit Danielem, virum in Aula sua principem. A Cyro vero subacti Lydi, Legem pariter & veram Religionem acceperunt. Contubernium tandem veterum Hebræorum in Ægypto, gentibus illis profuit, quò discerent eorum de natura Divina cæterisque ad Religionem pertinentibus dogmata.

Idem fusiùs demonstrat Eusebius toto Libro undecimo Præparationis Evangelicæ, probans (4), Platonem potissima Philosophiæ, & Theologiæ suæ dogmata è Sacris Libris derivasse. Nititur etiam demonstrare, sententias ejus Philosophi plures cum Scriptura convenire, longo ordine recensens ea, quæ à Platone de Verbi Divinitate scripta sunt, de ideis, de summo bono, virtute, animæ immortalitate, creatione mundi, resurrectione, Deique judicio &c. Si autem, addit ille, Græci Platonem Ducem secuti sunt, ipse verò Hebræos, tota est Græcorum Philosophia ex Hebræis repetenda. Eandem collationem prosequitur toto libro duodecimo, & parte decimi tertii, ubi testimonium Aristobuli laudat, ingenuè fatentis, Platonem leges & disciplinam, sive cæremonias & mores Hebræorum expressisse. Tradit insuper,

(1) Tertul. Apologet. pag. 21. & 42. (2) Laudat Porphyrium Christianorum acerrimum adversarium, Numenium Pythagoricum, Plutarchum, aliosque plures.
(3) Theodoret ex Porphyr. loc. cit. pag. 472. (4) Item lib. 12. & 13.

super, antè Alexandrum Magnum & Persarum Imperium vulgatam fuisse Græcam Pentateuchi Versionem, quæ cùm minùs exacta, nec numeris omnibus absoluta deprehenderetur, alteram Demetrio Phaleræo instante, sub Rege Ptolemæo Philadelpho susceptam fuisse. Priori illa Versione, ait, Pythagoras, Plato, Socrates, aliique plures ante Philadelphum in scientia Divinitatis, providentiæ, & creationis mundi profecerunt. Laudat deinde Eusebius testimonium S. Clementis Alexandrini, non semel nec obscurè perhibentis (1) Veteres Philosophos, & potissimùm Pythagoram, ac Platonem optima quæque sua, quemadmodum ex plurium sententiarum collatione demonstrat, lectioni Mosaicorum, & Propheticorum Librorum debere.

Gemina legas non semel apud S. Ambrosium (2), qui affirmandum sibi ducit, Pythagoram & Platonem, cum in Ægypto versarentur, plura ditandis Operibus suis è Sacris Libris decerpsisse. Insinuat etiam eam inter primas Platonis curas veniendi in Ægyptum fuisse, ut scilicet res gestas Moysis, ejusque Legem, & oracula Prophetarum disceret (3): *Eruditionis gratia in Ægyptum profectus, ut Moysis gesta, Legis oracula, Prophetarum dicta cognosceret.* Exciderat aliquando S. Augustino Lib. 2. cap. 28. de doctrin. Christ. & lib. 8. cap. 11. de Civit., Platonem, cum in Ægyptum venisset, Jeremiam nosse, vel saltem ejus scripta legisse; sed rem paulò attentiùs excutiens, palinodiam cecinit Retract. lib. 2. cap 4. n. 1., cùm Jeremias ante Platonem fato cessisset, nec Sacræ Scripturæ Græcis literis, nisi post obitum ejus Philosophi, traditæ fuerint. Quare, ait, cur sacras Scripturas Græcè legeret, nihil erat: facilè tamen potuit, addit, Hebræo interprete legendis Hebraicis Libris uti, quemadmodum & Ægyptio legendis Ægyptiis usus est: quin & id consilii secutum demonstrant ea, quæ de creatione Mundi paria apud ipsum & Moysem leguntur; sicut & quæ Plato verbis ipsis Mosaicis de Numine locutus est Exod. 3. 14.: *Ego sum, qui sum: sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Addit verò alibi (4): *Multo credibilius est, istos potius de literis nostris habuisse, quæcumque bona & vera dixerunt, quàm de Platonis Dominum Jesum Christum; quod dementissimum est credere.*

Hæc habent majoris momenti argumenta quicumque ea tenentur persuasione, veteres Græcorum Philosophos saniorem Philosophiæ suæ partem è Sacris Literis Hebræorum hausisse. Sed cùm de re aliqua gesta quæstio agitatur, nihilque Divinitùs revelatum, sive ad Religionem saltem obliquè spectans in ea re habetur; unicè spectandæ sunt rationes, quibus id sibi asserendum Patres censuerunt. Porrò rationes illæ ad duo potissimùm capita reducendæ sunt; 1. Philosophos plura nosse, quæ in Sacris Libris leguntur. 2. Eorum plures iter in Ægyptum habuisse, ubi frequentissimos Judæos versari contigit. Hisce tamen omnibus tria reponenda; 1. Neque Philosophos, nec alios quosque Scriptores coævos unquam fassos, se vel Judæos præceptores audisse, vel Libros eorum legisse. 2. Quæ inter utrosque Scriptores apparet sententiarum convenientia, unde potissimum ejus sententiæ argumentum petitur, intentum minùs illa quidem quàm pro recepta opinione probat; potuit enim ex altera, quàm quæ constituitur, causa originem trahere. 3. Philosophos, de quibus modò, cum ante Versionem Græcam sacrorum Librorum floruissent, eorum Librorum lectione nihil profecisse poterant. Non tamen negaverim, alia via, traditione nempe, potuisse earum veritatum notionem ad illos descendere; sed de facto ipso, quod certum alii statuunt, dubitationem movemus.

Si verò authoritas authoritati opponenda, minori
A quidem Scriptorum numero adversa sententia fulciretur; sed majores illi vicissim & solidiores rationes Demetrius Phaleræus, Aristæas, Aristobulus, & Josephus plus favent sententiæ neganti, aliquid è Sacris Libris Philosophis innotuisse, quàm affirmanti. Origenes, Tertullianus, S. Augustinus, quos posterior ista opinio inter suos vindicat, adversam strenuè propugnant. Tandem Lactantius demonstrandum sibi, nec levibus & facilè revincendis rationibus suscepit, Divinas Scripturas prorsus Philosophos latuisse. Sed pleniùs ea de re agendum.

Philo Judæus lib. 1. de Vita Mos. ægrè adeò sibi persuadebat, Philosophos è Sacris Scripturis aliquid deduxisse, ut luculenter asserat, ante Versionem
B Græcam sub Ptolemæo Philadelpho Gentiles nihil de Sacris Judæorum Libris nosse. Cui Scriptoris assertioni eò major in ea re fides adhibenda est, quò in studio Platonis excultior erat, ut de illo obtineret: *Sive Philo platonizat, sive Plato philonizat.* (5). Qui tandem inter sententias Platonis & Moysis consensus statuitur in iis, sed quæ ad creationem Mundi pertinent, ille sanè impetrare ab eodem Scriptore non potuit, ut crederet Platonem Moysem exprimere intendisse; vulgatum enim esse ait, Platonem suam illam sententiam ab Hesiodo deduxisse. Verùm, addit Philo lib. Quod mundus sit incorruptus, *Longe antiquior Moses legifer docuit Judæos, mundum esse genitum & incorruptibilem, quod scriptum reliquit in sacris Voluminibus.*

C Aristæas, ex quo Aristobulus, Philo, Josephus, cæterique post illos Patres hauserunt omnia, quæ de Versione Sacrorum Librorum ex Hebræo in Græcum sub Ptolemæo Philadelpho literis mandarunt, Aristæas, inquam (6), nunquam in mentem sibi induxerat, Philosophos Mosaicorum Scriptorum aliquid adoptasse, quamquam alioqui assereret, ante Ptolemæum Versionem aliam, minùs quidem probatam, portionis saltem Scripturarum obtinuisse. Namque Demetrium Phaleræum loquentem inducit, Hebreorum scilicet Libros eò plus Regias sibi curas & thesauros mereri debuisse, quò Leges contineant Sanctitate & Divinitate cæteris omnibus præstantiores. Hujus verò doctrinæ, ait, si nulla unquam mentio
D occurrit apud Scriptores, Poetas & Historicos cæteros, id in causa fuit, teste Hecatæo Abderita, quòd puritate & sublimitate sua nimis extollerentur. Ex quo verò adornatæ jam Versionis lectio facta est coram Rege, admirari se dixit idem Rex Demetrium allocutus, Opus illud, verè divinum, Philosophos omnes & Poetas fugisse. Cui Demetrius Legis illius Sanctitatem & Divinitatem nunquam violari prophanorum ore debuisse respondit; unde Scriptores quosdam aliquid ex illis in sua Scripta traducere satagentes, Divinæ ultioni pœnas dare coactos ab incœpto destitisse.

Adjecit Demetrius, Theopompum, quòd talia auderet, è statu mentis subitò decidisse, nec nisi post mensem sui compotem factum. Cùm autem lucido aliquo intervallo eo temporis spatio uteretur, rogaretque interim Deum, ut causam inflicti sibi morbi
E tandem aperiret, per quietem certior factus est, id in suum caput ultionis provocasse, quòd secreta & digna silentio pandere ausus fuisset. Quare ab incœpto statim desistens, sanitati mentique actutum restitutus est. Ita pariter, addidit Demetrius, referentes audivi, Theodectum Poetam Tragicum volentem in sua carmina aliquid de Libris Mosaicis traducere; statim luminibus captum temeritatis suæ luisse pœnas, nec nisi precariam sanitatem recepisse.

Non ego quidem pro historia Aristææ & relatis ab eo exemplis vadem me exhiberem, neque enim me fugit quid contra ejus historiæ veritatem scripserint sapien-

(1) Vide Clemen. Alexan. Strom. lib. 1. pag. 299. 342. &c. & lib. 5. pag. 559. &c. & 592. &c. Ita lib. 6. & Exhortat. ad Gentes.

(2) Ambros. in Psalm. 118. Serm. 2. nu. 5. & 13. & de fuga sæculi c. 8. n. 47. de bono mortis cap. 10. n 45. & cap. 11. nu. 51. de Noe & Arca cap. 8

(3) Idem in Psal. 118. nu. 4.

(4) August. de Doctrin. Christian. cap. 28. nu. 43.

(5) Hieron. in Catalog. Scriptorum Ecclesiast.

(6) Aristæas de Septuaginta Interpp.

sapientissimi plures viri, uti Valesius, Cardinalis Bona, Josephus Scaliger, Hody, Vandale, aliique plures, ad fabellam quantam quantam illam amandantes. Nec sane facili negotio objecta ab illis in eam historiam plura diluerentur; e.g. quòd Aristæas Græcum se, Paganum, & Præfectum in Aula Regis Ptolemæi Philadelphi jactitaverit, cùm interim nunquam se non Judæum qua in verbis quà in stilo Hebraismis redundanti demonstret: testatur insuper, Demetrium Phalcræum Bibliothecam Regis curasse, cùm testimonio Hermippi apud Diogenem Laertium constet, Demetrium, quòd partibus Ptolemæi Soteris adversùs Philadelpum favisset, in exilium actum aspidis morsu sibi necem conscivisse, Philadelpho Regnum ineunte. Ad hæc, Demetrium, Græcorum sua ætate eloquentissimum, barbaro quodam eloquio differentem inducit Aristæas, & indigna viri ingenio, eloquentia, & eloquii puritate effutientem. Laudat etiam Demetrius apud eundem Aristæam testimonium Hecatæi, tanquam Authoris vetusti, cùm alioqui suppar esset ætate. Eptastadium commemorat, quod tamen post Philadelphi Regnum constructum est. Meminit pariter victoriæ Regis Ægypti ex Antigono, tamquam eo tempore relatæ, quo Septuaginta Alexandriam venerât, cum factum illud ad Regnum alterius Ptolemęi pluribus post Philadelphum annis pertineat. Literæ ad Eleazarum Sacerdotem Summum, sicut vicissim Eleazari ad Regem, Demetrii pariter sermones eundem simplicissimum stilum referunt. Plura etiam in rem præsentem observari potuissent, quibus fabellæ suspicio promoveretur. Quod autem nostrum intentum maximè evincit, illud est, nimirum Scriptorem illum Judæum planè, & quidem vetustissimum, quippe cujus Scripta norint Philo & Josephus, nequid dicamus de Aristobulo & Alexandro Polyhistore, quorum est dubia authoritas, Authorem, inquam, illum nunquam sibi persuasisse, prophanos Authores Sacris Judæorum Scripturis aliquid debere. Quæ de antiqua Græca Scripturę Versione ante Ptolemęum Philadelphum in eodem Libro asseruntur, infra in examen revocabimus.

Porrò hoc Scriptoris testimonium, negantis Paganos aliquid de Scripturis Divinis nosse, eo pluris faciendum est, quod Josephus Antiq. l. 12. c. 2. Clemens Alexandrinus Strom. l. 1., Eusebius Præp. l. 11. aliique plures post ipsum, & adoptandum sibi illum & non sine elogio referendum duxerunt. Origenes non concedit quidem Celso (1), Platonem aliquid è Scriptis Mosaicis expressisse, sed illud tantummodò sibi demonstrandum suscipit, Moysem & Prophetas multò esse Philosopho illo vetustiores, ut non nisi per summam impudentiam assereretur, Scriptores Hebræos Platonem ætate se planè inferiorem imitatos fuisse; idemque Origenes in suo Commentario in Canticum Canticorum, (2) quem S. Hieronymus è Græco in Latinum transtulit, hæc habet: *Nunc Moysi nomen auditur, quod priùs Judæa tantùm claudebatur angustiis. Neque etiam Græcorum quispiam meminit ejus, neque in ulla gentilium literarum historia de illo seu ceteris scriptum aliquid invenimus.* Novit pariter Josephus Adv. Appion l. 1. pag. 1051. Græcorum Historicorum ea de re silentium, cujus rei hanc sibi rationem censuit reddendam, nimirum nunquam illos nostros Libros legisse; additque Demetrium Phaleræum, veterem Philonem, & Eupolemum, de illis aliquid, sed minus exactè & sincerè tradidisse; quod scilicet neque illorum historias consuluissent, neque ad res ejusdem gentis animum applicassent.

Tertullianus, cujus supra mentem expressimus (3), aperto licet testimonio asseruisset, Prophetas & Philosophos aliquid unde discerent & Opera ornarent sua, è Scripturis Sanctis quęsivisse; alibi tamen eam loquendi rationem usurpat, ut priorem illam sententiam num satis ipse probaverit, incertum relinquat. Quemadmodum, ait, per obscuræ noctis opaca atque per oppansas Cælo nubes furtivus aliquis lucis radius transpirat; sicut mille fluctibus agitata navis, atque insano tempestatis furore iactata *prospero* interdum *errore* in portum insperato depellitur; ita pariter Paganis Authoribus radius subindè quidam affulget, qui cæca nocte agentibus cæca quadam, ut ita dicam, felicitate vera nonnulla demonstrat: *sed & natura pleraque suggeruntur quasi de publico sensu.* Non inde tamen jure infertur, eos qui talia loquuntur, Prophetas Judæorum consuluisse; *plus enim diversitatis invenias inter Philosophos quàm societatis, cum & in ipsa societate diversitas eorum deprehendatur.* Addit pariter: *vera quoque & consonantia Prophetis aut aliunde commendant, aut aliorsum subornant cum maxima injuria veritatis, quam efficiunt aut adjuvari falsis, aut patrocinari.*

S. Augustinus quanquam alioqui sententiarum affinitatem inter Platonem & Scripturam admiraretur, nec semel significaverit non alienum esse se ab ea opinione, potuisse à Philosophis quædam è Libris Sacris decerpi; non ita tamen patronum se ejus sententiæ constituit, quin contrariam etiam quandoque demonstrandam suscipiat. Philosophi hujus mundi, ait ipse, (4) æternam & immutabilem veritatem prospexerunt quidem, sed iter ad illam deducens penitus ignorarunt. Creatorem per creaturas detexere, & in cognitionem Authoris mundi ex eodem mundo venerunt; sed *veritatem in iniquitate detinent.* Non illis Deus sive Lege sive revelatione manifestatus est; sed *invisibilia ejus per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt.* Nihil igitur ad Philosophorum illorum doctrinam sive Lex sive Scripturæ Judæorum, quas ipso eodem S. Doctore fatente, Græcorum literis eorum ætate nondum traditas fuisse constat (5).

Potuisse Platonem, ceterosque dogmata sua è Scriptis præcedentium Philosophorum, & Poetarum derivare, idem S. D. alibi (6) agnoscit. Nec absrę quidem suspicaremur, Platonem plura, quæ in Scriptis suis expressit, è Schola Socratis didicisse; Socrates verò, cùm in Ægyptum venisset, viros doctos, & Sacerdotes ejus gentis consuluerat. Anaxagoræ, & Euripidi eadem sedebat opinio de creatione Mundi ac Ægyptiis, nec multum ab illa Aristophanes abhorruit (7). Quis autem dixit unquam Scriptores illos Sacra Hebræorum Scripta suffuratos? Anaxagoras Socrate vetustior erat; Euripides, & Plato eundem Socratem audierunt; ad eandem ætatem Aristophanes pertinebat. Non erat igitur cur Plato ex urbe Athenarum digrederetur, quò dogmata illa in Scriptis suis expressa disceret; dogmata, inquam, illa, quæ nonnisi è Scriptura repetere illum potuisse adversæ sententiæ assertores contendunt. Omni ætate, & apud omnes æquè gentes veteres quædam traditiones obtinuerunt de natura Dei, de creatione Mundi, & diluvio, quæ nulla rerum vicissitudo è mentibus hominum excutere valuit; sed traditiones illæ majori fide apud Barbaros servatæ sunt, quàm apud Græcos, quemadmodum ab Augustino lib. 18. cap. 37. de Civit. observatum est.

Confusam earum rerum variis Scriptorum opinionibus notionem Lactantius de Origine Erroris lib. 2. cap. 11. scitè admodum explicans, non negat ille quidem plura esse quà in verbis, quà in rebus inter Poetas, & Philosophos cum Scripturis affinia; sed hæc omnia aliunde repetenda esse demonstrat, quàm ut è Sacris Libris suffurati Pagani crederentur. Profectò illis *nullas literas veritatis attigerant*; sed semina quædam veritatis è fabellis, & priscis Populorum traditionibus, quæ in scriptis suis deinde sererent, sedulò collegerunt: *Quæ Prophetarum vaticinio tradita in sacrario Dei continebantur, ea de fabulis, obscura opinione col-*

(1) Cont. Cel. l. 6. (2) Apud Hier. to. 2. p. 812. nov. edit.
(3) De Anim. pag. 305. 306. (4) Serm. 141. de Ver. Jo. to. 5. pag. 682. 683. nov. edit.
(5) De civit. l. 8. cap. 11. (6) Ibid. l. 8. c. 12. (7) In Avibus.

ne collecta, & depravata, ut veritas à vulgo solet.... carminibus suis comprehenderunt.

Mirari se alibi significat (1), Pythagoram, & Platonem, qui discendi gratia Ægyptum, Chaldæam, & Persidem decurrerunt, quò varios eorum populorum mores, & religionem spectarent, ut in Judæam venirent, ubi sitim suam discendi extinguere maximè potuissent, ne cogitasse quidem: *sed aversos esse*, inquit ille, *arbitror Divina providentia, ne scire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem Dei veri, justitiamque noscere.* Tanta enim hominibus referare, supremi erat hominum Institutoris, qui venturus expectabatur.

Quæcumque igitur spectetur sententiarum affinitas inter Philosophos, & Sacros Authores, nunquam tamen certum ex ea deduci potuisse arbitror argumentum, quo plagii reos Philosophos illos accusemus. Poterant utrique ex uno eodemque fonte hausisse: Deus veritatum omnium author est, & origo. Scripserint licèt Sacri Authores peculiari quodam Spiritu afflati, non eo tamen prohibebantur, quin plura noscerent, sive studio, sive experientia, sive meditatione, sive sensuum conscientia. Lumen naturale æquè omnibus affulget, & summus omnium Preceptor, quicumque ejus verbis intimam cordis aurem præbent, omnes docet. Quæ mortales circumstant, hæc intentos auditores docent omnes. Inter ea quæ in Philosophorum lectione animum percellunt, num gestorum narratio aliqua, rerum circumstantiæ, nomina, adscriptiones temporum, & singulares quædam loquendi rationes nonnisi è Sacris Libris derivandæ occurrerunt unquam? Profectò exceptis generalibus quibusdam notionibus de natura Dei, de lege naturali, de officiis, imbecillitate, atque magnitudine hominis, quo affinitas illa spectetur nihil erit. His autem omnibus detegendis sola meditatione naturali lumine admoto opus est.

Nulla vel ferè nulla in Religione veritas occurrit, quæ sectam aliquam Philosophorum in sui patrocinium non vindicaverit, juxta ac Lactantius de Divino præmio l. 7. cap. 7. animadvertit: *Nam particulatim veritas ab his tota comprensa est.* Sed quemadmodum idem Scriptor adjecit, *totam veritatem, & omne Religionis arcanum Philosophi attigerunt; sed aliis refellentibus, defendere id, quod invenerant, nequiverunt; quia singulis ratio non quadravit.* Profectò si omnes è Scripturis decerpta tradidissent cur inter se discreparent, nihil esset. Religionis systema unico jungitur contextu in Sacra Scriptura, parum sibi constat apud Philosophos.

Superest modò in examen revocemus, num ante Ptolemæi Philadelphi Regnum vetus quædam obtinerent Græca, sive omnium sive partis tantùm Scripturarum Versio, ab ea prorsùs diversa, quæ hodie nomine Septuaginta vulgata est. Eam sententiam tenuisse fictum illum Aristæam in superioribus animadvertimus; loquentem enim induxit Demetrium Phaleræum, quasi scilicet audivisset, Theopompum quemdam decerpere quædam voluisse è Versione jam inde adornata, quamvis minùs exacta, neque omnibus numeris absoluta, statimque è statu mentis emotum pœnas luisse. Rem quidem neque assertò narrat Aristæas, neque documentis probat; sed aliorum relatione audita scribit. Plus aliquid addit Aristobulus apud Clement. Alex. Strom. lib. 1., disertissimis verbis asserens, ante Demetrium Phaleræum, quin & ante Imperium Persarum, & Regnum Alexandri Magni, adornatam fuisse Græcam sacrorum Librorum Versionem; qua Græcis literis traderetur historia exeuntis ex Ægypto populi, cùm & omnium, quæ à Deo pro Hebræis edita sunt, prodigiorum, Legis Mosaicæ, & traditæ in potestatem populi Chananitidis; quibus verbis non obscurè significantur Libri omnes Moysis, & Josue, ac Judices.

Verùm minor est etiam hujus Scriptoris, quàm Aristææ fides. Si quæ fuerat Græca potissimorum Scripturæ Librorum versio Platoni, cæterisque Philosophis non incognita; cur tantis verbis Demetrius necessitatem & arduitatem novæ hujus Versionis exaggerat? Ut quid procurandæ novæ eorumdem Librorum Versioni Regis Ægypti thesauri impenderentur? Si enim ad unam summam redigantur, quæ per eam occasionem profusa ab Aristæa narrantur, profectò non minor constabit quàm ultra 1200. talentorum, nempe 3225600. librarum, pro singulis talentis Ægyptiis 2688. libris computatis: intolerabilis ea ætate etiam pro Rege Ægypti profusio. Adde Versionem Græcam Sacrorum Librorum ante Cyri & Persarum Regnum nulli bono futuram; neque enim sive Judæorum ultra Euphratem sive in Ægypto versantium usui fuisset; neutri enim Græcam linguam callebant; Græcum enim eloquium in illis regionibus non nisi post Alexandrum, & Imperii Persarum eversionem obtinuit. At enim valebat pro Græcis sub Cyro in Asia Minori degentibus? Esto, sed quibusnam argumentis laboratum esse pro illis demonstretur? Quin & Græci illi si quando in suam linguam translatos Sacros Libros habuissent, nunquam sanè quærendos illos in Ægypto suscepissent; neque ea ignoratione rerum Judaicarum tenerentur, ut ne nominis quidem illorum in suis Operibus meminerint. Fabulam planè sapiunt ea, quæ de ultione Divina in Theopompum, & Teodectum, quædam de sacris Libris exscribere in suis Operibus tentantes, ab Aristæa referuntur. Est igitur dubitandi locus, num Philosophi Ptolemæo Philadelpho vetustiores de Lege Dei divinisque Scripturis aliquid noverint; vel si quid audierant, id sanè leve admodum & confusum potiùs ex relatione & consuetudine cum Hebræis, quàm ex lectione eorum Librorum deductum creditur. Hæc, quantùm sapimus, probabilissima de quæstione hac ambigua dicenda suppetebant.

(1) De vera Sap. l. 4. c. 2.

COM-

COMMENTARIUM LITTERALE IN PROVERBIA SALOMONIS.

CAPUT PRIMUM.

Adhortatio ad studium Sapientiæ. Infelicitas contemnentium illam, & simplices in errorem impellere cupientium.

1. PArabolæ Salomonis, filii David, regis Israel: 2 Ad sciendam sapientiam,
& disciplinam: 3 Ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eru-
ditionem doctrinæ, justitiam, & judicium, & æquitatem: 4 Ut detur
parvulis astutia, adolescenti scientia, & intellectus. 5 Audiens sapiens, sapien-
tior erit: & intelligens, gubernacula possidebit. 6 Animadvertet parabolam, &
interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum. 7 Timor Domini, prin-
cipium sapientiæ. Sapientiam, atque doctrinam stulti despiciunt. 8 Audi, fili mi,
disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: 9 Ut addatur gratia ca-
piti tuo, & torques collo tuo. 10 Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne ac-
quiescas eis. 11 Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus
tendiculas contra insontem frustra; 12 Deglutiamus eum sicut infernus viventem,
& integrum, quasi descendentem in lacum. 13 Omnem pretiosam substantiam re-
periemus, implebimus domos nostras spoliis. 14 Sortem mitte nobiscum, marsu-
pium unum sit omnium nostrum. 15 Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pe-
dem tuum a semitis eorum. 16 Pedes enim illorum ad malum currunt, & festi-
nant, ut effundant sanguinem. 17 Frustra autem jacitur rete ante oculos penna-
torum. 18 Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes
contra animas suas. 19 Sic semitæ omnis avari, animas possidentium rapiunt. 20
Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: 21 In capite turbarum cla-
mitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens: 22 Usquequo par-
vuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, & impruden-
tes odibunt scientiam? 23 Convertimini ad correptionem meam: en proferam vo-
bis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. 24 Quia vocavi, & renui-
stis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. 25 Despexistis omne
consilium meum, & increpationes meas neglexistis. 26 Ego quoque in interitu ve-
stro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. 27 Cum
irruerit repentina calamitas, & interitus, qualis tempestas ingruerit: quando venerit
super vos tribulatio, & angustia. 28 Tunc invocabunt me, & non exaudiam: mane
consurgent, & non invenient me, 29 Eo quod exosam habuerint disciplinam, &
timorem Domini non susceperint, 30 Nec acquieverint consilio meo, & detraxe-
rint universæ correptioni meæ. 31 Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque con-
siliis saturabuntur. 32 Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum
perdet illos. 33 Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia
perfruetur, timore malorum sublato.

ÿ. 1. PARABOLÆ SALOMONIS FILII DAVID REGIS ISRAEL.] De significatione nominis Parabolarum fusius locuti sumus in Præfatione. Salomon primus est inrer sacros auctores, quorum nomen sit Operum suorum fronti præfixum. Solum Sapientis hujus Principis nomen, ac illius dignitas Regis Israel, satis, superque librum hunc commendabant, atque ad illum perlegendum, audiendumque homines allieiebant. Hoc enim a natura nobis insitum est, ut magni nominis, atque eximii ingenii viros audientes oblectemur, tunc præsertim cum præclaræ hæ commendationes cum suprema auctoritate junguntur. Hujus Operis stylus, sententiarum brevitas, ac parabolica ambages, pressa, succo, sententiisque referta, nos etiam invitat, ut illud diligentius evolvamus. Oblongiores sermones fastidimus; non omnibus vel ad audiendos tempus, vel ad intelligendos suppetit ingenium; sed præcepta Parabolis inserta semper libentissime percipiuntur. Nemo unus ignorat, hanc rerum, quæ maxime seriæ essent, tractandarum rationem vulgatissimam, atque omnium unam apud Judæos fuisse in delitiis. Jesus Christus populos non nisi per Parabolas docuit [1]. Demum agitur isthic, ut sapientiam, veritatem, justitiam edoceantur, atque admoneantur homines, ne in errorem, flagitium, & scelus proruant. Hoc utilius nihil, nihilque aptius ad Lectoris attentionem captandam, atque hominis benevolentiam, animumque conciliandum [2].

ÿ. 2. AD SCIENDAM SAPIENTIAM, ET DISCIPLINAM.] En scopum Auctoris. Nos erudire cupit de veræ sapientiæ regulis, quæ in eo posita est, ut ethnicæ virtutes agnoscantur, atque exerceantur, ut bonum & dignoscatur, & ametur; tandem, ut verbo omnia complectar, nobis vult Sanctorum, salutisque scientiam tradere. Hoc ille *Sapientiæ* nomine intelligit: nomine vero *disciplinæ* speculativas præsertim scientias designat, præcepta ad ingenium imbuendum accommoda [3], ea imprimis, quæ decent adolescentulos, & quæ prosunt, ut affectuum, animique perturbarionum impetus contundantur. Postrema Hebraica vox [4] proprie *correctionem* significat, & præceptoris severitatem, discipulum suum accuratissima disciplina coercentis.

ÿ. 3. VERBA PRUDENTIÆ.] Vel cum Hebræo [5], *intelligentiæ*; ad spirituales, sublimesque sensus intelligendos, ut percipere possitis utilissima, & gravissima documenta. Hoe ad provectiores ætate spectat. D Non loquor solum ad simplices viros, arque insipientes; sed qui majori eruditione pollent, aliquid isthic, quod ediscant, invenient.

ET SUSCIPIENDAM ERUDITIONEM DOCTRINÆ.] Hebræus [6]: *ad suscipiendam eruditionem*, correctionem, monita, *ut e voto cedant* consilia vestra; vel *ut agatis cum sapientia*, cum intelligentia. Vel simpliciter, explicari possunt veluti synonyma, ac idem ferme significantia [7] nomina hæc, *Sapientia*, *disciplina*, *prudentia*, *eruditio*, *doctrina*: non secus ac statim infra *justitia*, *judicium*, *æquitas* ad unum, & idem significandum usurpantur.

ÿ. 4. UT DETUR PARVULIS ASTUTIA [8].] Ut detur simplicibus sapientia. Vulgata ad unguem Hebræum textum expressit. Ut detur prudentia, cognitio parvulis simpli- E cibus illis, qui nimium creduli sunt, quibus Divinarum, vel etiam terrenarum rerum deest usus, & experientia. Vera sapientia, cautos, attentosque reddit,

A efficitque, ut iniquorum pseudosapientium, ac flagitiosorum hominum fucum, errorem, ac fraudes eludamus. *Astutiæ* nomen [9] passim hoc in libro in meliorem partem accipitur; *parvuli* vero a Salomone [10] simplices, & insipientes intelliguntur. Septuaginta [11]: *Ut detur astutia innocentibus*, bonis, justis, vel potius simplicibus. Pro homine simplici, latine *hominem minime malum diceremus*.

ÿ. 5. AUDIENS SAPIENS, SAPIENTIOR ERIT.] Consilia mea natu & majoribus, & minoribus sapientibus, atque insipientibus, æque congrua sunt. Hi præcepta isthic invenient, ad quæ suam vivendi rationem componant; & sapientes etiam hinc haurire poterunt, quod ipsos in sua pietate confirmet. Qui in virtutum via provectiores sunt, ac maxima pollent experientia, in dies magis, magisque perficientur. Sapienti num-
B quam sapientia sua satis est, atque jugiter adlaborat, ut sapientior evadat. *Tamdiu audiendum, & discendum est, quamdiu nescias, & si proverbio credimus, quamdiu vivas*, ait Seneca Ep. 77.

ET INTELLIGENS GUBERNACULA POSSIDEBIT.] Seu aliorum regundorum huie sit demandata provincia, seu propriæ dumtaxat vivendi rationi invigilet, dux erit illi sapientia, & ostendet illi, quo pacto gubernaculum obtinendum sit. Hebræus totius hujus versiculi hæc habet [12]: *Sapiens audiet* præcepta mea, *& augebit scientiam suam*, & *intelligens eximia acquiret consilia*; egregia vivendi documenta & sibi, & aliis percipiet. Plerique Vulgatam, ac Septuaginta sequuntur [13]: *obtinebis gubernaculum*, veluti nauta, qui in medio irritati maris versatur. Non voluptatis illecebræ, non ad-
C versarum rerum terror, Sapientem flectent.

ÿ. 6. ANIMADVERTET PARABOLAM, ET INTERPRETATIONEM.] Præcepta mea (semper loquitur Sapientia) detegent illi Parabolarum, & Ænigmatum sensus. Hoc studium Salomonis ævo maxime vigebat, uti dignoscere licet ex Regina Saba, quæ longum adeo suscepit iter, ut Principis hujus sapientiam audiret, illi ænigmata proponeret, eorumque ab illo solutionem exciperet. *Venit tentare eum in ænigmatibus* 3. Reg. 10. 1. Josephus l. 1. contra Appion. refert, Hiram Regem Tyri, una cum Salomone ultro, citroque & mittere, & missa solvere ænigmata consuevisse. Auctor Ecclesiastici cap. 39. 2. ait, Sapientem inter cætera haud in postremis habere Parabolarum versutiam, atque calliditatem investigare; *In versutias Parabola-*
D *rum introibis*. Hactenus proposuit Salomon eas utilitates, quæ ex Sapientiæ studio percipiuntur; sequentibus vero versiculis ob oculos illud ponit damnum, quod illi subeunt, qui ab eodem abhorrent.

ÿ. 7. TIMOR DOMINI INITIUM SAPIENTIÆ.] Hoc primum est Sapientis præceptum; Domini scilicet timorem esse initium Sapientiæ. Sapientia qualibet, quæ non Religioni, neque Dei timori innititur, inanis est; pietas, Religio, timor Dei, isthic synonyma sunt. Prudentia carnis, mundi politica, sublimis terrenarum rerum cognitio, sterilis arcanorum naturæ scientia, hæc omnia a Sapientia longissime distant; hæc enim esse possunt sine timore Dei; cui uni dumtaxat vera incumbit Sapientia. Nonnulli [14] Hebraicum textum [15] reddunt: *Præcipuum Sapientiæ est timor Dei*.
E Pietas, virtus, vera Sapientia Dei timori præsertim innititur; at prior sensus pluribus arridet, estque maxime naturalis. Sententia hæc frequens est in Scripturis [16], & S. Augustinus eam sæpius [17] repetit, ostendens,

---

1 Matth. 13. 3. 10. 13. 24. 31. . . . 34. *Sine Parabolis non loquebatur eis*.
2 Vide Basil. Homil. in init. Proverb.
3 Ita Hebr. in Mercer. Carthus. Jans.
4 לדעת חכמה ומוסר 70. Γνῶναι σοφίαν καὶ παιδείαν.
5 להבין אמרי בינה Νοῆσαι λόγους φρονήσεως. Sym. Εἰσιδεῖν ῥήσεις συνετάς.
6 לקחת מוסר השכל Aquil. Τοῦ λαβεῖν παιδείας ἐπιστήμης. Symm. Παιδείας φρονήσεως. 70. Τὰς στροφὰς λόγων.
7 Menoch. Tirin.
8 לתת לפתאים ערמה
9 Vide Prov. 13. 6. 14. 15. 8. 5. 12. 22. Vide & Matth. 10. 6. & 2. Cor. 12. 16.
10 Prov. 7. 7. 14. 18. 8. 5. 9. 16. 19. 25.
11 Ἵνα δῷ ἀκάκοις πανουργίαν. Aquil. Θελγομένοις. Symmach. Νηπίοις. Theod. Ἠπατημένοις.
12 ישמע חכם ויוסף לקח ונבון תחבלות יקנה
13 Τῶν δὲ γὰρ ἀκούσας σοφὸς, σοφώτερος ἔσται. Ὁ δὲ νοήμων κυβέρνησιν κτήσεται.
14 Menoch. Bayn. alii.
15 יראת יהוה ראשית דעת
16 Job. 28. 28. Psal. 110. 10. Prov. 9. 10. Eccli. 1. 16. &c.
17 Aug. in Ep. Johan. tract. 9. *Cœpit timere diem judicii; timendo corrigit se, vigilat adversus hostes suos, id est peccata sua; incipit reviviscere interius &c.*

dent, timorem viam sternere ad amorem justitiæ, quæ A est perfecta sapientia.

℣. 8. NE DIMITTAS LEGEM MATRIS TUÆ.] Parentum præcipua pars est in primis illis rudimentis, quibus filii eorum imbuuntur. Illorum præcepta, atque exempla maxime prosunt, ut parvuli virtutis, ac Religionis sensus percipiant, quos tenella adhuc in ætate prope cum lacte exsugunt, atque plerumque omni vitæ spatio conservant. Salomon supponit, genitores ea, qua debent, doctrina, ac sapientia præstare; quandoquidem præcipit, ut filii summa parentes suos observantia colant, nec latum quidem unguem ab eorum legibus, præceptis, institutis, vel Religione, quam illi profitentur, recedant.

℣. 9. UT ADDATUR GRATIA CAPITI TUO, ET TORQUES COLLO TUO.] Puer honesto loco natus, ac pro- B be institutus, satis ornatus est ea sapientia, virtute, iisque cognitionibus, quæ in ipso præfulgent; eæ enim sunt veluti corona, quæ caput ejus redimit, ac torques, qui illius collum exornat. Hebræus [1]: *Erunt enim velut additamentum gratiæ*, vel *corona decoris* [2] *super caput tuum, & torques collo tuo*.

℣. 10. SI TE LACTAVERINT PECCATORES, NE ACQUIESCAS EIS.] Hebræus [3]. *Si te deceperint peccatores*, si tibi fucum facere quæsiverint, os sublinire, inducere, & veluti inexpertum aliquem in partes, & vias suas allicere, cave, ne illis assentiare. Eorum illecebras, assentatiunculas, & laudes, veluti nequissimum hostium perhorresce: *Pessimum inimicorum genus, laudantes*, ait Tacitus in Vita Agricolæ

℣. 12. DEGLUTIAMUS EUM SICUT INFERNUS VI- C VENTEM.] Hiet sub pedibus ejus terra, eumque viventem adhuc, ut olim Dathan, & Abiron, deglutiat [4]. Viventes adhuc in sepulchrum descendant, ac in infernum [5], in mortuorum sedem. Hæ locutiones: Deglutiamus eum viventem, sicuti infernus, vel sepulchrum, eum impetum, furoremque significat, quem verbis nonnisi extenuare possemus. In eodem ferme sensu in Job. 31. 31. legimus: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei*, contubernales mei, scilicet: *Quis det de carnibus ejus, ut saturemur*.

℣. 17. FRUSTRA AUTEM JACITUR RETE ANTE OCULOS PENNATORUM.] Hoc Proverbium est, quod a Salomone minime explicatur, ab Interpretibus vero in varios sensus torquetur. Alii vers. 19. adnectunt hoc pacto: Non secus ac tenduntur aviculis, licet in- D nocuis, retia: *ita* (vers. 19.) *avari*, injusti illi homines, quibus una lex est insatiabilis ipsorum aviditas, *rapiunt eorum animas, quibus bonum est*; eas decipiunt, atque injustissime perdunt. Alii hoc explicant pacto: Fili mi, cave, ne dolosa verba te in errorem impellant; *num enim frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* [6]? Callidiores etiam decipiuntur: aves ipsæ licet summa præstant pernicitate, sæpius retibus capiuntur. Septuaginta quoque [7] cum interrogatione legisse videntur; reddunt enim: *Nequaquam injuste retia tenduntur aviculis*. Vel: impii in hoc unum intenti sunt, ut malum faciant: *verum non injuste retia tenduntur aviculis*. Impii merito decident in retia, quæ aliis tetendere (vers. 18.) *Struunt insidias in semet ipsos*. Aliter; at flagitiosi viri operam ludunt, cum ju- E stos fallere adnituntur, omnes conatus eorum in irritum evanescent [8]: *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*; nequicquam conantur sapientes viros in fraudem impellere. Hi scient eorum laqueos effugere, ac dolosam evitabunt vocem, quæ illos in retia contendit allicere. Denique ita quoque intelligi potest: Fili mi, audi consilia mea, neque decipiant te improborum illecebræ; si audieris me, illorum laqueos facile effugies [9]: frustra enim *jacitur rete ante oculos pennatorum*. Postremus hic sensus naturalis videtur; at mihi sequens potius arridet: *Impii ad effundendum sanguinem festinant; & injuste jaciunt rete ante volucres*. Justos, non secus ac aves fallunt.

℣. 18. IPSI QUOQUE CONTRA SANGUINEM SUUM INSIDIANTUR.] Impii, licet inviti, ruunt in retia, quæ aliis posuere; effectus pravæ eorum voluntatis recidit in impios, in sanguinem suum, in eorum personam, vel filios. Justus ipsorum rete evitabit (℣. 17.) & rete decidet super ipsos; ipsi primi in dolis suis capientur: *Moliuntur fraudes contra animas suas*.

℣. 19. SIC SEMITÆ OMNIS AVARI; ANIMAS POSSIDENTIUM RAPIUNT.] Avari invidis, atque inexsaturabilibus oculis eos omnes intuentur, quibus sunt bona; omnesque vias scrutantur, ut illus exuant, atque diripiant. Hebraicus textus alium potest sensum admittere [10], si versiculo superiori subnectatur. Impii decidunt in laqueos, quos ipsi tetenderunt: *sic semita omnis argentum diligentis*; argentum hoc *laqueus erit ipsum possidenti*. Septuaginta [11]: *En quænam sunt viæ omnium injustitiam agentium; perdunt animam suam propter suam impietatem*.

℣. 20. SAPIENTIA FORIS PRÆDICAT.] Salomon sapientiæ vocem, & jucundas illius imitationes opponit illecebrosis peccatorum sermonibus. Hi clam insidias struunt, se se abdunt, ut melius fallant: Sapientia e contra attollit vocem suam in triviis, & compitis; neque ad cædes, ad vim, ad nefas, ad flagitia invitat, quæ plerumque operantibus illa funus portendunt; sed ad Deum, & ad summum bonum: detegit vias, qua iter est ad malum, ut evitentur; homines ab erroribus earum revocat, eisque certissimum minitatur interitum, si ipsam fuerint aspernati. Dicens, sapientiam vocem suam in plateis extollere, Salomon pravam eorum excusationem prævertit, qui interrogare possent, ubinam hanc possent invenire sapientiam? Ipsa ubique est; quidquid circum nos est, nobis sapientiam prædicat. Oculi dumtaxat, atque aures aperiendæ sunt. Videsne malum, scandalum, nequitiam? Cave, ne eadem facias: Audisne rectos sermones, optima intueris exempla? audi, imitare, ac profice. Sapientes plura ab insipientibus, quam a sapientibus insipientes percipiant, ajebat Cato.

℣. 22. USQUEQUO, PARVULI, DILIGITIS INFANTIAM; ET STULTI EA, QUÆ SIBI SUNT NOXIA?] *Parvulorum* nomine simplices designantur, homines nimium creduli, nimiumque proni, ut sibi fucum fieri patiantur; *stultorum* vero nomine illi, qui in flagitia, atque scelera proruunt. Hebræus habet [12]: *Usquequo derisores irrisiones diligent?* Hæc vox *irrisores* sæpius in hoc Opere occurrit, ac frequentius, quam in aliis Scripturæ Libris: Eos autem significat, qui in jocum pietatem, religionem, rectam fidem, patientiam, atque sapientiam vertunt; qui malum dumtaxat, inanem mundi prudentiam, bona sua, atque honores suspiciunt; reliqua vero omnia flocci faciunt; perinde ac justitia, pietas, innocentia, rectitudo, pusillorum, atque angusti animi virorum essent propria. Verbo, *irrisores* hos vocabimus sciolos quosdam, leviter doctrinis imbutos, qui de quacumque proposita re disceptare, de Religione ipsa decidere audent, cum altissima in ignorantiæ caligine versentur; & nugas omnes nauci pendere glorientur, cum interim iis omnibus se se dedant, quæ vilissima sunt, atque turpissima. Contra hos levis armaturæ viros passim hominum sapientissimus invehitur; eisque summa minitatur infortunia, eisque prædicit, futurum, ut Deus, cum diu eorum crimina pertulerit, irrideat aliquando eorum exci-

1 כי לוית חן הם לראשך וענקים לגרגרותיך 2 Στέφανον γὰρ χαρίτων δέξῃ σῇ κορυφῇ, καὶ κλοιὸν χρύσεον περὶ σῷ τραχήλῳ. Ita Syr. Arab. &c. Aquil. Προσθήκη χάριτος. *Additamentum gratiæ*.
3 אם יפתוך חטאים 70. Ἐὰν σε παρακαλέσωσί σε. 4 Num. 16. 30. 5 Psal. 54. 16.
6 כי חנם מזרה הרשת בעיני כל בעל כנף 7 Οὐ γὰρ ἀδίκως ἐκτείνεται δίκτυα πτερωτοῖς.
8 Salonius. Cajet. Mari. 9 Beda, Lyr. Hug. Dionys. Jans. & alii passim.
10 כן ארחות כל בצע בצע את נפש בעליו יקח 11 Αὗται αἱ ὁδοί εἰσι πάντων τῶν συντελούντων τὰ ἄνομα, τῇ γὰρ ἀσεβείᾳ τὴν ἑαυτῶν ψυχὴν ἀφαιροῦνται. Aqu. Sym. Theod. Αἱ ὁδοὶ παντὸς πλεονεκτοῦντος πλεονεξίαν. *Via omnis avari, plus habere cupientis*. 12 ולצים לצון חמדו

dium, inutilemque, ac seram nimis illorum pœnitentiam non audiat.

Septuaginta [1]: *Justi, quoad justitiæ adhærebunt, non confundentur, ac insipientes, qui vim faciunt*, & injuriam, *impii facti sunt, atque doctrinam oderunt*.

℣. 23. CONVERTIMINI AD CORREPTIONEM MEAM; EN PROFERAM VOBIS SPIRITUM MEUM.] Effundam cor meum, expromam sensus meos, proponam consilia mea in oculis vestris. Attentionem vestram dumtaxat requiro, ut ex animo ad me, ad veritatem, ad sapientiam revertamini. Hebræus ad litteram [2]: *Si ad eruditionem meam revertimini*; vel si convertitis faciem ad correptionem meam: *efficiam, ut fluat super vos spiritus meus*, veluti fons, qui suas aquas emittit. Septuaginta hoc superioribus addunt [3]: Facti sunt impii, & contempserunt disciplinam; *& obnoxii fuerunt correptionibus: Proferam vobis verbum spiritus mei*.

℣. 24. QUIA VOCAVI, ET RENUISTIS.] Hoc ad illos spectat, qui Sapientiæ invitamenta, atque adhortationes aspernati sunt. Cum vobis, qui oblationes meas renuistis, & monita mea contempsistis, malum, quod vos manet, ingruet, in interitu vestro ridebo, ℣. 26. 27.) Vel potius: Si preces meas neglexeritis, atque aurem voci meæ præbere, meaque sectari consilia renueritis, ego quoque vicissim preces vestras aspernabor, in vestris infortuniis ridebo, atque inani, & inutili pœnitentiæ vestræ insultabo. Cum dicitur Deus ob peccatoris malum ridere, atque illi insultare, nemo non videt, hoc improprium esse loquendi genus. Deus nimium super nos est, quam ut nostris illudere possit calamitatibus; verum in nos agit, veluti irritatus hostis, qui audacem, atque impotentem adversarium prostravit, ac illius illudit temeritati. Deus sine ulla misericordia nos plectit: cum

A per summum nefas illius gratiam aspernamur.

℣. 28. TUNC INVOCABUNT ME, ET NON EXAUDIAM.] Vocibus meis obsurdescunt, eorum vocibus obsurdescam; ad me tunc redeunt, cum eos periculi imminentis adspectus, & mortis timor impellunt: non horror scelerum, non mei nominis timor, non justitiæ amor, non sincera pœnitentia eos revocant. Ego quoque eorum clamores non audiam, ab illis oculos detorquebo in die infelicitatis eorum. Justum impœnitentis, obdurarique peccatoris supplicium. Vide in Macchabæorum libris [4] fallacem, vacuamque Antiochi Epiphanis pœnitentiam.

℣. 30. ET DETRAXERINT UNIVERSÆ CORREPTIONI MEÆ.] Contempserunt correptiones meas; ad litteram, oblocuti sunt, extenuarunt, infirmarunt meæ

B correctionis robur, inanes dumtaxat minas esse, nullumque habituras effectum credidere; *Detraxerunt correptioni meæ*. Hebræus [5]: *Abominantur*, horrent correctiones meas.

℣. 32. AVERSIO PARVULORUM INTERFICIET EOS; PROSPERITAS STULTORUM PERDET ILLOS.] Parvulos, insipientes, homines illos, qui præcepta mea neglexerunt, & qui adeo rationis usu caruere, ut post Impiorum exempla, & monita abirent, sua ipsos enecabit stultitia; eorum prosperitas, bona, favor in ipsorum cedet interitum; peribunt propter ea, quę solicite adeo quęsiverunt. Hebręus [6]: Requies, pax, tranquillitas *simplicium*, eorum, qui improborum illecebris decipi passi sunt, *interficiet illos*; *& pax*, felicitas, copia *stultorum perdet &c.* Septuaginta [7] longe ab hoc sensu recedunt: Interficientur, eo quod

C injuste *parvulos oppresserunt*, *& impii peribunt propter districtum* justitię Domini *examen*. Vulgatę versio ex Symmacho deducta est [8].

---

1 Ὅσοι ἂν γνῶσιν ἄκακοι ἕχονται τῆς δικαιοσύνης, οὐκ αἰσχυνθήσονται. Οἱ δὲ ἄφρονες τῆς ὕβρεως ὄντες ἐπιθυμηταί, ἀσεβεῖς γενόμενοι ἐμίσησαν αἴσθησιν. 2 תשבו לתוכחתי הנה אביעה לכם רוחי

3 Καὶ ὑπεύθυνοι ἐγένοντο ἐλέγχοις, ἰδοὺ προήσομαι ὑμῖν πνοῆς ῥῆσιν. 4 2. Macchab. 9. 13. Vide & Psalm. 11. 4. *Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit illos*.

5 נאצו כל תוכחתי 70. Ἐμυκτήριζον ἐμοὺς ἐλέγχους. Aquil. Διέρρηψε. Symmach. Παρώξυνε.

6 כי משובת פתים תהרגם ושלות כסילים תאבדם 7 Ἀνθ' ὧν γὰρ ἠδίκουν νηπίους, φονευθήσονται, καὶ ἐξετασμὸς ἀσεβεῖς ὀλεῖ. 8 Sym. Ὅτι ἀποστροφὴ νηπίων ἀνελεῖ αὐτούς, καὶ εὐθηνία ἀφρόνων ἀπολεῖ αὐτούς.

CAPUT II.

Via ad obtinendam Sapientiam, studium, & oratio. Felicitas possidentium illam; Infelicitas vero eadem carentium. Societas, & illecebræ adulteræ mulieris evitandæ.

1. FIlli mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te,
2 Ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. 3 Si enim sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ: 4 Si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam:
5 Tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies: 6 Quia Dominus dat sapientiam: & ex ore ejus prudentia, & scientia. 7 Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter: 8 Servans semitas justitiæ, & vias Sanctorum custodiens. 9 Tunc intelliges justitiam, & judicium, & æquitatem, & omnem semitam bonam. 10 Si intraverit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit: 11 Consilium custodiet te, & prudentia servabit te, 12 Ut eruaris a via mala, & ab homine, qui perversa loquitur: 13 Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: 14 Qui lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: 15 Quorum viæ perversæ sunt, & infames gressus eorum. 16 Ut eruaris a muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos; 17 Et relinquit ducem pubertatis suæ, 18 Et pacti Dei sui oblita est: inclinata est enim ad mortem domus ejus, et ad inferos semitæ ipsius. 19 Omnes,

nes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.
20 Ut ambules in via bona: et calles iustorum custodias. 21 Qui enim recti
sunt, in terra, et simplices permanebunt in ea. 22 Impii vero de terra perden-
tur: et qui inique agunt, auferentur ex ea.

℣. 1. UT AUDIAT SAPIENTIAM AURIS TUA, A INCLINA COR TUUM AD COGNOSCENDAM PRUDENTIAM.] Sapiens isthic præcepta tradit, ut ad sapientiæ possessionem perveniamus, nobisque vias aperit ad eam agnoscendam, acquirendamque. Requiritur in primis ingenium pronum, & facile, amor, flagrans desiderium illam inveniendi, ac possidendi; hæc prior est dispositio; deinde labore opus est, indesinenti cura, solicitudine, studio vers. 4. *Si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam*: hæc omnia naturalia sunt; verum aliquid ulterius exposcitur, humilitas nempe: *Inclina cor tuum*; docilitas, submissio; denum optat, ut nosmet ad Deum precibus convertamus. ℣. 5. *Si Sapientiam invocaveris*. Sine Dei ope numquam sapientiam obtinebimus; & si quid B studio, ac labore ediscemus, illud non inutile solum erit, sed perniciosum propter pravos effectus, quos incorde nostro pariet. Dominus solus Sapientiam largitur; ex cujus labiis egreditur prudentia. ℣. 6. *Dominus dat Sapientiam, & ex ore eius scientia, & prudentia*. Scientia quælibet, virtus, lumen, doctrina, cujus principium, & finis Deus non est, error est, illusio, tenebræ.

℣. 7. CUSTODIET RECTORUM SALUTEM, & PROTEGET GRADIENTES SIMPLICITER.] Hebræus [1]: *Dominus protegit* umbra sua, *quidquid ad justos attinet; est clypeus eorum, qui in perfectione gradiuntur*. Vel: *Dominus reservat salutem*, realitatem, veram sapientiam, quidquid magis solidum, verum, ac reale adest, *pro illis, qui recti sunt*. Hebraicam vocem *tousiah* C sæpius hoc in libro invenimus; eamque etiam in Libro Job deprehendimus [2]: verum nostrate in lingua non suppetit proprium vocabulum, quo omnis vis vocis illius exprimatur; significat autem verum bonum, solidam virtutem, veritatem, realitatem &c

℣. 8. SERVANS SEMITAS JUSTITIÆ, & VIAM SANCTORUM CUSTODIENS.] Hoc pacto meremur patrocinium, de quo versiculo præcedenti fuit sermo. At Hebræus [3] de Domino intelligit, *qui protegit vias justitiæ*, famulorum suorum æquitatem amantium: *tuetur semitam servorum suorum*, illorum, quorum miseretur, & quos sua benevolentia dignatur. Deus peculiari cura eorum invigilat incolumitati; eosque summa diligentia ab omnibus malis, periculisque tuetur. D

℣. 9. TUNC INTELLIGES JUSTITIAM.] Cum serio temet abdideris in sapientiæ studium, eamque tibi Deus fuerit impertitus, tunc intelliges, quanam in re vera consistat justitia. Tunc agnosces hominis officia erga Deum, erga proximum, & erga te ipsum. Sapientia tibi lucem afferet, ut illius universam extensionem percipias, opemque præbebit, ut omnia tua munera exerceas.

℣. 11. CONSILIUM CUSTODIET TE, & PRUDENTIA SERVABIT TE.] Sapientia suggeret tibi, cum magis urgebat necessitas, salubria consilia; perspicacem, ac vigilantem prudentiam tibi tribuet; qua pericula omnia prænoscas, atque prævertas. Septuaginta [4]: *rectum consilium servabit te, ac recta cogitatio tuebitur te*. Hebræus [5] *Cogitatio*, attentio, vigilantia, *tue-* E *bitur te, ac intelligentia servabit*.

℣. 12. UT ERUARIS .... AB HOMINE QUI PERVERSA LOQUITUR.] Magna opus est prudentia, magnaque sibimet ipsi cuilibet invigilandum est cura, ne pravorum hominum sermonibus decipiatur. Adolescentuli in primis maxima facilitate placentia dicentium, se maxima quælibet scire jactantium, atque, ut verbo me expediam, eorum omnium, qui mente, & corde corrupti sunt, sermonibus decipiuntur. Quilibet in semet gerit infelicem corruptionis materiem. Satis est, ut malo auctoritas accedat ex pravis exemplis, vel nequissimis licentiæ præceptis, ut omnis repente verecundia, & metus corruant, qui soli obices vetabant, ne in flagitia rueretur. Spiritus sapientiæ lumine afflatus, ac prudentiæ legibus institutus, cordis motus regit; at cordis pravitas necessario mentis improbitatem subsequitur.

℣. 14. QUI LÆTANTUR CUM MALE FECERINT.] Inde gloriæ suæ segetem quærunt, unde pudor illis esset incutiendus: hoc extremæ improbitatis est argumentum. Ex his indiciis Sapiens flagitiosos homines dignosci vult, atque, ut evitentur, suadet. Hebræus [6]: *lætantur ad faciendum malum, triumphant in subversione*, in malo, vel in extremis flagitiis. Voluptas eorum in hoc posita est, ut malum operandi occasionem quærant, ac inveniant. Cor non invenit lætitiam suam, nisi in sceleribus. Videri potest descriptio quam suimet concinnavit S. Augustinus in Confessionibus suis, antequam converteretur.

℣. 15. QUORUM VIÆ PERVERSÆ SUNT, & INFAMES GRESSUS EORUM.] Hebræus [7]: *Eorum viæ incondita sunt*, obliquæ, sinuosæ, *& eorum gressus errantes*, perversi; non recti, non æqui: illi semper in flagitiis versantur.

℣. 16. UT ERUARIS A MULIERE ALIENA, QUÆ MOLLIT SERMONES SUOS.] Mulier aliena ea est, quæ tua non est, seu nupta sit, vel secus. Salomon hoc nomine significat [8] publicum scortum, vel mulierem nuptam, quæ in lustris prostat. Sapientia tuetur discipulos suos a laqueis pellicum, atque perniciosis earum illecebris, quæ alliciunt, ut mortem, atque excidium afferant. Nomine *alienæ* Grotius hic intelligit, mulierem, quæ non est ex Hebræorum semine, idololatram; at hæc explicatio nullos habet sectatores, eique ea repugnant omnia, quæ in sequentibus versiculis leguntur.

℣. 17. RELIQUIT DUCEM PUBERTATIS SUÆ.] Eum scilicet, cui juvenis nupserat. Hæc circumstantia illius crimen, atque infidelitatem amplificat. Prima studia diutius vigent, atque constantius permanent. Hoc nomine, *Dux pubertatis*, intelligi potest ille, qui eam in juventute erudit, pater ejus, ille, qui institutionis illius curam gessit. Septuaginta [9]: *dereliquit doctrinam juventutis*. At Vulgatæ sensus melior [10]: *Vir pubertatis*. Hebræi maturato uxorem ducebant.

℣. 18. PACTI DEI SUI OBLITA EST.] Frangit jusjurandum, quo Dei nomen testata, atque coram ipso se fidelem viro suo futuram spopondit. Vel Dei Legem violat, qui adulterium prohibet Exod. 20. 14. atque ita quodammodo renuntiat fœderi, quod Israel cum Domino percussit. Lex non adulterium dumtaxat, sed omnem impudicitiam, atque turpe flagitium pro-

---

1 יצפן לישרים תושיה מגן להלכי תם 70. Θησαυρίζει τοῖς κατορθοῦσι σωτηρίαν, ὑπερασπιεῖ δὲ τὴν πορείαν αὐτῶν.
2 Job. 5. 12. 6. 13. & 11. 6. 12. 16. &c.
3 לנצר ארחות משפט ודרך חסידו ישמר 70. Τοῦ φυλάξαι ὁδοὺς δικαιωμάτων, καὶ ὁδὸν εὐλαβουμένων αὐτὸν διαφυλάξει.
4 Βουλὴ καλὴ φυλάξει σε, ἔννοια δὲ ὁσία τηρήσει σε. 5 מזמה תשמר עליך תבונה תנצרך
6 השמחים לעשות רע וגילו בתהפכות רע 70. Εὐφραινόμενοι ἐπὶ κακοῖς, καὶ χαίροντες ἐπὶ διαστροφῇ κακῇ.
7 אשר ארחתיהם עקשים ונלוזים במעגלותם 8 Vide Prov. 5. 3. אשה 5. 20. 7. 5. 22. 14. 23. 33.
9 Ἀπολιποῦσα διδασκαλίαν νεότητος. Hebr. העזבת אלוף נעוריה
10 Vide Joel. 1. 8. Jerem. 3. 4. Prov. 5. 18. Isai. 54. 6. &c.

prohibebat, Deût. 23. 17. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.* A

INCLINATA EST AD MORTEM DOMUS EJUS, & AD INFEROS SEMITÆ ILLIUS.] Vel simpliciter ad sepulchrum. Adulterio interdictum erat, capitis utrique pœna proposita [1]: *Uterque morietur, idest adulter, & adultera.* Aliter: Domus ejus est locus mortis pro ingrediente illuc; ibi enim inveniet mortem animæ suæ, & excidium innocentiæ suæ; eamque censere potest, veluti sepulchrum; ubi se viventem adhuc contumulat. Semitæ illius ducunt ad inferos; væ illi, qui eam sequitur, eique adhæret. Hebræus [2]: *domus eius inclinata est ad mortem, & semitæ illius ad gigantes.* Salomon nobis infernum exhibet, veluti Gigantum sedem. Vide etiam infra cap. 9. vers. 18. Consequens versiculus præsentem explanat. Inclinata est ad mortem domus ejus. (19.) *Omnes, qui ingredientur ad eam, non revertentur.* Hæc est veluti profunda spelunca, ubi clauduntur cadavera, ne inde amplius egrediantur; semitæ ejus deducunt ad sepulchrum; & qui sequuntur eas, *non revertentur amplius in viam vitæ.*

℣. 21. QUI ENIM RECTI SUNT, HABITABUNT IN TERRA.] Diu vivent, atque constanti prosperitate fruentur in medio patriæ suæ, familiæ, atque hæreditatis. Hæc erat spes, objectum, remuneratio carnalium Judæorum: at qui secundum spiritum vivebant, & qui per cordis sui dispositionem ad novum fœdus pertinebant, ulterius aliquid prospiciebant, atque permanentem in æternis Tabernaculis mansionem expectabant. Opponit felicitatem, ac prosperitatem Justorum morti, quam minitatur illis, qui alienæ, atque impudicæ mulieri adhæserint.

---

1 Levit. 20. 10. & Deut. 22. 22. 2 כי שחה אל מות ביתה ואל רפאים מעגלותיה 70. Ἔθετο παρὰ τῷ θανάτῳ τὸν οἶκον αὐτῆς, καὶ παρὰ τῷ ᾅδῃ μετὰ τῶν γηγενῶν τοὺς ἄξονας αὐτῆς.

CAPUT III.

Sapientia diuturnam vitam concedit: in Deo confidere: non esse sapientem in oculis suis: Dominum muneribus colere: illius correptiones, atque tentamenta ferre. Sapientiæ inæstimabile pretium: est arbor vitæ. Dominus fundavit terram sapientia. Pax eorum, qui possident sapientiam. Proximo suo benefacere. Justorum felicitas.

1. FIlli mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat. 2
Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. 3
Misericordia, & veritates te non deserant, circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui: 4 Et invenies gratiam, & disciplinam bonam, coram Deo, & hominibus. 5 Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne
innitaris prudentiæ tuæ. 6 In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget
gressus tuos. 7 Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, & recede a malo: 8 Sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum. 9 Honora
Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei: 10
Et implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. 11 Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias, cum ab eo corriperis: 12
Quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. 13
Beatus homo, qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentia: 14 Melior est
acquisitio ejus negotiatione argenti, & auri primi, & purissimi fructus ejus: 15
Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. 16 Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra illius divitiæ, & gloria. 17 Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ. 18 Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus. 19 Dominus
sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia. 20 Sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore concrescunt. 21 Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: custodi legem, atque consilium: 22 Et erit vita animæ tuæ, & gratia
faucibus tuis. 23 Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget: 24 Si dormieris, non timebis: quiesces, & suavis erit somnus tuus. 25 Ne
paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum. 26 Dominus enim
erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris. 27 Noli prohibere benefacere eum, qui potest; si vales, & ipse benefac. 28 Ne dicas amico tuo:
Vade, & revertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare. 29 Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam. 30 Ne contendas adversum hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit. 31 Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus. 32 Quia abominatio Domini est omnis illusor, &
cum

eum simplícibus sermocinatio ejus. 33 Egestas a Domino in domo impii: habitacula autem justorum benedicentur. 34 Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam. 35 Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio, ignominia.

℣. 1. FILI MI, NE OBLIVISCARIS LEGIS MEÆ.] Salomon summa arte hunc librum conscripsit: præcepta directe allata, atque Ethicæ documenta dogmatico continenti stylo proposita fastidium peperissent. Diversas igitur personas inducit, ut discipuli sui attentionem detineat. Nunc Deus, nunc Sapientia, nunc idem Salomon loquuntur, ac tercentis variis, jucundisque modis effert argumentum, quod per se maxime serium est, ac maximi momenti; & quod idcirco attentionem efflagitat, ac mentem fatigat. Hic Deum ipsum loquentem videtur inducere: *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ.* Hæc enim non parva sapientiæ pars est, fideliter, fortiterque Divinæ legi adhærere; ad quam omnes speculativæ eruditiones Sapientiæ sunt referendæ. Lex isthic significare quoque potest præcepta, quæ Sapiens discipulo suo, quem filium propter benevolentiam vocat, edisserit. Vide ℣. 21.

℣. 2. LONGITUDINEM DIERUM, & PACEM APPONENT TIBI.] Sæpe promittit Deus vitæ diuturnitatem, ac temporalem felicitatem, præcepta sua diligentibus [1]: hoc ipsum spondet studium Sapientiæ ingredienti. Fluxæ carnalium Judæorum remunerationes erant figura, & pignus æterni præmii eorum, qui veri essent secundum spiritum Israelitæ. Liquido patet, prosperitatem dumtaxat perfunctoriam nequaquam esse posse justum illius præmium, qui egregias virtutes accuratissime exercet, neque latum quidem unguem a Divinarum Legum observatione recedit: ideoque mens extollenda est ad majus aliquod præmium, quod diuturnam vitam, pacem, vel hujus vitæ felicitatem excedat.

℣. 3. MISERICORDIA & VERITAS NON TE DESERANT . . . ℣. 4. ET INVENIES GRATIAM CORAM DEO.] Passim [2] in Scripturis invenitur hæc loquendi ratio: *Misericordia, & veritas.* Cum de Deo sermo est, significat illius clementiam, *& prævenientem misericordiam, ac summam fidem, qua ea, quæ promisit, adimplet.* Exempli gratia in Psalmo 88. 15. scriptum est: *Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam;* hoc est; hominibus hinc ostendet clementiam ad miserationem pronam, misericordiam prævenientem, facilemque lenitatem, ad peccatorem excipiendum propensam, cum pœnitentiam agere voluerit; inde vero exactam fidem ad ea, quæ pollicitus est, adimplenda. Cum autem de homine sermo est, eadem, habita ratione, significat. Misericordiam & veritatem ultro, citroque servamus, cum benevolentiæ, honoris, atque charitatis officiis invicem contendimus, cum iis, quibus possumus, benefacimus; cum iis, a quibus læsi fuimus, veniam concedimus, cum summa fide promissa exolventes numquam muneri nostro desumus, & semper cum sinceritate, veritate, ac justitia loquimur. Dominus igitur isthic præcipit, ut nobiscum invicem misericordiam & veritatem exerceamus, atque hoc nobis præmium fore promittit, quod scilicet gratiam coram Deo, & hominibus inveniemus.

℣. 4. INVENIES GRATIAM, & DISCIPLINAM BONAM CORAM DEO &c.] Deo acceptus eris, & homines prudentiam tuam commendabunt. Dei gratiam, & amplissimum ab hominibus testimonium obtinebis. Hebræus [3]: *Invenies gratiam, & prosperum eventum coram Deo, & hominibus.* Vel: *Invenies gratiam, atque intelligentiam,* prudentiam, spiritum bonum, *coram Deo, & hominibus.* Septuaginta [4] id superiori subdunt: Scribe præcepta mea in tabulis cordis tui, (℣. 4.) *& invenies gratiam. Cura, ut bonum operreris coram Deo, & coram hominibus.* S. Paulus secundam hujus loci partem citavit in epistola ad Romanos 12. 17. & Corinthios 8. 21. juxta versionem Septuaginta. *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

℣. 5. HABE FIDUCIAM IN DOMINO EX TOTO CORDE TUO.] Petit Deus, ut eum diligamus, in eum credamus, & speremus, illumque toto corde quæramus: at horum nihil dimidiatum postulat. Nonne meretur, ut in eum omnem fiduciam nostram collocemus, quoniam adeo misericors, & clemens est, ut velit, atque potens adeo, ut nos a periculis eripere valeat? Quid valeret sapientia nostra, industria, potestas sine ipso? *Et ne innitaris prudentiæ tuæ.* Non vetat, nostra nos uti prudentia, at eidem inniti nos, vetat.

℣. 7. NE SIS SAPIENS APUD TEMETIPSUM.] Omnes auctoritatis, & eloquentiæ nervos intendit, ut nos ad Sapientiam quærendam adhortetur, at non vult, nos sapientes esse in oculis nostris. Præcipit, ut nequaquam nostris fidamus consiliis, sed aliorum monita semper æqui, bonique faciamus; ut Deo, non vero nobis metipsis, quæcumque facimus, accepta referamus, neque satis scire umquam arbitremur; ut omnia verbo complectar; ne sapientia nostra nobis vel superbiam, vel fastum ingerat. Vide 2. Cor. 12. 13. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Et Isaias 5. 21. *Væ, qui sapientes estis in oculis vestris.*

℣. 8. SANITAS ERIT UMBILICO TUO, & IRRIGATIO OSSIUM TUORUM.] Viscera tua sana erunt, ac ossa tua medulla referta. Umbilicus totum ventrem, omnesque internas partes significat, jecur, exta, aqualiculum &c. Ossa vero solidas partes designant. Integra, & felici sanitate lætaberis. Puer in utero matris suæ victum, atque alimentum, unde crescat, per umbilicum accipit; & pars illa, seu bona, seu mala valetudine fruatur, non parum prodest vel obest incolumitati nostræ, vel ægritudini. Eam veteres sanitatis ergo inungebant [5]. Abenezra credidit, partem hanc nervorum fundamentum fuisse, vel originem; a qua sententia recentes Philosophi longissime aberrant; atque Interpretes quidam dubitant adhuc, an Hebraica vox [6] *Schor* vere umbilicum significet. Hebræi aliud nomen habent [7], ad partem eam innuendam: Septuaginta reddiderunt isthic, *corpus tuum*, & Syrus *carnem tuam*. At alii loci, ubi nomen idem occurrit, liquido ostendunt, hoc non nisi umbilicum posse significare [8]. Oritur autem ex voce *Scharir*, esse fortem [9].

ET IRRIGATIO OSSIUM TUORUM.] In morbis, laboribus, doloribusque medulla imminui putatur. Veteres quidam diminutionem hanc occultis detulere causis, veluti Lunæ; verum hæ errorum tenebræ dissipatæ sunt. Optima valetudo, optimusque cibus, & quies, venas sanguine, & ossa medulla refercient; quam Sapiens *ossium irrigationem* appellat [10]. Septuaginta [11]: *curatio ossium tuorum.* Vivida, fortique valetudine lætaberis: & ossa tua medulla replebuntur, & optimoque succo irrigabuntur.

℣. 9. HONORA DOMINUM DE TUA SUBSTANTIA.] Offer illi munera ex bonis tuis; hoc pacto supremum illius dominium testare, fatere, te ab ipso omnia accepisse; illi gratias age. Juxta Orientalium mores sub-

1 Vide Exod. 20. 12. Deut. 5. 16. 22. 7. 2 Genes. 24. 27. 49. 47. 29. Josue. 2. 14. & 2. Reg. 2. 6. & 15. 20. Psal. 24. 10. 39. 12. &c. 3 ומצא חן ושכל טוב בעיני אלהים ואדם
4 Καὶ εὑρήσεις χάριν· καὶ προνοοῦ καλὰ ἐνώπιον Κυρίου, καὶ ἀνθρώπων. 5 Grot. hic. Bossuet. in Cant. 7. 2.
6 רפאות תהי לשרך 70. Τότε ἴασις ἔσται τῷ σώματί σου. 7 טבור Thabor.
8 Ezech. 16. 4. Cant. 7. 2. 9 שריר Deut. 29. 19.
10 ושקוי לעצמותיך 11 70. Ἐπιμέλεια τοῖς ὀστέοις σου.

subditus Domino, Regique suo cultum, observantiam, fidemque muneribus deber ostendere. Munera Regi afferre, idem est, ac ipsum Regem agnoscere, eique suam servitutem testari [1]. Deus non vult, aliquem in conspectum suum vacuum prodire [2]. Septuaginta [3]: *Honora Dominum de justis laboribus tuis, & illi tribue primitias fructuum justitiæ tuæ.* Addiderunt autem *justi*, & *justitiæ* nomina, ut ostenderent, quod *quidquid in Dei sacrificio ex scelere offertur, Omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat*, ut ait S. Gregorius Magnus regest. l. *9.* 106. nov. edit.

℣. 10. IMPLEBUNTUR HORREA TUA SATURITATE:] hoc est, frugibus: hic enim verus est Hebraici textus sensus, qui ad litteram habet, uti Vulgata: *replebuntur saturitate* 4. Hæc promissa ad carnales Judæos spectant. Israelitæ vero secundum spiritum elaborant, ut sibi thesauros in Cœlo thesaurizent; juxta Salvatoris loquendi rationem Matth. *6.* 19. 20.

℣. 11. DISCIPLINAM DOMINI NE ABJICIAS.] Ne impatienter feras eas pœnas, quibus tuam virtutem experitur. Humilis esto, cum te percutit. Pater ita filium suum perfectum reddere, eumque a mortis periculo conatur liberare. Nihil frequentius in Scripturis repetitum est, quàm tribulationum necessitas, quæ sunt plerumque Dei misericordiæ, atque clementiæ, potiusquam iræ, & severitatis effectus. Vide Hebr. 12. 5. Apoc. 3. 19. *Ego, quos amo, arguo, & castigo.*

℣. 12. QUEM DILIGIT DOMINUS, CORRIPIT, & QUASI PATER IN FILIO COMPLACET SIBI.] Cum percutit, tunc quoque majori amore a se percussum complectitur, quam pater filium suum diligat. Sæpius non percuteret, nisi paterna charitate nos persequeretur. Væ illis, quos Deus iratus impunes abire patitur in terris; eos enim ad graviora supplicia reservat, cum sceleribus eorum cumulus accesserit. Septuaginta [5]: *Dominus corrigit, quem diligit, & virgis suis filium percutit, quem recipit*, qui illi acceptus est. S. Paulus [6] hunc locum proferens, eosdem Interpretes secutus est. Hebræus ad litteram [7]: *Dominus corrigit, quem amat, & veluti pater filium, quem diligit.* Vel: *eum amat, veluti pater diligit filium suum.* Verbum, quod *flagellare* significat, in Textu non legitur. Reprehensiones, & correctiones, tantæ sunt utilitatis, ait Philo de congressu quærendæ erudit. gratia, ut per eas Dei filii fiamus: atque ut ita dicam, per adoptionem in illius familiam migremus.

℣. 13. ET AFFLUIT PRUDENTIA.] Hebræus [8]: *Felix homo, qui hausit prudentiam*, quemadmodum ex abdito fonte hauritur aqua, vel thesaurus terræ insepultus effoditur. Septuaginta [9]: *Felix homo, qui videt prudentiam.* Syriaca versio, & Arabica: *qui prudentiam invenit.*

℣. 15. PRETIOSIOR EST CUNCTIS OPIBUS.] Hebr. [10]: *Pretiosior est, quam Peninim*; quæ vox *uniones* significat, uti non semel ostendimus [11]. Septuaginta, & Chaldæus: *Pretiosior lapidibus pretiosis*: Junius; *corallio.*

℣. 16. LONGITUDO DIERUM DEXTERA &c.] Sapientia bonis cumulat inquirentes illam. Hinc diutina, & felix vita, inde vero bona, & honores sunt hæreditas eorum. Nullum adest mysterium inter lævam manum, & dexteram. Ipsa manus habet eorum, quæ maximi ab hominibus æstimantur, refertissimas, eaque illis affluenter impertit. Hæc omnia ad litteram, & rudi minerva ad Judæos carnales attinent, verum in sublimiori, perfectiorique sensu ad veros Israelitas, secundum spiritum, spectant. Vitæ diuturnitas æternitatis, honores vero cœlestis gloriæ sunt symbolum.

℣. 17. VIÆ EJUS, VIÆ PULCHRÆ, & OMNES SEMITÆ EJUS PACIFICÆ.] Hebræus [12]: *Viæ ejus viæ voluptatis*, suavitatis, jucunditatis, *& omnes semitæ ejus pax.* Quocumque Sapientia graditur, ibi dulces, & innocentes voluptates occurrunt, pax, prosperitas, serenitas, felicitas eam ubique subsequuntur. Sapiens vir semper cordis sui pacem servat, ubique rectæ conscientiæ dulcedine fruitur, atque ea voluptate, qua ii potiuntur, qui supremum possident bonum, eo modo, quo creatura illud in terris possidere potest.

℣. 18. LIGNUM VITÆ EST IIS, QUI APPREHENDERUNT EAM.] Alludit *ad arborem vitæ*, quam Deus in ipsis rerum primordiis in medio Paradisi posuit, & quæ hominis vitam, salutem, & immortalitatem servare debebat [13]. Talis est sapientia possidentibus illam; dat illis, servatque diuturnam, feliceinque vitam in mundo, atque in altera vita illis felicem comparat æternitatem.

℣. 19. DOMINUS SAPIENTIA FUNDAVIT TERRAM;] verbo scilicet suo, Filio suo; ac, ut verbo me expediam, sapientia, quæ ipsi propria est, per semetipsum. Hactenus locutus est de Sapientia veluti ethica virtute; modo vero loquitur de divina Sapientia [14], cujus illa, quam hominibus communicat, nihil aliud est, quam exiguum specimen. Confer versiculum hunc, & sequentem cum *Job* 38. 4. &c. & *Prov.* 8. ℣. 22. 23. & seq. In Job locuti sumus de terræ fundamentis juxta Antiquorum sententiam.

℣. 20. SAPIENTIA EJUS ERUPERUNT ABYSSI.] Nonnulli [15] id explicant de aquis Diluvii, quæ universam terram obruerunt: Alii [16] de fontibus, & fluminibus, quæ e terra exeunt, atque a mari originem ducunt. Alii [17] de abyssis, quas Deus in ipso Mundi primordio effodit, ut ibi maris aquas statueret. Alii denique de aquarum distributione a Deo tunc primum peracta, cum infernas a supernis aquas divisit, juxta Moysis ideam [18]; quarum alteras super Firmamentum constituit, alteras vero in abyssis collegit. Postrema hæc sententia mihi magis arridet.

ET NUBES RORE CONCRESCUNT;] aut vaporibus, quos Sol elevat, & quibus ros est pro materia. Hebræus [19]: & *Nubes*, Cœli, aer *rorem demittunt.* Effectus, quos naturales dicimus, a suprema Creatoris sapientia proficiscuntur, qui primitus creavit, deinde vero per sæculorum lapsum universa eo in ordine servat quem admiramur. Ros in Palæstina magis copiosus est, quam hisce in regionibus: quamobrem Sapiens roris originem, non secus ac imbrium, nubes esse ait; licet ros non ex adeo sublimi aeris regione descendat. In Palæstina ros, si ejus copiam spectes, minimum differt a pluvia. Vide Judic. *6.* 37. 38. & 2. Reg. 17. 12.

℣. 22. ERIT VITA ANIMÆ TUÆ, & GRATIA FAUCIBUS TUIS.] Vide supra cap. 1 ℣. 9. *Ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Sapientia vitam, optimam valetudinem, salutem animæ, & corpori tribuit; eaque pretiosissimum ornamentum est possidentium illam. Cæterum, cum Sapiens toties pollicetur vitam, sanitatem, prosperitatem, pacem, gloriam, sapientiam inquirentibus, hæ promissiones nequaquam, pingui ut ajunt minerva, atque ad litteram, sunt intelligendæ: Non enim Sapientes defuere, qui

1 1. Reg. 10. 29. 2 Exod. 23. 15. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*
3 Τίμα τὸν Κύριον ἀπὸ σῶν δικαίων πόνων, καὶ ἀπάρχου αὐτῷ ἀπὸ σῶν καρπῶν δικαιοσύνης. Aquil. Sym. Theod. Ἀπὸ παντὸς χρήματός σου. 4 וימלאו אסמיך שבע 70. Πλησμονῆς σίτου.
5 Ὃν γὰρ ἀγαπᾷ Κύριος παιδεύει, μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν ὃν παραδέχεται.
6 Hebr. 12. 6. *Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.*
7 כי את אשר יאהב יהוה יוכיח וכאב את בן ירצה Septuaginta legerunt ויכאב, *flagellat*, pro וכאב, *sicut pater.*
8 ואדם יפיק תבונה 9 Ὃς εἶδε φρόνησιν. 10 יקרה היא מפנינים
11 Job. 28. 18. Prov. 3. 15. 8. 11. 20. 15. Thren. 4. 7. Vide Pagn. Mont. Boch. Caiet. Tig.
12 דרכיה דרכי נעם וכל נתיבותיה שלום 13 Vide Genes. 2. 9. 17. & Prov. 13. 12. 15. 4.
14 Ita Gregor. lib. 12. Moral. c. 4. Beda, Cornel. Menoch. Jans. alii. Didym. in Catena.
15 Beda, Caiet. 16 Lyr. Menoch. Vat. Geier. Cornel 17 Piscat.
18 Genes. 1. 6. *Divisit aquas ab aquis*, &c. 19 ושחקים ירעפו טל 70. Νέφη δὲ ἐῤῥύησαν δρόσους.

qui parum vixere, & qui in luctu, & squalore versati sunt. Sapiens ipse nos ℣. 12. commonuit, Deum malis, atque temporalibus afflictionibus periculum facere virtutis filiorum, fidissimorumque servorum suorum. Dicendus igitur Deus, vel ex iis omnibus malis suos amicos eruere, vel ab iis præservare, vel eorumdem ferendorum illis patientiam in terris permittere, eosque in eum statum adducere, quem, si optio illis fieret, eum fortunæ cumulatissimis opibus non commutarent; atque post hoc brevis vitæ spatium eorum victurem ac meritum remunerati præmiis, quæ longe pretio ea excedunt, quæcumque hoc in mundo exoptare potuissent, ac bonis, quæ toto cœlo ea exuperant mala, quibus ipsos affligtari permisit.

℣. 24. SI DORMIERIS NON TIMEBIS.] Cum sopore captus quiesces, nullis nocturnis terroribus perturbaberis. Vel: mortem non metues, eamque adspicies veluti initium felicitatis tuæ, periculorum vero, malorumque tuorum finem.

℣. 26. CUSTODIET PEDEM TUUM, NE CAPIARIS.] Septuaginta [1]: *Confirmabit pedem tuum, ne commovearis*. Vulgata melius Hebraicum textum expressit [2]. Vide Psalmum 90. 12. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem*.

℣. 27. NOLI PROHIBERE BENEFACERE EUM, QUI POTEST; SI VALES, & IPSE BENEFAC.] Textus hic per se patet; sed Hebræus [3] aliquam patitur difficultatem: *ne prohibeas bonum domini sui, cum res erit in manibus tuis*. Dominus boni, in Hebræorum stylo significare potest, vel qui benefacit, vel qui recipit bonum. Vulgata hoc in priori sensu accepit; Septuaginta in posteriori [4]; vertunt enim: *Ne cesses benefacere indigenti, donec vales*; quam sententiam plurimi sectantur Interpretes [5]; & videtur quidem magis naturalis. Pauperes egeni sunt quodammodo *domini bonorum*; ad illa enim jus habent, ob id ipsum, quia indigent. Qui potest benefacere, tenetur simul illis opem ferre, qui illius indigent auxilio.

℣. 30. NON CONTENDAS ADVERSUS HOMINEM FRUSTRA.] Ne contendas injuria; ne sis litigiosus, contentionum amator. Nequaquam vetitum est, se se tueri; verum multa opus est cura, & cautione, ne charitas, justitia, sapientia lædatur. Seneca: *Cum pari contendere, anceps est; cum superiore furiosum; cum inferiore sordidum*.

℣. 31. NE ÆMULERIS HOMINEM INJUSTUM.] Ne tibi suboriatur libido illum imitandi; ne præsens illius prosperitas, ac fortunæ fulgor tibi cupiditatem obtrudant, per easdem vias ad felicitatem eamdem perveniendi. Ne concupiscas locum, officium, existimationem illius. Deus permittit, hæc bona impios consequi, ut Justi ea nequaquam sola esse bona arbitrentur; patitur vero, & justos nonnumquam ea possidere, ne mala esse censeantur. Denique bona eadem justis quandoque ad eos probandos, impiis vero ad eos torquendos adimuntur. *Hæc bona ne putentur mala, dantur & bonis; ne putentur magna summa bona, dantur & malis. Itemque auferuntur ista & bonis, ut probentur; & malis, ut crucientur*, ait S. Augustinus ep. olim 70. nunc 220. ad Bonifacium.

℣. 33. EGESTAS A DOMINO IN DOMO IMPII.] Hebr. [6] *Maledictio Domini est in domo impii*.

℣. 34. IPSE DELUDET ILLUSORES, & MANSUETIS DAT GRATIAM.] Hebr. [7]: *Illusor eris cum illusoribus, & mitibus suam benevolentiam præbebis*. Deus cum illusoribus aget, uti merentur. Illudunt minitationibus Dei, ejusque promissiones irrident, Religionis exercitationes in ludibrium vertunt; Deus quoque vicissim deludet illos: *Ego quoque in interitu vestro ridebo*; Prov. 1. 26. quo in sensu Psalmista ait Psal. 17. 27. Domine *cum electo electus eris, & cum perverso perverteris*. Te inquirentibus obvius occurres, te contemnentibus terga vertes: Septuaginta [8]: *Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*; quam sententiam ex Græco S. S. Apostoli Petrus ep. 1. cap. 5. 5. & S. Jacobus 4. 6. deprompsere.

℣. 35. STULTORUM EXALTATIO IGNOMINIA.] Quo magis extollentur, eo insignior illorum erit stultitia; lapsus vero periculosior. Hebræus [9]: *Stulti extollunt ignominiam suam*; eam omnibus ostendunt. Chaldæus. *Fatui tribulationibus sunt obnoxii*. Alii: Stulti ignominiam sibi comparant, opprobrio perfunduntur, eisque maxima inuritur turpitudinis nota.

---

1 Ἐρείσῃ σὸν πόδα, ἵνα μὴ πταίσῃς. 2 ושמר רגלך מלכד.
3 אל תמנע טוב מבעליו בהיות לאל ידך 4 70. Μὴ ἀπόσχῃ εὖ ποιεῖν ἐνδεῆ, ἡνίκα ἂν ἔχῃ ἡ χείρ σου βοηθεῖν.
5 Chald. Munst. Vatab. Jun. Tremel. Piscat. Mercer. Geier. Bayn.
6 מארת יהוה בבית רשע 70. Κατάρα Κυρίου. 7 אם ללצים הוא יליץ ולענוים יתן חן
8 70. Κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν.
9 וכסילים מרים קלון 70. Οἱ ἀσεβεῖς ὕψωσαν ἀτιμίαν.

CAPUT IV.

Salomon aliis ea præcepta tradit, quæ ipse in pueritia perceperat. Adhortatio ad studium sapientiæ. Improborum solicita cura. Cor suum, os, & gressus tuendi.

1. AUdite, filii, disciplinam patris, & attendite, ut sciatis prudentiam. 2
Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis. 3 Nam &
ego filius fui patris mei, tenellus, & unigenitus coram matre mea: 4
Et docebat me, atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & vives. 5 Posside sapientiam, posside prudentiam: ne obliviscaris, neque declines a verbis oris mei. 6 Ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam, & conservabit te. 7 Principium sapientiæ, posside sapientiam, & in omni possessione tua, acquire prudentiam. 8 Arripe illam, & exaltabit te; glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus. 9 Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. 10 Audi, fili mi, & suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. 11 Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas

mitas æquitatis: 12 Quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, &
currens non habebis offendiculum. 13 Tene diſciplinam, ne dimittas eam: cu-
ſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua. 14 Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec
tibi placeat malorum via. 15 Fuge ab ea, nec tranſeas per illam: declina, &
deſere eam. 16 Non enim dormiunt, niſi malefecerint, & rapitur ſomnus ab eis,
niſi ſupplantaverint: 17 Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.
18 Juſtorum autem ſemitæ, quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit uſque ad
perfectam diem. 19 Via impiorum tenebroſa: neſciunt, ubi corruant. 20 Fili
mi, auſculta ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam. 21 Ne re-
cedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui. 22 Vita enim ſunt inve-
nientibus ea, & univerſæ carni ſanitas. 23 Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia
ex ipſo vita procedit. 24 Remove a te os pravum, & detrahentia labia ſint pro-
cul a te. 25 Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.
26 Dirige ſemitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur. 27 Ne declines
ad dexteram, neque ad ſiniſtram: averte pedem tuum a malo. Vias enim, quæ
a dextris ſunt, novit Dominus: perverſæ vero ſunt, quæ a ſiniſtris ſunt. Ipſe au-
tem rectos faciet curſus tuos, itinera autem tua in pace producet.

℣. 1. AUDITE, FILII, DISCIPLINAM PATRIS.] Audite præcepta mea, eaque bibulis auribus excipite, veluti parentis dicta veſtrum amantiſſimi. Salomon ſe ipſum iſthic docilitatis præbet exemplum; ita tamen ut omnem inſtitutionis, ac ſapientiæ ſuæ gloriam tribuat primis illis rudimentis, quæ ab utroque parente percepit; ubique oſtendit obſervantiam, amoremque, & ſincerum grati animi officium erga genitores ſuos, & præſertim erga matrem [1], quam procul dubio Deus, non ſecus ac Davidem poſt patratum facinus ſummis beneficiis cumulavit. Sapiens omne fere caput 31. matris ſuæ laudibus conſecravit, quam ſub Fortis Mulieris imagine commendat.

℣. 3. TENELLUS, & UNIGENITUS CORAM MATRE MEA [2].] Filius matris, quæ ex animo unice me diligebat, perinde quaſi illius unigenitus eſſem. Neque enim textus ad litteram eſt intelligendus, quoniam Bethſabee quinque filios Davidi peperit 1. Par. 3. 5. Primus eorum connubii, vel potius criminis fructus vix natus, denatus eſt 2. Reg. 12. 15. alii quatuor fuere, *Salomon* primogenitus [3], *Simmaa*, *Sobab*, & *Nathan*. Scio equidem, nonnullos putaſſe, Simmaam, Nathan, & Sobab Bethſabee filios fuiſſe ex Uria genitos priori conjuge; verum S. Lucas 3. 23. luce clarius oſtendit oppoſitum, deducens S. Virginis originem a Nathan, ut eam ex Davidis progenie fuiſſe demonſtret. Igitur *Unigenitus* in eo ſenſu intelligendus eſt, in quo Septuaginta [4] intellexere vertentes, *dilectum*, quo epitheto Græci Auctores, ac Latini nonnumquam unigenitos, primogenitoſque deſignant [5].

℣. 4. DOCEBAT ME.] Hebraicum verbum generis eſt maſculini [6], oſtenditque, Davidem hæc filio ſuo præcepta tradidiſſe.

℣. 7. PRINCIPIUM SAPIENTIÆ POSSIDE SAPIENTIAM: & IN OMNI POSSESSIONE TUA ACQUIRE PRUDENTIAM.] Sapiens jam eſt, qui ſapientiam quærit; & ſapiens, qui ejus pretium intelligit, & eadem frui concupiſcit. Hæc igitur prima ſit, hæc unica cura, hęc magis ſeria, maximique momenti ſolicitudo, ut ſapientiam acquiras, compara illam quocumque pretio. Aliter: Acquire ſapientiam, ac timorem Dei, qui initium eſt illius. Vel: Sapientia bonorum omnium maximum eſt, ipſa res eſt eſſentialis, & unicę neceſſaria: itaque ante alia quęcumque [7], & aliarum quarumcumque rerum impendio quære ſapientiam.

℣. 9. DABIT CAPITI TUO AUGMENTA GRATIARUM &c.] Ornabit te, veluti corona quadam &c. Vide ſupra Prov. 1. 9. Septuaginta [8]: *Ut statuat ſuper caput tuum coronam gratiarum*.

℣. 16. NON ENIM DORMIUNT NISI MALEFECERINT.] Numquam ante quieſcent, quam alicui malum intulerint; ita diſrumperentur, niſi in nequitia ſua lætarentur. Virgilius.

Et ſi non aliqua nocuiſſes, mortuus eſſes.

℣. 17. COMEDUNT PANEM IMPIETATIS.] Panis, quo veſcuntur, impietate, ac injuſtitia acquiſitus eſt. Vel: impietate, velut pane ſaginantur; non ſecus ac alibi dicit [9], impium bibere injuſtitiam.

℣. 18. JUSTORUM AUTEM SEMITA, QUASI LUX SPLENDENS.] Eorum adſpectus illuſtrat, inſtruit, ædificat, exhilarat. Quocumque lumen exemplis, præceptiſque afferunt. Impii e contra in perpetua tenebrarum caligine ſqualent (℣. 19.) *Via impiorum tenebroſa*. Primi ſunt filii lucis, de quibus loquitur Evangelium [10]; alii vero filii tenebrarum. Hę loquendi rationes Hebręis familiares erant; & ſimilitudines e luce deſumptę ad laudandum nobiles ſunt, non ſecus ac ad vituperandum illę, quę a tenebris depromuntur.

℣. 19. NESCIUNT, UBI CORRUANT.] Qui in tenebris ambulant, non vident prerupta loca, in quę aguntur pręcipites, neque lapides offenſionis, in quos impingunt. Non verentur pericula animę, quibus ſunt obnoxii, neque lapſus, qui ipſis intentati ſunt, queunt evitare. Non ſcelus, neque viam, qua ad illud pervenitur, ſatis intelligunt. Haud hęſitanter in peccata ruunt, illis ſe addicunt abſque modo, iis ſuccumbunt abſque dolore, in iiſdem volutantur abſque pœnitentia.

℣. 22. UNIVERSÆ CARNI SANITAS.] In pręceptis meis, ſi ea homo accurate quęſiverit, invenire poteſt ſanitatem ſuam, ſalutem, felicitatem.

℣. 23. OMNI CUSTODIA SERVA COR TUUM, QUIA EX IPSO VITA PROCEDIT.] Vita, & mors animę a corde procedunt: cor mundum, rectum, ſapiens, vigilans vitam impertit; corruptum vero, diſſipatum, inſcium, inſipiens mortem infligit. Non quod in os ingeritur, ac deſcendit in ventrem, hoc hominem coinquinat, Salvator ait Matth. 15. 11. 18. ſed quod pro-

1 Infra verſ. 3. 4. 1. 8. 6. 20. 15. 20. 31. 1. 2 רך ויחיד לפני אמי
3 2. Reg. 12. 24. 4 Υἱὸς ἐγενήθην . . . . ἀγαπώμενος ἐν προσώπῳ μητρός Non aliter vertunt Hebræum יחיד Geneſ. 22. 12. 16. Jerem. 6. 26. Amos 8. 10. Zach. 10. 10.
5 Vide, ſi lubet, Heſych. & Heinſium Exercit. Sacr. pag. 94. 95. 6 Grotius.
7 Ludov. de Dieu. Hebr. ראשית חכמה קנה חכמה
8 Ἵνα δῷ τῇ κεφαλῇ σῇ στέφανον χαρίτων. Hebr. ההן לראשך לוית חן 9 Prov. 16. 6. Vide & Job 15. 16: 34. 7.
10 Johan. 12. 35. 36. Luc. 16. 8.

procedit ex ore, & quod egreditur e corde; os enim loquitur ex cordis abundantia: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: Hæc sunt, quæ coinquinant hominem*. Cavero igitur sedulo; *omni custodia*, summa cum diligentia, vel cum Hebręo [1], *super quodvis curæ genus*; ante quamlibet rem serva cor tuum a pravis cogitationibus, malisque cupiditatibus: *non* enim *fieri potest, ut habeat mala facta qui habet cogitationes bonas; namque facta de cogitatione procedunt*, ait S. Augustinus in Psal. 148. Cor tuum corruptum, sicuti est, afferét mortem tibi, nisi omnem operam navaveris, ut illum tuearis, ejus motus observes, studia regas, & reprimas perturbationes.

℣. 24. REMOVE A TE OS PRAVUM.] Hebr. [2] *remove a te oris perversitatem*; cave, ne maledicas; ne unquam contumeliosa verba, mendacia, calumnias, injurias proferas. Vel potius: Amove a te illum, quicumque calumniis, atque probris labem studet in proximi tui nomen adspergere.

℣. 25. OCULI TUI RECTA VIDEANT, & PALPEBRÆ TUÆ PRÆCEDANT GRESSUS TUOS.] Caute, & attente ingrediaris, quin oculos tuos inconsulto quoquoversum detorqueas; pone oculos tuos super semitas tuas, neque vel leviter quidem, ab illis eosdem deflectas. Monitum hoc prȩcipue ad mores attinet: Tibimet; tuæque agendi rationi, tuisque gressibus dirigendis sedulus adverte, neque oculos leviter circumferas ad ea, quæ ad te nihilum spectant, in alienas personas, atque negotia; *oculi* enim stultorum *in finibus terræ*, ut Sapiens ait Prov. 17. 24.

℣. 26 DIRIGE SEMITAM PEDIBUS TUIS.] Ne inconsulto gradiaris; primum cogita serio, quid tibi agendum, atque suscipiendum sit. Hebræus [3]: *Pondera semitas pedum tuorum*; nosce, ubi pedes statuas. Hoc intelligebat S. Paulus cum Fideles hortabatur, Heb. 12. 13. *Gressus rectos facite pedibus vestris*. Incedite, quin umquam erretis. Septuaginta similiter [4]: *Facite vobis rectas vias, ut ambuletis in illis*.

℣. 27. AVERTE PEDEM TUUM A MALO.] Post hęc verba, reliqua versiculi pars in Hebraico textu non extat; sed ex Septuaginta desumpta sunt ea, quę sequuntur: *Vias enim, quæ a dexteris sunt, novit Dominus; perversæ vero sunt, quæ a sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet*. Verba hæc in veteribus Latinis Bibliis leguntur, eaque in Commentario suo Beda est interpretatus. Adsunt quoque in recentiori Editione S. Hieronymi, non tamen in Complutensi Editione; eaque Lyranus, & Cajetanus rejiciunt.

1 מכל משמר נצר לבך   2 הסר ממך עקשות פה
3 פלס מעגל רגלך   4 Ὀρθὰς τροχιὰς ποίει σοῖς ποσί.

CAPUT V.

Jubet alienam vitari uxorem, suam vero conjugem quæri. Infelicitas eorum, qui conjugii fidem infringunt.

1. FIlli mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam;
2 Ut custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conservent. Ne attendas fallaciæ mulieris. 3 Favus enim distillans labia meretricis, & nitidius
oleo guttur ejus: 4 Novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. 5 Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant. 6 Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus, & investigabiles. 7 Nunc ergo, fili mi, audi me, & ne recedas a verbis oris mei.
8 Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus. 9 Ne
des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. 10 Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena. 11 Et gemas in novissimis,
quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas: 12 Cur detestatus
sum disciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum, 13 Nec audivi vocem docentium me, & magistris non inclinavi aurem meam? 14 Pene fui in omni malo, in medio ecclesiæ, & synagogæ. 15 Bibe aquam de cisterna tua, &
fluenta putei tui: 16 Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. 17 Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. 18 Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. 19 Cerva charissima, & gratissimus hinnulus. Ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare
jugiter. 20 Quare seduceris, fili mi, ab aliena, & foveris in sinu alterius? 21
Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus ejus considerat. 22 Iniquitates
suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. 23 Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

℣. 1. UT CUSTODIAS COGITATIONES.] Hebræus [1]: *Ut observes cogitationes*, ut caute vivas, ut tibimet invigiles, ut agas veluti sapiens vir, qui prudentiæ, non autem libidinis regulas sequitur: *Cogitatio* in libro hoc passim veluti Sapientiæ synonymum usurpatur [2]. Hæc verba: *ne attendas fallaciæ mulieris*, neque in Hebraico textu, neque in recenti S. Hieronymi editione inveniuntur.

℣. 3. FAVUS ENIM DISTILLANS LABIA MERETRICIS.] Illecebræ, atque assentatiunculæ ejus primum quidem melle suaviores sunt [3]; at e vestigio amariorem absynthio amaritudinem gignunt: *& in ipso auditu crimen est*, ait S. Ambrosius l. 2. de Abraham c. 11. *si seducat te meretrix &c.*

℣. 4. NOVISSIMA AUTEM ILLIUS AMARA, QUASI ABSYNTHIUM.] Quid est prava mulier? Est, quiddam ajebat Philosophus [4], naufragium hominis, familiæ procella, vitæ captivitas, est leæna, quæ te arripit, est Scylla scite concinnata, est animal nequitia refertissimum, est malum necessarium.

℣. 5. AD INFEROS GRESSUS ILLIUS PENETRANT.] Meretrix ad sepulchrum deducit: necem tibi studet inferre, teque in teterrima mala præcipitem dare. Vide Caput 1. vers. 16. 17. 18. qui iidem ferme sunt, ac iste. Quemadmodum Syrenes cantus sui dulcedine in naufragium pellicere conabantur eos, qui illas audirent: ita impudica pellex suam dumtaxat quærit calamitatem.

℣. 6. PER SEMITAM VITÆ NON AMBULANT; VAGI SUNT GRESSUS EJUS, & INVESTIGABILES.] In platea manere nequit, domi contineri non potest. Salomon illius inconstantiam mire describit infra cap. 7. vers. 10. 11. &c. Hebræus [5]: *ne ponderes semitam vitæ: viæ ejus sunt inconstantes, eas minime cognosces*. Ne quæras postea semitam, quæ ducat ad vitam, neque speres in erroribus gressuum illius invenire semitam rectam, & æqualem. Hoc unum quærit, ut abscondat turpitudinem vitæ suæ, ac viarum suarum dedecus celet; noverit illa quidem alienam personam induere, ac te in errorem pellicere. Verti quoque potest: *Non ponderat viam vitæ, vagæ sunt semitæ illius; cogitationes non habet*. Vidimus jam capite superiori vers. 26. ponderare vias suas, significare cum attentione, cum pondere, ac judicio incedere. Impudica mulier sine electione, atque attentione se se voluptatibus tradit. Viæ ejus inconstantes sunt; non adhæret viro suo, vel uni homini; primum venienti se se dat: nullam habet cognitionem, sapientiam, judicium, nullam legem habet, nisi libidinem suam, nullum finem, nisi voluptatem. Vel: Viæ illius adeo incertæ sunt, ut ne ipsa quidem norit, quo vadat. Septuaginta [6]: *Pedes illius nequaquam firmi sunt, viæ ejus periculosæ, & difficiles ad cognoscendum*. Chaldæus: *non ambulat vias vitæ; semitæ ejus inconstantes, & ipsa ignorat*. Ad mortem currit; & illuc te trahere desiderat.

℣. 9. NE DES ALIENIS HONOREM TUUM, & ANNOS TUOS CRUDELI.] Ne in periculum adducas honorem tuum, in sinum meretricis irruens, quæ tibi adulatur, ut ad interitum vocet. Ne vulgi fabula fias, ac familiæ tuæ dedecus, propter nimiam licentiam; ne credas crudeli, quæ hoc unum quærit, ut quidquid pretiosissimum habes abripiat, te innocentia, ac bonis exuens; *ne des illis annos tuos*; vitam etiam, valetudinem, existimationem. Hebræus verti potest [7]: *Ne des vigorem tuum*, vim, honorem, alienis, *neque annos tuos crudeli*. Ne aliis filios tribuas, ipsis invitis; ne vim inferas conjugi proximi tui; ne perdas vim juventutis tuæ cum meretrice, & crudeli. Scriptura filios sæpius patrum vim, & gloriam appellat [8]: Et Sapiens aliis in locis præcipit discipulo suo, ne det scortis robur suum [9]: quæ honesta est loquendi ratio, ut significetur: Ne quam meretricem depereas: adhære conjugi tuæ, ac filiis, qui tui sint, gignendis operam nava. Pythagorici eadem ferme loquendi ratione utuntur: *Ne gustes fabas æstate, leviter etiam vere ac Autumno; hoc hyeme magis licet. Verum numquam illis utaris, nisi cum vires tuas volueris amittere*. Faba voluptates carnis significat.

℣. 10. NE FORTE IMPLEANTUR EXTRANEI VIRIBUS TUIS.] Bonis videlicet tuis, vel viribus, robore, uti superiori versiculo explicuimus. Maxima ex vers. 16. lux accedit huic loco: *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide* (℣. 17.) *habeto eas solus, nec sint alieni participes tui*. Versiculo decimo sexto *fontes* vocat, quod in vers. 10. *vires* appellat. Hæ omnes loquendi rationes filios significant.

℣. 11. ET GEMAS IN NOVISSIMIS, QUANDO CONSUMPSERIS CARNES TUAS.] Cum senescente corpore sine viribus eris, sine filiis, sine præsidio, sine spe. Animo concipere oportet, quodnam esset Hebræorum desiderium, frequentem filiorum habendi sobolem, ut intelligi possit hominis mœror, qui propter impudicitiæ scelus effectum viribus imparem se novit legitimis filiis gignendis, & qui in lustris, ganeisque versatus sexcentis laborat morbis, quos vulgo parit intemperantia. Innuit isthic satis aperte fœdissimum illud morbi genus, cujus nomen reticetur, quodque omnibus sæculis justa fuit scortantium virorum, mulierumque pœna. Auctor quoque Ecclesiastici in hæc loquitur verba c. 19. 3. *Et qui se jungit fornicariis, erit nequam; putredo, & vermes hæreditabunt illum; & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus*.

℣. 14. PENE FUI IN OMNI MALO IN MEDIO ECCLESIÆ, & SYNAGOGÆ.] Quovis morborum genere obsitus sum, infirmus, effœtus, ad egestatem redactus, valetudine mala, existimatione sequiori, in medio populi mei, nimis propter flagitia insignis, atque in summæ infelicitatis squalore perditus, quin aliquis misereatur mei. Verti quoque potest in futurum tempus. Jam jam in quodlibet malorum genus prolapsurus sum in medio populi mei.

℣. 15. BIBE AQUAM DE CISTERNA TUA.] Vive cum uxore tua, ac licito connubii jure fruere [10]. Vel cum aliis [11]: jucunde fruere bonis tuis, neque manum extendas ad ea, quæ tua non sunt [12].

℣. 16. DERIVENTUR FONTES TUI FORAS.] Egrediatur de domo tua speciosa, & frequens progenies. Vel: esto beneficus, & liberalis. Prior explicatio melior est. Vide vers. 10. Septuaginta [13]: *Aquæ tuæ non egrediantur de fonte tuo, atque effundantur in publicas plateas*. Aquila [14] cum negatione vertit: *Aquæ tuæ non effundantur foras*. Ne turpi concubitu cum aliena muliere commisceatis. S. Clemens Alexandrinus l. 2. Strom. similiter legit. Complutensis Editio, & alia Græca exemplaria, uti Vulgata, sine negatione legunt; & Ori-

1 לשמור מזמות 70. Ἵνα φυλάξῃς ἔννοιαν ἀγαθήν. 2 Vide Prov. 1. 4. 3. 21. 8. 12.
3 Confer hunc vers. cum Prov. 2. 16. 18. 4 Ita Secund. Philosoph. Adriano Imperatori apud Maxim. ser. 19. 5 ארח חיים פן תפלס נעו מעגלותיה לא תדע
6 Τὰ δὲ ἴχνη αὐτῆς οὐκ ἐρείδεται, σφαλεραὶ δὲ αἱ τροχιαὶ αὐτῆς, καὶ οὐκ εὔγνωστοι.
7 פן תתן לאחרים הודך ושנותיך לאכזרי 8 Genes. 49. 3. *Tu fortitudo mea, initium doloris mei*. Hebr. *Principium roboris mei*. Vide & Deut. 21. 17. Job. 18. 12. Psalm. 77. 5.
9 Prov. 20. 1. 3. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam*. Hebr. *robur tuum*. Vide Boch. de animal. Part. 1. lib. 2. cap. 8. Piscat. Glass. 10 Chrysost. homil. 1. in Matth. & in Psalm. 1. & Beda hic. Polichron. in catena. Grot. Cornel. Interpp. alii passim.
11 Cajet. Jun. Glass. 12 Basil. in Psalm. 14.
13 70. Μὴ ὑπερεκχείσθω σοὶ ὕδατα ἐκ τῆς σῆς πηγῆς, εἰς δὲ τὰς πλατείας διαπορευέσθω τὰ σὰ ὕδατα.
14 Aquil. Μὴ διασκορπιζέσθωσαν αἱ πηγαί σου ἔξω.

Origenes [1] fatetur, ævo suo exemplaria nequaquam fuisse similia, & in aliis extitisse: *Aquæ tuæ non effundantur &c.* & in aliis, *aquæ tuæ effundantur &c.* Qui negationem apponunt, ita legunt textum; *Effundes ne aquas tuas foras?* cave ne faxis.

℣. 17. HABETO EAS SOLUS.] Unice dilige uxorem tuam; neque per flagitia tua illi occasionem præbeas, ut tibi fidem non præstet. Tuere illam, ne sit obnoxia nequissimorum hominum fraudi: *Nec sint alieni participes tui.* In morali sensu explicari potest de sapientia [2], quæ gaudet se se effundere, ac aliis extrinsecus se communicare.

℣. 16. DERIVENTUR FONTES TUI FORAS.] At qui sapientes sunt, non adeo se se effundunt extrinsecus, ut sui penitus obliviscantur; prima, & præcipua illorum cura in ipsorum actionibus posita est: *Habeto eas solus.*

℣. 18. SIT VENA TUA BENEDICTA.] Sponsa tua erit fœcunda, Deus benedicet conjugio tuo, frequenti posterorum serie. Vide Psalm. 67. 28. Num. 24. 7. Isai. 48. 1. Psalm. 35. ult. Deut. 33. 28.

℣. 19. IN AMORE EJUS DELECTARE JUGITER.] Jucundo, castoque amore unice conjugi tuæ adhære. Hoc nequaquam intelligendum est veluti præceptum, sed veluti consilium, atque permissio. Innuere simpliciter vult, sapientem pethorrescere debere quæcumque impudicitiæ flagitia: cæterum uxori suæ fidus adhærescat, ita tamen, ut nequaquam nimius carnalis amor adurat: *Qui habent uxores tamquam non habentes sint*, inquit S. Paulus 1. Cor. 7. 29. ac ab ipso Salomone Eccl. 2. 1. percipiant, hæc omnia vanitatem esse; & ab Augustino [3] edoceantur, in ipso connubio, voluptatum usum a Religione hoc uno permitti consilio, ut filii gignantur; alioquin quod ultra est, non solum non præcipi, sed neque permitti: *Secundum veniam, non secundum imperium. Adulter est in suam uxorem amator ardentior*; ait S. Hieronymus in Jovinianum l. 1.

℣. 21. RESPICIT DOMINUS VIAS HOMINIS.] Ne credas Dei adspectum effugere posse; fœda flagitia, licet clanculum patrata, oculis illius detecta sunt. Vide Ecclesiasticum 24. 25.

℣. 22. FUNIBUS PECCATORUM SUORUM CONSTRINGITUR.] Ne speret, se justi iniquitatum vindicis manum elapsurum; deprehendetur in sceleribus suis, ac pravi habitus sui vinculis detinebitur. Sapiens de turpibus, illicitisque voluptatibus præsertim loquitur. Impius in periculosam allici patitur consuetudinem, quin tristissimos effectus præmeditetur; se inde, cum volet, evasurum putat; verum catenis, quas nullo umquam pacto dissolvere poterit, obruetur; habitus in eo perficietur, neque illum deponere, ipsi amplius integrum erit: *Ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Verba sunt S. Augustini l. 8. Confess. c. 5.

---

1 Origen in Num. homil. 12. *Non supereffundantur tibi aquæ extra suum fontem.* Quamvis in aliis exemplaribus legerimus: *& effundantur tibi, &c.* 2 Gregor. lib. 1. in Ezech. homil. 12. Beda hic. Bern. de Considerat. lib. 1. 3 August. qu. in Levit. 64. & serm. 51. & 151. nov. Edit.

CAPUT VI.

Ne facile nimis te sponsorem præbeas. Formicæ diligentia imitanda. Apostatæ descriptio. Adhortatio ad studium legis, & Sapientiæ. Illicitæ, ac periculosæ cum mulieribus consuetudines evitandæ.

1. FIli mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum
tuam, 2 Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus.
3 Fac ergo, quod dico, fili mi, & temetipsum libera: quia incidisti in ma-
num proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum. 4 Ne dederis somnum
oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. 5 Eruere quasi damula de manu, &
quasi avis de manu aucupis. 6 Vade ad formicam, o piger, & considera vias e-
jus, & disce sapientiam. 7 Quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem,
nec principem, 8 Parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod co-
medat. 9 Usquequo piger dormies? quando consurges e somno tuo? 10 Pau-
lulum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias: 11
Et veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus, Si vero im-
piger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longe fugiet a te. 12 Homo
apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, 13 Annuit oculis, terit pede, di-
gito loquitur. 14 Pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia semi-
nat. 15 Huic extemplo veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit
ultra medicinam. 16 Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur ani-
ma ejus. 17 Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium
sanguinem. 18 Cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum
in malum, 19 Proferentem mendacia, testem fallacem, & eum, qui seminat inter
fratres discordias. 20 Conserva, fili mi, præcepta patris tui, & ne dimittas legem
matris tuæ. 21 Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. 22 Cum ambula-
veris, gradiantur tecum: cum dormieris, custodiant te, & evigilans loquere cum eis.

23 Quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ: 24
Ut custodiant te a muliere mala, & a blanda lingua extraneæ. 25 Non con-
cupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius. 26 Pretium
enim scorti vix est unius panis; mulier autem viri pretiosam animam capit. 27
Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?
28 Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? 29 Sic qui
ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. 30
Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem
impleat animam: 31 Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substan-
tiam domus suæ tradet. 32 Qui autem adulter est, propter cordis inopiam per-
det animam suam; 33 Turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & oppro-
brium illius non delebitur. 34 Quia zelus, & furor viri non parcet in die
vindictæ. 35 Non acquescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptio-
ne dona plurima.

ỹ. 1. FILI MI; SI SPOPONDERIS PRO AMICO TUO, DEFIXISTI APUD EXTRANEUM MANUM TUAM, ILLAQUEATUS ES VERBIS ORIS TUI.] Versiculus hic una cum decem sequentibus œconomica dumtaxat continet præcepta. Sapiens primum suadet, ne quis se fidejussorem pro alio præstet; secundo hortatur, ut inertia evitetur; quorum primum non semel hoc in libro [1] repetit Auctor; & equidem nihil veræ œconomiæ magis obest, quam vadem pro quo fieri, ita enim negotia tua in periculum adducis, ut aliena ignavia, & negligentia corruant. Non prohibet Salomon vel dono, vel mutuo aliquid dari, immo e contra adhortatur, ut hoc & celeriter, & ex animo fiat [2]: verum ut tu te pravis aliorum negotiis immisceas, hoc non suadet. Eadem erant primorum Græciæ Philosophorum præcepta [3]; & Persæ antiqui [4] duo præcipue perhorrescebant, mendacium nempe, & æs alienum, atque ipsorum erat ratio, quod vir obæratus injugi mentiendi, fraudandique periculo versaretur. Qui vero pro alio stat fidejussor in idem discrimen adducitur.

Quoad vero locutionem hanc, *defixisti apud extraneum manum tuam*, ad litteram [5]: *Percussisti manu cum extraneo*, vel percussisti in manu illius: vetustissima fuit apud Orientis populos consuetudo, manu mutuo oblata promissiones, sponsionesque suas ratas faciendi. Hoc satis ex scriptura liquet [6]. Xenophon quoque de hoc apud Persas more frequenter loquitur [7]. Septuaginta [8]: *Fili mi si spoponderis pro amico tuo: dabis manum tuam inimico tuo*. Quamprimum pro amico habebis inimicum: vel traderis inimico tuo, hoc est amici tui creditori.

ỹ. 3. DISCURRE, FESTINA, SUSCITA AMICUM TUUM.] Patres [9] in morali sensu de illis explicant, qui iis irretiti sunt negotiis, quibus pro aliis respondere coguntur, & qui Ecclesiasticis præfulgent honoribus, ob quos alios erudire tenentur. Id genus homines numquam nimia uti possunt diligentia, ut attentionem cieant, fervorem accendant, infirmitatem regant, languorem corrigant, errorem arguant eorum, qui ipsis subditi sunt. Si privatus Domino haud satisfaceret, atque Pastoris diligentia deesset, uterque perirent: Verum ne recedamus ab litterali Salomonici sensus explicatione, vult, ut qui se sponsorem præbuerit, se sponsione exolvere studeat; & cogat illum, pro quo spoponderit, ut quamprimum æs alienum creditori dissolvat. Hebræus [10]: *Perge, prosterne te ante pedes ejus, in jus voca amicum tuum*; eumque juridicis viis coge, ut creditoribus satisfaciat, te vero de periculo eripiat; tunc enim [11] licebat sponsorem apprehendere, quin debitori ulla inferretur molestia. Septuaginta [12]: *Ne cesses solicitare*, urgere, cogere *amicum tuum, pro quo spopondisti*.

ỹ. 5. QUASI DAMULA DE MANU;] adde venatoris: vel, aufuge eum velocitate *damæ, quæ de manu discedit*; & quæ pernicissima celeritate transilit: vel quasi dama, quæ de laqueo, vel rete, cui nomen *manus*, fugit. Adnotat Bochartus, Arabicum nomen *Capha* manum, & retia significare. Septuaginta [13], Arabica versio, Syriaca, & Chaldaica in hoc sensu intellexerunt.

ỹ. 6. VADE AD FORMICAM, O PIGER.] Ex hac bestiola disce præcepta œconomiæ, & quid tibi agendum sit, nisi in egestatis miserrimæ sordibus squallere vis. Nullum vel industrium magis, vel magis laboriosum animal novimus, formica; vivit enim in quadam reipublicæ optime institutæ forma, ubi privatus quilibet summo cum studio, & absque invidia publico bono, atque utilitati consulit. Omnes illarum labores in id incumbunt, ut sibi victum comparent, atque adversus indigentiæ pericula, atque temporum sævitiam prospiciant: id autem, quin alicui obsint, ac finitimis incommodum afferant. Formicæ incredibili labore æstatis tempore, & cum sudum est, parvulas fruges, quibus vescantur, colligunt; quas ex remoto avehunt tractu, atque summa diligentia, cujus ipsas impotes crederes, in parvulis horreis tuentur; iis vero germen præcidunt, ne in cellis abditæ nascantur; easque subinde solaribus exponunt radiis, ut exsiccentur, nec corrumpantur. Admirabili arte tempestatum immutationes prænoscunt, pluviam, frigusque præsentiunt, longe magis, quam quilibet homo licet ad id attentissimus. Laborem suum noctu producunt, cum luna pleno lumine præfulget, neque ab opere, nisi cum tenebricosa irruit nox, desistunt. Hyeme vero laboribus suis fruuntur, & requiescunt [14]. Igitur ad industriam, assiduum, innocuumque laborem, & ad vigilantiam formicæ Sapiens mittit inertes; ut ibi considerent *vias ejus*, & discant *sapientiam*. Ab hoc animanti hauri præcepta sapientiæ in iis, quæ ad œconomiam, atque egestatis fugam pertinent. Voluntaria paupertas inter maximas virtutes accensetur; at coacta paupertas est maxima vitæ hujus tentatio: ideoque merito præcipit Sapiens, ut discipulus suus insudet, ad victum necessaria sibi comparando.

ỹ. 8. CONGREGAT IN MESSE, QUOD COMEDAT:] Septua-

1 Prov. 11. 15. 17. 18. 20. 16. 22. 26. 27. 13. Vide & Eccli. 8. 16.
2 Prov. 3. 27. 28.
3 Chilon & Thales, apud Laert. Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα.
4 Herodot. lib. 1. cap. 138.
5 תקעת לזר כפיך
6 Vide infra cap. 17. 18. 22. 26. Isai. 62. 8.
7 Xenophon. Athanas. lib. 2. Et lib. 3. & alibi.
8 Υἱὲ, ἐὰν ἐγγυήσῃ σὸν φίλον, παραδώσεις σὴν χεῖρα ἐχθρῷ.
9 Gregor. Magn. 3. part. Past. curæ, admon. 5. Beda hic.
10 לך התרפס ורהב רעיך
11 Grot. Vide infra 20. 16. 27. 13.
12 Γίνου μὴ ἐκλυόμενος, παρόξυνε δὲ καὶ τὸν φίλον σου, ὃν ἐνεγγυήσω.
13 Ὥσπερ δορκὰς ἐκ βρόχων. Hebr. כצבי מיד Chald. כטביא מן גשבא
14 Vide Plin. lib. 30. cap. 2.

Septuaginta addunt ea, quæ sequuntur; Vel, *vade ad apem, & vide quam laboriosa sit, & quæ species in laboribus ejus. Principes, & privati laboribus illius ad valetudinem utuntur. Omnibus jucunda est, & semper gloriosa; & quamvis nullam vim habeat, tamen quod sapientiam honorat, in honore est, atque in existimatione.* S. Ambrosius *Hexamer.* lib. 5. cap. 21. & S. Hieronymus in Ezechielem 3. & Græci hunc locum legerunt; verum neque in Hebræo, neque in Vulgata, neque in Complutensi Græco invenitur.

℣. 10. PAULULUM DORMIES . . . . PAULULUM CONSERES MANUS, UT DORMIAS.] Hæc imitatio est gestuum inertis; vel est concessio; Dormi igitur in utramque aurem, sterte, otiare; interim irruet in te, veluti fur, egestas ℣. 11. Aliter [1]: Hæc est inertium prosopopeja, cum e somno evigilant, dicentium: Paululum adhuc dormiam, paululum somni capiam; sinite me paulusum adhuc manus conserere, ut dormiam. Septuaginta [2]: *Amplecteris pectus tuum.* Compressas manus habes, vel super ventrem, aut pectus decussatas.

℣. 11. QUASI VIATOR EGESTAS.] Hebræus [3]: *veluti ambulans*, viator, cursor; aut veluti advena, quæ tunc, cum minus putabatur, supervenit. Confer cap. 24. ℣. 34. *Veniet, quasi cursor, egestas.*

ET PAUPERIES, QUASI VIR ARMATUS.] Hebræus [4]: *quasi vir clypeatus.* Septuaginta, *veluti strenuus cursor.* Chaldæus: *veluti homo vestitus.* Reliqua versiculi pars neque in Hebraico textu, neque in Septuaginta Complutensibus, neque in recenti S. Hieronymi Editione reperitur.

℣. 12. HOMO APOSTATA, VIR INUTILIS, GRADITUR ORE PERVERSO.] Hebræus [5]: *Homo Belial, homo iniquitatis, qui graditur ore perverso* (13.) Annuit oculis &c. Homo Belial significat hominem nullius pretii; inutilem, vel hominem sine jugo, sine lege, sine religione. *Homo iniquitatis*, vel homo vanitatis, mendacii, laboris, priori vocabulo æquivalet. Hæc omnia unum tantum significant; scelestum, impium, cui ne umbra quidem est religionis, sapientiæ, pietatis. Ita illum Salomon describit: *graditur ore perverso*; nulla in ipso veritas, nulla rectitudo, verborum fides nulla. Septuaginta [6]: *homo insipiens, & sine lege incedes in viis pravis.*

℣. 13. ANNUIT OCULIS, TERIT PEDE, DIGITO LOQUITUR.] Omnes hi motus levem, atque inconstantem spiritum designant: hominem sine consili maturitate, sine judicio, sine pudore. Vetus quidam Philosophus [7], sapientem hominem vetat, præcipiti gradu incedere, & cum loquitur, manus movere; hæc enim stulti, ac furentis esse dicit. Salomon damnat oculorum motum, qui ad cogitationem innuendam adhibetur. Hi mores aliquid superbi habent, insolentis, contumeliosi; vel fœdiores adhuc innuunt affectus. Oculi secretam habent linguam, qua amoris, ac odii affectus ostendunt. Psalmista [8] queritur, quod inimici sui ipsum immerito oderint, & annuant oculis. Salomon addit, impium, & insipientem in impatientia, vel inquietudine sua pedibus solum pulsare, vel ad instar stulti pedes agitare; vel denique insistere vestigiis sociorum in dementiis suis ad eos admonendos, quod ipsum sapientem, seriumque virum maxime dedecet. Denique Sapiens ait, hominem Belial loqui digito, quod superbiæ signum est, atque imperii.

Sunt qui isthuc referant illum Isajæ locum [9]: *si desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest*; uti quoque ea Psalmi 122. verba. *Ecce sicuti oculi servorum in manibus Dominorum suorum* &c. Narratur, Pallas vir nobilis, Nerone imperante, accusatus, quod Cornelium Syllam impellere voluisset ad Regnum invadendum, cum testes aliqui illius liberti accerserentur, dixisse, se domesticis suis non nisi per signa umquam animum suum exprompsisse, ideoque eos in ipsum minime audiendos. Trimalcion apud Petronium servos suos appellare dedignatur; sed ab illis sola digitorum concrepatione eas res viles, quibus indiget, petit. Persæ adhuc hanc per signa loquendi rationem tenent. S. Hieronymus ep. ad Rust. Rufinum redarguebat, quod discipulis suis audiendi signum ederet digitorum sono. *Duobus digitulis concrepabat, hoc signo per summam ostentationem ad audiendum provocans.* Iis in regionibus, ubi mulieres clausæ asservantur, gestus, & motus manuum, ac digitorum sæpe ea faciunt, quæ per colloquium, vel per epistolam fieri posset [10].

S. Ambrosius l. 1. offic. c. 18. scite animadvertit, gestum, & corporis statum esse imaginem eorum, quæ in anima fiunt: *Habitus mentis in corporis statu cernitur.* Summus hic vir hac in re diligens adeo observator erat, ut inter Clericos admittere noluerit cujusdam amici sui filium id enixius efflagitantis; quoniam adolescens corporis habitum, ac gestus habebat parum clericali gravitati conformes. *Vox quædam est animi, corporis motus.*

℣. 16. SEX SUNT, QUÆ ODIT DOMINUS, & SEPTIMUM DETESTATUR ANIMA EJUS.] En sex, vel septem res, quas Dominus internecino odio insectatur. I. Oculos sublimes; II. linguam mendacem; III. manus effundentes innoxium sanguinem; IV. cor machinans cogitationes pessimas; V. pedes veloces ad currendum in malum; VI. proferentem mendacia, testem falsum; VII. & eum, qui seminat inter fratres discordias. Sapienti adeo cordi est summum innuere odium, quo Deus mendacium insectatur, ut hic ter idem repetere videatur: linguam mendacem, *hominem proferentem mendacia, testem falsum.* Attamen magis adhuc illum perhorrescit, qui serit in familiis discordias; vel generatim, inter amicos, inter viros nationis ejusdem, & civitatis.

℣. 21. LIGA EA JUGITER IN CORDE TUO.] Alludit ad ea, quæ dicit Moyses [11]: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens & ligabis ea, quasi signum in manu tua* &c.

℣. 23. QUIA MANDATUM LUCERNA EST, . . . & VIA VITÆ INCREPATIO DISCIPLINÆ.] Domini præcepta, ac Lex ejus, sunt veluti faces, quæ viam ostendunt: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, ait Psalmista Psal. 118. 105. & Psal. 18. 9. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Castigationes charitatis, atque prudentiæ spiritu animatæ, sunt *via vitæ*. Efficiunt, ut nos met colligamus, & a periculis eruunt, in quæ flagitia nos præcipites erant datura.

℣. 24. UT CUSTODIANT TE A MULIERE MALA.] Salomon sæpe hoc præceptum inculcat, sæpius nos cautos vult adversus amorem impurum; quoniam nihil magis contrarium est ad studium sapientiæ, & quod in illum facilius labi solet juventus.

℣. 25. NEC CAPIARIS NUTIBUS ILLIUS.] Hebr. [12] *palpebris illius*, motu oculorum ejus. In regionibus, ubi

1 מעט שנות מעט חבק ידים לשכב 2 Ὀλίγον δὲ ἐναγκαλίζῃ χερσὶ στήθη.
3 ובא כמהלך 70. Ὥσπερ κακὸς ὁδοιπόρος. 4 כאיש מגן 70. Ὥσπερ ἀγαθὸς δρομεύς. Chald. היך גברא בשירא
5 אדם בליעל איש און הולך עקשות פה 6 Ἀνὴρ ἄφρων καὶ παράνομος, πορεύεται ὁδοὺς οὐκ ἀγαθάς.
7 Chilon. apud Laert. 8 Psal. 34. 19. *Oderunt me gratis, & annuunt oculis.*
9 Isai. 58. 9. 10 Ovid. Amor. 1.

. . . . *Clam mihi tange pedem*
Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem;
Excipe furtivas, & refer ipsa notas.
Verba superciliis sine voce silentia dicant;
Verba leges digitis, verba notata mero.

11 Deut. 6. 6. 7. 8. Vide & Prov. 7. 3. 12 ואל תקחך בעפעפיה

ubi mulieres clausæ permanent, uti in Judæa olim, ac hodie quoque in omni fere Oriente, amatoribus suis per signa sua significant voluntates: *Oculus meretricis, laqueus amatoris est*, ait S. Ambrosius l. 1. de Pœnit. c. 14.

℣. 26. PRETIUM ENIM SCORTI VIX EST UNIUS PANIS.] Remuneratio meretricis vix est frustum panis [1]. Meretrix pro levissimo pretio prostat. *Mulier autem viri pretiosam animam capit*; animam perdit, eamque in infernum præcipitem mittit. Vel potius cum Hebræo textu [2]: Scortum est miserum, ac pro frusto panis cuilibet prostat; contemnitur, neque ad illud aliquis dignatur accedere; *at uxor viri pretiosam animam capit*, veluti laqueo. Quicumque se illi credit, summi interitus periculum subit. Meretrix nihil aliud quærit, quam ut vivat, amatores suos non eligit; at nupta ea arripit, quæ in homine magis pretiosa sunt; animæ vitam adimere vult, & corpus ipsum in mortis discrimen adducit propter viri sui impetum. Vel: Non satis est ipsi illi, qui ad eam primus accesserit, pretiosas capit animas, & quod perfectissimum est, quærit.

℣. 27. NUMQUID POTEST HOMO ABSCONDERE IGNEM IN SINU SUO?] Uxor proximi nostri est velut ignis. Si cæcus ejus te capit amor, te absumet, locumque præbebis affectui indomito; & decides tandem in lacessiti conjugis manus, qui furore succensus tibi inferet necem (34.) *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ*.

℣. 29. NON ERIT MUNDUS.] Hebræus [3], & Septuaginta: *non erit innocens*. Adulterium est scelus, quod animam occidit. Verti quoque potest; non habebitur veluti innocens. Huic sceleri homines non parcunt; quemadmodum nullum crimen est magis invisum, & quod majorem societati inferat labem; ita nullum flagitium est, quod majoribus sit afficiendum suppliciis, ac minus veniam admittat.

℣. 30. NON GRANDIS EST CULPA, CUM QUIS FURATUS FUERIT.] Necessitas, fames, egestas ad furandum cogit, illatum damnum haud est irreparabile. Si fur in ipso furto fuerit deprehensus, ablatum, & aliquid ultra, reddere cogetur. Exod. 22. 1. Apud Hebræos non videtur furtum aliquam nomini notam offundere consuevisse [4]; sed, qui furabatur, necessitate adactus putabatur. Lex non aliam furi pœnam [5] irrogabat, quam restituendi, dupli nonnumquam, & quadrupli interdum necessitatem. At adulterum internecino odio prosequebantur. Quam enim causam, quam necessitatem prætexere potest, qui proximi sui uxorem stupratur [6]? Non leve patrat malum, neque reparabilem injuriam. Opprobrium fratri illatum nullo umquam pretio compensari potest: honorem aufert, eumque lædit illa in re, quæ omnium una carissima est: lacessitus vir inultus conticescere non poterit. Moysis leges hominem, mulieremque adulteram mortis supplicio plectebant [7].

Hebræus [8]: *Non contemnitur homo, qui furatus est, ut exsaturaretur*; nequaquam turpi supplicio plectitur; nulla turpitudinis nota inuritur viro, quod in egestate sua aliquid surripuerit; sed per ablatæ rei restitutionem quælibet ignominia deletur. Quidquid habet, illi aufertur ad damnum illatum reparandum; at non ita adultero contingit, qui morte punitur. Lex Moysis non aliam furi pœnam infligit, quam restitutionem. Fur vero nocturnus impune occidi poterat, si periculum fuisset, quod vitam etiam vellet auferre [9]. Septuaginta [10]: *Nequaquam mirum est, quod capiatur fur, quia furatur, ut animam suam expleat*. At legere mallem cum interrogatione: *Nonne mirum est, quod capiatur* fur, qui nonnisi necessitate adactus furatur? Hebraici textus sensus multo est melior.

℣. 31. DEPREHENSUS QUOQUE REDDET SEPTUPLUM.] Lex Moysis Exod. 22. 1. 4. non cogebat, ablatum reddi ultra duplum, vel aliquando etiam quadruplum, aut quintuplum; veluti cum fur bovem abstulerat, quinque boves reddere tenebatur; sin autem ovem arripuerat, quatuor tantum reddebat; immo nisi ea vel enecasset, vel alio misisset, sed viventia adhuc animantia in domo furis inveniebantur, nihil præter duplum reddere cogebatur. *Septuplum* isthic pro indefinito numero usurpatur; reddet pretium eorum, quæ abstulit, & longe plura. Permittebat lex, ut comprehenderetur fur, & bona illius hastæ subjicerentur, immo & ipse venderetur, nisi haberet, unde redderet. *Si non habuerit, quod pro furto restituat, ipse venumdabitur*.

℣. 32. QUI AUTEM ADULTER EST . . . . PERDET ANIMAM SUAM.] Se se objicit patenti mortis periculo, sine ulla necessitate, & cum cordis alacritate [11]. Adnotavimus jam, hominem, & mulierem, qui adulterium admisissent, apud Hebræos capite fuisse puniendos; & hæc pœna minime erat ex illis, quæ argento redimere, vel precibus deprecari, vel alia quapiam re posset compensari. Vir turpi adeo affectus contumelia non adeo facile ad veniam flectitur, neque muneribus delinitur, ut suum honorem venumdet ℣. 34. 35. *Libentius audit maritus uxorem interfici, quam pollui*, ait S. Hieronymus in Amos 6.

---

1 עד ככר לחם   2 ואשת איש נפש יקרה תצוד *Uxor viri pretiosam animam capit*.
3 לא ינקה כל הנגע בה 70. Οὐκ ἀθωωθήσεται.   4 Vide Comment. in Prov. 19. 24.
5 Vide adnotata in Exod. 22. 1.   6 Chrysost. homil. 10. ad Populum.
7 Levit. 20. 10. Deut. 22. 22.   8 לא יבוזו לגנב כי יגנוב למלא נפשו
9 Exod. 22. 2. Leges 12. tabul. Aug. qu. 84. in Exod.   10 Οὐ θαυμαστὸν ἐὰν ἁλῷ τις κλέπτων, κλέπτει γὰρ ἵνα ἐμπλήσῃ ψυχὴν πεινῶσαν. Aquil. Οὐκ ἐξουδενοῦσι τὸν κλέπτην. Sym. Οὐκ ἔστι ἴσως.
11 Vide S. Chrysost. tom. 1. homil. 10. ad popul. Antioch. pag. 142.

CAPUT VII.

Adhortatio ad studium Sapientiæ. Illecebrarum descriptio, quibus abutitur impudica mulier, ut insipientem juvenem in errorem alliciat.

1. Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili, 2
Serva mandata mea, & vives: & legem meam quasi pupillam oculi tui:
3 Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui: 4 Dic sapientiæ, soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam, 5 Ut custodiat te a
muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit. 6 De fenestra enim
domus

domus meæ per cancellos prospexi, 7 Et video parvulos, considero vecordem
juvenem, 8 Qui transit per plateam juxta angulum, & prope viam domus illius
graditur 9 In obscuro, advesperascente die: in noctis tenebris, & caligine. 10
Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula,
& vaga, 11 Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis,
12 Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. 13 Apprehensumque
deosculatur juvenem, & procaci vultu blanditur, dicens: 14 Victimas pro
salute vovi, hodie reddidi vota mea. 15 Idcirco egressa sum in occursum tuum,
desiderans te videre, & reperi. 16 Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus
pictis ex Ægypto. 17 Aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cynnamomo.
18 Veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat
dies: 19 Non est enim vir in domo sua, abiit via longissima. 20 Sacculum
pecuniæ secum tulit: in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam. 21 Irretivit
cum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. 22 Statim
eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans,
quod ad vincula stultus trahatur: 23 Donec transfigat sagitta jecur ejus:
velut si avis festinet ad laqueum, & nescit, quod de periculo animæ illius agitur.
24 Nunc ergo, fili mi, audi me, & attende verbis oris mei. 25 Ne abstrahatur
in viis illius mens tua: neque decipiaris semitis ejus: 26 Multos enim
vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. 27 Viæ inferi domus
ejus, penetrantes in interiora mortis.

℣. 1. DIC SAPIENTIÆ: SOROR MEA ES: ET PRUDENTIAM VOCA AMICAM TUAM.] Hebræus [1]: *Voca prudentiam amicam*, necessariam tuam, cognatam. Septuaginta [2]: *ini necessitudinem cum prudentia*. Dic sapientiæ: Es soror mea, sponsa mea, amica mea, studium meum; præbo illi cor tuum, ut liberet te, ne in meretricios laqueos offendas. *Sororis* nomen amicitiam significat, quod aliquando virum inter, & uxorem adhibetur [3]; hic vero castum amorem designat, quo Sapientiam complecti debemus.

℣. 5. UT CUSTODIANT TE A MULIERE EXTRANEA.] Ut cor tuum Sapientiæ amore captum quascumque spernat illecebras. Ex Versiculis 19. 20. Sapiens de nupta muliere, sed impudica videtur loqui; ubi impudentissimos illius sermones enarrat.

℣. 6. PER CANCELLOS PROSPEXI.] In Palæstina in fenestris nullum apponebatur vitrum propter nimium calorem, sed cancellis, & cortinis claudebantur.

℣. 7. ET VIDEO PARVULOS, CONSIDERO VECORDEM JUVENEM.] Prospicio imprudentes, vagos, atque inexpertos adolescentes prætereuntes, ac inter illos eum eligo, qui mihi magis in rem videtur, atque simplicior, & ad fallendum facilior. Hebræus ad litteram [4]: *video inter simplices* idiotas; *considero inter adolescentes juvenem, sine corde*; sine sapientia, sine prudentia. Ex oculis, gestu, corporis habitu, incessu dignoscitur ille, qui peccandi occasionem inquirit.

℣. 8. QUI TRANSIT PER PLATEAM, JUXTA ANGULUM &c.] Evitandus est etiam ad periculosa loca accessus; numquam satis recedimus ab occasione maculam innocentiæ nostræ adspergendi; quo majus periculum est, & magis in lubrico versamur, eo cautius est incedendum. Septuaginta [5]: *Qui transit prope angulum domus ejus, & loquitur* (℣. 9.) *Noctu* &c. perinde ac vecors iste adolescens in via ambulans solus loqueretur, quod animi insipientis est argumentum.

A ℣. 10. MULIER ORNATU MERETRICIO AD CAPIENDAS ANIMAS.] Hebræus [6]: *Mulier meretricio ornatu composita, & dolosa*, subdola, fallax, quæ dissimulat, ac celat sensus suos. Ad litteram: *quæ servat cor suum*, quæ habet cor vallatum, munitum. Septuaginta [7]; *Mulier meretricio adspectu, & quæ avolare facit adolescentium animas*; quæ potest lenociniis suis, & vultu eos seducere, ac irretire. Adnotavimus jam, eam nuptam esse, quandoquidem infra de viro illius sermo est. Hebraica vox *Schit* [8], quam ornatum, vestem reddunt, proprie illud significat, quod obtegit, & celat. Liquet antiquitus, meretrices nonnisi obvelatas incessisse; nemo ignorat historiam Thamar, & Judæ soceri ejus [9]. Honestæ etiam mulieres velo tectæ prodibant; sed ratio, & forma velorum, ac
B vestium in utrisque longe erat dispar. Quoad hanc loquendi rationem Septuaginta: *quæ avolare facit adolescentum animas*, vide Cant. 6. 4. *Oculi tui ipsi me avolare fecerunt*. Nimius ornatuum, vestiumque splendor plerumque cordis impudentiam significat: *Nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est*; ait S. Cyprianus de Habitu Virgin.

GARRULA, ET VAGA, QUIETIS IMPATIENS, NEC VALENS IN DOMO CONSISTERE.] Hebr. [10]: *Tumultuosa*, clamorum *amatrix, garrula, inconstans*, rebellis, indomita, infidelis, *cujus pedes numquam domi consistunt*. Hæ voces, *quietis impatiens*, glossam sapiunt, quæ in Hebraico textu non extat. Septuaginta [11]: *vaga est, impudica, & pedes ejus non quiescunt domi suæ*. Aquila [12]; *otiosa est, & infidelis*, vel in-
C constans.

℣. 14. VICTIMAS PRO SALUTE VOVI, HODIE REDDIDI VOTA MEA.] Plurimi Interpretes [13] putant, illam adolescenti huic innuere velle iis, quæ obtulit, sacrificiis, pro ipso litasse. Voveram, me oblaturam victimas gratiarum actionis, vel hostias pro tua incolumitate; hodie vero vota adimplevi, servavi autem domi victimarum carnem, quarum etuor in Templo libatus

1 ומדע לבינה תקרא 2 Τὴν δὲ φρόνησιν γνώριμον περιποίησαι σεαυτῷ.
3 Cant. 4. 9. 19. 12. 5. 1. 2. 4 וארא בפתאים אבינה בבנים נער חסר לב
5 70. Παραπορευόμενος ἐν γωνίᾳ, ἐν διόδοις οἴκων αὐτῆς, καὶ λαλῶν. עבר אשוק אצל פנה ודרך ביתה יצעד
6 שית זונה ונצרת לב 7 Εἶδος ἔχουσα πορνικόν, ἣ ποιεῖ νέων ἐξίπτασθαι καρδίας.
8 שית Vide Psalmum 72. 6. יעטף שית חמס למו 9 Genes. 38. 15. Vide nostrum Comment. in eum locum.
10 המיה היא וסררת בביתה לא ישכנו רגליה 11 Ἀνεπτερωμένη δέ ἐστι καὶ ἄσωτος, ἐν οἴκῳ δὲ οὐχ ἡσυχάζουσιν οἱ πόδες αὐτῆς. 12 Σχολάζουσα, ἀφισταμένη. 13 Cornel. a Lapide, Grot. Menoch. Tir.

batus est: ex ea vero tibi splendidum, magnificumque convivium, sternam. Cum privati in Templo sacrificia pacifica offerebant, major hostiæ pars ipsis reddebatur; quam si vellent, secum domnum afferebant, eaque vesci poterat quicumque, vel mortui contactu, vel alia quapiam re pollutus non esset [1]. Hebræus [2]: *Habeo domi meæ pacificas victimas: hodie reddidi vota mea*. Vel: *Habebam super me sacrificia pacifica*; ea me oblaturum, voto obligaveram; *hodie vota mea explevi*.

℣. 16. INTEXUI FUNIBUS LECTULUM MEUM, STRAVI TAPETIBUS PICTIS EX ÆGYPTO.] Suspendi lectulum meum funibus, aut loris, ut eum magis mollem efficerem. Hæc olim erat consuetudo, quemadmodum hodie quoque viget; & *perforatos lectulos*, de quibus Homerus loquitur Odyss. A. nihil aliud fuisse reor, quam lectulos, quorum tabulæ ad traducendas funes erant perforatæ, quibus illi suspensi detinerentur. Cato [3] quoque loquitur de lectulis, qui erant funibus subtenti, eosque a vulgaribus cubilibus distinguit. At Hebræus hujus loci innuere potest cubilia circum undique velaminibus clausa, quæ funiculis tendebantur, eodem ferme pacto ac tentoria. En autem textum ad litteram [4]: *posui torques*, vel pretiosos funiculos *lectulo meo*. Posui *in cælaturis funiculos de Ægypto*. Si loqui vult de funibus dumtaxat, qui lectulo subtendebantur, cur ex Ægyptio lino intextos, vel pretiosos alios funiculos adhibet, vel etiam aureas, argenteasve catenulas, quæ torques isthic vocantur? hæc enim propria est Hebraicæ vocis *Rabadim* significatio [5]. Alii [6] ita explicant: *Cooperui lectulum meum pretiosis stragulis, tapetibus ex Ægypti filo*, vel in Ægypto acu depictis. Alii: Cooperui lectulum meum pretiosis stragulis: lectulum, inquam, meum, qui compositus est e lignis optima cælatura elaboratis, & Ægyptiis funiculis. Vulgata secuta est Septuaginta [7].

℣. 17. MYRRHA, & ALOE, ET CYNNAMOMO.] Myrrha vehementis odoris erat; cynnamomum vero mitioris. Aloe, quam hodie intuemur, alia est ab Aloe Antiquorum. De aloe Syriæ isthic est intelligendum, de qua locuti sumus in libro Numerorum 34. 6. Judæi putant, Hebraicam vocem *ahalim* significare sandalum, aromatici ligni genus, quod crescit in vastis Orientalium, & Occidentalium Indiarum nemoribus. At versio, quæ explicat de aloe Syriæ magis est probata. Adest quædam myrrhæ solidæ species, ut hæc liquida erat. Nicodemus attulit myrrham, & aloem, ut Salvatoris corpus condiret, Joan. 19. 39.

℣. 19. NON EST ENIM VIR IN DOMO SUA.] Textus ad litteram simpliciter habet [8]: *homo non est domi*. De industria eum nequaquam virum suum, veluti per indignationem appellat.

℣. 20. SACCULUM PECUNIÆ SECUM TULIT, IN DIE PLENÆ LUNÆ REVERSURUS EST.] Veni igitur fidenter, nec illum verearis. Hebræus [9]: *sumpsit fasciculum argenti in domo sua; domum suam revertetur die occulta*; nescio, quando reversurus sit; verum ruri ad multos dies est absuturus. Alii [10] putant, ipsam designare velle mensis initium, vel *novilunium*. Tunc enim Luna occulta est, neque lucem emittit. Nonnulli denique [11] putant, ipsam hoc pacto certum, sed remotum tempus; vel etiam solemnem festivitatem innuere [12]; puta solemnitatem Tabernaculorum, qua omnes sub mapalibus ex arborum frondibus contextis habitabant; quæ nobis magis arridet sententia. Vide Psalmum 80. 4. Septuaginta [13] nullam designant diem. Post multum tempus revertetur. Aquila [14]: *in plenilunio*. Alius: *in die solemni*.

℣. 22. QUASI AGNUS LASCIVIENS, ET IGNORANS, QUOD AD VINCULA STULTUS TRAHATUR.] Hebræus ad litteram [15]: *Trahitur veluti vinculum ad correctionem, insipiens*; videlicet *trahitur veluti stultus, qui ad correctionem vincitur*. Septuaginta [16], Chaldæus, Syrus, Arabs: *ducitur veluti canis, qui se ligari sinit, & veluti cervus* (23.) *sagitta confossus*. Bochartus [17], Junius, Buxtorfius credunt vertendum esse: *ducitur ad supplicium insipiens, veluti reus dignus tormentis*. At præstat sequi majorem Interpretum numerum, qui reddunt: graditur veluti insipiens, qui currit ad pedicas, quibus vinciendus est. Symmachus [18]: *fatuus lascivit, cum ad vincula ducitur*. Septuaginta, & qui *cervum* pro fatuo reddidere, in Hebræo textu legerunt *ail* pro *avil*.

℣. 26. MULTOS ENIM VULNERATOS DEJECIT.] Salomon quin longe peteret exempla, domestica ob oculos habebat argumenta tristium amoris effectuum, in David patre suo, & Amnon fratre; immo ipse quoque eorum, quæ isthic ait, tristissimum præbuit exemplum. *Quantos leones domuit una mulieris infirmitas delicata! quæ cum sit vilis, & misera, de magnis efficit prædam*, inquit D. Cyprianus de Singularit. Cleric.

℣. 27. VIÆ INFERI DOMUS EJUS.] Hoc ipsum non semel jam dixerat [19], idque infra etiam repetit. Numquam toties repetitur, ut satis sit, neque ulla adversum tantum periculum nimia est diligentia.

---

1 Levit. 7. 29. & sequ. 2 זבחי שלמים עלי היום שלמתי נדרי

3 Cato de Re Rust. cap. 5. *Lectum in cubiculo unum: lectos funibus subtentos, quatuor*.

4 מרבדים רבדתי ערשי חטבות אטון מצרים

5 Vide Genes. 41. 42. וישם רבד הזהב על צוארו Ezech. 16. 11. ורביד על גרונך

6 Theodot. Περιεσφίγξα περιζώσματα τὴν κλίνην μου, διηγγραμμένα ζωγραφείαις Αἰγύπτου. Ita fere Chald. *In stratis posui lectulum meum, & in tapetibus pictis de Ægypto*. Ita & Syr. & alii.

7 *Κειρίαις τέτακα τὴν κλίνην μου, ἀμφιτάποις δὲ ἔστρωκα τοῖς ἀπ' Αἰγύπτου*.

8 אין האיש בביתו 9 צרור הכסף לקח בידו ביום הכסא יבא ביתו

10 Hebræi in Mercer. Bayn. Piscat. 11 Jun. Tremell. Grot. Mercer. Pagn.

12 Cast. Chald. Munst. 13 Δι' ἡμερῶν πολλῶν ἐπανήξει. 14 Aquil. Ἐν ἡμέρᾳ πανσελήνου. Alius: Ἐν ἡμέρᾳ ἀσήμου. Supple ἑορτῆς. 15 וכעכס אל מוסר אויל

16 Καὶ ὥσπερ κύων ἐπὶ δεσμούς, καὶ ὡς ἔλαφος. 23. Τοξεύματι πεπληγὼς εἰς τὸ ἧπαρ.

17 Boch. de anim. part. 1. lib. 2. cap. 56. vult Septuaginta vertisse Κύφων, virum cippo dignum, pro κύνα, canem, quod est amanuensis error. Certum est, Hebræum עכס significare cippum, vel catastam. S. Hieronymus qui reddidit *agnum*, legit כבש: & 70. habentes *cervum* in 2. par. versiculi legerunt איל pro אויל

18 Sym. Σκιρτῶν ἐπὶ δεσμῶν ἄφρων. 19 Proverb. 11. 18. *Inclinata est ad mortem domus ejus, & ad inferos semitæ ipsius*. Et versic. 5. *Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant*.

CAPUT VIII.

Elogium Sapientiæ, quæ commendatur ex eminentia, & justitia præceptorum suorum, ex mirabilibus operibus suis, & ex præmiis, quibus illa inquirentes se remuneratur.

1. NUmquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam? 2 In
summis, excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans, 3
Juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens: 4 O viri, ad
vos clamito, & vox mea ad filios hominum. 5 Intelligite parvuli astutiam, &
insipientes animadvertite. 6 Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: &
aperientur labia mea, ut recta prædicent. 7 Veritatem meditabitur guttur meum,
& labia mea detestabuntur impium. 8 Justi sunt omnes sermones mei, non est in
eis pravum quid, neque perversum. 9 Recti sunt intelligentibus, & æqui inve-
nientibus scientiam. 10 Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam
magis, quam aurum eligite. 11 Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis:
& omne desiderabile ei non potest comparari. 12 Ego sapientia habito in consi-
lio, & eruditis intersum cogitationibus. 13 Timor Domini odit malum: arrogan-
tiam, & superbiam, & viam pravam, & os bilingue detestor. 14 Meum est
consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. 15 Per me reges
regnant, & legum conditores justa decernunt: 16 Per me principes imperant, &
potentes decernunt justitiam. 17 Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant
ad me, invenient me. 18 Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, &
justitia. 19 Melior est enim fructus meus auro, & lapide pretioso, & genimina
mea argento electo. 20 In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii, 21
Ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. 22 Dominus possedit me
in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. 23 Ab æterno
ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. 24 Nondum erant abyssi, &
ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant; 25 Necdum montes
gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar. 26 Adhuc terram non fece-
rat, & flumina, & cardines orbis terræ. 27 Quando præparabat cœlos, aderam:
quando certa lege, & gyro vallabat abyssos: 28 Quando æthera firmabat sursum,
& librabat fontes aquarum: 29 Quando circumdabat mari terminum suum, & le-
gem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta ter-
ræ. 30 Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies ludens
coram eo omni tempore; 31 Ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, esse cum
filiis hominum. 32 Nunc ergo, filii, audite me: Beati, qui custodiunt vias
meas. 33 Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abjicere eam. 34
Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat
ad postes ostii mei. 35* Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem
a Domino. 36 Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes, qui
me oderunt, diligunt mortem.

℣. 1. NUMQUID SAPIENTIA NON CLAMITAT?] Considerari potest hoc caput veluti cum præcedente connexum, perinde quasi inceptum sermonem prosequeretur. Sapiens supra ob oculos posuit perniciosas voluptatis illecebras in impudentibus meretricis sermonibus: hic vero Sapientiam describit, quæ nos ad sui amorem invitat, nobili oratione, magnifica, sublimi, magnificisque promissionibus se nos summis bonis cumulaturam. A versiculo primo ad duodecimum elogium texit doctrinæ suæ, ac suorum præceptorum; a duodecimo vero ad 32. commendat divina opera sua, ac tandem a 32. ad finem usque nos ad ipsam inquirendam invitat locupletissimis præmiis propositis. Recentiores quidam Interpretes [1] id explicant de Divina, æternaque Sapientia, quæ est lumen illud cœleste, quod Deus hominibus communicat, & quæ hoc in sensu appellari potest humana sapientia, vel moralis virtus, quæ Sapientiæ Creatoris est quædam veluti participatio. Sed Prisci Patres, qui adversus Arrianos scripsere, ac plurimi recentiores [2] de Æterna Sapientia intellexere, quatenus est secunda Sanctissimæ Trinitatis Persona;

1 Cornel. Tirin. Menoch. Calov. alii. Geier. Pisc. alii.

2 Ita Patres plerique, & ex Recentib. Bayn. Tirin. Calov.

na ; ita nihilominus ut horum attributorum pars Divinitati, altera vero pars humanitati Filii Dei reseratur ; quod in Commentarii decursu enucleabimus. Confer Ecclesiasticum c. 24.

SAPIENTIA NON CLAMITAT ?] Possunt ne homines ignorantiam suam prætexere ? Asserere ne possunt, se non nosse Sapientiam ? vocem ejus non audivisse ? Nonne ubique resonat vox ejus ? Re quidem vera quicumque edoceri cupit, non indiget præceptoribus : Quicumque autem attentam præbet voci Dei, non desunt illi lumina, ac vivendi præcepta. Deus loquitur intra nos, loquitur nobis per creaturas suas, loquitur per bonum, & malum, quod & nobis accidit, & in alios irruere intuemur. Si perimus, eo quod perire volumus, perimus ; non Deus, neque Sapientia ejus nos deserunt ; sed nos Deum derelinquimus, & Sapientiam ejus consulere recusamus. Vide Proverb. 1. ℣. 20. 21. 9. ℣. 1. & seq.

℣. 2. IN EXCELSIS VIRTUTIBUS.] Veluti in specula, ut procul nos admoneat periculorum, quæ imminent, ac inimicorum, qui ingruunt. Hæc erat in Palæstina consuetudo, in excelsis speculis excubias statuendi, quæ populum, qui in agris versabatur, admonerent, cum hostis accederet. Vide nostram Dissertationem de militia Hebræorum.

℣. 3. JUXTA PORTAS CIVITATIS.] Ubi jus dicebatur, & ubi populi concilia habebantur : Sapientia, inter etiam negotiorum tumultus, non cessat loqui ad eos omnes, qui illius vocibus aures præbent. Affectuum ardor, lucri cupiditas, causas agentium animus, hæc omnia nonne docent, quo zelo succensi esse pro Sapientia, pro summo bono, & quo horrore avaritiam, & tumultuosa mundi negotia detestari deberemus ?

℣. 5. INTELLIGITE PARVULI ASTUTIAM.] Orationem suam convertit ad parvulos, simplices, imprudentes, insipientes, ac eos, quibus intellectus, sapientia, ac rerum experientia deest ; hos enim isthic *parvulos* vocat : illos calliditatem, & prudentiam docet, ne inanibus voluptatum illecebris os sibi sublimiri patiantur : *Astutia* sæpe in æquiorem sensum accipitur. Vide Prov. 1. 4. & 32.

℣. 10. ACCIPITE DISCIPLINAM MEAM, & NON PECUNIAM.] Sapientiæ pretium longe excedit quidquid in terris locupletissimum est, ac pretiosissimum. Hebræus [1] ad litteram a Vulgata expressus est : *Accipite disciplinam meam, & non argentum* : videlicet præferte disciplinam argento ; vel etiam : ne argenti amore capiaris, si sapientiam vis possidere. Nequaquam fieri potest, ut duo hæc simul conjungantur, amor & bonorum temporalium, & sapientiæ.

℣. 12. HABITO IN CONSILIO.] Hebr. [2] *Habito in astutia*. Non semel adnotavimus jam, calliditatem, & astutiam aliquando pro prudentia, & virtute usurpari, quæ insipienti simplicitati, & ignorantiæ ex adverso respondet.

ERUDITIS INTERSUM COGITATIONIBUS.] Hebræus [3] : *inveni cognitionem cogitationum*, vel prudentiæ, animadversionis, eruditæ Sapientum attentionis. Æterna hic loquitur Sapientia, ex qua omnia lumina, & Sapientum cogitationes dimanant, & quidquid verum est, ac utile in cogitationibus, atque humani spiritus adinventis, sed præcipue in scientiis, quæ ad virtutem tendunt, & quibus Deus pro fine propositus est.

℣. 13. TIMOR DOMINI ODIT MALUM.] Hebræus [4] : *timor Domini est odisse malum*. Alibi dixit [5], initium Sapientiæ esse timorem Dei : ita quicumque Sapientiam quærere incipit, debet odisse malum, detestari superbiam, viam pravam, & os bilingue. Hæc Dei timor inspirat, hæc prima sunt Sapientiæ documenta.

℣. 14. MEUM EST CONSILIUM, & ÆQUITAS.] Hebræus [6] : *A me proficiscitur consilium, & prudentia*, justitia, veritas. Hic adest vox *tusiah*, de qua crebro locuti sumus, quæ substantiam, rem, realitatem, virtutem &c. significat. Septuaginta [7] : *Ad me attinet consilium, & securitas*. Chaldæus : *ad me consilium, & cogitatio* ; Sapientia docet recte judicare, optime cogitare, apta consilia capere, ea cum virtute, atque æquitate adimplere, sine impatientia, & infirmitate pati.

℣. 15. PER ME REGES REGNANT &c.] Omnis auctoritas, & potentia a Deo est [8], & quicumque aliis hominibus præfectus est, ab Auctore Sapientiæ omnem auctoritatem accepit. Seu Deus in ira sua, seu in misericordia Reges constituat, illos ipse semper constituit, & hi satis digne potestatem suam exercere nequeunt, nisi Sapientiæ ope, & consiliis. Rex quidem Rex esse potest absque sapientia ; verum absque illa nec bonus Rex esse potest, nec felix ; Sapientia prima est e regiis virtutibus : *Nullum est præstabilius, & pulchrius Dei munus erga mortales*, Plinius ait [9] ; *quam castus, sanctus, & Deo simillimus Princeps*.

℣. 17. EGO DILIGENTES ME DILIGO.] Ut Sapientia ea, qua meretur, sollicitudine inquiratur, eam primum agnoscere, atque diligere oportet. Non optatur, quod non agnoscitur ; juges igitur effundentes preces, ac vota nuncupantes tantum boni precemur, & Deum enixius flagitemus, ut in nobis sapientiæ, ac virtutis amorem augeat. Humilitas nostra eam non avertit, infirmitas nostra nequaquam nos contemptibiles reddit in oculis illius ; quo magis debiles sumus, eo magis illius in nobis emicat virtus.

℣. 18. OPES SUPERBÆ, & JUSTITIA.] Editio Complutensis legit ; *Opes supernæ* pro *superbæ*. At hoc in loco *superbæ* nequaquam significat ambitionem, & vanitatem, quæ virus sunt, ac frequentissimus temporalium bonorum effectus ; sed opum affluentiam, magnitudinem, & pretium, quod quascumque mundi divitias longius excedit : eodem ferme pacto, quo Isajas [10] prædicit Judæis, futurum ut nationum opibus saturentur, & superbiant, propter alienigenarum gentium gloriam, quæ ad ipsos transibit : *In gloria earum superbietis*. Et cap. 9. 15. promittit Jerusalem in humiliationum suarum præmium factum iri civitatem unam, omnium superbissimam : *Ponam te superbiam populorum*. Hoc autem significat, solum Dominum cumulaturum esse gloria, & opibus Israel, & Jerusalem. Hic pollicetur Salomon Sapientibus divitias, atque justitiam, ratas dotes, & quæ diu simul esse non possent, nisi sapientia, ac virtus dominarentur, & pravos divitiarum effectus cohiberent, qui suopte ingenio perniciosissimi sunt ethicarum virtutum, atque accuratorum sapientiæ præceptorum hostes infestissimi.

℣. 19. MELIOR EST ENIM FRUCTUS MEUS AURO, & LAPIDE PRETIOSO.] Septuaginta similiter legunt ; sed Hebræus [11] habet : *fructus mei meliores sunt auro, & Phaz* ; quod nomen quamdam significat auri speciem præ vulgato maxime mundi, ac pretiosi. Credimus autem, hoc fuisse aurum de Phison [12], vel Phasi, apud Antiquos summopere celebratum.

℣. 21. UT DITEM DILIGENTES ME.] Hebræus ad litteram [13] : *ut diligentibus me dem in hæreditatem id, quod est* : esse, verum bonum, solidas opes, permanentem felicitatem. Septuaginta [14] : *Ut dividam bona diligentibus me*. Addunt : *Si annuntio tibi, quid quotidie peragitur, non obliviscar dicere, quid factum fuerit ab initio* : quæ sententia in Hebraico textu non extat.

℣. 22. DOMINUS POSSEDIT ME IN INITIO VIARUM SUARUM.] Hæc omnia respiciunt Sapientiam æternam,

1 קחו מוסרי ואל כסף 2 שכנתי ערמה 70. Κατεσκήνωσα βουλήν. 3 ודעת מזמות אמצא 4 יראת יהוה שנאות רע 5 Prov. 1. 7. Vide & 9. 10. 6 לי עצה ותושיה 7 Ἐμὴ βουλὴ, καὶ ἀσφάλεια. 8 Rom. 13. 1 *Non est potestas nisi a Domino &c.* 9 Plin. Panegyric. Trajani. Vide & Plutarchum in Numa. 10 Isai. 61. 6. *Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis.* 11 טוב פריי מחרוץ ומפז 12 Vide nostrum Comment. in Genes. 2. 11. 12. 13 להנחיל אהבי יש 14 Ἵνα μερίσω τοῖς ἐμὲ ἀγαπῶσιν ὕπαρξιν.

nam, Verbum Patris, secundam Trinitatis Personam. Dominus per omnem æternitatem possedit filium suum, eo quod *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, Joan. c. 1. Filius erat in Deo, ac ipsi æqualis, *antequam quitquam faceret a principio*. Septuaginta [1]: *Dominus creavit me, primam viarum suarum*; quod plurimi Patres [2], ac Interpretes de Incarnata Sapientia intellexerunt. Dominus creavit eam, quatenus caro facta est, & habitavit in nobis; creavitque eam veluti *principium viarum suarum*, veluti virtutum omnium prototypum, & viam, quæ nos ad Deum, atque immortalitatem adducit. Veteres quidam [3] hoc in loco textum Septuaginta intellexere, perinde ac significaret: constituit, ordinavit me, vel cum Aquila [4]: *possedit me* in initio viarum suarum, quæ communis est ratio, qua Septuaginta Hebraicum textum *Kanach* [5] reddidere.

℣. 23. AB ÆTERNO ORDINATA SUM.] Hebræus [6]: *Accepi unctionem ab æternitate*. Reges, & Summi Sacerdotes ungebantur. Dei Filius, Æterna Sapientia super omnia creata constituta fuit; accepit unctionem, & imperium in omnes homines, & Angelos, per omnem æternitatem, antequam existerent. Septuaginta [7]: *Fundavit me ab æternitate*. JESUS CHRISTUS ante omnia tempora destinatus est, ut esset fundamentum, super quo constituti, atque fundati esse debemus, veluti lapides vivi, & in Ecclesiæ suæ ædificium inserviamus [8].

℣. 24. NEC DUM FONTES AQUARUM ERUPERANT.] Nonnulli putant [9] hoc nomine fontium, isthic esse intelligendas eas aquarum congeries, quæ mare, fluviosque componunt. Alii majori in numero simpliciter de fontibus explicant. Hebræus [10]: *Nondum erant abundantes aquarum fontes &c.*

ET EGO JAM CONCEPTA ERAM.] Subsistebam in sinu Patris, antequam fierent creaturæ; eram veluti concepta, & clausa, cum nihil adhuc extrinsecus produxissem, neque per opera mea adhuc nota essem; quo eodem in sensu intelligenda sunt, quæ sequuntur (25.) *ante colles ego parturiebar*, & vers. 30. 31. *Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, & delitiæ meæ esse cum filiis hominum*. Sapientia exhibet se, veluti ab omni æternitate in sinu Patris subsistentem; nascitur vero, & forinsecus producitur, habita hominis ratione, cum Deus mundum creat. Ab eo tempore nobiscum illa consuevit, habitavitque, & hoc unum postulat, scilicet, ut semet communicet diligentibus illam.

℣. 26. ADHUC TERRAM NON FECERAT, & FLUMINA, & CARDINES ORBIS TERRÆ.] Hebr. [11]: *Nondum fecerat terram, & plateas* (vel agros, planities) *& initium pulveris terræ*. Subsistebam tempore chaos, & antequam terra divideretur ab aquis, & materiæ partes componentes illam in eum, quem modo obtinent, situm redigerentur. Septuaginta [12]: *Dominus fecit agros, & deserta, & juga culta terræ*.

℣. 27. QUANDO CERTA LEGE, & GYRO VALLABAT ABYSSOS.] Cum limitibus mare coercebat e quibus numquam egreditur. Hoc autem clarius versiculo 29. explicatur. Hebræus hic habet [13]: *Cum claudebat veluti circino abyssos*: cum statuebat aquis terram circumambientibus, fines veluti circino delineatos. Septuaginta [14]: *cum sibi præparabat sedem super ventos*. Vide nostram Dissertationem de Mundi systemate juxta

A Hebræorum sententiam.

℣. 28. QUANDO ÆTHERA FIRMABAT SURSUM, & LIBRABAT FONTES AQUARUM.] Hebræi nubes esse censebant immania aquarum receptacula, e quibus aqua eodem ferme pacto, quo de fontibus scatet, difflueret. Sapientia isthic ait, se cum Creatore fuisse, cum ipse vastas has aquarum pelves efficiebat, easque replebat miro equilibrio; quod causa est, ne omnes aquæ simul decidant, atque terram submergant. Chaldæus, & Septuaginta [15] simplicius hæc habent: e nubibus, quas Dominus agebat, & fontibus terræ, quos emanare faciebat. Hebræus [16] eos vocat *fontes abyssi*; & Hebræi *abyssum* non mare solum, sed aquas etiam, quæ sunt super firmamentum, appellant [17]. Moyses aquis supernis, æque ac infernis eamdem tribuit originem

B Genes. 1. 7.

℣. 29. QUANDO CIRCUMDABAT MARI TERMINUM SUUM.] Sacri Auctores [18] sæpius hunc potentiæ, ac sapientiæ Dei effectum extollunt, quod scilicet leges mari statuerit, ac fines præscripserit, ultra quos progredi minime possit.

QUANDO APPENDEBAT FUNDAMENTA TERRÆ.] Vide quæ adnotavimus in Job. 38. 4. & Psal. 23. 2.

℣. 30. CUM EO ERAM CUNCTA COMPONENS.] Sapientia non otiabatur; non aspiciebat simpliciter summum Architectum, omnia creantem, atque disponentem; verum illi opem ferebat, omniaque cum ipso componens moderabatur. Hebræus [19]: *Eram prope ipsum, veluti alumna*. Prosequitur parabolam suam, ac se veluti infantem recens natum repræsentat, qui prope pa-

C trem suum manet, atque videns illum agentem, & coram eodem ludens oblectatur. Nonnulli id aliter explicant: *Eram apud ipsum veluti nutritius*, pedagogus, gubernator, operum præfectus. Sed prior sensus est melior.

LUDENS CORAM EO OMNI TEMPORE.] Hæc locutio innuit facilitatem, voluptatem, peritiam artificis omnipotentis, & sapientiæ, cum qua, & per quam quæcumque creat, nec non miram operum naturæ varietatem, ubi Creatoris sapientia lusisse videtur, cum omnia tali ordine disponeret, tantaque pulchritudine exornaret.

℣. 31. DELITIÆ MEÆ ESSE CUM FILIIS HOMINUM.] Dei Sapientia homini se communicavit præ cæteris omnibus sensibilibus creaturis, illi tribuens soli ratio-

D nis usum, & animam, quæ omnibus prudentiæ luminibus, omnibusque virtutum exercitationibus posset præfulgere. Dei Filius, æterna Sapientia, Verbum Patris ibi suas esse delicias, ubi essent homines, voluit; quandoquidem hominis formam induit, ut nos magis familiariter erudiret, ac præsentissima, & apertissima virtutis suæ exempla præberet; (verbo me expediam) ut arctiori, & perfectiori modo semet nobiscum conjungeret. Videtur Baruch hæc Salomonis exscripsisse verba, cum ait c. 3. 37. 38. *Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Hoc autem tantum boni ad litteram, & pressius loquendo, ad veros Israelitas dumtaxat, fideles JESU CHRISTI discipulos, spectat, qui

E viderunt, & contrectaverunt manibus suis Verbum carnem factum, Christum scilicet, qui per omnia nobis similis fieri voluit, ac in medio nostri manere. Vide Ecclesiasticum 24. 13. ubi eadem ferme repetuntur

---

1 Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ. Ita Chald. שלהא בראני

2 Vide si placet, Salazar. hic, Jans. Cornel. a Lapide, Bossuet. alios.

3 Athanas. orat. 3. advers. Arian. Euseb. & alii. 4 Aquil. Κύριος ἐκτήσατό με. &c.

5 יהוה קנני Septuaginta Hebr. קנה vertere ut Κτήσασθαι. Genes. 4. 1. 26. 10. & fere ubique: Illud reddunt Κτίζω, creo, bis tantum, hic, & Genes. 14. 19. & Γεννάω, genero, semel Zach. 13. 5. Aliquando usurpant Ἀγοράζω; comparo. 6 מעולם נסכתי 7 70. Πρὸ τοῦ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με.

8 Athanas. orat. 3. contra Arian. 9 Chald. alii in Mercer.

10 באין מעינות נכבדי מים 11 עד לא עשה ארץ וחוצות וראש עפרות תבל

12 Κύριος ἐποίησε χώρας καὶ ἀοικήτους, καὶ ἄκρα οἰκούμενα τῆς ὑπ' οὐρανόν. Aquil. & Symmach. Πρὶν ἢ ποιῆσαι γῆν καὶ ἐξόδους. 13 בחקו חוג על פני תהום 14 Ὅτε ἀφώριζε τὸν ἑαυτοῦ θρόνον ἐπ' ἀνέμων.

15 Ἡνίκα ἰσχυρὰ ἐποίει τὰ ἄνω νέφη, καὶ ὡς ἀσφαλεῖς ἐτίθει πηγὰς τῆς ὑπ' οὐρανόν.

16 בעזוז עינות תהום 17 Psal. 41. 8. 18 Job. 38. 8. Psalm. 88. 10. 103. 9 Amos 5. 8. 9. 6. &c.

19 ואהיה אצלו אמון 70. Ἤμην ἁρμόζουσα. Aquil. Τιθηνουμένη. Symmach. & Theod. Ἐστηριγμένη.

euntur verba ; quæ isthic Salomon adhibet.

℣. 35. HAURIET SALUTEM A DOMINO.] Sapientia est salus, felicitas, vita hominum. Hæc omnia attributa mirifice JESU CHRISTO conveniunt, vero *Emmanuel*, vel *Deo nobiscum*. Hebræus [1]: *Qui inveniet me, hauriet bonam voluntatem ex parte Domini*: Deus illum favoribus suis prosequetur, cum sua benevolentia dignabitur, ei suam gratiam largietur. Septuaginta [2]: A *& voluntas præparata est a Domino*. Ipse bonam voluntatem tradit, ipse nostras animas præparat, ut ad eum revertamur ; ipse prævenientem nobis concedit gratiam, quæ cordis nostri duritiem mollit, & ad eum nostram voluntatem convertit. Hic locus juxta Septuaginta versionem sæpe a S. Augustino [3] citatus est, ad prævenientis gratiæ necessitatem probandam.

1 ויפק רצון מיהוה 2 70. Καὶ ἑτοιμάζεται θέλησις παρὰ Κυρίου.
3 August. Ep. 217. nov. Edit. *In hoc commendatur vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur, quia prævenit hominis voluntatem bonam ; nec eam cujusquam invenit in corde, sed facit*. Vide & Ep. 186. & Concil. Arausic. 2. c. 4. & D. Prosper. & Fulgent. &c.

CAPUT IX.

Domus Sapientiæ; ejus convivium, ad quod simplices invitat, non autem irrisores. Meretrix insipientes invitat ad convivium suum : infelicitas eorum, qui ad illud accedunt.

1. SApientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. 2 Immolavit vi-
ctimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. 3 Misit ancillas
suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis : 4 Si quis est parvu-
lus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est : 5 Venite, comedite panem
meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. 6 Relinquite infantiam, & vivite,
& ambulate per vias prudentiæ. 7 Qui erudit derisorem, ipsi injuriam sibi fa-
cit : & qui arguit impium, sibi maculam generat. 8 Noli arguere derisorem, ne
oderit te. Argue sapientem, & diliget te. 9 Da sapienti occasionem, & adde-
tur ei sapientia. Doce justum, & festinabit accipere. 10 Principium sapientiæ,
timor Domini, & scientia Sanctorum, prudentia. 11 Per me enim multiplica-
buntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ. 12 Si sapiens fueris, tibimetipsi eris :
Si autem illusor, solus portabis malum. 13 Mulier stulta, & clamosa, plenaque
illecebris, & nihil omnino sciens, 14 Sedit in foribus domus super sellam in
excelso urbis loco, 15 Ut vocaret transeuntes per viam, & pergentes itinere
suo : 16 Qui est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est : 17 Aquæ
furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior. 18 Et ignoravit, quod ibi
sint gigantes, & in profundis inferni convivæ ejus.

℣. 1. SAPIENTIA ÆDIFICAVIT SIBI DOMUM.] Sequitur parabola superiori capite incœpta, ubi Sapientia exhibita fuit veluti Matrona spectabilis, cujus vera forma, ac solidæ promissiones oppositæ fuere vanis voluptatis illecebris, quæ capite 7. descripta fuit, veluti mulier impurissima, & impudens ; quæ ut adolescentes in retia pertrahat, illis magnificam texit descriptionem unguentorum suorum, thalami sui, & convivii, quod ipsis exquisitissimum præparat. Sapientia hoc ipsum præstat, sed pro scortationibus, meretriciis gaudiis, & flagitiis, quæ illis Voluptas pollicetur, illa convivis suis solidam, magnificamque domum offert, dulcia, sed casta gaudia, salubria præcepta, vitamque felicem. Sapientiæ domus est Sancta JESU CHRISTI humanitas [1] : in ea veræ sapientiæ fontem inveniemus, virtutis exempla, plenum suavitatis convivium in eo sacrificio, quod obtulit vitæ suæ, & in eo Corporis, & Sanguinis sui, quod nobis super Altare reliquit. Domus A Sapientiæ est quoque Ecclesia Catholica [2], quæ veræ Sapientiæ Lycæum est, & ubi JESUS CHRISTUS nobis instruit convivium verbi sui, & vinum gratiæ suæ, ubi sub panis, ac vini symbolis comedendum nobis præbet Corpus suum, & Sanguinem suum bibendum. *Septem columnæ*, vel septem Sacramenta significant [3], vel septem Spiritus Sancti munera [4], vel generatim Apostolos omnes, Prædicatores, Ecclesiæ Ministros.

℣. 2. IMMOLAVIT VICTIMAS SUAS, MISCUIT VINUM &c.] Tertullianus legit : *Immolavit filios suos*. Sapiens opponit victimas victimis, convivium convivio, sapientiam voluptati [5]. Sæpe in Templo in pacificam hostiam immolabantur animantia, quæ amicis dono erant mittenda. B Moyses [6] jubet, Israelitas ad Tabernaculi portam omnia adducere animantia, quibus vesci vellent, ibi ea mactantes, eorumque sanguinem in ara offerri, partem eorum aliquam pro honorario sacerdotibus tribui, reliquum vero offerenti restitui.

1 Ita PP. Ignat. Ep. ad Smirn. Ambrof. lib. 1. de Fide cap. 15. August. lib. 17. de Civit. cap. 20. alii.
2 Ambros. de Fide lib. 1. cap. 15. Gregor. Moral. lib. 33. cap. 15. Ita Interpp. plerique & Patres. Vide Lyran. Tir. Mercer. Geier. Calov. Cornel. &c. 3 Author Catenæ Græc. & alii.
4 Author. Oper. imperf. in Matth. homil. 50. 6 Vide cap. 7. 14.
6 Levit. 17. 4. 5. *Homo quilibet si occiderit bovem, aut ovem, sive capram in castris, aut extra castra, & non obtulerit ad ostium tabernaculi, sanguinis reus erit.*

tui. Hoc ipsum, pro ratione, in Jerusalem a piis hominibus factitatum fuisse credendum est. A

MISCUIT VINUM [1]:] Non enim merum bibebatur, sed pro vini viribus majori, vel minori aquæ copia diluebatur. Aliquando in duabus vini partibus tres aquæ immiscebantur; aliquando in aquæ dodrante triens infundebatur, & nonnumquam in quincuncem aquæ vini uncia ingerebatur [2]. Plinius ex Homero ait, in quibusdam vini generibus tantumdem aquæ vicies misceri consuevisse [3]. Scholiastes Aristophanis in equit. ait optimam vini miscendi rationem esse, si tribus aquæ partibus duæ vini diluantur. Generatim intemperantiæ nota habebatur, merum propinare, quod Scytharum [4] erat, & Barbarorum. Verum pro Diis erat exceptio; iis enim vini sine ulla aquæ immixtione libationes fiebant. Mercurius apud Aristophanem conqueritur [5], quod diluto vino sibi, aliis vero numinibus mero libaretur. Patres passim hanc descriptionem convivii Sapientiæ applicuerunt convivio, quod JESUS CHRISTUS Ecclesiæ suæ instruxit in sacrificio Corporis, & Sanguinis sui. B

℣. 3. MISIT ANCILLAS SUAS, UT VOCARENT AD ARCEM, & AD MOENIA CIVITATIS.] Ancillæ Sapientiæ sunt Concionatores, Apostoli, Ecclesiæ Doctores, qui universos populos ad Sapientiæ studium, ad J. C. fidem, ad virtutum ejus exercitationem invitant [6]. Hebræus [7]: *Misit filias suas*, ancillas suas, *invitavit super excelsas pinnas muri*, vel super tecta civitatis. Ea in regione tecta plana erant, eoque ascendere consueverant, ut eminus vocarent. JESUS CHRISTUS huic consuetudini alludit, cum ait Matth. 10. 27. *quod in aure auditis, prædicate super tecta*. Sapientia ergo jubet ancillas suas ascendere domos, mœnia, vel turres, ut ad convivium invitent. Hoc autem, ut solitudinem suam innuat, omnemque auferat ignorantiæ excusationem. Septuaginta [8]. *Misit ancillas suas, ad poculum suum*, vel convivium, *clara voce invitantes, & dicentes* &c. C

℣. 4. SI QUIS EST PARVULUS VENIAT AD ME.] Sapientia invitat simplices, ignorantes, eos, qui parvulorum innocentiam habent, ac simplicitatem, non ita vero inconstantiam, & levitatem. *Nolite pueri effici sensibus*, ajebat S. Paulus 1. Cor. 14. 20. *sed malitia parvuli estote*. Tales ipsa discipulos postulat; rejicit a convivio suo irrisores, ambitiosos, superbos. Vide ℣. 7. Voluptas etiam ad simplices loquitur, verum ut eorum simplicitate abutatur, ut illis fucum faciat, eosque in errorem alliciat [9]. Eos veluti agnos ad lanium ducit; morti præcipites dat; non quærit eorum ignorantiam, ac simplicitatem erudire, sed præcepta ea tradit, quæ cor, ac mentem illorum corrumpant. D

℣. 7. QUI ERUDIT DERISOREM, INJURIAM SIBI FACIT.] Versiculus hic, & subsequens rationem reddunt consilii sapientiæ, quæ parvulos dumtaxat, & simplices ad suum convivium invitat: non enim semidoctos eos invitat, qui plurimum ingenio, ac scientia præstare gloriantur, nec aliquid se ignorare jactitant. Eos ad Sapientiæ convivium invitare idem esset, E ac se illorum irrisionibus, & censuris objicere. Nihil sibi discendum putant, cum indignatione hanc invitationem exciperent, Sapientiæ documenta contemnerent, & dente superbo illius epulas, ac vinum fastidirent. Hi irrisores ad unguem Hæreticorum, ac flagitiosorum hominum ingenium exprimunt.

℣. 9. DA SAPIENTI OCCASIONEM, & ADDETUR EI SAPIENTIA.] Si irrisores hi vere sapientes essent, atque prudentes, quin ea, quæ sibi offeruntur, contemnerent, ex illis utilitatem perciperent, ut in dies sapientiores evaderent. Hebr. [10] *Da sapienti, & adhuc erit sapientior*. Nomen *occasio* in Hebraico textu non extat, sed in Septuaginta [11], Syriaca versione, & Arabica invenitur. Suppleri autem hoc pacto potest, id præcedenti versiculo addendo: *Argue Sapientem, & diliget te*: (9.) *Da illi præcepta, & adhuc sapientior evadet*.

℣. 10. SCIENTIA SANCTORUM, PRUDENTIA.] Vera, & Christiana Prudentia, quæ in eo posita est, ut in omnibus quod optimum, ac utilissimum est inquiratur, & viæ ad aliquid efficiendum aptissimæ inveniantur, vere est Scientia Sanctorum; hac enim tuto ad Cœlum contendunt, omniaque evitant pericula, in quibus tot imprudentes ac insipientes intereunt. Sunt, qui aliter Textum intelligant: *Cognitio rerum sanctarum est vera prudentia*. Scientia rerum, quæ ad Deum, salutem, ac æternitatem spectant, hæc est vera sapientia. Alii ita versiculum reddunt: *Principium sapientiæ est timor Domini*; & principium *prudentiæ est scientia rerum sanctarum*, legis Dei, cultus, ac rituum ejus &c.

℣. 13. MULIER STULTA, & CLAMOSA, PLENAQUE ILLECEBRIS.] Sapiens isthic flagitiosæ mulieris, quæ voluptatis est symbolum, agendi rationem [12] opponit consiliis Sapientiæ, cujus supra graphidem adornavit. Hebræus [13] *Mulier stulta, turbulenta, clamosa, tumultuosa, & fallax*, vel absque mente, consilio &c. Septuaginta [14]: *Mulieri stultæ, & audaci deest frustum panis*. Propter scelus suum in miserrimam proruit egestatem.

℣. 17. AQUÆ FURTIVÆ DULCIORES SUNT.] Hæc est adagialis locutio, quæ innuit illicitas voluptates esse licitis suaviores. *Aqua* sæpius generationem significant: *Bibe aquam de cisterna tua*. Prov. 5. 15. & Isajas 48. 1. *Qui de aquis Juda existis*. Pythagoræi [15] vetabant, *aquam lutulentam bibere*. Voluptates furtivæ passim in eodem sensu apud profanos auctores usurpantur [16].

℣. 18. ET IGNORAVIT, QUOD IBI SINT GIGANTES, & IN PROFUNDIS INFERNI CONVIVÆ EJUS.] Fatuus, qui fallacibus illecebris capitur, meretricis domum lætus ingreditur, nesciens, eam sibi esse sepulchrum, ex quo numquam emerget; ea quippe ipsi est veluti tenebricosa ea loca, ubi post multa sæcula veteres gigantes mortui jacent. Job 26. 5. & Prophetæ Isajas 14. 9. & Ezechiel 32. 21. infernum describunt, velut tenebris squalentem locum, ubi gigantes sub aquis immersi immorantur. Sapiens superius jam dixit [17], meretricem, ac adulteram esse januam domicilii gigantum, qua descensus præceps patet in infernum, ac tumultum. Septuaginta [18]: *at nescit, filios terræ*, gigantes, *post eam periisse, eosque illam in infernum usque deducere*. Veteres gigantes, qui hodie in inferno torquentur, illuc voluptatum illecebris capti præcipites corruerunt. Alludit autem ad Gigantes ante Diluvium, qui eo tempore vivebant, quo *omnis caro corruperat viam suam*. Genes. 6. 12.

---

1 מסכת יומא 70. Ἐκέρασεν εἰς κρατῆρα τὸν ἑαυτῆς οἶνον. 2 Athen. lib. 10. cap. 7.
3 Plin. lib. 14. cap. 4. *Vinum maroneum vicies tanto addito aquæ miscendum Homerus prodidit*. Vide Odyss. A.
4 Σκυθικὴ πόσις. Prov. apud Polluc. & Athen. 5 Id Plut. act. 5. scen. 1. Οἱ μοὶ δὲ κύλικας ἴσον ἴσῳ κεκραμένας.
6 Gregor. Beda, Honor. August. Hugo, & alii.
7 שלחה נערתיה תקרא על גפי מרמי קרת 8 Ἀπέστειλε τοὺς ἑαυτῆς δούλους, συγκαλοῦσα μετὰ ὑψηλοῦ κηρύγματος, ἐπὶ κρατῆρα, λέγουσα. Aquil. Ἐπὶ ὕψεων. *In excelsis*. Hebr. *Super excelsas pinnas muri*.
9 Sup. cap. 7. 7. 10 תן לחכם ויחכם עוד 11 Δίδου σοφῷ ἀφορμήν.
12 Ita Beda, hic. Caten. Gr. Ambros. lib. 1. de Cain. cap. 4. Hieron. in Osee. 13. &c.
13 אשת כסילות הומיה פתיות 14 Γυνὴ ἄφρων, καὶ θρασεῖα ἐνδεὴς ψωμοῦ γίνεται.
15 Τῶν θολερῶν ὑδάτων ἀπέχεσθαι. Vide Joseph. lib. 1. contra Appion. pag. 1046. 16 *Furtiva Venus, furtiva gaudia, furtiva voluptas, dulcia furta*. Pindar. Γλυκυτέρα κλεπτόμενον μέλιμα κύπριδος. Virgil. Æneid. 6.
Suppostaque furto Pasiphae.
17 Prov. 2. 18. 7. 21. 5. 5. 18 Ὁ δὲ οὐκ οἶδεν ὅτι γηγενεῖς παρ' αὐτῇ ὄλλυνται, καὶ ἐπὶ πέτευρον ᾅδου συναντᾷ.

CAPUT X.

Discrimen inter filium sapientem, & insipientem; justum, & impium; diligentem, & ignavum; inter charitatem, & odium; bonam linguam, & pravam.

1. FIlius sapiens lætificat patrem: filius vero stultus mœstitia est matris suæ.
2 Nihil proderunt thesauri impietatis, justitia vero liberabit a morte. 3
Non affliget Dominus fame animam justi, & insidias impiorum subvertet.
4 Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. Qui
nititur mendaciis, hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes. 5
Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confu-
sionis: 6 Benedictio Domini super caput justi: os autem impiorum operit iniqui-
tas. 7 Memoria justi cum laudibus: & nomen impiorum putrescet. 8 Sapiens
corde præcepta suscipit: stultus cæditur labiis. 9 Qui ambulat simpliciter, am-
bulat confidenter: qui autem depravat vias suas, manifestus erit. 10 Qui an-
nuit oculo, dabit dolorem: & stultus labiis verberabitur. 11 Vena vitæ, os ju-
sti: & os impiorum operit iniquitatem. 12 Odium suscitat rixas: & universa
delicta operit charitas. 13 In labiis sapientis invenitur sapientia: & virga in dor-
so ejus, qui indiget corde. 14 Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti
confusioni proximum est. 15 Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus: pavor
pauperum, egestas eorum. 16 Opus justi ad vitam: fructus autem impii ad pec-
catum. 17 Via vitæ, custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit,
errat. 18 Abscondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam, insipiens
est. 19 In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua,
prudentissimus est. 20 Argentum electum, lingua justi: cor autem impiorum pro
nihilo. 21 Labia justi erudiunt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis ege-
state morientur. 22 Benedictio Domini divites facit: nec sociabitur eis afflictio.
23 Quasi per risum stultus operatur scelus: sapientia autem est viro prudentia.
24 Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum justis dabitur. 25
Quasi tempestas transiens non erit impius: justus autem quasi fundamentum sempi-
ternum. 26 Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui mise-
runt eum. 27 Timor Domini apponet dies: & anni impiorum breviabuntur. 28
Expectatio justorum lætitia: spes autem impiorum peribit. 29 Fortitudo simplicis
via Domini: & pavor his, qui operantur malum. 30 Justus in æternum non com-
movebitur: impii autem non habitabunt super terram. 31 Os justi parturiet sa-
pientiam: lingua pravorum peribit. 32 Labia justi considerant placita: & os im-
piorum perversa.

℣. 1. PARABOLÆ SALOMONIS.] Titulus hic non legitur in Editionibus Septuaginta, neque in Vulgata a Sixto V. castigata, sed extat in Hebraico textu, & Chaldæo, atque in Exemplaribus, tum typis editis, cum manu scriptis Versionis S. Hieronymi. Ea, quæ hactenus vidimus, est quædam veluti præfatio [1], vel procemium operis. Salomon hic adhortatur discipulum suum ad studium sapientiæ, iis omnibus argumentis, quibus illum persuadere posse arbitratur, quæ sunt species, utilitas, necessitas Sapientiæ. Ostendit pericula, quæ illam contemnentes subeunt; eumque præsertim cautum reddit adversus impudicitiam, nimiamque licentiam. Postea vero ad morum præcepta descendit, præcipuum ejus finem. A

FILIUS SAPIENS LÆTIFICAT PATREM.] Salomon rationes eas enumerans, quæ pueros ad sapientiæ studium possunt impellere, haud præterit, hoc ipsorum parentes summa afficere lætitia. Filius honesto loco natus haud contemnere debet ea omnia, quæ patri, ac matri suæ voluptatem, ac lætitiam possunt adferre. B

℣. 2. THESAURI IMPIETATIS.] Bona male parta, vel etiam generatim, temporalia bona, quæ in Evangelio Luc. 15. 9. *Mammona iniquitatis* vocantur, eo quod in perniciem adducunt, & plerumque causa interitus iis sunt, qui ea possident, ac nimio affectu ea diligunt [2].

℣. 3. NON AFFLIGET DOMINUS FAME ANIMAM JUSTI.] Cur igitur tot Justi in egestate versantur? Quare Lazarus jacet ad januam improbi divitis? Quanam de causa Prophetæ fugam capessere coguntur, delitescere, & rebus maxime necessariis indigere? Si permittit Deus, Justos fame affictari, illis patientiam tribuit, & eam gratiam impertit, quæ efficit, ut non solum ferre mala queant, sed suavia, & jucunda illis videantur. Eos consolationibus cumulat, ita ut si ipsis optio daretur paupertatem non patiendi, nollent ex iis malis eripi, certissima futurorum bonorum spe suffulti, ac satis apertissimum divitiarum periculum intelligentes. Demum illis æterna pollicetur præmia, quę toto cœlo fluxa hęc terrarum exuperant bona.

ET INSIDIAS IMPIORUM SUBVERTET.] Non permittet

1 Mercer. Bossuet. &c.

2 Bernard. de convers. ad Clericos cap. 12. *Divitiarum acquisitio laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur.*

mittet Deus, ut impii adversus suos amicos prævaleant, & Justi eorum dolis, atque improbitati succumbant. Fatemur quidem, Justos sæpe opprimi, sed illis interius de eorum hostibus certissimam tribuit victoriam ea vi, atque virtute, quam illis suppeditat. Illis coronas præparat, eos gratiis, & benedictionibus cumulat; quæ bona nonne longissime sunt majora, quam si nihil ab improbis viris paterentur? Hebræus [1]: *et Dominus subvertet nequitiam impiorum*. Septuaginta [2]: *subvertet vitam improborum*. Chaldæus: *substantiam*, bona, divitias.

℣. 4. EGESTATEM OPERATA EST MANUS REMISSA.] Inertes in egestate sua permanent, si nativitatis suæ conditione in eadem versantur; ac in ipsam quamprimum decidunt, etiamsi aliqua fuissent bona sortiti. Hebræus [3]: *manus dolosa*, fallax, quæ non ex corde, ac fideliter operatur, *gignit paupertatem*. Verbo, inertia mater est indigentiæ. Septuaginta [4]: *Paupertas humiliat hominem*. Chaldæus: *paupertas egenum efficit dolosum virum*. Hebraicus textus ita reddi potest: *Pauper facit manum* (lancem) *libræ fallacis*. Efficit stateram suam dolosam. At Vulgatæ sensus æquior est, quod ipsum probat oppositio, quæ cum sequenti membro debet adesse: *Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat*. Hesiodus idem ferme dixit: quæ sententia etiam in morali verificatur: *Non dormientibus, non otiantibus, sed vigilantibus pollicentur præmia, & labori merces parata est*, ait S. Ambrosius de Cain l. 1. c. 4. *Otiositas mater nugarum, noverca virtutum*, inquit S. Bernardus l. 2. de Considerat.

QUI NITITUR MENDACIIS &c.] Locus hic neque in Hebræo, neque in Græco, neque in MSS. Latinis, neque in Edito Bibliorum Regalium, neque in recenti S. Hieronymi Editione invenitur.

℣. 5. QUI CONGREGAT IN MESSE, FILIUS SAPIENS EST.] Hic textus satis clarus est, eumque plerique omnes Interpretes amplectuntur. Septuaginta nihilominus procul inde recedunt [5]: *Filius rite institutus sapiens erit, & illi famulabitur insipiens. Sapiens in ardenti calore salvabitur, & impius aduretur vento, tempore messis*. Secunda dumtaxat hujus versiculi pars haberi potest, velut Hebraici textus versio: *Sapiens in ardenti calore salvabitur &c.* Quæ vero præcedunt, addita sunt, neque in authographo, neque in Vulgata leguntur. At S. Augustinus ea non semel citavit [6]; a Græcis vero passim recipiuntur.

℣. 6. BENEDICTIO SUPER CAPUT JUSTI: OS AUTEM IMPIORUM OPERIT INIQUITAS.] Dominus cumulabit Justos benedictionibus suis, ac permittet, ut improbi pudore, & ignominia suffundantur in iniquitatis suæ pœnam. *Iniquitas*, non secus ac alibi passim iniquitatis pœnam significat. Nonnulli legunt [7]: *Os impiorum operit iniquitatem*: iniquitas oblitescit in hypocritis, dissimulatisque sermonibus: qui verus esse videtur Hebraici textus sensus [8]: eumque sequuntur Aquila, Symmachus, Theodotion, Pagninus, Montanus, Varablus. Septuaginta [9]: *Os impiorum obteget luctum importunum*, luctum infinitum.

℣. 7. NOMEN IMPIORUM PUTRESCET.] Grave olebit. Hoc pacto adversam nominis existimationem exprimunt Hebræi: *fecisti, ut male oleremus coram Pharaone*, ajebant Moysi Israelitæ [10]: effecisti ut apud hunc Principem adversa existimatione laboraremus. Jacob quoque conqueritur, quod Simeon, & Levi eum malum odorem apud Chananæos emittere fecissent [11]: & Achis videns mala, quæ Davidem Hebræis inferre credebat, de eodem ait [12]: *Male olet apud populum suum Israel*. Salomon igitur isthic innuere vult: Nomen Justi in benedictione futurum, impii vero nomen pessimum odorem esse efflaturum. Septuaginta [13], Chaldæus, & Syrus vertunt: *Memoria Justi laudibus cumulabitur: & nomen impii extinguetur*. At Hebraica vox [14] *putredinem*, putoremque significat.

℣. 8. STULTUS CÆDITUR LABIIS.] Punitur linguæ suæ inconsultorum sermonum, quos effutiit, pœnam sustinet. Chaldæus: *capietur in labiis suis*. Vide infra vers. 10. ubi eædem voces redduntur: *stultus labiis verberabitur*. Verti quoque potest, & hunc Hebraici textus verum esse sensum puto [15]: *Qui habet cor sapiens, excipiet præcepta; at qui habet labia stulta, virgis cædetur*. Qui rectam sortitus est animam, & docile ingenium, levi negotio excipiet, ac intelliget Sapientiæ præcepta: at insipiens, imprudens, qui non est Dominus linguæ suæ, virgis flagellabitur. Septuaginta [16]: *Sapiens corde excipiet præcepta. Sed garrulus, qui non est rectus in verbis suis, supplantabitur*.

℣. 9. QUI AUTEM DEPRAVAT VIAS SUAS, MANIFESTUS ERIT.] Impius, qui haud recte incedit, personam aliam ferre cupiet, & statim, qualis est, deprehendetur. Hebraicus textus verti potest [17]. Ille, cujus oculi *depravati sunt*, corrupti, perversi, *agnoscetur*, vel conteretur. Fallax, subdolus hypocrita tandem confundetur. *Fiducia magna, securitas actionis*, ait S. Gregorius Papa Pastoral. 3. par. c. 12.

℣. 10. QUI ANNUIT OCULO, DABIT DOLOREM.] Sapiens superius unam ex stultis notis esse ait [18], *oculo annuere*. Hic vero inquit, illum, qui nequaquam rectus incedit, neque sincerus est, sed fucatis amicitiæ officiis, amicos decipit, dolorem & aliis, & sibi esse allaturum. Re quidem vera nihil magis odimus, nec minus patimur, dolis, & perfidia. Septuaginta [19]: *Qui annuit oculo ad fallendum, colligit dolorem hominibus*.

℣. 11. VENA VITÆ OS JUSTI.] Vena, vel fons, quæ servat vitam, qui animabus salutem reddit, easque a peccati morte præservat. Ad litteram: *Vena vitæ* proprie significat fontem, vel scatebram aquarum inexhaustam. Aqua viva ea est, quæ defluit ex fonte vitæ, ex fonte perenni, qui numquam deficit. Vide infra cap. 13. 14. cap. 14. 27. cap. 16. 22. cap. 18. 4. Jerem. 2. 13. cap. 17. 13. Psalm. 35. 9. Apoc. 7. 17. A' Latinis *fons perennis* vocaretur.

℣. 12. ODIUM SUSCITAT RIXAS: & UNIVERSA DELICTA OPERIT CHARITAS.] Odium, & inimicitiæ excitant jurgia, atque contentiones inter homines: at charitas eas dissimulat, obtegit, dimittit. Locum hunc ob oculos habuisse videtur Sanctus Petrus, cum ait in 1. ep. c. 4. 8. *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum*. Septuaginta [20]: *odium excitat contentiones; sed amicitia eos omnes obtegit, qui rixantur*; eorum inimicitiam extinguit.

℣. 13. QUI INDIGET CORDE [21].] Qui mente caret. Hæc loquendi ratio non significat apud Hebræos illud quod apud nos; apud eos enim hominem innuit sine consilio,

1 וְהוּת רְשָׁעִים יֶהְדֹּף 2 Ζωὴν δὲ ἀσεβῶν ἀνατρέψει. 3 ראש עשה כף רמיה 4 Πενία ἄνδρα ταπεινοῖ.
5 Υἱὸς πεπαιδευμένος σοφὸς ἔσται, τῷ δὲ ἄφρονι διακόνῳ χρήσεται. Διεσώθη ἀπὸ καύματος υἱὸς νοήμων, ἀνεμόφθορος δὲ γίνεται ἐν ἀμητῷ υἱὸς παράνομος. 6 August. lib. 16. cap. 2. de Civit. & alibi.
7 Ita Beda, & Bibl. Antuerp. Philipp. 2. & ipse Hieronym. Infra vers. 11.
8 וּפִי רְשָׁעִים יְכַסֶּה חָמָס 9 Στόμα δὲ ἀσεβῶν καλύψει πένθος ἄωρον. Aquil. & Symmach. Ἀδικίαν. Th. Ἀσέβειαν. 10 Exod. 5. 21. הבאשתם את ריחנו
11 Genes. 34. 30 12 1. Reg. 27. 12 13. Vide quoque 2. Reg. 10. 6. Prov. 13. 5. Dan. 6. 24.
13 Ὄνομα δὲ ἀσεβοῦς σβέννυται. Aquil. Symmach. Σαπήσεται. 14 וְשֵׁם רְשָׁעִים יִרְקָב Vide Job. 13. 28. Prov. 12. 4. 14. 30. Isai. 40. 20. Osee 5. 12. ubi רקב significat *saniem*.
15 חכם לב יקח מצות ואויל שפתים ילבט 16 70. Σοφὸς καρδίᾳ δέξεται ἐντολάς, ὁ δὲ ἄστεγος, χείλεσι σκολιάζων ὑποσκελισθήσεται. Aquil. Δαρήσεται. *Cædetur*. Sym. Βασανισθήσεται. *Torquebitur*. Th. Φυρήσεται. *Macerabitur*. 17 מעקש דרכיו יודע 18 Prov. 6. 13. *Annuit oculis, terit pede, &c.* 19 Ὁ ἐννεύων ὀφθαλμοῖς μετὰ δόλου, συνάγει ἀνδράσι λύπας. 20 Μῖσος ἐγείρει νεῖκος, πάντας δὲ τοὺς μὴ φιλονεικοῦντας καλύψει φιλία.
21 חסר לב 70. Ἄνδρα ἀκάρδιον.

filio, sine sapientia, sine experientia, sine prudentia: *Et factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor*, Osee 7. 11.

ỳ. 14. SAPIENTES ABSCONDUNT SCIENTIAM; OS AUTEM STULTI CONFUSIONI PROXIMUM EST.] Hebræus verti potest [1]: *os incipientis proximum est excidio*, vel terrori. Septuaginta [2]: *os temerarii quam primum confringendum est*. Sapientes nequaquam importune ea, quæ sciunt, jactant; at insipiens est velut vir, qui in præceps imminet, ac se se jam in caput provoluturus: levitas, immaturitas, temeritas sermonum ejus, perpetuis eum periculis objiciunt. Plura cogitanda sunt, quam dicenda; Natura nobis binos oculos, binasque tribuit aures, unam vero linguam dumtaxat.

Nam numquam tacuisse nocet, nocet esse locutum.

ỳ. 15. PAVOR PAUPERUM EGESTAS EORUM.] Egestas metuentes efficit, humiles, virium suarum diffidentes. Juvenal. Sat. 3.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Status hic suis periculis incommodisque est obnoxius, & superbia, vanitas, ambitio, quas suggerunt opes, num minus sunt periculosæ? Felix igitur, qui fruitur mediocritate quadam, a duabus his extremitatibus æque seposita, quod vers. sequenti significatur.

ỳ. 16. OPUS JUSTI AD VITAM; FRUCTUS AUTEM IMPII AD PECCATUM.] Justus utitur bonis suis ad vivendum, neque plura postulat, quam ea, quæ victui suo sunt necessaria; & licet maxime eorum affluat copia, non iis tamen abutitur, non superbit, neque ea ad suum excidium, & calamitatem convertit. Impius e contra insumit *redditus suos* [3] in malum; tumet fastu; in voluptates ruit, Dei obliviscitur, ad pauperum inopiam non flectitur. Septuaginta [4]: *opera Justorum producunt vitam, & fructus impiorum est pro peccato*. Justorum actiones sunt actiones vitæ, fide, & charitate animatæ. Opera vero improborum sunt opera mortis, ni per, inceptum saltem, justitiæ amorem revertantur ad Deum.

ỳ. 18. ABSCONDUNT ODIUM LABIA MENDACIA: QUI PROFERT CONTUMELIAM, INSIPIENS EST.] Odium neque per dissimulationem, atque hypocrisim celandum est, neque leviter, ac sine causa detegendum. Sapiens non vult, nos odio corripi, nec semper in vulgus prodere, quod in aliis nobis displicet; hoc enim esset charitatem, atque sapientiam lædere; odium semper reprimendum est, atque Sapientiæ, & charitatis est, in semet inimicitiæ motus, quibus aliquando non agitari minime possumus, extinguere. Nulla hac in re vel hypocrisis est, vel dissimulatio, quoniam nemini fucum facit, nemini nocet: immo e contra eodem tempore animus ad exteriorem corporis speciem componitur; cumque ex æquo nequaquam nostra in facultate positi sint & cordis sensus, & corporis motus; extrinsecus ea dumtaxat ostendimus, quibus intrinsecus affici maxime optaremus. Hoc pacto neque charitatem, neque sinceritatem, neque justitiam lædimus: *Nulla pestis est efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus*; ait Boethius de Consolat. Philos. lib. 3.

ỳ. 19. IN MULTILOQUIO NON DEERIT PECCATUM.] Ferme impossibile est, ut plurima effutias, quin pecces, seu mendaciis, seu vanitate, seu levitate, seu sermonibus adversus charitatem, atque existimationem proximi; seu denique inutilibus verbis, quæ neque proximi, neque nostræ inserviunt utilitati. Sermo, licet prolixus, malus haberi nequit, nec a Sapiente damnari, si necessaria, ac salubria dumtaxat contineat: *Absit, ut multiloquium deputetur, quando necessaria dicuntur, quantalibet prolixitate dicuntur*, inquit Augustinus Retract. l. 1. Prol.

ỳ. 21. IN CORDIS EGESTATE.] Vel potius ignorantia sua, dementia, imprudentia. Vide supra vers. 13.

ỳ. 22. NEC SOCIABITUR EIS AFFLICTIO.] Vel non sociabitur afflictio cum benedictione, quam illis Dominus impertiet. Deus illos benedictionibus, favoribusque cumulat sine ulla doloris, pœnarumque immixtione.

ỳ. 23. QUASI PER RISUM STULTUS OPERATUR MALUM: SAPIENTIA AUTEM EST VIRO PRUDENTIA.] Peccator, insipiens, imprudens peccati periculum non agnoscit, & scelera veluti per jocum operatur. At Sapientia hominem efficit attentum, prudentem, cautum, obtruditque illi malum, velut aliquid maxime serium, eique illius evitandi modum suppeditat. Vide Job 15. 16. *bibit quasi aquam, iniquitatem*.

ỳ. 25. QUASI TEMPESTAS TRANSIENS NON ERIT IMPIUS.] Minitabitur, fremet, tonabit; at paulisper cede, sub tegmen aliquod secede, donec depluat, procella transibit, & eam excipiet tranquillitas. Omnes hominum conatus Justum numquam dimovebunt: *Justus quasi fundamentum sempiternum*.

ỳ. 26. SICUT ACETUM DENTIBUS . . . . SIC PIGER HIS, QUI MISERUNT EUM.] Septuaginta [5]: *Sicut racemus viridis dentibus*. At Hebraica vox [6] acetum significat. Ignavus homo, qui negligit aliena negotia, quæ sibi credita sunt, numquam aliquid consequitur. Licet sapiens, & prudens ille sit, qui illum præfecit, tamen hic occasionibus deerit, consilia infirmabit, oberitque inertia sua, ne quid ex sententia proveniat. Omnibus in rebus sedulitate, ac solertia opus est, in quibus etiam, major patientia, cautio, sensusque maturati requiruntur.

ỳ. 28. SPES IMPIORUM PERIBIT.] Deus nequaquam benedicet consiliis nefariis; neque vanæ spei, & quæ non veritati, neque justitiæ innititur, favebit. Vanam spem vanus semper excipit eventus.

ỳ. 29. FORTITUDO SIMPLICIS, VIA DOMINI.] Qui servat innocentiam, puritatem, simplicitatem, rectitudinem, invenit fortitudinem suam in viis Domini, in Deo omnem suam spem collocat, & conscientiæ integritas eum tutum, imperterritumque reddit, dum e contra peccatum semper timidum est. *Magna vis est conscientiæ in utramque partem*, ait Cicero pro Milone, *ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint*.

ỳ. 30. JUSTUS IN ÆTERNUM NON COMMOVEBITUR: IMPII AUTEM NON HABITABUNT SUPER TERRAM.] Justi pace fruentur in patria, atque in hæreditate sua; non patietur Deus eos turbari, neque cogi, ut in alienas terras secedant, vel in servitutem abduci; at oppositum omnino impiis continget; quod in Hebræis sumus intuiti. Donec juste vixerunt, neque a Domini Legibus recesserunt, felices fuere in patria sua; ex quo autem in scelera præcipites ruerunt, Deus tradidit illos hostibus eorum, a quibus in miserrimam servitutem alias in terras abducti sunt. Hæ promissa, ac temporales minæ tum in veteri, cum in novo Testamento duplici ratione, utraque longe diversa, intelligebantur. Carnales Judæi ea ad tempus, ac præsentia bona coarctabant; at spirituales explicabant illa de bonis æternitatis, ac de viventium mansione in Cœlis.

ỳ. 32. LABIA JUSTI CONSIDERANT PLACITA.] Justus scite, atque prævia cogitatione loquitur, neque ullum sermonibus suis lacessit. Impii e contra perversa effutiunt, & alios injuriis afficiunt. Septuaginta [7]: *Ex Justorum labiis fluunt gratiæ*, sunt veluti favus, unde mel dimanat, & *os impiorum injustum est*, & perversum: quod cum Vulgatæ sensu congruit. Justus cavet, ne quem verbis suis lædat, & impius pravis sermonibus suis cordis iniquitatem detegit.

---

1 ופי אויל מחתה קרובה
2 Στόμα δὲ προπετοῦς ἐγγίζει συντριβῇ.
3 תבואת רשע לחטאת Aqu. Symm. Th. Γεννήματα, *proventus*.
4 Ἔργα δικαίων ζωὴν ποιεῖ, καρποὶ δὲ ἀσεβῶν ἁμαρτίας.
5 Ὥσπερ ὄμφαξ ὀδοῦσι βλαβερόν, Ita Syr, Arab.
6 כחמץ לשנים
7 Χείλη ἀνδρῶν δικαίων ἀποστάζει χάριτας, στόμα δὲ ἀσεβῶν ἀποστρέφεται.

C A-

CAPUT XI.

Justorum & Sapientum bona collata malis impiorum, & insipientum. Veræ ac falsæ divitiæ.

1. STatera dolosa abominatio est apud Dominum: & pondus æquum voluntas
ejus. 2 Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ubi autem est humi-
litas, ibi & sapientia. 3 Simplicitas justorum diriget eos: & supplantatio
perversorum vastabit illos. 4 Non proderunt divitiæ in die ultionis: justitia au-
tem liberabit a morte. 5 Justitia simplicis diriget viam ejus: & in impietate sua
corruet impius. 6 Justitia rectorum liberabit eos: & in insidiis suis capientur ini-
qui. 7 Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes: & expectatio solicitorum pe-
ribit. 8 Justus de angustia liberatus est: & tradetur impius pro eo. 9 Simulator
ore decipit amicum suum: justi autem liberabuntur scientia. 10 In bonis justorum
exultabit civitas: & in perditione impiorum erit laudatio. 11 Benedictione justo-
rum exaltabitur civitas: & ore impiorum subvertetur. 12 Qui despicit amicum
suum, indigens corde est: vir autem prudens tacebit. 13 Qui ambulat fraudulen-
ter, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum. 14 Ubi
non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia. 15 Affli-
getur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cavet laqueos, securus erit.
16 Mulier gratiosa inveniet gloriam: & robusti habebunt divitias. 17 Benefacit
animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit. 18
Impius fecit opus instabile: seminanti autem justitiam merces fidelis. 19 Clemen-
tia præparat vitam: & sectatio malorum mortem. 20 Abominabile Domino cor
pravum: & voluntas ejus in iis, qui simpliciter ambulant. 21 Manus in manu
non erit innocens malus: semen autem justorum salvabitur. 22 Circulus aureus
in naribus suis, mulier pulchra, & fatua. 23 Desiderium justorum omne bonum
est: præstolatio impiorum, furor. 24 Alii dividunt propria, & ditiores fiunt:
alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. 25 Anima, quæ benedicit,
impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. 26 Qui abscondit fru-
menta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. 27
Bene consurgit diluculo, qui quærit bona: qui autem investigator malorum est,
opprimetur ab eis. 28 Qui confidit in divitiis suis, corruet: justi autem quasi
virens folium germinabunt. 29 Qui conturbat domum suam, possidebit ventos:
& qui stultus est, serviet sapienti. 30 Fructus justi lignum vitæ: & qui susci-
pit animas, sapiens est. 31 Si justus in terra recipit, quanto magis impius, &
peccator?

℣. 1. STATERA DOLOSA ABOMINATIO APUD DOMINUM.] Deus in Lege Deut. 25. 13. prohibet, ne quis dolosam stateram habeat, ac pondus duplex, quod non in commercio solum, verum in judiciis etiam, atque in omni agendi ratione erga proximum nostrum observandum est [1]. Æqua illi dumtaxat suadere, a justitia, & veritate, ne tantillum quidem discedere, illi eadem præstare, quæ nobis fieri maxime cuperemus. In re qualibet æquitatis lanx est adhibenda, ne nobis metipsis, perturbationibus animi nostri, nostrisque præjudiciis aures præbeamus.

℣. 2. [IBI FUERIT SUPERBIA, IBI ERIT ET CONTUMELIA.] Superbia plerumque impotentiæ mater est. B Hebr. [2] *Veniat superbia, videbis quoque confusionem.* Deus superbis resistit, humilibus vero dat gratiam [3]: permittit, ut illi, quos perdere vult, eleventur, ut A lapsus illorum insignior sit [4]: *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Hæc uniformis est conditio, a qua fere numquam Providentia recedit, eos deprimendi, qui superbe se se efferre cupiunt, eos vero extollendi, qui sponte se humiliant. Septuaginta [5] ita omnem hunc versiculum reddunt: *Contumelia erit, ubicumque erit superbia, & os humilium pronunciat Sapientiam.* Addunt: ℣. 3. *Cum justus moritur, alii dolore afficiuntur, sed mors impiorum omnibus est jucunda.*

℣. 3. SUPPLANTATIO PERVERSORUM VASTABIT ILLOS.] Hebræus [6]: *injustitia*, perversitas impiorum *perdet eos*. Decident in laqueos, quos aliis tetenderunt: malitia ipsorum erit excidium eorum; illud ipsum, quod fuit instrumentum peccati eorum, erit quoque eorum supplicium. Hoc ipsum duobus versiculis, qui sequuntur, repetitur.

1 Beda hic. Grot. Mercer. Jans. Bossuet. 2 בא זדון ויבא קלון 3 Jacob. 4. 6.
4 Prov. 16. 18. Vide quoque 18. 12. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; & antequam glorificetur, humiliatur.*
5 Οὗ ἐὰν εἰσέλθῃ ὕβρις, ἐκεῖ καὶ ἀτιμία, στόμα δὲ ταπεινῶν μελετᾷ σοφίαν. 6 וסלף בגדים ישדם

℣. 7. EXPECTATIO SOLICITORUM PERIBIT.] Heb. [1] *Et expectatio iniquorum*, fortium, divitum, præpotentium *peribit*. Impii, qui in viribus suis dumtaxat confidunt, videbunt omnia consilia sua in morte evanescere. In hoc mundo non permittet Deus, ut ambitio voti compos fiat, sed eorum conatus in irritum cedere faciet. Septuaginta [2]: *Id, quod est impiorum gloria, peribit*.

℣. 8. JUSTUS DE ANGUSTIA LIBERATUS EST: ET TRADETUR IMPIUS PRO EO.] In Scriptura [3] humanæ quædam his similes locutiones occurrunt, ubi Deus exhibetur, veluti Supremus Dominus, qui captivos permutat. Alios liberat, alios vero pro illorum redemptione servituti addicit. Ita cum justus, & impius in eodem versentur discrimine, Dominus justum tuebitur, impium vero derelinquet. Uterque illius sunt; sed flocci facit interitum impii, dummodo justum liberet: *Omnia propter electos*.

℣. 9. SIMULATOR ORE DECIPIT AMICUM SUUM; JUSTI AUTEM LIBERANTUR SCIENTIA.] Simulator decipit amicum suum fictis amicitiæ officiis; at non permittet Deus, Justum falli; sed illi tribuet scientiam, aperietque insidias, & dolos; ita ut fictum a vero secernat, ac veritatem a specie dignoscat. *Gravissimum inimicitiæ genus est corde esse adversarium, & lingua se simulare devotum* [4].

℣. 11. BENEDICTIONE JUSTORUM EXALTABITUR CIVITAS, ET ORE IMPIORUM SUBVERTETUR.] Ea felix est civitas, quæ justos cives habet, qui precibus suis, votis, exemplis, sermonibus, atque officiis, eam florescere efficiunt, atque cœlestes illi benedictiones promerentur. Impii e contra eam vita sua, nefariisque sceleribus subvertunt; Dominum suis blasphemiis irritant, atque in ipsam criminibus suis Dei maledictionem deducunt. Si decem justi dumtaxat in Sodoma fuissent inventi, Dominus eam minime succendisset Gen. 18. 32. e contra unus Achan in universo Israel, turbas ut cieret, satis fuit. Josue 7. 25.

℣. 12. QUI DESPICIT AMICUM INDIGENS CORDE EST; VIR AUTEM PRUDENS TACEBIT.] In amicitia aliqua necessario ferenda sunt, atque amicorum defectus dissimulandi. Nemo perfectus est: si vicissim ultro, citroque minime ignosceremus, quod fieret? Horat. Sat. 3. l. 1.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Postulat, ignoscat verrucis illius: æquum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

Insipiens judicat absque misericordia; atque censoria nota amici sui defectus proscindit, sed sapiens tacet, atque dissimulat.

℣. 13. QUI AMBULAT FRAUDULENTER, REVELAT ARCANA.] Hebr. [5]. *Malediens revelat arcana*. Septuaginta [6]: *Homo bilinguis* (dissimulans) *in cœtu detegit consilia*; at Fidelis celat illa. Generatim nebulones secreti servandi impotentes sunt, non secus ac illi, qui de industria obloquuntur, & proximi sui existimationem proscindunt. Sapiens huic hominum generi opponit [7] *virum fidelem spiritu*: vel potius constantem, certum in consiliis suis, ac in amicitiis; dominum linguæ, & affectuum suorum.

℣. 15. AFFLIGETUR MALO, QUI FIDEM FACIT PRO EXTRANEO.] Sapiens hic repetit, quod jampridem monuerat, ne pro aliis nos vades, & fidejussores præberemus. Vide Prov. 6. 1.

QUI AUTEM CAVET LAQUEOS, SECURUS ERIT.] Hebræus [8]: *Qui odit percutientes in manu, securus erit*. Qui se nundinis, alienisque negotiis componendis non immiscet: Qui occasionem evitat, manum suam porrigendi, seque pro aliis sponsorem præbendi, tuto vivet. Hæc est membri superioris repetitio.

℣. 16. MULIER GRATIOSA INVENIET GLORIAM, ET ROBUSTI HABEBUNT DIVITIAS.] Quemadmodum mulier, quæ sibi existimationem, & benevolentiam conciliat, virtutibus suis, atque animæ dotibus, modestia, sapientia, atque prudentia, gloriam sibi apud homines comparat, atque famam sine macula, ita vir fortis, robustus, laborum patiens, divitias operibus suis consequetur. Deus homini vim, atque ingenium impertitus est, quibus bona adipisceretur; at mulier non nisi specie sua, officiis, suavitate, merito, verecundia, virtute, gloriam consequi potest. Interpretes quidam hoc elogium *mulieris gratiosæ* [9] ad solas animæ dotes coarctant [10]: at corporis dotes nollem excludere: hæ quippe etiam in optimum usum adhiberi possunt, & Naturæ Auctor non nisi altissimo sapientiæ suæ consilio eas est elargitus. Septuaginta habent: *Mulier gratiosa gloriam viro suo comparat, & quæ odit justitiam, thronus est ignominiæ. Inertes opibus indigni sunt; at fortes, & robusti sustinentur bonis suis*: fortitudinem suam bonis suis conservant. Pleræque additionum Septuaginta glossemata sunt, vel frigidæ, inanesque repetitiones eorum, quæ in Hebræo dicuntur.

℣. 17. BENEFACIT ANIMÆ SUÆ VIR MISERICORS: QUI AUTEM CRUDELIS EST, ETIAM PROPINQUOS ABJICIT.] Ille, cujus charitas fervet, sibi vera pro æternitate bona, & necessaria, atque utilia pro vita præsenti subsidia aucupatur; & bona eadem in suos, & proximos effundit. E contra homo crudelis, avarus, sine charitate, sine miseratione, sine affectu, sibimet ea, quibus indiget, denegat, & nihil pro suis consanguineis, atque egenis operatur. Hebræus [11]: *Qui turbat carnem suam, est crudelis*; qui affligit propinquos suos, qui in eos lites ciet, qui inter ipsos discordias serit &c. Hebræi nonnumquam propinquos, & fratres suos, *carnem suam* appellant [12]: *Os meum, & caro mea*, & alibi [13]: *carnem tuam ne despexeris*.

℣. 18. IMPIUS FACIT OPUS INSTABILE: SEMINANTI AUTEM JUSTITIAM, MERCES FIDELIS.] Opus, præmium, existimatio, bona impii nihil habent solidi. In arena serit, Deus non benedicet laboribus ejus, neque pro tempore, neque pro æternitate. Justus e contra super solidam rupem, immotamque ædificat. Justitiæ ipsius opera permanent; præmium ejus constans est, solidum, certum. Septuaginta [14]: *Impius injusta perpetrat opera: posteritas justorum est præmium veritatis*.

℣. 19. CLEMENTIA PRÆPARAT VITAM.] Hebr. [15] *Justitia ducit ad vitam, & sequela* mali *ad mortem*. Septuaginta [16]: *Homo justus natus est ad vitam, & sequela impii pergit ad mortem*. Justus diuturna, & tranquilla vita fruetur; & impius infeliciter peribit.

℣. 21. MANUS IN MANU NON ERIT INNOCENS MALUS: SEMEN AUTEM JUSTORUM SALVABITUR.] Impius semper corde in malum tendit, cum etiam manus ejus malum non patrant; & ipse videtur quiescere. *Non erit innocens*: a Deo non excipietur, velut innocens, sed severissime punietur. Aliter: *Impius non erit innocens de manu in manum*. Innocentia nequaquam permanebit veluti hæreditario jure in familia ejus; vel potius: Deus non habebit familiam ipsius veluti innocentem, eam de manu in manum puniet, de progenie in progeniem [17]; dum interim *semen Justorum salvabitur*, & favoribus cumulabitur. Hic sensus eo melior mihi videtur, quod inter utrumque propositionis membrum servat antithesim. Alii hoc pacto explicant: Qui commodat manum impio, non erit innocens. Vel: impius

1 ותוחלת אונים אבדה
2 Τὸ δὲ καύχημα τῶν ἀσεβῶν ὄλλυται.
3 Prov. 21. 18. Isai. 43. 3.
4 Cassiodor. in Psal. 54.
5 הלך רכיל מגלה סוד
6 Ἀνὴρ δίγλωσσος ἀποκαλύπτει βουλὰς ἐν συνεδρίῳ. Aquil. Ἀνὴρ διάβολος. Sym. Δόλιος.
7 נאמן רוח מכסה דבר Symmach. Ο' πιστῶν ἐμπνοῆς. Th. Μισῶν παγιδεῦσαι.
8 שנא תוקעים בוטח
9 אשת חן תתמך כבוד
10 Vatab. Geier. Cart. &c.
11 ועכר שארו אכזרי
12 Genes. 29. 14. & 2. Reg. 19. 13. &c.
13 Isai. 58. 7.
14 Ἀσεβὴς ποιεῖ ἔργα ἄδικα, σπέρμα δὲ δικαίων μισθὸς ἀληθείας.
15 כן צדקה לחיים ומרדף רעה למותו
16 Υἱὸς δίκαιος γεννᾶται εἰς ζωήν, διωγμὸς δὲ ἀσεβοῦς εἰς θάνατον. Aquil. Symmach. Th. Καὶ καταδιώκων κακίαν, εἰς θάνατον αὐτοῦ. *Qui quærit iniquitatem, ad mortem currit.*
17 Bayn. Mercer. Ludov. de Dieu.

impiiis non erit innocens tunc etiam, cum præbet manum suam : cum sanctioribus se se promissionibus adigit. Fallit, decipitque amicum suum. Potest quidem impius suas manus abluere, easque invicem premere, non ideo tamen magis erit innocens, & mundus. Vide similem locurionem Prov. 16. 5. Septuaginra [1] commodum afferunt sensum : *Qui ponit manum in manu injuste*, qui per fraudem se se obligat, *impunis non erit : At qui serit justitiam, fidelem*, solidam, certam *remunerationem recipiet*. Chaldæus : Qui extendit manum suam adversus proximum suum, haud carebit malo; sed posteritas justi salvabitur.

℣. 22. CIRCULUS AUREUS IN NARIBUS SUIS, MULIER PULCHRA, ET FATUA.] Mulieres pluribus in Orientis Provinciis gestant pretiosos annulos inter ambas nares [2]. Talem ornatum perperam admoveres rictui fœdissimæ suis, quæ jugiter terram, fimumque scabit : haud minus forma dedecet mulierem sine spiritu, sine sapientia, sine virtute. Venustas ejus nihil aliud efficere potest, quam ut ejus insipientia magis emicet ; & species hæc & ipsi, & aliis periculosus est laqueus, quem pauci valeant effugere. Petronius in Satyr.

Raram facit misturam cum Sapientia forma.

Prudentia, & pulchritudo simul conjunctæ perfectissimum quid efficiunt ; verum has simul raro inveneris. Juvenalis Sat. 10.

Rara est concordia formæ
Atque pudicitiæ.

℣. 23. PRÆSTOLATIO IMPIORUM FUROR.] Quin eos alat dulcis spes melioris conditionis post hoc vitæ curriculum, eos desperatio, & dolor vexat : vivunt, terribilia Dei judicia expectantes.

℣. 24. ALII DIVIDUNT PROPRIA, ET DITIORES FIUNT &c.] Hic sensus perspicuus est, & maxime commodus ; at Hebraicus textus paululum differt [3] : *non desunt, qui effundant* large, *& semper magis ditescunt, & sunt, qui nimis parce vivant, & semper in egestate versantur*. Una dumtaxat in omnibus ratio est. Necesse est opportune, & sapienter, & parcere, & effundere. Non enim semper vel sordida avaritia dites, vel liberalitas pauperes efficit. Septuaginta [4] : *Sunt, qui effundant bona sua* cum liberalitate, *& qui magis, magisque ditescunt : & sunt, qui jugiter tumulant, & tamen pauperes fiunt*. Chaldæus : *non deest, qui effundit ; & cui majora semper tribuuntur ; sed qui ab æquitate recedit, in egestate versabitur.*

℣. 25. ANIMA, QUÆ BENEDICIT, IMPINGUABITUR ; ET QUI INEBRIAT, IPSE QUOQUE INEBRIABITUR.] Qui liberalis est, large, effuseque paria accipiet, & qui effundit affluenter bona sua, affluenter recipiet. Hoc autem supponit sapienter erogari, & liberalitatem prudentia dirigi. S. Paulus eodem in sensu dicebat 2. Cor. 9. 6. *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Hoc etiam in morali, quam in civili sensu magis verum est. Placet nobis quidem benefacere illis, qui nobilem, ac beneficam habent animam, & qui multa pauperibus elargitur, thesauros sibi comparat in cœlis. Hebraicus textus verti potest [5] : *Anima, quæ benedicit, saginabitur, & qui irrigat, irrigabitur*. Vel [6] : *Et qui docet, docebitur* ; vel qui saturat, saturabitur. Vel denique : *Qui irrigat, etiam docet*. Septuaginta [7] ab omnibus his sensibus longe recedunt : *Anima benedicta est omnino simplex, & vir iratus non est jucundus*. Symmachus [8] : *Anima benedicta saginabitur, et qui inebriat, ipse quoque est imber primæ anni tempestatis*. Qui affluentem effundit imbrem, ipse quoque eum recipit.

℣. 26. QUI ABSCONDIT FRUMENTA, MALEDICETUR IN POPULIS.] Hoc usuvenit in omni occasione, cum annonæ charitas ingruit. Qui fruges abscondunt, a Deo maledicuntur ; justitia Dei in hos crudeles viros, qui publicis non moventur calamitatibus, & qui non verentur populorum odium, & populi maledictiones subire. Latini habent proverbium simile huic Salomonis : *Qui flagellat annonam, Dardanarius*. Septuaginta [9] : *qui retinet triticum, illud Nationibus relinquat*. Dominus terribilia minitatur supplicia in Amos cap. 8. 5. 6. 7. illis, qui de Festis diebus conqueruntur, & mensuras imminuere desiderant, fruges cariori pretio vendituri.

℣. 27. QUI INVESTIGATOR MALORUM EST, OPPRIMETUR AB EIS.] Idem ferme vidimus ℣. 19. Hebræus [10] : *malum veniet requirenti malum*.

℣. 29. QUI CONTURBAT DOMUM SUAM POSSIDEBIT VENTOS.] Qui conturbat domum suam hoc in loco illum significat, qui perperam sua bona profundit, & in lustris, & ganeis suas opes prodigit : vel illum, qui in domo sua discordias, ac secessiones serit futilibus nugis, inanibusque quæstionibus ; hic possidebit dumtaxat ventum ; quam primum ad egestatem redigetur. ℣. 17. dixerat jam sapiens : *qui turbat carnem suam, est crudelis* ; videlicet, qui denegat opem propinquis suis, qui illis litem intentat, qui eos perturbat, est crudelis. Et cap. 15. 27. *Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam* ; in id unum incumbit, ut ditescat, sed res ex voto non accidet ; vanam dumtaxat auram possidebit.

℣. 30. FRUCTUS JUSTI LIGNUM VITÆ ; ET QUI SUSCIPIT ANIMAS, SAPIENS EST.] Justus est veluti arbos vitæ, quæ erat in Paradiso terrestri Gen. 2. 9. fert eximios fructus, qui vitam & largiuntur, & servant ; instruit, ædificat, format, lucratur animas, illis subsidia, & in hanc, & in æternam vitam impertit. Septuaginta [11] : *Ex fructu justitiæ nascitur arbor vitæ ; animæ impiorum præmatura morte absipiuntur*.

℣. 31. SI JUSTUS IN TERRA RECIPIT, QUANTO MAGIS IMPIUS, ET PECCATOR ?] Si David, si Job, si Tobias, si tot denique sanctissimi viri in mundo afflictati fuere, quid impiis, nefariisque hominibus expectandum est ? Vel : Si Deus ne justis quidem remittit errores, si quos forte committunt, & qui hac vita nequeunt evitari ; quomodonam impii, quorum vita sceleribus, ac flagitiis scatet, se impune abituros sperabunt ? Septuaginta [12] : *Si justus vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt ?* S. Pertus Apostolus in 1. ep. cap. 4. 14. Syrus, & Arabs hanc versionem secuti sunt. Hebr. [13]. *Ecce justus super terram, qui recipit retributionem : cur peccator, et impius* eam non recipient ? Vulgo explicatur de pœna, vel supplicio peccatorum ipsorum : at hoc quoque pacto intelligi potest : justus recipit super terram fructum justitiæ suæ ; potiori jure impius recipiet pœnam iniquitatum suarum. Chaldæus : *Justus convaluit super terram ; impii, et nefarii consumentur*. Alii : *Justus pace fruetur ; non ita vero peccator, et impius.*

---

1 Χειρὶ χεῖρας ἐμβαλὼν ἀδίκως, οὐκ ἀτιμώρητος ἔσται. Ὁ δὲ σπείρων δικαιοσύνην λήψεται μισθὸν πιστόν.
2 Vide nostrum Commentarium in Genes. 24. 22. & 35. 41. & infra Prov. 25. 12.
3 יש מפזר ונוסף עוד וחשך מישר אך למחסור
4 Εἰσὶν οἳ τὰ ἴδια σπείροντες, πλείονα ποιοῦσι, εἰσὶ δὲ καὶ οἳ συνάγοντες, ἐλαττονοῦνται.
5 נפש ברכה תדשן ומרוה גם הוא יורא
6 Chaldæus.
7 Ψυχὴ εὐλογουμένη πᾶσα ἁπλῆ, ἀνὴρ δὲ θυμώδης οὐκ εὐσχήμων. Hieron. contra Rufin. *Anima benedicta omnis simplex vir : animosus inhonestus est.*
8 Symm. Πιανθήσεται, ὁ δὲ μεθύων, καί γε αὐτὸς πρωϊνός.
9 Ὁ συνέχων σῖτον, ὑπολείποιτο αὐτὸν τοῖς ἔθνεσι.
10 ודרש רעה תבואנו
11 Ἐκ καρποῦ δικαιοσύνης φύεται δένδρον ζωῆς, ἀφαιροῦνται δὲ ἄωροι ψυχαὶ παρανόμων.
12 Εἰ ὁ μὲν δίκαιος μόλις σώζεται, ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται.
13 הן צדיק בארץ ישלם אף כי רשע וחוטא

CAPUT XII.

Correctionem diligere: colere pietatem. Mulier vigilans. Diversa bonorum, & impiorum conditio. Pauper sibi sufficit. De inerte, & ebrio; de fatuo, & sapiente. De bonis, & malis, quæ lingua parit.

1. QUi diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes,
insipiens est. 2 Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino: qui autem con-
fidit in cogitationibus suis, impie agit. 3 Non roborabitur homo ex
impietate: & radix justorum non commovebitur. 4 Mulier diligens corona est vi-
ro suo, & putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit. 5 Cogita-
tiones justorum judicia: consilia impiorum fraudulenta. 6 Verba impiorum in-
sidiantur sanguini: os justorum liberabit eos. 7 Verte impios, & non erunt:
domus autem justorum permanebit. 8 Doctrina sua noscetur vir: qui autem va-
nus, & excors est, patebit contemptui. 9 Melior est pauper, & sufficiens sibi,
quam gloriosus, & indigens pane. 10 Novit justus jumentorum suorum animas:
viscera autem impiorum crudelia. 11 Qui operatur terram suam, satiabitur pani-
bus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. Qui suavis est in vini demorationi-
bus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. 12 Desiderium impii munimen-
tum est pessimorum: radix autem justorum proficiet. 13 Propter peccata labio-
rum ruina proximat malo: effugiet autem justus de angustia. 14 De fructu oris
sui unusquisque replebitur bonis, & juxta opera manuum suarum retribuetur ei,
15 Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia. 16 Fa-
tuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat injuriam, callidus est. 17 Qui,
quod novit, loquitur, index justitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudu-
lentus. 18 Est, qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientiæ: lingua au-
tem sapientium sanitas est. 19 Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui
autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii. 20 Dolus in corde co-
gitantium mala: qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. 21 Non
contristabit justum, quidquid ei acciderit: impii autem replebuntur malo. 22
Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.
23 Homo versutus celat scientiam: & cor insipientium provocat stultitiam. 24
Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis serviet. 25 Mœror
in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur. 26 Qui negligit da-
mnum propter amicum, justus est: iter autem impiorum decipiet eos. 27 Non in-
veniet fraudulentus lucrum: & substantia hominis erit auri pretium. 28 In se-
mita justitiæ, vita: iter autem devium deducit ad mortem.

℣. 1. QUI DILIGIT DISCIPLINAM, DILIGIT SCIENTIAM.] Nihil magis scientiæ oppositum est, quam pati nolle eorum vocem, qui nos ob scelera nostra redarguunt. Nullum majus charitatis officium nobis præstari potest, quam quod a quopiam admoneamur, si a recto virtutis tramite deflectimus; at nihil magis rarum est, quam ex salubri increpatione utilitatem nosse percipere. Hanc autem veluti donum Dei, ac ipsius clementiæ effectum suspicere debemus [1]; longe enim *melius est a justo misericorditer corripi, quam fallaciter laudari*.

℣. 2. QUI BONUS EST, HAURIET SIBI GRATIAM A DOMINO.] Deus bonis sua gestit elargiri beneficia, efficitque, ut gratiam in ipsius oculis inveniant. *Qui bonus est*, inquit Beda in hunc locum, *non confidit in cogitationibus suis, sed Domini gratiam quærit, & quæsitam invenit; per illam vero accipit, ut pie vivere possit.*

QUI CONFIDIT IN COGITATIONIBUS SUIS, IMPIE AGIT.] Qui damnabili superbia semet consulit, quo pacto sibi sit agendum, quin Dei Legem, ac voluntatem exploret, vere impie agit. Hebr. [2] *Homo, qui* pravas *habet cogitationes*, impietatem committit. Vel qui prava fovet consilia, & quærit nocere proximo suo, damnabitur, & veluti noxius suppliciis addicetur. Septuaginta hoc pacto [3] totum hunc Versiculum reddunt: *Qui invenit gratiam coram Domino, melior fit; at impius in oblivione permanebit*.

℣. 3. NON ROBORABITUR HOMO EX IMPIETATE.] Vel juxta Hebraicum textum [4]: *non permanebit stabilis*

1 Auguft. lib. de correptione, & gratia.
2 ואיש מזמות ירשיע
3 Κρείσσων ὁ εὑρὼν χάριν παρὰ Κυρίῳ, ἀνὴρ δὲ παράνομος παρασιωπηθήσεται.
4 לא יכון אדם ברשע

lis in impietate. Non permittet Deus, ut impius diu, A & tranquille criminum suorum fructu lætetur. Septuaginta [1]: *Impius per iniquitatem votorum summam non obtinebit*.

℣. 4. MULIER DILIGENS, CORONA EST VIRO SUO: & PUTREDO IN OSSIBUS EJUS, QUÆ CONFUSIONE RES DIGNAS GERIT.] Textus hic nullo indiget Commentario. Hebræus [2]: *Mulier fortis*, diligens, æconomię studiosa, *est corona viro suo; & qui eum rubore suffundit, est velut putredo in ossibus viri sui*. Videtur Salomon nomine *mulieris fortis* intelligere eam, quę omnibus numeris perfectissime eas dotes possidet, quę illius sexum decent; sapientiam videlicet, prudentiam, verecundiam, virtutem [3], & pręsertim ęconomiam, & parsimoniam; pro ea vero, *quæ virum rubore suffundit*, oppositum omnino intelligit, pręcipue B autem mulierem, quę bona dissipat, ac in stultos sumptus effundit: non secus ac filium, luxuriosum, nefarium, nepotem, imprudentem appellat *filium pudore suffundentem* [4]. Mulier fortis hoc in sensu est corona, gloria, consolatio, fiducia viri sui: *Confidit in ea cor viri sui*, uti alibi. Salomon ait [5], certus futurum ut, propter prudentiam ejus, familiæ suę nihil desit. Vide Caput 14. 1. & 31. 10. Sapiens mulieres commendat dumtaxat ex diligenti earum ęconomia, & verecundia.

℣. 5. COGITATIONES JUSTORUM JUDICIA.] Justitiam tantummodo, & veritatem quęrunt: in omnibus sermonibus, & actionibus suis perfecta deprehenditur ęquitas; procul ab impiorum more, quorum mens dolis, mendaciis, ac insidiis abundat: *consilia* C *impiorum fraudulenta*.

℣. 5. OS JUSTORUM LIBERABIT EOS.] Liberabit justos oppressos, & eos, quorum impii sanguinem effundere quęrunt. Vel: justi se met liberabunt ex impiorum insidiis sermonibus suis, sapientia refertis; justitiam suam tuebuntur ita, ut inimicorum suorum furorem infringant. Prior sensus magis naturalis videtur.

℣. 7. VERTE IMPIOS, & NON ERUNT.] Ad levem quamcumque perturbationem impii decidunt, & non sunt amplius. *Verte impios*, convertantur, nec videbis amplius illos. Hebræus [6]: *in convertendo, impii non erunt amplius*; subvertentur, & repente, ictu oculi, evanescent; temporis momento faciem tuam converte, & mox quære illos, nec videbuntur am- D plius. Septuaginta [7]: *Impius, quocumque se vertat, exterminabitur*. Psalmista in eodem sensu ait Psal. 36. 35. *Vidi impium, superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani; & transivi, & ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus*. Salomon superius 10. 25. dixit: *Quasi tempestas transiens non erit impius*.

℣. 8. DOCTRINA SUA NOSCETUR VIR.] Cum loquetur, tunc ex illius sermonibus, quinam sit, deprehendetur. Quilibet animum advertit ad ea, quæ ingenio suo magis sunt congrua. Studia nostra irritamenta sunt motuum nostrorum: neque sanctarum, divinarumque rerum studio vacamus, nisi prius earum amore succendimur; hæc ipsa virtutis pars est, eam diligere. Hebræus [8]: *Vir pro sapientia sua magnitudine commendabitur*. Si sapiens est, & prudens, lau- E dibus celebrabitur, ejusque fama florescet; sin autem, contemnetur. Septuaginta [9]: Os sapientis *a quovis commendatur*. Sermones ejus laudantur, verba illius cum laude excipiuntur.

℣. 9. MELIOR EST PAUPER, & SUFFICIENS SIBI, QUAM GLORIOSUS, & INDIGENS PANE.] Hebr. [10]: *Homo humili loco natus, & qui servum habet, melior est viro, qui se se jactat, & indiget pane*. Verbo: præstat, minori gloria, & nobilitate nitescere, ac necessaria ad victum habere, quam speciosissimis effulgentem titulis fame interire. Orientales vulgo ajunt, ei, qui servum habet, nihil umquam deesse. Salomon hoc ipsum isthic videtur innuere. Verti quoque potest: præstat in humilitate, atque tenebris latere, & agellum suum per se met colere [11], quam deficere iis, quæ ad victum sunt necessaria, propter ambitiosam vanitatem laborem recusandi. Non labor, sed inertia probro esse debet.

℣. 10. NOVIT JUSTUS JUMENTORUM SUORUM ANIMAS.] Parcit illis, eorum miseretur, eaque recreare studet, cum ægra sunt. S. Patriarcha Jacob dicebat Esau fratri suo [12], se illum sequi non posse; verebatur enim, ne si præpropero gradu jumenta sua incedere coegisset, omnia simul interirent. Hæc æquitatis est regula, digna, cui animum illi advertant, qui sunt aliis præpositi [13]: Nulla Deo cura brutorum est: *Numquid de bobus cura est Deo?* ait S. Paulus 1. Cor. 9. 9. non præteriit tamen, quin in lege sua [14] in eorum gratiam, & requiem quædam edicta institueret, ut homines a crudelitate erga sibi similes penitus averteret. Vetat Genes. 9. 5. 9. 10. animantium cruorem effundi, ne quis assuescat humano sanguini effundendo: præcipitque, ut brutis requies concedatur, ne servi, captivique immodicis laboribus obruantur.

Salomon nomen *justi* hoc in loco usurpat pro miti, clementi, indulgenti, misericordi [15]. Dicitur in Psalmis [16] servare Deus & bruta, & homines, infinitæ misericordiæ suæ effectu. Semper notatum est, eos, qui in animantia crudeles fuere, sævos etiam in homines fuisse; & Areopagi Judices adolescentem quemdam damnasse dicuntur eo, quod per jocum avicula oculos eruisset, hinc rati, ipsum crudelitate sua exitio futurum. Videri potest S. Johannes Chrysostomus [17] in hunc locum. Nonnulli *jumentorum* nomine mancipia intellexere, vel eos qui magis rudes sunt, ignari, indociles; at litterali, quam primum tradidimus, explicationi est adhærendum. Quoad hanc locutionem, *novit justus jumentorum suorum animas*, nomine animæ, vel vitam, vel ipsum animal, vel ejus appetitus, necessitates, sensus intellige. Moyses dicebat ad Judæos Exod. 23. 9. *Peregrino molestus non eris, scitis enim advenarum animas; quia & ipsi fuistis peregrini in terra Ægypti*. En autem quid sit, animas cognoscere. Antiqui venerationis, & grati animi specie quadam domestica prosequebantur animantia, qua, ne eadem enecarent, prohibebantur. Neque minor censebatur culpa, bovem, quam civem, interemisse. *Bos laboriosissimus hominis socius in agricultura, cujus tanta fuit apud antiquos veneratio, ut tam capitale esset bovem necasse, quam civem*; ait Columella de re Rust. l. 6. c. 1.

℣. 11. QUI AUTEM SECTATUR OTIUM, STULTISSIMUS EST.] Re quidem vera otium quoddam est dementiæ argumentum. Sapiens utiliter semper occupatus est, ac de eo dici potest, quod Romanus quidam olim de se dictitabat, se non minus umquam otiari, ac solum esse, quam cum otiosus, & solus videbatur; tunc enim mens exterioribus expedita negotiis liberior erat, ut interius seriis cogitationibus, utilibusque consiliis vacaret. Hebr. [18] *qui ignavos homines*, vanos, inutiles, vecordes, *quærit, caret corde, atque prudentia*; Societas hominum hujus generis semper est periculosa; eo-

1 Οὐ κατορθώσει ἄνθρωπος ἐξ ἀνόμου. Aquil. Sym. Οὐκ ἑτοιμασθήσεται ἄνθρωπος ἐν ἀσεβείᾳ. Ut Vulg.
2 אשת חיל עטרת בעלה וכרקב בעצמותיו מבישה
3 Vide Prov. 31. 10. אשת חיל מי ימצא Et 31. 29.
4 Prov. 10. 5. בן מביש 17. 2. 19. 26. 29. 15.
5 Prov. 31. 10. 11.
6 הפוך רשעים ואינם
7 Οὗ ἐὰν στραφῇ ὁ ἀσεβὴς ἀφανίζεται.
8 לפי שכלו יהלל איש
9 Στόμα συνετοῦ ἐγκωμιάζεται ὑπὸ ἀνδρός.
10 טוב נקלה ועבד לו ממתכבד וחסר לחם
11 Ita Sym. Ἄτιμος καὶ δουλεύων ἑαυτῷ. *Inglorius & sibi serviens*.
12 Genes. 33. 13.
13 Vide Reg. S. Bened. cap. 64.
14 Levit. 22. 28. Exod. 22. 5. 12. Deut. 23. 6. 25. 4.
15 Vide Psal. 36. 21. 25. Psalm. 111. 4. 9.
16 Psal. 35. 7. *Homines & jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam*.
17 Chrysost. in Ep. ad Rom. homil. 29. & in Catena hic.
18 מרדף ריקים חסר לב 70. Οἱ διώκοντες ματαίως ἐνδεεῖς φρενῶν. Sym. Ὁ ἐπισπεύδων εἰς ἀργίαν. Qui festinat ad otium. Aquil. Th. Εἰς κενά, ad inania.

sa; eorum fœdus optamus, qui nobis similes sunt. Sapiens vir non adhærebit umquam ignavo; neque iners diligentis, sapientisque viri consuetudinem quæret.

QUI SUAVIS EST IN VINI DEMORATIONIBUS &c.[1].] Qui vini amatores sunt, arcem suam hostibus expositam relinquunt. Locus hic neque in Hebraico textu, neque in recenti S. Hieronymi Editione invenitur; at ex Septuaginta depromptus est. S. Ambrosius de Elia & Jejun. c. 16. *Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentivum insaniæ, ebrietas venenum sapientiæ.*

℣. 12. DESIDERIUM IMPII MUNIMENTUM EST PESSIMORUM.] Desiderium impii innititur vi pessimorum; Vel *pessimi innituntur*, communiunt se, *desideriis impii*: confidunt se a similibus suis approbatum iri, atque defensum. Exemplaria quædam Latina[2] legunt: *Monumentum*, vel *monimentum pessimorum*. At error est. Hebræus[3]: *Impius desiderat arcem impii*. Optat a similibus suis communiri, & confirmari. Septuaginta[4]: *Desideria impiorum sunt mala*. Chaldæus: *impius desiderat laqueos impii*. Oblectatur impius, aliis sibi similibus insidias struens: *at radix justorum subsistet*: At filii Justorum, eorum bona permanebunt. Postremus hic sensus mihi arridet; feliciter enim servat inter utrumque hujus sententiæ membrum antithesim. Impii semet ultro citroque delent; sed justi mittent radices, atque subsistent.

℣. 13. PROPTER PECCATA LABIORUM RUINA PROXIMAT MALO.] Irretitur laqueis verborum, quæ inconsulto, atque imprudenter effutit. Hebr.[5] *impius invenit laqueum in prævaricatione verborum suorum*. Nebulones, mendaces, sycophantæ nullam reperiunt fidem, & passim ludibrio sunt illis, quos in errorem impellere cupiebant; dum ii, qui recta pergunt, levi negotio quodvis periculum effugiunt.

℣. 16. FATUUS STATIM INDICAT IRAM SUAM.] Hebr.[6] *detegit iram suam die eadem: at qui illatam dissimulat injuriam, callidus est*. Salomon nequaquam probat illos, qui simultates alunt, & iram obtegunt, donec invenerint sui ulciscendi occasionem; neque enim iniquum adeo, & nefarium facinus commendaret: at eos potius vituperat, qui vires non habent affectuum suorum motus inhibendi, & qui eos statim erumpere sinunt. Qui exardescentis iræ primum cohibent impetum, facilius eamdem penitus extinguunt, neque se indomiti crudelisque affectus furore abripi sinunt. *Non minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, quam omnino non irasci*, ait S. Ambrosius in Luc. c. 6. *cum plerumque illud lentius, hoc fortius æstimetur.*

℣. 17. QUI, QUOD NOVIT, LOQUITUR, INDEX[7] JUSTITIÆ EST.] Hebr.[8]: *Qui pronuntiat veritatem, annuntiat justitiam*. Nescio quid deprehenditur, quod persuadet, cum rectus, & sincerus homo loquitur. Veritas semet semper quibusdam vestigiis, quæ ipsius propria sunt, manifestat; dum mendax, licet summa cum diligentia mentiri studeat, aliqua tamen ratione se prodit: *Qui mentitur, testis est fraudulentus*. Hebr.[9] *& fallax testis dolum annuntiat.*

℣. 18. EST, QUI PROMITTIT, & QUASI GLADIO PUNGITUR CONSCIENTIÆ.] Qui aliquid nomini suo, vel justitiæ oppositum promittit; vix promisit, cum conscientiæ suæ stimulis redarguitur. Hujus rei Herodes exemplum fuit Matth. 14. 8. 9. cum enim levissime Herodiadi se, quidlibet proposcisset, daturum esset pollicitus, statim pœnituit illum, cum Johannis Baptistæ caput efflagitari intellexit. Hebræus[10]: *Sunt, qui proferunt velut ictus gladii*; quorum verba sunt veluti pugiones, lethalia vulnera inferentes. Hi sunt maledici, qui virus calumniarum suarum effundunt, homines nequam, & sine religione, qui nequitiæ, atque odii in res sacras præcepta in eorum animis serunt, qui accedunt ad illos; impii, & nefarii, qui se flagitiis ingurgitant, lustris confecti, & quorum verba scandalum, & mortem afferunt. S. Paulus[11] in sensu penitus contrario dicebat, de verbo Dei loquens, illud ancipiti gladio simillimum esse, & illi nihil resistere posse. Theodotion reddit[12]: *Sunt qui confidunt in cuspide gladii sui.*

℣. 19. LABIUM VERITATIS FIRMUM ERIT IN PERPETUUM; QUI AUTEM TESTIS EST REPENTINUS, CONCINNAT LINGUAM MENDACII.] Veritas inconsulto loquitur, sine fuco, sine studio; non enim mentiri, & errare timet; at mendax sedulo attendit, studet, cavet, ne aliquid afferat, quod mendaciorum suorum systemati adversetur. Hebræus[13]: *labium veritatis semper constans erit: et labium mendacii est pro uno tantum momento*. Nulla fiducia haberi debet in mendaciis, hæc singulis momentis immutantur, sexcentisque modis deteguntur. At veritas eadem est semper. Septuaginta[14]: *Labia veridica justum reddunt testimonium; sed testis subitus habet linguam injustam.*

℣. 20. DOLUS IN CORDE COGITANTIUM MALA: QUI AUTEM PACIS INEUNT CONSILIA, SEQUETUR EOS GAUDIUM.] Ut servetur antithesis, quæ esse debet inter utrumque hujus versiculi membrum, vox *dolus* in priori membro intelligenda est de sollicitudine, & animi dolore, qui dolum, & mendacium subsequuntur, ne detegantur; & de infamia, atque tristitia, quæ ea consequuntur, cum detecta fuere, veluti opposita *paci*, gaudio, tranquillitati, qua simplices corde, atque sincero amore veritatem diligentes fruuntur.

℣. 21. NON CONTRISTABIT JUSTUM, QUIDQUID EI ACCIDERIT.] Unum tantummodo in terris est, quod justum possit affligere, peccatum scilicet; quo etiam non adeo affligitur, quemadmodum illi, quibus nulla spes est, & qui immodice tristitia conficiuntur. Dolet quidem, quod perfregerit voluntatem Dei, veluti Legem, ac omnis æquitatis fontem; at hanc eamdem voluntatem, veluti eorum omnium, quæ accidunt, causam considerans, solatur. In hoc sensu eum adorat, illi se se submittit, se humiliat, deflet peccatum suum, dulci suffultus spe veniæ consequendæ a Deo infinite clementi. Omnia hujus vitæ mala, corporis ægritudines, animi dolores eum quidem affligere possunt, abjicere non possunt[15]. Hebræus[16]: *non continget justo iniquitas ulla*, vel ulla calamitas; *at viri nequam malis obruentur*. Si quod justo infortunium acciderit, Deus muniet illum gratia sua, vel inde eruet sua omnipotentia; consolabitur illum misericordia, & æterna felicitate remunerabitur; at si quid tale impio evenerit, malis suis obruetur; iis cedet, neque ex illis umquam emerget. Septuaginta[17]: *Justus injustum nihil approbabit; at impii malis saturabuntur.*

℣. 22. QUI FIDELITER AGUNT.] Hebræus[18]: Qui faciunt veritatem, qui corde, ac ore proferunt veritatem, Deo sunt accepti.

℣. 23. HOMO VERSUTUS CELAT SCIENTIAM, & COR INSIPIENTIUM PROVOCAT STULTITIAM.] Similem jam vidimus sententiam supra cap. 10. 14. Sapiens caute loquitur, at insipiens se se prodere festinat, & velit, nolit, statim suam aperit stultitiam. Non enim demen-

---

1 Edit. Sixt. V. *In vini morationibus*. Beda, & Lyr. *In vini moderationibus*. 70. Ἐν οἴνοις διατρίβοντες.
2 Ita Edit. Sixt. V. & Antuerp. Phil. 2. Ita & Beda, & pleræque antiq. Editiones.
3 חמד רשע מצוד רעים ושרש צדיקים יתן
4 Ἐπιθυμίαι ἀσεβῶν κακαί, αἱ δὲ ῥίζαι τῶν ἀσεβῶν ἐν ὀχυρώμασι.
5 בפשע שפתים מוקש רע
6 אויל ביום יודע כעסו וכסה קלון ערום
7 Complut. Sixt. V. Hugo, & alii libri non pauci: *Judex*: male.
8 יפיח אמונה יגיד צדק
9 ועד שקרים מרמה
10 יש בוטה כמדקרות חרב
11 Hebr. 4. 12. *Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus.*
12 Theod. Εἰσὶ πεποιθότες εἰς κεντήματα μαχαίρας. Legit בטח pro בטה
13 שפת אמת תכון לעד ועד ארגיעה לשון שקר
14 Χείλη ἀληθινὰ κατορθοῖ μαρτυρίαν, μάρτυς δὲ ταχὺς γλῶσσαν ἔχει ἄδικον.
15 Vide Chrysost. homil. 1. in 2. Cor. & Opusc. *Quod nemo læditur nisi a seipso.*
16 לא יאנה לצדיק כל און ורשעים מלאו רע
17 Οὐκ ἀρέσει τῷ δικαίῳ οὐδὲν ἄδικον, οἱ δὲ ἀσεβεῖς πλησθήσονται κακῶν.
18 עשי אמונה Οἱ ποιοῦντες πίστεις.

dementiæ minimum est argumentum, ipsa inanes effutiendi nugas festinatio. Salomon sapientem, sæpe versutum, vel callidum vocat. Calliditas in utramque partem accipitur.

℣. 24. MANUS FORTIUM DOMINABITUR.] Fortitudo, virtus, militaris labor ad gloriam, atque imperium deducunt. Vide supra cap. 10. 4. similem loquendi rationem. Aliter: Dives auctoritatem acquiret, & dominabitur in populo suo. Fortitudo sæpius opes significat.

℣. 25. MOEROR IN CORDE VIRI HUMILIABIT ILLUM.] Tristitia quidem hominem abjicit, affligit: at ad eum consolandum nihil potentius est, sapientis, & eloquentis viri sermone. Vel omnino simpliciter: Mœror hominem prostrat, at felix nuntium eum recreat, eique voluptatem impertit. Hebræus [1]: *afflictio in corde viri affligit cor* &c. Septuaginta [2]: *Triste nuntium conturbat cor, faustum vero illud exhilarat*; quæ versio B maxime omnium commoda est.

℣. 26. QUI NEGLIGIT DAMNUM PROPTER AMICUM, JUSTUS EST: ITER AUTEM IMPIORUM DECIPIET EOS.] Vir justus, amicus optimus, verus sapiens libenter negotia sua, studia, voluptatesque pro amico suo negligit; non ita vero nefarii homines, improbique amici: hi amicos suos decipiunt, & in necessitatibus eorum derelinquunt. Nulla vera, nulla solida est amicitia, nisi religioni, atque justitiæ innitatur. *Hoc primum sentio, nisi in bonis, amicitiam esse non posse*, ajebat Cicero de Amicit. Hebræus [3]: *Justus plura habebit bona, quam amicus suus*, quam proximus suus: *sed via impiorum fallet ipsos*. Impii deci- C pientur in viis suis; injusti illorum conatus nequa- A quam ex sententia procedent; sed tabescent dolore, videntes, justorum consilia felicius, quam sua ad optatum finem perduci. Verti quoque potest: *justus, melius quam amicus ejus ex periculo emerget, & impios ipsorum viæ fallent*. Septuaginta [4]: *Justus prudens semet amabit, sed viæ impiorum illos decipient*. Justus vera sibi bona comparabit: at impii in viis suis decipientur.

℣. 27. NON INVENIET FRAUDULENTUS LUCRUM: & SUBSTANTIA HOMINIS ERIT AURI PRETIUM.] Versiculus hic quædam esse videtur superioris repetitio: ibi dictum est, justum locupletem factum iri, dum impius in viis suis falletur; hic autem dicitur, improbus, inanis, egenusque futurus, dum interim justus aurum possidebit. Hebræus [5] huic admodum favet explicationi: *Dolosus non assabit venaticam prædam suam; & divitiæ hominis* justi *est aurum pretiosissimum*. Impius nequicquam curret post prædam suam; errabit, & nihilum capiet; at justus solidas opes possidebit. Septuaginta [6]: *Deceptor non capiet prædam; homo purus est locuples thesaurus*.

℣. 28. ITER AUTEM DEVIUM DUCIT AD MORTEM.] Iter justitiæ, & veritati oppositum ad interitum, ac mortem deducit. Hebr. [7] *Semita justitiæ ducit ad vitam*; altera *via est, cujus semitæ ducunt ad mortem*. Hæc autem altera via est injustitia, & mendacium. Septuaginta [8]: *Vita invenitur in viis justitiæ: at semitæ ultorum ducit ad mortem*. Chaldæus: *Vita reperitur in via justi, & iter patrum nostrorum ad mortem nos ducit*. Alii Hebræum textum ita reddunt: Via justitiæ ducit ad vitam; semita illius non ducit ad mortem. Hoc idem est bis repetitum.

1 דאגה בלב איש ישחנה 2 Φοβερὸς λόγος καρδίαν ταράσσει ἀνδρός, Ἀγγελία δὲ ἀγαθὴ εὐφραίνει αὐτόν.
3 יתר מרעהו צדיק ודרך רשעים תתעם Aquil. Περισσεύων τὸν πλησίον αὐτοῦ δίκαιος.
4 Ἐπιγνώμων δίκαιος ἑαυτοῦ φίλος ἔσται, ἡ δὲ ὁδὸς τῶν ἀσεβῶν πλανήσει αὐτούς.
5 לא יחרך רמיה צידו והון אדם יקר חרוץ 6 Οὐκ ἐπιτεύξεται δόλιος θήρας, κτῆμα δὲ τίμιον ἀνὴρ καθαρός.
7 בארח צדקה חיים ודרך נתיבה אל מות
8 Ἐν ὁδοῖς δικαιοσύνης ζωή, ὁδοὶ μνησικάκων εἰς θάνατον.

CAPUT XIII.

Variæ morum sententiæ. De filio sapiente. De oris custodia. De paupere locupleti, ac divite egeno. De bonis celeriter nimium acquisitis, Ignavorum vota. Dilatæ spes. Filii castigandi &c.

1. FIlius sapiens, doctrina patris: qui autem illusor est, non audit, cum arguitur.
2 De fructu oris sui homo satiabitur bonis: anima autem prævaricatorum iniqua.
3 Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.
4 Vult, & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.
5 Verbum mendax justus detestabitur: impius autem confundit, & confundetur.
6 Justitia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorum supplantat.
7 Est quasi dives, cum nihil habeat, & est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.
8 Redemptio animæ viri, divitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet.
9 Lux justorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur.
10 Inter superbos semper jurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.
11 Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.
12 Spes, quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ desiderium veniens.
13 Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat: qui autem timet præceptum, in pace versabitur. Animæ dolosæ errant in peccatis: justi autem misericordes sunt, & miserantur.
14 Lex sapientis fons vitæ, ut declinet a ruina mortis.
15 Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum vorago.
16 Astutus omnia agit cum consi-

consilio : qui autem fatuus est, aperit stultitiam. 17 Nuntius impii cadet in ma-
lum : legatus autem fidelis, sanitas. 18 Egestas, & ignominia ei, qui deserit
disciplinam : qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. 19 Desiderium si com-
pleatur, delectat animam : detestantur stulti eos, qui fugiunt mala. 20 Qui cum
sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur. 21 Pecca-
tores persequitur malum : & justis retribuentur bona. 22 Bonus relinquit hære-
des filios, & nepotes : & custoditur justo substantia peccatoris. 23 Multi cibi
in novalibus patrum : & aliis congregantur absque judicio. 24 Qui parcit virgæ,
odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit. 25 Justus comedit,
& replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.

℣. 1. FILIUS SAPIENS, DOCTRINA PATRIS: QUI AUTEM ILLUSOR EST, NON AUDIT, CUM ARGUITUR.] Filius sapiens attendit ad præcepta patris; &c. Sensus hic a pluribus Interpretibus probatur [1], qui putant, Salomonem isthic distinguere filium optime institutum, ac sapientem a filio inobediente, flagitioso, illusore, eo quod primus docilis est, alter vero tradita documenta contemnit. Submissio, ac docile adolescentis ingenium sunt simul, & causa, & argumentum sapientiæ. Audit patrem suum; intelligit enim, sibi ab ipso nonnisi optima præberi posse præcepta: & licet ætate provectus, fructum semper gestit percipere ex consiliis, & monitis patris sui prudentis, & vigilantis. Alius Vulgatæ sensus, nequaquam minus solidus, potest appingi. *Filius sapiens est documentum patri suo* [2]; patri quoque suo documenta tribuit exemplo. Patrem pudet, si filio suo minus sapiens sit, ac non ita recte institutus. Quot patres ad Deum, atque virtutem adducti fuere filiorum suorum monitis, atque exemplis? Non ideo tamen explicationem hanc malim amplecti; en aliam, quæ magis congrua videtur: *Filius sapiens*, argumentum est, indicium, fructus *sapientiæ patris sui*, optimorumque præceptorum ejus; at *filius* insipiens, *& illusor non audivit præcepta patris sui*. Suæ vitæ ratione ostendit, se parum profecisse ex præceptis, quæ accepit. Septuaginta [3]: *Filius callidus*, vel sapiens, *est obediens patri suo; at filius inobediens peribit*.

℣. 2. DE FRUCTU ORIS SUI HOMO SATIABITUR BONIS: ANIMA AUTEM PRÆVARICATORUM INIQUA.] Fructus oris sunt verba: homo saturatur fructu oris sui, cum pœnis, vel præmiis afficitur, prout verba ejus bona, vel mala sunt. Si vir sapiens, & justus est, si prudens, cautus, & fidelis, laudibus decorabitur, ac omnium hominum existimationem merebitur; sin autem insipiens, imprudens, fallax, omnes illum contemnent, & perhorrescent. Hebr. [4]: *Quilibet comedet bonum fructum oris sui; anima prævaricatorum* comedet fructum *nequitiæ suæ*, iniquitatis, impotentiæ suæ. Septuaginta [5]: *Justus comedet fructum justitiæ suæ: sed impiorum animæ ante tempus peribunt*. Vide supra cap. 12. ℣. 13. 14.

℣. 3. QUI AUTEM INCONSIDERATUS EST AD LOQUENDUM, SENTIET MALA.] Præceps ad plurima effutienda festinatio plurimorum peccatorum est origo: *In multiloquio non deerit peccatum*, ut ait Salomon supra c. 10. 19. Rarus est, quem tacuisse pœniteat; at plurimos pœnitet, quod nimium fuerint obloquuti. Hebræus [6]: *Qui aperit labia sua, interiit*, vel periculum interitus subit. *Aperire labia* sine addito significare potest loqui inconsiderate, quin sermonum vis perpendatur. Dicitur exempli gratia [7] Jephte aperuisse os suum Domino, hoc est temere votum fecisse.

℣. 4. VULT, & NON VULT PIGER; ANIMA AUTEM OPERANTIUM IMPINGUABITUR.] Piger nequaquam constans est in consiliis suis, neque patiens in inceptis suis. Vellet aliquid agere; sed laborem timet; incipit, sed statim cessat. Fugit pauperiem atque ignominiam; at laborem magis adhuc refugit: itaque vult, & non vult, eo quod imperfecte vult. E contra vir laboribus deditus pinguescit, atque ditescit: in labore suo voluptatem, ac fructum invenit, amat illum, avideque complectitur. Hebræus [8] longe ab hoc sensu distat: *anima pigri cupit, & non habet; at anima diligentum* operantium, laborantium *impinguabitur*. Piger impotentibus desideriis repletus est: bona cupit, neque habet illa, quod ad bona lucranda nequit impelli. At qui serio adlaborant, ditescunt. Septuaginta [9]: *Omnis piger est in desideriis; at cordatorum manus attentæ sunt*, ac labori deditæ. Salomon infra c. 21. 25. ait: *Desideria occidunt pigrum*. Locus hic iis quadrat, qui differunt pœnitentiam, qui volunt, & non volunt e vitiis emergere, ac virtutem exercere. Vide Eccli. 5. 8.

℣. 5. VERBUM MENDAX JUSTUS DETESTABITUR: IMPIUS AUTEM CONFUNDIT, & CONFUNDETUR.] Mendax sibi, ac suis ignominiæ est. Eos probro lacessit, cujus nomen calumniis adspergit: at ipse quoque ignominia suffunditur, cum mendacia sua deteguntur. Hebræus ad litteram [10]: *Justus odit verbum mendacii, & impius male olere facit, & ignominia suffunditur*. Conatur aliis odium conflare contumeliis suis, atque in aliorum vivendi rationem invehi; at quam primum a bonis omnibus invisus, contemnitur. Septuaginta [11]: *Justus odit sermones injustos: impius ignominia adspergitur, neque facultatem habebit* loquendi, vel prodeundi. Alii hæc omnia ad impium referunt: *Male olet, ac se ipse ignominia suffundit*. Se omnibus invisum, & contemptibilem præbet. S. Chrysostomus hom. 3. ad pop. maledicos viros suillo pecori comparat, quod in fœtentibus volutatur sordibus, atque ubique pravum putorem effundit; quod non abludit a Salomonis sententia, qui ait pravas linguas efficere, ut *male oleat*. Antiquus auctor quidam ajebat [12], mendaces mendaciis suis hoc consequi, ut, ne cum vera quidem proferunt, iis fides habeatur.

℣. 6. JUSTITIA CUSTODIT INNOCENTIS VIAM: IMPIETAS AUTEM PECCATORUM SUPPLANTAT.] Innocens, justus innocentia sua, veluti custodia tuta protegitur; at impietas est veluti laqueus impii pedibus subtensus: capietur in laqueis, quos aliis tetenderit. Sententia hæc centies in Scriptura repetitur; ac sexcentis Historiarum exemplis comprobatur. Hebr. [13] *Justitia illum tutatur, cujus via perfecta est, impietas autem*

1 Pagn. Munst. Mercer. Jun. Mont. alii. 2 Ita fere Beda.
3 Υἱὸς πανοῦργος ὑπήκοος πατρί, υἱὸς δὲ ἀνήκοος ἐν ἀπωλείᾳ. Aquil. Symmach. Th. Υἱὸς σοφός.
4 מפרי פי איש יאכל טוב ונפש בגדים חמס 5 70. Ἀπὸ καρπῶν δικαιοσύνης φάγεται ἀγαθὸς, ψυχαὶ δὲ παρανόμων ὀλοῦνται ἄωροι. 6 פשק שפתיו מחתה לו 7 Judic. 11. 35. *Aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.* 8 מתאוה ואין נפשו עצל ונפש חרצים תדשן
9 Ἐν ἐπιθυμίαις ἐστὶ πᾶς ἀεργός, χεῖρες δὲ ἀνδρείων ἐν ἐπιμελείᾳ. Sym. Ἐπιθυμεῖ, καὶ οὐ θέλει ὀκνηρός. *Piger desiderat & non vult.* Aliquid optat, & non vult agere quod oportet ad illud acquirendum.
10 ורשע יבאיש ויחפיר 11 Λόγον ἄδικον μισεῖ δίκαιος, ἀσεβὴς δὲ αἰσχύνεται, καὶ οὐχ ἕξει παρρησίαν.
12 Aristot. apud Laert. in Aristot. lib. 5. 13 צדקה תצר תם דרך ורשעה תסלף חטאת

autem peccatorem subvertet. Eum de gradu dejiciet, præcipitem dabit. Septuaginta [1]: *Justitia protegit bonos; at peccatum depravat impios*. Symmachus [2]: At injustitia allicit peccatum.

℣. 7. EST QUASI DIVES, CUM NIHIL HABEAT; & EST QUASI PAUPER, CUM IN MULTIS DIVITIIS SIT.] Talis erat S. Paulus, qui de se ipso ajebat 2. Cor. 6. 10. *sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes*. Et 1. Cor. 7. 30. fideles viros hortatur, ut hoc mundo utantur, tamquam non uterentur &c. Hoc admirabile quidem est in sensu spirituali, sed littera simplicius aliquid postulare videtur. Non desunt, qui divites sunt in paupertate sua, quod sua sorte contenti nihil ulterius exoptant, atque liberaliter iis, quæ habent, utuntur; & alii sunt, qui inter affluentes opes re ipsa egent, propter insatiabilem cupiditatem, profusissimam luxuriam, imprudentem œconomiam; vel propter suam sordidissimam avaritiam. Vel: non desunt, qui propter ambitionem divites videri volunt, cum egeni sint, & alii, qui se pauperes ostentant, haberique inopes volunt, licet opibus diffluant [3]. Demum divites sunt, qui coram Deo sunt pauperrimi, & pauperes, qui cœlestibus donis sunt locupletissimi: exempli gratia Lazarus jacens ad fores divitis, in ipsa egestate ditior erat illo, qui ei micas de mensa sua tribuere dedignabatur. *Semper avarus eget*.

℣. 8. REDEMPTIO ANIMÆ VIRI, DIVITIÆ SUÆ: QUI AUTEM PAUPER EST, INCREPATIONEM NON SUSTINET.] Divites in divitiis suis præsidium, ac vires inveniunt adversus illos, a quibus læduntur: atque opibus suis facile ab aliorum vi, atque persecutionibus se se tutantur. At pauper nihil habet, quo se tueri queat adversus impiorum minas, atque conatus [4]. Hebræus [5]: *Divitiæ hominis redemptio vitæ illius: at pauper non audit minas*. Si dives habet bona, non desunt invidi, neque fures, qui vitæ illius insidientur; nisi eam aurum largiens redimat: pauper vero nihil tale veretur, non invidos, non fures metuit, neque ullus umquam districto pugione illius imminens jugulo sacculum poscet [6]. Aliter: Si dives bonorum suorum ope ab contumeliis, atque vexationibus se se tuetur: pauper etiam eodem ferme bono fruitur ex conditionis suæ privilegio, quæ gravibus revolutionibus haud est obnoxia [7].

℣. 9. LEX JUSTORUM LÆTIFICAT: LUCERNA AUTEM IMPIORUM EXTINGUETUR.] Prosperitas justorum gaudium adfert intuentibus illam. Nemo illis eam invidet felicitatem, qua dignos esse innotescit: sed *lucerna*, gloria, felicitas impiorum extinguetur, atque peribit, quin eorum calamitatis, atque infortunii, ne unus quidem misereatur. Intelligi quoque potest de utrorumque posteritate. Filii Justorum omnibus gaudio sunt; sine invidia eos florentes intuemur, pro illorum felicitate vota nuncupamus: at lucerna, posteritas impiorum delebitur, exterminabitur. Hebræus verti potest [8]: *Lux Justorum lætatur, & lucerna impiorum extinguetur*. Septuaginta [9]: *lux justorum in sempiternum permanet, lux vero impiorum extinguitur*.

℣. 10. INTER SUPERBOS SEMPER JURGIA SUNT: QUI AUTEM AGUNT CUM CONSILIO, REGUNTUR SAPIENTIA.] Sensus hic nulla præpeditus est difficultate. En Hebræum [10]: *Ambitio parit jurgia, sed sapientia est cum illis, qui cum consilio operantur*. Ambitio mater est discordiæ, litium, sectarum, hæresum. *Diversis sunt locis sectæ diversæ*, ait S. Augustinus [11], *sed una mater superbia omnes genuit*. Septuaginta [12]: *Impius malum operatur cum contumelia: at qui illum agnoscunt, sapientes sunt*. Vel: *qui illi parcunt, sunt sapientes*.

℣. 11. SUBSTANTIA FESTINATA MINUETUR: QUÆ AUTEM PAULATIM COLLIGITUR MANU, MULTIPLICABITUR.] Via nimis expedita celeriter opes augendi numquam suspicione vacavit. Homo justus numquam repente fit dives, ait Menander. Quomodonam vir bonus esse potes, ajebat Romanus quidam Syllæ [13], cum adeo affluas opibus, & nihil a patre hæreditario jure obtinueris. Salomon infra c. 20. 21. hoc ipsum repetit: *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit*. Bonum, quod facile adeo comparatur, non multum proderit. Consuetæ, ac legitimæ bonum adipiscendi viæ longæ sunt, ac difficiles. Hebræus [14]: *Bonum vanitate* acquisitum, fraude, dolo, peccato, *imminuetur*, dissipabitur, peribit; *& qui congregat manu*, labore, industria [15] *multiplicabitur*. Verbo, bona male parta, male dilabuntur. Septuaginta scite quidem hunc sensum reddunt [16], non ita vero omnia versiculi verba vertunt: *Festinatæ divitiæ, & per injustitiam quæsitæ, imminuentur; sed qui colligit cum pietate, semper magis replebitur*.

℣. 12. SPES, QUÆ DIFFERTUR, AFFLIGIT ANIMAM; LIGNUM VITÆ DESIDERIUM VENIENS.] Nihil magis affligit, quam cunctatio rei, quæ ardenter concupiscitur, & summa sollicitudine expectatur; cum vero illud, quod optatum fuit, tandem consequimur, quodammodo reviviscimus. Si quid amico tuo promisisti, ne diutius promissa differ; ne facias, ipsum emere beneficium ita ut non credat, te invitum benefacere. *Qui cito dat, bis dat*. Quidnam in terris diuturnius est? Vetus auctor ajebat: spes. Æternæ felicitatis dumtaxat spes consolatur, gaudiumque adfert, quoniam sunt bona, tum diuturnitate, cum magnitudine, infinita. Deus eorum fruitionem, eo dumtaxat consilio differt, ut ea ardentius desideremus, atque ideo ea mereamur; quandoquidem magis minusve iisdem fruemur, quo major, minorve votorum nostrorum ardor fuerit, atque extensio [17]. Septuaginta [18]: *Justus est misericors, & commodat proximo suo; nam bonum desiderium est veluti arbos vitæ*. Editio Romana aliquid addit: *Justus miseretur, & commodat. Qui incipit auxilium præbere corde recto, præstat illi, qui pollicetur, & differt spem; nam bonum desiderium est arbos vitæ*.

℣. 13. QUI DETRAHIT ALICUI REI, IPSE SE IN FUTURUM OBLIGAT: QUI AUTEM TIMET PRÆCEPTUM, IN PACE VERSABITUR.] Quicumque alicui labem adsperserit, tenetur probare, quod asserit, vel palinodiam canere, & mendacem haberi; at qui fidelis Domino adhæserit, permanebit in pace. Hebræus [19]: *Qui contemnit verbum, obligatus est*, vinctus, debitor, *verbo: & qui timet præceptum, remunerationem percipiet*. Si contempseris præcepta, & verba Domini, hæc verba judicabunt, atque damnabunt te; sin autem metueris, & colueris illa, præmium percipies, vel *pace frueris*; Hebræus enim utrumque potest significare. Septuaginta [20]: *Qui contemnit aliquid, vicissim con-*

1 Δικαιοσύνη φυλάσσει ἀκάκους, τοὺς δὲ ἀσεβεῖς φαύλους ποιεῖ ἁμαρτία. 2 Ἀδικία δὲ ἐπισπᾶται ἁμαρτίαν.
3 Ita Chald. 70. Syr. Arab. August. serm. 212. De tempore. Pagn. Grot. Jun. Vatab. alii passim.
4 Bossuet. Geier. Menoc. 5 כפר נפש איש עשרו ורש לא שמע גערה
6 Vide Mercer. Chrysost. in Catena hic. Theodoret. orat. 7. de providentia.
7 Vide Bayn. hic. 8 אור צדיקים ישמח ונר רשעים ידעך
9 70. Φῶς δικαίοις διαπαντός, φῶς ἀσεβῶν σβέννυται. 10 רק בזדון יתן מצה ואת נועצים חכמה
11 August. serm. 46. De Pastorib. in cap. 34. Ezech. cap. 8. 12 70. Κακὸς μεθ' ὕβρεως πράσσει κακά, οἱ δὲ ἑαυτῶν ἐπιγνώμονες σοφοί. Theod. Ἐν ὑπερηφανίᾳ δώσει μάχην, καὶ ἐν συμβουλευομένοις σοφία.
13 Plutarch. in Sylla. 14 הון מהבל ימעט וקבץ על יד ירבה 15 Confer. Prov. 10. 4. 12. 24.
16 70. Ὕπαρξις ἐπισπουδαζομένη μετὰ ἀνομίας, ἐλάσσων γίνεται, ὁ δὲ συνάγων ἑαυτῷ μετ' εὐσεβείας, πληθυνθήσεται.
17 August. tract. 4. in Ep. Johan. 18 Δίκαιος οἰκτείρει καὶ κιχρᾷ, δένδρον γὰρ ζωῆς, ἐπιθυμία ἀγαθή.
19 בז לדבר יחבל לו וירא מצוה הוא ישלם 20 Ὃς καταφρονεῖ πράγματος, καταφρονηθήσεται ὑπ' αὐτοῦ, ὁ δὲ φοβούμενος ἐντολήν, οὗτος ὑγιαίνει.

sim contemnetur ; & qui timet præceptum , est sanus mente. Negotia non cedent illis e voto, qui negligenter, & oscitanter ea peragunt : nihil contemnendum est ex iis, quæ nostra sunt.

ANIMÆ DOLOSÆ ERRANT IN PECCATIS &c.] Verba hæc jam vidimus in Græco textu ℣. 12. & deprompta videntur ex Psalmis 36. 26. & 3. 5. In Hebræo textu, Chaldæo, pluribusque Latinis Editionibus, Græcisque nonnullis Exemplaribus non leguntur. In iis vero tum ex Græcis, tum ex Latinis, ubi hæc verba leguntur, sunt post ℣℣. 9. & 12. En Græcum hujus loci textum [1] ; *Filius dolosus nullum habebit bonum ; at famulus sapiens inceptorum suorum felici eventu lætabitur, ac viæ illius rectæ erunt*, vel erit felix ; Quod invenitur infra cap. 14. ℣. 15. in Vulgata, non autem in Hebræo textu, vel Græco.

℣. 14 UT DECLINET A RUINA MORTIS.] Hebræus [2] ; *a laqueo mortis*. Septuaginta [3] ; *Stultus capietur, ac interibit in laqueo*.

℣. 15. DOCTRINA BONA DABIT GRATIAM : IN ITINERE CONTEMPTORUM VORAGO.] Hoc in morali sensu verum est. Deus longe effundit gratias suas in eos, qui scientia salutis, ac legis doctrina replentur ; at qui Religionem contemnunt, tandem præcipites ruunt ; cumque Deum dereliquerint, a Deo vicissim derelinquuntur. Intelligi quoque potest in simpliciori sensu : Qui optime eruditi sunt, inveniunt gratiam in oculis hominum, qui e contra disciplinam, ac sapientissima præceptorum suorum monita contempserunt, bonorum virorum contemptui sunt obnoxii, & in interitum ruunt voluntarium. Hebræus [4] : *prudentia*, ingenium facile, *gratiam meretur ; & via prævaricatorum est aspera*, dura, prærupta, inaccessa, rupibus, vepribusque præpedita. Septuaginta [5] : *prudentia gratiam sibi concilias : bonumque ingenium vacat cognitioni Legis ; illusorum viæ tendunt in interitum*. Secunda hujus Textus pars est Glossema a Græcis additum ad priorem explicandam.

℣. 17. NUNTIUS IMPII CADET IN MALUM ; LEGATUS AUTEM FIDELIS, SANITAS.] Qui se impio ministrum præbet, ac illius perfert mandata, iisdem obnoxius erit pœnis, ac impius ipse : odio scilicet, contemptui, horrori bonorum, ac præter cætera Domini ultioni : at *legatus fidelis* est origo sanitatis, & felicitatis & sibi, & illis, quibus famulatur, & illis, ad quos mittitur. Hebræus [6] : *pravus nuntius*, qui perperam, atque infideliter mandata exequitur, *in malum ruet ; at legatus fidelis dat sanitatem*. Primus quidem vapulabit a domino, cujus jussa contemnit, ac prodit negotia ; at fidelis nuntius reddit quodammodo bonam valetudinem illis, ad quos mittitur, & sibi omnem domini sui fidem ; & gratiam comparat. Septuaginta [7] ; *Rex temerarius in calamitatem decidet ; at Sapiens legatus illum inde educet*. Sensus hic scitus equidem est, at non congruit Hebraico textui, quem & hodie habemus, & habebant olim veteres Græci Interpretes [8] ; qui legunt : *Nuntius impius .... & obses fidelis, vel fidelis custos*.

℣. 18. EGRESSUS, & IGNOMINIA EI, QUI DESERIT DISCIPLINAM.] Qui a disciplina recedit, in egestatem, ac ignominiam proruet. Qui renuit se se submittere objurgationibus, atque punitionibus, vir indocilis, atque inobediens, egenus fiet &c. Sensum A hunc plurimi Interpretes amplectuntur [9] : at alii Hebraicum textum reddunt [10], *paupertas, & ignominia subvertunt disciplinam*. Vel : Pauper, & qui ignominia suffusus est, deserunt disciplinam [11]. Re quidem vera non nisi crebro usu venit, illos, qui egestate premuntur, neque honoris ullius curam gerunt, flagitiose vivere, sine institutione, sine religione, sine legum observantia ; ita ut qui infeliciores sunt, sint etiam sæpius nequiores. Septuaginta [12] : *disciplina liberat a paupertate, atque ignominia*. Hoc vetus est adagium [13] : *Ars artifici suo, quocumque pergat, victum parat*.

℣. 19. DESIDERIUM SI COMPLEATUR, DELECTAT ANIMAM : DETESTANTUR STULTI EOS, QUI FUGIUNT MALA.] Sensus hic, absolute sumptus perspicuus B est : at non satis apparet nexus inter utrumque hujus Versiculi membrum. En Hebraicum textum [14] : *desiderium compleatur, lætabitur anima ; horror stultorum est a malo recedere*. Quantum lætamur, cum vota nostra adimplentur, tantum stulti horrent ea, quæ illos a malo deflectunt. Tanto ardore semovere student, quidquid pravam illorum nequitiam perturbat, quanto homines ea quærunt, quæ ardentius exoptant. Aliter : si prava desideria impiis e voto cedunt, mira afficiuntur lætitia ; at nihil æque oderunt, ac illud, quod eos a malo revellit. Septuaginta [15] ab hoc sensu ne latum quidem unguem recedunt : *Desideria impiorum lætitia afficiunt animas eorum ; at eorum opera longe a* C *scientia*, vel sapientia *absunt*.

℣. 20. QUI CUM SAPIENTIBUS GRADITUR, SAPIENS ERIT : AMICUS STULTORUM SIMILIS EFFICIETUR.] Eorum consuetudinem diligimus, qui eosdem sensus, eademque, ac nos, habent studia : *Amicitia similes invenit, aut facit*. Impii numquam penitus impii nascuntur ; at sensim fiunt eorum consuetudine, qui in vitiis oblitescunt. Fuge impios, & nefarios : licet sanctus sis, ipsi te corrumpent ; non tu illos meliores efficies ; sed illi te nequiorem. Hebræus [16] : *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit ; & qui nutrit, pascit stultos, improbus fiet*. Qui cum illis versatur, illorum societatem quærit, qui cum ipsis manducat, & bibit, fiet nequam. Hoc autem omnibus in sæculis satis superque docuit experientia. Septuaginta [17] : *qui cum* D *sapientibus manet, sapientem esse percipiet : qui vero cum stultis comedit, cognoscetur*. Hominum studia ex eorum societate dignoscuntur. Talis eris, quales illi quibuscum degis.

℣. 22. BONUS RELINQUIT HÆREDES FILIOS &c.] Deus benedicit posteritati Justorum, nec permittit, ut hæreditas ejus ad alios migret. Veritas hæc apertius in veteri Testamento deprehendebatur, ubi Deus Hebræorum consulens infirmitati, temporalibus bonis plerumque eorum fidem remunerabatur. Sed in novo Testamento, præsertim de spiritualibus bonis est intelligendum, quæ patres filiis, magistri vero discipulis tradunt, & de felicitate, quam illis recta institutione procurant. In ipsa etiam Lege gratiæ plurima, eaque insignia deprehendimus Divinæ benedictionis E exempla in familiis justorum ; & nihil vulgatius est, quam familiæ peccatoris interitum intueri, & cernere, opes, quas tanta sedulitate, ac injustitia collegerant, ad alios migrare : *Custoditur justo substantia peccatoris*. Profani ipsi hanc veritatem agnovere.

De ma-

1 Υἱῷ δολίῳ οὐδὲν ἔσται ἀγαθόν, οἰκέτῃ δὲ σοφῷ εὔοδοι ἔσονται πράξεις, καὶ κατευθυνθήσεται ἡ ὁδὸς αὐτοῦ. Ita Edit. Rom. & Complut. Ita & MSS. Latini. Vide nov. Edit. Hieron. hic. in Not.

2 לסור ממקשי מות

3 Ὁ δὲ ἄφρων ὑπὸ παγίδος θανεῖται. Sym. Th. Τοῦ ἐκκλῖναι ἀπὸ σκανδάλου θανάτου. *Ad evitandum scandalum ; lapidem offendiculi mortis*.

4 שכל טוב יתן חן ודרך בגדים איתן

5 Σύνεσις ἀγαθὴ δίδωσι χάριν, τὸ δὲ γνῶναι νόμον διανοίας ἐστὶν ἀγαθῆς, ὁδοὶ δὲ καταφρονούντων ἐν ἀπωλείᾳ.

6 מלאך רשע יפל ברע וציר אמונים מרפא

7 Βασιλεὺς θρασὺς ἐμπεσεῖται εἰς κακά, ἄγγελος δὲ πιστὸς ῥύσεται αὐτόν. Legerunt מלך, Melech *Rex*, pro Malach מלאך, *Legatus*.

8 Aq. Sy. Th. Ἄγγελος ἀσεβὴς .... Aqu. Sym. Ὅμηρος πιστὸς ἴασις. Th. φύλαξ πιστὸς ἴασις.

9 Pagn. Vatab. Jun. Geier. &c.

10 ריש וקלון פורע מוסר Ita Sym. Πενία καὶ ἀτιμία διαλύει παιδείαν.

11 Ita Chald. & fere Syr. Mercer.

12 Πενίαν καὶ ἀτιμίαν ἀφαιρεῖται παιδεία.

13 Τὸ τεχνίον πᾶσα γαῖα τρέφει.

14 תאוה נהיה תערב לנפש ותועבת כסילים סור מרע

15 Ἐπιθυμίαι ἀσεβῶν ἡδύνουσι ψυχήν· ἔργα δὲ ἀσεβῶν μακρὰν ἀπὸ γνώσεως.

16 הלך את חכמים יחכם ורעה כסילים ירוע

17 70. Compl. Ὁ συμπορευόμενος σοφοῖς, σοφὸς ἔσται· ὁ δὲ συμπορευόμενος ἄφροσι γνωσθήσεται.

De male quæsitis non gaudet tertius hæres.

℣. 27. MULTI CIBI IN NOVALIBUS PATRUM : & ALIIS CONGREGANTUR ABSQUE JUDICIO.] Qui colit agrum sibi a patribus suis relictum, ibi affluenter inveniet, unde alatur; verum si absque judicio, atque attentione egerit, fructus, quos inde percipiet, erunt pro aliis, iisque ipse non fruetur. Hebræus [1]: *ager a paupere excultus, producit fructus in abundantia; & sunt, qui pereant, defectu judicii.* Sunt pauperes, qui fame pereunt, & qui nihil ex laboribus suis percipiunt, quia carent consilio, atque prudentia. Quantumvis parum sit illud, quod pauper habet, si sapiens, ac prudens fuerit, satis erit illi ad vivendum. Natura parum poscit; & Religio naturam, ac rationem regit. Septuaginta [2]: *Justi diu vivent, & magna possidebunt bona; at injusti brevi peribunt.*

℣. 24. QUI PARCIT VIRGÆ, ODIT FILIUM SUUM.] Qui amat, corripit: hoc præceptum passim in Bibliis repetitur [3]; semperque Deus suos punire, atque in terris affligtare consuevit, ut eos præservet, vel a sceleribus expiet, eosque æternitate dignos efficiat.

℣. 25. VENTER AUTEM IMPIORUM INSATURABILIS.] Nihil illis umquam satis est; quæcumque illi tribueris, semper fame laborant. Hebræus [4]: *venter impiorum erit in egestate.* Avarus vel inter summorum bonorum copiam, non saturabitur. *Tam deest avaro, quod habet, quam quod non habet.*

---

1 רב אכל ניר ראשים ויש נספה בלא משפט 2 Δίκαιοι ποιήσουσιν ἐν πλούτῳ ἔτη πολλά; ἄδικοι δὲ ἀπολοῦνται συντόμως. 3 Vide Prov. 3. 12. 22. 15. 21. 13. Eccli. 30. 1. &c. 4 בטן רשעים תחסר 70. ψυχαὶ δὲ ἀσεβῶν ἐνδεεῖς.

CAPUT XIV.

Variæ morum sententiæ. Antithesis inter Sapientiam, ac stultitiam, ac varii utriusque effectus.

1. SApiens mulier ædificat domum suam: insipiens extructa quoque manibus de-
struet. 2 Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, qui
infami graditur via. 3 In ore stulti virga superbiæ: labia autem sapientium
custodiunt eos. 4 Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est: ubi autem plurimæ
segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis. 5 Testis fidelis non mentitur: profert
autem mendacium dolosus testis. 6 Quærit derisor sapientiam, & non invenit:
doctrina prudentium facilis. 7 Vade contra virum stultum, & nescit labia pruden-
tiæ. 8 Sapientia callidi est intelligere viam suam: & imprudentia stultorum er-
rans. 9 Stultus illudet peccatum, & inter justos morabitur gratia. 10 Cor, quod
novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. 11 Do-
mus impiorum delebitur: tabernacula vero justorum germinabunt. 12 Est via,
quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem. 13 Risus
dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat. 14 Viis suis replebitur stul-
tus, & super eum erit vir bonus. 15 Innocens credit omni verbo: astutus con-
siderat gressus suos. Filio doloso nihil erit boni: servo autem sapienti prosperi
erunt actus, & dirigetur via ejus. 16 Sapiens timet, & declinat a malo: stultus
transilit, & confidit. 17 Impatiens operabitur stultitiam: & vir versutus odiosus
est. 18 Possidebunt parvuli stultitiam, & expectabunt astuti scientiam. 19 Jace-
bunt mali ante bonos: & impii ante portas justorum. 20 Etiam proximo suo
pauper odiosus erit: amici vero divitum multi. 21 Qui despicit proximum suum,
peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit. Qui credit in Domino, mise-
ricordiam diligit. 22 Errant, qui operantur malum: misericordia, & veritas præ-
parant bona. 23 In omni ope erit abundantia: ubi autem verba sunt plurima,
ibi frequenter egestas. 24 Corona sapientium, divitiæ eorum: fatuitas stultorum,
imprudentia. 25 Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia versipellis. 26
In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit spes. 27 Timor Domini
fons vitæ, ut declinent a ruina mortis. 28 In multitudine populi dignitas regis:
& in paucitate plebis ignominia principis. 29 Qui patiens est, multa gubernatur
prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. 30 Vita carnium,
sanitas cordis: putredo ossium, invidia. 31 Qui calumniatur egentem, exprobrat
factori ejus: honorat autem eum, qui miseretur pauperis. 32 In malitia sua ex-
pelletur impius: sperat autem justus in morte sua. 33 In corde prudentis re-
quiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet. 34 Justitia elevat gentem: mise-
ros autem facit populos peccatum. 35 Acceptus est regi minister intelligens:
iracundiam ejus inutilis sustinebit.

℣. 1. SApiens mulier ædificat domum suam.] In Scriptura hæc loquendi ratio [1]: *domum ædificare*, cum de muliere sermo est, proprie significat filios parare, eosque rite instituere. Mulier Sapiens ædificat domum viri sui, frequentem illi tribuens posteritatem, & filios in Domini timore erudiens. Eam etiam & sapienti œconomia, & recta agendi ratione ædificat. Oeconomiam præsertim, ac rei familiaris curam in mulieribus Scriptura commendat [2]. Quæ hac in re excellit, eam Sapiens mulierem fortem vocat. S. Paulus inter cæteras mulieris virtutes, eam sapientem esse, domus curam gerere, cupit ad Tit. 2. 5. *Domus curam habentes*.

℣. 2. Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via.] Pervulgatum est, a nefariis, & impiis contemni eos, qui sancte, ac ad Legum divinarum normam vitam vivunt. Hebræus [3]: *Qui graditur in æquitate, timet Deum; & ille, cujus viæ perversæ sunt, eum spernit*. Impius sua vivendi ratione satis ostendit, se Deum flocci facere, licet nihil tale affirmet. Si eum metueret, eum ne læderet? Lædere vero, nonne est contemnere? Septuaginta 4: *Qui recte incedit, timet Deum; & qui non graditur recte, ignominia adspergetur, atque eum omnes aspernabuntur*.

℣. 3. In ore stulti virga superbiæ: labia autem sapientium custodiunt eos.] Insipiens in correptionibus suis est veluti virga superbiæ, conterens, enecans, prosternens, & quin malo medelam afferat, illud augens, atque exasperans. Sermones ejus irritant, ac lacessunt illos, cum quibus loquitur [5]: at sapiens salutem impertit labiis suis: verba ejus sunt verba vitæ, ac salutis; pacem, atque charitatem servat. Aliter: stultus sermonibus suis, superbis, acrimoniæ, atque pervicaciæ refertis, sibi apud omnes homines odium conflat, nec unquam pace fruitur; at sapiens e contra silentium tuetur, ac seorsim a quibuscumque turbis versatur.

℣. 4. Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est; ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.] Ubi non armenta, non agricolarum instrumenta cernuntur, ibi nec fruges esse, nec terram coli, argumentum est: at ubi fruges, & annona invenitur, ibi fides est, plurima esse novalia, magnam boum copiam, ac sedulo terram exerceri. Hebræus verti potest [6]: *ubi boves non sunt, horreum mundum est*, vel *vacuum; at multi proventus sunt in fortitudine bovis*. Ubi tauri exercentur, ibi fructus conspiciuntur. Aliter: *Ubi boves non sunt*, ibi neque *triticum in præsepe*, vel in stabulo, vel etiam in horreo, ut nonnulli volunt: *at ubi plurimi boves, plurimum etiam triticum*. Ad litteram: *ubi fortitudo bovis*; hæc dicendi ratio non tam robur, quam numerum animantium significat. Vulgata adhæsit Septuaginta [7] in hoc loco. Aquila [8]: *Ubi boves non adsunt, in præsepe potissimum ponitur triticum &c.* Symmachus [9]. Ubi non sunt boves, *habitatores stabuli*, ibi non est *redditnum copia per fortitudinem bovis*. Theodotion [10]: *propter robur bovis ponetur triticum in præsepe, & copia fructuum est in fortitudine taurorum*. Hæc omnia, licet valde obscura, generatim significant, quod, eum non laboratur, neque ager colitur, nullus percipi fructus potest. Sententia est perspicua: passim vero ad Evangelicos operarios refertur, quorum figura sunt boves, agris excolendis destinati; nisi agrum Domini exercuerint [11], Ecclesiam nempe, omnia sterilescunt, nec fructus aliquis percipitur. Sed cum messis copiosa, & ager optime excultus videtur; secundam, ab Deo, gloriam illis tribui æquum est, quibus agri hujus colendi provincia est demandata: *Manifestatur virtus prædicantium, ubi surgit seges animarum*, ait S. Gregorius Papa.

℣. 6. Quærit derisor sapientiam, & non invenit: doctrina prudentium facilis.] Derisor non invenit sapientiam, quia male quærit, eamque possidere cuperet, quin dementiam abjiceret; vellet quidem sapientiæ fructibus frui, ac necessarium ad eam inquirendam laborem obire non vellet. Eam vult, & non vult: at qui eam serio, ac vere quærunt, absque difficultate inveniunt; se se sponte quærentibus offert [12]. Philosophi eam quæsivere, quin invenirent; eam enim per ambitionem, humanamque industriam quærebant; at ipsa cum humilitate, metu, ac Domini auxilio est inquirenda. Nulla est vera sapientia extra veram Religionem. Septuaginta [13]: *quæres sapientiam apud impios, neque invenies: sed prudentia facile apud sapientes invenitur*.

℣. 7. Vade contra virum stultum, & nescit labia prudentiæ.] Resiste illi, te illi oppone, & statim infirmitatem agnosce: nihil scit, neque reddere scit ullam flagitiorum suorum rationem; fortuito enim operatur, atque inconsulto pravi ingenii sui impetum sequitur. Hebræus [14]: *Procul esto ab insipiente; ignorat enim sermones scientiæ*. Ne ullam consuetudinem, ullumque ineas commercium cum stulto; nihil enim boni: ex ipso percipere potes. Abhorre ab id genus hominibus, qui æque in vitiorum cœno, & ignorantiæ tenebris delitescunt. Aliter: ne adhæreas insipienti; non enim intelligere vales ea, quæ dixeris illi. Septuaginta [15]: *omnia contraria sunt dementi; arma prudentiæ sunt os insipiens*. Sapiens se facile tuetur scitis, cordatisque sermonibus; sed stultus se se indiscriminatim, atque inconsulto omnibus opponit.

℣. 8. Sapientia callidi est intelligere viam suam.] Quæcumque sapientia non id curat, ut nos prudentiores, ac meliores efficiat, nostram minime meretur existimationem: hæc potius inanis curiositas est, studium periculis obsitum, laqueus, & scopulus, quam vera sapientia. Sapiens æstimat dumtaxat scientiam Sanctorum, salutis cognitionem, quæ est via cœli.

Et imprudentia stultorum errans.] Sapientiæ, virtutisque character est veritas, constantia; inseparabilis vero imprudentiæ nota, error est atque inconstantia: quantum sapiens in sua vivendi ratione uniformis est, atque constans, tantum insipiens levis est, atque abnormis. Hebræus [16]: *Stultitia insipientium est fraus*. Vel potius omnis industria, conatus, scopus dementiæ, est fallere. Stulti in hoc omnes nervos intendunt, ut alios in errorem alliciant: dum sapiens omnes scientiæ suæ vires exerit, ut suam agendi rationem optime instituat.

℣. 9. Stultus [17] illudet peccatum, & inter justos morabitur gratia.] Salomon superius [18] dixit, impium veluti per jocum facinora patrare. Hebræus [19]: *stulti malum excusant; & benevolentia*, bona gratia *inter justos invenietur*. Æquitas justorum eos omnibus

---

1 Vide Exod. 1. 21. Ruth. 4. 11. 2 Vide Prov. 12. 4. & 18. 22. 31. 10. Eccli. 26. 1. 2.
3 הלך בישרו ירא יהוה ונלוז דרכיו בוזהו 4 Ὁ πορευόμενος ὀρθῶς φοβεῖται τὸν Κύριον· ὁ δὲ σκολιάζων ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ, ἀτιμασθήσεται. 5 Vide Gregor. lib. 24. Moral. cap. 9. Chrysostom. & Polycron. in Catena. Hieronym. initio Apolog. 3. contra Rufin. &c.
6 באין אלפים אבוס בר ורב תבואות בכח שור 7 70. Οὗ μή εἰσι βόες, φάτναι καθαραί· οὗ δὲ πολλὰ γεννήματα, φανερὰ βοὸς ἰσχύς. 8 Aquil. Ἐν τῷ μὴ εἶναι βόας, φατνιάζεται γέννημα ἐκλεκτόν.
9 Symm. Ἐν τῷ μὴ εἶναι βόας, φάτνης γέννημα, καὶ πλῆθος γεννημάτων ἐν ἰσχύι μόσχου.
10 Ἐν ἰσχύι βοῶν φατνιασθήσεται γέννημα, καὶ πλῆθος γεννημάτων ἐν δυνάμει ταύρων.
11 Vide Bedam hic, & Greg. Magn. lib. 7. Registri Ep. 8. 12 Sap. 6. 14. *Præoccupat qui se concupiscunt*.
13 70. Ζητήσεις σοφίαν παρὰ κακοῖς, καὶ οὐχ εὑρήσεις· αἴσθησις δὲ παρὰ φρονίμοις εὐχερής. Aquil. Ἐζήτησε χλευαστὴς σοφίαν, καὶ οὐκ ἔστι, בקש לץ חכמה ואין 14 לך מנגד לאיש כסיל ובל ידעת שפתי דעת 15 Πάντα ἐναντία ἄφρονι· ὅπλα δὲ αἰσθήσεως χείλη σοφά. 16 אולת כסילים מרמה 17 Complut. & Sixti V. & alii, *Stultis illudet malum*. 18 Prov. 10. 23. *Quasi per risum stultus operatur malum*. 19 אולים יליץ אשם ובין ישרים רצון

omnibus commendat, ac acceptos efficit; sed impii odium sibi conflant, quoniam nugas esse dictitant ea mala, quæ operantur. Nemo id genus hominum, qui maxima flagitia ludum putant, commercium, atque societatem diligit; diligit vero quicumque Justorum consuetudinem, quorum vivendi ratio æquitatis, sapientiæque est plenissima. Septuaginta [1]: *Impiorum domus indigent expiari victimis expiationis; at domus Justorum accepta sunt* Deo.

℣. 10. COR, QUOD NOVIT AMARITUDINEM ANIMÆ SUÆ, IN GAUDIO EJUS NON MISCEBITUR EXTRANEUS.] Cum cor amaritudine conficitur, hospes illi afferre lætitiam, doloremque levare non adnitetur. Frustra conabitur extraneus consolari virum dolore confectum: non adeo facile est obrepere in animum, qui non cognoscitur, & qui mœrore obruitur; ut eum soleris, noscas oportet doloris causam, & scias quid illius animum recreare, atque a tristitia revocare queat, quod procul dubio extraneus cognoscere nequit. Verti quoque potest: *Cor novit tristitiam suam, & extraneus partem habere nequit illius lætitiæ.* Homo solus suum gaudium, suumque dolorem sentit; nemo extraneus cor illius scrutari potest, ut ejus cognoscat affectus; quibus vel ad tristitiam, vel ad lætitiam ipse quoque tangatur. Sensus hic simpliciter, meliorque mihi videtur. Septuaginta [2]: *cor hominis facile tangitur, anima illius affligatur; cum vero gaudet, non tangitur illusione*, vel injuria. Hoc est, si cor hominis aliqua affligatur contumelia, anima ejus dolore contabescit; sin autem gaudio afficitur, injurias non sentit, vel saltem ad eas parum advertit animum, casque contemnit.

℣. 12. EST VIA, QUÆ VIDETUR HOMINI RECTA, &c.] Falsa sapientia, falsa virtus, falsa pietas, falsus zelus, falsa pœnitentia, quasdam habent hallucinationes, quæ ad vitam ducere videntur; at re ipsa hæc omnia tandem deducunt ad mortem. Quot pereunt, vias singulares, quas sibimet ipsis straverunt, sedulo sequentes? Quot pravos duces sectando a vera virtutis via aberrant? Quot in speciem sanctitatem, ac vitam optime extrinsecus institutam præseferunt, cum interim cor incondito exagitatum affectu in ipso germine enecat virtutes, quæ in exteriori specie præclaræ adeo videntur.

℣. 13. RISUS DOLORE MISCEBITUR, & EXTREMA GAUDII LUCTUS OCCUPAT.] Hæc est terrenarum rerum conditio: nulla perfecta lætitia, nulla sine doloris commixtione voluptas, nulla constans felicitas, jugis dolorum, fluxarumque voluptatum vicissitudo. Nullam sperare debemus veram lætitiam, nisi in Deo, atque in æternitate. Si quæ est in terris solida lætitia, pro illis est, qui timori, atque amori Domini innituntur, & qui sensibilium rerum nulla tanguntur cura, eo quod eas sapienti contemptu aspernantur.

Septuaginta [3]: *Tristitia non miscetur cum gaudio; sed nis gaudii in gemitum desinit.* Licet gaudium, & mœror simul esse non possint; verum nihilominus est, gaudium plerumque fletu concludi, & rem adeo lætitiæ contrariam, qualis tristitia est, a gaudio gigni, vel saltem illius esse effectum. Deus sapientia elementissima amaritudines, & hujus vitæ suavitates immiscuit, ne illis nimium adhærescerent homines, atque ut cor suum ad eam æternam felicitatem converterent, cujus permansio nulli est obnoxia immutationi [4]: Dominus non permittit hominibus permanentem felicitatem, ait S. Johannes Chrysostomus in Psal. 123. ne nimium hanc diligant vitam; neque illos jugi dolore torquet, ne despondeant animos; sed prospera adversis, adversa prosperis temperat, ut eos ad salutem, æternamque felicitatem perducat.

℣. 14. VIIS SUIS REPLEBITUR STULTUS, & SUPER EUM ERIT VIR BONUS.] Deus retribuet sapienti, & insipienti, sed ratione toto cœlo diversa; insipiens, & impius pro scelerum suorum magnitudine, ac viarum suarum improbitate punientur: vir sapiens, & pius recipiet præmium virtuti, quam exercuit, par. Aliter: impio jucunda est institutæ vitæ ratio, ipse complacet sibi, ac ibi suam lætitiam, atque gaudium nanciscitur; at vir justus fruitur voluptate longe perfectiori, atque jucundiori in pace conscientiæ suæ. Sensus hic aptissimus videtur. Omnes quærant conscientiæ suæ tranquillitatem sibi comparare, atque intra se pacatam ducere vitam. Impius jugulat conscientiæ stimulos, ac tranquille vivit, vim sibi faciens, ut omnes sensus exsuperet in æternorum suppliciorum timore, vel sperans futurum, ut sub extremum vitæ spatium agere possit pœnitentiam. Justus e contra filiali timore, atque humili in Deum pœnitentia ductus, vias suas custodit, conscientiæ suæ puritatem conservat, ac perfecta fruitur serenitate sine ulla perturbatione, ac nube. Intelligi quoque Vulgata potest in hoc sensu: *Stultus contentus erit sua ratione vivendi, & justus illi dominabitur.* Hebræus [5]: *Vir improbo corrupto, vitiato, perverso corde, saturabitur viis suis: & bonus vir, plus quam ipse*, est super illum: vel secundum lectionem Septuaginta [6], quæ optimum adfert sensum: *Vir corde temerario satiabitur viis suis; bonus autem vir cogitationibus suis.* Chaldæus [7]: *timore suo*; timore Domini, quem semper habet in corde. Cajetanus: *saturabitur frondibus suis*, eo scilicet, quod produxerit.

℣. 15. INNOCENS CREDIT OMNI VERBO: ASTUTUS CONSIDERAT GRESSUS SUOS.] Nonnulli hic *innocentis* nomen in æquiorem partem accipiunt. Qui animam habent simplicem, atque innocentem, de aliis ex se met judicium ferentes, non putant, sibi fucum fieri velle, vel os sublinici; & facile fidem adhibent iis, quæ sibi dicuntur. Hoc pacto Josue a Gabaonitis deceptus fuit [8]: *Adeo sancta erat illis temporibus fides*, inquit S. Ambrosius l. 3. de Offic. c. 10. *ut fallere aliquis posse non crederetur. Quis hoc deprehendat in Sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant?* S. Paulus eamdem simplicitatem, atque credulitatem etiam Charitati videtur tribuere in 1. ad Cor. 13. 7. *Charitas omnia credit.* At plerique Interpretum [9] isthic *simplicitatem*, vel innocentiam alio in sensu explicant, de attentionis, prudentiæ, & experientiæ defectu, qui in Christifidelibus a S. Johanne Apostolo in Epist. c. 4. 1. damnatur, cum ait: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint.* S. Paulus 1. Cor. 14. 20. non vult, nos pueros effici sensibus, simplicitate, atque inexperientia. Hebraica vox פתי [10] passim in hoc sensu usurpatur, tunc præsertim cum *astuto*, callido, ac prudenti viro opponitur. Septuaginta [11]: *Vir*,

1 70. Οἰκίαι παρανόμων ὀφειλήσουσι καθαρισμόν, οἰκίαι δὲ δικαίων δεκταί. Acceperunt אשם pro victima pro peccato, & passim in hoc sensu usurpatur in Scriptura. Vide Levit. 5. 6. 15. 18. 6. 6. 7. 2. & passim. Sym. Ἄφρονες ἐγκλεύσητε πλημμελείας, ἐν εὐθέσι δὲ εὐδοκία. Non secus ac Vulgata.

2 Καρδία ἀνδρὸς αἰσθητική, λυπηρὰ ψυχὴ αὐτοῦ, ὅταν δὲ εὐφραίνηται, ὕβρει. Aquil. Symmach. Γινώσκει πικρίαν ψυχῆς αὐτοῦ. Symmach. Καὶ τῇ εὐφροσύνῃ αὐτῆς, οὐ συμμιγήσεται ἀλλοτρίοις. *Et in lætitia sua cum aliis non miscebitur.*

3 Ἐν εὐφροσύναις οὐ προσμίγνυται λύπη, τελευταῖα δὲ χαρὰ εἰς πένθος ἔρχεται. Symmach. Ἀλλὰ καίγε ἐν γέλωτι πονέσει καρδία. *Etiam in risu dolebit cor.*

4 August. serm. 29. in Matth. *Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut illa quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax.* 5 מדרכיו ישבע סוג לב ומעליו איש טוב Vide Psalm. 52. 4.

6 Τῶν ἑαυτοῦ ὁδῶν πλησθήσεται θρασυκάρδιος, ἀπὸ δὲ τῶν διανοημάτων αὐτοῦ ἀνὴρ ἀγαθός. Legerunt מעלליו, pro מעליו 7 Chald. כן דחלתה

8 Josue 9. 14. *Os Domini non interrogaverunt.* 9 Beda Vatabl. Chald. Syr. Mercer. Cornel. alii passim. Vide Eccli. 19. 4. *Qui credit cito, levis est corde.*

10 פתי יאמין לכל דבר וערום יבין לאשרו 11 Ἄκακος πιστεύει παντὶ λόγῳ, πανοῦργος δὲ ἔρχεται εἰς μετάνοιαν.

Vir, qui non est nequam, credit omni verbo: sed astutus venit ad pœnitentiam: considerat vias suas, se se corrigit, suosque reparat lapsus.

FILIO DOLOSO NIHIL BONI &c.] Locus hic neque in Hebraico textu, neque in Chaldæo, neque in Septuaginta, vel Complutensi, vel Romana Editione, neque in MSS. Latinis, neque in aliquibus Vulgatæ editionibus: sed legitur in cap. 8. vers. 13. in diversis Græcis, Latinisque exemplaribus, uti ibidem adnotatum est. *Filius* non sincerus significat hominem dolosum: *filius* in hoc libro sæpius pro homine usurpatur.

℣. 17. IMPATIENS OPERABITUR STULTITIAM: & VIR VERSUTUS ODIOSUS EST.] Hebr. [1] *Qui nasum habet brevem* (qui est impatiens) *operabitur stultitiam*, peccatum, malum; *homo cogitationis odio erit*. Ira præcipites agit homines in stultitias, inconsiderata, & improba facinora, & vir callidus, versutus, nebulo, omnibus invisus est. Liquet in Scripturis [2], *stultitiam* sæpius pro peccato usurpari; *& virum cogitationum* [3] nonnunquam in malam partem accipi. At isthic in sensu penitus opposito intelligi potest: *Impatiens stultitiam operabitur, & vir prudens eam perhorrescet*; Evitabit sedulo, ne quid agat inconsulto, neque impetu ullo abripiatur. Septuaginta [4]: *Vir promptus, ac iratus agit sine consilio; sed vir prudens multa patitur*. Confer cum hoc loco Job. 5. 2. Prov. 14. 29. & 27. 3.

℣. 20. ETIAM PROXIMO SUO PAUPER ODIOSUS ERIT: AMICI VERO DIVITUM MULTI.] Hoc omnium temporum docet experientia, atque id omnibus sæculis sapientes viri adnotarunt. Ipsæ amicos res opimæ pariunt, adversæ probant [5]; quæ ostendunt, utrum veri sint, an falsi. Pauci supersunt amici, cum ingruit calamitas amicis ipsorum, & pauci, qui in utraque fortuna æquæ fideles assideant. Plerique hominum amicos spe utilitatis inquirunt.

Vulgus amicitias utilitate probat.

Ut hirundines æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt: ita falsi amici sereno tempore præsto sunt; simulatque fortunæ hyemem viderint, evolant omnes; ait Cicero l. 4. ad Heren.

QUI CREDIT IN DOMINO &c.] Gaudet benefacere proximo suo. Hoc additum est, neque invenitur in Hebraico textu, uti neque in Græco, neque in veteribus MSS. Latinis.

℣. 22. MISERICORDIA, & VERITAS PRÆPARAT BONA.] Vel potius liberalitas, ac fidelitas, anima benefica, & sincera &c. Vide supra Prov. 3. 3. Septuaginta addunt: *Impii non norunt misericordiam, & veritatem; sed misericordia, & veritas sunt apud eos, qui benefaciunt.*

℣. 23. IN OMNI OPERE ERIT ABUNDANTIA &c.] Hebr. [6] *in omni labore erit utilitas*. Nullus honestus ac legitimus labor est, quin sit & utilis: nulla parvula adeo est usurpatio, ex qua non aliqua percipiatur utilitas; at verbosi viri sæpius egestati sunt obnoxii.

℣. 24. CORONA SAPIENTUM DIVITIÆ EORUM: FATUITAS STULTORUM IMPRUDENTIA.] Sapientum divitiæ sunt virtus eorum, fidelitas, & optima vivendi ratio; hic eorum thesaurus est, hæc corona: at stultorum hæreditas est ipsorum stultitia. Sapientia est virtus regia, quæ possidentes se gloriæ corona decorat; sed stultitia, quocumque se vertat, est stultitia, nullum adfert honorem, nullam utilitatem. Vel simplicius: Sapientes norunt divitiis suis uti cum honore, atque æquitate; at insipientes semper sunt insipientes: eorumque dementia, velint, nolint, in his omnibus, quæcumque aggrediuntur, emicat.

℣. 28. IN MULTITUDINE POPULI DIGNITAS REGIS.] Quo plures sunt Principis subditi, eo major illius est gloria; quæ semper adhuc major est, quo effusiori amplectitur charitate, magis sedula cura conservat, ac jucunda suavitate subjectum sibi populum regit. Scriptura, & Veteres Pastorum nomine Reges appellant, ut illis in memoriam vocent, qua sollicitudine adniti debeant, ut populus augeatur, & qua clementia eum debeant excipere.

℣. 30. VITA CARNIUM SANITAS CORDIS: PUTREDO OSSIUM INVIDIA.] Non secus ac cor est principium vitæ, ac valetudinis corporum nostrorum, quod cum recte se habet, perfecta incolumitate corpus lætatur; ita invidia valetudinem destruit, efficitque, ut ossa putrescant. Corrumpit sanguinem, atque humores, in eos mœstitiam effundens [7]. Hebr. [8] *Cor sanum*, vel *cor medicum est vita carnis: invidia est ossium putredo*. Septuaginta [9]. Qui mitis est, & clemens, est medicus cordis; *at cor* molle, ac nimis *sensibile est* veluti *ossium putredo*. Hic scitus quidem est sensus, verum Hebraico textui non satis congruit. Chaldæus: *Qui dissipat iram de corde suo, bene se habet*, vel sanat carnem suam; *invidia depravat cor, uti putredo corrumpit ligna*.

℣. 31. QUI CALUMNIATUR EGENTEM &c.] Videtur Deo ipsi insultare, qui pauperem, uti divitem, creavit: nonne Deus opes diviti elargitur, & pauperi denegat, & præcipua protectione eos tuetur, qui egestate obruuntur? Nonne edicit Deus, eam sibi injuriam inferri, quæ suorum minimo infligitur [10]? Sæpe qui gloriatur in opibus suis, vere pauperrimus est coram Deo, cum interim egenus veris bonis, ac cœlestibus favoribus cumuletur. Semper sapiente viro indignum est, alienam irridere miseriam. Qui hodie rerum copia diffluit, quamprimum in inopiam ruere potest; sine paupere, quid fieret de divite? Vide Prov. 22. 2. *Dives, & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus.*

℣. 33. IN CORDE PRUDENTIS REQUIESCIT SAPIENTIA; & INDOCTOS QUOQUE ERUDIET.] Sapiens est veluti Lux mundi; effundit radios suos in eos omnes, qui ad ipsum accedunt. Hebræus [11]: *Sapientia requiescit in corde sapientis, & se se prodet in medio insipientium.* Si sapiens fuerit in cœtu rudium hominum, atque stultorum, sapientia, quæ residet in corde illius, enitescet. Vel: Sapientia quiescit, & permanet in pace in corde sapientis; non inconsulto, & levi de causa se se detegit. Sed si imprudenti fuerit scintilla lucis, ac prudentiæ, eam subinde producit, atque ostentat [12]. Cum vas auro plenum est, inquiunt Hebræi [13], nullum emittit sonum; sed cum duo, vel tres nummi ibi fuerint, magnum edunt rumorem. Septuaginta [14]: *Sapientia requiescit in bono corde sapientis: at non agnoscitur in corde stultorum.* Aquila, & Theodotion similiter cum negatione legerunt, quæ in textu Hebraico non extat.

℣. 34 JUSTITIA ELEVAT GENTEM; MISEROS AUTEM FACIT POPULOS PECCATUM.] Sententia hæc admirabilem sensum complectitur, qui in omnibus civitatum compitis, plateisque deberet insculpi. En textum hebraicum [15]: *Justitia elevat gentem, & misericordia populos de peccato*, vel populos de peccatoribus. Deus gentibus, scelestisque populis gratiam concedit, cum misericordiam, atque justitiam exercent. Harum virtutum exercitatione scelerum veniam, Deique gratiam nobis comparamus. Vel [16]: *Justitia relevat populos, & mise-*

---

1 קצר אפים יעשה אולת ואיש מזמות ישנא
2 Psal. 37. 6. 68. 6. Prov. 24. 9. Jerem. 4. 22. &c.
3 Prov. 10. 23. 12. 2. 24. 8. Jerem. 11. 15. &c.
4 70. Ὀξύθυμος πράσσει μετ᾽ ἀβουλίας, ἀνὴρ δὲ φρόνιμος πολλὰ ὑποφέρει.
5 P. Syrus. *Ipsæ amicos res opimæ pariunt, adversa probant.*
6 בכל עצב יהיה מותר
7 Vide Menandr. apud Grot. hic.
8 חיי בשרים לב מרפא ורקב עצמות קנאה
9 Πραΰθυμος ἀνὴρ, καρδίας ἰατρός. Σὴς δὲ ὀστέων καρδία αἰσθητική. Ita Syr. Arab.
10 Matth. 25. 40.
11 בלב נבון תנוח חכמה ובקרב כסילים תודע
12 Munst. Jun. Mercer. Pisc. Cornel. a Lapid. alii.
13 אסתירא בלגינא קיש קיש קריא
14 Ἐν καρδίᾳ ἀγαθῇ ἀνδρὸς ἀναπαύσεται σοφία, ἐν δὲ καρδίᾳ ἀφρόνων οὐ διαγινώσκεται. Vide Edit. Rom. Nobil.
15 צדקה תרומם גוי וחסד לאמים חטאת
16 Var. Grot. Mar. Geier. Tigur. Cast.

misericordia est victima expiationis pro gentibus. Populi scelera sua expiant, erga pauperes misericordiam exercentes. *Peccata tua eleemosynis redime*, Daniel ajebat ad Nabuchodonosor [1]. Alii [2] vertunt: *Justitia elevat gentes; & ignominia populorum est peccatum*. Septuaginta [3]: *Justitia elevat*, & auget *nationem*; *at peccata imminuunt illam*.

℣. 35. IRACUNDIAM EJUS INUTILIS SUSTINEBIT.] Servus inutilis, eo ipso, malus est servus: si mancipium nihil prodesse potest, verbera dumtaxat meretur, vel sub corona venumdari. Hoc pacto in Scriptura intelligendum est servi inutilis nomen. Illi, qui in

A ea positus est conditione, nequaquam satis est, non facere malum, sed bene servire debet. Princeps vult sibi fidelem, diligentem, accuratam operam præstari: minister, qui non fungitur munere suo, est ignominia Principis, qui eo utitur, atque puniendus est. Hebræus 4: *Et qui erubescere facit*, objectum *erit iracundia illius*. Reor hoc epithetum, *Qui erubescere facit*, præcipue *malum œconomum* designare. Vide supra Prov. 12. 4. Septuaginta [5] ita reddunt totum versiculum: *Servus prudens acceptus est Regi, prudentia sua ignominiam arcet; ira perire facit & sapientiores*.

---

1 Dan. 4. 24. 2 Chald. Jun. Pisc. Pagn. חמר accipitur pro ignominia. Levit. 20. 25. 27. Symmach. Ὄνειδος δὲ λαοῖς ἁμαρτίαι. 3 Δικαιοσύνη ὑψοῖ ἔθνος, ἐλασσονοῦσι δὲ φυλὰς ἁμαρτίαι. Ita Syr. & Arab.
4 ועברתו תהיה מביש Theod. Καὶ θυμὸς αὐτοῦ καταισχύνει.
5 70. . . . τῇ δὲ αὐτοῦ εὐστροφίᾳ ἀφαιρεῖται ἀτιμίαν; ὀργὴ ἀπόλλυσι καὶ φρονίμους.

CAPUT XV.

Sapiens responsio: Utilis correctio: Stabilitas domus justi: impiorum victimæ: Paupertas læta. Piger, insipiens, avarus, impius oppositi viro justo sapienti, diligenti, ac bono.

1. RESponsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. 2 Lingua sa-
pientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam, 3 In omni loco
oculi Domini contemplantur bonos, & malos. 4 Lingua placabilis, li-
gnum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum. 5 Stultus irridet di-
sciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet. In abundan-
ti justitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur. 6 Do-
mus justi plurima fortitudo: & in fructibus impii conturbatio. 7 Labia sapien-
tium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. 8 Victimæ impiorum
abominabiles Domino: vota justorum placabilia. 9 Abominatio est Domino via
impii: qui sequitur justitiam, diligitur ab eo. 10 Doctrina mala deserenti viam
vitæ: qui increpationes odit, morietur. 11 Infernus, & perditio coram Domi-
no: quanto magis corda filiorum hominum? 12 Non amat pestilens eum, qui
se corripit: nec ad sapientes graditur. 13 Cor gaudens exhilarat faciem: in mœ-
rore animi dejicitur spiritus. 14 Cor sapientis quærit doctrinam: & os stultorum
pascitur imperitia. 15 Omnes dies pauperis, mali: secura mens quasi juge convi-
vium. 16 Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni, & insa-
tiabiles. 17 Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum sagina-
tum cum odio. 18 Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat susci-
tatas. 19 Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via justorum absque offendiculo.
20 Filius sapiens lætificat patrem: & stultus homo despicit matrem suam. 21
Stultitia gaudium stulto, & vir prudens dirigit gressus suos. 22 Dissipantur cogi-
tationes, ubi non est consilium: ubi vero sunt plures consiliarii, confirmantur.
23 Lætatur homo in sententia oris sui: & sermo opportunus est optimus. 24 Semi-
ta vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo. 25 Domum superbo-
rum demolietur Dominus: & firmos faciet terminos viduæ. 26 Abominatio Do-
mini cogitationes malæ: & purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo. 27 Con-
turbat domum suam, qui sectatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet. Per
misericordiam, & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat o-
mnis a malo. 28 Mens justi meditatur obedientiam: os impiorum redundat malis.
29 Longe est Dominus ab impiis: & orationes justorum exaudiet. 30 Lux ocu-
lorum lætificat animam: fama bona impinguat ossa. 31 Auris, quæ audit incre-
pationes vitæ, in medio sapientium commorabitur. 32 Qui abjicit disciplinam,
despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.
33 Timor Domini disciplina sapientiæ: & gloriam præcedit humilitas.

Res-

℣. 1. RESPONSIO MOLLIS FRANGIT IRAM: SERMO DURUS SUSCITAT FURORFM.] Nulla potest ira miti, humilique sermoni resistere, suavitas iracundos exarmat. Hebræus [1]: *Responsio mollis sedat iram, & verbum affligens excitat iram*. Septuaginta [2]: *Submissa responsio flectit iram, & sermo tristis*, vel affligens, *iram excitat*. Scriptura plurima nobis insignia hujus veritatis exempla suppeditat: primum quidem in Gedeone, qui victor de Madianitis reversus, Ephraimitis superbe deposcentibus, cur ipsos ad bellum minime invitasset, respondit: *nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer? In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb, & Zeb, quid tale facere potui, quale vos fecistis?* Judic. 8. v. 2. 3. Nabal imprudenti responsione rem eo vocarat, ut proximum esset, ut domus ejus ad excidium adduceretur 1. Reg. 25. 10. Abigail vero sermone humanitatis, humilitatisque pleno, servavit Nabal, & Davidis animum sibi devinxit 1. Reg. 25. 24. Mulier de Abela civile bellum sermonum suorum sapientia restinxit 2. Reg. 20. 18. Roboam decem amisit tribus, dura, & iniqua responsione 3. Regum 12. 1c. Sapientis est iræ cedere tamquam feroci bestiæ, quæ nulla ratione movetur. Væ illi, qui magis, magisque illam irritat, quin potius illi cedat.

℣. 2. LINGUA SAPIENTUM ORNAT SCIENTIAM.] Nequaquam vulgare est, sapientiam, & scientiam possidere; at longe magis rarum est cum illis & eloquentiam obtinere, & facundiam consequi, quæ sapientiæ tribuit ornatum, quem meretur, & sine quo sæpius inutilis est, vel etiam odiosa. Quantumvis pulchra, amabilis, gravis, non respuit tamen facundæ, disertæque linguæ ornamenta; meretricios sane fucos rejicit, & calamistratam eloquentiam aspernatur; verumtamen non patitur, ut negligenter, vel pingui, ut ajunt, Minerva, nec non rudi, incultaque austeritate proponatur. Hebræus [3]: *Lingua sapientum reddit bonam*, vel jucundam, vel exornatam *scientiam*. Vel: *lingua sapientum præclare*, utiliter, egregie *utitur scientia; & os stultorum producit magnis fluctibus dementiam*. Stultitia ex ore, veluti aqua ex fonte affluenti, dimanat. Septuaginta [4]: *Lingua sapientum novit bonum*, vel res præclaras; *& os stultorum annuntiat malum*.

℣. 4. LINGUA PLACABILIS LIGNUM VITÆ; QUÆ AUTEM IMMODERATA EST, CONTERET SPIRITUM.] Lingua pacifica vitæ fructus producit in illis, ad quos loquitur; sedat iram, servat charitatem, prævertit, vel coercet dissidia; sed lingua furens, & violenta mortem adfert; primum quidem illi, qui eadem utitur; mox etiam illis, contra quos invehitur. Odium excitat, & inimicitias: est veluti grando destruens, perterrens, diruens, occidens.

Hebræus [5]: *lingua sana*, vel lingua, quæ sanat, vel sanitas linguæ, *est arbor vitæ; cum autem perversa est, conterit spiritum*; vel, & perversitas, *corruptio linguæ est mors spiritus*. Lingua erudiens, consolans, pacem ferens, recreans, & ut verbo me expediam, lingua, quæ sanitatem mentibus, & cordibus adfert, ipsa vere est arbos vitæ. Sed lingua corrupta, maledica, flagitiosa, perversa, conterit spiritum, animam enecat, affligit, irritat mentes, & corda corrumpit. Septuaginta [6]: *sanitas linguæ est arbos vitæ, & qui linguam suam custodit, replebitur spiritu*. Ex variis Libri hujus locis videtur *arbor vitæ* apud Hebræos in adagium abiisse ad significandum aliquid, vitæ, ac societati perutile, & commodissimum. Ita quoque *sanitas*, & *vita* sæpius pro bonis corporis, & animæ affectionibus ponuntur; re enim vera omnis felicitas, voluptas, jucunditas hominis in hoc mundo a bona valetudine, ac vita dependent, sine quibus cætera omnia flocci penduntur. Sunt, qui Hebraicum textum ita reddant: *Sanitas linguæ est arbor vitæ, & corruptio linguæ est veluti ventus vehemens, qui conterit, ac omnia subvertit* [7]. At prior versio est præferenda: in ea enim melius deprehenditur antithesis inter utrumque versiculi membrum.

IN ABUNDANTI JUSTITIA VIRTUS MAXIMA EST.] Hic locus in Hebræo, Chaldæo, plurimisque tum Græcis, cum Latinis exemplaribus non extat [8]. Hoc autem idem est, ac illud, quod in sequentis versiculi Hebraica lectione visuri sumus.

℣. 6. DOMUS JUSTI PLURIMA FORTITUDO: & IN FRUCTIBUS IMPII, CONTURBATIO.] Hebræus verti potest [9]: *domus justi magnus est thesaurus*, vel magnus acervus omnis generis bonorum, atque commeatuum: *& redditus impii sunt avulsi*, turbati, dissipati. Justus bonis affluit, & impius indiget. In veteri Lege paupertas a Judæis carnalibus habebatur, veluti maledictio: abundantia vero Cœli favor existimabatur. Septuaginta [10]; *Plurima vis est* bonorum, divitiæ plurimæ *in domibus justorum; sed fructus*, proventus, messes *impiorum peribunt*.

℣. 7. COR STULTORUM DISSIMILE ERIT.] Verbum hoc *dissimile* a plerisque hoc pacto explicatur [11]: omnino diversum erit a corde sapientium, qui scientiam serunt; stulti enim nonnisi tenebras, ignorantiam, & corruptionem valent disseminare. Alii [12] ad litteram, ac omnino simpliciter explicant. Cor stultorum semper a semet differt, semper errans, semper inconstans, modo summum, modo imum, nunc in pace, nunc in perturbatione. Alii [13]; *Cor stultorum non est firmum*, stabile, rectum, solidum. Septuaginta [14]: *Labia sapientum ligata sunt sapientia, corda stultorum tuta non sunt*: non sunt firma, constantia, quolibet vento circumferuntur. *Labia sapientium alligata sunt sensu, eo quod omnia, quæ loquuntur, vero sensui congruere videantur, & sensus sui prudentia intelligant, quæ loqui debeant, vel tacere, & quæ silenda sunt, cohibeant claustro quodam, nexuque labiorum*, ait D. Ambrosius in Psal. 36. Vide eumdem in Ps. 38. & l. 3. ep. ad Constantium.

℣. 8. VICTIMÆ IMPIORUM ABOMINABILES DOMINO; VOTA JUSTORUM PLACABILIA.] Sacrificia, quæ impii offerunt, quin morum, vivendique rationem immutent; victimæ, quas perperam, atque pravis cum dispositionibus offerunt, Deum potius irritant, quam illius iram flectant. At cum hæc offerunt sacrificia, scelerum suorum veniam deprecaturi; cum ea contrito, atque humiliato exhibent corde, hæ hostiæ procul dubio Deo sunt acceptæ, & pro eadem offerentibus, copiosiorem merentur gratiam ad perfectam conversionem explendam. Hoc quacumque caret dubitatione tum pro veteris Legis sacrificiis, cum pro piis actionibus extrinsecis fœderis novi: & Minister Domini, qui privata impietate respui meretur a Deo, atque conflat sibi thesaurum iræ in sacrificiis, quæ offert, pro

1 מענה רך ישיב חמה ודבר עצב יעלה אף 2 70. Ἀπόκρισις ὑποπίπτουσα ἀποστρέφει θυμὸν, λόγος δὲ λυπηρὸς ἐγείρει ὀργάς. Symm. Ἀπόκρισις ἁπαλή. *Mollis responsio*. Th. Ἀποκρινόμενος τρυφερῶς: *qui delicate respondet*. Et pro λόγος λυπηρός. Aquil. Σκληρὸς, *durus*. Symm. Θρασὺς, *audax*. Th. Πονηρὸς, *ingratus*.

3 לשון חכמים תיטיב דעת ופי כסילים יביע אולת

4 Γλῶσσα σοφῶν καλὰ ἐπίσταται, στόμα δὲ ἀφρόνων ἀναγγελεῖ κακά. Aquil. Sym. Ἀναβλύσει κακά.

5 מרפא לשון עץ חיים וסלף בה שבר ברוח 6 Ἴασις γλώσσης δένδρον ζωῆς, ὁ δὲ συντηρῶν αὐτὴν πλησθήσεται πνεύματος. Aquil. Πραεῖα γλῶσσα. *Lingua benigna, dulcis*.

7 Ita Jun. Pisc. Merces. & alii. 8 Non legitur in Complut. Græc. nec Latin. nec in nov. Edit. Hieronym. nec in aliis plusib. 9 בית צדיק חסן רב ובתבואת רשע נעכרת

10 Οἴκοις δικαίων ἰσχὺς πολλή, καρποὶ δὲ ἀσεβῶν ἀπολοῦνται.

11 Pagn. Mont. Tigur. Geier. Merces. Chald. Syr. Cast. Munster

12 Gregor. Magn. Pastoral. p. 3. admonit. 19. 13 ולב כסילים לא כן

14 70. Χείλη σοφῶν δέδεται αἰσθήσει, καρδίαι δὲ ἀφρόνων οὐκ ἀσφαλεῖς.

pro aliis tamen utiliter litat, iisque benedictiones procurat, dum in se quodlibet teterrimum maledictionum genus attrahit.

Donatistæ hoc abutebantur loco ad probandum, hæreticorum baptismum esse inutilem; at S. Augustinus [1] illis respondet: Ministrum exteriorem nequaquam vel gratiam conferre, vel obesse, quin alii eam recipiant; ipsum sibi uni dumtaxat officere; cum autem nihil aliud esse, quam Ministrum Jesu Christi Summi Sacerdotis, ac Supremi Mediatoris, qui unus gratias distribuit, quæ in nos ex ipsius Sacramentis dimanant, nisi quid ad hæc accesserint, obicem gratiæ posuerint. Huic loco possunt comparari ea Ecclesiastici verba 34. 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus; nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis*. Ethnici quoque [2] intellexerunt, Numina minus respicere ad copiam, & pretium oblationum, quam ad offerentium affectus. Athenienses conquerebantur eum Jovis Ammonis Sacerdotibus, quod Oraculum illud magis faveret Lacedæmoniis, quam sibi, licet illi longe pauciora offerrent sacrificia: quibus responderunt Sacerdotes: *Deo magis placere benedictiones, ac preces Lacedæmonum, quam reliquæ Græciæ omnia simul sacrificia*. Non in adipe, auratisque cornibus, *nec in victimis, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos, sed pia, & recta voluntate venerantium*, ait Seneca de Benef. lib. 1. cap. 5.

℣. 10. Doctrina mala deserenti viam vitæ; qui increpationes odit, morietur.] Fieri nequaquam potest, ut homo sponte a via justitiæ, sapientiæ, pietatisque recedat: nisi mens illius antea pravo quodam doctrinæ, ac sententiarum fermento fuerit depravata. Hebræus [3]: *Qui deserit viam, severe punietur, & qui odit correptionem, peribit*. Aliter: *qui deserit viam, respicit correctionem tamquam malum; & qui odit objurgationem, morietur*. Verbo; sapiens audit monita, & correctiones; insipiens vero eas respuit, & fugit. Septuaginta [4] ab Hebraici textus sententia recedunt: *Instructio innocentis cognita est a prætereuntibus; at qui oderunt correctionem, turpiter moriuntur*. Chaldæus: Instructio impii eum errare facit in viis suis, & qui odit castigationes, interibit.

℣. 11. Infernus, & perditio coram Domino, &c.] Ima sepulchri, atque inferni pars, animarum in altera vita status, locus, ubi mortui detinentur, hæc omnia aperta sunt oculis Dei, quanto magis corda filiorum hominum? Vidimus jam cap. 9. 18. vidimusque passim pluribus in Scripturæ locis, Hebræos apertissime credidisse, impios in inferno, in tenebricoso loco, in imo terræ, supplicia sceleribus suis paria ferre. *Si ascendero in Cælum*, ait Psalmista Psal. 138. 8. *tu illic es; si descendero in infernum, ades*. Et Job. c. 26. 6. *nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni*. At si Deus distincte videt, quidquid in tenebricosissimis locis, ac procul adeo a nostra cognitione sepositis adest; multo facilius cernere debet ea, quæ in nobis met ipsis delitescunt.

℣. 13. In mœrore animi dejicitur spiritus.] Effectus omnino naturalis tristitiæ est, animum, mentemque dejicere. Religio unam dumtaxat tristitiæ sortem permittit, eam scilicet, quam parit pœnitentia, & peccatorum dolor. S. Paulus 2. Cor. 7. 10. permittit tristitiam hanc, quæ secundum Deum est, & quæ stabilem pœnitentiam operatur, & ad salutem ducit: & damnat sæculi tristitiam, quæ mortem infligit:

A *sæculi tristitia mortem operatur*. Hæc Sanctum contristat Spiritum, ut Patres inquiunt, atque est e perniciosissimis laqueis, quos fidelibus animabus Dæmon tetenderit [5]. Confer Prov. 25. 20. Eccli 38. 19.

℣. 15. Omnes dies pauperis, mali: secura mens, quasi juge convivium.] Paupertas realis, & coacta inter maximas pœnas est, quas homo ferre queat; hæc est perenne malum, quod singulis momentis percipitur. Mors dulcis est pauperi, cui omnia desunt; cum illi, qui opibus diffluunt, qui læta pace fruuntur, qui in rerum affluentia versantur, veluti jugi convivio assideant. Sensus hic maxime simplex videtur. Alii vero ita explicant: Omnis vita pauperis in miseria sordet; sed tranquillitas, pax, securitas, quibus fruitur, est veluti juge convivium; possidet

B eam felicitatem, quam divites non norunt, pacem videlicet, atque securitatem. Non exactorem metuit, non invidum, non furem, non interfectorem. Lucan. Pharsal. l. 5.

... O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique laris! o munera nondum
Intellecta Deum . . . . .
Nullo trepidare tumultu &c.

At Hebræus textus [6] aliam adhuc magis naturalem sententiam potest admittere: *Omnes dies hominis, qui in afflictione versatur, mali; qui vero habet cor hilare, est veluti in jugi convivio*. Hoc idem ferme est ac illud, quod ℣. 13. dicitur: *Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi dejicitur spiritus*. Homo afflictatus nulla afficitur voluptate, omnia illi displicent; omnia ipse

C fastidit; e contra quodlibet voluptatem illis affert, qui in gaudio versantur. Septuaginta [7]: *Oculi iniquorum respiciunt malum omni tempore; boni semper quiescent*.

℣. 16. Melius est parum cum timore Domini &c.] Hebr. [8] *Parum cum timore Domini præstat magno thesauro cum perturbatione*, cum terrore, cum sollicitudine. Septuaginta [9] e contra: *Melius est exiguam habere partem cum timore Domini, quam magnos thesauros sine hoc timore*. At Hebræus longe est melior; atque illinc S. Paulus exprompsisse videtur hanc sententiam 1. ad Timot. 6. 6. *Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia*.

℣. 17. Quam ad vitulum saginatum.] Saginabantur vituli pro solemnitatibus, in quibus offerri debebant sacrificia, vel festivitas aliqua celebranda erat,

D vel nuptiæ, vel familiæ convivium. Vide Luc. 15. 23. Jerem. 46. 21. 1. Reg. 17. 29. Horatius.

Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

℣. 19. Iter pigrorum quasi sepes spinarum.] Pigri ubicumque difficultates inveniunt; nihil facile, nihil possibile est, si illis fidem habueris. Omnia spinis consepta, omnes aditus obstructi. Hoc non in morum doctrina solum, ubi inertes insuperabiles sibi fingunt in virtutis via, atque in officiis suis explendis, difficultates [10], verum etiam in rebus vitæ maxime communibus deprehenditur. Non desunt, qui ex quacumque re sibi aliquid metuendum proponant. Verum est tamen, id genus inertes longe magis laborare, quam qui serio laboribus vacant, & certum est generatim id, quod de Agricultura ait Columella, quod *in re fami-*

E *liari laboriosior est negligentia, quam diligentia* [11]. Hebræus [12]; *Semita pigrorum est veluti locus, spinis obsitus*. Vel juxta alios; *veluti sepes spinarum, & via justorum est veluti via strata*, vel uti agger. Chaldæus; *semita inertium sentibus, & spinis est præpedita; & via justorum est strata*. Septuaginta [13]: *Via pigrorum est spinis pavi-*

1 Aug. l. 2. contra Parmen. c. 6. *Sacrificia impiorum eis ipsis oberunt, qui offerunt impie* &c.
2 Plato in Alcibiad. 2. 3 מוסר רע לעזב ארח שונא תוכחת ימות
4 Παιδεία ἀκάκου γνωρίζεται ὑπὸ τῶν παριόντων. Οἱ δὲ μισοῦντες ἐλέγχους τελευτῶσιν αἰσχρῶς.
5 Vide lib. 2. Pastoris præcept. 10. Cassian. alios.
6 כל ימי עני רעים וטוב לב משתה תמיד 7 Πάντα τὸν χρόνον οἱ ὀφθαλμοὶ τῶν κακῶν προσδέχονται κακά, οἱ δὲ ἀγαθοὶ ἡσυχάζουσι διὰ παντός. Symmach. Πᾶσαι αἱ ἡμέραι τοῦ πτωχοῦ πονηραί, ὁ δὲ εὔθυμος ἐν πότῳ διαπαντός. Ut Vulg. 8 מאוצר רב ומהומה בו
9 Κρεῖσσον μικρὰ μερὶς μετὰ φόβου Κυρίου, ἢ θησαυροὶ μεγάλοι μετὰ ἀφοβίας.
10 Vide Gregor. Magn. l. 30. Moral. cap. 13. 11 Columel. de Re Rustic. l. 12. cap. 2.
12 דרך עצל כמשכת חדק וארח ישרים סללה 13 Ὁδοὶ ἀεργῶν ἐστρωμέναι ἀκάνθαις, αἱ δὲ τῶν ἀνδρείων τετριμμέναι. Symm. Ὁδὸς ὀκνηροῦ ὥσπερ φραγμὸς ἐξ ἀκανθῶν. Ut Vulg.

pavimentata, via vero justorum est frequentata.

℣. 21. STULTITIA GAUDIUM STULTO: & VIR PRUDENS DIRIGIT GRESSUS SUOS.] Stultus in stultitia sua omnium se felicissimum arbitratur; errat, ac evanescit in stultis cogitationibus, inanibusque consiliis suis; at Sapiens omnia sapienter, attente, prudenterque operatur. Septuaginta [1]: *Viæ stultorum carent spiritu, at vir prudens recte graditur.*

℣. 22. DISSIPANTUR COGITATIONES, UBI NON EST CONSILIUM.] Cum fidelis amici, vel eruditi consiliarii monitis consilia, & cogitationes nostræ obfirmatæ non fuerint, dissipantur, nihilque certum habent: sed cum plurimorum prudentum virorum explorata est sententia, tunc agimus sine ullo metu, atque solicitudine, neque dimovemur a consilio, quod tanta maturitate, atque diligentia initum est. Hebræus [2] verti potest: *Cogitationes dissipantur; cum nihil secretum est; at stabiles erunt, ubi plurimi aderunt consiliarii.* Septuaginta [3]: *qui non honorant cœtus consiliariorum, contemnunt monita; at qui consulunt, conservant consilia in cordibus suis.* Quod non satis perspicuum sensum adfert, quod optimum in Vulgata intuemur.

℣. 23. LÆTATUR HOMO IN SENTENTIA ORIS SUI.] Naturaliter amamus sententiam, quam tutati sumus, & monitum, quod aperuimus; at hoc præcipuum est, benedicere, ac recte cogitare. Incipere decet rectum proponendo consilium; mox vero haud erit operosum tueri illud, ac efficere, ut aliis etiam probetur. Septuaginta hoc addunt superiori versiculo [4]: *Iniquus non sequetur consilium, nihilque bonum, neque utile dicet pro omnibus.*

℣. 24. SEMITA VITÆ SUPER ERUDITUM, UT DECLINET DE INFERNO NOVISSIMO.] Salomon hic antithesim facit inter sapientis viam, & infernum, vel mortem. Sapiens sequitur viam superiorem, neque in imum descendit, sequitur viam vitæ, neque labitur in sepulchrum, vel infernum. Duæ sunt viæ, quas sequi possumus, altera ad vitam ducit, altera vero ad mortem; altera superna est, altera inferna: Sapiens priorem sequitur, insipiens posteriorem. Septuaginta [5], & ab Hebræo, & a Vulgata recedunt. *Viæ vitæ sunt cogitationes hominis prudentis; ut salvetur ab inferno deflectens.* Vir prudens se a morte liberat ope sapientium cogitationum suarum.

℣. 26. ABOMINATIO DOMINI COGITATIONES MALÆ: & PURUS SERMO PULCHERRIMUS FIRMABITUR AB EO.] Verba hæc *firmabitur ab eo*, non leguntur in Hebræo textu, neque in Chaldæo, uti nec etiam in Greco, & non paucis Manuscriptis, editisque Latinis [6]. En Hebraicum textum [7]: *Dominus abominatur pravas cogitationes, & amat illos, quorum verba pura sunt.* Hi, ut ita dicam, sunt delitiæ Domini. Deus non horret solum facta, & sermones justitiæ, & veritati oppositos; verum detestatur etiam injustas cogitationes, & iniqua consilia; & eos probat dumtaxat, quorum sermones, ac sensus puri sunt, justi, innocentes. Septuaginta [8]: *Dominus abominatur cogitationes injustas; at sermones animarum innocentium puri sunt.*

℣. 27. CONTURBAT DOMUM SUAM, QUI SECTATUR AVARITIAM: QUI AUTEM ODIT MUNERA, VIVET.] Judex, vel Magistratus, qui se muneribus corrumpi patitur, *conturbat domum suam*, in eam Dei; ac hominum maledictionem trahit, eamque exagitatam, perturbatamque conspiciet. Salomon sæpe hac utitur loquendi ratione [9] *conturbari*, ut innuat summam calamitatem. Quemadmodum Hebræi *pacis* nomine quodlibet prosperitatum genus intelligebant; ita *turbæ* nomine quodvis temporale malum complectebantur. Scriptura ubique commendat Judicibus integritatem; eosque damnat, qui munera excipiunt, ac in eos maledictiones ejaculatur [10]. Veteres quoque Ethnici sapientes simili modo loquuntur [11].

PER MISERICORDIAM, & FIDEM PURGANTUR PECCATA.] Vel ut alibi dictum est, *per misericordiam, & veritatem*, vel fidelitatem, bonam fidem, æquitatem, in fide præstanda diligentiam. Hoc additum misericordiæ, clementiæ, suavitati, eleemosynæ, vere delet peccata. Nihil magis divinæ effectus misericordiæ nobis promereri potest, quam si erga nostri similes misericordiam exerceamus [12]. Versiculus hic in Hebræo textu non legitur, sed tantummodo in Septuaginta hujus loci. S. Cyprianus illum in suis Exemplaribus legebat [13], & invenitur etiam cap. 16. post ℣. 5. in Vulgata, in Septuaginta vero non item. Hic idem est ac ℣. 6. Capitis 16. uti in Hebraico textu, ac in Vulgata legitur.

℣. 28. MENS JUSTI MEDITATUR OBEDIENTIAM: OS IMPIORUM REDUNDAT MALIS.] Justus semper vacat Divinæ Legis meditationi; numquam obliviscitur illius, neque ab ipsius corde divina umquam præcepta recedunt. Ea die, ac nocte meditatur, ac servat in corde suo; sed os impii, id producit tantum, cujus refertum est; ex ore illius nonnisi prava dimanant verba. Hebræus [14]: *cor justi meditabitur, ut respondeat, & os iniquorum effundet malum*; veluti, rem, qua plenum est, & quæ superfluit. Quantumvis recto sensu repletus sit sapiens, & nihil nisi bonum proferre velit, loqui tamen non festinat; verba ad trutinam vocat, eaque ponderat, antequam respondeat; at insipiens fortuito loquitur, & inconsulto, quidquid præceps effutit. Septuaginta [15] hoc in loco incipiunt esse perturbatiores, ac longe dissimiles a textu Hebraico, eaque varietas pergit usque ad ℣. 10. capitis sequentis. Complutensis editio magis ad Vulgatam accedit: sed Romana longius abest. Hic habes ℣. 28. & quid huic illi addiderunt: *Corda justorum rectam fidem meditantur; & os impiorum effundit malum. Viæ hominum justorum sunt acceptæ Domino; earum adminiculo inimici etiam amici fiunt. Dominus recedit ab impiis, justorum vero preces exaudiet.* Hic versiculus non abludit a vers. 29. capitis hujus: *Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate.* Postremi hi duo versiculi iidem sunt ac septimus, & octavus capitis sequentis. *Cor hominis concipit cogitationes justitiæ, ut vestigia sua a Domino dirigantur.* Hic autem idem est ferme ac ℣. 9. cap. sequentis.

℣. 30. LUX OCULORUM LÆTIFICAT ANIMAM; FAMA BONA IMPINGUAT OSSA.] Non secus ac sensibilis lux sanum oculum lætificat, & immittit gaudium in imam usque animæ partem; ita bona fama voluptatem adfert, neque parum corporis tectæ valetudini prodest. Sapiens sæpe discipulum suum hortatur, ut bono sibi nomini comparando invigilet [16]: eique humanas aliquando rationes, atque propriæ utilitatis proponit intuitus, ut eum ad bonum, virtutemque deducat: imbecil-

1 Ἀνοήτου τρίβοι ἐνδεεῖς φρενῶν, ἀνὴρ δὲ φρόνιμος κατευθύνων πορεύεται.
2 הפר מחשבות באין סוד 3 Ὑπερτίθενται λογισμοὺς οἱ μὴ τιμῶντες συνέδρια, ἐν δὲ καρδίαις βουλευομένων μένει βουλή. Theodotion est multo clarior. Διασκεδάζονται λογισμοὶ μὴ ὄντος συμβουλίου, καὶ ἐν πλήθει συμβουλευόντων στήσεται. Quod cum Vulgata consonat. 4 Οὐ μὴ ὑπακούσῃ ὁ κακὸς αὐτῇ, οὐδὲ μὴ εἴπῃ καίριόν τι, καὶ καλὸν τῷ κοινῷ. 5 Ὁδοὶ ζωῆς διανοήματα συνετοῦ, ἵνα ἐκκλίνας ἐκ τοῦ ᾅδου σωθῇ.
6 Vide Edit. Complut. & nov. Edit. S. Hieron. 7 תועבת יהוה מחשבות רע וטהרים אמרי נעם
8 Βδέλυγμα Κυρίῳ λογισμὸς ἄδικος, ἁγνῶν δὲ ῥήσεις σεμναί.
9 Prov. 11. 17. 29. 15. 6. 10 Exod. 23. 8. Deut. 10. 17. 16. 19. & 1. Reg. 12. 3. Job. 15. 34. Psal. 24. 5. Prov. 22. 9. Isai. 1. 23. 33. 15. & passim. 11 Vide Hesiod. Oper. & dies.
12 Prov. 3. 3. *Misericordia, & veritas te non deserant.* Et 15. 22. *Misericordiæ, & veritas præparant bona.* Vide & 16. 6. & 20. 28. 13 Cyprian. l. 3. Testim. & l. de opere, & eleemos.
14 לב צדיק יהגה לענות ופי רשעים יביע רעות
15 Vide Edit. Rom. & confer eum Complut. Καρδίαι δικαίων μελετῶσι πίστεις, στόμα δὲ ἀσεβῶν ἀποκρίνεται κακά &c. 16 Prov. 10. 7. 22. 1. Eccli. 7. 2.

becilles animæ indigent id genus auxiliis ; sensim aliquando ad sublimiora, & ad rationes magis putas, sanctasque evehuntur. *Benefacta sunt primum inter præmia, bona vero existimatio, secundum*, Vetus auctor quidam ajebat.

℣. 31. AURIS, QUÆ AUDIT INCREPATIONES VITÆ &c.] Correctiones animæ idem præstant, quod corpori pharmaca. Hæc salutem reddunt, vitamque conservant [1] ; illæ vero a peccatis, flagitiis, ac animæ morte tuentur, & sapientiam, pietatem, vitamque largiuntur.

℣. 27. GLORIAM PRÆCEDIT HUMILITAS.] Gaudet Deus humiles elevare. *Qui se exaltat, humiliabitur*, Jesus ait Matth. 23. 12. *& qui se humiliat, exaltabitur.* Hoc omnibus temporibus divina Sapientia semper est operata. Aliter. Quicumque ad Sapientiæ gloriam pervenire contendit : debet incipere se humilians sub magistrorum disciplina, docilitate opus est, submissione, humilitate, si vis solidam scientiam comparare. Animæ nimis fidentes, ac superbæ, homines semidocti, qui se præceptis, & præceptoribus nequaquam indigere putant, qui bonorum, ac sapientum virorum docilitatem, atque credulitatem irrident, numquam veram sapientiam consequentur. Hic verus esse videtur hujus loci sensus, eum superioribus subnectendo : *Timor Domini est disciplina sapientiæ ; & humilitas*, modestia, *submissio est ante gloriam*. Humilitas isthic usurpatur veluti æquivalens timori Domini, & gloria, veluti synonymum Sapientiæ. Humilitas, docilitas, timor Dei sunt via, quæ nos ad Sapientiam deducit. Septuaginta [2]. *Timor Domini est disciplina, & sapientiæ, ac initium gloriæ respondebis illi.* Qui habet timorem Domini, habebit quoque sapientiam, & gloriam ; *impii peribunt diebus malis* ; postrema hæc verba ℣. 4. cap. 16. inveniuntur.

---

1 Basil. Regul. fusius disput. Reg. 52.

2 70. Φόβος Κυρίου, παιδεία, καὶ σοφία, καὶ ἀρχὴ δόξης ἀποκριθήσεται αὐτῇ. Πάντα τὰ ἔργα τοῦ ταπεινοῦ φανερὰ παρὰ τῷ Θεῷ. Οἱ δὲ ἀσεβεῖς ἐν ἡμέρᾳ κακῇ ὀλοῦνται. Sym. Theod. . . . Καὶ ἔμπροσθεν δόξης πραΰτης.

CAPUT XVI.

Homo præparat, & Deus gubernat. Deus omnia fecit pro se ipso ; ipse detestatur superbiam. Judicia Dei : Regum sapientia, eorum justitia, ira, clementia. Deus omnia operatur in pondere, & mensura. Egestas industriam parit. Homo patiens. Sortes a Domino reguntur.

1. HOminis est animam præparare : & Domini gubernare linguam. 2 Omnes
viæ hominis patent oculis ejus, spirituum ponderator est Dominus. 3
Revela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. 4 Universa
propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum. 5
Abominatio Domini est omnis arrogans : etiam si manus ad manum fuerit, non est
innocens. Initium viæ bonæ, facere justitiam : accepta est autem apud Deum magis, quam immolare hostias. 6 Misericordia, & veritate redimitur iniquitas : &
in timore Domini declinatur a malo. 7 Cum placuerint Domino viæ hominis,
inimicos quoque ejus convertet ad pacem. 8 Melius est parum cum justitia,
quam multi fructus cum iniquitate. 9 Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus. 10 Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit
os ejus. 11 Pondus, & statera judicia Domini sunt ; & opera ejus omnes lapides
sacculi. 12 Abominabiles regi, qui agunt impie : quoniam justitia firmatur solium. 13 Voluntas regum labia justa : qui recta loquitur, dirigetur. 14 Indignatio regis, nuntii mortis : & vir sapiens placabit eam. 15 In hilaritate vultus
regis, vita : & clementia ejus quasi imber serotinus. 16 Posside sapientiam, quia
auro melior est : & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. 17 Semita
justorum declinat mala : custos animæ suæ servat viam suam. 18 Contritionem præcedit superbia : & ante ruinam exaltatur spiritus. 19 Melius est humiliari cum
mitibus : quam dividere spolia cum superbis. 20 Eruditus in verbo reperiet bona : & qui sperat in Domino, beatus est. 21 Qui sapiens est corde, appellabitur prudens : & qui dulcis eloquio, majora percipiet. 22 Fons vitæ eruditio
possidentis : doctrina stultorum, fatuitas. 23 Cor sapientis erudiet os ejus, & labiis ejus addet gratiam. 24 Favus mellis, composita verba : dulcedo animæ, sanitas ossium. 25 Est via, quæ videtur homini recta : & novissima ejus ducunt ad
mortem. 26 Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum. 27 Vir
impius fodit malum, & in labiis ejus ignis ardescit. 28 Homo perversus suscitat
lites : & verbosus separat principes. 29 Vir iniquus lactat amicum suum : & ducit eum per viam non bonam. 30 Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua

bia sua perficit malum. 31 Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur. 32 Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. 33 Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.

℣. 1. HOMINIS EST ANIMAM PRÆPARARE: & A DOMINI GUBERNARE LINGUAM.] Hæc sententia non abludit ab ea; *homo proponit, & Deus disponit*. Possumus quidem inire, molirique consilia; at Dei est, nos voti compotes præbere. Rectius, inita consilia effectu carebunt, nisi Domino accepta fuerint, eisque ille benedixerit. At videtur Textus arctiorem sensum efflagitare. Nequicquam homo præparat animam suam, studet, effingit optimam pulcherrimamque sermonum, idearumque rationem in mente sua, hæc omnia in irritum evanescent, nisi divinum accesserit auxilium; cumque proferre debebit ea, quæ fuerat meditatus, se difficultatibus præpeditum, perturbatumque cognoscet, nisi Deus illi tribuerit spiritus præsentiam, ac memoriam, quæ necessaria est ad ea, quæ concepit, B exprimenda. Balaam ad Balac accessit certus consilii, ut ea omnia, quæ Rex imperasset, efficeret: nihilominus cum labia aperit, pro maledictionibus benedictiones enunciat [1]. Babylonis extructores decernunt turrim præaltam ædificare, ita ut vertex illius nubes usque pertingat; at Dominus illorum mentem perturbat, linguamque confundit [2]. Falsi testes prodeunt coram Sacerdotibus JESUM CHRISTUM accusaturi Marc. 14. 56. Deus vero permittit, ut eorum testimonia sibi repugnent. Achitophel, cujus consilia oraculorum loco habebantur, non potuit Absaloni probare consilium suum, licet utilissimum [3].

Hostes gratiæ JESU CHRISTI hoc abutebantur loco, ut probarent, hominem saltem præparare posse animam suam, & nostræ salutis initium a libero nostro C arbitrio, atque propriæ voluntatis electione pendere. At S. Augustinus l. 2. contra duas epist. Pelag. c. 8. eos scite refutavit, ex Scripturis ostendens sine JESU CHRISTO hominem nihil posse: *sine me nihil potestis facere* Joan. 15. 5. S. Paulus 2. Cor. 3. 5. aperte docet, nos ex nobis ne rectam quidem cogitationem posse concipere: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*. Et Scriptura alibi dicit [4]: *voluntatem a Domino præparari*. Itaque cum Salomon ait, hominem præparare cor, aut voluntatem, nequaquam intelligendus est, perinde ac homo solus ex se eam præparet: sed *homo præparet cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui tangit cor*. Concludendum igitur cum eodem S. Augustino: *Multa facit Deus in homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo, D quæ non faciat Deus, ut faciat homo*. Confer vers. 3. & 9. hujus capitis, ubi Salomon eadem ferme repetit.

℣. 2. OMNES VIÆ HOMINIS PATENT OCULIS EJUS: SPIRITUUM PONDERATOR EST DOMINUS.] Dominus propalam omnes vias nostras, ac vivendi rationem intuetur; immo secretiora cordis pervadit, mentem, cogitationes, consilia penitiora scrutatur. Sensum hunc Interpretes quidam sectantur [5]; sed plerique ita, juxta Hebraicum textum, explicant [6]: *Omnes viæ hominis sunt puræ in oculis ejus; sed Dominus est ponderator spirituum*. Quilibet putat, suam institutam vitæ rationem puram esse, atque irreprehensibilem; verum Domini judicio standum est; ipse integerrime judicat. Nobismet adulamur, erroresque nostros excu- E samus. At Dominus nos judicabit: ipse tenet spirituum, & cordium stateram; sibi eorum judicium, & cognitionem reservat. Vide similem loquendi rationem in Job 28. 25. ac infra Prov. 21. 2.

℣. 3. REVELA DOMINO OPERA TUA, & DIRIGENTUR COGITATIONES TUÆ.] Coram illo cape consilium, quam vivendi normam debeas amplecti, nihil aggredere, quin illum consulas: atque illi tua exponas consilia, & ille benedicet operibus tuis. Si præceptum hoc secutus fueris, nihil injustum, nihil improbum perpetrabis: quomodo enim ante oculos Dei scelesta expandere audebis consilia, atque ab illo opem expetere, ut exequaris illa? Hebr. [7] *Converte actiones tuas ad Dominum; & firmabuntur cogitationes tuæ*, non deerit consiliis, atque conatibus tuis felix eventus, si nihil eo inconsulto susceperis. Vide Psalmos 36. 5. & 54. 23. ubi deprehenduntur loquendi rationes omnino ferme similes. Adnotavimus jam cap. præcedenti, primos hujus capitis versiculos in exemplaribus Septuaginta dumtaxat legi.

℣. 4. UNIVERSA PROPTER SEMETIPSUM OPERATUS EST DOMINUS: IMPIUM QUOQUE AD DIEM MALUM.] Nihil est in orbe, quod in Domini gloriam non cedat, neque ad venerabilium consiliorum ejus executionem concurrat. Tum boni, cum mali ad hunc eumdem finem referuntur. Impius, quem propter impietatem ejus Deus sævissimis destinat suppliciis, ipse quoque pro modulo suo ad Dei gloriam prædicandam inservit. In nefariorum pœna præsertim divina elucet justitia. Sensus hic magis consonus videtur, & simplex. Alii huc revocant prædestinationis, atque reprobationis quæstiones, asserentes, Deum absoluto in creaturas suas usum imperio, benignitate omnino gratuita, & nulla habita vel præcedentium, vel præsentium, vel futurorum meritorum ratione, quosdam prædestinasse ad gloriam, alios vero propter ipsorum scelera æternis addixisse suppliciis, in quibus ipsius enitet gloria: verum hanc Salomonis esse sententiam, non liquet. Præstaret, mea quidem sententia, id ad hujus vitæ mala, & bona coarctare, quæ Deus bonis, malisque juxta Sapientiæ suæ, nulli unquam vestiganda consilia dividit, ut inde gloriæ suæ fiat accessio; præsertim vero divina enitcat justitia in suppliciis, quæ ipse vel in hac, vel in altera vita adversus impium exercet.

Recentiores quidam Interpretes [8] ita Hebraicum textum reddunt [9]; *Dominus omnia fecit, ita ut ipsa sibi invicem respondeant: impius etiam in die adversitatis punietur*. At Vulgatæ versio longe præstat; neque ullam video necessitatem, qua ad violentam hanc versionem confugere teneamur. Septuaginta [10]: *Omnia opera viri justi nota sunt Deo: at impii die mala*, vel die afflictionis, *peribunt*. Chaldæus: *Omnia opera Domini sunt pro illis, qui obediunt ipsi, & impius in diem malam reservatur*. Confer Ecclesiasticum 33. 14. & ea, quæ ait Moyses, Pharaonem allocutus [11]: *idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*. Et alibi [12]: *Indurabo cor Pharaonis*. Licet obdurata Regis hujus pertinacia, in ipso omnino fuit spontanea, non secus ac in aliis omnibus peccatoribus, qui non agunt pœnitentiam; verum tamen est, Deum eos ad gloriam suam convertere, illos infelici diei destinantem, quam & eri-

---

1 Num. 23. 7. 8. & seq. 2 Genes. 11. 7. 8.
3 2. Reg. 16. 13. & 17. 7. 8. & seq. 4 Prov. 8. 35. in Græco.
5 Vide Bedam, Lyran. Abenezra, Hugo, Dionys. 6 כל דרכי איש זך בעיניו ותוכן רוחות יהוה
7 גול אל יהוה מעשיך ויכנו מחשבותיך 8 Ita Jun. Geier. Glass. Dilher. Pfeiffer. Marin. Ita fere & Grot.
9 כל פעל יהוה למענהו וגם רשע ליום רעה *Omnia operatus est ad responsum suum.*
10 Πάντα τὰ ἔργα τοῦ ταπεινοῦ φανερὰ παρὰ τῷ Θεῷ. Οἱ δὲ ἀσεβεῖς ἐν ἡμέρᾳ κακῇ ὀλοῦνται. Et paulo inferius: Πάντα τὰ ἔργα τοῦ Κυρίου μετὰ δικαιοσύνης, φυλάσσεται δὲ ὁ ἀσεβὴς εἰς ἡμέραν κακήν. *Dominus omnia juste fecit: improbus reservatur diei infelici.* 11 Exod. 9. 16. Vide Rom. 9. 17.
12 Exod. 4. 21. 7, 3.

& criminibus, & libertatis abusu sibi promerentur

℣. 5. ABOMINATIO DOMINI EST OMNIS ARROGANS: ETIAMSI MANUS AD MANUM FUERIT, NON EST INNOCENS.] Hanc loquendi rationem, *manus ad manum non erit innocens*, superius jam sumus intuiti cap. 11. 21. ubi dicta videri possunt. Superbum Deus odit hoc ipso, quod superbus est. Tumens illius cor, atque ambitiosa cupiditas super fratres suos se se extollendi, & aliquid sibi contra suprema Dei jura vindicandi, ipsi Domini conflant indignationem. Non habebitur, veluti innocens: Deus iræ suæ die in ipsum severissime animadvertet. Septuaginta [1]: *Omnis homo, qui superbum habet cor, pollutus est coram Domino: qui injuste mittit manum in manu, non habebitur tamquam innocens.*

INITIUM VIÆ BONÆ &c.] Universus hic locus isthic additus est; eum autem in Græco, & Latino sextu capite superiori vers. 27. vidimus. Hic vero in Romanæ Editionis Græco textu dumtaxat repetitur. Re ipsa sententia eadem est, ac in sequenti versiculo, & hic inutili sane repetitione recurrit. Septuaginta addunt etiam ea, quæ sequuntur, quæ neque in Hebraico textu, neque in Vulgata inveniuntur: *Quærens Dominum inveniet scientiam cum justitia, & inquirentes eum, uti decet, invenient pacem. Omnia opera Domini justa, & impius in die mala reservatur.*

℣. 6. MISERICORDIA, & VERITATE REDIMITUR INIQUITAS.] Peccata expiantur operibus misericordiæ erga proximum, clementia, suavitate, miseratione, eleemosynis; & *veritate*, fidelitate, recta fide, æquitate, in commerciis rectitudine. Vide Prov. 3. 3. 14. 22. 20. 28.

℣. 7. CUM PLACUERINT DOMINO VIÆ HOMINIS, INIMICOS QUOQUE EJUS CONVERTET AD PACEM.] Si Deus homini favet, noris ille quidem efficere, ut invitis inimicis ejus, quidquid aggressus fuerit, felicem eventum obtineat; vel arcebit hos inimicos; exterminabit eos, vel potius illi reconciliabit. Centena intuiti sumus exempla miræ hujus reconciliationis in gratiam eorum, qui Domino fideles fuerunt. Jacob ferox ingenium Esau lenivit: Josephus ab extraneo Principe ad dignitatem evectus est; fratres illius, qui primum illi infensissimi fuerant, ad ipsum & supplices, & venerabundi accessere. Daniel, & socii illius honoribus excipiuntur ab illis Regibus, qui eos fuerant persecuti. Esther, & Mardochæus ad summas elati fuere dignitates a Rege, qui universam illorum gentem miserrimæ addixeras internecioni. Septuaginta [2]: *Quærens Dominum inveniet scientiam cum justitia, & inquirentes illum, uti par est, pacem reperient.*

℣. 8. MELIUS EST PARUM CUM JUSTITIA &c.] Vide vers. 16. cap. 17.

℣. 10. DIVINATIO IN LABIIS REGIS; IN JUDICIO NON ERRABIT OS EJUS.] Deus Regibus tribuit Sapientiæ spiritum ad populos regendos, & judicandos. Simulac Saul electus est, Rex iste in virum alium immutari se sensit: *immutavit ei Deus cor aliud* 1. Reg. 10. 9. Statim ac David a Samuele regia unctione delibutus fuit; *directus est spiritus Domini a die illa in David, & deinceps, . . . Spiritus autem Domini recessit a Saul* 1. Reg. 16. 13. Dominus in Salomonem Sapientiæ spiritum mirifica penitus plenitudine effudit, ita ut nemo illi umquam similis fuerit: *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit* 3. Reg. 3. 12. Hic autem est ille spiritus, qui a David Psal. 50. 14. Spiritus Principis, vel *spiritus principalis* vocatur. Moyses Dominici populi designatus imperator, repletus fuit Spiritu Sancto; cumque subalternis judicibus cu-

A rarum partem debuis communicare, Deus sumpsit de spiritu, qui erat in Moyse, ac partitus est illis, qui Judices populi fuerant constituti [3]. Josue Moysis successor, ipse quoque fuit divino spiritu afflatus [4]. Othoniel, qui subsecutus Josue est ad regimen Israel, eadem fuit gratia donatus: *fuit in eo spiritus Domini, & judicavit Israel* Judic. 3. 10. Gedeon [5], Jephte, Samson hac nota Judices populi Domini cogniti sunt; Spiritus Dei irruit in eos, ait Scriptura, animavit illos, & rexit. Hoc pacto semper egit Dominus in populo suo, donec imperium, & Regnum ad illius nutum collata, atque ad ejus arbitrium fuere directa. Manifesta, eaque extrinseca præbuit electionis, & approbationis suæ argumenta per sui Spiritus infusionem.

Sed cum hæc aperta desunt indicia, & Principes

B nulla singulari miraculorum pompa constituuntur, non ideo tamen, minus venerari fas est in ipsis Divini Numinis characterem, cujus in terris viventes imagines sunt; eorum judicia, leges, & decreta summo cultu, atque obsequio sunt excipienda; & habenda veluti oracula, atque decisiones nulli errori obnoxiæ: *Divinatio in labiis Regis; in judicio non errabit os ejus*; ni saltem certa suppetant argumenta, eorum æquitatem, ac religionem fuisse corruptas, atque affectum Spiritus lumini tenebras offudisse. Attamen non adeo Reges colendi sunt, ut eos adoremus, & veluti excæcati eorum defectus minime agnoscamus; sed tunc etiam cum aliquis error deprehendi existimatur in eo, qui Principis nomine insignitur, non licet paululum de ejus cultu, atque obsequio imminuere. Possumus

C quidem conqueri, supremumque Dominum rogare debemus, ut illuminet illos, qui populo suo præpositos voluit, eisque sapientiæ, ac recti judicii spiritum tribuat.

Hebræus textus [6] ita verti potest: *Labia Regis pronuntient oracula, & os illius non decipiatur in Judiciis.* Vel: Principis verba sunt veluti oracula: Caveat ergo ne erret in judiciis suis; tanta maturitate cuncta ponderet, ut populi, qui decreta illius, veluti oracula excipiunt, aliam de illis inire sententiam incipiant, si in ipsis vel injustitiam, vel errorem deprehendant.

Profani locuti sunt de Regum judiciis eodem ferme pacto, ac Salomon. Videmus in Job, qua reverentia ipsius decisiones quilibet veneraretur: *Quando proce-*

D *debam ad portas civitatis*, inquit ille c. 29. 7. *in platea parabant cathedram mihi. Videbant me juvenes, & abscondebantur: & senes assurgentes stabant: Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo . . . auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.* Locus, ubi Reges Persidis jus dicebant, veluti magnificentissimus exhibetur [7]. Principis thronus sub magnifico tholo positus est, quatuor avium figuris ornatus, quæ vocantur *iunces*, vel motacillæ, quæ sunt veluti pignora, vel symbola sapientiæ Principis, ac documenta, quibus ille admonetur, ne tumidus se super alios homines efferat. Magi quoque eodem in loco has aviculas ponunt, & figuras has *Deorum linguam* appellant. Ammianus Marcellinus lib. 21. ait, Regis consiliarios in Reipublicæ negotiis san-

E ctissimum servare secretum, & Deum silentii venerari: *Apud quos silentii quoque colitur numen.* Et Angelus Raphael Tobiam alloquens juxta horum populorum mores, inter quos iste degebat, illi ait, secretum Religione summa in Principum negotiis esse servandum: *Sacramentum Regis abscondere bonum est* Tob. 12. 7. Hesiodus in Theog. nobis exhibet populos ab Regum ore pendentes, atque ad illorum sanctiones intentos, & Principes describit summa æquitate, sapientia, ac mira facilitate impeditiora negotia dijudicantes. De-

1 Ἀκάθαρτος παρὰ Θεῷ πᾶς ὑψηλοκάρδιος, χειρὶ χεῖρας ἐμβαλὼν ἀδίκως, οὐκ ἀθῳωθήσεται.
2 Ὁ ζητῶν τὸν Κύριον εὑρήσει γνῶσιν μετὰ δικαιοσύνης, οἱ δὲ ὀρθῶς ζητοῦντες αὐτὸν, εὑρήσουσιν εἰρήνην.
3 Num. 11. 17. & seq.
4 Deut. 34. 9. *Josue filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas.*
5 Judic. 6. 34. & 11. 29. & 13. 25.
6 קסם על שפתי מלך במשפט לש ימעל פיו Vide Jun. Tremel. & Cartvigt.
7 Philostrat. lib. 1. De vita Apollonii.

mum, quis magis leges explicare potest, quam ille, cui uni jus est leges rogandi [1]? *Quis legum ænigmata solvere, & omnibus aperire idoneus esse videtur, nisi is, cui soli Legislatorem esse concessum est?* Videri possunt dicta in Psalmum 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum*.

℣. 11. PONDUS, & STATERA JUDICIA DOMINI SUNT: & OPERA EJUS OMNES LAPIDES SACCULI [2].] Judicia Domini in statera appensa sunt, & omnia opera illius habent mensuram, & pondus suum. Ad litteram [3]: Judicia ejus omnia stateræ sunt, & omnia pondera; & opera ejus sunt pondus, quod adfertur in sacculo. Antiquitus antequam argentum cuderetur, formisque signaretur, quilibet in zona stateram, ac in pera gestabat pondera, ut quod ultro, citroque solvebatur, vel exigebatur, argentum statim appenderetur. At hoc prolixius alibi ostensum est [4]. Salomon isthic innuere vult, ea omnia, quæ Dominus facit, vel fieri permittit, perfectissimæ æquitatis, atque ordinis esse [5].

℣. 13. VOLUNTAS REGUM LABIA JUSTA.] Reges justitiam, & veritatem exposcunt in iis, qui ad illos accedunt. Væ illis, quorum iniqua fides, atque mendacium deteguntur. Verum nihilominus est, neminem præ Regibus magis obnoxium fraudi, & ad eorum solium fere numquam simplicem veritatem prodire. Quidquid circum ipsos adest, in id incumbit, ut illis vel fucum faciat, vel in errore detineat. *Monstrabo tibi, cujus rei inopia laborant magna fastigia, & quid omnia possidentibus desit*, ait Seneca Ep. 21. *Unum scilicet, qui verum dicat; dum nemo ex animi sententia dicit, aut suadet, sed adulandi certamen est unum amicorum omnium officium*.

℣. 14. INDIGNATIO REGIS, NUNTII MORTIS... (℣. 15.) IN HILARITATE VULTUS REGIS VITA.] Duæ hæ sententiæ sibi mutuo lucem afferunt. Princeps ira, atque indignatione succensus quocumque terrorem, ac mortis imaginem infert; & veluti ferox, atque indomitum animal illum omnes evitant: Sed Princeps clemens, justus, & mitis, est populi deliciæ; omnes ad eum videndum accurrunt, & in illius intuitu lætantur. *Non alia facies est clementis, ac moderati imperii*, ait Seneca de Clement. *quam sereni cœli, atque nitentis; Crudele regnum, turbidum, tenebrisque obscurum est inter trementes, & ad repentinum sonitum expavescentes, nec eo quidem, qui omnia conturbat, inconcusso*.

CLEMENTIA EJUS, QUASI IMBER SEROTINUS,] imber videlicet, qui post messem, atque magnos æstatis calores decidit. Job eadem utitur comparatione, ut ostendat, quanta ipsius esset existimatio, atque amor in populis. *Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum: verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum: expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum*. Job. 29. 21.

℣. 16. POSSIDE SAPIENTIAM &c.] Sententia hæc per se satis patet sine Commentario. Septuaginta eam aliter sunt interpretati. En textum ad litteram [6]: *Sapientiam acquire, hoc majus bonum est auro: & possidere prudentiam, utilius est argento*. Septuaginta [7]: *Sapientiæ nidi meliores sunt auro, & nidi prudentiæ meliores argento*. Hoc nomine *nidorum Sapientiæ*, Interpretes intelligunt Ecclesias JESU CHRISTI, vel loca, ubi juventus in pietatis studio, innutritur, vel diversa præcepta sapientiæ [8]. S. Basilius, & S. Ambrosius [9] ad hirundinum nidos id referunt, ubi tanta deprehenditur industria.

℣. 17. SEMITA JUSTORUM DECLINAT MALA.] Justi peccatum vitant, ac immunes sunt iis malis, quæ illius & effectus sunt, & supplicia. Septuaginta longe absunt & a Vulgata, & ab Hebræo: *Viæ vitæ absunt a malis, & viæ justitiæ tribuunt vitæ diuturnitatem. Qui recipit instructionem*, vel correctionem, *felix erit; at qui recipit reprehensiones, fiet sapiens. Qui observat vias suas, custodit animam suam; & qui amat vitam suam parum loquetur*. Hæc majori ex parte est sententiarum jam explicatarum repetitio.

℣. 18. CONTRITIONEM PRÆCEDIT SUPERBIA.] Hæc eadem sententia habetur inferius cap. 18. 12. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; & antequam glorificetur, humiliatur*. Fere numquam accidit, ut homo in maxima flagitia ruat, nisi prius cor ejus superbia intumuerit. Humiliatio communis est pœna ambitionis. *Manifesto, apertoque peccato diabolus hominem non cepisset, nisi jam ille sibi ipsi placere cœpisset*, ait S. Augustinus l. 14. de Civit. c. 13. *Illud malum* (superbiæ) *præcesserat in abdito, ut sequeretur hoc malum, quod perpetratum est in aperto. Illa prorsus ruina, quæ fit in occulto, præcedit ruinam, quæ fit in manifesto*. Septuaginta [10]: *Contumelia præcedit interitum; & pravi sensus*, nequitia, arrogantia, *præcedunt lapsum*.

℣. 19. MELIUS EST HUMILIARI CUM MITIBUS &c.] Hebræus [11]: *præstat humiliare spiritum suum cum humilibus, quam dividere spolia cum superbis*. Melius est, affligi, humiliari cum bonis, quam victores esse cum malis. Septuaginta [12]: Humilis, *& mitis corde præstat cum humilitate sua, quam qui dividit spolia cum violentis*, & impotentibus.

℣. 21. QUI DULCIS ELOQUIO, MAJORA PERCIPIET.] Sapientis, ac prudentis viri maximum sane pretium est, nec satis umquam æstimandum; sed qui sapientiæ addidit eloquentiæ illecebras, hic majorem adhuc nominis famam obtinebit. Vel: Vir, qui sapientiam tantummodo possidebit, vir prudens habebitur: commendabitur prudentia illius in negotiis gerendis, & sapientia ejus in vitæ ratione. At qui præterea eloquentiæ munere præstiterit, longe erit melior. Hebræus [13]: *Appellabitur sapiens, prudens, & qui labiorum suavitatem habet, doctrinam adjicit*. Auget scientiam suam studens, quid sibi apud alios dicendum sit, & effundit doctrinam suam sermonibus eloquentibus, atque flexanimis. Septuaginta [14] longe ab hoc sensu recedunt: *Vocantur mali, qui sapientes, ac prudentes sunt; & aliquid deterius adhuc dicetur illis, qui eloquentiæ possident suavitatem*. Vel: qui suavem habent eloquentiam, plura audient. At Hebræus textus longe hic præstat. Sapiens hic eloquentiæ commendat utilitatem, ultra etiam simplicis sapientiæ laudem: verum de ea intelligendum est eloquentia, cui non desit comes sapientia, sine qua perniciosa potius esset, quam utilis.

℣. 22. FONS VITÆ ERUDITIO POSSIDENTIS.] Scientia est fons vitæ possidenti eam. Salutis doctrina, vera sapientia Dei timori innixa, fons est vitæ illam possidenti; comparat illi solida bona, deducitque eum ad felicitatem, quæ unicus est totius spei nostræ finis.

℣. 23. COR

1 Lib. 10. Cod. de Legib. 2 Plures legunt: *Lapides sæculi*. Ita Beda & alii non pauci.
3 פלס ומאזני משפט ליהוה מעשהו כל אבני כיס 4 In dissertatione de vetustate nummorum cusorum, in capite Genes. Vide pariter Deut. 25. 13. 5 Sap. 11. 21. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*. 6 קנה חכמה מה טוב מחרוץ וקנות בינה נבחר מכסף
7 Νεοττιαὶ σοφίας αἱρετώτεραι χρυσίου, νοσσιαὶ δὲ φρονήσεως αἱρετώτεραι ὑπὲρ ἀργύριον.
8 Vide Caten. Græc. in Prov. hic. 9 Basil. in Hexamer. homil. 8. Ambros. lib. 5. Hexamer.
10 Πρὸ συντριβῆς ἡγεῖται ὕβρις, πρὸ δὲ πτώματος κακοφροσύνη.
11 טוב שפל רוח את ענוים
12 Κρείσσων πραΰθυμος μετὰ ταπεινώσεως, ἢ ὃς διαιρεῖται σκῦλα μετὰ ὑβριστῶν.
13 לחכם לב יקרא נבון ומתק שפתים יסיף לקח
14 Τοὺς σοφοὺς καὶ συνετοὺς φαύλους καλοῦσι, οἱ δὲ γλυκεῖς ἐν λόγῳ πλείονα ἀκούσονται.

℣. 23. Cor sapientis erudiet os ejus : & labiis ejus addet gratiam.] Sapientia emicat in verbis sapientis : ex illius sermonibus, quid intra ipsum lateat, innotescit. Hebræus.[1] : *cor sapientis ducet*, gubernabit, reget, prudens efficiet *os illius*, *& addet scientiam labiis ejus*. Sapientia plurimum confert eloquentiæ ; ac magnum discrimen adest inter sapientem, disertumque oratorem, ac eum, qui verbis dumtaxat diffluit, & loquendi præstat facilitate. A

℣. 24. Favus mellis, composita verba.] Hebræos [2] *verba suavia*, jucunda, amœna, *sunt* veluti *favus mellis*, auditoris animam lætitia replent. Pergit Salomon, Eloquentiam laudans.

℣. 25. Est via, quæ videtur homini recta &c.] Vide sententiam eamdem supra Cap. 14. 12.

℣. 26. Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.] Nisi comedendi urgeret necessitas, numquam laboraret ; non enim laborat, nisi fame coactus. Paupertas, & necessitas admirabiles sunt magistræ ; mentem acuunt, industriam excitant, artes perficiunt [3]. Hebræus [4] longe aliter vertitur : *Anima laborantis laborat sibi* ; quilibet laboribus sibi ad victum necessaria comparat : *quod os ejus incilnat super illum*. Debet sibi met victum quærere. Os, aut venter creditor est importunus, & insatiabilis, quem tollere, & cui semel pro semper satisfacere nemo potest. Aliter : *anima illius, qui in dolore jacet, pro se patitur, quod os suum urget ipsum*, veluti hostis, qui illum oppugnat, eique vitam studet adimere. At sensus hic, qui idem ferme est ac in Syriaca versione, non est satis perspicuus. Chaldæus : *anima laborantis fert pœnam, quod humiliatio eius ab ore ipsius proficiscitur* ; quod ipsum obscurum est. Septuaginta [5] : *Qui est in labore, sibi laborat ; & vim facit proprio excidio*, ei pro virili resistit ; *sed homo perversus fert interitum suum in ore suo*. Vulgatæ sensus melior videtur, & magis naturalis. Confer Eccle. 6. 7. *Omnis labor hominis in ore eius non implebitur*. B C

℣. 27. Vir impius fodit malum, & in labiis ejus ignis ardescit.] Hæc loquendi ratio, *fodere malum*, significat cum labore, atque attentione malum operari : illud perquirere, quemadmodum abditus quæritur thesaurus, summo studio in illud incumbere. Impius fert in lingua sua ignem ardentem, qui ubique incendia, ac infinitas cædes parit. Apostolus S. Jacobus hanc eamdem sequitur sententiam, cum ait 3. 6. *Ecce quantus ignis, quam magnam silvam incendit : Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna*. Septuaginta [6] ; *stultus sibi fodit mala, & congregat super labia sua ignem ardentem*. D

℣. 28 Homo perversus suscitat lites, & verbosus separat Principes.] Hebræus [7] : *Homo mutans*, inconstans, infidelis, *excitat dissidia, & calumniator*, delator, murmurator, nebulo, *dividit Principes*, serit divisiones inter Principes. Seritur divisio inter Regem, & Ministros, vel subditos ejus, jaciendo semina diffidentiæ, ac simultatis inter illos [8]. *Vir fraudulentus effundit mala, & accendit veiut lucernam doli iniquis, & amicos separat*. E

℣. 30. Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum.] Hæc positura, hi gestus vulgo noræ sunt pravæ habitudinis cordis. Oculi turbati, atque attoniti, significant animum perturbatum, agitatum, inquietum, extra locum suum. Labia sibi mordere, furoris signum est, iræ, atque desperationis. Hebræus [9] : *qui claudit oculos*, vel qui annuit oculis, *id facit, ut ad malum cogitet ; & qui claudit*, vel mordet, vel movet *labia sua, faciet malum*. Salomon damnat isthic eos omnes gestus, qui affectum aliquem innuunt, oris habitum cogitabundum, attonitos, fixosque oculos, præcipitem labiorum motum vel cum etiam labia clauduntur, atque mordentur. Septuaginta [10] : qui *immotos* tenet oculos, ad mala cogitat ; decernit quodvis malorum genus perpetrare, per motum *labiorum suorum*. *Talis vir est fornax iniquitatis*.

℣. 31. Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur.] Senectus plurimum addit observantiæ, qua meritum, sapientiamque prosequimur, tunc præcipue cum sapientiæ, experientiæ ; atque ætatis comites adsunt justitia, & virtus. Hebræus verti potest [11] ; *Cani sunt corona pulchritudinis, invenietur* corona hæc, vel senectus *in viis justitiæ*. Ut felicem hanc, spectabilemque senectutem assequamur, vias justitiæ sequi debemus ; nam diuturna vita præmium est vitæ bonæ, si Scripturis sit fides.

℣. 32. Melior est, qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.] Fortitudo magis elucet, & victoria eo insignior est, quo major fuit vincendi difficultas. At longe facilius est externos hostes vincere, oppida capere, populos subjicere, quam affectus suos debellare, desideriis moderari, pravas habitudines domare, iræ motus coercere, suborientes indignationes extinguere [12]. Nullum ferme e nobilissimis victoribus novimus, cui ira, vel amor, vel fastus, vel superbia, vel affectus alius quipiam non fuerit dominatus. Ethnici quoque affabre sententiæ hujus veritatem explicuere. Ovidius.

Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

Affectibus suis imperitare longe majus regnum est ; quam populis jura tribuere : Horatius l. 2. Od. 2.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

Hæc locutio : *qui dominatur animo suo*, vel cum Hebræo [13] : *spiritui suo* ; significat, propriis affectibus, atque cupiditatibus imperitare. Vide Prov. 25. 27. Isai. 33. 11. Septuaginta [14] : *qui dominatur iræ suæ, melior est urbium expugnatore*.

℣. 33. Sortes mittuntur in sinum ; sed a Domino temperantur.] Nihil in Mundo accidit, non jubente, vel permittente Deo. Quod fortuito, & casu aliquo contigisse videtur, nequaquam tale est [15] : sortes ipsæ invisibili, sapientique manu reguntur. Plura in Scripturis sortium intuemur exempla, quæ mirum in modum profuere ad veritatem prodendam, atque Dei gloriam augendam. Usus illarum frequens erat apud Hebræos, apud alios vero populos fre-

1 לב חכם ישכיל פיהו ועל שפתיו יוסיף לקח 2 צוף דבש אמרי נעם

3 Manil. Astron. 1. *Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque advigilare sibi jussit fortuna premendo.*

4 נפש עמל עמלה לו כי אכף עליו פיהו 5 Ἀνὴρ ἐν πόνοις πονεῖ ἑαυτῷ, καὶ ἐκβιάζεται αὐτοῦ τὴν ἀπώλειαν, ὁ μέντοι σκολιὸς ἐπὶ τῷ ἑαυτοῦ στόματι φορεῖ τὴν ἀπώλειαν. Aquil. ψυχὴ τοπιῶντος ἐπόνεσεν ἑαυτῷ. Sym. ψυχὴ κεκοπιακότος ἐκοπίασεν ἑαυτῷ. Theodotion. ait, cum qui nimis laborat, mortem sibi inferre. Οἱ ἐν πόνοις ποιοῦσιν ἄμετρον, ἐπισπῶνται θάνατον. 6 Ἀνὴρ ἄφρων ὀρύσσει ἑαυτῷ κακά, ἐπὶ δὲ τῶν ἑαυτοῦ χειλέων θησαυρίζει πῦρ. Hebr. איש בליעל Aquil. Ἀνὴρ ἀποστασίας. *Vir apostata*. Sym. Ἀνὴρ ἀνυπόστατος. *Vir intolerabilis*.

7 איש תהפכות ישלח מדון ונרגן מפריד אלוף 8 Ἀνὴρ σκολιὸς διαπέμπεται κακά, καὶ λαμπτῆρα δόλου πυρσεύει κακοῖς, καὶ διαχωρίζει φίλους. 9 עצה עיניו לחשב תהפכות קרץ שפתיו כלה רעה

10 Στηρίζων ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, λογίζεται διεστραμμένα, ὁρίζει δὲ τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ πάντα τὰ κακά, οὗτος κάμινός ἐστι κακίας. Aquil. Sym. Th. Κνίζων χείλη. *Vellicans, mordens labiis*.

11 עטרת תפארת שיבה בדרך צדקה תמצא 70. Στέφανος καυχήσεως γῆρας, ἐν δὲ ὁδοῖς δικαιοσύνης εὑρίσκεται.

12 Ambros. lib. 1. Offic. cap. 41. Chrysost. homil. 85. in Matthæum. Vide, si placet, & Gregor. Magn. Pastoral. 3. parte, adm. 10. Vide & D. Thom. Secund. Secundæ, qu. 123. art. 6. ad 1.

13 ומשל ברוחו מלכד עיר 14 Ὁ δὲ κρατῶν ὀργῆς, κρείσσων καταλαμβανομένου πόλιν.

15 Vide August. lib. 5. de Civit. cap. 9. *In ejus voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat.*

frequentissimus. Non deerant, qui nihil umquam momenti alicujus aggrederentur, fortibus inexploratis, utrum aliquid faciendum, & quo tempore, & quo pacto esset peragendum. In S. Matthiæ electione Apostoli, licet Spiritu Sancto afflati, fortes misere, ut agnoscerent, quis in Judæ locum esset fufficiendus Act. 1. 26. Ad hanc quoque diem in Electione Patriarchæ Alexandrini Ecclesiæ Cophticæ, & in electione Catholici Nestorianorum, cum aliqua adsit contentio, neque partes conciliari queant ad aliquem eligendum, fortes jaciuntur [1]. At si verum est, fortes Dei manu regi, eum non satis explorata est ejus voluntas, vel cum de A rei alicujus eventu dubitatur, non ne huic uni videtur insistendum esse viæ, quandoquidem omnium una tutissima est, ac facillima? Ecclesia tamen, & jure, nimium frequentem fortium usum damnat; & putat esse veluti peccatum Deum tentare. Sapientes viri hoc in quibusdam solum extraordinariis casibus permittunt, puta in distributione hæreditatum, vel partium totius; ubi nulla alia suppetit via ad lites præoccupandas, vel dirimendas [2]. Qui vero perperam, atque sine ratione fortibus abutuntur, sæpius errori, & dolori sunt obnoxii in pœnam, eamque meritam, arrogantiæ, ac vanæ curiositatis.

1 Renaudot, Perpetuite de la Foi, 4. tom. l. 1. c. 7. pag. 56. & c. 9. p. 76.
2 Vide Prov. 18. 18. *Contradictiones comprimit fors, & inter potentes quoque dijudicat.*

CAPUT XVII.

Servus sapiens. Cordium probator Dominus. Contemnens pauperem. Filii corona patrum. Proximi defectus celandi. Pauper non despiciendus. Lites, ac jurgia vitanda. Magna bona stulto inutilia. Amicus bonus. Stultus, cum tacet, Sapiens habetur.

1. MElior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio. 2 Servus sapiens dominabitur filiis stultis, & inter fratres hæreditatem dividet. 3 Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus. 4 Malus obedit linguæ iniquæ. & fallax obtemperat labiis mendacibus. 5 Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus: & qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. 6 Corona senum filii filiorum: & gloria filiorum patres eorum. 7 Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens. 8 Gemma gratissima, expectatio præstolantis: quocumque se verterit, prudenter intelligit. 9 Qui celat delictum, quærit amicitias: qui altero sermone repetit, separat fœderatos. 10 Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. 11 Semper jurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum. 12 Expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua. 13 Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. 14 Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, judicium deserit. 15 Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. 16 Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: & qui evitat discere, incidet in mala. 17 Omni tempore diligit, qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur. 18 Stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo. 19 Qui meditatur discordias, diligit rixas: & qui exaltat ostium, quærit ruinam. 20 Qui perversi cordis est, non inveniet bonum: & qui vertit linguam, incidet in malum. 21 Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec pater in fatuo lætabitur. 22 Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa. 23 Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii. 24 In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ. 25 Ira patris, filius stultus: & dolor matris, quæ genuit eum. 26 Non est bonum, damnum inferre justo: nec percutere principem, qui recta judicat. 27 Qui moderatur sermones suos, doctus, & prudens est: & pretiosi spiritus vir eruditus. 28 Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens.

℣. 1. MELIOR EST BUCCELLA SICCA CUM GAUDIO &c.] Cum Domino victimæ offerebantur in Templo, domi plerumque amicis instruebatur convivium cum harum victimarum carnibus, quarum adeps, & cruor super Altari fuerat oblatus. Vide supra Prov. 7. 14. Domus ergo victimarum plena, est domus referta carnibus familiæ, vel amicorum convivio destinatis. Sunt [1], qui Hebræum ita reddant [2]: *Melior est buccella siliquæ cum pace &c.* Siliqua, vernacule *carruba*, est species fructus, cujus putamina super æstates exsiccata comedimus; cum virescunt, adhuc vehementem emittunt odorem; at aridæ mellis dulcedinem imitantur. Septuaginta [3]: *Præstat habere buccellam cum voluptate in pace, quam domum bonis, & victimis injustis refertam, cum jurgio.* Theodotion [4]: *præstat buccella, quæ nobis convenit*, vel buccella omnino sola.

℣. 2. SERVUS SAPIENS DOMINABITUR FILIIS STULTIS, & INTER FRATRES HÆREDITATEM DIVIDET.] Scilicet inter fratres stultos. Servus sapientia præditus, domini sui domum regit; eum auctoritate filiis ejus imperat; ac post patris obitum, eorum singulis divider hæreditatem. Salomon non poterat magis sapientiam laudare, quam ostendens ipsam, vel servo domini auctoritatem conferre super illos, quibus subesse, atque obtemperare deberet. Hæc Veterum Sapientum sententia fuit [5], imperium jure ad meliorem convenire, & sapientiorem. Hebræus [6]: *Servus dominabitur in filium, qui confusionem parit*, qui consilio, & sapientia caret; *& dividet hæreditatem inter fratres*. C Quæ postrema verba nonnulli explicant [7], perinde ac servus ipse in filiorum partem admittendus esset, eumque familiæ pater adoptaret, ac in filiorum suorum numerum in fidei præmium exciperet; sed præstat priori adhærere sensui, quem superius attulimus. Septuaginta [8]: *servus cordatus dominabitur dominis suis insipientibus, & faciet partes inter fratres*, veluti Judex, aut arbiter, vel tamquam executor voluntatum patris. In Josephi persona, servi sapientis exemplum sumus intuiti, qui in ipsa servitute magis liber, magisque dominus erat dominis suis: *Contractus non mutat genus*, ait Divus Ambrosius, de Sancto hoc Patriarcha loquens in Psal. 104. *nec sapienti libertatem adimit*.

℣. 3. SICUT IGNE PROBATUR ARGENTUM &c.] Ita Dominus probat corda afflictionibus, paupertate, D ignominia. Josephus per servitutem, ac Dominæ suæ tentationem probatus fuit: Job per omnium bonorum suorum jacturam, per uxoris suæ irrisiones, per vulnera, quibus universum illius corpus contrahuit: Daniel per ignem, & bestias; Tobias per cæcitatem. Scriptura passim hac utitur similitudine ex metallis, quæ per ignem probantur deprompta [9]. Græci lapidis Lydii similitudine utuntur, quo Hebræos antiquitus nequaquam usos fuisse reor [10].

℣. 4. MALUS OBEDIT LINGUÆ INIQUÆ, & FALLAX OBTEMPERAT LABIIS MENDACIBUS.] Impius, & fallax se mutuo illudunt, ac ultro, citroque decipiunt. Vel, simul ad simplices fallendos conjurant. Mutuis sibi & parent, & obediunt officiis ad malum peragendum. Septuaginta [11], Syrus, & S. Cyprianus [12] in sensu omnino opposito legunt; *Malus obedit linguæ impiorum: at Justus non audit labia dolosa*. In E Complutensi vero Editione, & in aliis quibusdam Exemplaribus [13] hęc verba adjiciuntur, quæ neque in Hebræo, neque in Vulgata inveniuntur, (extant tamen in Græco Romanæ Editionis post vers. 6.) *Fidelis possidet omnes mundi divitias; at infidelis neque obulum habet.* Fidelis generoso divitiarum contemptu ditior est illis, qui maximos possident thesauros; & avarus dives inter bonorum affluentiam neque obolo fruitur, pauperior est pauperrimis; *tam enim deest avaro quod habet, quam quod non habet*.

℣. 5. QUI DESPICIT PAUPEREM, EXPROBRAT FACTORI EJUS.] Vide sententiam eamdem Prov. 14. 31.

℣. 6. CORONA SENUM FILII FILIORUM, & GLORIA FILIORUM PATRES EORUM.] Lætantur senes videntes frequentem, speciosamque familiam, & patres communicant filiis suis gloriam, quam adepti sunt, vel belli, vel domi, vel etiam in pietatis, virtutumque exercitatione. Filii quodam obligationis genere tenentur iis in rebus excellendi, in quibus patres eorum B floruere, atque gloriam nominis eorum sustinendi. Homerus apud Plutarchum in Vita ejusdem, eadem ferme, ac Salomon ait: *Filii corona sunt patrum, quemadmodum turres ornamenta sunt civitatum*.

℣. 7. NON DECENT STULTUM VERBA COMPOSITA, NEC PRINCIPEM LABIUM MENTIENS.] Non secus ac stulto, idiotæ homini ex ima vulgi fœce, minime convenit loqui, quemadmodum Princeps loqueretur; ita dedecet Principem, non secus ac stultum, effutire verba, mentiri, sensus suos simulare: *Mendacium est mancipiorum vitium*, ait Vetus quidam Auctor. Si quæcumque Principis verba tamquam oracula habenda sunt [14]; quinam poterit ille mendacium proferre? Si verbo illius fides haberi nequit, quodnam erit societatis bonum, ac Reipublicæ columen, cum illa unice rectæ fidei, atque æquitati Principis innitatur? Septuaginta [15]: *Labia fidelia minime decent insipientem, nec labia dolosa justum*. Adeo infrequens est, ut stultus, iniquus, impius (in hoc enim libro tria hæc veluti synonyma usurpantur) adeo inquam infrequens est, ut id genus homines verum dicant, ac promissorum fidem præstent; ut mirum fit, si umquam in illis forte veritas, æquitas, recta fides inveniantur. Hoc enim haberetur velut quid incongruum, atque indecorum. E contra justus fallere, mentiri, promissa violare non potest. Hebræus ad litteram [16]: *Labium dignitatis*, auctoritatis, magnitudinis, excellentiæ, *non bene congruit insipienti: multo minus labium mendacii liberali*, Principi, Optimati.

℣. 8. GEMMA GRATISSIMA, EXPECTATIO PRÆSTOLANTIS: QUOCUMQUE SE VERTIT, PRUDENTER INTELLIGIT.] Optimus huic loco tribui sensus potest, in moralem sensum vertendo: Qui omnem suam spem ad Cœlum extollit, suavissima fruitur voluptate, tantum bonum expectans, quocumque se vertat, quodcumque opus suscipiat tanti boni intuitu, omnia illi semper cedent ex animi sententia: Deus spem illius, fidem, atque fidelitatem remunerabitur. Hebræus aliter potest intelligi [17]: *Munera sunt veluti lapis gratiarum*, lapis eximiæ speciei, *pro illo, qui offert illa: quocumque se conferet, omnia felicem exitum consequentur*. Munera illi aperient omnes januas, omnes illi difficultates explanabunt, hilari animo, ac vultu excipietur, quocumque gressum feret. Salomon per hæc verba *lapis gratiarum*, innuere voluisse videtur quosdam pretiosos lapillos, quibus virtus esse dicebatur, amorem conciliandi, vel gratiosos eos reddendi, qui illos gestarent [18]: hujus vero generis sunt sapphirus [19], & jas-

1 L. Capell. Comment. pag. 473. 2 טוב פת חרבה ושלוה בה מבית מלא זבחי ריב
3 Κρεῖσσον ψωμὸς μεθ' ἡδονῆς ἐν εἰρήνῃ, ἢ οἶκος πλήρης πολλῶν ἀγαθῶν, καὶ ἀδίκων θυμάτων μετὰ μάχης.
4 Theod. ψωμὸς κατ' ἑαυτόν. 5 Τὸ κέρας κρεισσόνων.
6 עבד משכיל ימשל בבן מביש ובתוך אחים יחלק נחלה 7 Abenezra, Tir. Menoch. Mercer. Geier. alii.
8 Οἰκέτης νοήμων κρατήσει δεσποτῶν ἀφρόνων, ἐν δὲ ἀδελφοῖς διελεῖται μέρη.
9 Jerem. 6. 27. Eccli. 2. 5. &c. 10 Strab. Tract. de verit. ex Bacchilide.
11 70. Edit. Rom. Κακὸς ὑπακούει γλώσσης παρανόμων, δίκαιος δὲ οὐ προσέχει χείλεσι ψευδέσι. Complut. ..... Ἄδικος δὲ προσέχει χείλεσι ψευδέσι. 12 Cyprian. lib. 1. Ep. 3. Ita & Author Catenæ hic.
13 Τοῦ πιστοῦ ὅλος ὁ κόσμος τῶν χρημάτων, τοῦ δὲ ἀπίστου οὐδὲ ὀβολός. Ita & Hieron. in Ezech. 45. Aug. olim Ep. 54. nunc 153. ad Macedon. & lib. 1. Confess. c. 4. & Ambros. lib. 3. Ep. 25. Cassian. collat. 24. cap. 26. & alii.
14 Prov. 16. 10. 15 Οὐχ ἁρμόσει ἄφρονι χείλη πιστὰ, οὐδὲ δικαίῳ χείλη ψευδῆ.
16 לא נאוה לנבל שפת יתר אף כי לנדיב שפת שקר 17 אבן חן השחד בעיני בעליו אל כל אשר יפנה ישכיל
18 Vide Salazar, & Cornel. a Lapide, hic. 19 Epiphan. lib. de Gemmis.

& jaspis [1]. Plinius [2] loquitur de quadam hyacinthi specie, quæ censebatur ebrietati resistere posse, atque amorem ciere, & Magos suasisse, ut eamdem secum haberent, qui Regem erant adituri. Adamas quoque fertur iram coercere, atque conjugalem amorem alere [3]. Reor quidem, pleraque hæc esse fabulosa; sed error hic est vetustissimus: illum Salomon nequaquam probat; sed loquitur dumtaxat, ut vulgo loqui consueverant. Munera, divitiæ sunt veluti philtrum ad amorem captandum. Vide infra cap. 18. 16. Septuaginta 4: *Doctrina pro illis, qui utuntur ea, est veluti jucundissimum præmium; omnia ex animo illis accidunt quocumque se conferant*. Qui optime instituti sunt, & sapientiæ præcepta sectantur, in omnibus felicem eventum sortiuntur, & ubicumque verum bonum ametur, summa cum benevolentia excipiuntur. B Si sapiens stultis, ac iniquis non placet, se felicem reputare debet.

Ÿ. 9. QUI CELAT DELICTUM, QUÆRIT AMICITIAS: QUI ALTERO SERMONE REPETIT, SEPARAT FOEDERATOS.] Qui præterita crimina repetit, dissidium serit in iis, qui conjuncti sunt. Vel, qui repetit, qui nimis frequenter in memoriam revocat res jam oblivione obrutas, & transactas, discordiam gignit. Denique, qui nimia festinatione reparari quærit injuriam, quam sibi illatam contendit; extinctas simultates instaurat. Secundum hujus loci membrum juxta Vulgatam hos omnes sensus admittit. En autem Hebræum [5]: *Qui celat delictum, quærit amicitias, & qui sermones iterat*, ad alios refert, quid de ipsis, dum aberant, dictum est; *serit dissidium inter Principes*. C Maledici, & qui audita reportant, non inter privatos solum dissensionem gignere possunt, verum inter Optimates, & Principes bella, insignesque inimicitias parere. Septuaginta [6]: *Qui celat delicta, quærit amicitiam: & qui non amat celare* crimina *suscitat amicos, & proximos in semet*.

Ÿ. 10. PLUS PROFICIT CORREPTIO APUD PRUDENTEM.] Unum dumtaxat verbum magis proficit apud sapientem virum, quam objurgationes apud insipientem: *Sapienti dictum sat est*. Ad solum nutum sapiens intelligit; neque expectat, donec semel dictum iterum repetatur [7]. *Nobilis equus umbra virgæ regitur, ignavus ne calcari quidem*. Q. Curtius.

Ÿ. 11. SEMPER JURGIA QUÆRIT MALUS: ANGELUS AUTEM CRUDELIS MITTETUR CONTRA EUM.] D Hic Angelus crudelis non alius est plane, quam Angelus mortis [8], Angelus exterminator [9], Angelus minister [10] malorum, Angelus Sathanæ, de quo sæpius in Scripturis est sermo [11], veluti de justitiæ, iræque Divinæ ministro. Hic censetur primogenitos in universa Ægypto occidisse; hic populum David percussisse in pœnam vanæ Principis curiositatis; hic exercitum Sennacherib internecione delevit, hic septem primos Saræ, Raguelis filiæ, viros extinxit. Hunc crudelem Angelum Salomon minitatur illis, qui jurgia quærunt, & pacem cum fratribus suis nequeunt servare. Nonnulli [12] *crudelis Angeli* nomine credunt, intelligi hominem posse, qui mortem minitabitur, vel A annuntiabit, vel inferet. Hebræus hoc pacto reddi potest [13]: *Rebellis*, vel contentiosus, *quærit malum: angelus autem crudelis mittetur contra eum*. Septuaginta [14]: *iniquus semper jurgia suscitat; Dominus immittet in illum Angelum malum*. Patres plurimi crediderunt, Deum sæpius usum fuisse bonorum Angelorum ministerio, ut severitatem suam in impios exerceret.

Ÿ. 12. EXPEDIT MAGIS URSÆ OCCURRERE RAPTIS FOETIBUS &c.] Quam stulto, qui nullius consilium admittit, qui affectuum suorum motus dumtaxat sequitur. Homo huic similis in summa quælibet ruere potest flagitia: væ illi, cui cum eo res est. Ursa crudelior est urso [15], at crudelitas illius gravior est, cum catulos suos amisit. Hæ belluæ communes erant in Palæstina, & Sacri Auctores illinc similitudines depromunt, cum alicujus sævitiam exaggerare desiderant. En Hebræum textum ad litteram redditum [16]: *Ursus, cui rapti sunt catuli, occurrens homini, & stultus in stultitia sua*: duo hæc æqualia sunt pericula. Septuaginta [17]: *Homo sapiens cura replebitur; at insipiens ad malum tantummodo cogitabit*. Quod longe, & ab Hebræo, & a Vulgata, & ab aliis Interpretibus abest.

Ÿ. 14. QUI DIMITTIT AQUAM, CAPUT EST JURGIORUM &c.] Qui litem incipiunt, similes sunt illis, qui aggerem frangunt, & aquis perniciosissimi fluminis aditum aperiunt; quamprimum res in eo versabitur, ut illi malum, quod fecerunt, cohibere nequeant; inundatio quocumque latius desævit, nihilque aquarum vastationem potest inhibere. Similitudo hæc affabre ob oculos ponit maledicentium, ac vana referentium effectus: qui hujus calamitatis est auctor, æque stultus est, ac ille, qui litem, ac judicium deserit, antequam absolvatur. Nihil pejus existere potest, quam judicio vinci; at sponte vincitur, a judicio recedens. Sed Hebræus differt [18]: *Qui dimittit aquas, est initium litis; & antequam lis progrediatur, desere illam*. In Palæstina, ubi aquæ infrequentes erant, pro illarum cursu frequentia jurgia suboriebantur. Qui eas in agrum suum cum accolarum detrimento deducebant, sibi litem conflabant, quæ cum ipsorum jactura desineret. Sapiens illis suadet, ut antequam agatur causa, judicium deserant; atque cum finitimis suis pacem componant ante judicium, quod nonnisi in eorum detrimentum cessurum est. In Genesi maximas, gravissimasque intuemur contentiones inter Pastores Isaac, & Abimelech Regis Getaræ, propter aquas. Gen. 26. 20.

Ita quoque verti potest: *Qui est initium litis, dimittit aquas; antequam lis absolvatur, desere causam*. Salomon duo isthic maximi momenti præcepta tradit. Primum, ne quis litem incipiat; cum semel illa incaluerit, est similis aquæ, aggerem prosternenti, neque cohibere eam potes, uti velles: alterum ut potius causam malam deseras, quam judicium expectes. Septuaginta ab utraque hac explicatione recedunt [19]: *initium litis*, vel principium justitiæ, *tribuit libertatem sermonibus; jurgia, & lites sunt origo paupertatis*. Statim ac inceperis lites serere, tete pravis vulgi sermonibus objicis, & post hæc etiam paupertati, quæ veluti

1 Isidor. Hispal. 2 Plin. lib. 37. cap. 9. *Tales aliqui malunt pæderotas vocari, alii anterotas, multi veneris gemmam, . . . Magorum vanitas resistere ebrietati eas promittit . . Et adesse Reges adituris.*
3 Anselm. Boot. lib. 2. de Gemmis cap. 4.
4 Μισθὸς χαρίτων παιδεία τοῖς χρωμένοις, οὗ δ' ἂν ἐπιστρέψῃ εὐοδωθήσεται. Sym. Στάθμιον, *Pondus*. Theodot. Λίθος, *lapis*. Hebræum אבן accipitur aliquando pro pondere. Prov. 16. 11. Deut. 25. 13.
5 מכסה פשע מבקש אהבה ושנה בדבר מפריד אלוף
6 70. Ὃς κρύπτει ἀδικήματα, ζητεῖ φιλίαν. Ὃς δὲ μισεῖ κρύπτειν, διΐστησι φίλους καὶ οἰκείους. Symmach. . . . Ὁ δὲ δευτερῶν λόγον, διαχωρίζει συνήθειαν. *Qui repetit verba, separat unionem*. Th. Διορίζει ἡγούμενον. *Separat caput*.
7 Vide Gregor. Magn. Pastoral. parte 3. cap. 8.
8 In Græco Job 33. 23. & 36. 14. mentio fit horum mortis Angelorum.
9 1. Cor. 10. 10. Judic. 8. 25. Isai. 37. 36. 1. Par. 21. 30. 10 Psal. 77. 49.
11 2. Cor. 12. 7. 12 Menoch. Tirin Grot. Castal. 13 אך מרי יבקש רע ומלאך אכזרי ישלח בו
14 Ἀντιλογίας ἐγείρει πᾶς κακός, ὁ δὲ Κύριος
Ἄγγελον ἀνελεήμονα ἐκπέμψει αὐτῷ.
15 Aristot. Hist. anim. l. 9. cap. 1. 16 פגוש דב שכול באיש ואל כסיל באולתו
17 Ἐμπεσεῖται μέριμνα ἀνδρὶ νοήμονι, οἱ δὲ ἄφρονες διαλογιοῦνται κακά.
18 פוטר מים ראשית מדון ולפני התגלע הריב נטוש Theodot. Ἀπολύων ὕδωρ ἀρχὴ μάχης.
19 Ἐξουσίαν δίδωσι λόγοις ἀρχὴ δικαιοσύνης, προηγεῖται δὲ ἐνδείας στάσις καὶ μάχη.

veluti necessario lites consequitur. Hæc Sapientis consilia cum illis congruunt, quæ Salvator tradit Matth. 5. 25. ut te cum adversario tuo in via componas, cum nondum coram Judice steteris ibid. ℣. 40. & pallium etiam tribuas tunicam exposcenti.

℣. 15. QUI JUSTIFICAT IMPIUM &c.] Hoc intelligendum est non de Judicibus solum, quibus interdictum est, ne sontem judicent innocentem, neve innocentem, veluti sontem damnent; sed etiam de privatis, quibus non licet in sermonibus suis commendare, & approbare impium, neque vituperare justum, & innocentem. Cautissime nobis est de proximo nostro ferendum judicium, idque semper juxta rigorosæ justitiæ leges, extra quas excedere, si umquam licet, licet potius, ut prosis judicio tuo, quam ut officias. Tutius vero est neminem judicare, ne nosmet, alios judicando, damnemus: *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas: in quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas*, ait S. Paulus ad Rom. 2. 1. & Salvator apud S. Matthæum 7. 1. 2. *Nolite judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini*.

℣. 16. QUID PRODEST STULTO HABERE DIVITIAS: CUM SAPIENTIAM EMERE NON POSSIT.] Hebræus magis exprimit [1]: *Quid confert argentum*, pretium hoc, *in manu stulti ad emendam sapientiam? ille non habet cor*, prudentiam, sapientiam. Credit ne argento comparari posse sapientiam? Septuaginta [2]: *quid prodest stulto habere divitias? nam homo sine corde*, absque prudentia, *non poterit emere sapientiam*. Hujus mundi bona virtuti, ac sapientiæ potius impedimento sunt, quam adjumento ad ea comparanda. Salvator hoc aperte docuit in seminantis parabola [3], & primum consilium, quod Discipulis suis tradidit, ut veram sapientiam consequerentur, hoc fuit, ut scilicet hæc omnia terrena relinquerent, atque crucem ejus gestarent [4].

QUI ALTAM FACIT DOMUM SUAM &c.] Versiculus hic non adest isthic in Hebræo, sed in Septuaginta invenitur. Legimus tamen hoc ipsum ferme in Hebræo textu, non autem Græco, infra ℣. 19.

℣. 17. OMNI TEMPORE DILIGIT, QUI AMICUS EST.] Tam scilicet in adversis rebus, quam in prosperis. Qui a nobis, cum urgent adversa, recedit, cum melior afflabat sors, amicus noster non erat, sed se amicum simulabat. Septuaginta [5]: *Omni tempore amicum habe. Fratres tui*, propinqui tui, *tibi inserviant veluti in necessitate; ad id enim sunt*. Hebræus [6]: *Amicus amat omni tempore; sed frater natus est propter adversa*. Amicus bonus in adversis æque amare debet, ac in prosperis; at consanguineus præsertim calamitatis tempore assidere debet. Non ait, fratrem, vel cognatum amare debere fratrem suum, id enim supponit: at eum rerum adversarum procella desævit, tunc præcipue verus amicus agnoscitur. Explicari quoque potest hoc pacto. *Amicus amat omni tempore; est veluti frater tempore afflictionis*. Amicus bonus, quibusdam in occasionibus, magis prodest, quam frater, vel consanguineus. Confer 18. 24.

℣. 18. STULTUS HOMO PLAUDET MANIBUS, CUM SPOPONDERIT PRO AMICO SUO.] Plaudet sibi, quasi præclarum quid egerit, cum hac in re maxime deliquerit, etiam contra rectæ amicitiæ jura; erit enim causa, ut amicus negligat æs alienum dissolvere; cumque creditor fidejussorem urgebit, ut creditam pecuniam exigat; hic vicissim contra amicum suum agere cogetur; atque ex amico eum sibi inimicum efficiet; cumque primum unus tantummodo eo negotio vexabatur, tunc duo erunt, qui sibi ultro, citroque studebunt officere. Si amicus ope tua indiget, eam ipsi liberaliter confer; si bonus amicus est, ac reddere valet, reddet: sin autem, lætaberis saltem, quod bene egeris, neque dolore conficieris, te pro alio in periculum adductum fuisse. Sapiens totis viribus suadet, ne quis se vadem amico suo præbeat; & hac de re fusius alibi locutus est [7]. Hebræus [8]: *Homo stultus percutiet in manu, seque sponsorem amico præstabit*. Adnotavimus jam supra, quod *in manu percutere* significat, se se obligare, polliceri, se vadem præbere. Septuaginta [9]: *Stultus homo plaudit manibus, & in semet ipso lætatur, non secus ac qui pollicetur, & qui præbet amicum suum pro vade*.

℣. 19. QUI MEDITATUR DISCORDIAS, DILIGIT RIXAS: & QUI EXALTAT OSTIUM, QUÆRIT RUINAM.] Latina quædam exemplaria habent [10]: *Qui exaltat os suum*, qui superbit, qui intumescit, quærit excidium. Vidimus post ℣. 16. in Græco sententiam huic admodum similem. *Qui elevat domum suam, quærit subversi* &c. Hebræus [11]: *qui amat iniquitatem, amat fraudem*, vel jurgia: *qui elevat ostium suum, quærit ruinam*. Vir bonus numquam lites, & fraudes amabit, non secus ac vir, qui tuto domi suæ vult commorari, non elevabit eam nimis; verebitur enim, ne deficientibus fundamentis in Domini caput corruat, vel ne ventis, procellisque nimis exposita subvertatur, ac Dominum suis ruinis confringat. Satis intelligitur, domus ostium non elevari nimium, nisi domus ipsa ad congruam altitudinem assurgat. Plurimi [12] per hanc vocem *ostium* os intelligunt. Qui nimis aperit os suum, qui nimis loquitur, qui nimium superbit, ac impotenter se jactat, semet in periculum vocat, ne collabatur. *Plurimi sunt, quorum ostia linguæ male junguntur*; ajebat Theognides, de verbosis hominibus loquens.

℣. 20. QUI VERTIT LINGUAM, INCIDET IN MALUM.] Qui duplicem habet linguam, vel mendacem, mutabilem, dolosam, in plurima decidet mala. Nulla umquam in ipso fiducia collocabitur: conatus ejus numquam ex animi voto cedent. Hebræus [13]: *Ille, cujus lingua est perversa, cadet in malum*. Septuaginta [14]: *Homo, cujus lingua inconstans est* &c. Addunt: *væ illi, qui dementi est cor habet*.

℣. 23. MUNERA DE SINU ACCIPIT IMPIUS &c.] Impius munera clanculum accipit. Hebræi crumenam suam, pecuniam, & quidquid pretiosissimum habebant, in sinu deferebant: immo ibi & lapides, vel sortium tesserulæ mittebantur [15]: *Sortes mittuntur in sinu*. Nescio vero, utrum hæc loquendi ratio aliquid secretum innuat; posset quoque pretiosum aliquid significare. Salomon passim se ab iis abhorrere judicibus testatur, qui se muneribus corrumpi patiuntur [16].

℣. 24. OCULI STULTORUM IN FINIBUS TERRÆ.] Stultus semper errantes oculos habet, ac procul a se. Vel: Ambitio ejus eum ad fines terræ defert. Nihil illi umquam satis est. Vel denique: fert prospectum suum ad fines terræ, ad exaggerandam difficultatem, qua quis sapiens potest evadere, perinde quasi sapientia in mundi extremitatibus delitesceret. Prior sensus magis est simplex, ideoque & melior.

℣. 26. NON EST BONUM DAMNUM INFERRE JUSTO, NEC PERCUTERE PRINCIPEM, QUI RECTA JUDICAT.] Locutio hæc nimium exilis est ad innuendum horrorem, quo debet quilibet talem injustitiam abominari. Sacri, & Pro-

1 למה זה מחיר ביד כסיל לקנות חכמה ולב אין
2 Ἵνα τί ὑπῆρξε χρήματα ἄφρονι; κτήσασθαι γὰρ σοφίαν ἀκάρδιος οὐ δυνήσεται. Aquil. Sym. Ἵνα τί τοῦτο ἀντάλλαγμα ἐν χειρὶ ἀνοίτε.
3 Matth. 13. 3. 4. & 18. 19. & sequ.
4 Matth. 13. 43. & seq. & 19. 21. & seq.
5 Εἰς πάντα καιρὸν ὁ φίλος ὑπαρχέτω σοι, ἀδελφοὶ δὲ ἐν ἀνάγκαις χρήσιμοι ἔστωσαν, τούτου γὰρ χάριν γεννῶνται.
6 בכל עת אהב הרע ואח לצרה יולד
7 Vide Prov. 6. 1. 2. 3.
8 אדם חסר לב תקע כף ערב ערבה לפני רעהו
9 Ἀνὴρ ἄφρων ἐπικροτεῖ καὶ ἐπιχαίρει ἑαυτῷ: ὡς καὶ ὁ ἐγγυώμενος ἐγγύῃ τὸν ἑαυτοῦ φίλον.
10 Ita Edit. Sixti V. Jansen. alii.
11 אהב פשע אהב מצה מגביה פתחו מבקש שבר 70. Φιλαμαρτήμων χαίρει μάχαις. Altera pars vers. est post vers. 16.
12 Hebræi in Mercer. Geier. Drus. Munst.
13 ונהפך בלשונו יפל ברעה
14 Ἀνὴρ ἀμετάβολος γλώσσῃ.
15 Prov. 16. 33.
16 Prov. 15. 27.

& Profani Auctores scatent similibus loquendi modis. *Hoc vobis non proderit* 2. Par. 24. 20. hoc est, infinitam vobis pariet calamitatem: *Non praecepi*, Jerem. 7. 31. hoc est apertissime prohibui: *non laetabitur in hoc*, Prov. 18. 21. videlicet hoc illi aeternum dolorem afferet. Ita Homerus Iliad. A. *Achilles non admodum contentus fuit*, videlicet maxima exarsit indignatione. *Jupiter non doluit*; nempe summopere gavisus est: *hic non est Graecorum iniquissimus* Odyss. P. hoc est, in exercitu vir fuit maxime honestus; & in Virgilio: *& non innoxia verba*; verba scilicet perniciosa: *tristique palus inamabilis unda*: *aut inlaudati nescis Busiridis aras*, pro infelici Stygis aqua, & Busiride execrabili.

Salomon isthic damnat eorum temeritatem, qui justo injuriam faciunt, atque lacessunt Principem, Magistratus, Judicem, eo quod nimia cura, & severitate justitiam exerceant. Posset quoque eum perlevi immutatione ita in Hebraico textu legi [1]: *non est bonum affligere justum*; *neque decet* necem inferre, vel *percutere* Principes, *liberales*. Septuaginta: *Non est bonum inferre damnum justo*; *neque sanctum est ponere insidias aequis Principibus*.

℣. 27. PRETIOSI SPIRITUS VIR ERUDITUS.] Sapiens tuetur cogitationes suas, velut aliquid pretiosum. Ad litteram [2]: *Homo prudens est spiritus*, vel A flatus *pretiosi*; non omnem simul flatum suum effundit; sed parce illum emittit, neque loquitur, ita ut omnem exhalet spiritum. Haec autem est Hebraici textus sententia de verbo ad verbum reddita [3]: at Salomon his verbis nos docet, sapientem silere debere, vel parcissime loqui. Nihil magis prudentem dedecet virum, quam prolixos effutire sermones. Licet optima narret, pravum tamen sapientiae suae specimen tribuit, cum verbosus est. Septuaginta [4] totum versiculum ita reddunt: *Qui vitat verba dura proferre, sapiens habebitur; & vir patiens censebitur prudens*.

℣. 28. STULTUS QUOQUE SI TACUERIT, SAPIENS REPUTABITUR.] Silentium, & verborum parcitas sapientis adeo sunt propriae, ut credi nequeat, virum, qui sapientia careat, diutius se se temperare posse, B quin semet in futilia effundat verba, & insipientiam suam detegat. *Si tacuisses, fuisses Philosophus*, Antiquus Auctor ajebat; & licet sis omnium maxime rudis, maxime tamen prudens es, donec taces [5]. Septuaginta [6]: *Si stulius interrogat, ne doceatur, sapiens habebitur*. Cum vir quidam in convivio altissimum servaret silentium, illi Theophrastus ait apud Laert. l. 5. c. 2. *Si sapiens es, nequaquam agis sapienter; sin autem, prudenter agis*.

---

1 גם ענוש לצדיק לא טוב להכות נדיבים׃ pro אל ישר על ישר 2 ויקר רוח איש הבונה
3 Confer Prov. 19. 11. & Prov. 1. 23.
4 Ὃς φείδεται ῥῆμα προέσθαι σκληρὸν, ἐπιγνώμων. Μακρόθυμος δὲ ἀνὴρ, φρόνιμος.
5 Epigr. lib. 1. Πᾶς τις ἀπαίδευτος φρονιμώτατός ἐςι σιωπῶν. 6 70. Ἀνοήτῳ ἐπερωτήσαντι σοφία λογισθήσεται. Aquil. Sym. Th. Καί γε ἄφρων κωφεύων, σοφὸς λογισθήσεται. Ut Vulg.

CAPUT XVIII.

Simultas cum amico. Obduratus animus. Altitudo sapientiae. Insipientis jurgia. Nomen Domini. Ambitio, ac superbia divitum. Munera. Justus se accusans. Frater fratri opem ferens. Mors, & vita in potestate linguae. Bona, & mala mulier. Dives, & pauper, &c.

1. Occasiones quaerit, qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. 2 Non recipit stultus verba prudentiae: nisi ea dixeris, quae versantur in corde ejus. 3 Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia, & opprobrium. 4 Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons sapientiae. 5 Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate judicii. 6 Labia stulti miscent se rixis: & os ejus jurgia provocat. 7 Os stulti contritio ejus: & labia ipsius ruina animae ejus. 8 Verba bilinguis, quasi simplicia: & ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. Pigrum dejicit timor: animae autem effeminatorum esurient. 9 Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. 10 Turris fortissima, nomen Domini: ad ipsum currit justus, & exaltabitur. 11 Substantia divitis, urbs roboris ejus, & quasi murus validus circumdans eum. 12 Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. 13 Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. 14 Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam: spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere? 15 Cor prudens possidebit scientiam: & auris sapientium quaerit doctrinam. 16 Donum hominis dilatat viam ejus, & ante principes spatium ei facit. 17 Justus prior est accusator sui: venit amicus ejus, & investigabit eum. 18 Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat. 19 Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma: & judicia quasi vectes urbium. 20 De fructu oris viri replebitur venter ejus: & genimina labiorum ipsius saturabunt eum. 21 Mors, & vita in manu linguae:

guæ : qui diligunt eam, comedent fructus ejus. 22 Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem a Domino. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum : qui autem tenet adulteram, stultus est, & impius. 23 Cum obsecrationibus loquetur pauper : & dives effabitur rigide. 24 Vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit, quam frater.

℣. 1. OCCASIONES QUÆRIT, QUI VULT RECEDERE AB AMICO; OMNI TEMPORE ERIT EXPROBRABILIS.] Septuaginta [1] similiter legunt : Qui quærit, quas prætexat, causas ab amico recedendi, haberi nequit nisi falsus amicus; quocumque fuco factum suum obtegat, numquam probari poterit. Nequaquam fas est ab amico diffidere, eo quod aliqua illi contigerit calamitas, vel quod defectum erroremque aliquem admiserit; multoque minus, quod levis offensio intercesserit, vel quod inanis aliqua causa quæsita fuerit. Hac in re levitatis, & inconstantiæ nomine redarguеremur, quæ directe veræ amicitiæ adversantur. Amicitia, quemadmodum charitas patiens est [2], suavitatis plena, invidiæ expers, a dolo, atque injustitia seposita. *Non inflatur, non est ambitiosa : non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum . . . . omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Hebræus juxta recentiorum Interpretum explicationem longe a Vulgatæ sensu recedit [3]. En illum porro ad litteram redditum : *Qui separatus est, quærit secundum desiderium* suum; *se se miscebit in sapientia*, in substantia, in realitate. Textus hic nihil adhuc distinctum menti exhibet. Varii tamen illi sensus appinguntur; exempli gratia : qui a rebus sensibilibus se separat, & qui enixius sapientiam quærit, invenit illam, ac se cum illa commiscebit [4]. Vel : Qui dissipatus est, ac errat sequens desideria sua, se omnibus immiscet, omnia cognoscere vult, neque umquam perfectam munerum suorum cognitionem assequitur. Chaldæus [5] : Inconstans quærit ubique, unde voti compos fiat; at omnia ejus consilia, sine ullo effectu evanescunt. Ego vero versiculum hunc postremis duobus superioris capitis hoc pacto reddere mallem : *Qui celat sermones suos, est sapiens, & prudens non festinat loqui : stultus ipse, cum tacet, sapiens existimatur : & qui claudit labia sua, prudens habetur* (*cap.* 18. 1.) *Summa cum sedulitate quæretur, cum aberit, & se rebus omnibus immiscebit.* Omnes quærent societatem hominis, qui tacere novit, ac linguam suam moderari; & illi quodlibet negotiorum genus libenter communicabunt. Ad hunc vero sensum educendum levissimam in Textus punctis immutationem admittimus.

℣. 2. NON RECIPIT STULTUS VERBA PRUDENTIÆ &c.] Renuit audire præcepta sapientiæ, quæ illi tradere velles, sed ea dumtaxat audit, quæ sunt studiis suis congrua. Si illi Sapientiæ cognitionem posses inspirare, quin ejus voluptates tolleres, ac illius studia subverteres, tibi e voto cederet, ut illi aliquid obtruderes; secus vero, nullam animo spem tibi fingas. Hebræus [6] ad litteram : *Stultus non desiderat sapientiam; id amat dumtaxat, quod versatur in corde suo.* Vel non amat prudentiam, nisi forte cor ejus detexeris, & illius studia scrutatus fueris. Septuaginta [7] : *Insipienti nihil est cum sapientia, sed stulte tantummodo operatur.* Sapientiam negligit, atque contemnit velut aliquid vanum, ac inutile; non alia præcepta sequi vult, quam stultitiam suam.

℣. 3. IMPIUS CUM IN PROFUNDUM VENERIT PECCATORUM, CONTEMNIT.] Cum semel homo in sceleribus obduratus est, nihil amplius audit [8]; premit stimulos conscientiæ suæ, oculos claudit, cum lux veritatis affulget, cor vero, cum aliquos gratia motus ciere studet : resistit dexteræ cœlestis Medici, qui illum sanare cupit; fastidit, vel contemptim rejicit eos, qui de Deo verba illi faciunt. Magis salubria consilia aspernatur, ac saniores adhortationes irridet. En statum hominis, qui in peccatis occaluit; Deum non veretur, neque homines curat, non secus ac improbus ille Judex in Evangelio Lucæ 18. 4. *Deum non timeo, nec hominem revereor.* Similis est ægris illis, quos Medici dereliquere, & de quorum salute actum penitus est. Nulla res amplius eum coercere valet, se se voluptatibus suis per fas, ac nefas ingurgitat [9], neque ea respuit, quæ maxime illius officere possunt valetudini.

Hebræus [10] : *contemptus venit cum viro nequam, & ignominia cum eo, qui caret honore.* Qui cum impiis versatur, non nisi ignominiam, atque contemptum potest invenire. Vel : Improbus hoc sibi arrogat, ut liberrime alios contemnat; at vicissim ignominia, & opprobrio suffunditur. Postremus hic sensus magis arridet. Septuaginta ne latum quidem unguem a Vulgata recedunt.

℣. 4. AQUA PROFUNDA, VERBA EX ORE VIRI : & TORRENS REDUNDANS, FONS SAPIENTIÆ.] Hæ locutiones innuunt, altitudinem, copiam, perspicuitatem, vim consiliorum sapientis. Audiendi sunt sapientum virorum sermones, in illis meditandum est, ei assidue animo sunt revolvendi. Vide Caput 20. 5. *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri : sed homo sapiens exhauriet illud.*

℣. 5. UT DECLINES A VERITATE JUDICII.] Hebræus [11] : *ut efficias justum judicio vinci.* Vel : *ut inclines institiam, quo minime debet*; ut in judicio opprimas justum.

℣. 6. OS EJUS JURGIA PROVOCAT.] Hebræus [12] : *Os eius invitat ad ictus*, ad prælia, ad cædes. Re quidem vera, cædes vulgo consequuntur jurgia, quæ stultus pravis sermonibus serit. Septuaginta [13] : *Os eius temerarium invocat mortem.* Inconsideratis sermonibus in se mortem trahit; quod ipsum in ℣. 7. dicitur. *Os stulti terror illius; & labia eius sunt laqueus animæ ipsius.* Hebr.

℣. 8. VERBA BILINGUIS, QUASI SIMPLICIA, &c.] Verba dolosi, atque maledici simplicia videntur, & ex æqua mente profecta; simulat, ut felicius finem suum consequatur, se nullam habere simultatem cum eo, quem perditum cupit; imo se inter amicos ejus adnumerat, se omnibus nervis illius utilitati studere, ut ille tandem ad frugem redeat, optare, se vero charitatis, ac misericordiæ officiis adactum tantummodo loqui. Vel si res sit de externo quodam, ac occultum aliquod malum detegere velit, ait, putare se & honoris, & conscientiæ causa teneri, ad nequitiam hominis detegendam, ut quilibet a tali viro caveat; reipublicæ interesse, impios viros avulsa persona dignosci; atque his positis, quorum veritas satis patet, proxi-

1 Ita & 70. Προφάσεις ζητεῖ ἀνὴρ βουλόμενος χωρίζεσθαι ἀπὸ φίλων. Ἐν παντὶ δὲ καιρῷ ἐπονείδιστος ἔσται. Legerunt sicut & Vulgata, Toanah, תואנה *occasio*, pro תאוה Taava, *desiderium*.
2 1. Cor. 13. 4.
3 לתאוה יבקש נפרד בכל תושיה יתגלע Aquil. Sym. Εἰς ἐπιθυμίαν καὶ τὰ ἑξῆς.
4 Ita fere Abenezra.
5 Vide Ludov. de Dieu, hic.
6 לא יחפץ כסיל בתבונה כי אם בהתגלות לבו
7 Οὐ χρείαν ἔχει σοφίας ἐνδεὴς φρενῶν, μᾶλλον γὰρ ἄγεται ἀφροσύνῃ.
8 Beda hic. Isidor. lib. 3. Sent. c. 14. Hieronym. in Ezech. 1. alii passim.
9 Author. Oper. imperf. in Matth. homil. 40.
10 בבוא רשע בא גם בוז ועם קלון חרפה Aquil. Sym. Th. Ἐν τῷ ἐλθεῖν ἀσεβῆ, ἦλθε καὶ ἐξουδένωσις.
11 לחטות צדיק במשפט 70. Οὐδὲ ὅσιον ἐκκλίνειν τὸ δίκαιον ἐν κρίσει.
12 ופיו למה למות יקרא
13 Τὸ στόμα αὐτοῦ τὸ θρασὺ θάνατον ἐπικαλεῖται.

proximi existimatio dilaniatur, certa pro incertis afferuntur: atque, ut verbo me expediam, tribus simul cædes infertur: Primo quidem sibi met ipsi, quod maximis contumeliis lædit charitatem; secunda illi, quocum est sermo, ipse enim pravis sensibus imbuitur, atque contra fratrem suum odium concipit; tertio denique illi, de quo verba fiunt; illius enim honor læditur, & id, quod in terris unum omnium charissimum est, fœdissime laceratur. Si dæmon est in labiis obloquentis, est etiam in auribus contumelias audientis, ajebat S. Franciscus Salesius.

Hebræus [1]: *Maledici, delatoris, calumniatoris, verba sunt veluti vulnera*, contusiones, vel malleorum ictus; vel ut aliis lubet, *sunt veluti verba dulcia*, & assentationes; *sed in imum usque ventris pervadunt*. Chaldæus: *Maledici verba ipsum affligent, & deducent eum usque in imum inferni*, vel in sepulchrum. Septuaginta longe absunt ab hac sententia [2]. *Timor abiicit inertes, & animæ effeminatorum fame laborabunt*. Laboris timor, & pigrorum cunctatio in miserrimam egestatem eos adigent.

PIGRUM DEJICIT TIMOR &c.] Hoc nuper vidimus; & Septuaginta in Textu suo in locum ℣. 8. posuere. Vulgata veterem hanc versionem una cum recenti a S. Hieronymo concinnata servavit [3].

℣. 9. QUI MOLLIS, & DISSOLUTUS EST IN OPERE SUO, FRATER EST SUA OPERA DISSIPANTIS.] Uterque recta ad egestatem festinant: simillimi sunt. Primus non laborat, alius vero dissipat opus suum; tandem vero æque uterque processerunt. Piger etiam, & prodigus fratres sunt, sibi omnino similes. Confer Prov. 10. 4. 12. 11. Hebr. [4]: *Qui se se in opere suo relaxat, est frater domini destructionis*, dissipatoris, nepotis, decoctoris. Septuaginta [5]: *Qui se non sanat in operibus suis, est frater semet vulneravit*. Qui nullum quæstum facit laboribus suis, nihil proficit magis, quam qui sua dispergit. Non sufficit laborare, sapienter laborandum est.

℣. 10. TURRIS FORTISSIMA, NOMEN DOMINI.] Nomen Domini fortissimum est propugnaculum, quo justus confugit, ac ubi validissimum nanciscitur præsidium. Nomen Domini pro ipso Domino sumitur, ejusque præsidio, ac protectione. Qui Dominum invocat, qui in ipso omnem fiduciam collocat, qui legibus ipsius fidelis adhæret, tutissimum ibi reperit patrocinium. In Psalmis passim occurrunt loquendi modi, qui huic gemini videntur.

℣. 11. SUBSTANTIA DIVITIS, URBS ROBORIS EJUS.] Versiculus hic præcedenti est opponendus. Justus in Deo vim omnem suam collocat: Nomen Dei illius est arx; at dives putat divitias suas oppidum esse nullis umquam viribus expugnandum. Vide Prov. 10. 15.

℣. 12. ANTEQUAM CONTERATUR, EXALTATUR COR HOMINIS.] Hominis lapsum ejus elatio, atque superbia præcedit. Vide supra 11. 2. 16. 18. & *Matt.* 23. 12. *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*.

℣. 13. QUI PRIUS RESPONDET.] Sapiens de iis dumtaxat verba facit, quæ novit; insipiens vero quælibet, licet ea ignoret, effutire cupit. Prurigo enim, qua laborat, loquendi non patitur, ut expectet, donec illum interrogans sermonem absolverit. Vide *Prov.* 1. 5.

℣. 14. SPIRITUS VIRI SUSTENTAT IMBECILLITATEM SUAM &c.] Infimum, languidumque corpus spiritus virtute regitur: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, dicebat Salvator discipulis suis Matth. 26. 41. at si spiritus quoque elanguerit, si animus ægritudine superatur, si indignationis impetu abripitur, quis eum reget, quis confirmabit? Homo ad irascendum facilis in omnibus dolorem invenit, omnibus rebus affligitur, irritatur; eumque nec alii, nec ipse se met ferre possunt; sed vir patiens se met regit, dolori resistit, mala fert, quin animos despondeat, quin superetur. Septuaginta [6]: *Vir prudens placabit iram domini sui*; at impatientis viri furorem quis sustinebit?

℣. 16. DONUM HOMINIS DILATAT VIAM EJUS.] Munera nobis apud optimates viros, ac Principes aditum sternunt. In Oriente nemo Reges, & Principes sine donis invisit; sine quibus non ita benigne aliquis exciperetur. Hic enim mos satis aperte innuit observantiam, atque submissionem illius, qui summum aliquem virum salutaturus accedit. Vide hoc ferme ipsum supra, cap. 17. 8. &c. Ovidius:

> *Munera, crede mihi, capiunt, hominesque Deosque.*
> *Placatur donis Jupiter ipse suis.*

℣. 17. JUSTUS PRIOR EST ACCUSATOR SUI; VENIT AMICUS EJUS, & INVESTIGABIT EUM.] *Qui se accusat*, inquit S. Ambrosius l. 1. Offic. c. 25. *justus esse incipit, quia nec sibi parcit, & Deo justitias confitetur quem putat latere nihil posse*. Satisfacit quoque proximo suo irritato, ejusque iram flectit, ac eum in amorem sui cogit, humiliter scelus suum confitens, antequam ab ipso redarguatur [7]. Attamen necesse est, ut hæc sit sincera confessio, ut qui accesserit deinde, atque sensus illius rite scrutatus fuerit, eum minime dolosum, atque mendacem inveniat: *Venit amicus, & investigabit eum*. Aliter: justus ex se met incipit, se met ad examen vocat, se accusat, ac damnat; antequam proximum suum judicet, accuset, & damnet. *Aug. in Ep. ad Gal. c. 6.*

Hebræus textus [8] aliter explicatur: *Justus primus est in causa sua, venit amicus eius, & examinat illum*. Qui prior loquitur, ac perorat, semper rationem habere videtur, atque eo colore causam suam exhibet, ut quilibet ipsi litem adjudicaret; at cum prodit adversarius ejus, & scrutatur verba illius, qui primus disseruit, tunc aliud ferri judicium incipit. Vel: Judex sæpius mentem suam occupari sinit ab eo, qui prior locutus est, atque apud illum conquestus: licet validissima adferre queat adversarius argumenta, ea non audit, iis non afficitur. Demum, justus semper vincit judicio, quoniam innocentiæ suæ rumor apud omnes percrebescit: ille vero, cujus non adeo floret existimatio, neque vitæ integritate commendatur, in judicio summa severitate excipitur, rationes illius sine ulla misericordia ad examen vocantur. Ex tribus hisce explicationibus, prior mihi magis arridet. Chaldæus: *Justus primum se tuetur; at mox venit adversarius, ac ipsi lis adiudicatur*. Septuaginta a Vulgatæ sensu non abhorrent.

℣. 18. CONTRADICTIONES COMPRIMIT SORS.] Vide quæ diximus in cap. 16. 33. Septuaginta [9]: *silentium extinguit lites*. Vir qui pacem, atque silentium servat, lites omnes tollit.

℣. 19. FRATER, QUI ADJUVATUR A FRATRE, QUASI CIVITAS FIRMA, & JUDICIA, QUASI VECTES URBIUM.] Virtus unita fortior, & *Concordia parvæ res crescunt, discordia magnæ dilabuntur*. Tum in naturali, cum in morali, plures simul conjuncti magis apti sunt faciundo, resistendo, sustinendo, sciendo, imo & cognoscendo, ac detegendo, quam unus dumtaxat. Sensus hic adeo perspicuus est, ut Commentarium non nisi tenebras illi possit effundere. Septuaginta eo-

---

1 דברי נרגן כמת להמים והם ירדו חדרי בטן   2 Ο'κνηρὸς κατεβάλλει φόβος, ψυχαὶ δὲ ἀνδρογύνων πεινάσουσι.

3 Editio Complutensis, & nova S. Hieronymi editio hunc versiculum non legit.

4 גם מתרפה במלאכתו אח הוא לבעל משחית   5 70. Ὁ μὴ ἰώμενος ἑαυτὸν ἐν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, ἀδελφός ἐστι τοῦ λυμαινομένου ἑαυτόν. Aquil. Νωχελευόμενος. *Negligens*. Sym. Στραγγευόμενος. *Lentus*. Th. Ἀνειμένος. *Ignavus*. Hebr. מרפה   6 Θυμὸν ἀνδρὸς πραΰνει θεράπων φρόνιμος; ὀλιγόψυχον δὲ ἄνδρα τίς ὑποίσει. Theod. Πνεῦμα ἀνδρὸς διοικήσει ἀῤῥωστίαν αὐτοῦ, καὶ πνεῦμα τεταπεινωμένον τίς βαστάσει αὐτό. *Spiritus sustinebit infirmitatem hominis; sed quis sustinebit debilitatem spiritus vulnerati?*   7 Vide Chrysost. orat. 5. contra Judæos. Et Aug. tract. 1. in Johan. *Cum coeperit tibi displicere quod fecisti, incipiant bona opera tua, quia accusas mala opera tua: Initium operum bonorum, confessio est operum malorum.*   8 צדיק הראשון בריבו ובא רעהו וחקרו

9 Ἀντιλογίας παύει σιγηρός. Hebr. מדינים ישבית הגורל

ta eodem ferme pacto legunt, ac Vulgata [1]: *Frater, qui adjuvatur a fratre, est veluti fortis, ac elevata civitas, æque robore valet ac palatium solidissimis incumbens fundamentis*. Sed Hebræus [2] longe differt: *Frater offensus, est veluti arx valida*; & *contentiones eorum sunt veluti vectes Palatii*. Jurgia inter fratres communia, eorumque inimicitiæ plerumque internecinæ. Sibi invicem pertinax adeo bellum cient, ut non obstinatiori animo urbs aliqua oppugnetur; odium illorum æque inflexibile ac vectes januæ. Intestina bella magis sæva & cruenta sunt, quam externa. Sexcenta suppetunt in historiis exempla odii fraterni. Satis compertum est, quousque sæviit odium Esau adversus Jacob, fratrum Josephi contra Sanctum hunc Patriarcham; Absalonis in Amonem. Exploratum est, quibus animis duodecim tribus in Tribum Benjamin decertarint; & post secessionem tribuum Israel a Juda quot bella bellata sunt inter decem Tribus, ac Tribus Juda, & Benjamin? Profana Historia magis adhuc id genus exemplis abundat. Perraro videntur veræ, ac solidæ inter fratres reconciliationes. Plutarchus hoc ferme impossibile esse arbitratur; idque in proverbium abiit: *Fratrum quoque gratia rara est*.

℣. 20. DE FRUCTU ORIS VIRI REPLEBITUR VENTER EJUS.] Verba illius erunt ipsi fons bonorum, vel malorum; In honore erit, vel in contemptu, prout bene, vel secus linguam suam noverit moderari. Vide supra Cap. 12. 14. & 13. 2.

℣. 21. MORS, & VITA IN MANU LINGUÆ; QUI DILIGUNT EAM, COMEDENT FRUCTUS EJUS.] Qui amant multa loqui, & gaudent producere fructus linguæ suæ, iis saturabuntur: recipient vitam, vel mortem, prout lingua eadem usi, vel abusi fuerint. Vide ℣. superiorem, & *Prov. 10. 19. In multiloquio non deerit peccatum*. Et *Jacob. 1. 19.* & Mat. 12. 37. *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*.

℣. 22. QUI INVENIT MULIEREM BONAM, INVENIT BONUM.] Hebræus non legit epithetum *bonam*, uti neque Latinæ quædam Editiones; verum est in Græco Complutensis editionis, ac merito adjectum fuit. Hesiodus eodem ferme pacto, ac Salomon de muliere bona loquitur. Vide etiam *Prov. 6. 26. 11. 16. 12. 4. 14. 1. 19. 14. Eccli. 26. 1.* & *seq.*

QUI EXPELLIT MULIEREM BONAM, EXPELLIT BONUM: QUI AUTEM TENET ADULTERAM, STULTUS EST, & IMPIUS.] Versiculus hic neque in Hebræo, neque in Chaldæo, neque in diversis MSS. Latinis, neque in Complutensi Editione, neque in ea Sixti V. neque in recenti S. Hieronymi, neque in aliis quibusdam; sed in Septuaginta, ac in Arabica versione invenitur. Syriaca vero primam tantummodo partem habet: *Qui repudiat uxorem, rejicit grande bonum*. Latina quædam exemplaria habent: *Stultus, & insipiens*. Sed Græca, quæ pro hoc loco authographa sunt, legant [3], *stultus, & impius*. Licet hic locus in Hebraicis exemplaribus non extet, Judæi tamen illum minime rejiciunt, ac omnis adest veritatis species ab Hellenistis fuisse appositum juxta ipsorum morem, & consuetudinem. Maimonides [4] asserit, ipsos minime coactos fuisse adulteram uxorem repudiare, nisi a duobus saltem testibus fuisset convicta: quo in casu, si vir eam sponte minime repudiaret, a Judicibus & cogebatur, & virgis damnabatur. Hoc apud ipsos morale præceptum est, non posse virum, citra peccatum, uxorem suam in adulterio deprehensam, vel hoc scelere convictam retinere, quin se noxium reddat impudicitiæ uxoris suæ, & scandali, quod aliis ignominiosa sua ingerit facilitate [5].

Ethnici quoque intellexerant, quanti referret fræna

A mulierum impudentiæ, ac facilitati virorum imponere. Atticæ Leges apud Demosthenem in Neæram cuicumque uxorem suam in scelere deprehendisset, vetabant eam servare, cumque infamiæ nota adspergebant, si eam videre adhuc voluisset. Romanorum eadem erat mens, iidemque mores [6]. In Christiana quoque Religione haud minori ignominia notati fuere, qui adulteras, impudicasque uxores retinebant: immo nec desunt exempla Christianarum mulierum, quæ se cum flagitiosis viris permanere nequaquam posse crediderunt, licet Legis verba hominibus dumtaxat gratificarentur. Satis exploratum est, atque compertum, quid fecerint S. Thecla, & Christiana illa mulier, de qua S. Justinus Martyr Apolog. verba facit; & Fabiola Matrona Romana [7].

B Hermas in libro primo *Pastoris* Mand. 4. ita alloquitur Deum: *Domine, si quis habuerit uxorem fidelem in Domino, & hanc invenerit in adulterio, numquid peccat vir, si convivit cum illa? Et dixit mihi: Quandiu nescit peccatum ejus, sine crimine est vir vivens cum illa. Si autem scierit vir, uxorem suam deliquisse, & non egerit pœnitentiam mulier, & permanet in fornicatione sua, & convivit cum illa vir, reus erit peccati ejus, & particeps mœchationis ejus. Et dixi illi: Quid ergo, si permanserit in vitio suo mulier? Et dixit: dimittat illam vir, & vir per se maneat. Quod si dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, & ipse mœchatur. Et dixi illi: Quid si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, nonne recipietur a viro suo? & dixit mihi: Immo si non receperit eam vir suus, peccat, & ma-* C *gnum peccatum sibi admittit, sed debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit, sed non sæpe. Servis enim Dei pœnitentia una est*. Hæc erat Patrum primitivæ ecclesiæ sententia, cujus traditionem in Conciliis, & Patribus sequentium sæculorum probe signatam intuemur.

Concilium Neocæsareense cap. 8. jubet: *Quod si in Clericatu constituto eo adulteravit* (sacerdotis uxor) *dato repudio dimittere eam debet. Si vero retinere ejus consortium velit, non potest suscepto ministerio perfrui*. Hæc eadem disciplina deprehenditur in Decretali Epistola Michaelis Cerularii Constantinopolitani Archiepiscopi apud Coteler. Not. in Hermæ Past. l. 1. S. Hieronymus Matth. 19. ait aperte: *Cum mulier sit fornicatione separabis a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: Qui tenet* D *adulteram, stultus est, & impius*. S. Augustinus [8] cum pluribus in locis dixisset, divortium cum adultera permissum esse, non justum, in retractationibus suis palinodiam canit, ac ait, se tunc non attendisse Scripturam dicentem: *qui tenet adulteram &c.* Auctor operis imperfecti in sanctum Matthæum hom. 32. eumdem Proverbiorum locum citat, & ait, virum uxoris suæ flagitia celantem libidinis ejus esse patronum: *nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris*. Et hac in re imitandum proponit Jesu Christi exemplum erga membra Ecclesiæ suæ; quæ ipsa non deserit, donec fidelia fuerint; sed statim ac ad idolorum cultum, vel hæresim migrant, ea nonnisi veluti aliena considerat, eaque penitus a suo corpore avellit. S. Basilius in Epistola sua ad Amphilochium c. 21. docet, E viro adulteram uxorem esse relinquendam; at non hoc ipsum uxori permittit; sed ab ea excipi, cum redierit, jubet, licet turpissimum scelus patraverit.

S. Ambrosius in Lucam l. 2. supponit etiam, virum se se sejungere debere ab uxore, in casu adulterii; *Ut incruentum ab homicidio, castum ab adulterio præstare se debeat. Qui enim jungitur meretrici, unum corpus est*. Capitula, vel Canones Isaaci Episcopi Lingonensis [9], permittunt viro cum adultera uxore conjungi; at præcipiunt,

1 Ἀδελφὸς ὑπὸ ἀδελφοῦ βοηθούμενος ὡς πόλις ὀχυρὰ, καὶ ὑψηλὴ ἰσχύει δὲ ὥσπερ τεθεμελιωμένον βασίλειον.

2 אח נפשע מקרית עז ומדינים כבריח ארמון

3 Ὁ δὲ κατέχων μοιχαλίδα, ἄφρων καὶ ἀσεβής.

4 Maimonid. Halac. Girusehim cap. 11. & Gemar. Babil. tit. Cetuboth. & tit. Jabimoth.

5 Selden. uxor. Hebr. l. 3. cap. 16.

6 L. 6. c. ad Legem Juliam cap. Præter. D. D. *Qui adulterii damnatam, si quocumque modo pœnam capitalem evaserit, sciens duxerit, vel reduxerit, Lege Julia ex causa lenocinii puniatur*.

7 Hieronym. ad Ocean.

8 August. lib. 1. Retract. c. 19. *Et ubi dixi hoc permissum esse, non jussum, non attendi aliam Scripturam dicentem: Qui tenet adulteram, stultus est, & impius*.

9 Isaac Lingon. l. 3. c. 7. Ita & Canon. Nannet. 12. & l. 7. Capitul. c. 298.

cipiunt, ut uterque simul septem annorum spatio pœnitentiam agant, neque ad Communionem, nisi elapso hoc temporis intervallo, admittantur. Eamdem intuemur disciplinam in monumentis, quæ recentiora sunt præ hactenus allatis. Gratianus cap. 10. 2. quæst. 1. 6. Magister Sententiarum l. 4. Sent. dist. 35. Gregorius IX. in Decretalibus l. 5. t. 16. cap. 2. revocant vetusta dogmata, quæ imperant, ut vir ab uxore sua adultera sejungatur. Gratianus S. Johannem Chrysostomum citat, qui biennium pęnitenriæ imponit viro, adulteram uxorem retinenti, & cum ea habitanti, antequam illa Ecclesiasticis Legibus satisfecerit, quæ illam a Communione aliquot annis arcebant. Sed si vir nonnisi post absolutum pœnitentiæ tempus ad uxorem accesserit, tunc nulli pœnæ obnoxius est, quod uxor ejus non censetur amplius polluta [1]. Pœnitentiale Theodori Episcopi Cantuariensis eodem loco citatum, triennii pœnitentiam imponit viro uxorem suam retinenti, convictam, quod conjugalem fidem perfregerit, eique prohibet ad eamdem accedere, nisi prius per pęnitentiam legitime expiatam. Demum Gregorius IX. l. 5. t. 13. de Adult. citat Canonem Concilii Arelatensis, vel potius Aurelianensis, qui damnat virum cum uxore sua habitantem, quam adulterio pollutam novit. Quod si mulier egerit pœnitentiam, atque ad virum suum reverti voluerit, hic eam potest excipere, verum non adeo frequenter.

Ex his omnibus satis intelligitur, quæ fuerit doctrina, & consuetudo Ecclesiæ Christianæ. Verum hoc locum habet dumtaxat, cum mulier in sceleribus suis perseverat, vel eum pœnitentiæ communi non se submittit. Patres, & Concilia non solum non prohibent viro in gratiam cum uxore sua adulterii convicta reverti, immo eum suadent, & etiam atque etiam adhortantur [2]. Cum vero divortium fiat, neutri permittunt ad alteras nuptias progredi, ut scilicet eos indirecte cogant, ut reconcilientur, & noxium adigant reparare per pœnitentiam scandalum, quod ejus scelera peperere. Et S. Augustinus animadvertit; in Lege veteri omnino interdictum fuisse viro, uxorem suam ab alio corruptam recipere, at in nova, hoc non solum permissum esse, verum & commendatum, dummodo mulier criminis sui notas abstergat: *Nec jam debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen, divina credit miseratione deletum*. Sed ut verbo me expediam, repudiandi obligatio non viget, nisi cum uxor numquam ad frugem revertatur; ita ut videatur vir dissimulatione, atque facilitate sua illius impudicitiam probare, vel etiam ipse prostituere illam, ut ex uxoris corpore quæstum faciat; quod scelus est, ac flagitium omni abominatione dignum, ac indignum penitus, ne dicam Christianæ Religionis sanctitate, Gentium immanissimarum consuetudine.

ỳ. 24. VIR AMABILIS [3] AD SOCIETATEM, MAGIS AMICUS ERIT, QUAM FRATER.] Qui aliis placere studet, gratiosus, jucundus; qui novit, ac exercet societatis, & amicitiæ regulas, amicos sibi comparabit, qui cum majori benevolentia, quam fratres sui prosequentur. Amicitiæ vincula plerumque fortiora sunt vinculis cognationis, atque naturæ. Hebr. [4] *Vir, qui amicos habet, & amari cupit, eos amat, & illis adhæret magis, quam frater fratri*. Facilior amicorum comparandorum ratio est illis amorem suum, atque benevolentiam testari. Amari vis, adhære illi, cujus captas amicitiam; illius negotia suscipe, illi placere stude, eique benevolentiam, ac fidem, non secus ac fratri testare. *Ut ameris, amabilis esto*, Ethnicus quidam ajebat; & Martialis Epigr.

Ut præstem Pyladem, aliquis mihi præstet Orestem;
Hoc non fit verbis, Marce: ut ameris, ama.

Satis liquet, Orestem, ac Pyladem eximium fuisse par amicorum, qui hac una in re discreparunt, uter pro alterius salute esset obiturus. *Nullus affectus est, qui magis vices exigat, quam amor*, ait Plinius in Panegyr. Traj. Confer Eccli. 6. ỳ. 11. 15.

1 Romani Correctores Gratiani notant, hunc locum non inveniri in S. Jo. Chrysostomo; & esse facile desumptum ex aliquibus conciliorum Canonibus, veluti Namnetensis c. 12.

2 August. de adulterin. conjug. lib. 2. c. 3. 6. & seq. Vide & Concil. 3. Aquisgran. pag. 746. & loca ibi citata, & Ernulphi Epist. ad Valchelin. tom. 2. Spicileg.

3 Edit. Complut. & Sixt. V. & aliæ. *Vir amicabilis*. Ita & MSS. plures.

4 איש רעים להתרעע ויש אהב דבק מאח

CAPUT XIX.

Pauper in innocentia sua. Divitiæ addunt amicos. Falsi Testes. Ficti amici. Patientia. Regis ira. Filius insipiens. Sapiens uxor donum Dei. Pigritia. Pauperum misereri. Dominum timere. Parentes revereri.

1. MElior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua, & insipiens. 2 Ubi non est scientia animæ, non est bonum: & qui festinus est pedibus, offendet. 3 Stultitia hominis supplantat gressus ejus, & contra Deum fervet animo suo. 4 Divitiæ addunt amicos plurimos: a paupere autem & hi, quos habuit, separantur. 5 Testis falsus non erit impunitus: & qui mendacia loquitur, non effugiet. 6 Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. 7 Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper & amici procul recesserunt ab eo. Qui tantum verba sectatur, nihil habebit. 8 Qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, & custos prudentię inveniet bona. 9 Falsus testis non erit impunitus, & qui loquitur mendacia, peribit. 10 Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus. 11 Doctrina viri per patientiam noscitur: & gloria ejus est iniqua prætergredi. 12 Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & sicut ros super herbam, ita & hilaritas ejus.

ejus. 13 Dolor patris, filius ſtultus: & tecta jugiter perſtillantia, litigioſa mulier. 14 Domus, & divitiæ dantur a parentibus: a Domino autem proprie uxor prudens. 15 Pigredo immittit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet. 16 Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem negligit viam ſuam, mortificabitur. 17 Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ſuam reddet ei. 18 Erudi filium tuum, ne deſperes: ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam. 19 Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum: & cum rapuerit, aliud apponet. 20 Audi conſilium, & ſuſcipe diſciplinam: ut ſis ſapiens in noviſſimis tuis. 21 Multæ cogitationes in corde viri; voluntas autem Domini permanebit. 22 Homo indigens miſericors eſt: & melior eſt pauper, quam vir mendax. 23 Timor Domini ad vitam; & in plenitudine commorabitur, abſque viſitatione peſſima. 24 Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam. 25 Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit: ſi autem corripueris ſapientem, intelliget diſciplinam. 26 Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominioſus eſt, & infelix. 27 Non ceſſes, fili, audire doctrinam, nec ignores ſermones ſcientiæ. 28 Teſtis iniquus deridet judicium: & os impiorum devorat iniquitatem. 29 Parata ſunt deriſoribus judicia; & mallei percutientes ſtultorum corporibus.

℣. 1. MELIOR EST PAUPER, QUI AMBULAT IN SIMPLICITATE SUA, QUAM DIVES TORQUENS LABIA SUA.] Duplicem habens linguam, mendacem, doloſam, inſipientem, iniquam. Non Hebræus, non Chaldæus, non Septuaginta, non plurimæ Latinæ editiones [1] legunt eam vocem *dives*. Septuaginta Romanæ Editionis priores duos capitis hujus verſiculos penitus omittunt, at in Complutenſi Editione minime deſiderantur [2]. Salomon ubique teſtatur, quanti ipſe faciat paupertatem, cui comites adſint juſtitia, atque innocentia. Præſtat *pauperem eſſe abſque dedecore*, ait Antiphanes, *quam injuſte diteſcere*.

℣. 2. UBI NON EST SCIENTIA ANIMÆ, NON EST BONUM.] Scientia animæ eſt ipſius cognitio, vel cognitio rerum cœleſtium, ac ſpiritualium; vel ſimpliciter: ſcientia, quam habet anima rerum utilium: cognitiones, quæ & mentem erudire, & cor regere poſſunt. Verti quoque poteſt [3]: *cum homo eſt ſine ſcientia, anima ejus non eſt bonum*. Vel: *cum ſcientia cares, votorum ſummam non exples*; voti compos non eſt. Anima quandoque pro deſiderio uſurpatur. Aliter; cum deeſt ſcientia, vita eſt injucunda. Anima paſſim pro vita adhibetur.

QUI FESTINUS EST, PEDIBUS OFFENDET.] Generatim, præceps feſtinatio plurimos defectus parit, gignit ſpiritus diſſipationem, diſtractionem, levitatem; quæ omnia iis adverſantur qualitatibus, quæ neceſſariæ ſunt, ut in magni momenti negotiis, in quibus maturatum conſilium, tempus, cura exquiruntur, res cedat ex voto. Scite equidem ajebat Plato l. 7. de Rep. *quo magis feſtino, minus progredior*. Nihil enim ex animi ſententia perficiebat, cum neceſſarium tempus minime impendebat. Et Auguſtus ſæpius aurea hæc verba repetebat, referente Svetonio, *ſat cito, ſi ſat bene*.

℣. 3. STULTITIA HOMINIS SUPPLANTAT GRESSUS EJUS: & CONTRA DEUM FERVET ANIMO SUO.] Homo, qui ſuis affectibus, vel erroribus ducitur, in omnibus ferme decipitur; fallaces enim ſunt viæ illius, fallaces rationes ejus: quid igitur mirum, ſi eum conatuum ſuorum fruſtratur eventus? Ira abripitur, impatientia ſe trahi ſinit, atque in Deum ipſum obmurmurat: ambitione adeo tumet, ut ſcelera ſua confiteri nolit, ſed in Deum ipſum pravorum eventuum cauſam rejetat. Ita Adam rejicit in uxorem ſuam, atque indirecte in ipſum Deum, peccatum, quod ille patraverat: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno* &c. Gen. 3. 12. Hebræi in Deſerto murmurantes dicebant, Deum eduxiſſe illos de Ægypto, ut eos in deſerto interimeret; quemlibet ad ipſius Tabernaculum accedentem emori; veluti Dominum indirecte accuſaturi nomine crudelitatis, ac improbitatis, tamquam Deum, cui nemo placere, nemo ſervire, ad quem nemo poteſt accedere. Ita quotidiana ferme excuſatione ſcelerum noſtrorum culpam in corporis temperiem, in inſtitutionem, habitus, fata, ſydera, humanam fragilitatem, ac vim tentationis offundimus. Hæc omnia in ipſum Deum relabuntur, cumque indirecte, ac tacite quodammodo petunt [4]. Hebræus [5]: *ſtultitia ſubvertit viam ſuam*, præcipitem dat virum in flagitia, & *cor illius* faſtidit, irritatur, murmurat *contra Dominum*. Septuaginta [6]: *ſtultitia hominis* deſtruit vias ejus; *ille in corde ſuo Deum accuſat*.

℣. 4. DIVITIÆ ADDUNT AMICOS &c.] Sententia hæc omnibus ſæculis probata fuit, ejuſque veritatem, quotidie experimur. Non longe a Salomonis ſententia hac in re Ethnici abierunt [7]. Horatius Epiſt.

Tanti, quantum habeas, ſis.

Et Ovidius;

Donec eris dives, centum numerabis amicos.

Dives eſto, ac proſpera tibi flet aura fortunæ, omnes tibi erunt amici: cum vero in calamitate jacueris, ii ipſi, quibus te chariorem putabas, te derelinquent. Confer ℣. 6. & 7. hujus capitis.

℣. 5. TESTIS FALSUS &c.] Confer ℣. 9.

℣. 7. QUI TANTUM VERBA SECTATUR, NIHIL HABEBIT.] Qui inanes dumtaxat ſermones, ac verboſa officia, inaneſque amicitiæ, ac ſervitutis promiſſiones aucupatur, tandem ſe quocumque auxilio carere deprehendet. Fictitii hi amici cum deſerent, nihilque illi ſupererit, quam dolor, & pœnitentia, quod ſe inani exiſtimationis, atque benevolentiæ ſpecie falli, paſſus ſit. Hebræus aliter vertitur [8], pro variis rationibus, quibus legitur: *Qui currit poſt verba, quæ nullam habent realitatem*. Vel: *Qui quærit ſermones, nihil habebis*; quam lectionem Vulgata, ac plurimi In-

ter-

1 Edit. Complut. & nov. Edit. Hieronymi, & alii non pauci.

2 70. Complut. Κρείσσων ἐςὶ πτωχὸς πορευόμενος ἐν ἁπλότητι αὐτοῦ, ἢ στρεβλὸς τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ἄφρων. 3 גם בלא דעת נפש לא טוב 4 Vide Auguſt. in Pſal. 11.

5 אולת אדם תסלף דרכו ועל יהוה יזעף לבו

6 Ἀφροσύνη ἀνδρὸς λυμαίνεται τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ. Τὸν δὲ Θεὸν αἰτιᾶται τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. Aquil. Symmach. Διασκεδάσει. Theod. Σκολιώσει τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ. Symmach. Καὶ κατὰ Κυρίου ὀργισθήσεται ἡ καρδία αὐτοῦ.

7 Pindar. Iſthm. Od. 2. Χρήματα, χρήματα ἀνήρ.

8 מרדף אמרים לא המה (Alii legunt ,) לו המה

terpretes approbant. Alii vero priorem sectantur, quę non incongruum sensum adfert, si præcedentibus addas: *Amici procul recesserunt ab eo, dum ille quærit verba* &c. Chaldæus: Qui lacessunt amicos suos sermonibus, nihil habebunt, quod sperent. Septuaginta aliquid addiderunt [1]: *recta cogitatio*, vel sapientia, *accedit ad eos, qui cognoscunt* veram *amicitiam*, vel præcepta veræ amicitiæ; *& vir prudens inveniet illam. Qui mala multa operatur, addit cumulum nequitiæ suæ, & qui irritat sermonibus suis, non salvabitur.*

℣. 8. QUI AUTEM POSSESSOR EST MENTIS, DILIGIT ANIMAM SUAM.] Qui vere diligit animam suam, qui quærit veram utilitatem ejus, atque omnibus nervis illi, quod potest, bonum procurat, possidet eam, regit, moderatur, ita ut non pereat illa, fluxarum rerum amore capta, neque inutilibus negotiis irretita, nec vanitate, ac ignorantia repleta: eam excolit scientia, exornat virtute, & possidet patientia. Salvator noster ait in Evangelio Joan. 12. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quod contrarium videtur verbis Salomonis; sed cum iis, quoad sensum, congruit. Possidere animam suam, in sapientis hujus Principis sensu idem est ac odisse illam in sensu Jesu Christi, videlicet, illi denegare, quod fluxam, levemque parere illi potest lætitiam, ac æternam vitam adimere; omnia illi abrumpere voluptatum vincula, ut eam rectis, ac salutaribus consiliis erudiat; a solatiis, & inutilibus cognitionibus avertere, ut illam ad sapientiæ studium, & virtutum exercitationem impellat. Hebræus [2]: *Qui possidet cor suum, amat animam suam*, hoc est, *Sapiens amat animam suam*. Possidere cor suum, habere cor, apud Salomonem Prov. 15. 32. significat habere sapientiam, atque prudentiam; uti e contra deficere, carere corde [3] significat, sapientia, ac prudentia carere. Septuaginta [4]: *Qui possidet prudentiam, amat seipsum.* Chaldæus: *Qui possidet bonum cor, amat animam suam.* Qui habet cor rectum, æquum, beneficum, se, uti par est, diligit.

℣. 10. NON DECENT STULTUM DELITIÆ, NEC SERVUM DOMINARI PRINCIPIBUS.] Stultus non potest recte voluptatibus uti, iis enim insipienter, ac immodice abutetur; in illis animæ, ac valetudinis suæ reperiet interitum. Difficilius est recte uti bonis, ac voluptatibus hujus mundi, quam eas omnino contemnere. Vita laboribus exercita minori indiget gratia, & vi, ut justitiam servet, quam commoda vita, ac deliciis affluens. Sapientes, ac pii viri nonnumquam voluptatum illecebris corrumpuntur; quid igitur vereri debent stulti, qui nullo fræno cohibentur? Ut verbo me expediam, stultus est indignus voluptatibus, sed pœnas dumtaxat meretur. Voluptas laboris, & virtutis, non inertiæ, ac vitii præmium esse debet.

Multo magis dedecet servum Principibus dominari; hæc enim intolerabilis esset ordinis perturbatio. Salomon alibi ait, tria esse, vel quatuor, quæ sustineri non possunt [5], regnantem servum, stultum saturatum, odiosam mulierem in matrimonio assumptam, & ancillam dominæ suæ hæredem. Id genus homines plerumque impotenter, ac superbe se jactant; quamobrem indignantur illi, qui eorum originem norunt, & comparant id, quod ipsi esse deberent cum eo, quod sunt. Hi igitur sibi dictum putent illud Ausonii monitum Epigr. sect. 1.

Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Utraque hujus versiculi pars simul jungi potest. Æque dedecet videre stultum in delitiis, ac servum in imperio. Nemo debet conditionis suæ fines excedere. Homo ex imo popello, cui nullum ingenium est, nulla elegantia, nulla ratio, se se popularibus exhibet cachinnis, cum spectabiles auctoritate viros vult æmulari. Se fabulam vulgo præbet, efficitque, ut in dies magis indignitas sua eluceat.

℣. 11. DOCTRINA VIRI PER PATIENTIAM NOSCITUR: & GLORIA EJUS EST INIQUA PRÆTERGREDI.] Scientia, ac institutio elegantem, urbanumque reddunt, atque ab omni furore, atque asperitate coercent; & quo magis vir est vere sapiens, eo magis humilis est, modestus, patiens, verecundus. Sapientis gloria nequaquam posita est in eo, ut summa ingenii vi sibi illatas contumelias refellat, sed ut eas contemnat, atque semoveat. Sapiens neque arrogans est, neque mollis, neque ultor, neque nimium sensibilis. Nisi multa, & amicis nostris, condonare velimus, periculum est, ne umquam pace fruamur, nullosque habeamus amicos. Ultio infirmitatis est argumentum. Juvenal. Satyr. 13.

Infirmi est animi, exiguique voluptas,
Ultio.

℣. 12. SICUT FREMITUS LEONIS, &c.] Nihil magis terribile, quam Leonis rugitus, quem cætera animantia perhorrescunt, fugiunt, & cujus solo fremitu exanimantur [6]. Reges crudeles, atque furentes quocumque terrorem, doloremque inferunt. Cum enim omnia in eorum manu sint posita, neque aliquis sibi libertatem vindicet eos admonendi, sæpius sibi odium, ac invidiam conflant, atque terrorem sui aliis incutiunt quibusdam superbiæ vocibus, quæ, ipsis vel ne cogitantibus quidem, excidunt. Dominatio nonne satis onerosum jugum est subditis, quin adhuc & impotentia, & metu gravius fiat? Vide supra cap. 15. 16.

℣. 13. TECTA JUGITER PERSTILLANTIA, LITIGIOSA MULIER.] Quemadmodum commorari non possumus in domo, cujus sarta tecta procurata non sunt: ita cum muliere contentiosa consuetudo iniri non potest. Vide infra cap. 27. ubi Salomon hoc ipsum repetit; & prodest id ipsum repetere; malum enim vulgare est, atque illius curatio difficilis: *Dos est uxoria lites*, ajebat Ovidius lib. 1. de Arte. Lites sunt veluti necessarium consequens connubii: *Qui non litigat, cælebs est*, ait Varius Geminus apud S. Hieronymum contra Jovin. l. 1. Septuaginta [7] longe absunt ab Hebraico textu, atque a Vulgata: *Vota*, vel *oblationes, quæ offeruntur ex pretio meretricis, nequaquam puræ sunt.* Lege cautum est, ne libidinis pretium Domino offeratur [8]. At hoc toto cœlo abest a Textu, quem explicamus.

℣. 14. A DOMINO AUTEM PROPRIE UXOR PRUDENS.] Deus omnium bonorum est auctor; nihil habemus, quod ab ipso minime obtinuerimus: at sapiens uxor rarum adeo, ac pretiosum munus est, ut habenda sit veluti donum, quod mere a Domini liberalitate profectum sit: & quod ipse gratuito iis, quos maxime diligit, impertit. Confer Prov. 11. 22. 12. 4. 18. 22. 31. 10 & seq. Septuaginta [9]: *Dominus adaptat uxorem viro*, tribuit illi aptam conjugem, quæ illi quadret, quæ cum ipso optimum concentum efficiat. Patres [10] hoc usi sunt loco, ut ostenderent, fideles viros nequaquam debere ducere uxores infideles.

℣. 15. PIGREDO IMMITTIT SOPOREM, & ANIMA DISSOLUTA ESURIET.] Sententia hæc in litterali sensu satis patet. Pigritia languorem parit, & uterque simul in egestatem, ac esuriem impellunt. In morali vero æque veritas innotescit. Qui difficultatem verentur, nihilque audent suscipere, numquam in Sapientiæ studio proficient. Qui ad rem quamlibet expavescunt, semper languent, neque in virtutis via umquam progrediuntur. Ut ad virtutem procedas, jugiter adnitendum est:

1 Ἔννοια ἀγαθὴ τοῖς εἰδόσιν αὐτὴν ἐγγιεῖ. Ἀνὴρ δὲ φρόνιμος εὑρήσει αὐτήν, ὁ πολλὰ κακοποιῶν, τελεσιουργεῖ κακίαν, ὃς δὲ ἐρεθίζει λόγους, οὐ σωθήσεται. 2 קנה לב אהב נפשו 3 Prov. 6. 32. 7. 7. 9. 4. 13. 11. 12. 13. 12. & passim.
4 Ὁ κτώμενος φρόνησιν, ἀγαπᾷ ἑαυτόν. 5 Prov. 30. 21.
6 Vide Basil. Hexam. homil. 9. & Ambros. lib. 6. cap. 4. Hexam.
7 Οὐκ εὐχαὶ ἁγναὶ ἀπὸ μισθώματος ἑταίρας. 8 Deut. 23. 18. *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui.* 9 Παρὰ δὲ Κυρίου ἁρμόζεται γυνὴ ἀνδρί.
10 Ambros. in Luc. cap. 16. & lib. 1. De Abraham, cap. 9. Auth. Oper. imperf. in Matt. homil. 1.

est [1]: *in via vitæ non progredi, regredi est*, ait D. A
Bernardus. Cum hostes nostri nihil umquam intentatum relinquant, nos perdituri, num quiescere poterimus, quin vincamur? Septuaginta [2]: *Pigritia retinet hominem effeminatum, & piger patietur famem.*

℣. 16. QUI AUTEM NEGLIGIT VIAM SUAM MORTIFICABITUR.] Qui negligit; vel cum Hebræo [3]: *qui aspernatur vias suas*: qui non attendit, non invigilat sibimet ipsi, qui non incumbit, ut bene vivat, atque suam vivendi rationem instituat, *morte afficitur*, omnia in se calamitatum, malorumque genera convertet. Plurima in Moysis lege erant mandata, proposito mortis supplicio, si quis eas perfregisset. At hic de animæ morte ac peccato, præcipue videtur intelligendum: Verti quoque posset: *Qui observat præcepta, servat animam*, vel vitam *suam; qui vero vias Domini* B
contempserit, morietur.

℣. 17. FOENERATUR DOMINO, QUI MISERETUR PAUPERIS.] Dominus ipse illius debitor fit, eique cum fœnore reddet, quæ ipse pauperi erogaverit. Excipiet illum, quemadmodum ipse exceperit fratrem suum: miserebitur ejus &c. Non ait simpliciter: Dat Domino, sed *fœneratur*. Non recipiet dumtaxat ea, quæ pauperi dederit, sed recipiet cum fœnore. Aviditas nostra majoris lucri promissionibus erat allicienda, ait S. Basilius in Psal. 38. Hoc fœnus permissum est. Ditescere vis, & ex argento quæstum capere; illud large pauperibus eroga, nec verearis, quominus æs mutuatum dissolvant; Deus vas est, ipse tibi debet [4]: *Cum pauper orat pro se*, S. Augustinus in Psal. 36. ait, *tamquam Deo dicit: Domine mutuum accepi*, C
fidejube pro me. Proinde, & si non tenes pauperem redditorem, sed idoneum tenes fidejussorem: Ecce Deus tibi de Scriptura sua dicit: da securus; ego reddo.

℣. 18. ERUDI FILIUM TUUM, NE DESPERES: AD INTERFECTIONEM AUTEM EJUS NE PONAS ANIMAM TUAM.] Cave ne illum ad mortem voces, si asper, ac indocilis fuerit. Patientiam habe, ætas illi maturitatem afferet; curæ tuæ felicem exitum consequentur. Lex parentibus permittebat summa cum severitate in filios suos animadvertere; eos venundare poterant; ac de illis, veluti vilissimis mancipiis ea, quæ maxime vellent, peragere; & cum filius aliquis inobediens, ac indocilis erat, tunc ad solas parentum querimonias lapidibus obruebatur [5]. Salomon patres, matresque a nimia hac severitate dissuadet, eosque adhortatur, D
ut cum patientia, & suavitate suos filios erudiant. Hebræus [6]: *Corrige filium tuum, quoniam non deest spes; nec illius questus audi*. Ne illius te frangant ejulatus. Vel: *Corrige illum, donec spes est &c.* Tempus adveniet, quo te illi haud pepercisse læteris; ac fructum, gaudiumque percipies ex ea severitate, quam adversus illum exercueris. Chaldæus, & alii plurimi notæ melioris Interpretes Hebræum in Vulgatæ sensu explicant. Septuaginta [7]: *Corrige filium tuum, hæc enim est via, illi bonas spes tribuendi*. Vel: & hoc pacto in optimam spem adolescet: *Neque te ira abripi sinas, ut illi inferas contumeliam*. Eodem, quo Salomon spiritu, afflatus erat S. Paulus, cum ajebat ad Coloss. 3. 21. *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* E

℣. 19. QUI IMPATIENS EST, SUSTINEBIT DAMNUM: & CUM RAPUERIT, ALIUD APPONET.] Hoc præcedenti additur versiculo: Si nimia exarseris ira in filium tuum, mox dolore conficieris; sin autem indulgens nimis fueris, ac furtum aliquod parvulum ipsi impune reliqueris, primo quoque tempore majora furabitur. Vel potius cum Hebræo [8]: *nam qui ardentius irascitur, iræ pœnam subibit, & si illum impunem reliqueris, peccare persistet*. Si quid vehementius in filium tuum feceris, locus erit pœnitentiæ; sin autem nimis connivens fueris, ille nequior fiet, neque illum umquam ad frugem poteris revocare. Septuaginta [9]: *Vir, cujus improbi sunt sensus, pœnam subibit; & si alii contumeliam intulerit, in vitæ periculum adducitur*. Complures tamen Textum absolute, ac sine ulla cum præcedentibus connexione ita interpretantur: *Qui impatiens est, sustinebit damnum*. Qui facile ira corripitur, multa sibi mala conflabit; lites sibi comparabit, alios injuriis, & verberibus afficiet, increpationes evomet, in sermones honori, ac proximi sui existimationi noxios erumpet: quæ omnia illum in odium, atque contemptum adducent: ii, quos percusserit, se se ulciscentur: ipse vero inimicos sibi pariet, amicos amittet; omnesque illum veluti ferum animal effugient: ne loquar de vulneribus illis, quibus animam suam confodit, deque gratiæ, charitatis, pacis &c. jactura. Plena sunt Sanctorum Patrum monumenta descriptionibus malorum, quæ ira, atque impatientia gignunt, quorum etiam funestissimos effectus in Historia passim deprehendimus.

℣. 20. UT SIS SAPIENS IN NOVISSIMIS TUIS.] Audi præcepta, atque doctrinam, donec inter pueros versaris, ut in fine, in ætatis robore, vel etiam in morte, sapientiæ tuæ fructum percipias.

℣. 21. MULTÆ COGITATIONES IN CORDE VIRI: VOLUNTAS AUTEM DOMINI PERMANEBIT.] Hoc idem ferme est, ac superius dictum c. 16. 1. *Hominis est animam præparare: & Domini gubernare linguam*. Potest quidem homo inire consilia, & quid faciendum, cogitare; at hæc per se minime exequi potest. Deus unus constanter, atque immutabiliter decernit; ipse unus certo certius ea perficit, quæ decrevit. Duæ res nostram efficiunt levitatem, atque consiliorum nostrorum inconstantiam: prior quidem, ignorantia nostra, posterior vero infirma nostra facultas. Si in ictu oculi rem quamlibet intus, & in cute possemus intueri, ejusque naturam, & qualitates intelligere: si cujusvis conatus nostri effectus, atque eventus prænosceremus; si mens, & animus noster solidis dumtaxat, nostroque amore, atque existimatione dignis rebus adhæresceret: si demum domini essemus causarum, & in facultate nostra positi essent eventus, licet judicio, & ratione parum valeremus, tamen optimum semper eligeremus; eique semper mordicus hæreremus. At res e contra se habet. Deus unus, cujus cognitiones nullis tenebris obscurantur, limitibus nullis coercentur, cujus virtus extra quemcumque obicem est posita, cujus sapientia, atque prævidentia sunt infinitæ, numquam sententiam mutat, neque inania, atque futilia umquam jactat consilia; alioquin nec esset Deus. Potest quoque simpliciori modo versiculus hic explicari. Vivit homo in perenni cogitationum, votorumque perturbatione, ac vicissitudine: Deus unus immobilis est in consiliis, decretisque suis; ipse unus semper eadem cogitat [10]; neque aliæ aliis cogitationes ipsius subinde succedunt; uno dumtaxat, ac simplici intuitu omnia simul, & singula scrutatur; cogitationes illius numquam mutarunt, auxerunt, vel imminuerunt objectum, omnino secus ab iis, quæ nobis contingunt.

℣. 22. HOMO INDIGENS MISERICORS EST.] Hoc ita natura comparatum est, ut cum mala passi fuerimus, alienorum malorum facile misereamur. Virgilius Æneid. 4.

1 Vide Gregor. Magn. Pastoral. 3. parte adm. 10.
2 *Δειλία κατέχει ἀνδρόγυνον, ψυχὴ δὲ ἀεργοῦ πεινάσει.*
3 בזה דרכיו יומת
4 Vide Chrysost. in Genes. homil. 5. Ambr. lib. de Tob. cap. 16. Basil. homil. 8. in divites avaros, &c.
5 Deut. 21. 18. 19. & sequ.
6 יסר בנך כי יש תקוה ואל המיתו אל תשא נפשך
7 *Παίδευε υἱόν σου, οὕτω γὰρ ἔσται εὔελπις, εἰς δὲ ὕβριν μὴ ἐπαίρου τῇ ψυχῇ.*
8 גרל חמה נשא ענש כי אם תציל ועוד תוסיף
9 *Κακόφρων ἀνὴρ πολλὰ ζημιωθήσεται· ἐὰν δὲ λοιμεύηται, καὶ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ προσθήσει.* Theod. *Μακρόθυμος ἀνήρ.*
10 August. lib. 1. Confess. cap. 6. *Apud te rerum omnium instabilium stant causæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines; & omnium irrationalium, & temporalium sempiterna vivunt rationes.*

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Miseremur, quia malorum pondus agnoscimus. Qui ægritudinem aliquam minime experti sunt, difficilius ad misericordiam excitantur iis, qui eodem morbo confecti laborant. Videtur Dominus Jesus miserias nostras, atque infirmitates voluisse experiri, ut facilius flecti posset ad miserationem: *Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret*, ad Hebr. 2. 17. Hebr. ad litteram [1]: *Desiderium hominis est ipsius miseratio*. Cum eupit, atque indiget, tunc aliorum facile miseretur. Aliter [2]: *homo sibi complacet benefaciens*; vel cupit facultatem benefaciendi. Divitias optat, ut eas aliis communicet. Nonnulli reddunt [3]: *Desideria hominis sunt turpitudo illius*. Re enim vera post peccatum desideriis nostris ad malum trahimur [4]: *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia*. Septuaginta [5]: Eleemosyna, vel *misericordia utilis est homini*. Vel fundus est magnorum proventuum homini.

MELIOR EST PAUPER, QUAM VIR MENDAX.] Sententia hæc satis est perspicua: præcedentibus vero ita subnecti potest: Qui suffert paupertatem, plerumque similium suorum ducitur misericordia; & qui talis est, longe præstat diviti, qui recta fide caret, & æquitate, qui per fas, & nefas divitias quoquomodo vel quærere, vel quæsitas studet tueri. Aliter: Homo habere cupit bona, quorum alios participes faciat: at longe illi melius est, ut in sua paupertate permaneat, quam huic misericordiæ desit officio, quod plerique eorum faciunt, qui opes comparavere. Mendaces enim sunt, neque eorum aliquid præstant, quod promisere. Vel potius [6]: *Misericordi viro omnia e voto cedunt*, omnia illi felicia contingunt. Vel: *Res est admodum desiderabilis homo plenus misericordiæ: & pauper*, qui bonæ sit fidei, *præstat* diviti *mendaci*, & doloso. Confer cap. 20. 6. *Multi homines misericordes vocantur; virum autem fidelem, quis inveniet?* Septuaginta [7] hic vertunt: *Pauper, qui justus est, melior est divite mendaci*.

℣. 23. TIMOR DOMINI AD VITAM.] Ad spiritualem, atque temporalem felicitatem, ad hujus vitæ, ac æternitatis prosperitatem. Vide Prov. 10. 27. *Timor Domini apponet dies*; 14. 27. *Timor Domini fons vitæ*: & Eccli. 1. 12.

ABSQUE VISITATIONE PESSIMA.] Quin ipsi ulla calamitas ingruat. Deus non visitabit eum in ira sua; pacatam, tutamque vitam ducet. Plura Latina exemplaria [8] legunt: *Absque visitatione pessimi*, hoc est dæmonis. Dæmon nullas in ipsum vires habebit. Si permittit Deus, ut justus tentetur, quemadmodum tentati fuere Job, ac Tobias, ille e prælio victor redibit; hæc tentatio proderit, ut magis virtus ejus eniteat.

℣. 24. ABSCONDIT PIGER MANUM SUAM SUPER ASCELLA, NEC AD OS SUUM APPLICAT EAM.] Metuere etiam videtur laborem manus ad os admovendæ, ut manducet: Hyperbolice dictum ad inertissimam pigritiam innuendam. Hebræus longe aliter [9], aliterque vertitur: *Piger abscondit manum suam in lance*, in lebete [10], in sinu suo [11], sub axilla [12], in manicis suis [13]; *neque admovebit eam ori suo*. Alii: abscondit manum suam in sinu suo veluti in lebete; vel abscondit eam in hiatu sinus sui. Vel, denique admovet eam igni, qui est in lebete, ad se calefaciendum, & respuit eam ori applicare. Hæc omnia obscurissimis sunt tenebris involuta: Ita vero ego reddere mallem: *piger extendit manum ad lancem*, vel ollam; abscondit eam, immittit in scutella, vel cacabo (antiquitus enim sine cochleari manducabant) *neque inde eam educet, ut ori admoveat*. Ad litteram: *non reducet eam ad os suum*: quod ignavissimam inertiam designat.

Certum est, Hebraicam vocem *Zalachat* significare vas, ubi aliquid coquitur, vel epulæ efferuntur: *Elisæus jussit sibi afferri Zalachat recentem*, ibique sal commisceri, cum Jerechuntini fontis aquas dulces efficere vlouit, 4. Reg. 2. 20. Et Dominus 4. Reg. 21. 13. minitatur, se Jerusalem deleturum, eamque mundaturum, quemadmodum mundatur, vel abstergitur *Zalachat*. Denique Paschales victimæ in ollis, cacabis, & *Zalachat* excoquebantur, cum Josias solemne Pascha celebravit 2. Par. 35. 13. Hæc igitur vox instrumentum significat, ubi carnes elixabantur, & elixatæ servabantur. Non enim priscis ea omnis erat coquinaria supellex, qua modo utimur. Quilibet ollæ manum admovebant; at piger, ut ita dicam, abscondebat eam in jusculo, & embammate: quæ locutio exhibet etiam illius pigritiam, veluti hominis negligenter manum moventis. Demum hæc verba: *non reducet manum suam ad os*, innuunt agi de actione, in qua sæpius manus ori refertur, uti assolet, comedendo. Instrumentum igitur, de quo hic agitur, est olla, vel lanx satis profunda, ac magis excavata, quam [a], quibus nunc utimur. Salomon hoc ipsum Proverbium iisdem penitus verbis repetit infra cap. 26. 15.

Septuaginta [14] huic loco moralem sensum appingunt: *qui injuste abscondit manum suam in sinu suo, non adducet eam ad os suum*. Avarus injuste abscondit manus suas in sinu suo, neque aperit eas, ut pauperi stipem eroget; at non permittet Deus, ipsum bonis suis frui. Ea ipsi adimet, vel eum de mundo tollet, antequam ori manum admoveat. Ii etiam, qui neque ad suam, neque ad aliorum salutem laborare volunt, & qui injuste manus in sinu suo continent, in egestate, ac paupertate spiritualium bonorum, morientur [15]. Demum ii, qui alios coarguunt, sed ea, quæ docent, non exequuntur, manus quodammodo in sinu suo continent, nec ori eas admovent, ut actiones cum verbis concilient [16]: quæ omnes morales sunt, ac figuratæ explicationes.

℣. 25. PESTILENTE FLAGELLATO, STULTUS SAPIENTIOR ERIT &c.] Sapiens non indiget objurgationibus, satis est, si admoneatur: at improbus ad officium revocari nequit, nisi per metum, atque severitatem. Hebræus [17]. *Percute irrisorem; & stultus*, simplex, ignarus, *sapiens fiet; & castiga sapientem, discet scientiam*. Correctiones omnibus utiles sunt; si ex ipsis fructum non percipit impius, ex tamen simplicibus, ac ignaris proderunt, qui ab exemplis ejus absterrebuntur. Eos vero, qui sapientes, ac prudentes sunt, sapientiores adhuc, prudentioresque constituet.

℣. 26. QUI AFFLIGIT PATREM, & FUGAT MATREM, IGNOMINIOSUS EST.] Nonnulli legunt [18]: *Et fugit matrem*. Hebræus [19]: *Qui spoliat*, diripit, prædatur, *patrem suum, & ejicit matrem suam, est filius confusionis, & opprobrii*. Vel filius flagitiosus, ac prodigus, furatur patri suo, & fugat matrem suam. Nomine *filii confusionis* adnotari potest, Salomonem ple-

1 תאות ארם חסדו וטוב רש מאיש כזב   a Ita Geier. Mercer. Jun. Pisc. alii.
3 Rab. Levi.   4 Genes. 6. 5. & 8. 21.
5 Καρπὸς ἀνδρὶ ἐλεημοσύνη.   6 רב אדם יקרא איש חסדו ואיש אמונים מי ימצא
7 Κρείσσων δὲ πτωχὸς δίκαιος ἢ πλούσιος ψεύστης.   8 Edit. Sixti V. & Complut. &c.
9 טמן עצל ידו בצלחת גם אל פיהו לא ישיבנה   10 Mercer. Rab.
11 Syr. Pagn. Geier. Castr.   12 Chald. Munst. Aquil. Μασχάλῃ. Sym. Μασχάλῃ.   13 Jun. Tremel.
14 Ὁ ἐγκρύπτων εἰς τὸν κόλπον αὐτοῦ χεῖρας ἀδίκως, οὐδὲ τῷ στόματι οὐ μὴ προσαγάγῃ αὐτάς.
15 Vide Caten. Græc. in hunc loc. & Bern. serm. 63. in Cant.
16 Gregor. Magn. lib. 12. Moral. cap. 10. *Pigro labor est manum suam ad os porrigere: quia desidiosus quisque prædicator nec hoc vult operari quod dicit: Manum quippe ad os porrigere, est vocis suæ opere concordare.*
17 לץ תכה ופתי יערים והוכיח לנבון יבין דעת   18 Sixti V. & Complut. Aquil. Ἀποδιώκων.
19 משדד אב יבריח אם בן מביש ומחפיר

plerumque intelligere puerum, qui in lustris, & ganeis suas fortunas absumit. Septuaginta [1]: *Qui contemnit patrem suum, & rejicit matrem suam, ignominia, ac opprobrio suffundetur*. Chaldæus: *Qui irridet patrem suum, & ejicit matrem suam, filius est ignominiæ &c.*

℣. 27. NON CESSES, FILI, AUDIRE DOCTRINAM.] Hebræus omnino contrarius videtur [2]: *Cessa, fili mi, audire reprehensionem, ut erres a scientia*. Si in errore tuo, atque ignorantia persistere cupis, fili, desere disciplinam. At cave, ne id facias, si quæris serio proficere. Aliter: *Desere, fili mi*, aliud quodvis negotium, *ut attendas præceptis magistrorum tuorum, ne erres a verbis scientiæ*. Septuaginta [3]: *Filius, qui relinquit monita patris sui, sermonibus improbis se se tradit*.

A

℣. 29. MALLEI PERCUTIENTES STULTORUM CORPORIBUS.] Id genus homines rotæ imponuntur, & malleorum ictu confringuntur. Impii, ac nefarii sævissimis sunt obnoxii suppliciis. Sapiens, ut ostendat magnitudinem malorum, quæ illis imminent, hac similitudine ex ferrariis fabris deducta utitur, qui super incudes magnis malleorum ictibus ferrum tenduht. Recentiores Interpretes passim Hebraicum textum [4] reddunt: *Ictus virgæ, vel baculi, cædes, sunt pro corporibus stultorum*. Septuaginta [5]: *supplicia*. Theodotion [6]: *fractura super tergum stultorum*. Symmachus [7]: *Malleorum ictus*: quæ versio magis litteralis videtur [8], & præ cæteris S. Hieronymo attigit.

1 Ὁ ἀτιμάζων τὸν πατέρα, καὶ ὁ ἀπωθούμενος μητέρα αὐτοῦ καταισχυνθήσεται, &c.
2 חדל בני לשמע מוסר לשגות מאמרי דעת 3 Υἱὸς ἀπολειπόμενος φυλάξαι παιδείαν πατρὸς, μελετήσει ῥήσεις κακάς. Alii: Σχολὴν ἄγεις ἐπὶ τοῦ . . . . 4 ומהלמות לגו כסילים
5 70: Τιμωρίαι 6 Συγκλάσεις νώτῳ ἀσύτων.
7 Sym. Σφυροκοπίαι. 8 Vide Judic. 5. 25. Psal. 140. 5. Isai. 41. 7.

CAPUT XX.

Vinum fons impuritatis. Contentiones relinquendæ. Homo piger. Vir misericors. Rex Justus, & sapiens. Duplex pondus abominabile. Sapientes. Commissa detegens arcana. Malum pro malo non reddendum. Parentes colendi. Misericordia, & veritas Regem conservant &c.

1. LUxuriosa res, vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur,
non erit sapiens. 2 Sicut rugitus leonis, ita & terror regis: qui pro-
vocat eum, peccat in animam suam. 3 Honor est homini, qui separat
se a contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis. 4 Propter frigus
piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi. 5 Sicut aqua
profunda, sic consilium in corde viri: sed homo sapiens exhauriet illud. 6 Mul-
ti homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet? 7 Justus,
qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet. 8 Rex, qui
sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo. 9 Quis potest dicere:
Mundum est cor meum, purus sum a peccato? 10 Pondus & pondus, mensura
& mensura: utrumque abominabile est apud Deum. 11 Ex studiis suis intelligitur
puer, si munda & recta sunt opera ejus. 12 Aurem audientem, & oculum vi-
dentem, Dominus fecit utrumque. 13 Noli diligere somnum, ne te egestas op-
primat: aperi oculos tuos, & saturare panibus. 14 Malum est, malum est, di-
cit omnis emptor: & cum recesserit, tunc gloriabitur. 15 Est aurum, & multi-
tudo gemmarum: & vas pretiosum labia scientiæ. 16 Tolle vestimentum ejus,
qui fidejussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo. 17 Suavis est
homini panis mendacii: & postea implebitur os ejus calculo. 18 Cogitationes
consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella. 19 Ei, qui revelat
mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis. 20 Qui
maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. 21
Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. 22
Ne dicas: Reddam malum, expecta Dominum, & liberabit te. 23 Abominatio
est apud Dominum pondus, & pondus: statera dolosa non est bona. 24 A Do-
mino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam?
25 Ruina est homini devorare sanctos, & post vota retractare. 26 Dissipat impios
rex sapiens, & incurvat super eos fornicem. 27 Lucerna Domini spiraculum ho-
minis, quæ investigat omnia secreta ventris. 28 Misericordia, & veritas custo-

dium regem, & roboratur clementia thronus ejus. 29 Exultatio juvenum, fortitudo eorum: & dignitas senum, canities. 30 Livor vulneris absterget mala: & plagæ in secretioribus ventris.

℣. 1. LUXURIOSA RES VINUM, & TUMULTUOSA EBRIETAS: QUICUMQUE HIS DELECTATUR &c.] Hebræus magis est efficax [1]: *Vinum est illusor, & sicera est tumultuosa: & quicumque iis se tradunt sapientes non erunt*. Sicera generatim omnia potus genera, quæ temulentiam afferre possunt, præsertim vero vinum e palma in Oriente maxime vulgatum, significat. Salomon ait, *vinum esse illusorem*, hoc est illusores efficere illos, qui se mero nimium ingurgitant, eo in sensu, in quo illusoris nomen in universo hoc libro usurpatur, pro eo scilicet, qui in jocum vertit præcepta, qui Religionem irridet, qui omnia maxime seria, & sancta aspernatur; pro homine demum flagirioso, & nequam. *Sicera est tumultuosa*, reddit hominem turbidum, inquietum, indocilem, querulum, furiosum: *Quicumque se vino tradiderit, non erit sapiens*. Intemperantia invictus est obex sapientiæ; qui sapiens cupit evadere, incipiat ab intemperantia, ac immodico vini potu abhorrere. Vinum & sapientibus ipsis [2] lapis est offensionis: & cum quis liquoris hujus vi captus fuerit, consilii statim, & rationis est impos: *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ, cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Sapiens infra ait c. 23. 29. & S. Paulus ad Ephes. 5. 18. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Cernite hominem temulentum, ait S. Basilius hom. contra Ebriet. Vinum potitur cerebro illius, tamquam tyrannus, qui alicujus civitatis arcem expugnat. Illinc tyrannicum in sensus omnes exercet imperium; statim in vincula rationem conjicit, & acquisitas scientias susque deque perturbat; voces violentos dumtaxat, confusosque sonos edit; ita inflammatur, amoris affectus sævit; furor, libido, intemperantia bacchantur.

Septuaginta [3]: *Vinum est res indomita, vel prodigum est vinum, & contumeliosa ebrietas*, omnibus injuriam infert, & contumeliam: *Qui se corrumpi, vel decipi vino, patiuntur, non erunt sapientes*. Chaldæus: *Vinum reddit hominem irrisorem*, impotentem, libidinosum, *& sicera inebriat*.

℣. 2. SICUT RUGITUS LEONIS, ITA & TERROR REGIS.] Regis ira terrorem hominibus incutit, illi persimilem, quem leonis rugitus in aliis animantibus ciet. Vide infra vers. 8. & 26. & cap. 16. 14. & 19. 12.

℣. 3. HONOR EST HOMINI, QUI SEPARAT SE A CONTENTIONIBUS.] Hebræus [4] brevior est, sed ad eumdem scopum collimat: *Gloriosum est homini cessare a contentionibus*; vel temperare a litibus, & quæstionibus: *sed omnis stultus se se immiscet* in jurgiis, & certaminibus. Non decet honestum virum, ac sapientem alienis se se comiscere litibus, ac negotiis; immo & in propria causa semper gloriosius est cedere, quam decertare. Vide Prov. 17. 11. & 14. 18. 6. Præstat gloriose, ac generoso animo de suo jure decedere, quam inanem referre victoriam, eamque sæpius justitiæ, ac veritatis detrimento, ac fere semper cum charitatis jactura. Melius est sine contentione cedere, quam jurgiis, certaminibusque resistere. Valer. Maxim. *Plena victoria est ad clamantem tacere, nec respondere provocanti*.

℣. 5. SICUT AQUA PROFUNDA, SIC CONSILIUM IN CORDE VIRI &c.] Pervadet cordis hujus profunditatem, scrutabitur latebras, consilia deteget, omniaque meditamenta cognoscet. Ita David. 2. Reg. 14. 18. deprehendit scopum orationis Thecuitidis illius, quæ, ut Absalon de exilio revocaretur, perorabat; ita Salomon 3. Reg. 3. 24. veram cognovit matrem inter duas mulieres, quæ mutuis ultro citroque conviciis se se accusabant, quod filium suum suffocassent: ita Augustus intellexit dolum nebulonis cujusdam, qui se Herodis Magni filium ferebat [5], & SS. Basilius, & Gregorius Nazianzenus detexere malum, quod in pravo corde Juliani Apostatæ delitescebat. Scitus Politicus ad externi Regis aulam missus omnem in eo operam collocat, ut illius secreta cognoscat: examinat, interrogat, dissimulat, loquitur, tacet, aliam personam induit, ac in tercentas imagines se se mutat, ut aliorum cogitationes scrutetur. In eorum sermones, silentium, habitus, festinationem, cunctationemque intentus omnia prospicit, omnia perpendit; ac mirum est, si tandem nihil deprehenderit.

℣. 6. MULTI HOMINES MISERICORDES VOCANTUR: VIRUM AUTEM FIDELEM, QUIS INVENIET?] Non deerunt, qui te beneficiis suis præveniant, atque favoribus suis te prosequi incipiant: at aderuntne, qui ad finem usque fideles, atque constantes permaneant? Ad certum usque limitem erunt amici; verum si quæ tibi ingruerit calamitas, meliores amici deficient. Vel omnino simpliciter: Plurimi sunt, qui misericordiam habeant, pauci, qui veritatem. At in Scripturis misericordia, & veritas, vel fidelitas semper conjunguntur [6]: duo hæc numquam sunt separanda. Non sufficit bonum operari, sed illud constanter, fideliter, sine fuco operandum est. Vide Cap. 20. 22. In Deo numquam duæ hæ virtutes altera sine altera cernuntur [7]: *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi*. Et alibi: *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas*: at in homine petraro utraque simul collucent. Septuaginta [8]: *homo aliquid magnum est: misericors homo aliquid pretiosum; sed difficile est virum fidelem invenire*.

℣. 8. REX, QUI SEDET IN SOLIO JUDICII.] Salomon Reges adhortatur, ut per se jus populis dicant. Hoc præcipuum eorum officium est, & quod maxime eorum intersit: ad id populis sunt præpositi.

℣. 9. QUIS POTEST DICERE: MUNDUM EST COR MEUM?] *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, dicit S. Johannes Apostolus in 1. Epist. 17. & Eccle. 9. 1. *nescit homo utrum amore, an odio dignus sit*. Licet humili semper in Deum confidentia suffulti esse debeamus, nemo tamen unus est, qui liquido, ac per interiorem persuasionem sciat, utrum justus sit, atque Domini gratia fruatur; ni saltem hoc illi particulariter fuerit revelatum [9]. Septuaginta [10]: *Quis gloriari potest, se cor mundum habere?*

℣. 10. PONDUS & PONDUS ABOMINABILE.] Vide supra Prov. 11. 10. 16. 11. Deuteron. 25. 13. Salomon non damnat solum injustitias, ac fraudes, quæ in commercio admittuntur; prohibet etiam acceptionem personarum, Judiciorum injustitiam, & severitatem, qua fratres

---

1 לץ היין המה שכר וכל שגה בו לא יחכם 2 Eccli 19. 2. *Vinum, & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes.* 3 Ἀκόλαστον οἶνος, καὶ ὑβριστικὸν μέθη. Πᾶς δὲ ὁ συμμιγνύμενος, οὐκ ἔσται σοφός. Ambros. lib. 2. Offic. cap. 21. *Prodigum est vinum, & contumeliosa ebrietas.* Aquil. & Theod. Χλευαστὴς οἶνος. Sym. Λοιμός, pestilens. 4 כבוד לאיש שבת מריב וכל אויל יתגלע 70. Δόξα ἀνδρὶ ἀποστρέφεσθαι λοιδορίας. Aquil. Καθίσαι ἀπὸ ἀντιδικασίας. Symmach. Ἀπέχεσθαι ἀπὸ ἀηδίας.

5 Joseph. Antiqu. 18. 14. 6 Vide infra vers. 28. Prov. 3. 3. 14. 22. 16. 16. &c.

7 Psalm. 84. 11. Vide & 24. 10. 39. 12. 60. 8. 85. 15. & passim.

8 70. Μέγα ἄνθρωπος, καὶ τίμιον ἀνὴρ ἐλεήμων, ἄνδρα δὲ πιστὸν ἔργον εὑρεῖν. Aquil. Symmach. Theod. Ἄνδρα δὲ πιστὸν τίς εὑρήσει. 9 Augustr. in Psal. 149. Beda, Jans. Corn. a Lap. Baynul.

10 Τίς καυχήσεται ἁγνὴν ἔχειν τὴν καρδίαν

fratres nostros damnamus, dum interim nobis maxime indulgemus [1].

A ℣. 11. Ex studiis suis intelligitur puer.] Studia, ac ingenia præcipue in pueritia se se produnt. Tuto fere semper judicium de futuro fertur ex iis, quæ in primis adolescentiæ motibus apparent. Egregia institutio, præclara monita, exempla, disciplina, labor aliquamdiu possunt depravata coercere studia; at ingenium non satis diu hanc patitur vim. Horatius.

Naturam expellas furca, tamen ipsa recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.

Nonnulli Hebræum textum ita reddunt [2]: *Puer aliam induit personam in actionibus suis*, ita ut intelligi nequeat, *utrum opera illius recta sint, & munda*. Ægre cognoscitur ratio, ac finis actionum ejus pro futuro tempore, immo & pro præsenti. Timor, observantia, spes illum cohibent. Ast Vulgatæ sensus longe plures

B asseclas jactat. Septuaginta [3]: *Adolescens continebitur in studiis suis; via illius est cum Sancto, & recta erit.* Adolescentis pravæ animi propensiones sapientis viri interventu coercebuntur. Si cum Sancto vixerit, ejus vivendi ratio optime erit instituta [4].

℣. 12. Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit utrumque.] Si utrumque fecit, credi ne potest, ipsum ignorare ea, quæ videmus, atque audimus? Possumus ne illius cognitionem effugere, ac ex illius manibus elabi [5]? Vel potius: A Deo omnia profecta sunt, quæ possidemus, & sumus; nemo ergo ob mentis suæ perspicaciam, ac animi, corporisque dotes glorietur. Demum Deus nobis docilitatem, ac recta studia, atque ea sapientiæ tradit

C semina, quæ a studio, atque institutione, non nisi divina opitulante gratia, exercentur, ac perficiuntur.

℣. 13. Noli diligere somnum.] Septuaginta [6]: *Ne obloquaris de aliquo, ne intercas.*

℣. 14. Malum est, dicit omnis emptor.] Omnes sua cum utilitate mercantur; venditor quidem immodicum semper rebus pretium assignat; emptor vero vilissimum. Ita assolet. At hunc morem Sapiens non probat; sed ait, quod fit, non quod fieri debeat. S. Augustinus l. 13. de Trinit. c. 3. narrat, Circulatorem quemdam plena in spectantium cavea promisisse, cum rursus spectacula instaurasset, cuilibet e cœtu indicaturum, quid singuli clam molirentur in corde. Mira fuit confluentium copia, cumque omnes sollicite expectarent, dixit eis: Omnes caro pretio vendere,

D vili emere vultis. Nemo tunc in cœtu adfuit, qui hoc de se non fateretur, & plausu Circulatoris voces exciperet. Putat tamen Sanctus hic Pater, hoc nequaquam ita generale esse, ut nullam patiatur exceptionem: novi enim, ait ille, hominem, qui cum empturus esset librum, cujus venditor pretium ignorabat, majorem argenti vim contulit, quam quæ poscebatur, & justum illius pretium persolvit. Hoc sane bona commercii fides exposceret.

℣. 16. Tolle vestimentum ejus, qui fidejussor existit.] Salomon non semel jam [7] eos improbavit, qui pro aliis rebus fidejuberent: hic vero minacibus verbis suam mentem exprimit, ut magis oderimus, & obærati negligentiam ad alienum æs dissolvendum, &

E nimiam fidejussoris facilitatem, qui sponsione sua negligentiam eamdem approbare videtur. Qui se vadem præbet, vel debitorem importunus exstimulet, ut primo quoque tempore debitum æs persolvat, vel expectet, sibi vestes divelli, ac supellectilem abripi. Quædam isthic adest circumstantia, quæ contra sponsorem facit: videlicet hic agi de eo, qui pro *extraneis*, ignotisque fidejubet. Demum Salomon prædicit, non quod justum est, & quod esset faciendum, sed quod fit, ac fiet. Hoc ad illos traducitur, qui cum ea sint in dignitate constituti, ut alienarum actionum rationem reddere debeant, negligunt suo munere fungi ea, qua par est, vigilantia, atque attentione. Tempus aderit, cum se de gradu dejectos intuebuntur, atque in illos summa severitate animadvertetur, non tam pro malis, quæ fecerint, quam pro bonis, quæ Dominus in illis non invenerit, quos illorum curæ commiserat.

Hebræus [8]: *Tolle vestimentum ejus, quoniam spopondit pro extraneo, & accipe illum in pignus pro ignotis.* Septuaginta [9]: *Tolle vestem illius, qui fidejubet pro ignoto, & accipe pignus ab eo pro* muliere *extranea.* Chaldæus similiter legit. Versiculus hic in Romana Editione Septuaginta desideratur; & ibi post ℣. 10. perturbatior est hujus capitis ordo. Versiculi 20. 21. 22. inter nonum, & decimum afferuntur, & post ℣. 10. 11. 12. 13. leguntur ℣. 23. 24. 25. ita ut ℣. 14. 15. 16. 17. 18. & 19. omnino deficiant.

℣. 17. Suavis est homini panis mendacii.] Eum *mendacii panem* appellat, qui dolis, atque injustitiis acquiritur; quemadmodum c. 9. 17. aquam *furti*, vel *furtivam*, & *panem absconditum* vocat illicitas voluptates, quæ secreto libantur, furtimque carpuntur. *Panis mendacii* hoc in sensu est ori suavis; sed eo vix deglutito statim *implebitur os calculo*, vel arena, quæ dentes perstringit. Impii, qui furtis locupletantur, extorsionibus, violentiis, non fruentur pacate iniquitatis suæ fructu; in medio divitiarum suarum, offendent calamitates, & mala, quibus desolabuntur; quod equidem sæpe contingit. Vel Deus impios in ipso felicitatum suarum cumulo tollit, vel de eorum manibus male parta diripit bona, vel eorum voluptatibus dolorem, atque amaritudinem immiscet: & væ illis, si quos severiori adhuc justitiæ suæ consilio pacatam ducere vitam finit in terris; eos enim sæviora, æternaque in altera vita manent supplicia. Ad litteram: *panis Mendacii*, est panis in speciem quidem nitidus, at cujus farina haud ita probe mundata est, sed sabulo est immixta, quod sub dentibus crepitat. Similia sunt, hujus mundi bona; formosa quidem extrinsecus, ac desiderabilia; intrinsecus vero mala, & perniciosa.

℣. 18. Cogitationes consiliis roborantur; & gubernaculis tractanda sunt bella.] Non sufficit speciosa capere consilia, & præclarum aliquid meditari; sed hæc omnia prudentiæ, atque sapientiæ debent inniti. Fortitudo, robur, copiæ, aurum necessaria quidem bello sunt; verum si prudentia duce nequaquam regantur, quid proderunt? Prudentia eadem, quæ bellum indixit, illud ipsum perficere debet, ac moderari. Hebræus [10] verti posset: *Innitantur cogitationes tuæ consilio, & bellum fac cum peritia*, cum prudentia. Vide supra Prov. 24. 6. Alexander Magnus dictitabat, se brevi adeo tot gentes ferme innumeras domuisse consilio, eloquentia, & arte imperandi [11].

℣. 19. Qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter &c.] Tres insignes defectus, qui reddunt hominem amicitia, ac necessitudine nostra indignum: secretum non tegere, dolose agere, inanes effutire sermones.

℣. 20. Extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.] In maximas quaslibet calamitates decidet. Hæc justa est illorum pœna, qui in iis desunt, quæ suis genitoribus debent. Lucerna prosperitatem significat, tenebræ vero adversitatem. Aliter: filii ejus extrema confecti miseria morientur. Lumen sæpius pro posteritate usurpatur. Septuaginta [12]: *Lucerna extinguetur, & pupillæ oculorum ejus videbunt tenebras.*

℣. 21. Hæ-

1 Gregor. Magn. in Ezechiel. homil. 4. 2 גם במעלליו יתנכר נער אם זך ואם ישר פעלו
3 Ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασιν αὐτοῦ συμποδισθήσεται νεανίσκος, μετὰ ὁσίου καὶ εὐθεῖα ἡ ὁδὸς αὐτοῦ. Sym. Ἐπιγνωσθήσεται νέος; non secus ac Vulgata. 4 Caten. Græc. hic. 5 Psal. 93. 9. *Qui plantavit aurem, non audiet; aut qui finxit oculum, non considerat?* 6 Μὴ ἀγάπα καταλαλεῖν, ἵνα μὴ ἐξαρθῇς.
7 Proverb. 6. 1. 11. 15. 17. 18. 22. 26. 8 לקח בגדו כי ערב זר ובעד נכריה חבלהו
9 Ἄφελε τὸ ἱμάτιον τοῦ ἐγγυωμένου ἀντὶ ἀλλοτρίου, καὶ ἀντὶ ἀλλοτρίας λάβε ἐνέχυρον παρ᾽ αὐτοῦ.
10 מחשבות בעצה תכון ובתחבלות עשה מלחמה 11 Strab. serm. 54.
12 Σβεσθήσεται λαμπτὴρ, αἱ δὲ κόραι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ, ὄψονται σκότος. Hebr. באישון חשך Sym. Ἐν σκοτομήνῃ. *In nocte, qua luna non lucet.*

℣. 21. HÆREDITAS, AD QUAM FESTINATUR IN PRINCIPIO, IN NOVISSIMO BENEDICTIONE CAREBIT.] Fieri ferme nequit, ut magna bona temporis momento acquirantur. Divitiæ nimia celeritate, ac facilitate comparatæ injustitiæ suspicione non carent. Vide, quę supra dicta sint Prov. 13. 11. & infra 21.5. A

℣. 22. NE DICAS: REDDAM MALUM [1].] Salomon damnat ultionem, ac injuriarum veniam commendat: jubet, Deo injuriarum acceptarum judicium remitti. *Mea est ultio*, inquit Dominus Deut. 32. 35. *& ego retribuam in tempore*. Homo ultionem sumere non debet, se namque nimis amat, ideoque in ultione persequenda nimium excederet. Ipse peccator est, se condemnaret: nihil accidit Dei injussu; contra ejus mandata insurgeret. Moysis lex permittebat, vel ferebat potius quamdam ultionis speciem in quibusdam casibus: verum hoc ob duritiam cordis Judæorum permittebatur; & Legumlator coarctarat, & angustioribus limitibus circumscripserat hanc ultionis facultatem, quoad populi sui ingenium hoc ipsum facere permiserat. At cum nova rogata Lex est, tunc indissolubili præcepto sancitum est, ut injuriæ condonarentur. B

℣. 24. A DOMINO DIRIGUNTUR GRESSUS VIRI &c.] Hebr. [2] *Gressus hominis a Domino proficiscuntur*. Ipse eorum dominus, ac dux est: *quis hominum intelligere potest viam suam?* Nisi eum Dominus dirigeret; quid facere posset, quo iret? Ad singulos gradus erraret, ac in abyssum præceps prorueret. Adeo sumus in manu Dei, ut ne gressum quidem protendere possimus ad bonum, quin nobis illius opituletur gratia, ejusque nobis lumen affulgeat. Consiliis, inceptisque nostris nulla umquam aderit fortuna, nisi ea divinæ benedictiones prosequantur. Vide Jerem. 10. 23. *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus; nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos*. C

℣. 25. RUINA EST HOMINI DEVORARE SANCTOS, & POST VOTA RETRACTARE.] Væ illis, qui Sanctos fidelesque viros lacessunt: Deus suscipiet amicorum suorum, quos impius læserit, causam; iste vero interibit: cujus rei insignia, ac celeberrima exempla præbuere Pharao, & Antiochus Epiphanes, aliique populi Dei persecutores in utroque Testamento. Nemo umquam impune Sanctos lacessiverit: seu loca eorum memoriæ dicata polluerit, & ea, ubi post illorum felicissimum obitum beati cineres requiescunt, seu viventibus adhuc injuriam intulerit: clamabunt ipsi, & Dominus exaudiet eos: querentur, & Dominus eos ulciscetur. Væ illis, qui post nuncupata vota, eadem retractant, neque exequuntur. Deus non ita est illudendus. Non indiget ille quidem muneribus nostris: at religiosam nomini suo reverentiam adhiberi jubet, ac summa fide ea expleri, quæ voverit quispiam: *Si quis votum Domino voverit, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit*. Num. 30. 3. D

Hebræus ad litteram [3]: *Laqueus est homini deglutire sanctum, & requirere post vota*. Væ homini, si sibi vindicaverit, & in communes, ac profanos usus, sanctas, ac Deo sacratas res impenderit. Veritas hæc omnium sæculorum experientia probatur. Altera quoque infelicitatis hominibus est causa, disputare de votis suis, inanes comminisci ad ea eludenda explicationes, vel viam meditari, qua ab iis dissolvendis excusent. Deus nequaquam est tamquam homo, ut inani rerum specie decipiatur, atque ad futiles quaslibet interpretationes immutetur. Alii ita explicant: Laqueus est homini, deglutire, præcipiti festinatione vota proferre, leviter polliceri, se se inconsulto obligare, ac post nuncupata vota *perquirere*, ac viam se se E a promissis exolvendi scrutari. Hic sensus admodum commodus videtur. Aliter: Maximum crimen est devorare, rapere, absumere sancta; ac postea votis se obligare, veluti ad peractum malum expiandum. Deus his simulationibus minime acquiescit. Septuaginta [4]: *Laqueus est homini bonorum suorum partem vovere: cum enim voverit, pœnitentia tantummodo superest*. Chaldæus: *Væ homini, qui aliquid Templo*, vel Sanctuario *voverit*, & mox *ipsum voti sui pœnituerit*. Postrema hæc explicatio omnium maxime simplex est. Quædam Latinæ Editiones legunt [5]: *Ruina est homini devotare Sanctos*: aliæ: *devorare*, vel *denotare Sanctos*, sed vera lectio est *devorare*. Veteres MSS. [6] pro, *& post vota retractare* legunt, *& post vota tractare*.

℣. 26. INCURVAT SUPER EOS FORNICEM.] Videlicet sub arcu suo triumphali eos deducit; uti locum hunc Interpretum nonnulli [7] explicant; sed plerique Hebræum textum sequuntur [8]: *Rex sapiens dissipabit impios, & super eos rotam transmittet*, veluti Imperator, qui fugatos hostes persequitur, ac super illos bellici currus sui ferventes rotas traducit. Antiquitus enim Reges, ac Duces de curru prœliabantur, ut & ex Scriptura, & ex Homero innotescit. Alii hoc explicant pacto: Dominus confringet illos sub rota, quemadmodum David olim Ammonitas contrivit [9]. *Circumegit super eos ferrata carpenta*. Scriptura crebro ad hoc supplicii genus alludit [10]. Super damnatorum corpora traducebantur plaustra cum rotis ferro præfixis, vel trahex ad triticum triturandum aptæ; quæ curruum species erant, cum humilibus, gravibusque rotis. Alii id simpliciter de rotæ supplicio interpretantur. Noxius violenter rotæ alligabatur, uti in plaustris, rectæ, ac membra nimium arcte illi vincta laxabantur: mox vero circumagebatur rota, donec rei corpus conterebatur, ac minutatim proscindebatur. Tibullus l. 1. Eleg. 3.

Versantur celeri noxia membra rota.

De hujus supplicii genere sermo est in septem fratrum Macchabæorum Martyrio apud Josephum. Hoc longe differt a rotæ supplicio, quod apud nos usurpatur: Sensus, quem primum proposuimus, nobis magis arridet.

℣. 27. LUCERNA DOMINI SPIRACULUM HOMINIS.] Hominis anima est veluti ardens lucerna, quam Deus intra nos succendit, & quæ nos illuminat, retegitque quidquid ibi fit: est veluti spiraculum vitæ, quod in nos inspiravit Omnipotens: *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*. Genes. 2. 7. Nemo scit, quid intra hominem lateat, nisi spiritus hominis, qui est in illo, ut ait Scriptura 1. Cor. 2. 11. *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?*

℣. 28. MISERICORDIA, & VERITAS CUSTODIUNT REGEM.] Regis clementia, mansuetudo, misericordia, ad benefaciendum propensio, ejus in promissionibus fides, in verbis veritas, in sermonibus sinceritas, in sententiis constantia, illius thronum sustentant: Verbo; Æquus, ac beneficus Princeps semper est felix, nec veretur subditorum suorum defectionem [11]. Vide supra ℣. 6.

℣. 29. EXULTATIO JUVENUM FORTITUDO EORUM; & DIGNITAS SENUM CANITIES.] Juventus gloriatur ob vires suas, senectus vero ob sapientiam, consilii maturitatem, experientiam, prudentiam. Senibus minus acres sunt affectus: *senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consiliis utilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior, infirmitas quoque mentis, sobrietas mentis est*, ait S. Ambrosius l. 1. Hexaem. c. 8.

LIVOR

---

1 Hebr. simpliciter: *Reddam malum*. Et ita antiq. Manuscript.

2 מיהוה מצעדי גבר ואדם מה יבין דרכו 3 מוקש אדם ילע קדש ואחר נדרים לבקר

4 Παγὶς ἀνδρὶ ταχύ τι τῶν ἰδίων ἁγιάσαι, μετὰ γὰρ τὸ εὔξασθαι μετανοεῖν γίνεται.

5 Sixti V. Edit. 6 Vide nov. Edit. S. Hieron. Not. in hunc loc.

7 Beda, Lyran. Jansen. alii. 8 מזרה רשעים מלך חכם וישב עליהם אופן

9 2. Reg. 12. 31. Vide nostram Dissertationem de Suppliciis ad caput Deuteronomii.

10 Vide 2. Reg. 8. 2. Mich. 4. 13. Amos 2. 13. Isai. 41. 15.

11 Sallust. Bell. Jugurt. *Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas. Officio, ac fide patrantur.*

℣. 30. LIVOR VULNERIS ABSTERGET MALA &c.] Stulti pœnis corriguntur: insipiens non curabitur, nisi severis objurgationibus, sævisque suppliciis. Minis, verberibusque opus est in eos, qui rationis impotes sunt, & qui pœnas, adhortationesque contemnunt. Hebræus [1]: *Cædes verberum sunt medicina morbi, & vulnera, quæ ad interiora usque penetrant*. Quidam adsunt morbi, quos nonnisi violentis remediis curaveris. Chaldæus: *Terrores, & plagæ irruunt in impium; ille sentit acumm punctura intra se*; quod plane conscientiæ stimulos designat.

1 חברות פצע תמריק ברע ומכות חדרי בטן

CAPUT XXI.

Regis cor in manu Dei. Facere misericordiam, & justitiam. Lingua mendacii. Contentiosa mulier. Impii supplicium. Claudens aures ad preces pauperum non exaudietur. Munus absconditum, Gaudium justi. Impius pro Justo traditus. Linguæ suæ dominus ab afflictionibus præservatur. Inertium desideria. Testis fallax. Dominus salvans.

1. SIcut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit,
inclinabit illud. 2 Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem cor-
da Dominus. 3 Facere misericordiam, & judicium, magis placet Domino,
quam victimæ. 4 Exaltatio oculorum est dilatatio cordis: lucerna impiorum pec-
catum. 5 Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger semper
in egestate est. 6 Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus, & excors
est, & impingetur ad laqueos mortis. 7 Rapinæ impiorum detrahent eos, quia
noluerunt facere judicium. 8 Perversa via viri, aliena est: qui autem mundus est, rectum
opus ejus. 9 Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa,
& in domo communi. 10 Anima impii desiderat malum, non miserebitur proxi-
mo suo. 11 Mulctato pestilente sapientior erit parvulus: & si sectetur sapientem,
sumet scientiam. 12 Excogitat justus de domo impii, ut detrahat impios a ma-
lo. 13 Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non
exaudietur. 14 Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignatio-
nem maximam. 15 Gaudium justo est facere judicium, & pavor operantibus ini-
quitatem. 16 Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabi-
tur. 17 Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum, & pinguia, non
ditabitur. 18 Pro justo datur impius: & pro rectis iniquus. 19 Melius est ha-
bitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa, & iracunda. 20 Thesaurus de-
siderabilis, & oleum in habitaculo justi: & imprudens homo dissipabit illud. 21
Qui sequitur justitiam, & misericordiam, inveniet vitam, & justitiam, & gloriam.
22 Civitatem fortium ascendit sapiens, & destruxit robur fiduciæ ejus. 23 Qui
custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. 24 Su-
perbus & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam. 25 Deside-
ria occidunt pigrum: noluerunt quidquam manus ejus operari. 26 Tota die con-
cupiscit, & desiderat: qui autem justus est, tribuet, & non cessabit. 27 Hostiæ
impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. 28 Testis mendax peribit;
vir obediens loquetur victoriam. 29 Vir impius procaciter obfirmat vultum suum:
qui autem rectus est, corrigit viam suam: 30 Non est sapientia, non est pru-
dentia, non est consilium contra Dominum. 31 Equus paratur ad diem belli:
Dominus autem salutem tribuit.

℣. 1. SICUT DIVISIONES AQUARUM, ITA COR REGIS IN MANU DOMINI.] Non secus ac agricolæ rivorum aquas, quo ipsis lubet, immittunt; ita Dominus Regis cor moderatur, & illud pro suo arbitrio disponit. Quanta ne est Dei potentia; quandoquidem tanta facilitate circumagit Regis cor, quod inter creata omnium unum maxime liberum est, absolutum, ac potens? Licet Deus summam habeat in corda nostra facultatem [1], atque in nobis & velle, & facere operetur; verum est tamen, rebelles nostras voluntates gratiæ ipsius invitamentis resistere, & nos libera omnino voluntate ad bonum, vel ad malum nos met convertere, quoniam scriptum est [2]: *Convertimini ad me: inclinate corda vestra ad Domi-*

1 *Deus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. Philipp. 2. 13. 2 Isai. 45. 22. Jerem. 3. 14. 22. &c.

Dominum Deum. Josue 24. 23. *Bonas facite vias vestras, & studia vestra*. Jerem. 7. 3. Hebræus ad litteram [1]: *cor Regis est in manu Dei, veluti rivus aquæ*. Septuaginta [2]: veluti aquæ cum impetu defluentes. Nonnulli Hebræum textum reddunt [3]: *veluti separationes aquarum*, veluti aquæ, quas Deus in ipsa mundi origine secrevit, & quarum partem in mari, alteram vero super Cœlos constituit. A

ỹ. 2. OMNIS VIA VIRI &c.] Vide supra Cap. 16. 2.

ỹ. 3. FACERE MISERICORDIAM, & JUDICIUM.] Hebræus [4]: *facere justitiam, & judicium*: Erga omnes justitiam, & æquitatem exercere. Integram, scelerisque puram vitam ducere. Septuaginta [5]: *Facere justitiam, & dicere veritatem*.

ỹ. 4. EXALTATIO OCULORUM EST DILATATIO CORDIS: LUCERNA IMPIORUM PECCATUM.] Superbia, ac vanitas impiorum hunc illis fastum pariunt, quo alios omnes cum contemptu despiciunt. Omnis prosperitas, omnis gloria impiorum peccatum est; ipsis est flagitiorum, & peccatorum origo; a scelere profecta desinit in scelus. Hoc re ipsa in impiorum elevatione deprehenditur: Eo enim per impotentem ambitionem efferuntur, ibique per vim, astum, ac dolum subsistunt. Hebr. [6]: *Elevatio oculorum, & cordis intumescentia est lucerna impiorum; peccatum est*. Impiorum pars est ambitio, vanitas, & peccatum. Hæc illorum st lucerna, in hoc suam collocant felicitatem. Alii vertunt: *Superbia oculorum, & dilatatio cordis sunt labor impiorum*. Hic ipsorum labor est, hoc opus, ad peccatum dumtaxat animum advertunt. Aliter: *hoc jugum illorum, illud eorum crimen*. Propter impotentiam ac vanitatem suam ferri nequeunt. Septuaginta [7]: *Homo audax contemnit contumelias; & peccatum est lucerna impiorum*. B

ỹ. 5. COGITATIONES ROBUSTI SEMPER IN ABUNDANTIA: OMNIS AUTEM PIGER SEMPER IN EGESTATE EST.] Labor, ac sedulitas copiam gignunt: inertia, & pigritia hominem in egestate relinquunt. Hebræus [8]: *Consilia hominis laboriosi tendunt ad abundantiam; & omnis homo præceps ad egestatem festinat*. Nomine præcipitis, festinantis, per ironiam pigrum designat; vel eum potius, quem præceps impatientia non patitur adeo constanter, uti opus esset, labori inhærere, ut voti summam assequatur: in omni enim officio, ac studio nihil magis progressui obest, quam nimis præceps anxietas, & levis inconstantia. Huc referri potest ea sententia, quam bis jam Salomon attulit [9]. *Substantia festinata minuetur*. Piger in ictu oculi vellet laborum suorum fructum percipere: præcipiti festinatione ad finem tendit, sed ad finem usque præ animi impatientia laborem non profert: fortuna deerit ejus incœpto, semper in egestatis squalore versabitur. D

ỹ. 6. QUI CONGREGAT THESAUROS LINGUA MENDACII, VANUS EST &c.] Bona male parta laqueus mortis sunt possidentibus illa. Hebræus [10]: *Qui acquirunt thesauros lingua mendacii, sunt veluti flatus*, palea, stipula agitata, atque concussa: *Hi quærunt mortem*. Opes hac ratione comparatæ dissipabuntur veluti halitus, vapor, pulvis in auram projectus; & qui illis adhærent, & iisdem congregandis per fraudem ac nefas insudant, ad suum pervolant excidium. Chaldæus; *Congregationes proventuum*, frugum scilicet, ac olei (hoc enim apud Hebræos *thesauri* nomen plerumque significat) *mendaciis quæsitæ dissipabuntur; qui quærunt mortem, exterminabuntur*. Septuaginta [11] a Vulgatæ sensu non absunt. Theodotion: *Qui thesauros congregat lingua mendaci, est vapor, qui elevatur*.

ỹ. 7. RAPINÆ IMPIORUM DETRAHENT EOS.] Hebræus reddi potest [12]: *desolatio impiorum perterrebit eos*. Desolabuntur, diruentur, diripientur, perterrebuntur. Septuaginta [13]: calamitas, *interitus tamquam hospes impiis adveniet*.

ỹ. 8. PERVERSA VIA VIRI, ALIENA EST: QUI AUTEM MUNDUS EST, RECTUM OPUS EJUS.] Homo errore viarum fallitur, atque in ignotam concedit terram, cum vitii, ac flagitiorum sequitur semitas; at a recto itinere ne latum quidem unguem, ut ajunt, deflectit, cum vita pura est, ac maculis expers. Hebræus ad litteram [14]: *via hominis est perversa*, vel inconstans, *& ipse est alienus*, impurus, neque ad sancta potest accedere. Quemadmodum *alienus ignis* Levit. 10. 1. appellatur ille, qui in Domini solemniis adhiberi non poterat; & Deut. 17. 15. & 23. 20. *vir alienus*, Ethnicus, Profanus, vir domini fœderis expers. Vel *via ejus aliena*, profana, impura, polluta, quod secundo hujus versiculi membro opponitur: *Et via illius, qui purus est, recta*. Chaldæus: *Qui corrumpit viam alterius, alienus est: at viæ illius, qui mundus est, sunt rectæ*. Septuaginta [15]: *Dominus immittit vias perversas perversis; nam opera Domini munda*. Permittit, ut qui recta non incedunt, errent, ac in impeditissimas ambages decidant. C

ỹ. 9. MELIUS EST SEDERE IN ANGULO DOMATIS &c.] Præstaret super tecto domus, quam in domo ipsa habitare, si ibi mulier esset contentiosa. *Doma*, quo S. Hieronymus utitur [16], proprie significat planum domus tectum, quemadmodum in Palæstina fieri consuevit. Verti quoque posset Hebræus [17]. *Præstat habitare in angulo parietis fulcimenti*, qui iis in regionibus tectum ambit, &c. [18]. Vide Prov. 19. 13. sententiam ferme similem: *Tecta jugiter perstillantia litigiosa mulier*.

ỹ. 10. ANIMA IMPII DESIDERAT MALUM.] Omnia impii studia in malum propendent; proximi sui calamitate lætatur, neque ulli, amico licet, parcet: eum veluti extraneum excipiet. Hebræus [19]: *Et amicus ejus non habebit gratiam in oculis illius*. Nulla eum benevolentia prosequetur, cum flocci faciet. Impius nullam habet benevolentiam, nullam amicitiam, nullam miserationem. Septuaginta [20] id aliter omnino intelligunt: *anima impii desiderat malum; nemo ex hominibus miserebitur ejus*.

ỹ. 11. MULCTATO PESTILENTE, SAPIENTIOR ERIT PARVULUS.] Pestilens homo ille est, cujus vita est aliis occasio scandali, & lapsus. Hebraica vox passim *illusor* vertitur, homo scilicet, qui præcepta, ac monita sibi tradita irridet, vir nequam, qui in jocum sanctissima quæque, ac maxime seria in ludum vertit. Publi-

---

1 פלגי מים לב מלך ביד יהוה 2 70. Ὥσπερ ὁρμὴ ὕδατος. 3 Ita Lyran. Hug. Dionys.
4. עשה צדקה ומשפט 5 Ποιεῖν δίκαια, καὶ ἀληθεύειν. 6 רום עינים ורחב לב נר רשעים חטאת
7 Μεγαλόφρων ἐφ' ὕβρει θρασυκάρδιος, λαμπτὴρ δὲ ἀσεβῶν ἁμαρτία.
8 מחשבות חרוץ אך למותר וכל אץ אך למחסור 70. Διαλογισμοὶ ἀνδρείου εἰς πλεονασμὸν, καὶ πᾶς ὁ σπεύδων εἰς ἐλάττωσιν. 9 Prov. 13. 11. *Substantia festinata minuetur*. Et 20. 21. *Hæreditas ad quam festinatur ab initio, in fine benedictione carebit*. 10 פעל אצרות בלשון שקר הבל נדף מבקשי מות
11 70. Ὁ ἐνεργῶν θησαυρίσματα γλώσσῃ ψευδεῖ, μάταια διώκει, καὶ ἔρχεται ἐπὶ παγίδας θανάτου. Theod. Ὁ ἐργαζόμενος θησαυροὺς ἐν γλώσσῃ ψευδεῖ, ἀτμὶς φερόμενος. 12 שד רשעים יגורם
13 Ὄλεθρος ἀσεβέσιν ἐπιξενωθήσεται. Aquil. Προνομὴ ἀσεβῶν κατασπάσει αὐτούς.
14 הפכפך דרך איש וזר וזך ישר פעלו 15 Πρὸς τοὺς σκολιοὺς, σκολιὰς ὁδοὺς ἀποστέλλει ὁ Θεός, ἁγνὰ γὰρ, καὶ ὀρθὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. 16 Hieronym. Epist. ad Suniam, & Fretell. Δῶμα *in Orientalib. Provinciis ipsum dicitur quod apud Latinos tectum. In Palæstina enim & in Ægypto, vel ubi scripti sunt divini Libri, aut interpretati, non habent in tecto culmina, sed domata, quæ Romæ, vel solaria, vel meniana vocant*.
17 טוב לשבת על פנת גג 70. Ἐπὶ γωνίας ὑπαίθρου. Cæteri. Δώματος.
18 Vide Deut. 22. 8. *Facies murum tecti per circuitum*. 19 לא יחן בעיניו רעהו
20 Ψυχὴ ἀσεβοῦς ἐπιθυμεῖ κακῶς, οὐκ ἐλεηθήσεται ὑπ' οὐδενὸς τῶν ἀνθρώπων. Sym. ut Vulg. Οὐκ ἐλεεῖται ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ ὁ πλησίον αὐτοῦ.

Publicae interest utilitatis, id genus homines puniri, ut simplices, fatui, ignari, meliores, ac sapientiores evadant. Horatius.

Nam teneros animos aliena opprobria saepe
Deterrent vitiis.

ET SI SECTETUR SAPIENTEM, SUMET SCIENTIAM.] Simplex ex Sapientum virorum consuetudine Sapiens fiet. Hebraicus textus verti potest [1]: *Et cum Sapiens felices habuerit eventus, sapientiam acquiret.* Simplex sapientis intuitus felicitatem, ad illius imitationem excitabitur; non secus ac impii supplicia videns, melior fit, ac ab illius exemplis abhorret. Aliter: Simplex ad frugem redibit, videns impii supplicium, & sapiens sapientior fiet, in dies magis indesinenter Sapientiae praeceptis inhaerens.

℣. 12. EXCOGITAT JUSTUS DE DOMO IMPII, UT DETRAHAT IMPIOS A MALO.] Justus in hoc totus occupatus est, ut impii consulat incolumitati. Excogitat semper, quomodo illum ex imminentibus periculis possit eruere. Hebr. [2]: *Justus intentus est considerandae domui impii; & impii in* summum *vocantur excidium.* Justus considerat domum impii, eamque labefactari jamjam intuetur; ipse testis est lapsus, atque excidii illius. Aliter: *Justus erudit domum impii, sed impietas* praecipites dabit nefarios homines in eorum interitum. Vel: Dominus impii domum subvertens, eamque in maximas impingens calamitates, hoc pacto utilissimum justo tribuit documentum. Septuaginta [3]: *Sapiens novit corda impiorum, & contemnit impios in malis eorum.* Videt eos malis, quae sibi promeruere, obrutos, nec miseretur eorum.

℣. 13. QUI OBTURAT AUREM SUAM AD CLAMOREM PAUPERIS &c.] Deus non audiet preces eorum, qui non audivere clamores pauperum: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis,* Salvator ait Matth. 25. 40. *mihi fecistis.* Et Luc. 6. *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Et Tobias filio suo dicebat: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini,* Tob. 4. 7.

℣. 14. DONUM IN SINU.] Donum, quod secreto offertur, quod in alterius sinu absconditur. Animadvertimus jam Hebraeos omnia in sinu suo gestasse [4]. Vide Prov. 17. 8. 18. 16. de munerum in animos potestate.

℣. 15. GAUDIUM EST JUSTO FACERE JUDICIUM.] Seu justitiam, & alios eam facientes videre, veluti oppositionem eorum, quae petitionem sequuntur. Gaudet quidem justus, quod rectum judicium fiat; at id est *impii terror* [5]. Justus nihil timet, & omnia sperat; impius omnia timet, & sperat dumtaxat in Judicum infirmitate, & corruptione.

℣. 16. IN COETU GIGANTUM COMMORABITUR.] Impius, improbus, stultus sedem suam in inferno cum gigantibus habebit, cum veteribus illis peccatoribus, adeo impotentia sua, ac flagitiis famosis. Vidimus jam in Job 26. 5. similes quasdam locutiones, uti quoque in Prophetis videntur [6]. Vide Prov. 9. ult. & 2. 18. & 15. 11. Poetae eodem ferme pacto loquuntur [7]; atque adnotandum est, Hesiodum, & Homerum non procul a Salomonis aevo abfuisse. Nomen Gigantum, ac eorum crimina in oriente universo erant celeberrima.

℣. 17. QUI DILIGIT EPULAS, IN EGESTATE ERIT.] Areopagitae ad tribunal suum accersebant, ingentibusque poenis mulctabant eos, qui bona sua profudissent, neque aliquid sibi reservassent [8]. Salomon ubique parcam frugalitatem, atque rectae oeconomiae rationem commendat.

℣. 18. PRO JUSTO DATUR IMPIUS.] Aequum est, ut Legum severitas exerceatur in improbos, & horum aliquis ad aliorum salutem intereat. Hac de causa noxii ad supplicium trahuntur. Malum, quod patrarunt, plerumque nequit reparari: at publicum supplicium, ad aliorum exemplum illis inflictum, pravos nefarii exempli coercet effectus. Aliter: Deus saepe impium summis calamitatibus affligit, ut justum salvet. Exempli causa: Pharaonem perdit, ut Moysem, ac Hebraeos servet; permittit, Saulis posteritatem saevissimis suppliciis affici, ut injusta Gabaonitarum caedes expietur; Amanum, hostesque Judaeorum ultioni tradit, ut Mardochaeum, ac Esther tueatur. Vide supra Prov. 11. 8. *Justus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo.* Ita quoque potest intelligi: Cum irasceretur Dominus, sumet impium, eoque irae suae litabit, veluti expiationis victima pro justo. Iste quidem servabitur, impius vero delebitur. Hebraei altissimam videntur de absoluto Dei dominio in creatas res ideam concepisse. Quemadmodum ille, ab hominibus jugiter laeditur, identidem ille subirascitur, & qui sub illius manu occurrunt, eos percutit. Verum justo parcet, ac furorem suum in impium effundet [9]: *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt: & in regna, quae nomen tuum non invocaverunt.* Et Isajas 43. 3. *Ego Dominus Deus tuus sanctus Israel salvator tuus, dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam, & Saba pro te,* tamquam herus, qui servum suum hosti tradit, ut filium salvet. Ita hoc in loco, disperdit Deus impium in ira sua: improbum Angelo exterminatori derelinquit, ut justum tueatur.

℣. 20. THESAURUS DESIDERABILIS, & OLEUM IN HABITACULO JUSTI.] Domus justi bonis, & benedictionibus est cumulata; at imprudens bona sua prodigit, ac egenus tandem miserrime vivit. Apud Hebraeos thesauri nomen nihil aliud plerumque significat, quam acervum frugum, & fructuum terrae. Haec in veteri Testamento nota erat divinae benedictionis, etiam pro Justis, si id genus bonorum copia difluerent. Dominus in Lege sua saepius, in justitiae praemium, ubertatem pollicetur, impiis vero inopiam, famem, & exilium minitatur. Haec bona, ac mala sensibilia aliorum bonorum, malorumque figura erant pro fidelibus, qui in recenti foedere versantur.

℣. 22. CIVITATEM FORTIUM ASCENDIT SAPIENS &c.] Nulla est arx, qua Sapiens non potiatur; ille dominatur ac nemo dominatur illi. Sapientia ejus & robur illius est: Omnia superat pericula, omnesque difficultates. Ad hunc locum videtur alludere Dominus, cum ait [10]: *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem?* Vide etiam Eccle. 9. 16. & Sap. 6. 1.

℣. 23. QUI CUSTODIT OS SUUM &c.] Credidere [11] nonnulli, a Salomone hic & in comedendo frugalitatem, & in loquendo temperantiam commendari; at magis fidei consonum videtur, ipsum loqui dumtaxat de oris custodia, in sermonibus effutiendis. Custodi linguam tuam, & os tuum, quemadmodum obsessa civitas custoditur. Excubias jugiter age adversus linguam tuam. Sapiens hoc saepe iterat consilium [12].

℣. 24. SUPERBUS, & ARROGANS VOCATUR INDOCTUS.] Hebr [13]: *Nomen superbi, & insolentis, & irrisor;* in Hebraico textu ea isthic vox occurrit, quam Graeci saepius *pestem*, vel *peste corruptum* vertunt [14], sed

---

1 ובהשכיל לחכם יקח דעת 2 משכיל צדיק לבית רשע מסלף רשעים לרע

3 Συνιεῖ δίκαιος καρδίας ἀσεβῶν, καὶ φαυλίζει ἀσεβεῖς ἐν κακοῖς. Symmach. . . . . ὑποσκελίζει ἀσεβεῖς εἰς κακόν *Invertit impios in malum.* Eos supplantat. מסלף

4 Vide sup. 17. 23. Job. 19. 27. 23. 12. & 2. Esdr. 5. 13. &c.

5 ומחתה לפעלי און Symmach. Theod. Δειλία τοῖς ἐργαζομένοις ἀνομίας.

6 Isai. 14. 9. 26. 14. Ezech. 22. 21. 27. 31. 17. 18. 32. 19. & sequ.

7 Vide dicta ad Job. 25. 5. Ovid. Metamorph. 1.

Obruta mole sua cum corpora dura jacerent, &c.

8 Athen. lib. 4. cap. 19. pag. 168. 9 Psalm. 78. 6. Jerem. 10. 24. 25.

10 Matth. 12. 29. Vide & Marc. 3. 24. & Luc. 11. 21. 11 Author Caten. Graec. Lyran. Abenez. &c.

12 Prov. 12. 14. 13. 2. 3. 18. 21. 13 זד יהיר לץ שמו

14 70. Θρασὺς καὶ αὐθάδης, καὶ ἀλαζὼν, λοιμὸς καλεῖται.

sed a S. Hieronymo *derisor* redditur. Nemo umquam Sapientum monita irridebit, & sancta quælibet contemnet, nisi cor illius ambitione, ac vanitate fuerit corruptum.

℣. 25. DESIDERIA OCCIDUNT PIGRUM.) Flagrat cupiditate opes colligendi, & ad aliquem dignitatis gradum evadendi, sed eo numquam assequi potest. Inutilia nuncupat vota, inania concipit desideria; magna meditatur, magna cogitat: sed cum nihil consequi valeat, invidia, atque desperatione disrumpitur, eo quod voti compos non fiat. Vide Prov. 13. 4. Vellet quidem virtute præditus esse, prudens, ac eruditus; at hæc ob desideria ipse dolore conficitur, quin serio omnes nervos intendat, ut quod maxime cupit, obtineat.

℣. 27. HOSTIÆ IMPIORUM ABOMINABILES, QUIA B OFFERUNTUR EX SCELERE.] Hebr. [1]: *Sacrificium impiorum abominabile, multo magis si in scelere obtulerint.* Generatim Deus impiorum odit sacrificia, at magis adhuc ea perhorrescit, si actu nefarii viri in nequitia sua volutentur, vel offerant ea, quæ injuste acquisiverunt.

℣. 28. VIR OBEDIENS LOQUETUR VICTORIAM,] Inimicos suos superabit, victor judicio erit, accusatores suos ignominia suffundet. Utrumque hujus versiculi membrum connectendum est, ut vis ejus aperte sentiatur. Hebræus [2]: *testis mendax peribit: sed qui audivit*, testis, qui audiit, verus testis, *cum victoria loquetur.* Judex facile deteget falsi testis mendacium, eumque perdet. Verum bonus, fidelisque testis triumphum aget, secundum ipsum lis judicabitur, A vel audacter loquetur; vel loquetur semper. Chaldæus; *falsus testis peribit, & vir qui intelligit dicet plena æquitatis.* Septuaginta [3]: *Testis mendax peribit, & vir obediens loquetur, ac salvabitur.* At amplecti possumus primum sensum, quem offert Vulgata: *Vir obediens loquetur victorias.* Qui Deo, Legi, rationi ac præpositis suis obtemperat, de hostibus suis, Dæmone, ac seipso triumphum referet. Ita passim locus hic explicatur. Obedientiæ suæ merito Moyses, Josue, Gedeon, David refertissimas de hostibus suis victorias retulere. Hæc eadem obedientiæ virtus Salvatori nostro victoriam de Dæmone, peccato, ac morte comparavit; ac per obedientiam suam super quascumque creatas res evehi promeritus est: ita ut in nomine JESU omne genuflectatur Cœlestium, terrestrium, & infernorum, Philip. 2. 8. 9.

℣. 29. VIR IMPIUS PROCACITER OBFIRMAT VULTUM SUUM.] Ferreum veluti os induit adversus pudorem; nullo amplius ob malum rubore suffunditur: objurgationes irridet, ac impudentissime patratum malum defendit. Justus e contra vigilat super vias suas, & semet corrigit, cum errorum suorum admonetur.

℣. 31. EQUUS PARATUR AD DIEM BELLI.] Frustra belli fiunt apparatus, milites conscribuntur, currus congregantur, equites leguntur; non miles, non equus, sed Dominus unus victoriam tribuit [4]. Hebræi, & Orientales populi ad bellum dumtaxat utebantur equis. Boves terræ exercendæ, plaustrisque vehendis erant addicti; asini vero, & cameli sarcinis oneribusque deferendis, & ad equitandum in itineribus adhibebantur; sed equus pro bello reservabatur [5].

---

1 זבח רשעים תועבה אף כי בזמה יביאנו 2 עד כזבים יאבד ואיש שמע לנצח ידבר

3 Μάρτυς ψευδὴς ἀπολεῖται, ἀνὴρ ὑπήκοος φυλασσόμενος λαλήσει. Aquil. Symmach. Theod. Εἰς νῖκος πορεύσεται. *In victoriam ibit.* 4 Psalm. 32. 17. *Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.* 5 Job. 39. 18. 19. Psalm. 19. 8. 32. 17. 75. 7. 146. 10.

CAPUT XXII.

Nomen bonum. Dives, & pauper. Inertium excusationes. Habitus ab adolescentia. Injustitiæ effectus. Oculi Domini. Impudica mulier. Adhortatio ad Sapientiam. Impius, ac furiosus vitandi. Termini antiqui servandi.

1. MElius est nomen bonum, quam divitiæ multæ: super argentum, & aurum, gratia bona. 2 Dives, & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus. 3 Callidus vidit malum, & abscondit se: innocens pertransiit, & afflictus est damno. 4 Finis modestiæ timor Domini, divitiæ, & gloria, & vita. 5 Arma, & gladii in via perversi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eis. 6 Proverbium est: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. 7 Dives pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, servus est fœnerantis. 8 Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consummabitur. 9 Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium. 10 Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ, & contumeliæ. 11 Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. 12 Oculi Domini custodiunt scientiam: & supplantantur verba iniqui. 13 Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. 14 Fovea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam. 15 Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. 16 Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit. 17 Inclina aurem tuam, & audi verba sapientium: appone autem cor ad doctrinam meam: 18 Quæ pulchra erit tibi,

tibi, cum servaveris eam in ventre tuo: & redundabit in labiis tuis: 19 Ut sit
in Domino fiducia tua, unde & ostendi eam tibi hodie. 20 Ecce descripsi eam
tibi tripliciter, in cogitationibus, & scientia. 21 Ut ostenderem tibi firmita-
tem, & eloquia veritatis, respondere ex his illis, qui miserunt te. 22 Non
facias violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta. 23
Quia judicabit Dominus causam ejus, & configet eos, qui confixerunt animam e-
jus. 24 Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso. 25
Ne forte discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ. 26 Noli esse cum
his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis. 27 Si enim
non habes, unde restituas, quid causæ est, ut tollat operimentum de cubili tuo?
28 Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. 29 Vi-
disti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

℣.1. MELIUS EST NOMEN BONUM, QUAM DIVITIÆ MULTÆ.] Qui mundi amatores sunt, plerumque primas opibus, atque potentiæ deferunt; alii militarem gloriam præponunt. At Salomon illis sapientior ait, optimam nominis existimationem longe iis omnibus præstare, quæ in hoc mundo suspiciuntur; hæc vero optima existimatio ea est, quæ solidæ virtuti, ac reali merito innititur; ea enim, quæ ab hominum errore dependet, vel a merito dubio, ac virtute simulata, atque in speciem composita, nullum habet pretium, at Salomon eam aliis terræ bonis præferre nequaquam fuisset adnisus. Cæterum cum Sapiens nominis famam commendat, opibus dumtaxat illam comparat; non autem virtuti, sapientiæ, æquitati, timori Dei, quæ sola vera sunt bona, præponit; sed satis putat, si iis; quæ nobis fortuna spondet, anteferatur. Homo virtute præditus famam, atque celebritatem nominis inter ea enumerat, quæ contemnenda putat; ne dum eam quærat, immo fugit, evitat: non enim periculo caret pro possidentibus illam: potest enim superbiam, ac ambitionem gignere, humilitati, ac sapientiæ, quibus artibus fuerit comparata, obesse.

SUPER ARGENTUM GRATIA BONA] Principum virorum gratia, optimatum amicitia, populi, ac privatim bonorum, fideliumque animorum existimatio ea sunt, quæ maxime pretiosa his in terris queunt exoptari. Hæc tamen fluxa sunt, fragiliaque. Verum ubi solidum aliquid inveneris in iis, quæ ab hominibus, terrenisque rebus pendent?

℣.2. DIVES, & PAUPER OBVIAVERUNT SIBI &c.] Prout Dei Creaturæ, ac Omnipotentis famuli sibi sunt æquales. Nulla coram Deo distinctio est pauperem inter, & divitem, magnum & parvum. Omnes ad eamdem libellam sunt, si Deo conferantur: videlicet in infima sunt humilitate positi, atque maxima submissione constituti; & Deus eos amat tantummodo, habita eorum virtutis, atque humilis obedientiæ ratione.

Aliter; *Dives & pauper obviaverunt sibi* pro mutuis scilicet [1], quibus ultro citroque indigent officiis. Dives licet superbus, ac potens indiget paupere, quem contemnit; & si ad rectam judicii trutinam res vocetur, magis dives a paupere, quam pauper pendet a divite. Pauper, si pressius loquamur, sibimet sufficere potest, ac sine divite permanere: at dives sine paupere nequit persistere. Hic enim terram colit, & terra illi victum suppeditat, at dives quomodonam sine pauperis labore aleretur. Denique & dives fieri pauper, & pauper fieri dives potest. Opes in manu Dei sunt; ipse eas vel dat, vel adimit cuicumque lubet. Itaque qui in rerum affluentia versatur, ne contemnat illum, qui egestate laborat, neque intumescat ob ea, quæ sua minime sunt.

℣.4. FINIS MODESTIÆ TIMOR DOMINI, DIVITIÆ GLORIA &c.] Modestia est virtus, quæ omnibus in rebus modum servat; ne quid nimis, ne quid parum sit; quæ vota moderatur, gressus regit, actionesque ad justitiæ, & veritatis normam componit: ac, ut verbo me expediam, virtutis fundamentum est, vel generalis virtus, quæ alias quascumque comitari debet, & sine qua virtutes ipsæ magis eximiæ in vitia, defectusque degenerant. Fortitudo nimia, vel æquo minor virtus non esset misericordia, humilitas, aliæque virtutes nomen hoc non merentur, nisi modestia, moderatio, ac justum medium eas intra veros limites coerceant. Modestia, in hoc accepta sensu parit timorem Domini, divitias, gloriam, vitam; ac, ut omnia uno verbo complectar, ea quæcumque in his terris bona queunt exoptari. Ceterum cum dicitur gignere timorem Dei, nequaquam id ita intelligas, perinde quasi ante modestiam ille in viro modesto esse nequiverit: nemo enim dubitare potest, quin Dei timor origo sit, ac principium virtutum cæterarum; sed illum confirmat modestia, auget, purgat; cumque servilis esset, filialem reddit, efficitque, ut illi succedat charitas, quæ cum perfecta est, timorem expellit, ac metum. Gloria quoque, fama, prosperitas, valetudo alii sunt effectus modestiæ, sed alio in sensu. Virtus vulgo hominum existimationem conciliat, solidam famam comparat, animæ pacem tribuit, affectus regit, actiones moderatur: quæ optima quidem est ratio, & valetudinis tuendæ, & felicis vitæ procurandæ.

Hebræus verti potest [2]: *Divitiæ, gloria, & vita sunt effectus*, consequentia præmia *mansuetudinis*, humanitatis, humilitatis, modestiæ, *quæ comitatur timorem Domini*, vel quæ a Domini timore proficiscitur. Septuaginta [3]: *Timor Domini est productio sapientiæ*, quod ipsum est, ac alibi dictum: *Initium sapientiæ est timor Domini*.

℣.5. ARMA, & GLADII IN VIA PERVERSI.] Impiis semper circum undique imminent pericula; semper in terrore versantur, in bello, in tumultu, in turbis: bella in ipsis intestina; bella extrinsecus, & cum illis, quos lacessunt, & cum iis, a quibus lacessuntur. Hebr. [4]: *Via impiorum repleta est spinis, & laqueis*, vel aculeis, & laqueis.

℣.6. PROVERBIUM EST: ADOLESCENS JUXTA VIAM SUAM &c.] Sequitur adolescens primam consuetudinem suam, ea rudimenta, quibus a parentibus, atque præceptoribus imbutus fuit. Si institutus fuit ad virtutem, pietatem, modestiam, sapientiam, insistet viis suis; ni saltem pravum aliquem magistrum invenerit, qui illum a primo ipsius itinere deflectat; & ea deleat præcepta, quibus fuerat institutus. Adolescentes ad instar arbusculorum sunt, quæ, uti mavis, flectuntur; & mollem ceram imitantur, quæ quamlibet figuram, atque imaginem recipit. Horatius.

1 Chrysost. homil. 34. in 1. ad Corinth. Aug. olim serm. 25. de Verbis Domini, nunc serm. 367. Basil. in Avaros. Ita Interpretes plerique. 2 עקב ענוה יראת יהוה עשר וכבוד וחיים
3 Γενεὰ σοφίας, φόβος Κυρίου. Symmach. Ἴχνος πραΰτητος φόβος Κυρίου.
4 צנים פחים בדרך עקש

sed a S. Hieronymo *derisor* redditur. Nemo umquam A Sapientum monita irridebit, & sancta quælibet contemnet, nisi cor illius ambitione, ac vanitate fuerit corruptum.

℣. 25. DESIDERIA OCCIDUNT PIGRUM.) Flagrat cupiditate opes colligendi, & ad aliquem dignitatis gradum evadendi, sed eo numquam assequi potest. Inutilia nuncupat vota, inania concipit desideria; magna meditatur, magna cogitat: sed eum nihil consequi valeat, invidia, atque desperatione disrumpitur, eo quod voti compos non fiat. Vide Prov. 13. 4. Vellet quidem virtute præditus esse, prudens, ac eruditus; at hæc ob desideria ipse dolore conficitur, quin serio omnes nervos intendat, ut quod maxime cupit, obtineat.

℣. 27. HOSTIÆ IMPIORUM ABOMINABILES, QUIA B OFFERUNTUR EX SCELERE.] Hebr. [1]: *Sacrificium impiorum abominabile, multo magis si in scelere obtulerint*. Generatim Deus impiorum odit sacrificia, at magis adhuc ea perhorrescit, si actu nefarii viri in nequitia sua volutentur, vel offerant ea, quæ injuste acquisiverunt.

℣. 28. VIR OBEDIENS LOQUETUR VICTORIAM,] Inimicos suos superabit, victor judicio erit, accusatores suos ignominia suffundet. Utrumque hujus versiculi membrum connectendum est, ut vis ejus aperte sentiatur. Hebræus [2]: *testis mendax peribit: sed qui audivit*, testis, qui audiit, verus testis, *cum victoria loquetur*. Judex facile deteget falsi testis mendacium, eumque perdet. Verum bonus, fidelisque testis triumphum aget, secundum ipsum lis judicabitur, vel audacter loquetur; vel loquetur semper. Chaldæus: *falsus testis peribit, & vir qui intelligit dicet plena æquitatis*. Septuaginta [3]: *Testis mendax peribit, & vir obediens loquetur, ac salvabitur*. At amplecti possumus primum sensum, quem offert Vulgata: *Vir obediens loquetur victorias*. Qui Deo, Legi, rationi ac præpositis suis obtemperat, de hostibus suis, Dæmone, ac seipso triumphum referet. Ita passim locus hic explicatur. Obedientiæ suæ merito Moyses, Josue, Gedeon, David refertissimas de hostibus suis victorias retulere. Hæc eadem obedientiæ virtus Salvatori nostro victoriam de Dæmone, peccato, ac morte comparavit; ac per obedientiam suam super quascumque creatas res evehi promeritus est: ita ut in nomine JESU omne genuflectatur Cœlestium, terrestrium, & infernorum, Philip. 2. 8. 9.

℣. 29. VIR IMPIUS PROCACITER OBFIRMAT VULTUM SUUM.] Ferreum veluti os induit adversus pudorem; nullo amplius ob malum rubore suffunditur: objurgationes irridet, ac impudentissime patratum malum defendit. Justus e contra vigilat super vias suas, & semet corrigit, cum errorum suorum admonetur.

℣. 31. EQUUS PARATUR AD DIEM BELLI.] Frustra belli fiunt apparatus, milites conscribuntur, currus congregantur, equites leguntur; non miles, non equus, sed Dominus unus victoriam tribuit [4]. Hebræi, & Orientales populi ad bellum dumtaxat utebantur equis. Boves terræ excerendæ, plaustrisque vehendis erant addicti; asini vero, & cameli sarcinis oneribusque deferendis, & ad equitandum in itineribus adhibebantur; sed equus pro bello reservabatur [5].

---

1 זבח רשעים תועבה אף כי בזמה יביאנו 2 עד כזבים יאבד ואיש שמע לנצח ידבר

3 Μάρτυς ψευδὴς ἀπολεῖται, ἀνὴρ ὑπήκοος φυλασσόμενος λαλήσει. Aquil. Symmach. Theod. Εἰς νῖκος πορεύσεται. *In victoriam ibit*. 4 Psalm. 32. 17. *Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur*. 5 Job. 39. 18. 19. Psalm. 19. 8. 32. 17. 75. 7. 146. 10.

CAPUT XXII.

Nomen bonum. Dives, & pauper. Inertium excusationes. Habitus ab adolescentia. Injustitiæ effectus. Oculi Domini. Impudica mulier. Adhortatio ad Sapientiam. Impius, ac furiosus vitandi. Termini antiqui servandi.

1. MElius est nomen bonum, quam divitiæ multæ: super argentum, & aurum, gratia bona. 2 Dives, & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus. 3 Callidus vidit malum, & abscondit se: innocens pertransiit, & afflictus est damno. 4 Finis modestiæ timor Domini, divitiæ, & gloria, & vita. 5 Arma, & gladii in via perversi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eis. 6 Proverbium est: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. 7 Dives pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, servus est fœnerantis. 8 Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consummabitur. 9 Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium. 10 Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ, & contumeliæ. 11 Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. 12 Oculi Domini custodiunt scientiam: & supplantantur verba iniqui. 13 Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. 14 Fovea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam. 15 Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. 16 Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit. 17 Inclina aurem tuam, & audi verba sapientium: appone autem cor ad doctrinam meam: 18 Quæ pulchra erit tibi,

tibi, cum servaveris eam in ventre tuo: & redundabit in labiis tuis: 19 Ut sit
in Domino fiducia tua, unde & ostendi eam tibi hodie. 20 Ecce descripsi eam
tibi tripliciter, in cogitationibus, & scientia. 21 Ut ostenderem tibi firmita-
tem, & eloquia veritatis, respondere ex his illis, qui miserunt te. 22 Non
facias violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta. 23
Quia judicabit Dominus causam ejus, & configet eos, qui confixerunt animam e-
jus. 24 Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso. 25
Ne forte discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ. 26 Noli esse cum
his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis. 27 Si enim
non habes, unde restituas, quid causæ est, ut tollat operimentum de cubili tuo?
28 Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. 29 Vi-
disti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

℣. 1. MELIUS EST NOMEN BONUM, QUAM DIVITIÆ MULTÆ.] Qui mundi amatores sunt, plerumque primas opibus, atque potentiæ deferunt; alii militarem gloriam præponunt. At Salomon illis sapientior ait, optimam nominis existimationem longe iis omnibus præstare, quæ in hoc mundo suspiciuntur; hæc vero optima existimatio ea est, quæ solidæ virtuti, ac reali merito innititur; ea enim, quæ ab hominum errore dependet, vel a merito dubio, ac virtute simulata, atque in speciem composita, nullum habet pretium, ac Salomon eam aliis terræ bonis præferre nequaquam fuisset adnisus. Cæterum cum Sapiens nominis famam commendat, opibus dumtaxat illam comparat; non autem virtuti, sapientiæ, æquitati, timori Dei, quæ sola vera sunt bona, præponit; sed satis putat, si iis, quæ nobis fortuna spondet, antefetatur. Homo virtute præditus famam, atque celebritatem nominis inter ea enumerat, quæ contemnenda putat; ne dum eam quærat, immo fugit, evitat: non enim periculo caret pro possidentibus illam: potest enim superbiam, ac ambitionem gignere, humilitati, ac sapientiæ, quibus artibus fuerit comparata, obesse.

SUPER ARGENTUM GRATIA BONA] Principum virorum gratia, optimatum amicitia, populi, ac privatim bonorum, fideliumque amicorum existimatio ea sunt, quæ maxime pretiosa his in terris queunt exoptari. Hæc tamen fluxa sunt, fragiliaque. Verum ubi solidum aliquid inveneris in iis, quæ ab hominibus, terrenisque rebus pendent?

℣. 2. DIVES, & PAUPER OBVIAVERUNT SIBI &c.] Prout Dei Creaturæ, ac Omnipotentis famuli sibi sunt æquales. Nulla coram Deo distinctio est pauperem inter, & divitem, magnum & parvum. Omnes ad eamdem libellam sunt, si Deo conferantur: videlicet in infima sunt humilitate positi, atque maxima sobmissione constituti; & Deus eos amat tantummodo, habita eorum virtutis, atque humilis obedientiæ ratione.

Aliter; *Dives & pauper obviaverunt sibi* pro mutuis scilicet [1], quibus ultro citroque indigent officiis. Dives licet superbus, ac potens indiget paupere, quem contemnit; & si ad rectam judicii trutinam res vocetur, magis dives a paupere, quam pauper pendet a divite. Pauper, si pressius loquamur, sibimet sufficere potest, ac sine divite permanere: at dives sine paupere nequit persistere. Hic enim terram colit, & terra illi victum suppeditat, at dives quomodonam sine pauperis labore aleretur. Denique & dives fieri pauper, & pauper fieri dives potest. Opes in manu Dei sunt; ipse eas vel dat, vel adimit cuicumque lubet. Itaque qui in rerum affluentia versatur, ne contemnat illum, qui egestate laborat, neque intumescat ob ea, quæ sua minime sunt.

A ℣. 4. FINIS MODESTIÆ TIMOR DOMINI, DIVITIÆ GLORIA &c.] Modestia est virtus, quæ omnibus in rebus modum servat; ne quid nimis, ne quid parum sit; quæ vota moderatur, gressus regit, actionesque ad justitiæ, & veritatis normam componit: ac, ut verbo me expediam, virtutis fundamentum est, vel generalis virtus, quæ alias quascumque comitari debet, & sine qua virtutes ipsæ magis eximiæ in vitia, defectusque degenerant. Fortitudo nimia, vel æquo minor virtus non est: misericordia, humilitas, aliæque virtutes nomen hoc non merentur, nisi modestia, moderatio, ac justum medium eas intra veros limites coerceant. Modestia, in hoc accepta sensu parit timorem Domini, divitias, gloriam, vitam; ac, ut omnia uno verbo complectar, ea quæcumque in his terris bona queunt exoptari. Ce-
B terum cum dicitur gignere timorem Dei, nequaquam id ita intelligas, periode quasi ante modestiam ille in viro modesto esse nequiverit: nemo enim dubitare potest, quin Dei timor origo sit, ac principium virtutum cæterarum; sed illum confirmat modestia, auget, purgat; cumque servilis esset, filialem reddit, efficitque, ut illi succedat charitas, quæ cum perfecta est, timorem expellit, ac metum. Gloria quoque, fama, prosperitas, valetudo alii sunt effectus modestiæ, sed alio in sensu. Virtus vulgo hominum existimationem conciliat, solidam famam comparat, animæ pacem tribuit, affectus regit, actiones moderatur: quæ optima quidem est ratio, & valetudinis tuendæ, & felicis vitæ procurandæ.

Hebræus verti potest [2]: *Divitiæ, gloria, & vita*
C *sunt effectus*, consequentia præmia *mansuetudinis*, humanitatis, humilitatis, modestiæ, *quæ comitatur timorem Domini*, vel quæ a Domini timore proficiscitur. Septuaginta [3]: *Timor Domini est productio sapientiæ*, quod ipsum est, ac alibi dictum: *Initium sapientiæ est timor Domini*.

℣. 5. ARMA, & GLADII IN VIA PERVERSI.] Impiis semper circum undique imminent pericula; semper in terrore versantur, in bello, in tumultu, in turbis: bella in ipsis intestina; bella extrinsecus, & cum illis, quos lacessunt, & cum iis, a quibus lacessuntur. Hebr. [4]: *Via impiorum repleta est spinis, & laqueis*, vel aculeis, & laqueis.

℣. 6. PROVERBIUM EST: ADOLESCENS JUXTA VIAM SUAM &c.] Sequitur adolescens primam consuetudi-
D nem suam, ea rudimenta, quibus a parentibus, atque præceptoribus imbutus fuit. Si institutus fuit ad virtutem, pietatem, modestiam, sapientiam, insistet viis suis; ni saltem pravum aliquem magistrum invenerit, qui illum a primo ipsius itinere deflectat; & ea deleat præcepta, quibus fuerat institutus. Adolescentes ad instar arbusculorum sunt, quæ, uti mavis, flectuntur; & mollem ceram imitantur, quæ quamlibet figuram, atque imaginem recipit. Horatius.

1 Chrysost. homil. 34. in 1. ad Corinth. Aug. olim serm. 25. de Verbis Domini, nunc serm. 367. Basil. in Avaros. Ita Interpretes plerique.
2 עקב ענוה יראת יהוה עשר וכבוד וחיים
3 Γενεὰ σοφίας, φόβος Κυρίου. Symmach. Ὕστερον πραΰτητος φόβος Κυρίου.
4 צנים פחים בדרך עקש

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

Et similes sunt fictitio vasi, quod primum odorem imbibit liquoris ejus, quo primum repletum fuerit. Horatius Ep. 1.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Difficulter eraditur, ait S. Hieronymus ad Lætam, *quod rudes anni perbibesunt: Lanarum conchylia, quis in pristinum candorem revocet?*

Hebræus, Septuaginta, Chaldæus non legunt hanc vocem, *Proverbium est*; eam vero addidit S. Hieronymus, ut attentius utilissimum hoc præceptum edisceremus. Hebræus ad litteram [1]: *initiate*, edocete, dedicate *puerum secundum viam suam*, eam scilicet viam, qua ipsum vultis insistere: *etiam cum senuerit, non recedet ab ea*. Vel: Tradite puero præcepta, prout illius capit ingenium; captui illius instructiones vestras aptate, easque ita ebibet, ut ex ipsi ad senectutem usque mordicus inhæreant. Si vis, puerum proficere ex iis, quæ ipsi traduntur, præceptis, eaque semper, fideliterque retinere; illi guttatim sunt immittenda, modice tradenda, illius captui accommodanda.

℣. 7. QUI ACCIPIT MUTUUM, SERVUS EST FOENERANTIS.] Si pacem, & libertatem servare cupis, ne mutueris uspiam. Ex quo debere incipis, dominus esse desinis. Creditor tuus minas intentabit, in te sæviet, quidquid habes, in pignus accipiet: verbo, numquam pacatum spiritum duces. Lex Moysis [2] permittebat creditoribus capere, in vincula conjicere, venumdare debitores suos, eorum conjuges, ac filios, cum solvendo non essent. Persæ, teste Herodoto l. 1. cap. 138. duo hæc præsertim abominabantur, mendacium, & æs alienum. Apud Romanos, & Græcos summa sævitia in ære alieno obrutos animadvertebatur; eos enim Judices creditoribus suis addicebant, qui eos catenis vinciebant [3], & quandoque loris cædebant. Id autem in odium æris alieni, atque negligentiæ debitorum, qui cum imprudenter semet supra vires oneribus obligarint, iis satisfacere negligunt. Plato [4] in Republica sua vetabat, ne pecunia credita venderetur, neque illis, qui hoc pacto vendidissent, permittebat, in judicio repetere ea, quæ sibi pro datis mercibus debebantur. Hæ leges quidem asperæ videntur: verum sunt sapientissimæ: non enim alia facilior ad pauperis interitum est via, quam facilitas mutuum accipiendi, seque ære alieno gravandi.

℣. 8. QUI SEMINAT INIQUITATEM . . . . . VIRGA IRÆ SUÆ CONSUMMABITUR.] Qui injuste operatur, est veluti homo, qui pravum triticum serit; hoc enim pessimum feret fructum; & fructus hic, & aristæ sub flagellorum ictibus obterentur. Hæc est continuata metaphora ab agricolis deprompta: post scelus pœna consequitur; & impius semet ipsum conficit; ira, impotentia, furor ejus illi conflabunt inimicos, & in summam infelicitatem vocabunt. Hoc erit flagellum, ad pravam hanc messem triturandam aptissimum. Eadem cædetur virga, qua alios ceciderit. Vel potius: Iræ divinæ virga eum conteret, exterminabit.

℣. 9. QUI PRONUS EST AD MISERICORDIAM.] Hebr. [5] *Qui bonum habet oculum*, qui se libenter aliis communicat, qui aliis gratificari gestit: econtra *oculus nequam* [6], invidum significat, pravumque cor.

VICTORIAM ACQUIRET, QUI DAT MUNERA &c.] Munera alliciunt hominum corda, efficiuntque, ut difficillima cœpta e voto contingant; at accipientibus illa: objiciunt enim vitam animæ suæ. Versiculus hic in Hebræo textu non adest, uti neque in Latinis quibusdam Editionibus [7].

℣. 10. CESSABUNTQUE CAUSÆ, & CONTUMELLÆ.] Hebr. [8] *Lites, & ignominia cessabunt*. Nulla erit amplius contentio, neque erit amplius, cur aliquis de illatis injuriis conqueratur. Septuaginta [9]. *Nam cum irrisor, vel pestilens sedebit in concilio, & omnes afficiet contumelia.*

℣. 11. QUI DILIGIT CORDIS MUNDITIAM PROPTER GRATIAM LABIORUM &c.] Qui cor habet rectum, mundum, sincerum, sine dolo, sine fraude, sine mendacio, Regem habebit amicum propter verborum suorum veritatem, & labiorum suorum munditiam. Reges æquitatem, ac veritatem exposcunt in iis, qui ad ipsos accesserint, sed prudentia, & consilio opus est, ut illis eæ veritates obtrudantur, quæ ipsis displicere, eosque lædere possent. Hæc plane Salomon innuit, cum munditiæ, ac rectitudini cordis *labiorum gratiam* addit. Septuaginta hoc ad Deum referunt [10]: *Dominus diligit corda sancta; ii, quorum viæ sunt irreprehensibiles, Deo accepti sunt: Rex pascit* populum suum verbis *labiorum suorum*.

℣. 12. OCULI DOMINI CUSTODIUNT SCIENTIAM &c.] Dominus protegit, & conservat hominem sapientem, atque prudentem: at hominem nequam, & impium confundit. Hebræus [11], innuere potius videtur, Deum protegere quidem sapientem, & illum, qui recte operatur, & cum veritate, & cognitione loquitur; sed permittere, ut fraudulentus, ac nebulo confundantur. Septuaginta [12]: *Oculi Domini conservant rectum sensum*, sapientem, prudentem: *Impius cordatorum hominum sermones contemnit.*

℣. 13. DICIT PIGER: LEO EST FORIS.] Inanes prætextus inertium hominum, qui volunt simul, & nolunt [13]: & sibi terrores, atque difficultates fingunt, ubi nullæ adsunt. Septuaginta [14]: *piger se excusat, &* ait: *leo est in via*. Sapiens alibi dicit: *Semita pigri spinis est obsepta.*

℣. 14. FOVEA PROFUNDA, OS ALIENÆ.] Sermones dolosi, ac illecebris fluentes impudicæ mulieris sunt veluti abyssus profundus. Væ illi, qui iis crediderit. Libido est veluti infernus. Nihil facilius est, quam illuc descendere; at illinc emergere est ferme impossibile. Virgil. Æneid. 6.

Facilis descensus Averni,
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Confer Prov. 23. 23. *Puteus angustus aliena*; & Prov. 2. 18. & 5. 5.

℣. 15. STULTITIA COLLIGATA EST IN CORDE PUERI.] Ignorantia, infirmitas, ad malum proclivitas, cordis depravatio mala sunt, quæ omnis homo ab ipsa origine trahit. Educatio, doctrina, correctio his malis medentur, vel saltem hunc morbum valde imminuunt.

℣. 17. INCLINA AUREM TUAM.] Hoc est novi sermonis initium, qui pergit usque ad ℣. 23. capitis 24. in quo stylus idem est, ac in prioribus novem hujus libri capitibus. Salomon hic ad sapientiam hortatur, atque in prima persona discipulum suum alloquitur [15]. Interpretes quidam hic tertium Proverbiorum librum incipiunt. Alii putant, hanc conclusionem esse præcedentium sententiarum; tertiam vero partem a Ca-pite

1 חנך לנער על פי דרכו גם כי יזקין לא יסור ממנה 70. Ἐγκαίνισον τῷ παιδίῳ κατὰ τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, &c. Alius codex: Ἐγκαινισμὸς σὺν κατὰ τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, καὶ γε ὅταν γηράσῃ, οὐκ ἀποστήσεται ἀπ' αὐτῆς. Editio Romana non legit totum hunc vers. 2 Vide Exod. 22. 3. 4. Reg. 4. 1. & Matt. 18. 25.

3 Vide Plutarch. Libell. de vitando ære alieno, Gell. l. 20. c. 1. & alios.

4 Plato l. 8. de Legibus. Vide & Casaub. Not. in Theophrast. Caract. Περὶ ἀπιστίας.

5 טוב עין הוא יברך 6 Matth. 20. 15. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Prov. 23. 6. in Hebr. 7 Edit. nov. Hieronym. & Complut. & aliæ.

8 ישבת דין וקלון 9 Ὅταν γὰρ καθίσῃ ἐν συνεδρίῳ πάντας ἀτιμάζει.

10 Ἀγαπᾷ Κύριος ὁσίας καρδίας, δεκτοὶ δὲ αὐτῷ πάντες ἄμωμοι ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν. Χείλεσι ποιμαίνει Βασιλεύς.

11 עיני יהוה נצרו דעת ויסלף דברי בגד 12 Οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ Κυρίου τηροῦσιν αἴσθησιν, φαυλίζεται δὲ λόγους παράνομος. 13 Prov. 13. 4. 21. 25.

14 Προφασίζεται, καὶ λέγει ὀκνηρός; λέων ἐν ταῖς ὁδοῖς. 15 Vide Bayn. Bossuet. Cornel.

pite 25. inchoare. Vide Mercerum hic.

℣. 18. PULCHRA ERIT TIBI, CUM SERVAVERIS EAM IN VENTRE TUO.] Tunc illius agnosces pulchritudinem, cum eam in corde tuo custodiveris. Vel: si ea te repleveris, pulchritudo ejus enirescet extrinsecus in sermonibus tuis, ac vita tua. Erit hic tibi recens ornatus, fons pulchritudinis, & gratiæ. Salomon alibi & coronæ, & torqui sapientiam confert. Prov. 1. 9.

℣. 20. ECCE DESCRIPSI EAM TIBI TRIPLICITER IN COGITATIONIBUS, & SCIENTIA.] Complures mysterium quærunt in hac voce *tripliciter*. Alii putant [1], Salomonem innuere, tres libros suos, quos habemus, Proverbia, Ecclesiastem, & Cantica Canticorum. Alii [2] hoc ad morum Philosophiam, Physicam, atque Theologiam referunt. Proverbia, & Ecclesiastes ad moralem spectant, Cantica Canticorum ad Theologiam: at libri, quos de Physicis, naturalibusque rebus Salomon conscripsit, exciderunt. Hi [3] de Scripturis generatim intelligunt, quæ dividuntur in Legem, Prophetas, & Agiographos: illi [4] de triplici Scripturæ sensu, litterali, figurato, ac allegorico. Alii Hebræum textum reddunt [5]: *Nonne descripsi eam tibi superius*, jam pridem, vel *jam ter*. Vel: *Nonne egregia tibi præcepta dedi* ad Optimates viros, ad Principes, ad Duces spectantia? *Schalischim* Hebraice unum ex primis militiæ præfectis significat. Mihi vero hic præ cæteris sensus magis arridet: *Terjam*, hoc est *pluries* [6] inculcavi tibi præcepta mea, consilia mea, scientiam meam. In Scripturis ternarius numerus passim significat *sæpe*; exempli gratia S. Paulus ait 2. Corinth. 12. 8. *ter Dominum rogavi*, ut satanæ angelus *discederet a me*. Et Amos 1. 2. *Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non convertam eum* &c.

℣. 21. UT OSTENDEREM TIBI FIRMITATEM .... RESPONDERE EX HIS ILLIS, QUI MISERUNT TE.] Præceptor discipulos suos alloquitur: Ut patres vestri, qui miserunt vos, ut a me edoceremini, lætentur, progressum vestrum intuiti; & cum poposcerint a vobis rationem eorum, quæ didicistis, satis illis hac in re facere possitis. Vel: ut digne perfungi valeatis munere, quod vobis mandabitur, ac paria facere expectationi, quam quisque de ingenio vestro concepit. Vel denique: ut qui vos consuluerint, in sermonibus vestris inveniant verba certitudinis, ac veritatis [7], & in dubiis suis salutaria consilia.

℣. 23. CONFIGET EOS, QUI CONFIXERUNT ANIMAM EJUS.] Qui illum afflixerunt, ac injuste damnarunt. Septuaginta [8]: *innocentem animam tuam liberabis*.

℣. 25. ET SUMAS SCANDALUM ANIMÆ TUÆ.] Ne sequaris furentis hujus hominis exempla, illius iracundiam imiteris, ac vitam tuam in periculum aliquod voces cum illo decertans. Nam & qui moderatiores sunt, aliquando impatientia abripiuntur. Præstat effugere occursum, & consuetudinem horum hominum furentium, uti feroces, rabidasque belluas vitamus.

℣. 26. QUI DEFIGUNT MANUS SUAS.] Qui se aliis vades præbent. Salomon summa cura hoc monitum repetit. Vide Prov. 6. 1. 17. 18. 20. 1.

℣. 27. QUID CAUSÆ EST, UT TOLLAT OPERIMENTUM DE CUBILI TUO?] Vide supra cap. 20. 16. Fidejussor impetebatur, quin primus debitor in jus vocaretur. Vide Prov. 6. ℣. 3. 4.

℣. 28. NE TRANSGREDIARIS TERMINOS ANTIQUOS.] Ne latum quidem unguem recedas a veteri patriæ tuæ consuetudine; sequere majorum tuorum religionem; mores illorum, consilia, instituta reverere. Ne studeas novis rebus, quod semper periculosæ aleæ refertissimum est, tunc præsertim cum agitur de Religione. Hebræus [9]: Ne immutes: *ne transferas terminos sæculorum transactorum, quos patres tui posuere*. Moyses hoc ipsum prohibuit [10]. Hæreditatum fines convellere scelus erat legibus coercendum: at eorum crimen, qui subvertunt doctrinam, consuetudinem, traditiones, quas Antiquorum pietas cœlesti lumine afflata constituit, longe majus est, majoribusque pœnis puniendum. Ethnici ex agrorum limitibus Deum fecerant, ut illis majorem in populis venerationem conciliarent. Ovidius Fast. l. 2.

Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.
Tu populos, urbesque, & regna ingentia finis;
Omnis erit sine te litigiosus ager.

℣. 29. VIDISTI VIRUM VELOCEM IN OPERE SUO? CORAM REGIBUS STABIT.] Hoc est, in Regis servitium adhibebitur: non deerit illi munus apud Principem. Solertia, diligentia, dexteritas in illis exquiritur, qui Regibus præsto adsunt, ac in Aulis inserviunt. Hebræus hunc posset sensum admittere. Vide homines diligentes, & actuosos: hi non adhærebunt hominibus obscuro loco natis, & ingloriis; sed in regum Aulas sibi aditum quærent.

1 Hugo, Dionys. 2 Grotius hic. 3 Rab. Salo. Lyran. Vat. Rabb. in Midrasch.
4 Origen. l. 4. Περὶ ἀρχῶν. Cassian. Coll. 14. c. 8. Hieron. in Ezech. c. 16.
5 הלא כתבתי לך שלישם במועצות ודעת 70. Ἀπόγραψαι αὐτὰ τρισσῶς.
6 Munst. Bayn. Mercer. Menoch. Tirin. Jans. Cornel. Bossuet.
7 Ita fere 70. Τοῦ ἀποκρίνεσθαι σε λόγους ἀληθείας τοῖς προβαλλομένοις σοι.
8 Καὶ ῥύσῃ τὴν ἄσυλον ψυχήν. 9 אל תסג גבול עולם
10 Deuter. 19. 14. *Non assumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua.* Vide & Prov. 24. 10.

CAPUT XXIII.

Sobrietas ad mensam Principum. Inurbani mensa fugienda. Antiqui limites non tangendi. Patres colendi. Meretrix, & ebrietas vitandæ.

1. QUando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam. 2 Et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam. 3 Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii. 4 Noli laborare, ut diteris: sed prudentiæ tuæ pone modum. 5 Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum. 6 Ne comedas cum homine invido, & ne desideres cibos ejus: 7 quoniam in similitudinem arioli, & con-

jectoris æstimat, quod ignorat. Comede, & bibe, dicet tibi: & mens ejus non
est tecum. 8 Cibos, quos comederas, evomes: & perdes pulchros sermones
tuos. 9 In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquii
tui. 10 Ne attingas parvulorum terminos: & agrum pupillorum ne introeas: 11
Propinquus enim illorum fortis est: & ipse judicabit contra te causam illorum.
12 Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ. 13 No-
li subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur.
14 Tu virga percuties eum: & animam ejus de inferno liberabis. 15 Fili mi,
si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum. 16 Et exultabunt renes
mei, cum locuta fuerint rectum labia tua. 17 Non æmuletur cor tuum peccato-
res: sed in timore Domini esto tota die: 18 Quia habebis spem in novissimo,
& præstolatio tua non auferetur. 19 Audi, fili mi, & esto sapiens: & dirige in
via animum tuum. 20 Noli esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus
eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: 21 Quia vacantes potibus, & dan-
tes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio. 22 Audi patrem tuum,
qui genuit te, & ne contemnas, cum senuerit mater tua. 23 Veritatem eme,
& noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam. 24 Exultat gaudio
pater justi: qui sapientem genuit, lætabitur in eo. 25 Gaudeat pater tuus, &
mater tua, & exultet, quæ genuit te. 26 Præbe, fili mi, cor tuum mihi: &
oculi tui vias meas custodiant. 27 Fovea enim profunda est meretrix, & puteus
angustus, aliena. 28 Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, in-
terficiet. 29 Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vul-
nera? cui suffusio oculorum? 30 Nonne his, qui commorantur in vino, & stu-
dent calicibus epotandis? 31 Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splen-
duerit in vitro color ejus: ingreditur blande, 32 Sed in novissimo mordebit ut
coluber, & sicut regulus venena diffundet. 33 Oculi tui videbunt extraneas, &
cor tuum loquetur perversa. 34 Et eris sicut dormiens in medio mari, & qua-
si sopitus gubernator, amisso clavo, & dices: 35 Verberaverunt me, sed non
dolui: traxerunt me, & ego non sensi: quando evigilabo, et rursus vina re-
periam.

℣. 1. QUANDO SEDERIS, UT COMEDAS CUM PRINCIPE, DILIGENTER ATTENDE, QUÆ APPOSITA SUNT . . . (2.) ET STATUE CULTRUM IN GUTTURE TUO.] A Veteres Hebræi mensæ assidebant, uti vidimus 1. Reg. 20. 5. in Saulis historia, & aliquibus aliis in locis. Accubandi consuetudo, Homeri ævo, apud Græcos nondum vigebat [1], & apud Romanos recentior adhuc est [2]; neque inter Hebræos invaluit, nisi aliquandiu ante Babylonicam captivitatem; uti ex Amos 6. 4. 7. Tobia 2. 4. & Ezechia 23. 41. innotescit, atque Salvatoris nostri tempore adhuc obtinebat [3]. Salomon isthic dicit discipulo suo, ut cum Regis mensæ assederit, attendat ad ea, quæcumque apponuntur, & statuat cultrum in gutture suo, hoc supposito, quod sit Dominus animæ suæ. Hoc metaphoricum est. Duo B maximi defectus in mensis Principum sunt evitandi; primus quidem, nimia verbositas, alter vero edacitas nimia; quorum utrumque ut effugiamus, hortatur sapiens, imperans, ut cultrum statuamus in gutture nostro. Coerce suam aviditatem, atque importunum loquendi cachoetem. Vinum, comitatus, hilaritas, quæ conviviis solet interesse, nos invitat, ut sensus nostros aperiamus, ac liberius epulis, vinoque indulgeamus; & sæpius hac ratione Reges fidei, ac silentii amicorum suorum periculum faciunt. Vinum quoddam erat tormenti genus, quo Reges Persarum amicos suos explorabant. Horatius in Arte Poet.

Dicuntur Reges magnis urgere cucullis;
Et torquere mero, quem perspexisse laborent;
An sit amicitia dignus.

Illi, quos Rex convivas adhibebat, adeo cauti, parci, verebundi coram ipso aderant, ut illis oculos etiam attollendi facultas adimeretur [4], ne in aliquam ex regiis pellicibus illos conjicerent; illisque non patienter solum, sed cum hilaritatis specie Regis joci, & contumeliæ erant excipiendæ [5]. His in occasionibus quisque gutturi suo gladium admovere debebat, atque coercere non solum hilaritatis, atque intemperantiæ impetum, verum etiam motus iræ, atque impatientiæ. Confer Eccli. 31. ℣. 12. 13.

Septuaginta [6] prætereunt hanc circumstantiam cultri ad guttur admoti, quæ perspicue in Hebraico textu adnotatur. Habent autem; *Cum sederis, ut comedas ad mensam Principis, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, (℣. 2.) & illis manus admove, quoniam tibi tantumdem erit præparandum. Quod si appetitus tuus insatiabilis est (℣. 3.) ne concupiscas epulas ejus; eæ quippe fallaci vitæ adhærescunt.* Juxta hunc textum innueret simpliciter Salomon, privatas Optimatum mensas esse evitandas; cum enim comederint apud majoris dignitatis viros, expectare debent, sibi illis

1 Homer. Odyss. 10. Ἥμεθα δαινύμενοι.
Soliti patres considere mensis.
2 Virgil. Æneid. 7. ℣. 170.
3 Johan. 13. 23. *Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, &c.*
4 Lucian. lib. de Mercede conduct.
5 Senec. de Ira, lib. 3. cap. 14. 15.
6 Ἐὰν καθίσῃς δειπνῆσαι ἐπὶ τραπέζης δυνάστου, νοητῶς νόει τὰ παρατιθέμενά σοι, καὶ ἐπίβαλλε τὴν χεῖρά σου, εἰδὼς ὅτι τοιαῦτά σε δεῖ παρασκευάσαι. Εἰ δὲ ἀπληστότερος εἶ, Aquil. Καὶ θήσεις μάχαιραν ἐν καταπόσει σου. Th. Τῷ λάρυγγί σου.

illis paria esse facienda, quod præstare non possint sine A incommodo, & absque eo quod suas opes exhauriant; quod ipsum Auctor Ecclesiastici adstruit, cum ait cap. 13. 2. 6. 8. *Ditiori te ne socius fueris .... si habes, convivet tecum, & evacuabit te, & ipse non dolebit super te .... & confundet te in cibis suis, donec exinaniat bis, & ter: & in novissimo deridebit te.*

S. Augustinus [1] pro hac Principis mensa illam intelligit, in qua sumimus Corpus, & Sanguinem Salvatoris nostri, qui animam, vitamque suam pro nobis effudit: *Mensa potentis quæ sit nostis, ubi est corpus & sanguis Christi; qui accedit ad talem mensam, præparet talia. Et quid est, præparet talia? Quomodo ipse pro nobis animam suam posuit; sic & nos debemus ad ædificandam plebem, ad asserendam fidem, animas pro fratribus ponere.* Explicari quoque potest locus hic de Sancta Commu- B nione, si cum S. Hieronymo legamus: *statue cultrum in gutture tuo*: hoc est, jugula in temet quidquid fidei, & charitati adversatur: occide veterem hominem gladio Spiritus, ut novus homo dumtaxat vivat in te.

℣. 3. NE DESIDERES DE CIBIS EJUS, IN QUO EST PANIS MENDACII.] Heb. [2] *ne desideres embammata illius*, epulas, fercula ejus; *hic enim est panis mendacii* [3], esca decipiens. Gustui quidem blanditur, sed mortem infert; vel gustui quidem placet, sed non alit, non nutrit. Pergit loqui de epulis Principum. *Si habes in potestate animam tuam*, appetitum tuum, libidinem tuam, nunc illi moderare, neque te tradas gustui tuo: ea omnia, quæ tibi apponuntur, considera tamquam *panem*, vel escam *dolosam*; verere, ne in ea virus delitescat. Libertati tuæ, fidei, saluti stru- C untur insidiæ, cave, ne excesseris fines, ne, cum tui juris non sis amplius, aliquid tibi excidat; cujus te aliquando pœniteat.

℣. 4. NOLI LABORARE, UT DITERIS: SED PRUDENTIÆ TUÆ PONE MODUM.] Majori attentione in id incumbe, ut prudentiam, ac mentem tuam dirigas, quam ut ditescas. Sapiens esto, prudens, sed modice: *Non plus sapere; quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, ait S. Paulus ad Rom. 12. 3. Hebræus alium videtur sensum afferre 4: *Noli laborare, ut diteris, desine in id tuam prudentiam*, tuam industriam impendere. Ne immodicis curis evigiles, ut tibi compares bona, moderare aviditatem tuam, ac vota coerce, ne opes tua prudentia quæsitæ fiant sapientiæ tuæ, virtutumque tuarum scopulus. Septuaginta 5: *ne te divi- D ti compares, si es pauper; sed prudentia tua recede.* Cave ne imiteris divitem in mensæ, vestiumque luxu; ne te cum illo commisceas, prudenter evita occursum illius. Hæc est conclusio consilii, juxta Græcos Interpretes superius traditi ℣. 1. 2.

℣. 5. NE ERIGAS OCULOS TUOS AD OPES, QUAS NON POTES HABERE &c.] Hebr. [6]: *Vis, ut oculi tui volent ad illas?* opes scilicet, de quibus fuit sermo superiori versiculo: *eæ non sunt amplius; fecerunt enim sibi alas, ut aquilæ, atque avolarunt in aera*; Nisi temporalium bonorum cupiditatem fueris moderatus, peribis: ea frustra perquires, post ea curres; elabentur e manibus tuis, & tamquam avis, avolabunt. Ad solidiora, certioraque bona cautus incumbe; mediocre E tibi sufficiat bonum, & sapientiam cole. Septuaginta hoc præcedentibus subnectunt, ac de divite explicant. Si illi adhæseris, aufugiet ex oculis tuis, & evanescet.

℣. 6. NE COMEDAS CUM HOMINE INVIDO.] Hebr. 7 *Ne comedas cum homine pravorum oculorum*; cum invido, qui aliorum bona nequit intueri, cum avaro, inurbano, qui aliis ea, quæ habet, communicare non

A vult, qui indignatur alios secum bonis suis uti, atque gaudere. Ex decursu liquet, de fœdissimo avaro hic esse verba.

℣. 7. QUONIAM IN SIMILITUDINEM ARIOLI, & CONJECTORIS &c.] Avarus, qui te invitavit ad epulas, difficultatibus obseptus est, veluti vir, qui divinandi, ac futura prædicendi artem exercet. Cum fortuito, & conjectando loquatur, studet nihil proferre, quod absolute fieri nequeat, & quod artis, ac fraudis suæ vanitatem aperiat. Talis avarus est, de quo loquimur. Ipse ægre te videt, omnes buccellas, quas comedis, numerat, te officiose dimittere vellet, inquietus est; te excitat, ut manduces; at verbis cor adversatur; nec aliquid magis timet, quam quod te hilarem, atque ad opipare comedendum paratissimum B cernat.

Hebræus [8]: *Non est enim, ut ipse arbitrabatur: bibe, & comede, inquiet, sed cor illius non est tecum.* Avarus, non ita facile, quod primum concepit, mente deponit. Putabat, a te se perditum iri; hoc putat; te invitat ad cœnam, sed non ex corde. Ita vero vertere mallem: *est veluti homo, qui custodit animam suam*, qui eam veluti hostem habet, qui eam veluti in carcere detinet: in id unum vacat, ut quæcumque potest, rescindat, eo consilio, ut sumptibus parcat: vel potius punctorum ratione immutata: *veluti homo, qui trepidat pro anima sua.* Avarus est veluti homo, qui vitæ suæ timet; credit sibi animam revelli, cum convivas ad large comedendum, perpotandumque paratos intuetur. Septuaginta 9: *Bibit, & comedit, velut ho- C mo capillum deglutiens; cave ne apud illum cœnaturus eas, neque eum domi tuæ ad cœnam invites.* Summa repugnantia epulas libat, non quod illas non appetat, sed quod sumptus vereatur. Syriaca: Comedes cum illo veluti *homo clavum deglutiens*. Chaldæus: *Avarus elevatur in semetipso, veluti magnum ostium.*

℣. 8. CIBOS, QUOS COMEDERAS, EVOMES: & PERDES PULCHROS SERMONES TUOS.] Sordidissimam illam avaritiam abominaberis; evomuisse voles, quidquid apud ipsum comedisti; at te pœnitebit, quod ad mensam locutus, sapientes, festivosque tuos sermones perdideris. Verbo, te pœnitebit domi illius comedisse, ibique mensæ hilariter assedisse. Vel simpliciter: *Evomes quicquid comedisti, & pulchros sermones tuos perdidisti.* Ex illius societate nihil erit reliquum tibi D quam dolor & pœnitentia, quod ibi adfueris. Te coget, ut manduces, ac stomachum tuum exonerare teneberis. Vide *Eccli.* 31. 25. Septuaginta [10]: cave, ne illum domum tuam adducas, *& buccellam tuam cum illo manduces; nam egeret, evomet eam, & pulchros sermones tuos corrumpet.*

℣. 10. NE ATTINGAS PARVULORUM TERMINOS.] Lectio hæc optime alteri versiculi hujus membro respondet: *& agrum pupillorum ne introeas.* Sed Hebræus [11] hic habet uti cap. 22. 28. *Ne avellas terminos antiquos, & agrum pupillorum ne introeas.* Ita quoque & Septuaginta.

℣. 11. PROPINQUUS ENIM ILLORUM FORTIS EST.] Hebræus [12]: *Defensor eorum*, patronus, tutor, ultor, *est fortis.* Authographi nomen proprie illum signifi- E cat, cui jus est redimendi agrum a familia sua alienatum, aut propinquum, qui in servum se vendidit; vel significat illum qui, tutor est minorum, vel qui uxorem fratris sui sine liberis mortui ducere, vel sanguinem consanguinei sui ab alio interfecti ulcisci tenetur. Dominus est tutor pupillorum; est parens, & causam illorum adversum te defendet: eorum utilitatem tue-

 bitur,

1 August. Tract. 47. & 48. in Johan. Vide & Chrysost. homil. in Psal. 22. & 116.
2 אל תתאו למטעמותיו והוא לחם כזבים 3 Vide locutionem camdem supra Prov. 20. 17.
4 אל תיגע להעשיר מבינתך חדל 5 Μὴ παρεκτείνου πένης ὢν πλουσίῳ, τῇ δὲ σῇ ἐννοίᾳ ἀπόσχου. Aquil. Μὴ κοπία τοῦ πλουτῆσαι ἀπὸ τῆς συνέσεώς σου παῦσαι. 6 התעיף עיניך בו ואיננו כי עשה יעשה לו כנפים וגו
7 לא תלחם את לחם רע עין 8 כי כמו שער בנפשו כן הוא אכל ושתה יאמר לך ולבו בל עמך
9 Ὃν τρόπον γὰρ εἴ τις καταπίοι τρίχα, οὕτως ἐσθίει καὶ πίνει, μηδὲ πρὸς σὲ εἰσαγάγῃς αὐτόν. Sym. Ὥσπερ εἰκάζων ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ. 10 Καὶ φάγῃς τὸν ψωμόν σου μετ' αὐτοῦ. Ἐξεμέσει γὰρ αὐτόν, καὶ λυμανεῖται τοὺς λόγους σου τοὺς καλούς. 11 אל תסג גבול עולם ובשדי יתומים לא תבא S. Hieronymus legit *helem*, pro *holam*. 70. Μὴ μεταθῇς ὅρια αἰώνια, &c. 12 כי גאלם חזק

bitur, & negotia suscipiet. Septuaginta [1]: *Nam Dominus, qui est redemptor illorum, est potens.* A

ỳ. 18. QUIA HABEBIS SPEM IN NOVISSIMO.] Nihil majori solatio esse potest homini in novissimis vitæ suæ momentis eo testimonio, quod illi conscientia reddit, ipsum fideliter & summo timore Legi Domini adhæsisse, & semper a sceleribus penitus abhorruisse. Hebræus alium potest sensum admittere [2]: si omnibus diebus vitæ tuæ Dominum pertimueris, *relinques post te posteritatem.* Deus filios tibi largietur in fidei tuæ præmium. Septuaginta [3]: *Si hæc observaveris, nepotes habebis.* Ita quoque reddi potest Hebræus: *Tandem enim spem habes, & expectatio tua non erit inanis.*

ỳ. 20. NEC IN COMMESSATIONIBUS EORUM, QUI CARNES AD VESCENDUM CONFERUNT.] Sapiens in B universo fere hoc capite, alumno suo tradit præcepta ad epulas spectantia. Primum quidem edocet illum, quid agere debeat ad mensam Principum; mox admonet, ut avari cœnam effugiat, neque illum ad convivium vocet, neque ab illo vocatus intersit. Hic vero de alio conviviorum genere loquitur, ad quod multi conveniunt, viritim sumptus erogaturi. Olim singuli fercula sua afferebant; quod nunc etiam usuvenit aliquando. Rationes autem, quæ adigere Sapientem potuere, ut id commessationum genus discipulo suo interdiceret, sunt primum, vanus sumptus, secundo temporis jactura, tertio iniquorum sodalium periculum: quarto perniciosus habitus mollem, ignavamque vitam ducendi, & periculum gancis, vinoque consuescendi. Septuaginta, & Vulgata [4] non secus C ac alii Interpretes Græci locum hunc intellexere de illis conviviis, in quibus singuli per capita sumptuum partem dissolvunt: sed Hebræus simpliciter legit [5]: *ne verseris cum illis, qui inter se comedunt carnem,* qui inter se convivia celebrantes lætantur.

ỳ. 21. VESTIETUR PANNIS DORMITATIO.] Pigri ad extremam egestatem redigentur, atque rudibus, pannosis scrutis indui cogentur. Facile id referri potest ad eos, qui munere suo fungi, ac sapientiæ studio vacare contemnunt. Cum ad extremum vitæ curriculum pervenerint, summa egestate, ac vestium inopia laborabunt.

ỳ. 23. VERITATEM EME, & NOLI VENDERE SAPIENTIAM.] Rerum omnium sumpto eme veritatem, fidelitatem, rectam fidem, æquitatem; & si habueris D sapientiam, eam sedulo serva; cave, ne eam vendideris, eamque derelinquas. Eam quære eadem solicitudine, qua thesaurum [6]: vende universa, quæ habes, ut sapientiam acquiras, neque illius jacturam subeas: eam in summo pretio habe, ac diligentissime serva. Matth. 13. 44. 45.

ỳ. 27. FOVEA ENIM PROFUNDA EST MERETRIX: & PUTEUS ANGUSTUS, ALIENA.] Vide dicta in *Prov.* 22. 14. & 5. 15. Septuaginta [7]: *Domus aliena est veluti dolium,* magnum vas ex *argilla, confractum; & alienum bonum est veluti puteus angustus.* Vulgatæ sensus longe melior est. Domus Meretricis est tamquam sepulchrum. Væ illuc ingredienti, non egredietur illinc. Est veluti cisterna oris admodum angusti; nulla spes est, ut illuc lapsus, emergat. Vetus quidam auctor eam Carybdi confert, nautam, navimque simul absorbenti.

ỳ. 28. QUOS INCAUTOS VIDERIT, INTERFICIET.] Harpyæ similis est, rapere, populari, interimere eos studet, qui per summam imprudentiam se illi tradiderint. Hebræus [8]: *& addit hominibus sceleratos.* Insidias prætergredientibus statuit, omnesque enecat, qui in illas inciderint. Auget mortuorum numerum iis omnibus, qui in manus ejus deciderint. Vel potius: *auget numerum rebellium*: veluti dux latronum in nemore, quoscumque comprehenderit, suis accrescere copiis, numerumque augere cogit. Meretrix est tamquam pestis, quæ semper magis percrebescit, atque latius grassatur, plurimosque suo inficit tabo. Septuaginta [9] hæc versiculo 27. addunt, quem consule. Extraneus, hostis, iniquus *celeriter peribit, & sceleratus omnis exterminabitur.* Chaldæus: Dissoluta mulier est veluti ferox bellua, quæ *oculis suis* seductoribus *prædam expectat, & quodammodo insipientes venatur.*

ỳ. 29. CUI VÆ? CUJUS PATRI VÆ? &c.] Hebr. [10]: *Cui oi, & cui aboi?* Nonnulli [11] putant *aboi*, vel *evoe* dolentis esse interjectionem, non secus ac *oi* eheu! Alii reddunt, *cui* heu! Cui dolor, vel tumultus, vel paupertas [12]? Septuaginta [13]: *cui heu! & cui tumultus*: Chaldæus [14]: *cui heu! cui ebrietas?*

CUI FOVEÆ?] Hebræus reddi potest [15]: *Cui pœnæ spiritus?* gemitus, suspiria; vel: *cui inanes sermones;* garrulitas? vel denique rumor, tumultus. Septuaginta [16]: *cui dolores.*

ỳ. 31. NE INTUEARIS VINUM, QUANDO FLAVESCIT &c.] quando clarescit; pro certo enim asserunt, in Palæstina rubrum tantummodo vinum inveniri. Hebræus [17]: *Ne respicias vinum, cum rubet, ac illius color emicat in poculo, rectè ingreditur.* Hujus liquoris species, atque gratissimus gustus non te fallant; averte oculos, ne ad bibendum alliciaris. Locutio hæc, *recte ingreditur*, cum de vino sermo est, innuit vinum bonum, vinum rectum, uti pocillatores ajunt; vinum quod jucunde bibitur, quod blande ingreditur sine pravo gustu, sine ulla, quæ displiceat, qualitate. Salomon sæpius hoc loquendi utitur modo [18]; *vinum rectitudinis.* Septuaginta [19] locum hunc per paraphrasim efferunt, quæ longe ab Hebraico textu recedit: *Ne immodico te vino proluas; sed conversare cum hominibus justis. Conversare in locis* publicæ *ambulationis*: (hi erant loci, ubi Philosophi habitare consueverant, ac ubi suas scholas habebant;) *nam si conjicis oculos super lances, & pocula, quamprimum magis nudus fies, quam pistillum.*

ỳ. 32. SICUT REGULUS.] Hebraica vox [20] *Ziphani* varie vertitur; alii aspidem, alii viperam, alii cerastem reddunt. Quoad regulum, seu basiliscum fusius locuti sumus in *Psal.* 90. 13. licet Hebraica vox alia sit.

ỳ. 33. OCULI TUI VIDEBUNT EXTRANEAS.] Vinum concupiscentiam excitat, ac verecundiam adimit, quæ oculos modeste coercebat. Hebræus verti potest [21]: *Oculi tui videbunt aliena.* Aliena bona concupisces. Vel potius: Oculi tui turbati videbunt extranea, propter quæ mente captus, ac demens habeberis [22] Vulgatæ sensus præstare videtur, neque a Septuaginta abludit [23], eumque Interpretum plerique sectantur.

ỳ. 34. Et

1 Ὁ γὰρ λυτρούμενος αὐτοὺς Κύριος, κραταιός ἐστι. 2 כי אם יש אחרית ותקותך לא תכרת
3 Ἐὰν γὰρ τηρήσῃς αὐτὰ, ἔσται σοι ἔκγονα,
4 Μὴ δὲ ἐκτείνου συμβολαῖς κρεῶν τε ἀγορασμοῖς. Theod. Ἐν συμβολοκοπίαις κρεῶν ἐν ἑαυτοῖς.
5 בזללי בשר למו 6 Prov. 2. 4. Sap 7. 14.
7 70. Πίθος γὰρ τετρημένος ἐστὶν ἀλλότριος οἶκος, καὶ φρέαρ στενὸν ἀλλότριον. Sym. Ὄρυγμα βαθὺ πόρνη, ... ἀλλοτρία. 8 ובגדים באדם תוסיף
9 Οὕτως γὰρ συντόμως ἀπολεῖται, καὶ πᾶς παράνομος ἐξολοθρευθήσεται.
10 למי אוי למי אבוי S. Hieronymus legit, למי אב אוי 11 Pagn. Jun. Boch. Piscat. Cast. Mercer. Vatab. 12 Kimchi, Abenez. Geier. Mont. 13 Τίνι οὐαὶ, τίνι θόρυβος.
14 Chald. לכן וי לכן ריוה. Lego דויה a דוה 15 למי שיח 16 70. Τίνι ἀηδίαι.
17 אל תרא יין כי יתאדם כי יתן בכיס עינו יתהלך במישרים
18 Vide Cant. 1. 2. 7. 9. יין מישרים 19 70. Μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἀλλὰ ὁμιλεῖτε ἀνθρώποις δικαίοις, καὶ ὁμιλεῖτε ἐν περιπάτοις. Ἐὰν γὰρ εἰς τὰς φιάλας, καὶ τὰ ποτήρια δῷς τοὺς ὀφθαλμούς σου, ὕστερον περιπατήσεις γυμνότερος ὑπέρου. 20 צפעוני 70. Κεράστης. 21 עיניך יראו זרות
22 Chald. Mercer. Grot. Cast. Vat. 23 Οἱ ὀφθαλμοί σου ὅταν ἴδωσιν ἀλλοτρίαν.

℣. 34. ET ERIS SICUT DORMIENS IN MEDIO MARI &c.] En Hebræum [1]: *Eris velut dormiens in corde maris, & quasi sopitus super rudentem*; vel ut aliis placet [2]: *super malum*. Chaldæus simpliciter [3] *in navi*. Septuaginta [3]: *cubabis in medio mari, & veluti nauta in medio fluctuum, & procellæ*. Temulenti viri status scite exhibetur per hunc nautæ inter sævientem tempestatem obdormientis. Mens ejus obruta, ac sepulta vino, numquam vigilantia ac prudentia sua magis indiguit, quam hac in occasione, in qua præsentius erat periculum, perturbatiores animi affectus, atque objecta tangentia, ac seducentia omnino proxima; & nihilominus numquam ineptior fuit agendo, ac se met regundo. Eum hostes cædunt, premunt, vulnerant; at ille non sentit &c.

℣. 35. TRAXERUNT ME, & EGO NON SENSI.] Hebr. [4] *Percusserunt me*, veluti malleorum ictibus, quemadmodum super incudem tunditur, *& nescivi*. Septuaginta [5]: *Illuserunt mihi, nec sensi*. Chaldæus: *Diripuerunt me, prædati sunt, & ignoravi*.

---

1 והיית כשכב בלב ים וכשכב בראש חבל   2 Pagn. Tig. Grot. Pisc. Cast. Geier. &c.
3 Κατακείσῃ ὥσπερ ἐν καρδίᾳ θαλάσσης, καὶ ὥσπερ κυβερνήτης ἐν πολλῷ κλύδωνι.
4 הלמוני בל ידעתי   5 Ἐνέπαιξάν μοι, ἐγὼ δὲ οὐκ ᾔδειν.

CAPUT XXIV.

Impii non æmulandi. Domus a sapientia ædificata. Bellum a potentia directum. De periculo educendi, qui ad mortem ducuntur. Sapientia ut mel dulcis. Justus septies cadet, & resurget. Ob Inimici nostri calamitatem non lætandum. Maledicentium ruina. Opus suum præparandum. Ager pigri. Negligentis hominis descriptio.

1. NE æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis: 2 Quia rapinas me-
ditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. 3 Sapientia æ-
dificabitur domus, & prudentia roborabitur. 4 In doctrina replebuntur
cellaria, universa substantia pretiosa, & pulcherrima. 5 Vir sapiens fortis est,
& vir doctus robustus, & validus. 6 Quia cum dispositione initur bellum, &
erit salus ubi multa consilia sunt. 7 Excelsa stulto sapientia, in porta non ape-
riet os suum. 8 Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. 9 Cogitatio stulti
peccatum est, & abominatio hominum detractor. 10 Si desperaveris lassus in die
angustiæ: imminuetur fortitudo tua. 11 Erue eos, qui ducuntur ad mortem, &
qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. 12 Si dixeris: Vires non suppe-
tunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fal-
lit, reddetque homini juxta opera sua. 13 Comede, fili mi, mel, quia bonum
est, & favum dulcissimum gutturi tuo. 14 Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ;
quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, & spes tua non peribit. 15 Ne
insidieris, & quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus. 16
Septies enim cadet justus, & resurget: impii autem corruent in malum. 17 Cum
ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum: 18 Ne
forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam. 19 Ne con-
tendas cum pessimis, nec æmuleris impios: 20 Quoniam non habent futurorum
spem mali, & lucerna impiorum extinguetur. 21 Time Dominum, fili mi, & re-
gem: & cum detractoribus non commiscearis: 22 Quoniam repente consurget per-
ditio eorum, & ruinam utriusque quis novit? 23 Hæc quoque sapientibus: Co-
gnoscere personam in judicio non est bonum. 24 Qui dicunt impio: Justus es;
maledicent eis populi, detestabuntur eos tribus. 25 Qui arguunt eum, laudabun-
tur, & super ipsos veniet benedictio. 26 Labia deosculabitur, qui recta verba
respondet. 27 Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, ut
postea ædifices domum tuam. 28 Ne sis testis frustra contra proximum tuum,
nec lactes quemquam labiis tuis. 29 Ne dicas: quomodo fecit mihi, sic faciam
ei: reddam unicuique secundum opus suum. 30 Per agrum hominis pigri transi-
vi, & per vineam viri stulti, 31 Et ecce totum repleverant urticæ, & operue-
rant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat. 32 Quod cum
vidissem posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. 33 Parum, inquam,
dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas: 34 Et
veniet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas quasi vir armatus.

℣. 1. NE ÆMULERIS VIROS MALOS.] Cave, ne illorum statum veluti felicem tibi fingas, ac illis fieri similem concupiscas. Inanis eorum prosperitas, superbia, audacia ad malum peragendum te ne decipiant. Scriptura sæpe hanc repetit sententiam [1]: Et quidem nihil magis efficax ad obtrudondum infirmis hominibus scandalum, & ad eos a virtutis semita dimovendos, quam videre impios pace frui, impunes abire, honoribus cumulari.

℣. 3. SAPIENTIA ÆDIFICABITUR DOMUS.] Sapientia, œconomia, prudens ratio patris familias domum constituit; non autem injustitia, non fraus, non impotentia. Si domum tuam optime institutam, bonorum copia affluentem, solida prosperitate lætantem vis intueri, ama, & cole sapientiam. Antiquus quidam Philosophus [2] ajebat, patrem familias eadem prudentia domui suæ, qua Rex reipublicæ, præesse debere; quam si florentem cupit, pacem servat, & affluentiam bonorum procurat; luxum vero, inertiam, impudicitiam, nequitiam extorres agit; omnesque nervos intendit, ut ei moderetur ad sapientiæ, ac pietatis normam, ibique religionem, ac justitiam in summum nitorem adducat.

℣. 5. VIR SAPIENS FORTIS EST, & VIR DOCTUS ROBUSTUS.] Vir sapiens non œconomicis solum, de quibus in superiori versiculo sermo est, sed militaribus quoque laudibus insignitus affulget. Non solum utilis est domui regundæ, eique rerum copiam comparandæ, novit etiam hostium furorem comprimere, & optimis consiliis prodesse reipublicæ. Septuaginta [3]: *Sapiens præstat forti, & prudens agricolæ intelligenti.* Chaldæus: *Homo sapiens præferendus est robusto, & vir doctus forti, ac bene armato.*

℣. 6. QUIA CUM DISPOSITIONE INITUR BELLUM: & ERIT SALUS, UBI MULTA CONSILIA SUNT,] vel multi consiliatores. Consilium equidem, prudentia, ac militaris scientia belli præferri debent viribus, & copiarum numero; quod omnium sæculorum docuit experientia. *Quid fieri debeat tractato cum multis*, ait Vegetius de re Milit. l. 3. c. 9. & 27. *quid vero facturus tandem sis, cum paucissimis, ac fidelissimis, vel ipse secum.* Cum aliquid est aggrediendum, nulla umquam consilia nimia sunt, cum vero opere explendum, nullum umquam silentium est nimium. Hebræus [4]: *industria, atque prudentia præliaberis; salus a consiliariorum multitudine pendet.* Septuaginta [5]: Sapienti *regimine bellum administratur; & auxilium a corde rectis consiliis imbuto*, bene edocto, *procedit.* Confer Prov. 20. 18. *Eccle.* 9. ℣. 15. 16. *Sap.* 6. 1.

℣. 7. EXCELSA STULTO SAPIENTIA.] Eam capere nequit: non omnes sapientiam capere possunt: intellectu atque acri ingenio opus est ut intelligatur, constantia, ut perquiratur, labore, patientia, perseverantia, ut inveniatur; quarum rerum impos est demens. At videtur Salomon illius negligentiam, & eas, quas prætendit difficultates, ut ab illius studio se eximat, redarguere. Nimium excelsa est, nimium abstrusa, nimium sublimis viribus meis; quod ipsum Hebræis Moyses ajebat Deut. 32. 12. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum; nec in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? neque trans mare positum, ut causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare: ut possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Hoc ipsum de sapientia dicendum. Ipsa quidem sublimis est, atque supra captum stultorum posita; verum novit etiam se se ad cujuslibet ingenium demittere, atque aptare. Nemini non laborandum est, ut pro virili se ejusdem compotem reddat; cuilibet vero pro mensura ingenii, quo a Deo donatus est, & pro eo munere, quod ipsi divina providentia mandavit. Stultus eam non quærit, & cogitur silentium servare *in porta* in publicorum cœtuum loco. Neque enim vel rectum consilium aliis aperire, neque ab aliis excipere valet, non in publicis negotiis sententiam ferre, non se ab accusatoribus tueri, non inimicis suis diem dicere, non judicibus causæ suæ æquitatem ostendere: *In porta non aperiet os suum.*

℣. 8. QUI COGITAT MALA FACERE, STULTUS VOCABITUR.] Vocabitur *homo cogitationum*, vel *cogitationum dominus*, ait Hebræus [6]: vocabitur, *cogitabundus, ad mala cogitans* [7]: Vel: appellabitur scelestus, malorum consiliorum faber, flagitiorum auctor. Septuaginta [8] longe ab his versionibus ablunt. En ℣℣. 7. & 8. juxta versionem eorum. *Sapientia, ac recta cogitationes sunt ad ostia sapientum, neque a Domini lege deflectunt* (8.): *sed loquuntur in cætibus, morte deprehendis insipientes, vel ignaros.* Chaldæus: Vocabitur malignus, astutus, perniciosus, & cujus cogitatio in malum est occupata.

℣. 9. COGITATIO STULTI PECCATUM EST: & ABOMINATIO HOMINUM, DETRACTOR.] Stultus iniquis duntaxat cogitationibus vacat: mala tantummodo meditatur: omnibus invisus, nulli acceptus. Hebræus [9]: *cogitatio stulti est peccatum, & derisor est abominatio hominum.* Stultus, & derisor hic idem sunt. Septuaginta [10]: *Stultus moritur in peccatis suis, & homo pestilens impuris actionibus polluetur.*

℣. 10. SI DESPERAVERIS LASSUS IN DIE ANGUSTIÆ, IMMINUETUR FORTITUDO TUA.] Si te in malis tuis corripuerit impatientia, virtus tua infirmatur: te victum puta, ac de te hostem triumphum retulisse cogita. In angustia deprehenditur, utrum animus sit præsens, & constans. Si succubueris illi: nosce infirmitatem tuam. Hebr. [11] *Fatigatus es*, delassatus, defessus, *die afflictionis: virtus tua angusta est*, coarctata, exilis. Frustra tuis viribus confidis, si urgente necessitate deficiunt. Ovidius.

Apparet virtus, arguiturque malis.

℣. 11. ERUE EOS, QUI DUCUNTUR AD MORTEM: & QUI TRAHUNTUR AD INTERITUM LIBERARE NE CESSES.] Hebræus ad literam [12]: *Salva eos, qui comprehensi sunt, ut enecentur: decrisne*, quominus liberes eos, *qui in pereundi periculo versantur?* Delectescesne, ne illis opem feras? Ut locus hic intelligatur, sciendum est, sæpius apud Judæos contigisse, ut sub zeli specie nex injustissima, ac sine ulla judicii forma, insontibus infligeretur. Hoc ipsi *Judicium zeli* vocabant; hoc pacto S. Stephanus Martyrum antesignanus lapidibus obrutus fuit Act. 7. 56. & S. Jacobus præceps darus de Templi cacumine [13]. Salvator hoc Salomonis consilium exercuit, prohibens Joan. 8. 3. 4. ne adultera mulier a Judæis lapidibus impeteretur; uti quoque & Daniel c. 13. 46. Susannam de eorum manibus eruens, qui illam ad mortem rapiebant. S. Paulus de Judæorum manibus, qui eum verberibus erant interempturi [14], eripitur a Tribuno Romanæ cohortis, qui erat in Jerusalem. Hoc sæpius ea in regione contingebat; neque

1 Vide infra vers. 19. Prov. 3. 31. 23. 17. Psal. 36. 1. 7. 8.
2 Chilon apud Plutarch. conviv. Sap.
3 70. Κρείσσων σοφὸς ἰσχυροῦ, καὶ ἀνὴρ φρόνησιν ἔχων γεωργίου μεγάλου.
4 כי בתחבלות תעשה לך מלחמה ותשועה ברב יועץ
5 Μετὰ κυβερνήσεως γίνεται πόλεμος, βοήθεια δὲ μετὰ καρδίας βουλευτικῆς. Sym. Th. Σωτηρία ἐν πολυβουλίᾳ.
6 מחשב להרע לו בעל מזמות יקראו
7 Mercer.
8 Vers. 7. Σοφία καὶ ἔννοια ἀγαθὴ ἐν πύλαις σοφῶν, σοφοὶ οὐκ ἐκκλίνουσι ἐκ στόματος Κυρίου. Vers. 8. Ἀλλὰ λογίζονται ἐν συνεδρίοις, ἀπαιδεύτοις συναντήσεται θάνατος.
9 זמת אויל חטאת ותועבת לאדם לץ
10 Ἀποθνήσκει δὲ ἄφρων ἐν ἁμαρτίαις; ἀκαθαρσία δὲ ἀνδρὶ λοιμῷ μιανθήσεται. Aq. Th. Ἔννοια ἀφροσύνης ἁμαρτία. Sym. . . . . Καὶ βδέλυγμα ἀνθρώποις λοιμός.
11 התרפית ביום צרה צר כחכה Symmach. Στρατεύεσθαι ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως; Aquil. Νωχελεύσηκας.
12 הצל לקחים למות ומטים להרג אם תחשך
13 Euseb. Hist. Eccles. l. 2. c. 23. Hieronym. de Scriprorib. Eccles.
14 Act. 21. 30. 31.

que Judicum edictum præstolabantur, ut lapidarent A hominem, cum adforet seu vera, seu ficta violatæ legis causa. David ad hoc ipsum his verbis hortatur Psal. 81. 4. *Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate*. Locus hic fortasse præcipue respicit obæratos, qui solvendo non sunt, & quos inclementer creditores vexabant; quo in casu pium erat, infelices illos de creditorum manibus avellere. In Sanctorum Episcoporum historiis legimus, ipsos passim suam interposuisse apud sæculares Potestates operam, ut noxios a mortis periculo liberarent. S. Ambrosius jubet, Præsulem ad id omnem vim suam, studium, precesque intendere: & hoc officium charitatis certissimam esse putat viam ad peccatorum suorum veniam consequendam [1]; atque existimat hac lege eos omnes teneri, qui hoc fratri suo præstare possunt [2]: *qui enim non* B *repellit a socio injuriam, si potest; tam est in vitio, quam qui facit*. Tunc etiam dubitabant nonnulli, an Christiani Judices sontem capite damnare possent. Vide S. Ambrosii Epistolas 25. & 26.

℣. 12. SI DIXERIS: VIRES NON SUPPETUNT.] Sequitur superioris vers. sententia. Ne excuses infirmitatem tuam, eo quod fratri laboranti opem non feras; scias enim te numquam decepturum illum, qui latebras cordis scrutatur; ipse enim a te exposcet fratris tui sanguinem, si ob defectum, atque negligentiam tuam inimicis succubuerit. Hebræus [3]: Quod si dixeris, *non novi eum: num qui corda scrutatur, ignorat, quomodo res se habeat?* Num te excusare potes, quod vir ille, qui in discrimen adducitur, tibi ignotus sit, nulla tibi vel cognationis, vel necessitudinis connexione C conjunctus? Rationes has non probabit Deus: Omnis homo frater tuus est, & Deus vitæ illius a te rationem petet: *Mandavit illis unicuique de proximo suo* Eccl. 17. 12. Moyses Exod. 23. 5. præcipit, ut ad inimicum suum quivis bovem, aut asinum ejus, si forte errantes invenerit, deducat. Vetat, ne inimici jumentum onere oppressum relinquatur; imperat, ut illud sublevanti auxilium feratur: quo magis ergo jubet extraneo ignotoque subsidium afferri: immo & ipsi inimico, cum vel injuste ad supplicium rapitur, vel in imminenti periculo versatur?

℣. 14. HABEBIS IN NOVISSIMIS SPEM.] Si vivens Sapientiam, virtutemque colueris, morti proximus maximam habebit spem [4]. Vel: Præmium excipies; vel felici senectute frueris; vel denique: florentem ob D prosperitatem lætaberis. Hebræus ad litteram [5] hæc omnia potest significare.

℣. 15. NE INSIDIERIS, & QUÆRAS IMPIETATEM IN DOMO JUSTI.] Ne observes, neque curiosius explores, quid justus agat; ipse etiam quandoque labitur; neque penitus e peccato immunis est. Vide ℣. sequentem. Dedecet sapientem virum, ac virtute præditum se exploratorem, alienarumque actionum malignum Interpretem præbere. Hoc ignavi improbique est; idque invisum, fœdumque est officium.

℣. 16. SEPTIES ENIM CADET [6] JUSTUS, & RESURGET &c.] Impii vero corruent, sed non resurgent. Duplex huic loco sensus tribuitur. Primum [7]: Justus septies in crimen decidet, & ex casu suo resurget; at impius in flagitia proruet, ibique pervolutabitur. E Justus nequaquam impeccabilis est; nemo unus inter homines, licet sanctus, est, qui quandoque non erret; verum si erraverit, errores illius nequaquam sunt ad mortem: se enim recipiet, deinde vigilantior, atque humilior futurus. Non idem erit de impio: lapsus illius omni ferme spe reditus caret. Ruit in imam usque flagitiorum omnium colluviem, neque inde emergit, nec ad frugem revocatur. Altera explicandi ratio, hæc est [8]. Justus in calamitates decidet, illius periculum faciet Deus, illi calamitates, atque adversa immittens mala, verum non patietur iisdem vinci, ac illis semper afflictari. Eos ad eo majorem gloriæ, ac honoris apicem extollet, quo majori dolore illos vexaverit. Impius e contra, aliquandiu fortasse prospero rerum cursu gaudebit; sed cum semel de gradu fuerit deturbatus, non resurget amplius. Plurimi alteram hanc explicationem præponunt, veluti magis litteralem; sed utraque affabre superioribus cohærent. Ne sis nimius actionum justi indagator: nemo est, qui non erret; at si justus ceciderit, resurget, &c. In altera vero sententia hoc pacto intelligi potest: ne insidieris justo: neque domicilium ejus perturbare contendas; non enim patietur Deus, ipsum penitus obrui. Si septies ceciderit, consurget, sed impius cum semel lapsus fuerit, in nullam reditus spem jacebit. Confer Job 5. 27. S. Petrus sciscitatus JESUM CHRISTUM, num fratri suo usque septies parcere deberet [9], huic Salomonis loco allusisse videtur.

℣. 18. ET AUFERAT AB EO IRAM SUAM.] Eamque in te transferat, ac illius effectus tu ipse percipias. Hebreis persuasum erat, nullum esse malum, quod aliqua scelera non peperissent; quæ quidem sententia in Scripturam universam effusa videtur; & hoc in sensu omni procul vacat dubitatione. Verum haud minus certum est a Deo nonnumquam justos, innocuosque viros fluxis, ac perfunctoriis calamitatibus probari. Totus liber Job uni huic sententiæ probandæ impenditur; & hoc ipsum a Salomone vers. 16. demonstratur. Hic ergo juxta vulgi sensum loquitur. Si de proximo tuo ultionem sumere cupis, cave ne illius illudas calamitati, eique auxilium fere abneges: periculum enim est, ne in te transferat Deus supplicium illud, quo ipsum afflictari intueris. Peccatum sæpius pro peccati pœna usurpatur.

℣. 19. NE CONTENDAS CUM PESSIMIS, NEC ÆMULERIS IMPIOS.] Cave ne cum impiis contendas, eosque imiteris, vel etiam vincas nequitia. Illis inanem hunc desere honorem in malo enitendi; ne ipsorum mendaci invideas felicitati. Vide vers. 1. hujus capitis. Hebræus varie vertitur [10]: *ne comercium habeas cum improbis, neque invidiam adversus impios*. Alii: *ne irascaris adversus*, vel propter *improbos, neque adversus illos invidiam nutrias*. Septuaginta [11]: *ne læseris propter nefarios, neque peccatoribus invideas*. Chaldæus: *ne imiteris impios: neque illis invideas*.

℣. 20. QUONIAM NON HABENT FUTURORUM SPEM MALI.] Itaque ne illis præsentia hæc invideas bona; inanis hic fulgor evanescet, atque mortis tempore in æternam proruent infelicitatem, unde nulla spes est emergendi. Hebræus verti potest [12]: *Nam impius nullos habebit posteros*: bona sua non trasmittet ad filios. Vide supra vers. 14. Alterum vers. membrum eadem ratione explicatur: *& lucerna impiorum extinguetur*

1 Ambros. in Psalm. 118. serm. 8. *Eripe eum intercessione, eripe gratia, tu Sacerdos, aut tu imperator, eripe subscriptione indulgentiæ, & solvisti peccata tua.*

2 Idem lib. 1. Offic. cap. 36. 3 כי תאמר הן לא ידענו זה הלא תכן לבות הוא יבין

4 70. Ἔσται καλὴ ἡ τελευτή σου. Ita & Chald. 5 ויש אחרית

6 Plura Exemplaria legunt: *cadit*. Edit. Complut. & Sixt. V. &c.

7 Lyran. Menoch. Tir. Cornel. Bossuet. Vide Greg. Magn. lib. 6. in 2. Reg. 15. Bern. serm 2. in Cantica. Hieron. ad Rustic. alii PP. passim. 8 August. lib. 11. de Civit. cap. 31. Vatab. Salazar. Clar. Jans. Geier. Tarnov. Valth. Drus. Piscat. alii. Volunt נפל, *cadere*, cum opponitur קום, *surgere*, numquam significare cadere in peccatum, sed in calamitatem. Vide Isai. 24. 20. Jerem. 25. 27. Amos 8. 14. Mich. 7. 8. Psal. 36. 24.

9 Matth. 18. 21. *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies?*

10 אל תתחר במרעים אל תקנא ברשעים 11 Μὴ χαῖρε ἐπὶ κακοποιοῖς, μηδὲ ζήλου ἁμαρτωλούς. Aquil. Theod. Μὴ διαμάχου. אל תתחר *Ne contendas*; sicut Vulgata.

12 כי לא תהיה אחרית לרע 70. Οὐ γὰρ μὴ γένηται ἔκγονα πονηρῷ.

tur. Lucerna passim posteritatem significat [1].

℣. 21. CUM DETRACTORIBUS NON COMMISCEARIS.] Cum iis præsertim, qui neque Deum, neque Principes reverentur, & qui obloqui audent, in Deum quidem blasphemias evomentes; Reges vero contumeliis, ac injuriis lacessentes. Aliæ, atque aliæ sunt Hebraici textus vertendi rationes [2]: *Ne commiscearis cum illis, qui relabuntur* in scelera sua, postquam egerint pœnitentiam. Alii: *cum rebellibus*, inconstantibus, rerum novarum, quoad regundæ reipublicæ rationem, amatoribus. Aliter [3]: *ne commiscearis cum iis, qui oderunt*, non amant Deum, nec Regem. Septuaginta [4]: *Neutri inobediens sis*, nec Deo scilicet, nec Regi. Vertere mallem: *Ne commiscearis cum duobus his hominum generibus*, impiis scilicet, ac improbis, de quibus sermo fuit versiculis 19. & 20. At illos evita, *& Dominum, Regemque reverere. Nam* (℣. 22.) *eorum interitus repente ingruet, & quis utrorumque infelicitatem intelligere poterit?* impiorum videlicet, qui Deum non metuunt, & improborum, qui Regem non verentur, ejusque minas, atque dicta contemnunt. Hoc pacto sensus concinnatur, qui optime versiculis 19. 20. 21. & 22. congruit.

℣. 22. RUINAM UTRIUSQUE QUIS NOVIT?] Deum scilicet non timentis, & Regem non reverentis. Alii [5] hoc intelligunt pacto: Quis noscere poterit ultionem, quam Deus, & Rex, duæ illæ terribiles adeo potestates de maledicis, ac blasphemis hominibus sument? Syrus, cui Ludovicus do Dieu favet, ita reddit: *Quis novit terminum annorum suorum?* Quis novit quousque Deus illorum supplicium differat, & quandonam in eos animadvertet. Hebraica vox *Pid* [6], quæ vertitur *ruina*, calamitas, supplicium, infelicitas, hic semel in Bibliis reperitur. In Romana Editione haud ita brevis hic assuitur additio ex Capite 30. deprompta: quæ ita incipit: *Verbum, præcepta, custodiens filius extra perditionem erit* [7]: *Nihil falsi de ore regis dicatur, & nihil falsi ex lingua ipsius exeat. Gladius lingua regis, & non carnea: quicumque autem traditus fuerit, conteretur. Si enim irritatus fuerit furor ejus cum nervis homines absumit, & ossa hominum devorat, & comburit tamquam flamma, ita ut sint inepta esui pullis aquilarum. Mea verba fili timeto, & suscipiens ea, pœnitentiam age*. Post hæc sequuntur quatuordecim primi versiculi cap. 30. mox vero vers. 23. hujus capitis 24. ut hic legimus.

℣. 23. HÆC QUOQUE SAPIENTIBUS.] En novum titulum, novumque stylum. Salomon reddit ad concisam, brevem, dogmaticam, sententiisque refertam scribendi rationem, quam vers. 17. cap. 22. intercideraт. Videri potest præfatio nostra in varias hujus collectionis partes. Hebræus verti posset [8]: *id quoque, quod sequitur, est opus sapientum*. Sententiæ hæ, non secus ac primæ, sunt Sapientum parabolæ. Hæ sunt sapientiæ præcepta, quorum pleraque respiciunt optime instituendam morum disciplinam: hic alius est delectus a Sapientibus concinnatus, atque ex Salomonis sententiis depromptus, quarum nonnisi fragmenta quædam supersunt. Denique belle quoque ita reddi potest: *Hæc sapientibus quoque scribuntur*. En nova præcepta pro illis, qui sapientiam diligunt. Septuaginta [9]: *Ad vos, o Sapientes, hæc verba scribuntur*.

℣. 27. PRÆPARA FORIS OPUS TUUM, &c.] Opus A est primum agrum excolere, ac opera sua foris exercere, antequam sibi domum ædificare. In eo primum cura locanda est, ut non desint, unde vivas, antequam cogites, ubi commode maneas: *Ædificare, diu cogitare oportet*, ait Cato de Re Rust. cap. 3. *Conserere, cogitare non oportet, sed facere oportet*. Salvator in Evangelio Lucæ 14. 28. præcipit, ut qui de turri extruenda meditatur, sedens prius cogitet, utrum vires illis suppetant ad opus explendum, ne imperfectam substructionem relinquat, postquam jecerit fundamenta. In morali sensu facile de hoc agro, qui ante domus ædificium colendus est, dicta ad solidarum, intimarumque virtutum exercitationem, ad serium, ac profundum veritatum Religionis studium, antequam extrinsecus aliis edocendis, regendisque vaces, re- B ferri potest. Oportet primum scitum esse agricolam, antequam in domo Dei fias architectus. Nonnulli hanc loquendi rationem, *ædificare domum suam*, de connubio interpretantur [10]: Primum quidem agros exerce, atque unde familiam alere possis, compara; deinde vero, si lubet, ad uxorem ducendam animum adverte.

℣. 28. NE SIS TESTIS FRUSTRA.] Ne ex cordis voluptate, ac motu proprio proximo tuo dicam intentes: ne te ante Judices statuas, ut testificeris. Hebræus ad litteram [11]: *Ne sis testis gratuito*. Septuaginta [12]: *Ne sis perjurus in concivem suum*. Sensus hic plures asseclas jactat. Ne temere jures, sine ratione, sine causa, falso.

℣. 29. NE DICAS: QUOMODO FECIT MIHI, SIC C FACIAM EI.] Sapiens pluribus in Libri hujus locis ultionem damnat [13]. Lex Moysis talionis quidem ferebat pœnam; at ex hoc loco innotescit, consuetudinem hanc viris optimis nequaquam fuisse probatam, sed immo eam una cum alio quovis ultionis genero a veris Israelitis fuisse damnatam.

℣. 30. PER AGRUM HOMINIS PIGRI TRANSIVI &c.] Et illum usquequaque urticis obsitum inveni. Salomon sæpe discipulo suo diligentiam, rectamque œconomiæ rationem commendat. Priscis illis temporibus, quibus agricultura, & arvorum exercitatio in honore erat posita, flocci æstimabatur vir, qui agellum suum inaratum relinqueret, in egestate sua sordesceret, ære alieno se obrueret, ac periculosis sponsionibus se obligaret. Non modica sapientiæ laus in eo D erat posita, ut domestica quis rite procuraret bona, & ex patria hæreditate fructum perciperet. Moyses suis Legibus caverat, ne divites penitus egenos opprimerent, cogens emptores, ut anno Sabbathico prioribus dominis fundos redderent, ac Jubilæi tempore omne creditum æs dimitterent. In Hebræorum republica non cernebantur repentinæ hæ, ingentesque fortunæ, quæ nonnisi per plurimarum familiarum excidium conflantur. Inter primas Legislatoris curas hæc fuerat, ut bonorum, & conditionum æqualitatem, quoad in Monarchico imperio fieri posset, servaret. Romani primis reipublicæ temporibus [14]: *Virum bonum cum laudabant, bonum agricolam, bonumque colonum* vocabant. *Amplissime laudari existimabatur, qui sic laudabatur. Ex agricolis viri fortissimi,* E *& milites strenuissimi gignuntur: maximeque pius quæstus, stabilissimusque consequitur, minimeque invidiosus. Omnium* [15] *rerum ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agri-*

1 2. Reg. 14. 7. & Psalm. 131. 7. 2 עם שונים אל תתערב
3 Legi potest שנאים pro שונים
4 Μηδετέρῳ αὐτῶν ἀπειθήσῃς
5 Abenezra, Bayn. Jans. Cornel. Menoch. Tirin. Vatab. Geier. Mercer. Munst. alii plerique.
6 פיד שניהם מי יודע 70. Τὰς δὲ τιμωρίας ἀμφοτέρων τίς γνώσεται.
7 Hæc verba leguntur Cap. 30. 27. in Vulgata.
8 גם אלה לחכמים In Hebræo ל est sæpe nota possessoris: Ex. gr. in Psalmis מזמור לדוד Vide Grot. hic.
9 Ταῦτα δὲ λέγω ὑμῖν τοῖς σοφοῖς. 10 Vide Exod. 1. 21. Ruth. 4. 11. 2. Reg. 7. 27. Vide Rab. Salom. Geier. Cornel. a Lap. 11 אל תהי עד חנם ברעך
12 Μὴ ἴσθι ψευδὴς μάρτυς ἐπὶ σὸν πολίτην. Ita Chald. Syr. Pagn. Mercer. Geier.
13 Vide hic vers. 17. 20. 22. &c.
14 Cato de Re Rust. cap. 1.
15 Cicero de Officiis lib. 1.

agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.

℣. 33. PARUM, INQUAM, DORMIES.] Duo hæc novissima verba in Hebraico textu non extant. Capi- A te 6. vers. 10. & 11. eadem occurrunt verba, veluti ex ore pigri manantia: *Paululum dormies &c.* Hebr. [1] *Paululum adhuc dormire, paululum somniare &c.*

1 מעט שנות מעט תנומות 70. Ὀλίγον ὑπνώσω, ὀλίγον δὲ καθυπνώσω, *Dormiam, somniabo &c.*

CAPUT XXV.

Aliæ Salomonis Parabolæ. Dei mysteria celanda. Cor Regis impenetrabile. Ne te extollas coram Rege: de negotiis tuis cum amicis age, neque consilium tuum deteges alieno. Verbum opportune prolatum. Correctio utilis. Legatus fidelis; parum mellis manduces. Ne nimius cum amicis tuis verseris. Tristitia periculosa. Benefac inimicis tuis. Ne verbosus sis.

1. HÆ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda.
2 Gloria Dei est celare verbum, & gloria regum investigare sermonem. 3
Cœlum sursum, & terra deorsum, & cor regum inscrutabile. 4 Aufer ru-
biginem de argento, & egredietur vas purissimum. 5 Aufer impietatem de vultu
regis, & firmabitur justitia thronus ejus. 6 Ne gloriosus appareas coram rege, &
in loco magnorum ne steteris. 7 Melius est enim, ut dicatur tibi: Ascende huc,
quam, ut humilieris coram principe. 8 Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jur-
gio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum. 9 Cau-
sam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reveles. 10 Ne forte in-
sultet tibi, cum audierit, & exprobrare non cesset. Gratia, & amicitia liberant:
quas tibi serva, ne exprobrabilis fias. 11 Mala aurea in lectis argenteis, qui lo-
quitur verbum in tempore suo. 12 Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui ar-
guit sapientem, & aurem obedientem. 13 Sicut frigus nivis in die messis, ita le-
gatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit. 14 Nubes, &
ventus, & pluviæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens. 15
Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam. 16 Mel invenisti,
comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud. 17 Subtrahe pedem
tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te. 18 Jaculum, & gladius,
& sagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.
19 Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ. 20 Et
amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.
Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi. 21 Si esu-
rierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: 22 Prunas enim
congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi. 23 Ventus aquilo dissipat
pluvias, & facies tristis linguam detrahentem. 24 Melius est sedere in angulo do-
matis; quam cum muliere litigiosa, & in domo communi. 25 Aqua frigida ani-
mæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua. 26 Fons turbatus pede, & ve-
na corrupta, justus cadens coram impio. 27 Sicut qui mel multum comedit, non
est ei bonum sic, qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. 28 Sicut urbs
patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere
spiritum suum.

℣. 1. HÆ QUOQUE PARABOLÆ SALOMONIS, QUAS TRANSTULERUNT VIRI EZECHIÆ REGIS JUDA.] Salomon plurima scripsit, quæ non extant: inter cætera vero tres mille Parabolas ediderat [1], e quibus eæ tantum nobis supersunt, quæ hoc in libro leguntur, quæ millenarium Proverbiorum numerum non explent, quandoquidem versiculi sunt tantum 915. Alia vero A neglecta fuere, veluti minoris momenti, eo plane quod *magis essent curiosa, & ostentantia magnitudinem ingenii, quam utilia; & maxime carmina; ideo non fuerunt in Scripturæ Canonem relata*, ait Tostatus in l. 3. Reg. c. 4. qu. 8. Priorum vero varii delectus habiti sunt, qui simul congesti in Sacros libros inserti fuere. Ille, quem in hoc capite, & in sequentibus legimus, Ezechiæ Regis jussu conscriptus est: qua in re (uti omnis adest veri

1 3. Reg. 4. 32.

veri species) eximius ille Princeps usus est opera eruditissimorum virorum ævi sui, puta Isaiæ, Eliacim, Sobna, Johatte, qui sub regno illius maxima nominis claritate floruerunt [1].

Hebræus [2] ait, Parabolas *transcriptas* fuisse a viris Ezechiæ; transcriptæ enim fuere ex voluminibus, quæ Salomonis opera continebant, atque in particulare corpus collectæ. Alii vertunt [3]: *Traductæ fuere*, hoc est in aliud idioma redditæ, in Hebræum; vel de lingua minus cognita in vernaculam, atque notiorem translatæ [4]: Septuaginta [5]: *Hæ sunt Parabolæ Salomonis, quas amici Regis Ezechiæ transcripserunt promiscue*, quin rerum ordinem sequerentur. Legendum tamen cum veteribus quibusdam videretur [6]: *quas cum electione, atque delectu transcripsere*; ut verbo me expediam, ex quibus optimas quaslibet sententias colligentes unum corpus fecere. Pleræque earum, quæ in hoc, & sequenti capite leguntur, sunt similitudines, & antitheses, quæ majorem leporem habent, ac venerem in authographo textu, quam in Versionibus propter allusiones, & ludos in verbis, qui in versionibus non percipiuntur.

℣. 2. GLORIA DEI EST CELARE VERBUM: & GLORIA REGUM INVESTIGARE SERMONEM.] In id incumbere, scilicet ut sensum verborum Domini detegant, atque eorum mysteria evolvant. Hoc maxime præclarum, nobile, ac utile Principum est studium. Deberent illi quidem summa religione, atque sancta attentione Divina Oracula legere, ubi veritatem invenirent, quam eorum plerique, a quibus ambiuntur, eos celare conantur. Ibi terribilia Omnipotentis manus, ac impiorum thronos conterentis intuerentur exempla: ibi Dei vocem audirent, qui sine acceptione personarum instruit, terret, minatur, damnat malum, & peccatum, impium, atque superbum. Ex divinis his voluminibus ars regnandi, hominumque regundorum juxta supernæ sapientiæ, sanctæque, & religiosæ politicæ præcepta percipitur.

Verti quoque potest Hebræus [7]: *gloria Principum est celare res, aut verba; & gloria Regum detegere illa*. Sapiens Rex diligentissime custodit secretum suum; cordis ejus consilia nequeunt investigari. At idem Princeps omnes nervos intendit, ut Principum aliorum consilia detegat. Quo magis sua tegit, eo magis aliena retegere studet; accurate vias, & gressus hostis sui scrutatur, atque adnititur, ne quod ipse molitur, aliis innotescat.

Aliter: Domini gloriæ interest mysteria sua religioso silentio involvere; homo ea venerari debet, quin audeat scrutari. Non idem vero de Regis secreto dicendum; Princeps non prohibet, quo minus illud investigemus, ejus justitiam, ac sapientiam consideremus, atque intelligamus; & studium, quod impenditur ad illud percipiendum, cedit in honorem ejus, qui ipsum intra se tuetur [8]. Studium hoc magis, magisque commendat prudentiam, & profunditatem consiliorum Regis. Vel: Gloria Dei est celare mysteria, & consilia sua: at gloria Regis est consilia, conatus, molimina, sensus aliorum cognoscere. Septuaginta [9]: *Gloria Domini celat verbum; & gloria honorat negotia*. Philemon apud Grotium ajebat: *Crede Deum esse, & illi eos honores, qui ipsi debentur, præbe: sed eum penetrare, ne quæras, frustra enim quæsiveris*. Credere præstat, quam scire: *Sanctius eum de Deo credere, quam scire*, ait Tacitus.

℣. 3. COR REGUM INSCRUTABILE.] Reges merito secreti sui soliciti custodes sunt: hoc enim est robur consilii sui, & inde plerumque inceptorum memorabilium exitus pendet. Eorum consilia, & conatus religiosissimi silentii involucro celandi sunt. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*, ajebat Angelus Raphael Tobiæ Tob. 12. 7. Qui illius participes, vel ministri fuerint, illud intemeranda fide servare debent.

℣. 4. AUFER RUBIGINEM DE ARGENTO &c.] Si in ignem argenteum vas rubigine, ac sordibus obsitum jeceris, inde purissimum, atque mundissimum erues. Ita (℣. 5.) *Aufer impietatem*, vel impium *de vultu Regis, & firmabitur justitia thronus ejus*. Hebræus ad litteram [10]: *Aufer rubiginem de argento, & egredietur* veluti *vas de fusoria fornacula*, vel de domo aurificis (℣. 5.) *Aufer impium coram Rege*, divelle eum a Regis conspectu; vel illum in ipsis Regis oculis disperde, *& firmabitur justitia thronus ejus*. Quod rubigo argento, id Reipublicæ est impius.

℣. 6. NE GLORIOSUS APPAREAS &c.] Versiculus hic, & subsequens non longe abludunt a Parabola Salvatoris, convivis proposita, qui sibimet primos recubitus vendicabant [11]. Qui dignitatum, atque honorum sunt candidati, non satis eorum onus, ac periculum sentiunt; sed qui ex loco suo, & ordine egreditur, ut elatiorem accipiat, magis adhuc, quam alii, obnoxius est excidio, & calamitati. Ovidius l. 3. Tristium Eleg. 4.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit; & intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige; amicitias, & tibi junge pares.

℣. 8. QUÆ VIDERUNT OCULI TUI, NE PROFERAS IN JURGIO CITO.] Licet aliquid haud hæsitanter scires, quod tamen in alterius cederet detrimentum; cave, ne illud in vulgus protuleris. Sæpius verbum, quod imprudenti excidit, infensissimas parit simultates, ac mox dolore conficimur, cum videmus aliquem vulgi fabulam factum, eo quod celare piguerit, quod sciebamus. Hebræus [12] aliter explicatur ℣. 7. Melius est, ut dicatur: Ascende superius, quam pudore suffundaris *coram Principe, quem oculis tuis adspexisti* (℣. 8.) *Ne festines prodire in judicium, ut causam agas, ne postmodum aliquid facias, cum proximum tuum ignominia adsperseris*. Ne proximus tuus aliquo te in errore deprehendat, atque ulciscatur, sibi a te illatam injuriam, efficiens vicissim, ut tu quoque damneris. Septuaginta [13]: *ne dixeris ea, quæ viderunt oculi tui*. (℣. 8.) *ne festines in prælium descendere, ne te pæniteat aliquando, cum te amicus tuus redarguerit*.

℣. 9. CAUSAM TUAM TRACTA CUM AMICO TUO; & SECRETUM EXTRANEO NE REVELES.] Præceptum hoc maximæ est utilitati in vita civili. Cum amicis quidem deliberandum est, eorum in negotiis nostris consilia sunt exquirenda, secretum vero nemini aperiendum. Simulac secretum alicui detexeris, illius non amplius es dominus: te met illius imprudentiæ, genio, iniquitati tradidisti. Cum levissima simultatis interfuerit causa, ipse quidem insultabit tibi, tu vero tacere cogeris. ℣. 10. *ne forte insultet tibi, cum audierit, & exprobrare non cesset*.

Hebræo textui alius sensus appingitur [14]: *Discepta cum amico tuo, si qua tibi cum ipso jurgii causa est; alienum vero secretum ne reveles* (℣. 10.) *ne, qui te audierit, te opprobrio suffundat, & super te maneat infamia tua*; ne scilicet æterna nomini tuo insideat ignominia. Summa licet cum amico tuo simultas exarserit, ne commissum

1 4. Reg. 18. 26. Vide Hippolyt. & Euseb. apud Anastas. Nicæn. qu. 39. in Script. & nos in Præfat.
2 גם אלה משלי שלמה אשר העתיקו אנשי חזקיהו
3 Vulg. Mont. Munst. Piscat. Mercer.
4 Dionys. Carthus. Bayn.
5 Αὗται αἱ παιδεῖαι Σαλωμῶντος αἱ ἀδιάκριτοι, ἃς ἐξεγράψαντο οἱ φίλοι Ἐζεκίου τοῦ Βασιλέως τῆς Ἰουδαίας.
6 Hippolyt. in Cantic. apud Anastas. Nicæn. qu. 39. in Script.
7 כבד אלהים הסתר דבר וכבד מלכים חקר דבר
8 Ita Chald. *Gloria Dei, qui celat verbum: ac gloria Regum, qui investigat sermonem.*
9 Δόξα Θεοῦ κρύπτει λόγον· δόξα δὲ Βασιλέως τιμᾷ πράγματα. Aquil. Sym. Ἐξιχνιάζει ῥήματα, חקר דבר
10 הגו סיגים מכסף ויצא לצרף כלי (5.) הגו רשע לפני מלך ויכון בצדק כסאו
11 Luc. 14. 10.
12 אשר ראו עיניך (8.) אל תצא לרב מהר פן מה תעשה באחריתה בהכלים אתך רעך
13 Ἃ εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σου λέγε. Μὴ πρόπιπτε εἰς μάχην ταχέως, ἵνα μὴ μεταμεληθῇς ἐπ' ἐσχάτων, ἡνίκα δ' ἄν σε ὀνειδίσῃ ὁ σὸς φίλος.
14 ריבך ריב את רעך וסוד אחר אל תגל (10.) פן יחסדך שמע ודבתך לא תשוב

missum umquam secretum prodas : hoc enim æternum tibi dedecus afferret ; & hi omnes, qui scelus hoc tuum intelligerent, tamquam infidelem, fictumque amicum abominarentur. Haud abhorret ab usu quotidiano, ut inter eos, qui amici fuerant, inimicitiæ subsiliant : sed nemo honestus non infamem censeret, qui per summum nefas abusus fuisset sibi credito consilio, atque in vulgus prodidisset, quod amicus, dum adhuc necessitudo vigeret, a letissimo custodiendum silentio mandarat. Josephus l. 2. contra Appionem asserit, Lege apud Hebræos cautum esse, ne quid secretum sit inter amicos ; amicitiam nequaquam esse perfectam, cum omnia non creduntur amico ; cum vero aliqua obrepit simultas, nefas esse, ea, quæ secretæ fidei commendata fuerant, resignare. Præceptum hoc quidem in Moyse non invenitur, at æquivalens adest B in hoc versiculo, quem explicamus. S. Ambrosius loquens de fratre suo S. Satyro ajebat : *cum omnia nobis essent nostra communia, solum tamen non erat commune secretum amicorum.*

℣. 10. GRATIA, & AMICITIA LIBERANT &c.] Versiculus hic neque in Hebræo, neque in Chaldæo invenitur, uti neque in Complutensi, & in recenti Sancti Hieronymi Editione. Septuaginta [1] hoc pacto legunt: *Gratia, & amicitia liberos faciunt : has tu doces serva, ne immissioni obnoxius fias, & custodi vias tuas in amicitia*, vel reconciliatione perfecta. Evita simultates, atque inimicitias cum amicis tuis : perfectæ necessitudinis jura serva, si liber esse cupis, ac vitam ducere irreprehensibilem. Hoc glossema est, quod idem ferme repetit, quod in superioribus duobus Textus ver- C siculis invenitur.

℣. 11. MALA AUREA IN LECTIS ARGENTEIS, QUI LOQUITUR VERBUM IN TEMPORE SUO.] Nihil æque pretiosum est, atque tanti faciendum, quam verba prudenter, sapienterque prolata. Hæc sunt veluti aurea mala argenteis lecti fuleris imposita ; vel tamquam aurea mala de argenteo lecto suspensa, vel eidem apposita. Nequaquam mirum est, Salomonis ævo quosdam fuisse argenteos lectulos aureis malis exornatos ; tunc enim vulgatum adeo erat argentum, ut nullo haberetur in pretio [2]. Assueri tempore aureos, argenteosque thoros videmus : *Lectuli quoque aurei, & argentei, super pavimentum smaragdino, & pario stratum lapide* Est. 1. 6. Sardanapalus quoque plurimos id genus habebat. Reges Parthorum vulgo aureis in D lectulis cubabant. Æreos autem lectos Trojani belli tempore intuemur ; & Moysis ævo Og Rex Basan ferreum habebat cubile. Videri potest Commentarium nostrum in Deuteron. c. 3. ℣. 11.

Nonnulli Hebræum ita reddunt [3] : *Verbum prolatum super rotas suas*, veluti *mala aurea in calathis argenteis opere interrasili elaboratis* [4]. *Verbum super rotas suas* significare dicitur verbum placidum, quod fluit, quod blande, suaviter, ac sine strepitu labitur. Mala aurea sunt aurantia mala, vel poma, æque ac aurum speciosa ; ita flava, nitentia, ac aurum in argenteo canistro. Similitudo præclara est, ac nobilis. Alii vertunt : *Sermo in circumstantiis suis*, cum tempus, & locus exigunt, *prolatus est veluti aurea mala in commissuris argenti*, seu argento inserta [5]. E Septuaginta [6] : *Nosse bene loqui est veluti malum aureum in torque e sardonice.*

A ℣. 12. INAURIS AUREA, & MARGARITUM FULGENS, QUI ARGUIT SAPIENTEM, & AUREM OBEDIENTEM.] Textus hic satis per se patet : en Hebraicum [7] : *Correptio sapientis est veluti aureus ornatus de naribus pendens, ac veluti annulus ex auro mundo super aurem docilem, ac obedientem.* Alludit ad morem deferendi annulos aureos de naribus, æque ac auribus pendulos. Annuli non inferiori tantum auriculæ inserebantur, sed & superiori cartilagini apponebantur, quemadmodum Hebræus textus hoc in loco, & alibi innuit [8]. In Perside [9] mulieres auribus gemmas adnectunt, & faciem torque circumdant ; atque per cartilaginem, quæ nares dividit, trajiciunt annulum aureum, plumæ tubo crassitie parem, sed cavum tum ad minorem sumptum, cum ad majorem levitatem ; nam horum annulorum quidam adeo magni sunt, ut per eos pugnum traducere possis. In regnis Laatthæ, ac Armuziæ [10] solemne mulieribus est os narium perforare, ut cum uncinulo auream laminam per illius posteriorem partem adnectant, Pyropis, Smaragdis, Cyanisque fulgentem, quæ omnem illarum nasum obtegit. Arabes fœminæ sibi tendinem nares sejungentem perforant, ut inde annulum demittant ; quorum annulorum quidam æque magni sunt, ac manus vola, & per illos trajiciunt, quidquid in os ingerere debent. Eæ vero, quæ divitiis præstant, unionem aliquam, vel pretiosum lapidem perforatum in annulum, de quo sermo est, traducunt. In Perside Regis pellices omnes lævam narim perforatam habent, unde annulus pendet cum pretioso lapide in annulum eumdem trajecto. Hi mores sunt toto cœlo a nostris sepositi ; sed in Scriptura horum fere omnium vestigia quædam cernuntur ; quæ nemo umquam satis perspicue explicuerit, qui Orientalium consuetudinem non norit.

Hebræa vox *Chali*, quæ a Vulgata redditur : *margaritum fulgens* [11] ; a Septuaginta vero *Sardonyx pretiosus* ; & in Chaldæo : *vas smaragdinum*, facile annulum, vel torquem significat [12], vel fortasse annulos, vel fibulas aurium.

℣. 13. SICUT FRIGUS NIVIS IN DIE MESSIS.] Magni sæviunt æstus in Judæa tempore messis, quæ ibi sub mensem Junium, Juliumque peragitur. Divites afferri sibi jubebant nivem de Libano [13] quam aquis suis immiscebant, ut jucundius potarent. Salomon isthic comparat voluptatem, quam sapiens, fidelisque legatus adfert eum voluptate bibendi nivalem aquam, dum magni æstatis calores urgent.

℣. 14. NUBES, & VENTUS . . . VIR GLORIOSUS, & PROMISSA NON COMPLENS.] Est veluti cœlum, quod tempestatem, pluviamque minitatur, sed sine ullo effectu, Theagenes quidam, qui omnibus promittebat ultra ea, quorum fidem præstare poterat, *Capnos* appellatus fuit, hoc est, *fumus*, & in sæculi sui fabulam abiit.

℣. 15. LINGUA MOLLIS CONFRINGET DURITIAM.] Hebr. [14] *confringet ossa.*

℣. 16. MEL INVENISTI, COMEDE, QUOD SUFFICIT.] Sapientia non semel in hoc libro melli comparatur [15]. Salomon hic docet modum etiam in sapientiæ studio, ac boni exercitatione requiri ; quod S. Paulus ad Rom. 12. 3. innuit *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* ; quod ipsum vulgo

1 Complut. Χάρις καὶ φιλία ἐλευθεροῖ, ἃς τήρησον σεαυτῷ. Edit. Rom. addit. Ἵνα μὴ ἐπονείδιστος γένῃ, ἀλλὰ φύλαξον τὰς ὁδούς σου εὐσυναλλάκτως. 2 3. Reg. 10. 27. *Fecit quoque, ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum.* 3 תפוחי זהב במשכיות כסף דבר דבר על אפניו

4 Sym. Theod. Ἐν περιβλέπτοις ἀργυρίοις. Ita Montan. Geier. Glass. Cornel. &c.

5 Vat. Pisc. Tig. Chald. 6 Μῆλα χρυσᾶ ἐν ὁρμίσκῳ σαρδίου, οὕτως εἰπεῖν λόγον. Aquil. Theod. Λαλῶν ῥῆμα ἐπὶ ἁρμόζουσιν αὐτῷ. Symmach. Λαλῶν λόγον ἐν καιρῷ αὐτοῦ.

7 נזם זהב וחלי כתם מוכיח חכם על אזן שמעת 8 Vide adnotata in Gen. 35. 4.

9 Tavernier, voyage de Perse, liv. 2. chap. 7.

10 Tavernier, liv. 4. chap. 18. Nouveau voyage de l' Arabie heureuse, p. 257.

11 *Scolion.* Πίννινος χρυσῆ, significare videtur torquem auream, & unionum : *Pinna* Græce significat unionem, & piscem, e quo desumitur. 12 Vide Cant. 7. 1. חמוקי ירכיך כמו חלאים Osee 11. 13. נזמה וחליתה ubi videmus *Nesem*, & *Chali* simul juncta, ut hic. Græcum Χλιδὼν, fluere posset a *Chaliah*, vel *Chliath*. Vide 70. Num. 31. 50. Isai. 3. 19. 2. Reg. 1. 10. & 8. 7. &c. 13 Jerem. 18. 14. *Numquid deficiet de petra agri nix Libani.* 14 תשבר גרם Συντρίβει ὀστᾶ. 15 Prov. 24. 13.

etiam dicitur [1] : *Philosophari paucis*. Sapiens hoc jam A superius admonuit, ac idipsum in Ecclesiaste 7. 17. repetit; *neque plus sapias, quam necesse est*.

Plurimi Interpretes [2] versiculum hunc sequenti adnectunt : Ne comedas mel, ultra quod tibi sufficit (℣. 17.) neque amicos tuos frequentius, quam opus est, conveni, ne nimiam foveas familiaritatem &c.

℣. 17. SUBTRAHE PEDEM TUUM DE DOMO PROXIMI TUI.] Vel amici tui : ne sensim tui fastidio afficiatur, ac te oderit; ne assiduitatis nimiæ pertæsus subirascatur, ac tibi penitus domus suæ aditum obstruat. Amicitia quamdam paucitatem requirit : nimia familiaritas gignit primum amoris languorem, & mox contemptum; majori in pretio habemus, quod non singulis diebus intuemur. Licet sedulam navemus operam, & quantumvis perfecti simus, tamen etiam in- B vitis, cum nimium nosmet ostendimus, quædam excidunt nostræ imperfectionis indicia, quæ nos in contemptum adducunt; & cum prudentia non cohibet hanc apud amicos nostros assiduitatem, hæc importuna fit, atque incommoda, ac sensim consortii, ac amicitiæ tollit jucunditatem. Martialis,

Nulli te facias nimis sodalem;
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Hebræus textus ad litteram habet [3] : *fac, ut pes tuus pretiosus sit in domo amici tui, ne sua defatigetur assiduitate, ac te oderit*. Septuaginta [4] : *ne inferas, nisi raro, pedem tuum in domum amici tui*.

℣. 18. JACULUM, & GLADIUS . . . . HOMO, QUI LOQUITUR CONTRA PROXIMUM.] Hebræus ad litteram [5] : *qui falsum testimonium respondet, est malleus, C & gladius*. Septuaginta [6] : *clava, & gladius*.

℣. 19. DENS PUTRIDUS, & PES LASSUS &c.] Septuaginta [7] : *Dens improbi, ac pes impii peribunt in die afflictionis*.

℣. 20. ACETUM IN NITRO, QUI CANTAT CARMINA CORDI PESSIMO.] Pro certo asseritur acetum nitro immixtum dissolvere sal, & augere vim detergendi, quam habet. Nemo ignorat, nitrum speciem esse salis terrestris, quod in Ægypto, Arabia, ac Palæstina passim reperitur. Ex Jeremia [8] liquet, mulieres olim nitro uti consuevisse ad se abluendas, cutemque magis lævigandam. Veteres Medici docent, nitrum aceto dissolutum ad surditates, auriumque obstructiones tollendas, olim fuisse adhibitum [9]; & immixtionem hanc detersisse eas sordes, quæ in interiori auri- D cula insedebant. Nitrum quoque aceto dissolutum ad lepræ, & scabiei notas, aliasque similes deformitates, quæ cuti adhærent, insumebatur [10]. Ratio denique vulgatis dissolvendi nitri erat, in eo acetum immiscendi [11], & ad hanc diem nitro utuntur, cum illud aceto dissolverint, ad argenti maculas abstergendas. Videri potest Commentarium nostrum in Jeremiam c. 2. ℣. 22.

Ut autem hanc Salomonis sententiam explicemus, dici potest, eum, qui dolenti viro carmina concinit, idem facere, ac illum, qui acetum in nitrum infundit. Acetum sal illud dissolvit, & hæc mixtio facici, cutis, immo & vestium sordes abstergit. Ita concentus tristitiam dissipat, doloremque lenit. Historia plena est miris musicæ, musicorumque instrumentorum effectibus, quorum aliquot attulimus exempla, cum sermo E esset de Davide, cythara coram Saul personante 1. Reg. 16. 17. & de Elisæo, qui psaltem accivit, ut ad illius modulos se se Prophetico spiritui excipiendo disponeret 4. Reg. 3. 15. Nemo est, qui non experiatur vocum, instrumentorumve concentum, mœrorem, tristitiamque levare. Sensus hic satis simplex, commodusque videtur [12].

At eorum plerique, qui Hebræo textui adhærent [13], aliter explicant : & huic membro addunt id, quod S. Hieronymus superiori adjecit : *non secus ac carere pallio, dum hyems sævit, ac acetum nitro immiscere*, sunt injucunda, atque omnino importuna : *ita ille, qui carmina concinit homini dolore confecto. Musica in luctu, importuna narratio*, ait Auctor Ecclesiastici 22. 6. Re quidem vera, dum recens adhuc urget, angitque calamitas, musica, atque instrumentorum sonitus non solum nullum adferunt lenimentum, sed dolorem augent potius, atque exasperant. At Salomon non loquitur isthic de acribus illis doloribus, acutis, atque vehementibus, quibus mederi musica nequeat : loquitur solum de mœrore, de interiori tristitia, quæ animum angit, obruitque. Hebræus ad litteram [14] : *cor malum* per antithesim [15], *ad cor bonum*, hilaritate, atque lætitia affectum. Postremum hoc doloris genus levi negotio musices, musicorumque instrumentorum adminiculo curatur. De hoc igitur tristitiæ genere hic loquitur Salomon. Illa autem verba, *carere pallio, dum hyeme sævit*, commode superioribus adnectuntur, quemadmodum in versione sua S. Hieronymus fecit. Septuaginta [16] : *non secus ac acetum attrahit inutilia*, hoc est, plane detergit, mundatque sordes; *ita ægritudo, quæ corporibus ingruit, cordi mœrorem adfert*.

SICUT TINEA VESTIMENTO &c.] Locus hic non extat in Hebræo textu, neque in Complutensi, neque in recentiori S. Hieronymi Editione. Videntur autem Septuaginta per hæc verba reddere voluisse voces illas Hebraici textus : *carere pallio in hyeme*. Chaldæus ita reddit totum ℣. 20. *Qui aufert pallium proximo suo in hyeme*, est similis, acetum *nitro* infundenti. *Dolor probat cor, ut ignis argentum. Non secus ac tinea lignum corrodit, ita stultitia cor hominis irritat*.

℣. 21. SI ESURIERIT INIMICUS TUUS, CIBA ILLUM (℣. 22.) PRUNAS ENIM CONGREGABIS SUPER CAPUT EJUS.] S. Paulus hunc locum in Epistola ad Romanos 12. 20. protulit; & sensus ejus satis per se patet. Hæc una adest locutio : *Prunas congregabis super caput ejus*; quæ non satis intelligitur. Alii [17] hanc in minarum, ultionisque sensum interpretantur : Eum cumulans bonis, in caput ejus Divinæ iræ prunas congregabis, super illum ignem accendes, qui haud ita facile extinguatur. Non ideo tamen tibi benefacienti hic animus esse debet; sed ea, quæ futura sunt, prædicuntur; nisi tecum in gratiam inimicus redierit, atque in te conceptum odium dimiserit. Sed Patres [18], atque Interpretum plerique [19] in æquiori id explicant sensu : congregabis super caput ejus prunas ardentes, veluti ut in illo extinctam charitatem accendas, eumque vivifices, foveasque, qui primum erga te frigebat, atque elanguerat.

℣. 23. VENTUS AQUILO DISSIPAT PLUVIAS &c.] *Detractor*, ait S. Hieronymus ad Rustic. *cum tristem faciem viderit audientis; immo ne audientis quidem, sed obturantis aures suas, illico conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliva siccatur*. Verum, ut ait Beda hic; *Si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi; si vero tristi vultu hæc audieris, discit non libenter dicere, quod didicerit non*

1 Cicer. Tuscul. l. 2. 2 Beda, Cajetan. Rab. Levi. Rab. Salom. Jun. Gejer &c.
3 הקר רגלך מבית רעך פן ישבעך ושנאך 4 Σπανίως εἴσαγε σὸν πόδα πρὸς τὸν σεαυτοῦ φίλον.
5 מפיץ וחרב 6 Ῥόπαλον καὶ μάχαιρα. 7 Ὀδοὺς κακοῦ, καὶ ποὺς παρανόμου ὀλεῖται ἐν ἡμέρᾳ κακῇ.
8 Jerem. 2. 12. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith &c.*
9 Dioscorid. lib. 5. de cap. 84. Plin. lib. 31. cap. 10. Gallen. lib. 3. de Composit. Medicament. &c. Vide Valles. Sacr. Philosoph. cap. 60. 10 Plin. lib. 31. cap. 10.
11 Galen. l. 3. de Medicam. composit. 12 Ita Jun. Cartvigt. R. Levi. Tir. Corn. a Lapide.
13 Ita Gejer. Jans. Mercer. Castal. Piscat. Tigur. Drus. alii.
14 על לב רע Sym. Ἐπὶ καρδίᾳ λυπηρᾷ. 15 2. Reg. 25. 36. & 3. Reg. 21. 7. in Hebr.
16 Ὥσπερ ὄξος ἕλκει ἀσύμφορον, οὕτω προσπεσὸν πάθος ἐν σώματι καρδίαν λυπεῖ.
17 Vide Castal & Gejer. 18 Vide Chrysost. & alios Patres in Ep. ad Roman. Hieronym. lib. 1. contra Jovin. August. serm. 163. de Tempore &c.
19 Vide Interpp. in Rom. 12. & hic plerosque. Est. Cornel. Geier.

vis non libenter audiri. Pauci sunt hominum cœtus, ubi de alienis vitiis sermo non habeatur; hoc communissimum est sodalitatis condimentum.

Hebræus hoc pacto reddi potest [1]: *Ventus Aquilo parit pluviam, & lingua secreto maledicens iratum vultum* efficit. Quemadmodum Boreas pluviam adfert, ita lingua detrahens excitat iram, non autem semper illorum, quos alloquitur; non enim valde maledicendi libido displicet, sed eorum, cujus læditur existimatio. Simulac audierunt illis obtrectatum fuisse, irascuntur, atque ultionis ardent cupiditate. Alii reddunt [2]: *Ventus Aquilo adducit pluviam, & facies irritata linguam maledicam*. Vel verbum *dissipat* supplendo: *Ventus Aquilo adducit pluviam, & facies irritata* dissipat *linguam maledicam*; sed hoc supplementum duriusculum est. Chaldæus: *Ventus Aquilo concipit*, vel producit *pluviam, talis est irati hominis facies, & lingua* detrahens *secreto*. Septuaginta [3]: *Ventus Boreas elevat nubes, & facies impudens irritat linguam*. Non secus ac boreas nubes elevat, ac pluviam adducit: ita inverecundus, ac imprudens omnes lacessit, ac jurgia serit.

Si probe teneremus, quinam venti vulgo in Judæa pluviam pariant, tutius ire possemus in suffragium, in tanta sententiarum varietate: sed neque Scriptura, neque Interpretes aliquid satis perspicuum de hac re narrant. Ex Job. c. 38. 9. liquet, procellas ex meridionali plaga plerumque detonuisse, atque ex Joele 2. 20. mihi videtur Aquilo siccus magis fuisse, quam humidus, atque ariditatem potius, quam pluviam eas in terras afferre consuevisse. Propheta hic ita ingruentem in Judæa famem describit c. 1. & 2. Regio vastata erat: feræ ad sitim levandam non inveniebant aquam; locustarum nubes a vento adducta ea omnia diripuit, quæ ariditati supererant. Deus per Prophetam suum pollicetur, se terræ ubertatem redditurum, ac populum suum e tot malis erepturum; ad id vero *dissipaturum de terra eorum Aquilonem* [4]. Job hoc ipsum ait c. 37. 9. *Ab interioribus*, hoc est meridie, egredietur tempestas, *& Arcturo frigus*; a borea scilicet, a ventis, qui nubes detergant. Hic igitur ventus siccus erat, ac regioni noxius. Adde animadversionem ex locorum situ depromptam. Palæstina in boreali plaga in latissimas terras effunditur, minime irriguas, & quæ humores ad pluvias conflandas suppeditare minime possunt. Syria universa, ac Cilicia, tota Asia minor, & regiones illæ, quæ ad Euxinum usque Pontum, atque ad Mediterraneum extenduntur, omnes impares sunt vaporibus emittendis, ac gignendis imbribus. Præterea S. Hieronymus, qui in Palæstina degebat, & qui dubio procul noverat, unde pluvia ingrueret, non adductus est, ut a Septuaginta, atque Aquilæ sententia recederet, ut Symmachi versionem amplecteretur, nisi necessitate, ac rerum evidentia. Vulgatæ igitur adhærendum esset, ac illis Interpretibus subscribendum, qui reddunt [5]: *Non secus ac aquilo dissipat pluviam, ita facies severa, atque irritata reprimit linguam secreto maledicentem*. Vide Eccli. 18. 23. ubi dicitur boreas glaciem efficere, & gelu aquas adstringere. Hic frigidus, & siccus est.

℣. 24. MELIUS EST SEDERE IN ANGULO DOMATIS &c.] Hoc idem est ac illud, quod superius legitur c. 29. 9. Editio Sixti V. hunc ℣. præterit.

℣. 25. AQUA FRIGIDA &c.] Hebræus, ac Septuaginta nos cogunt [6], ut hic *felix nuncium* intelligamus; Vulgata vero intelligere videtur legatum bonum; sed uterque sensus optimus est. Homerus ait, legatum nobilem, honorem addere negotio, pro quo legatur.

℣. 26. VENA CORRUPTA JUSTUS CADENS CORAM IMPIO.] Lapsus justi bifariam potest intelligi, pro lapsu scilicet vel in peccatum, vel in calamitatem. Utrumque magnum malum. Impius, qui virum bonum adversis jactari intuetur, confirmatur in malo, atque impietate; ac magis adhæret opinioni suæ, Dei nempe providentiam terrenis rebus nequaquam invigilare, ac nihili interesse, bonus sis, an malus; justus, an secus. Sin autem infeliciter Justus tentationibus victus in crimen aliquod labitur, hoc impio scandali causa est, ac interitus. Hinc enim occasionem arripit blasphemandi, Justum hypocrisis nomine redarguendi, dicendique, Religionem inane esse commentum ad fucum simplicibus, idiotisque viris faciendum. Quocumque igitur modo justus illabatur coram impio, lapsus ejus turbida est vena, corruptus fons, unde impius haurit venenum. Septuaginta [7]: Non secus ac sapientiæ opponitur, *fontis scaturiginem obturare, ac prohibere, quo minus aquæ extrinsecus prodeant; ita nequaquam decet justum cadere coram impio*. Chaldæus isthic, uti ubique ferme, sequitur sensum Septuaginta.

℣. 27. SICUT QUI MEL MULTUM COMEDIT, NON EST EI BONUM: SIC QUI SCRUTATOR EST MAJESTATIS, OPPRIMETUR A GLORIA.] Versiculus hic vulgo explicatur de illis, qui curiosius, ac avidius sancta Religionis nostræ mysteria, ac Dei vias scrutari contendunt. Ad fulgorem majestatis Domini cœcutient, pondus gloriæ ejus illos opprimet, in profunditate arcanorum illius submergentur. Deus a nobis petit submissionem humillimam, observantissimam, integram. Statim ac asserit Ecclesia, aliquid revelatum esse, atque ad fidem spectare, nihil nobis restat, nisi ut cor, atque mentem penitus submittamus.

Hebræi tamen textus longe alius est sensus [8]: *Non est bonum mel multum comedere*, sed *gloriosum est eorum gloriam scrutari*; gloriam scilicet impiorum, de quibus sermo fuit vers. 26. Prodest commentitiam gloriam, inanemque improborum prosperitatem cognoscere: prodest, sibimet seria, profundaque consideratione persuadere, hæc omnia nihil esse; gloriam hanc momento iri dissipatum, ac post eam æternam ignominiam, æternumque supplicium illos manere. Aliter: *Non est bonum mel multum comedere; ita non prodest scrutari gloriam* impiorum. Non deerit periculum, si nimium mel comederis; at multo magis animus advertendus est ad impiorum gloriam examinandam. Justi oculos avertere debent ab his objectis, quæ seducunt: cavere debent, ne impiorum prosperitas in se eos imitandi cupiditatem accendat, atque illiciat, ita ut eorum invideant felicitati. Quamobrem Salomon, ac Regius Psaltes tot in locis [9] hortantur, ne injustum hominem æmulemur; & David fatetur prope fuisse, ut aspectus felicitatis malorum ipsum a recta via deterreret, ac in scelus alliceret [10]. Aliter: Uti periculosum est multum mel comedere, ita non prodest nimium gloriæ vacare, & laudes gloriamque nimia sollicitudine, atque aviditate perquirere.

Septuaginta [11]: *Haud prodest multum mel comedere, sed necesse est gloriosos sermones æstimare*. Cœlestis doctrina sobrie, ac modice libanda est, sed eam magno in pretio habere, & summa cum diligentia tueri decet [12]. Sermones ejus humili sunt observantia custodiendi,

1 רוח צפון תחולל גשם ופנים נזעמים לשון סתר
2 Ita Mont. Jun. Tremel. Pisc. Geier. Rab. Sal. Chald. Syr. Aquila.
3 Ἄνεμος βορέας ἐξεγείρει νέφη, πρόσωπον δὲ ἀναιδὲς γλῶσσαν ἐρεθίζει. Aquil. Ὠδίνει ὄμβρον. *Ventus Aquilonaris inducit pluviam*. Symmach. e contra, Διαλύει βροχήν, *dissipat pluviam*. Quod sequitur S. Hieronymus.
4 Joel 2. 20. את הצפוני ארחיק מעליכם
5 Munster. Pagn. Tigur. Castal. Mercer. Veluti si החלל flueret ab חלילה *absit*, vel חיל *dolor*.
6 שמועה טובה מארץ מרחק 70. Ἀγγελία ἀγαθή.
7 Ὥσπερ εἴ τις πηγὴν φράσσοι, καὶ ὕδατος ἔξοδον λυμαίνοιτο, οὕτως ἄκοσμον δίκαιον πεπτωκέναι ἐνώπιον ἀσεβοῦς.
8 אכל דבש הרבות לא טוב וחקר כבודם כבוד
9 Prov. 3. 31 23. 17. Psalm. 62. 2.
10 Psal. 36. 1. 7.
11 Ἐσθίειν μέλι πολὺ οὐ καλόν, τιμᾷν δὲ χρὴ λόγους ἐνδόξους.
12 Caten. Græc. hic.

diendi, non autem ambitiosa curiositate investigandi. Chaldæus: *Non est bonum multum mel comedere, neque gloriosa verba scrutari;* mysteria scilicet, Verba Dei, & secreta sapientiæ.

℣. 28. QUI NON POTEST IN LOQUENDO COHIBERE SPIRITUM SUUM.] Qui nequit silentium servare, ac secreti fidem tueri; generatim verbosus vir, est veluti civitas undequaque patens; in quam, quacumque cupis, ingredi licet. Qui penitiora verbosi viri consilia scrutari desiderat, ingrediatur, satis est, ubique aditus patet. Vide supra cap. 17. 17. *Pretiosi spiritus vir eruditus;* & infra cap. 29. 11. *Totum spiritum* flatum *suum profert stultus.*

CAPUT XXVI.

Gloria dedecet stultum; sed illi convenit correptio. Ne respondeas stulto juxta stultitiam ejus; responde illi, ne se arbitretur sapientem. Nuntius fatuus. Contentiosis silentium indicendum. Piger se sapientem putat, non egreditur e cubili suo. Ne te immisceas alienis jurgiis. Iracundus homo, & maledicus. Inimicus odium suum dissimulans. Qui eruit foveam, decidet in eam.

1. QUomodo nix in æstate, & pluviæ in messe: sic indecens est stulto glo-
ria. 2 Sicut avis ad alta transvolans, & passer quo libet vadens: sic
maledictum prolatum in quempiam superveniet. 3 Flagellum equo, &
camus asino, & virga in dorso imprudentium. 4 Ne respondeas stulto juxta stul-
titiam suam, ne efficiaris ei similis. 5 Responde stulto juxta stultitiam suam,
ne sibi sapiens esse videatur. 6 Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui
mittit verba per nuntium stultum. 7 Quomodo pulchras frustra habet claudus ti-
bias: sic indecens est in ore stultorum parabola. 8 Sicut qui mittit lapidem in
acervum Mercurii: ita qui tribuit insipienti honorem. 9 Quomodo si spina nasca-
tur in manu temulenti: sic parabola in ore stultorum. 10 Judicium determinat
causas, & qui imponit stulto silentium, iras mitigat. 11 Sicut canis, qui re-
vertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. 12 Vi-
disti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. 13 Dicit
piger: Leo est in via, & læna in itineribus. 14 Sicut ostium vertitur in cardi-
ne suo, ita piger in lectulo suo. 15 Abscondit piger manum sub ascella sua, &
laborat, si ad os suum eam converterit. 16 Sapientior sibi piger videtur septem
viris loquentibus sententias. 17 Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui
transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius. 18 Sicut noxius est, qui mittit
sagittas, & lanceas in mortem. 19 Ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo:
& cum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci. 20 Cum defecerint ligna, extin-
guetur ignis: & susurrone subtracto, jurgia conquiescent. 21 Sicut carbones ad
prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas. 22 Verba susur-
ronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad intima ventris. 23 Quomodo si argen-
to sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.
24 Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos. 25 Quando
submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde
illius. 26 Qui operit odium fraudulenter, revelabitur militia ejus in concilio. 27
Qui fodit foveam, incidet in eam, & qui volvit lapidem, revertetur ad eum. 28
Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.

℣. 1. QUOMODO NIX IN ÆSTATE, ... SIC INDECENS EST STULTO GLORIA.] Non honores solum, gloria, dignitates, auctoritas minime decent stultum; sed si in ipso fuerint, ipsi, ac Reipublicæ perniciem afferent. Furiosus est, qui potestate sua adversus optimum quemque abutetur. Suimet obliviscetur in magnitudine sua, se sapientem existimabit, & sequetur spiritus sui errorem, atque cogitationum suarum injustitiam. Non igitur majus ipsi stulto inferri damnum potest, quam ipsum honoribus cumulando. Hæc honoris, atque existimationis insignia sapientibus dumtaxat viris conveniunt, qui eisdem rite, ac recte uti possunt. Reipublicæ interest eos tantum præmiis affici, qui eadem merentur. Si dignitates, honoresque dignis tantummodo conferantur, statim plurimi certabunt, ut se illis dignos exhibeant. At si optime de Republica meriti in oblivionis squalore delitescunt, & præmia tribuuntur dumtaxat gratiæ, ambitioni, vanitati; optimus quisque inertissimus erit, animosque despondebit, & ne unus quidem virtutis amore flagrabit [1]. Vide vers. 8.

℣. 2. Si-

1 Vide Æschin. apud Stobæum serm. de Republ.

℣. 2. SICUT AVIS AD ALIA TRANSVOLANS ... [1] SIC MALEDICTUM FRUSTRA PROLATUM IN QUEMPIAM SUPERVENIET.] Versiculus hic nulli est obnoxius difficultati. Satis experientia docemur, detrahentium maledicta perniciosissime ferri, atque citissime se se in vulgus effundi, quod melius explicari nequit, nisi ab avi similitudine ducta, quæ semper locum immutat, & huc, illucque trepidans volitat, quin uspiam consistat. Hebræus hæc habet [2]: *Non secus ac passer*, vel generatim avicula, *semper vagatur, & avolat hirundo: ita maledictum temere prolatum non accidet*, omni scilicet effectu carebit. Improba vota, quæ adversus justos nuncupantur, tamquam aves prætervolantes, aufugient. Hæ in remotissimas terras abeunt, & ex oculis nostris evanescunt, ita dissipantur hæc maledicta, quæ ex ingrata animi ægritudine, ignorantia, atque odio proficiscuntur. Judæi hoc de anathematibus,quæ inconsulto intentantur,intelligunt; hæc in eos, qui illa fuerant ejaculati, recident. Hoc ipsum referri potest ad censuras, quas aliquis non ita meritus sustinet; hæ quippe coram Deo minime adstringunt, licet Ecclesiasticæ auctoritatis observantia munere suo minime fungi debeat, donec suam innocentiam asseruerit, atque ademerit, vel præoccuparit scandalum, si, nulla injustæ, invalidæque sententiæ habita ratione, sacris operatus fuisset, atque vulgatis ordinis sui muneribus functus fuisset. Septuaginta sensum hunc secuti sunt [3]: sed Chaldæus aliter interpretatur: *Quemadmodum passer elevatur in aera, & volucres avolant; ita maledictio non frustra desævit*; quod de iis maledictionibus est intelligendum, quæ quis merito subiit, & propter scelera sua sibi promeruit; cujus rei plurima sunt in Scripturis exempla. Maledictio, quam Noe in Chanaan est ejaculatus Gen. 9. 25. eæ omnes, quas Moyses in Legum Domini violatores contorsit Deut. 28. 13. eæ, quam protulit Josue in quemcumque Jerichuntem a ruderibus excitaret Josue 6. 26. illa, qua Elisæus pueros Bethel percussit 4. Reg. 2. 24. &c. Eæ inquam omnes nequaquam in aera effusæ sunt, neque effectu suo caruerunt.

℣. 3. FLAGELLUM EQUO, & CAMUS ASINO, & VIRGA IN DORSO IMPRUDENTIUM.] Mirum videtur Interpretibus, Salomonem hic loqui de asini camo, ac de equi flagello, nam vice versa, frænum convenit equo, flagellum vero, vel baculus asino; vel denique utrumque utrique. Itaque vertunt nonnulli: Quemadmodum camo, & flagello opus est, ad equum, & asinum agendum; ita insipiens correptionibus est inhibendus. Alii reddunt [4]: *Flagellum equo, & stimulus asino &c.* Sed dubio procul Hebraica vox *meteg* frenum significat, vel aliquid simile, quod in ore animantium ponebatur [5]: quid autem obest, quo minus in asini ore camus poneretur; quandoquidem tunc temporis, ea in regione nobilissimus quisque asinis obequitabat [6]; & nunc quoque passim in Arabia, Syria, & Ægypto his jumentis ad equitandum utuntur? Non est, quod tibi fingas animantia, tarda, sordida, parva, incomposita, quales sunt nostrates asini; ibi locorum longe speciosiora sunt, atque magis celeritate præstantia. Vide Prov. 13. 13. & Eccli. 35. 25.

℣. 4. NE RESPONDEAS STULTO JUXTA STULTITIAM SUAM (5.) RESPONDE STULTO JUXTA STULTITIAM SUAM &c.] Ne te committas stulto, neque animum advertas ad eas omnes ineptias, quas evomet in te; neglige illius voces, quas effutit, eumque sibimet, veluti insanientem derelinque. Si enim illi respondere volueris, periculum erit, ne tu quoque stultus habearis. Hoc tamen præceptum suas patitur exceptiones: quidam adsunt casus, in quibus officium, atque sapientia efflagitant, ut insipienti respondeas; tunc nempe cum spes est, sin minus illius dementiam curandi, saltem ejus jactantiam, ac vanitatem imminuendi; velut cum ex silentio suo ansam caperet in maledictis suis persistendi; vel cum aliis, qui non, ut tu, illius insaniam agnoscerent, scandalum ingerere possent improba ejus dicteria. Tunc illum, ut par est, corripe; ac nisi rationem intellexerit, arma cape, quæ tibi Sapientia suppeditat (℣. 3. *Virga in dorso imprudentium*.) Aliter: Ne verbum quidem insipienti respondeas, vel si responderis illi, id age, ut intelligat, quis ille sit, neque gloriam ex ea, quam non habet, sapientia aucupetur. Cognoscat ille stultitiam suam; vel si eam cognoscere nequit, severitate in illum utere, vel eum omnino contemne. Hoc pacto hi duo loci, qui penitus videntur oppositi, conciliantur [7]: *Utrumque pro temporum, & personarum diversitate concordat; dum est stultus contemnitur, quia non recipit sapientiam, & stulta superbia alia decutitur stultitia, juxta quod Apostolus dicit* [8]: *Factus sum insipiens, vos me coegistis*. Videri potest S. Cyprianus in epistola ad Demetrianum. Pythagoræi quasdam habebant sententias istis persimiles, quæ nempe sibi adversari videbantur, sed quæ revera absurdum nihil continebant. Exempli causa [9]; *magna via incedendum est, at sequi non decet magnam viam*. Nefas est populum, atque multitudinem in malum sequi; at nefas quoque a populo recedere singulari sentiendi vivendique ratione, quæ a cæterorum hominum consuetudine distet. Salomon similiter superius c. 13. 4. inquit: *Vult, & non vult piger*.

℣. 6. CLAUDUS PEDIBUS, & INIQUITATEM BIBENS, QUI MITTIT VERBA PER NUNTIUM STULTUM.] Insipientis opera uti, qui legationes obeat, & mandata facessat, idem est, ac se se sponte objicere periculo bibendæ iniquitatis, ac se se rubore suffundendi cum fortuna absit incœpto; hoc idem est ac claudicare velle, cum rectus incedas. Vel potius, idem est atque ligneo crure ambulare, cum sano uti queas. Nisi ex multis servum eligere possis, neque præ manibus aliquem habeas, qui tua curet negotia, adnitendum est, ut tu met ad illa incumbas. Septuaginta optime hunc locum reddunt [10]: *Qui mittit legatum fatuum, ut aliquid faciat, se se rubore suffundit ob rem hanc*. Mercerius ita Hebraicum textum vertit: *Non secus ac ille, qui præcidit pedes nuntio, quem mittit, bibit iniquitatem: ita qui mittit aliquid per manus stulti*. Idem penitus esset legato, qui mittitur, pedes præcidere, ac insipientem legare; vel idem esset ac nihil omnino mittere. Omnia perperam faciet; ac tibi pudorem incutiet.

℣. 7. QUOMODO PULCHRAS FRUSTRA HABET CLAUDUS HOMO TIBIAS: SIC INDECENS EST IN ORE STULTORUM PARABOLA.] Licet omnes nervos intendat claudus, ut rectus incedat, numquam voti compos fiet; habeat equidem speciosissima crura, si hæc inter se fuerint inæqualia, inæquales semper gressus extendet. Ita velis remisque adnitatur insipiens, ut bene loquatur, ineptias tantum effutiet. Ego vero connectere vellem versiculos 6. & 7. juxta Hebraicum textum [11]: *Qui aliquid stulto committit, est homo præcisis cruribus, ac potator iniquitatis. ℣. 7. Claudorum femora nimis infirma sunt, gravesque sermones nullam vim habent in ore fatui*. Pedibus omnino careat, & iniquitatem velut aquam deglutiat opus est vir, qui fatuum aliquo mittit,

1 Plures legunt, *ad alta transvolans*. Ita Sixt. V. & Complut. &c.
2 כצפור לנוד כדרור לעוף כן קללת חנם לא תבא
3 *Ὥσπερ ὄρνεα πέταται καὶ στρουθοί, οὕτως ἀρὰ ματαία οὐκ ἐπελεύσεται οὐδενί.*
4 Ita 70. *Ὥσπερ μάστιξ ἵππῳ, καὶ κέντρον ὄνῳ.* Et Syr. Arab. Rab. Salom. Kimchi, & R. Aquinas. Vide Boch. de Anim. sacr. par. 1. lib. 2. cap. 18. 5 Vide 4. Reg. 19. 28. מתגי בשפתיך והשיבתיך Ita & Isai 37. 29.
6 Vide Judic. 5. 10. 10. 4. 12. 14. &c. 7 Hieron. in Ezech. lib. 1.
8 2. Cor. 12. 9 *Λεωφόρῳ βαδίζειν; & Λεωφόροις μὴ βαδίζειν.*
10 *Ἐκ τῶν ἑαυτοῦ ὁδῶν ὄνειδος ποιεῖται ὁ ἀποστείλας διὰ ἀγγέλου ἄφρονος λόγον.*
11 (℣. 6.) מקצה רגלים חמס שתה שלח דברים ביד כסיל (℣. 7.) דליו שקים מפסח ומשל בפי כסילים

mittit, ac illi sua negotia commendat. Si pedes haber, A cur non ipse eo pergit? sin autem veretur infelicem eventum, ac errorem vitare vult in negotiorum suorum cura, cur ea insipienti committit? Nam sicuti claudus tibiis suis insistere nequit, nimis enim exiles sunt, ac infirmæ (hæc est Hebræi significatio:) ita insipiens neque serium aliquid procurare, neque juste loqui potest.

℣. 8. SICUT QUI MITTIT LAPIDEM IN ACERVUM MERCURII: ITA QUI TRIBUIT INSIPIENTI HONOREM.] Honoribus dementem afficere, adeo inutile, atque indecens est, ac jacere lapidem in terminum, vel in dimidiatum Mercurii simulacrum, quod olim in biviis construebatur. Mercurius erat viatorum Deus, itineribus habitus præses, ea suppositione, cujus causam non ita facile divinando reperceris; viatores autem B ad hujus simulacri basim lapidem jaciebant, eodem ferme pacto, ac inter nos quidam in his regionibus ad crucis pedes lapidem mittunt, veluti eam veneraturi, ac ibi aliquam obsequii sui notam depositurí.

Hæ Mercurii statuæ, & lapidum acervi Deo viatorum dicati, apud Ethnicos sunt vetustissimi: nec desunt, qui putent, consuetudinem hanc in Homero quoque Odyss. Π deprehendere; qui de excelso quodam loco loquitur, cui nomen *Mercurii*, supra Ithacam posito. Græci Authores recentiores distinctius loquuntur [1]; & Vincentius Bellovacensis [2] narrat, Indis morem fuisse quasdam supplicationum species habendi circum has Deorum suorum imagines, ibique nudos, & capite abraso prodeundi, angulos basis simulacrorum deosculandi, atque lapides illuc in acer- C vum mittendi, in suæ venerationis argumentum. Ritus hic duobus anni temporibus celebrabatur, cum scilicet Sol primum, vel Arietis, vel Libræ gradum percutteret. Superstitiosus hic cultus ab Indis ad Arabes migravit, & Mahumettes hunc jam Mochuræ institutum in Veneris honorem invenit, neque illum abolere operæ pretium duxit, licet cæteras omnes idololatriæ notas penitus everterit. Rabbini [3] veterem hanc agnovere consuetudinem, ac docent superstitiosum cultum imaginum in Mercurii in majoribus viis, vel *Mercolis*, ut ipsi ajunt, fuisse lapidem mittendi in cumulum ad statuæ pedes. Ipsi autem vulgo locum hunc in eodem explicant sensu, ac S. Hieronymus, qui ab ipsis planе hanc didicerat explicationem, quæ plurimorum suffragiis probatur; sed quæ, si intus, & in cute in- D spiciatur, non modicis difficultatibus caret: Nam 1. Hebræus textus nihil ait de Deo Mercurio: 2. nullatenus liquet, cultum ejus, ac præcipue morem lapidum acervos in illius honorem congerendi in Judæa Salomonis ævo obtinuisse: 3. Non Septuaginta, non alii Interpretes Græci, non Chaldæus, non Syrus, non Arabs explicationem hanc agnovere: 4. Rabbinorum non una est hac in re sententia, sed plures ab ea longe recedunt: 5. denique Patribus potius Septuaginta interpretatio arridet, præ illa, quam proposuimus. Adnitendum est igitur, ut alium huic loco sensum inveniamus.

Septuaginta [4]: *Qui dat gloriam stulto, similis est liganti lapidem fundæ*; lapis de funda elapsus aliquem ictu feriet. Vecors sua auctoritate abutetur, ac provinciam E suam dedecorabit: veluti fatuus, cui si fundam lapide armatam dederis, vel quem primum obvium invenerit, vel se ipsum percutiet [5]. Aliter: Honores stulto conferre idem est ac lapidem fundæ ligare: lapis ita ligatus, atque fundæ inhærens emitti non poterit, cum funditori libitum fuerit [6]: Ita quoque frustra honores in insipientem congesseris, non enim illis poterit uti. Chaldæus: Qui stulto gloriam tribuit, similis est metalli frustum, aut virgulam, fundæ imponenti. Utrumque male sedet. Hæc vertendi ratio, qua Hebraica vox *margemah funda* vertitur, plurimis Interpretibus placet [7]: at vereor, ne hæc propria sit vocis hujus significatio. Hebræus non alibi hoc nomine utitur ad fundam significandam.

Alii vertunt: *ligare lapidem in frusto purpuræ* dementis est; *ita honores insipienti deferre*. Quis ex via lapidem colligeret, ut eum purpurea veste involveret? hoc sane idem esset, ac summa cum animi hilaritate pretiosissimum pannum corrumpere; ita neque honores insipienti sunt deferendi; eorum ille meritum minime novit, eos turpissime dehonostaret. Reddi quoque potest: *Qui tribuit honores stulto, idem facit, ac si pretiosum lapidem in acervum saxorum projiceret*; ille equidem collocari nequit in loco, qui illum magis dedeceat. Explicationes hæ merito suo non carent, & singulæ suos jactant patronos; ego tamen cæteris hanc præferrem [8]: *Non secus ac lapillus in lapidum acervum conjectus*, non videtur, neque molem auget; *ita honor, qui stulto defertur*; eum nec magis gloriosum, nec magis spectabilem reddit: & honores, quibus afficitur, nihil illius meritum augent. Hebraicam vocem *margemah* de lapidum acervo intelligimus illis simillimo, qui congerebantur super corpus illius, qui lapidibus fuerat peritus, & qui sub pœnæ suæ saxis in cumulum coacervatis tumulabatur. Similes acervi congesti fuere super Achan Josue 7. 26. & mox super Regem Hai Josue 8. 29. ac multo post super Absalonem 2. Reg. 18. 17. nec dissimilis fuit ille, de quo Virgilius.

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus.

Certo certius est, & Hebraicam vocem *Margemah* fluere a *ragam*, quæ lapidibus obruere significat [9], & ingentes lapidum cumulos coacervari consuevisse super illos, qui hoc supplicio afficiebantur. Compertum quoque est, *Zeror* significare lapillum, arenulam [10]. Hoc pacto totus hic versiculus satis naturaliter explicatur, quin ad violentas verborum authographi explicationes sit confugiendum.

℣. 9. QUOMODO SI SPINA NASCATUR IN MANU TEMULENTI: SIC PARABOLA IN ORE STULTORUM.] Ebrius spinam de manu sua conatus avellere, magis illam infiget, quoniam oculorum acie, ac manus vi uti nequit: ita insipiens gravibus sapientum sermonibus uti volens, omnia perperam effutiet, ita ut maximo rubore suffundatur. Hebræus habet [11]: *Velut spina, quæ ascendit in manu temulenti; sic parabola in manu stulti*. Si quis vino madidus spinas attrectare ausus fuerit, se met spinis confodiet, ac illæ, in manu ipsius configentur: ita insipiens, qui sublimiter loqui cupit, magis, magisque insipientiam, atque inscitiam ostendet. Quin alios erudiat, ædificetque, destruet, ac efficiet, ut veritas ipsa contemnatur. Septuaginta [12]: *Spinæ in ebrii manu nascuntur, & servitus in manu stultorum*.

℣. 10. JUDICIUM DETERMINAT CAUSAS &c.] Judex auctoritate sua, ac sententia lata omnes dirimit lites; sed qui stulto silentium novit imponere, lites omnes prævertit, ac tollit: quodammodo plus obtinet,

1 Nicander Ἑρμαῖς. Scholiastes Nicandri,

Λίθοις σεσωρευμένοις εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ.

Et Anyta in Epigram.

Ἑρμῆ ἑρμαίῳ με παρερχόμενοι ἔχουσιν

Ἄνθρωποι λίθινον σωρὸν . . . . .

Vide & Hesychium.

2 Vincent. Bellovac. Specul. historiale lib. 24. Vide apud Joseph. Scalig. lib. 5. de emendat. Temporum.

3 Vide Eliam in Thesbi. Rab. Salom. Rab. Ismael in Gemar. Rab. Nathan Sepher Amana, Lexicon Hebraici Juris. Vide & Drus. lib. 3. q. 66. Cornel. a Lapide, hic. 4 Ὃς ἀποδεσμεύει λίθον ἐν σφενδόνῃ, ὅμοιός ἐστι τῷ διδόντι ἄφρονι δόξαν. 5 Ambros. in. Psal. 104. 6 Vide Bayn. Mercer. Munst.

7 Chald. Syr. Arab. Drus. Bayn. Munst. Tig. Cast. &c. 8 Vide Ludovic. de Dieu, hic.

9 Vide Levit. 20. 2. 27. & 24. 14. 16. 23. & passim. 10 Amos 9. 9. 11 חוח עלה ביד שכר ומשל בפי כסילים

12 Ἄκανθαι φύονται ἐν χειρὶ τοῦ μεθύσου, δουλεία δὲ ἐν χειρὶ τῶν ἀφρόνων.

net, quam Judex ipse. Sensus hic & perspicuus est, & facilis. Sed Hebræus, aliæque versiones longe differunt. En Hebræum [1]: *Potens*, nobilis vir, Princeps, *omnes affligit; remuneratur stultum, atque remuneratur transgressores*. Hoc de Deo potest explicari, qui potentia sua humiliat, affligit, punit omnes homines, ac stultis, & impiis remunerationem, vel potius criminum suorum pœnam impertit. Alii id ita intelligunt: Summum est nefas stultis, ac impiis præmia conferre: Vel: Omnes dolore afficiuntur intuiti stultos, atque alienigenas, *prætereuntes* honoribus cumulatos. Aliter: Qui remuneratur stultos, & impios, æque sibi odium conflat, ac Princeps opprimens subditos. Mirum fortasse videbitur unicum textum tot in facies mutari, quæ nullam inter se ferme similitudinem habent. Facillimum esset versiones, & explicationes multiplicare; sed hæc satis sint, ut hinc de cæteris judicium fiat.

Septuaginta [2]: *caro stultorum valde agitatur procellis*, vel, *multum patitur*, cum sævit tempestas; *& eorum dementia destruitur*, consummatur. Impii justam flagitiorum, ac nequitiæ suæ pœnam ferunt. Chaldæus: *caro stulti multa patitur; & ebrius transit mare*. Stultus, licet omnes exerat nisus, plurimis semper obnoxius est calamitatibus; de sana mente dejectum esse illum oportet, qui sine ulla necessitate navigandi pericula subeat. Qui Hebraicam linguam norunt, statim intelligunt, diversos hos Interpretes diversimode textum legisse. Ego vero ita reddere mallem nonnihil in textu immutando [3]: *Princeps reprimit omnia*, omnes suæ ditioni subjectos in officio coercet: *sed qui conterit insipientem*, ejusque impotentiam retundit, *conterit furores*, ac plurima impedit jurgia. Salomon isthic Principi Regnum suum absoluta auctoritate regenti illum confert, qui stulto os novit obstruere. Difficilius crebro est unum hominem in silentio cohibere, quam Regnum integrum continere in officio.

℣. 11. SICUT CANIS, QUI REVERTITUR AD VOMITUM &c.] Ex omnibus, quæ noverimus animantia, unus canis iterum ea, quæ evomuerat, mandit. Hoc illorum est symbolum, qui cum pravos habitus exuerint, & scelera sua expiaverint, ad ea revertuntur, atque in pejorem priore statum decidunt. S. Petrus Apostolus in 2. ep. c. 2. 22. hanc Salomonis similitudinem mutuatus est, ac ad eos transtulit, qui cum e mundi corruptione emerserint, iterum se se in eadem immergunt, atque illuc, unde abierant, revertuntur. Patres sæpius hac eadem ratione usi sunt, ut peccatores a sceleribus averterent, quæ semel jam per abstinentiam expiassent, & a quibus mundati sunt lustralibus aquis, vel baptismatis, vel lacrymarum suarum. Septuaginta post hunc ℣. legunt sententiam hanc, quæ nonnumquam apud Patres invenitur [4]: *Est confusio deducens ad peccatum, & est confusio, quæ invenire facit gratiam, & cumulat gloria*. Pudere nos decet scelerum, & factorum nequam; at pudere nequaquam decet crimina sua confitentes. Falsa verecundia mortem infert, quoniam respuit medelam, quæ morbum illius curare posset, nec vult ulcera sua medico detegere.

℣. 12. VIDISTI HOMINEM SAPIENTEM SIBI VIDERI? &c.] Facilius est curare stultum, quam superbum. Prior quidem tantum habere judicii potest, quantum satis sit, ut se disciplina indigere cognoscat; at posterior se omnia scire ratus, succensebit etiam illi, qui ipsum erudire conabitur. Salvator noster majores procul dubio invenit obices, ut Pharisæos alioquin eruditos, doctosque viros, quam ut Publicanos, Samaritanos, ac nequissimos peccatores converteret. *Non sitis vobis ipsis sapientes*, ajebat S. Paulus ad Romanos 12. 25. & Isajas 5. 21. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*. Et Dominus hæc minitatur [5]: *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo*. Quintilianus lib. 1. *Nihil pejus est iis, qui paulum ultra primas litteras progressi, falsam scientiæ persuasionem induerunt; nam & credere præcipiendi peritis dedignantur, & velut jure quodam potestatis, quo fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi, atque interim sævientes, stultitiam suam perdocent*.

Hebræus [6] alium potest sensum admittere. *Vidisti hominem sapientem in oculis suis? stultus in se ipso confidis*. Homo hic, qui suam jactat sapientiam, nullius egere putat. Vel: *Vidisti hominem sapientem in oculis suis? stultus majorem habebit spem, quam ille*. Superbus, & absque scientia potiori jure spes suas alit, quam hic semidoctus; ille felicius votorum suorum summam consequetur, facilius se se ad frugem recipiet &c. Confer Cap. 29: ℣. 20.

℣. 13. DICIT PIGER: LEO EST IN VIA.] Vide supra Prov. 22. 13.

℣. 14. SICUT OSTIUM IN CARDINE SUO; ITA PIGER IN LECTULO SUO.] Non secus ac ostium non egreditur e cardine suo, licet jugiter super eodem innixum vertatur; ita piger jacet in lectulo suo, veluti in suo centro; in eodem se se vertit, convertitque, quin illinc emergat; & veluti ostium non oblitum adipe, ac male suspensum, cum vertitur, stridet; ita piger non nisi ægre, & submurmurans movetur. Denique sicuti ostium aperitur, & clauditur, quin in eodem statu persistat; ita piger numquam sibi constat. Vult, & non vult; partim divitiarum, & voluptatis amore rapitur, partim quietis amore retinetur. Avaritia illum suadet, ut surgat, labori vacet, opes colligat; pigritia vero respondet: Mane, quiesce, periculum, ac solicitudinem fuge [7].

℣. 15. ABSCONDIT PIGER MANUM SUB ASCELLA.] Vide verba eadem supra 19. 24.

℣. 16. SAPIENTIOR SIBI PIGER VIDETUR SEPTEM VIRIS LOQUENTIBUS SENTENTIAS.] Septenarius numerus pro plurimis ponitur [8], & *loquentes sententias* pro sapientibus; namque olim communis sapientum sermo erant parabolæ, proverbia, sententiæ, sententiisque referti sermones, uti in Præfatione docuimus. Hebr. [9]: *Piger in oculis suis sapientior est septem viris loquentibus cum judicio*, septem scilicet consiliatiis, septem Philosophis. Credit, quietem, qua fruitur, longe excellere omnem scientiam, atque doctrinam, quæ non nisi per studium, laboremque comparatur. Vel: putat, Sapientum, doctorumque virorum laborem, quorum mens dumtaxat studiis vacat, nihil esse, collatum iis, quæ ipse facit, & quæ tanto cum laboris impendio operatur. Septuaginta [10]: *Piger se putat sapientiorem illo, qui reddit responsum in abundantia*; Erudito scilicet Juris consulto, exempli gratia, quem omnes undique consulunt, & qui in rerum omnium copia versatur.

℣. 17. SICUT QUI APPREHENDIT AURIBUS CANEM &c.] & temere semet in periculum adducit, ut mordeatur ab illo. Per imprudentiam suam in discrimen vocatur, ut ipse lædatur, & neutri parti gratiosus, utrique sit invisus. Hoc quotidie in publicis contentionibus deprehenditur; qui se se commiscere volunt, dissidentes partes conciliaturi, quin leniant, irritant potius, atque acerbius exasperant animos, & sæpe utriusque sibi indignationem acquirunt. Non hinc tamen arguendum est, nemini esse adnitendum, ut eos, qui mutuis certant odiis, conjungant; sed hoc summa cum

---

1 רב מחולל כל ושכר כסיל ושכר עברים 2 Πολλὰ χειμάζεται πᾶσα σὰρξ ἀφρόνων, συντρίβεται γὰρ ἡ ἔκστασις αὐτῶν. Symm. . . . . Καὶ ὁ φιμώσας ἄφρονα ἐφίμωσεν ὀργὰς αὐτοῦ. *Qui reprimit stultum, reprimit iram ejus*. Theod. Ὁ φιμῶν ἄφρονα φιμοῖ χόλας. *Qui franat stultum, frænat iram*. 3 Legendo שבר, *Schober*, pro *Schocher*.

4 Vide Ambros. in Psal. 43. Eadem sententia legitur Eccli. 4. 25. unde huc transiit.

5 1. Cor. 1. 19. 6 ראית איש חכם בעיניו תקוה לכסיל ממנו

7 August. serm. olim 22. de Verbis Apostoli. nunc 164. nov. Edit. n. 4 p. 792.

8 Prov. 24. 16. Ruth. 4. 12. Isai. 4. 1. Jerem. 15. 9. 9 חכם עצל בעיניו משבעה משיבי טעם

10 Σοφώτερος ὀκνηρὸς ἑαυτοῦ φαίνεται, τοῦ ἐν πλησμονῇ ἀποκομίζοντος ἀγγελίαν.

cum sapientia, charitate, & æquitate esse faciendum, ne malum extinguere cupiens, oleum camino addas. Alii hoc ita explicant. Qui apprehendit auribus canem, eumque adversus prætereuntes irritat, ille est, qui se se iis commiscet contentionibus, quæ nihil ad ipsum pertinent. Vel: Qui se se alienis commiscere gaudet jurgiis, est similis viro, canem auribus tenenti: te se canis excutiet, effugietque; ita cum credideris, pacem inter dissidentes constituisse, oleum, operamque te perdidisse cognosces. Hoc in sensu Proverbium hoc persimile est illi Latinorum: *Lupum auribus tenere*. Hebraicus textus ita reddi potest [1]: *Velut ille, qui auribus apprehendit canem prætereuntem, ita ille, qui se se illi immiscet contentioni, quæ nihil ad ipsum*. Vel: *Qui irritatur*, qui exardescit *in contentione, quæ ipsius nihili interest*, similis est in via canem auribus apprehendenti. Septuaginta [2]: *Qui præsidet judicio alterius, est veluti canem cauda tenens*.

℣. 18. SICUT NOXIUS EST, QUI MITTIT SAGITTAS.... (19.) ITA VIR, QUI FRAUDULENTUS NOCET AMICO SUO.] Licet dicat, se id per jocum duntaxat fecisse. Sicuti homicida ad necem rapitur, qui hominem occidit, temere sagittam, vel telum in auras emittens; quamvis de industria, atque ex animi sententia eam cædem minime intulerit: ita non satis est dicere, cum amico jocari voluisse, postquam ad illum perdendum dolus omnis, & calliditas insumpta est. Moysis Lex constituerat urbes refugii pro illis, qui præter voluntatem cædem patrassent [3]: illuc confugere poterant interfectores, ac nemini integrum erat eos ibi persequi; sed illic asyli jure gaudebant tuti a quovis conatu consanguineorum interempti, qui necem illius adniterentur ulcisci. Verum si interfector capiebatur, antequam in has refugii civitates se se reciperet, ultor sanguinis fratris sui eum occidebat, quin Leges, vel Judices cognoscerent. Hoc autem feroci Judæorum ingenio tribuebatur. Hæc est Salomonis hoc in loco sententia: Involuntarius interemptor ad necem abripitur, quin ulla quæstio habeatur, si extra civitates refugii fuerit inventus; licet asserat, se præter intentionem hominem occidisse: tu vero te impunem abire arbitraberis, cum fratrem tuum per dolum, atque nequissimam improbitatem oppresseris, dicens: ludens feci? Hebræus [4]: *non secus ac homo, qui imitatur insipientem*, furentem, *spargit scintillas*, flammas, vel titiones accensos, vel etiam tela succensa, *sagittas, & mortem*; (19.) *Ita, qui decipit amicum suum, & dicit: Non ne ludens feci?* Ficti amici, qui per fraudem, ac dolum fallere proximum quærunt, æque timendi sunt, ac furens igne, ac ferro armatus. Chaldæus: *Non secus ac ille, qui inclinat se se, & acuit, lethalesque sagittas ejaculatur, ita, qui amicum suum in fraudem impellit, & ait: Jocabar*.

℣. 20. CUM DEFECERINT LIGNA, EXTINGUETUR IGNIS, & SUSURRONE DETRACTO, JURGIA CONQUIESCENT.] Septuaginta [5] oppositum omnino legunt: *Ubi multa fuerint ligna, nitescet ignis; & ubi non sunt homines dolosi, ibi nec jurgia*. Hebræus Vulgatæ est conformis, at sequens versiculus est huic lectioni persimilis.

℣. 22. VERBA SUSURRONIS &c.] Hæc eadem sententia est *Prov.* 18. 8.

℣. 23. QUOMODO SI ARGENTO SORDIDO ORNARE VELIS VAS FICTILE &c.] Cor improbum est veluti *vas fictile*, ac tumentia verba sunt tamquam sordidum illud argentum, quibus vas huc est exornandum; hæc omnia simul commixta pessimum opus component. Ita licet sedulo adnitatur superbus, & impius, ut alienam personam induant, seque speciosissimis obtegat integumentis, semper erit pessimum vas, perperam exornatum, ac male tectum. Qui eum propius examinaverint, eum pro meritis aspernabuntur. Hebr. [6] *Scoria Argenti, quæ obtegit fictitium vas*, est tamquam *labia comburentia, & cor pravum*. Qui te persequitur, ac nomen tuum pravis sermonibus proscindit, ac in corde suo alit adversus te inimicitias, est veluti testaceum vas argentea fæce exornatum: dignum sane, ut ajunt, patella operculum. Veteres [7] fictilia vasa argentea fæce obducebant, non enim noverant adhuc artem illam, qua hudierni figuli testas sandaracha inducunt: Communia vero vasa, ubi liquores asservabantur, pice obliniebant, uti ex sexcentis Græcorum, Latinorumque scriptorum lucis innotescit. Ad hanc isthic Salomon alludit consuetudinem. Fictile vas argento inductum aliquu sane esset in pretio; sed illud, quod argenti scoria obtectum est, atque pravo indutum metallo, nihili æstimatur. Talis est impius, apertus hostis, cor pessimum. Septuaginta [8]: *Considerari debet velut fictitium vas, argentum, quod offertur cum fraude; labia dulcia*, & illecebris affluentia, *celans cor afflictum*.

℣. 24. LABIIS SUIS INTELLIGITUR INIMICUS.] Quantumvis adlaboret, ut improba tegat consilia, ea semper aliqua ex parte detegit; induendus tantum est sermo de illo, quem odit, ut illius sensum pervadas. Vel: Sæpius loquimur de iis, quæ vel diligimus, vel odimus vehementer. Si nosse cupis, an aliquis sibi sit inimicus, sermones ejus attende; prodet quidem statim lingua illius odium, quo te persequitur, & quod in corde illius delitescit. Hebræus ita reddi potest [9]. *Quæris inimicus odium simulare; sed in corde meditatur dolum*. Ad litteram: *posuit fraudem intra se ipsum*. Septuaginta [10]: *Inimicus, qui plorantem simulat, motu labiorum suorum omnis generis figuras edit*; vel dissimulat sententiam suam verbis, *dum interim in penitiori corde fraudem meditatur*.

℣. 25. SEPTEM NEQUITIÆ.] Septem pro pluribus usurpatur. Vide supra cap. 24. ℣. 16.

℣. 26. QUI OPERIT ODIUM FRAUDULENTER &c.] Hoc illis quadrat, qui privatim servant amicitias, ac extrinseca pacis edunt indicia; publice vero, atque in populi conventu se inimicos profitentur, quod quidem nequissimæ est animæ, ac pessimi cordis. Dum inter te, ac ipsum solum, vel communium amicorum interventu omnibus contentionibus vestris finem posse tis imponere, sensus suos dissimulat, eosque aperire expectat, atque summodium promere, cum in publico cœtu fuerit; & tunc irreconciliabiles fiunt inimicitiæ. Septuaginta [11]: *Qui celat odium suum, fraude vult uti; & qui celat crimina sua, facile in cætu se se colligit*. Vel: *qui se se facile colligit, facile celat peccata sua in cœtu*. Symmachus [12]: *qui celat odium suum muneribus corruptus, deteget nequitiam suam in cœtu*. Hebræus ad litteram [13]: *Obteget odium suum secreto*, vel ut fallat, vel ut noceat, *nequitia illius detegatur in cœtu*. Versiculus hic præcedenti est subnectendus. ℣. 25. *Cum inimicus tuus gratiosa voce tecum loquetur*, vel *cum a te gratiam precabitur, ne te illi commiseris, habet enim septem nequitias in corde* (℣. 26.) *Celabit odium suum in desolatione*, in calamitate, infortunio, quo forte obrutus erit; *sed in cœtu deteget nequitiam suam*,

---

1 מחזיק באזני כלב עבר מתעבר על ריב לא לו 2 Ὥσπερ ὁ κρατῶν κέρκου κυνός, οὕτως ὁ προεστὼς ἀλλοτρίας κρίσεως. 3 Num. 35. 22. . . . . 27. Deut. 19. 4. &c.

4 כמתלהלה הירה זקים חצים ומות (19.) כן איש רמה את רעהו ואמר הלא משחק אני Aquil. Κακοήθιζόμενοι. *Male morati*. Sym. Πειρώμενοι, *Qui jaculantur ut se exerceant*. 70. Ὥσπερ οἱ ἰώμενοι. Medici. Hebr. כמתלהלה

5 Ἐν πολλοῖς ξύλοις θάλλει πῦρ· ὅπου δὲ οὐκ ἔστι δίθυμος, ἡσυχάζει μάχη. Sym. Μὴ ὄντων ξύλων ἀποσβεσθήσεται πῦρ. Uti Hebr. & Vulgata. 6 כסף סיגים מצפה על חרש שפתים דלקים ולב רע

7 Casaubon. in Athenæum, lib. 1. cap. 6. 8 Ἀργύριον διδόμενον μετὰ δόλου, ὥσπερ ὄστρακον ἡγητέον. Χείλη λεῖα καρδίαν καλύπτει λυπηράν. Aqu. Th. Χείλη καιόμενα. Sym. φλεγόμενα.

9 בשפתיו ינכר שונא ובקרבו ישית מרמה Vide Vatab. hic. 10 Χείλεσι πάντα ἐπινεύει κλαίων ἐχθρός, ἐν δὲ τῇ καρδίᾳ τεκταίνεται δόλους. 11 70. Ὁ κρύπτων ἔχθραν, συνίστησι δόλον, ἐκκαλύπτει δὲ τὰς ἑαυτοῦ ἁμαρτίας εὔγνωστος ἐν συνεδρίοις. 12 Sym. Καλύπτει μῖσος διὰ λήμματα, ἀποκαλυφθήσεται κακία αὐτοῦ ἐν ἐκκλησίᾳ. 13 תכסה שנאה במשאון תגלה רעתו בקהל

suam, & improbissima sui cordis consilia. Ne te credideris inimico submisso, qui propter rei familiaris jacturam tecum demissius agere cogitur. Odium illius magis semper augescit; cumque se illi obtulerit occasio, neque te veritus fuerit amplius, vel tua ope non amplius indiguerit, tunc illius furor erumpet.

℣. 27. QUI FODIT FOVEAM, INCIDET IN EAM.] Impius laqueis suis capietur: *Malum consilium consultori pessimum*, ajebant Romani [1]. Vide similes loquendi modos Psalm. 7. 16. Eccle. 10. 8.

A ℣. 28. LINGUA FALLAX NON AMAT VERITATEM: & OS LUBRICUM OPERATUR RUINAS.] Ne credas assentatoribus, ac dolosis. Hebr. [2] *Lingua fallax eos odit, quos oppressit, & os adulantis eos ejicit ab adspectu suo*. Hoc passim contingit: Odimus eos, de quibus per quam male meriti sumus, neque illorum intuitum sustinemus: *Proprium humani ingenii est, odisse, quem laeseris*, ait Tacitus; & odium eo acerbius, atque vehementius est, quo major, atque iniquior illata fuit contumelia.

1 Varro de Re Rustic. lib. 3. cap. 22.
2 לשין שקר ישנא דכיו ופה חלק יעשה מדחה

C A P U T XXVII.

Dies crastinus, incertus. Ne te laudes. Ira stulti. Amici correctio. Bona consilia. Bonus accola. Ne pro alio spondeas. Importunae laudes. Contentiosa mulier. Insatiabilis cupiditas. Stultus incorrigibilis. Oeconomiae, & armentorum cura.

1. NE glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies. 2 Lau-
det te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. 3 Gra-
ve est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti utroque gravior. 4 Ira
non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis
poterit? 5 Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. 6 Meliora
sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. 7 Anima saturata calca-
bit favum: & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. 8 Sicut avis transmi-
grans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum. 9 Unguento, & variis
odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis anima dulcoratur. 10 Amicum
tuum, & amicum patris tui ne dimiseris: & domum fratris tui ne ingrediaris in
die afflictionis tuae. Melior est vicinus juxta, quam frater procul. 11 Stude sa-
pientiae, fili mi, & laetifica cor meum, ut possis exprobranti respondere sermo-
nem. 12 Astutus videns malum, absconditus est: parvuli transeuntes sustinuerunt
dispendia. 13 Tolle vestimentum ejus, qui spopondit pro extraneo: & pro alie-
nis, aufer ei pignus. 14 Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte con-
surgens maledicenti similis erit. 15 Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa
mulier comparantur: 16 Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum
dexterae suae vocabit. 17 Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici
sui. 18 Qui servat ficum, comedet fructus ejus: & qui custos est domini sui,
glorificabitur. 19 Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic cor-
da hominum manifesta sunt prudentibus; 20 Infernus, & perditio numquam im-
plentur: similiter & oculi hominum insatiabiles. 21 Quomodo probatur in confla-
torio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis. Cor ini-
qui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam. 22 Si contuderis stultum
in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus. 23
Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera: 24 Non enim ha-
bebis jugiter potestatem: sed corona tribuetur in generationem, & generationem.
25 Aperta sunt prata, & apparuerunt herbae virentes, & collecta sunt foena de
montibus. 26 Agni ad vestimentum tuum: & haedi ad agri pretium. 27 Suffi-
ciat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuae, & ad victum
ancillis tuis.

℣. 1. NE GLORIERIS IN CRASTINUM.] Ne tibi blandiaris, atque de futuro tempore aliquid promittas; saltem, ne certum putes, quod futurum est. Pulcherrimae rerum species te possunt decipere; & quae tibi melius innixa videtur spes, haec deficere potest. Quis novit,

A utrum crastinam diem intueberis? Horat. Epist.

Quis scit, an adjiciant hodiernae crastina summae
Tempora Dii superi?

In praesens cogita, ac ita vive, ut crastinam diem nec optes, nec timeas. *Qui nullum non tempus in usus suos confert, qui omnes dies tamquam vitam ordinat, nec optat cra-*

crastinum, nec timet. Seneca de Brevit. vitæ.

ỳ. 2. LAUDET TE ALIENUS, & NON OS TUUM.] Nihil magis turpe, ac invisum, quam semet laudibus exornare. Eos ipsos, qui majori tument superbia, atque laudum sunt amantissimi, hujus pudet fœdissimæ infirmitatis: mille quærunt ambages, ut se se laudent; scelera sua cognoscere profitentur, ut sibi ad laudes suas contexendas aditum muniant; & laudum amor sexcentas eos edocet artes, ut ambitionem dissimulent, & contemptum effugiant, qui non abest ab illis, qui sui met aperti laudatores existunt. Generis humani Salvator ultra quamcumque vanitatis, assentationis, & mendacii suspicionem positus declarat [1], quod si ipse testimonium perhibet de se ipso, testimonium ejus nullum est; sed alium se habere testimonium dicit laudum suarum, Patrem nempe, qui perhibet testimonium de illo. *Si autem merito laudamur*, ait S. Augustinus Ep. 22. nov. Edit. *gratulemur eis, quibus placet verum bonum; non tamen nobis, quia placemus hominibus*.

ỳ. 3. IRA STULTI UTROQUE GRAVIOR.] Stultus furore suo, atque impotentia omnes fatigat. Non est, qui cum iracundo viro vivere possit; nulla cum ipso pax esse potest; ipse, & sibi, & aliis gravis est. Vide Eccli. 22. 17. & ỳ. 4. hujus capitis.

ỳ. 4. IRA NON HABET MISERICORDIAM . . . IMPETUM CONCITATI FERRE QUIS POTERIT?] Versiculus hic eamdem, ac superior continet sententiam. En Hebræum [2]? *Ira est crudelitas, furor, inundatio, & quis audebit coram invidia prodire?* Furor ad sævitiam ducit; nullum est flagitium, nulla violentia, cujus capax non sit: est veluti exundatio, torrens, aquarum lapsus everrens, quidquid suo cursui adversatur; invidia, odium, indignatio est veluti indomitus hostis, quis audebit illi resistere? Septuaginta [3]: *Furor est absque misericordia, ira est vivida, & prompta; sed invidia nihil patitur*. Magis adhuc perniciosa est, quam acerrimi illi, atque adeo impetuosi affectus. Ira equidem, patientia, atque submissione potest eludi; vel officiis, ac existimationis, & benevolentiæ indiciis deliniri. Sed invidia crebescit, atque vires sumit ex consideratione meriti illorum, quos ipsa lacessit; exacerbatur officiis, observantiæ, atque amoris signis irritatur; consurgit, atque tumescit, si quem ipsi cedere, atque se se submittere videt; neque illius explentur vota, nisi eos, quibus invidet, & qui dolorem ipsi inferunt, penitus afflixerit, perdiderit, profligarit.

ỳ. 5. MELIOR EST MANIFESTA CORREPTIO.] Malim virum me liberrime corripientem, quam amicum secreto amantem, quin ulla extrinsecus amoris sui promat indicia. Ex illius correptione aliquam saltem haurit utilitatem, cum occulta, ac secreta amicitia nihilum mihi prosit. Aperto, cognitoque inimico non credo, illum evito; at amico ignoto uti nequeo. Vetus quidam Philosophus ajebat [4], fideles amicos, & ardentes inimicos æque ferme esse utiles. Primi quidem nos admonent, & consilium tribuunt; alii vero nos corripiunt, & castigant. Objurgationes, increpationesque cum gratiarum actione debemus excipere; quæ morborum nostrorum sunt medicinæ [5]: diligimus etiam medicos, qui ingratas nobis potiones tribuunt, & chirurgos, qui nobis dolorem quidem, sed necessarium infligunt. Alii etiam huic versiculo sensus appinguntur, sed qui non longe ab hoc abhorrent. Præstat infectanter, & propalam corripi, quam secreto a falsis, atque deceptoribus amicis damnari. Vel: Amicitia, quæ se se in publicis correctionibus prodit, melior ea est, quæ nostra dissimulat scelera, & affectata cautione ea secreto dumtaxat damnare vult, quin illa corrigat, ac reprehendat. Consequens versiculus præsentis est explicatio.

ỳ. 6. MELIORA SUNT VULNERA DILIGENTIS &c.] Hoc ipsum superiori versiculo explicuimus. Hebr. [6] *Verbera amici sunt fidelia*; vel amicus verberat, quin cesset; pergit erudire, & corripere, quem amat, donec illum meliorem, ac sapientiorem effecerit; & *oscula inimici sunt frequentia*. Inimicus tibi blandiri non cessat; sed omnia amicitiæ officia in eo sunt simulata, atque tuum moliuntur interitum. Illum amicum habeas, qui te jugiter, acriterque reprehendit, quin umquam defatigetur. At ne credas illi, qui te illecebris, fictisque benevolentiæ officiis prosequitur. Septuaginta [7]: *magis credendum est amico vulneranti, quam deosculanti inimico*. Verum amicus numquam amicior, quam cum plectit, & corripit; at fictus amicus tunc etiam te decipiet, cum majoribus amicitiæ tecum certabit officiis. Ita Joab, ut proditorie Amasam trucidaret, illum osculatus est, ejus mentum arripuit, pro eorum temporum consuetudine illum est amplexus, fratrem suum dixit; sed eodem tempore pectus illius pugione confodit 2. Reg. 20. 9. Iudas osculo Salvatorem nostrum prodidit Matth. 26. 48. Verus amicus fretus rectitudine cordis sui quædam negligit urbanitatis officia, ac minuta quædam, ac levia prætermittit, in quibus fictus amicus attentior est, ac diligentior; cum interim manus illius nocere studeat, atque amico interitum paret. *Amoris pignore vulnus infligis, & charitatis officio sanguinem fundis, & pacis instrumento mortem irrogas*, ait S. Ambrosius Judam allocutus l. 10. in Lucam c. 22. n. 63.

ỳ. 8. SICUT AVIS TRANSMIGRANS DE NIDO SUO &c.] Qui relinquit patriam, ac sedem suam, similis est aviculæ nidum suum relinquenti, sexcentis obnoxius est periculis, atque calamitatibus. Judæi patriæ suæ erant amantissimi, atque in alias peregre proficisci regiones oderant: sed in terra sua detinebantur primum religionis causa, quæ in Palæstina dumtaxat perfecte exercebatur; mox etiam idololatriæ periculo, quæ tunc per omnem terrarum orbem grassabatur; ac denique agrorum suorum ubertate, qui præ cæteris terris excellebant. Post nationis clades a Nabuchodonosor, & Salmanassar, ac tandem a Romanis illatas tunc tandem coacti fuerunt hac, illac fusi, palatique in quaslibet terrarum plagas dissipari. Locus hic ad eos refertur, qui vocationis suæ statum relinquunt, atque per inconstantiam suam in Dæmonis insidias decidunt, qui eos fallit, velut auceps, qui aviculas ante tempus e nidis egressas capit. Septuaginta [8]: *Non secus ac avis capitur, cum de nido suo egreditur; ita homo in servitutem redigitur, cum sedem suam deseris*. Vide in Evangelio Lucæ 15. parabolam filii prodigi.

ỳ. 9. UNGUENTO, & VARIIS ODORIBUS DELECTATUR COR &c.] Septuaginta [9]: *Unguenta, vinum, & odores sunt voluptates cordis; sed anima crudeliter funestis casibus affligitur*. Hebræus ad litteram [10]: *Oleum* odoriferum, *& odores*, suffitus, *exhilarant cor*; *& dulcedo amici est consilium animæ*.

ỳ. 10. AMICUM TUUM, & AMICUM PATRIS TUI NE DIMISERIS: & DOMUM FRATRIS TUI NE INGREDIARIS IN DIE AFFLICTIONIS TUÆ.] Ne relinquas amicum

1 Johan. 5. 31. 2 אכזריות חמה ושטף אף ומי יעמוד לפני קנאה
3 70. Ἀνελεήμων θυμὸς, καὶ ὀξεῖα ὀργή. Ἀλλ᾽ οὐδὲν ὑφίσταται ζῆλος. Symmach. Κατακλύζων θυμός. *Ira redit*.
4 Diogenes apud Laert. l. 6.
5 August. Ep. 93. nov. Edit. *Non omnis, qui parcit, amicus est; nec omnis, qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici. Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere*.
6 נאמנים פצעי אוהב ונעתרות נשיקות שונא 7 Ἀξιοπιστότερα τραύματα φίλου, ἢ ἑκούσια φιλήματα ἐχθροῦ. Aquil. Ἱκετικὰ φιλήματα; *Oscula inimici supplicis*. Syr. & Th. Τεταραγμένα. *Oscula turbata*. Hebr. נעתרות Chald. בישן *Perniciosa*. 8 Ὥσπερ ὄρνεον ὅταν καταπετασθῇ ἐκ τῆς ἰδίας νοσσιᾶς, οὕτως ἄνθρωπος δουλοῦται, ὅταν ἀποξενωθῇ ἐκ τῶν ἰδίων τόπων. 9 Μύροις καὶ οἴνοις, καὶ θυμιάμασι τέρπεται καρδία, καταρρήγνυται δὲ ὑπὸ συμπτωμάτων ψυχή. Aquil. Καὶ γλυκύτης ἑταίρου αὐτοῦ ἀπὸ βουλῆς ψυχῆς. *Et amicus solatur amicum suum consilio animæ suæ*.
10 שמן וקטרת ישמח לב ומתק רעהו מעצת נפש

eum tuum, ut consolationem a fratre tuo quæras, hic fortasse minori benevolentia aderit tibi, ac non tanto affectu, ac fervore in afflictionis tuæ partem accedet, præsertim si ille sincerus, probatusque fuerit amicus. *Amicum tuum, & amicum patris tui*, veterem scilicet amicum, & diuturno necessitudinis vinculo tuæ familiæ devinctum; probatum non ætate tua solum, sed etiam, dum pater tuus inter vivos versaretur. Rara est concordia fratrum [1]; sed in periculis aliquis semper amicus invenitur. Cur ergo procul quæsiveris, qui prope adstat: *Melior est vicinus juxta, quam frater procul.* Sapientes viri jubent amicitiam suam ne celeriter nimis, nec indignis esse tribuendam. Verum cum semel amicitiæ fœdere adstrictus fueris; tunc fide, & constantia opus est.

MELIOR EST VICINUS JUXTA, QUAM FRATER PROCUL.] Hoc quotidie experimur. Sæpius majorem fidem, opem, atque miserationem in vicino, & amico, quam in consanguineo invenimus; & amicus *amici plerumque se benevolentiæ libentius committit, quam fratris necessitudini*, ait S. Ambrosius l. 1. Offic. c. 34. Hesiodus hortatur, ut accolam potius, quam consanguineum ad cœnam invites. Si quid tibi contigerit, cognati tui deliberabunt, an tibi auxilium ferre debeant; at vicinus ad quemlibet nutum præsto adest, ut tibi opituletur; eum accurrere, ac festinare videbis, ut omnia tibi amoris exhibeat officia. Non secus ac malus vicinus maximum est malorum omnium; ita bonus nullo umquam satis potest pretio æstimari. Ini cum proximo tuo necessitudinem, ait Cato de Re Rust. c. 4. si vicinus tuus te dilexerit, melius venumdabis redditus tuos, ac facilius opifices inveneris. Et poeta vetus apud Columellam l. 1. c. 3. Nullos amitteres boves, nisi improbos haberes accolas. [2] *Agrum paraturos ante omnia intueri oportet aquarum vim, & vicinum.* Apud veteres Persas nemo in majori erat pretio, quam vicini [3]; eorumque augebatur, vel imminuebatur existimatio pro ratione proximitatis, vel absentiæ, quæ inter ipsos aderat.

℣. 11. UT POSSIS RESPONDERE.] Hebr. [4] *Et respondebo exprobranti.* Editiones, & Complutensis, & Sixti V. similiter legunt, *ut possim respondere*. Septuaginta [5]. *Rejice procul a te sermones, qui tecum habentur.*

℣. 12. PARVULI TRANSEUNTES SUSTINUERUNT DISPENDIA.] Stultus audacter ingreditur eo, quo sapiens non audet accedere. Sapiens videt periculum, & vitat illud; improbus vero neque novit illud, & aspernatur. Alter quidem sibimet cavet, ac peccatum horret: alter fortuito fertur, ac Domini leges violat. Vide Prov. 22. 3. eamdem sententiam.

℣. 13. TOLLE VESTIMENTUM EJUS.] Sententiam hanc jam vidimus Prov. 20. 16. Septuaginta [6]: *Aufer vestimentum ejus*, stulti, nam qui pessum mittit ea, *quæ sua non sunt, transiit*, vel transgressus est, *velut homo contumelia afficiens*. Tolle impio vestimentum, quia violavit Legem Domini, atque injuriam intulit fratribus suis, eorum bona diripiens.

℣. 14. QUI BENEDICIT PROXIMO SUO VOCE GRANDI, DE NOCTE CONSURGENS &c.] Ne credas, veluti inimico, illi, qui te importunis, immodicisque laudibus ornat. Pessima in rebus omnibus, sed in amicitia præsertim assentatio, atque affectatio blandiendi, atque nimiis laudibus celebrandi. Parvi æstimet virum, opus est, quem inanibus his obsequii officiis decipere credit; & qui in vilissima hæc demittitur ministeria, se abjecti omnino esse animal ostendit: *In obsequio comitas adsit: assentatio vitiorum adjutrix procul amoveatur, quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est*, Cicero inquit in lib. de Amicitia. Hebræus textus ad litteram habet: *qui clara voce benedicit; & ad id mane consurgit, benedictio illius ipsi maledictioni vertetur.* Si qui inanes has assentatiunculas intuetur, est sapiens, contemnet eas, & veluti maledicta rejiciet, & quin assentatorem diligat, illum velut hostem oderit.

℣. 15. TECTA PERSTILLANTIA IN DIE FRIGORIS.] Hebr. [7] *pluviæ tempore*. In Palæstina nonnisi hyeme pluit. Septuaginta: *Pluvia quæ in hyeme guttatim stillat, ejicit hominem de domo sua, ita & mulier contentiosa*. Similem huic sententiam explicuimus, Prov. 19. 13.

℣. 16. QUI RETINET EAM, QUASI QUI VENTUM TENEAT, & OLEUM DEXTERÆ SUÆ VOCABIT [8].] Contentiosa mulier, inquieta, impudica, nequaquam facilius ad frugem revocatur, quam ventus coerceri valeat, & consistere. Potius ventum retinebis, quam inquietam mulierem, & quæ cum viro suo pacem servare nequit. Idem est ac si velis oleum in manu tenere, defluit enim, nec aliquid remanet. Mulier nequam fere incorrigibilis est. Levitas mentis, & cordis inconstantia, invicti ferme obices sunt, ne corrigatur. Hebræus [9] admodum obscurus est: *Qui celat eam, celat ventum, & oleum in dextera illius clamabit.* Retinere velle domi similem huic mulierem, idem est ac ventum velle compescere; & non secus ac manu unguentum nequit attrectari, quin se se odor effundat; ita inutile est celare velle pravas affectiones litigiosæ mulieris; se enim nihilominus prodet. Vel potius: *qui eam reprimere vult, ventum cohibere conatur, & oleum in manu sua tenere, quin diffluat*; quod a Vulgata minime abludit.

Septuaginta [10]: *Boreas est ventus incommodus; & ventus ad dexteram appellatur nomine suo*. Vel: *Boreas est perniciosus, ac dexter ventus appellatur*. Astronomi, & Poetæ aquilonem *dexterum* dicunt: *Qua dexter Boreas spirat*, Manilius ait. Sed apud Judæos hoc nomine oppositus ventus designatur. Ventus dexter a meridie flat, quæ plaga ab Hebræis *dextera* dicebatur. Vir igitur, qui domi suæ habet contentiosam uxorem, idem est, ac si in domo permaneret, cujus tecta jugiter perstillarent, & quæ undique aperta borealibus, & australibus ventis esset obnoxia. Hic sensus melior sane mihi videtur, & eum secuti Hebraicum textum ita reddere possumus: Hæc domus est vehementibus aquilonis, & austri ventis exposita; immo ventos invitare videtur. Venti irruunt in illam, quasi vocati.

℣. 17. FERRUM FERRO EXACUITUR, & HOMO EXACUIT FACIEM AMICI SUI.] Non secus ac ferrum acuitur ferro, ita vir virum edocet. *Fungar vice cotis* ait Horatius ad amicum suum, cui quoddam consilium præbebat. Horatius de Arte Poetica.

. . . . *Fungar vice cotis, acutum*
Reddere, quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.

Aliter; Præsentis amici consilia vehementius, quam absentis, animum excitant. Mutuo videri, colloqui, respondere, ac audire opus est, ut quemadmodum oportet, edoceamur [11]. Vel: non secus ac ferrum exacuit ferrum, ita duo viri mutuis altercationibus irritantur, atque provocantur ad iram. Hebraici nomen, quod *vim* significat, sæpe etiam pro ira usurpatur. Aliter [12]: *ferrum esse vult cum ferro; & homo cum facie amici sui*. Omne simile amat suum simile; duo ferrea fru-

sta

---

1 Prov. 18. 24. *Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quam frater.*
2 Plin. lib. 18. cap. 5. 3 Herodot. lib. 1. cap. 134.
4 ואשיבה חרפי דבר 5 70. Καὶ ἀπόστρεψον ἀπὸ σοῦ ἐπονειδίστους λόγους.
6 Ἀφελοῦ τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, παρῆλθε γὰρ ὑβριστὴς, ὅστις τὰ ἀλλότρια λυμαίνεται,
7 ביום סגריר 70. Ἡμέρᾳ χειμερινῇ. 8 Complut. *Vocat* Sixt. V. *Evacuabit*, alii, *Evacuat*.
9 צפניה צפן רוח ושמן ימינו יקרא 10 Βορέας σκληρὸς ἄνεμος, ὀνόματι δὲ ἐπιδέξιος καλεῖται. Ita Arab. & Syrus, Aquil. Symmach. alii. Κεκρυμμένος Βορέας ἄνεμος.
11 Ita 70. Σίδηρος σίδηρον ὀξύνει, ἀνὴρ δὲ παροξύνει πρόσωπον ἑταίρου. Ita & Vatab.
12 ברזל בברזל יחד ואיש יחד פני רעהו. Vide Ludov. de Dieu.

sta facile ferruminantur; & homini hoc a natura insitum est, ut cum simili suo conversari gestiat, atque optet.

℣. 18. QUI CUSTOS EST DOMINI SUI.] Qui omnes intendit vires, ut fidelibus, jugibusque officiis domino suo famuletur, amplissima ipsi munia conferentur.

℣. 19. QUOMODO IN AQUIS RESPLENDENT VULTUS &c.] Licet impervium sit humanum cor, sapiens tamen illius penitiora scrutabitur. Hebr. [1]: *Sicuti aqua aquæ, ita cor hominis homini*. Hominum corda sibi similia sunt, ut aqua similis aquæ. Qui unum intuetur hominem, omnes videt propter studiorum in omnibus similitudinem. Quædam hominibus adeo communes sunt affectiones, ut iis careat nemo. Inter infinitam hanc ingeniorum, negotiorum, habituum varietatem, quædam communia tamen in omnibus deprehenduntur vestigia, quæ generalem hominum omnium characterem efformant. Omnes gloriæ, laudum, honorumque cupidi nascimur; omnes amari, observari, coli desideramus; omnes ignorantia, infirmitate, levitate, inconstantia, mendacio sumus circumdati. En rudem, rudibusque vestigiis delineatam hominis graphidem.

Aliter cum Chaldæo, Septuaginta [2], ac Syro interprete: *Non secus ac hominum facies nequaquam aliæ aliis similes sunt; ita eorum corda inter se differunt*. Nihil hac sententia verius, attamen ab Hebraico textu videtur recedere. Alii hoc intelligunt pacto: Non secus ac aqua naturale est speculum, quæ facies secundum perfectam earum similitudinem exhibet; ita facies hominis, os, species exterior, animæ penitiora consilia palam, ostendunt [3]. Sed prior explicatio, quam ex Hebraico textu attulimus, maxime omnium apposita mihi videtur.

℣. 20. INFERNUS, & PERDITIO NUMQUAM IMPLENTUR.] Hebræus verti potest [4]: *sepulchrum, & perditio non saturabuntur, &c.* Perditionis nomen, Hebraice *abadah*, vel potius *abadon*, uti in Apocalypsi 9. 11. & in aliis Hebraici textus locis exprimitur, significat infernum, quo in æterna supplicia peccatorum animæ præcipites dantur. Salomon iisdem vocibus jam usus est supra [5]; easque Job non semel usurpat [6]. Sepulchrum æque, ac infernus numquam dicunt *satis*. Homines quotidie moriuntur, & impii quotidie in infernum descendunt; at neutrum umquam expletur. Illis vero simillimi sunt hominum oculi, curiosi, ambitiosi, avari; illis namque nulla umquam sufficiunt bona, vel cognitio, vel gloria. Confer Prov. 30. 15. & Eccli. 14. 9. *Insatiabilis oculus cupidi*. Improbi viri numquam voti compotes sunt, ait Theognides; quo plura ipsis congesseris bona, eo plura desiderant, & si semel defeceris, omnia interiere. Septuaginta hic aliquid addunt [7]: *Infernus ac perditionis locus numquam pleni sunt; oculi quoque hominis sunt insatiabiles. Illum, qui obdurat oculos suos, Dominus abominatur, & ignari nequaquam domini sunt linguarum suarum*; Hoc in loco, *obdurare oculos suos* significat esse crudelem, ad nullam flecti misericordiam erga pauperes, atque afflictos [8].

℣. 21. PROBATUR HOMO ORE LAUDANTIS.]: Communis existimatio, quæ de viro quopiam hominibus est, atque laudes, ab omni assentationis specie sepositæ, quæ undique in ipsum congeruntur, satis certa sunt virtutis illius argumenta. Non decipimur umquam si ad uniforme, atque vulgatissimum populi testimonium judicium nostrum componimus. Ita in hoc sensu dici possunt laudes æque hominem, ac ignis metalla probare. Aliter, ut noscas, an vir aliquis vera sit virtute præditus, ac sapiens, id unum perpendas opus est, quo pacto laudes, quæ ipsi tribuuntur, excipiat. Si non allicitur illis, si non ideo superbit, si eas fugit, si ægre audit, si in communi plausu non intumescit, neque illis adhibet fidem: inferri audacter potest, virtutem solidam esse, ac dignam laudibus, quibus extollitur [9].

Cum quis te laudat, Judex tuus esse memento.
Plus aliis de te, quam tu tibi credere noli.

Hebraicus textus ita reddi potest [10]: *Adest fusoria fornacula ad mundandum aurum, & argentum, & singula pro merito suo*. Vel: quodlibet ad finem suum perducitur, & perficitur pro modulo suo. Aliter [11]: Non desunt artes auri, argentique probandi; *sed ad hominis dementiam curandam nulla ratio adest* præter correptionem, & severitatem. Tandem vero nonnihil levissime immutando, ita reddere vellem ℣℣. 21. & 22. [12] *Argentum purgatur igne, & aurum in crucibulo, atque homo in afflictione. ℣. 22. Sed stultus est incorrigibilis; licet illum in pila posueris, & quasi granum tritici contuderis illum, nequaquam sapienciorem facies*. In Græcum, Latinumque textum obrepsit versiculus, qui in authographo non invenitur, & qui omnem sermonis contextum intercidit.

COR INIQUI REQUIRIT MALA &c.] Versiculus hic neque in Hebræo, neque in Chaldæo, neque in Græco Complutensi, neque in multorum Bibliorum Latino textu, neque in nova S. Hieronymi versione invenitur.

℣. 22. SI CONTUDERIS STULTUM IN PILA, &c.] Textus hic per se patet. Antequam hydromilæ invenirentur, & antequam communia, & publica pistrina, uti hodie fiunt, extruerentur, qui domi suæ molendrinum manuarium habere non poterant, ingentibus utebantur marmoreis pilis, in quibus triticum, hordeum, millium, aliaque tundebant, & ex grano ita fracto, quamdam placentæ, pultisve speciem efficiebant, cujus usus olim vulgatissimus erat. Narrat Historia de Anaxarcho Philosopho [13], cujus patientia tot laudibus celebratur, ipsum in simili marmorea pila tusum fuisse, atque inter sævissimum hoc supplicii genus carnifici dixisse: tunde, tonde saccum Anaxarchi; numquam enim Anaxarchum tunderis.

℣. 23. DILIGENTER AGNOSCE VULTUM PECORIS TUI.] Pastoralis vita tunc temporis in honore erat posita, & quilibet sibi laudi vertebat, nosse pecora sua agere, uberiora pascua cognoscere, ovium suarum morbos, eorumque medicinas callere, singulas nominatim accersere, eas post se trahere; ita enim Dominus verum Pastorem describit [14]. Hoc Salomonis monitum, quod in se ad œconomiam tantummodo spectat, levi negotio ad animarum Pastores transfertur. Inter præcipuas eorum curas est commissorum sibi hominum qualitates, vices, nomina, mala, necessitatesque cognoscere. Vide Ecclesiasticum cap. 7. 24. *Pecora tibi sunt? attende illis: & si sunt utilia, perseverent apud te*.

℣. 24. NON ENIM HABEBIS JUGITER POTESTATEM &c.] Divites, nobilesque viros alloquitur, eosque adhorratur, ne laboriosum vivendi genus, ac exercitia Pastorum contemnant. Maximæ dignitates non semper permanent; ætas fortasse ad eam te necessitatem deducet, ut tibi vivendum sit ex iis, quæ tuo labore

---

1 במים הפנים לפנים כן לב האדם לאדם 2 Ὥσπερ γὰρ οὐχ ὅμοια πρόσωπα προσώποις, οὕτως οὐδὲ αἱ καρδίαι τῶν ἀνθρώπων ὅμοιαι. Ita Author Caten. & Origen. in Num. 2.
3 Cornel. Tir. 4 שאול ואבדה לא תשבענה Alii libri אבדון *abadon*.
5 Prov. 15. 11. שאול ואבדון נגד יהוה 6 Job. 16. 6. 28. 22. 31. 12.
7 70. Rom. Edit. ᾅδης καὶ ἀπώλεια οὐκ ἐμπίμπλανται. Ὡσαύτως καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ τῶν ἀνθρώπων ἄπληστοι, Βδέλυγμα Κυρίῳ στηρίζων ὀφθαλμόν, καὶ οἱ ἀπαίδευτοι ἀκρατεῖς γλώσσῃ.
8 Rab. Salom. Abenez. Mariana, &c. 9 Lyr. Cornel. Menoch. Ita Author Caten. Græc. Vide & August. in Psalm. 69. & Gregor. lib. 22 Moral. cap. 5.
10 מצרף לכסף וכור לזהב ואיש לפי מהללו 11 Ludovic. de Dieu.
12 Lego מחלל *Vulnerans*, *affligens*; pro מהלל *Laudans*, vel *laus*.
13 Laert. lib. 9. in Anaxarcho. 14 Johan. 10. 3. &c.

labore collegeris. Ne iis nimium credas, quæ ab Regum voluntate, & gratia dependent: Fac tibi fundum, quem nemo possit auferre. Speciosa habes armenta, ex iis lucrum cape. Honor, atque existimatio, quam honesto labore tibi comparabis, erit tibi pro futuris sæculis corona gloriæ; veluti prudens laudaberis, qui in ipsa rerum affluentia futuro prospexit, atque rei suæ familiari consulere novit. Hebræus [1]: *Nam divitiæ*, thesauri, vites, bona, *non permanebunt semper; & corona eritne in æternum?* Ne ad opum, & coronæ splendorem hallucineris; hoc enim non diu permanebit. Congrega justa bona, quæ neque auferri queant, neque sint alienæ invidiæ obnoxia. Consilia hæc juxta mores nostros satis extraordinaria videntur; sed apud Orientales, ubi subditi omnes sunt veluti Principis mancipia, ac ubi nullis coercetur finibus Regum auctoritas; neque ulli adsunt nobiles viri, qui bona sua libera habeant, ac nemini subjecta: in iis regionibus nequaquam mirum est intueri filium eorum, qui primas vel belli, vel domi obtinuerant dignitates, ad humillima redactum munia, & in extremæ paupertatis squalore jacentem. Itaque apud illos Salomonis consilium haud est contemnendum, atque omnibus in conditionibus œconomiæ ratio necessario requiritur. Principes, Nobilesque viri in id incumbere debent, ut sua sibi bona conservent, atque ex illis emolumentum percipiant. Oeconomiæ defectus plurimis Rebus publicis, spectatissimisque familiis interitum attulit: Quo ditior es, eo majori indiges attentione; liberalitas, atque maximi sumptus, in quos amplissimi viri effusius patrimonia sua debent impendere, nonnisi diligentis œconomiæ ratione, queunt sustineri.

℣. 25. APERTA SUNT PRATA, & APPARUERUNT HERBÆ VIRENTES &c.] Sequitur adhortatio ad alendorum pecorum curam. Ne cesses ulterius, pulcherrimum anni tempus te invitat, ut ex caulis in prata tuas oves deducas, herba germinat; pascua virescunt &c. Hebræus [2]: *Herba prodit, plantæ floruerunt, fœnum montium cœpit germinare*. Qui Orientem peragrarunt, asserunt, ibi nequaquam esse prata nostratibus similia; equi paleis, & hordeo tantum vescuntur. Armenta sub dio per totam hyemem permanent, mensibus, quibus nostro hoc sub cœlo frigidior bruma desævit, in Palæstina, ac Ægypto equi in pascua emittuntur [3]: *Montium herba*, de qua hic, & alibi nonnumquam in Bibliis est sermo [4], nihil est aliud, quam pascua in quæ agebantur armenta, eo scilicet locorum, quæ seri minime poterant.

℣. 26. AGNI AD VESTIMENTUM TUUM &c.] Armenta tua tibi suppeditabunt, unde innoxie vivas, & sustenteris: Ovium, agnorumque vellera dabunt tibi vestimenta; ex hædis vero, quæ venumdabis, pretium hauries, vel quo mercedem tribuas agricolis, quibus ad arva tua excolenda usus fuerit, vel etiam quo fundum aliquem emas.

℣. 27. SUFFICIAT TIBI LAC CAPRARUM &c.] Admirabilem hanc Antiquorum frugalitatem numquam satis possumus celebrare. Se se ovium suarum velleribus induere, lacte vesci, in agris suis metere triticum, ex quo panis fiat, tum venditorum hædorum pretio conductitiis operis stipendium erogare, quotnam mala in hac ita innocenti vita evitantur! quæ pax ibi comparatur! quæ inopia, quæ submissio vel præciditur, vel præoccupatur. Septuaginta longe differunt ab Hebræo, & a Vulgata in vers. 25. 26. & 27. *Attende, ut agrorum herbas cognoscas: collige eas; & congrega fœnum montium, ut oves tuæ tibi suppeditent, unde tua vestimenta contexas. Cole agrum tuum, ut habeas agnos. Fili mi, solida tibi præcepta dedi pro vita tua, ac pro vita servorum tuorum.*

1 כי לא לעולם חסן ואם נזר לדור דור
2 גלה חציר ונראה דשא ונאספו עשבות הרים
3 Vide Itinerarium Petri Martyris Portugallensis ad Cayrum.
4 Psalm. 146. 8. Vide & Johan. 10. 4. . . . . . 10.

CAPUT XXVIII.

Timiditas impii: Principum multitudo in pœnam peccatorum populi. Pauper opprimens pauperes. Pauper diviti anteferendus. Fœnerator pro alio colligens bona. Dives a paupere judicatus. Felix qui semper timet. Princeps imprudens. Interfector omnibus perosus. Vir fidelis. Pravus Judex. Homo in pauperes liberalis. Improbi dignitas aliorum terror.

1. FUgit impius, nemine persequente: justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. 2 Propter peccata terræ multi principes ejus: & propter hominis sapientiam, & horum scientiam, quæ dicuntur, vita ducis
longior erit. 3 Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in
quo paratur fames. 4 Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt,
succenduntur contra eum. 5 Viri mali non cogitant judicium: qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia. 6 Melior est pauper ambulans in simplici-
tate sua, quam dives in pravis itineribus. 7 Qui custodit legem, filius sapiens
est, qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum. 8 Qui coacervat di-
vitias usuris, & fœnore liberali in pauperes congregat eas. 9 Qui declinat aures
suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. 10 Qui decipit justos in via
mala, in interitu suo corruet: & simplices possidebunt bona eius. 11 Sapiens si-
bi videtur vir dives: pauper autem prudens scrutabitur eum. 12 In exultatione
Justorum multa gloria est: regnantibus impiis ruinæ hominum. 13 Qui abscondit
scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, miseri-
cordiam consequetur. 14 Beatus homo, qui semper est pavidus: qui vero men-
tis est duræ, corruet in malum. 15 Leo rugiens, & ursus esuriens, princeps im-

pius super populum pauperem. 16 Dux indigens prudentia, multos opprimet per
calumniam: qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. 17 Hominem, qui
calumniatur animæ sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet. 18 Qui
ambulat simpliciter, salvus erit: qui perversis graditur viis, concidet semel. 19
Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate. 20 Vir fidelis multum laudabitur: qui autem festinat ditari, non erit innocens. 21 Qui cognoscit in judicio faciem, non benefacit: iste & pro bu-
cella panis deserit veritatem. 22 Vir, qui festinat ditari, & aliis invidet, igno-
rat, quod egestas superveniet ei. 23 Qui corripit hominem, gratiam postea inve-
niet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. 24 Qui
subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, parti-
ceps homicidæ est. 25 Qui se iactat, & dilatat, iurgia concitat: qui vero sperat
in Domino, sanabitur. 26 Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem
graditur sapienter, ipse salvabitur. 27 Qui dat pauperi, non indigebit; qui de-
spicit deprecantem, sustinebit penuriam. 28 Cum surrexerint impii, abscondentur
homines; cum illi perierint, multiplicabuntur iusti.

℣. 1. FUGIT IMPIUS NEMINE PERSEQUENTE.] Prava conscientia semper est pavida; scelus semper stimuli, ac solicitudines subsequuntur [1]. Deus ipse ultricis suæ justitiæ effectu in impiorum animum secretum incutit terrorem; hoc in Cain accidisse cognovimus, qui fugit a facie Domini, cum Abel fratrem suum interemisset Gen. 4. 16. hoc ipsum in Adam, atque Eva contigit, qui in Terrestris Paradisi nemus se se post patratum facinus recepere Gen. 3. 8. hoc etiam in Hebræis Deo infidelibus evenit, quibus Moyses hæc minitatur: *dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium: terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente: Et corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes; nemo vestrum inimicis audebit resistere* Levit. 26. 36. Vide quoque in Job 15. 21. descriptionem solicitudinum, ac timorum Tyranni. Justus e contra, si fractus illabatur orbis, inter summa pericula impavidus est [2]. Quis eum separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Non mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia ei umquam vel justitiam, vel Deum suum auferre poterunt, ideoque nec poterunt illum perterrere, nec affligere, neque concutere. Reliquis rebus minimum afficitur, nisi ea ipsi adimantur, quæ illius sunt amor, atque delitiæ.

℣. 2. PROPTER PECCATA TERRÆ MULTI PRINCIPES EJUS.] Væ illi reipublicæ, quam multi Principes laniant, quorum singuli supremam auctoritatem affectant. Quilibet partes suas tueri studet; competitorem vero dejicere; nullus erit cædium, terrorum, fraudum, atque impotentiæ finis: sæculorum omnium docuit experientia, nimium Principum numerum, ac nimium breve illorum imperium, fuisse veluti præcursores excidii ditionis eorum. Magna omnia Imperia, quæ novimus, a domesticis dissensionibus, ac nimium frequenti Regum mutatione in excidium vergere inceperunt. Quin ex Judaica egrediamur historia, Regnorum Israel, & Juda interitum hæc omnia mala præcesserunt. Hoc vetustissimum est Homeri præceptum Iliad. A. in uno imperio unum Dominum, unum Regem esse debere.

Sed cum Rex Sapiens, justus, & pius solus regnat, & regnat diu, hoc maximum sane beneficium est inter ea, quæ Deus Regno, quod summo favore prosequitur, elargiatur. Hebr. [3] *Multitudo Principum est supplicium peccatorum regionis alicujus; sed hæc respublica*, regio hæc, *in diutissimum tempus a sapienti, prudentique viro confirmabitur*. Deus in ira sua populo magnum Principum numerum tribuit, & qui brevi fato funguntur: sed cum Rex sapiens, ac prudens reipublicæ gubernaculo præerit, eam labantem restituet, ac diu in solida, constantique felicitate servabit. Septuaginta [4]: *Mala ingruunt propter impiorum peccata; sed homo sapiens*, callidus, mala hæc *dissipabit*. Chaldæus: *Cum regio aliqua sceleribus est imbuta*, Deus illi *plures* tribuit *Principes; at viri sapientes, atque prudentes diutius persistunt*.

℣. 3. VIR PAUPER CALUMNIANS PAUPERES SIMILIS EST IMBRI VEHEMENTI.] Cum plebs in civilibus bellis, vel privatis contentionibus, in similem sibi furit, cumque spoliare quærit, vel pravis calumniis, vel injustis litibus, aut vi; respublica statim in maximas adducitur calamitates; eodem ferme pacto, quo cum nimius imber ingruens agros submersit, vel subita, atque vehemens inundatio cuncta vastavit, ac messes abripuit; omnis regionis illius spes, quæ in agricolarum vi, atque labore est posita, perit, simulac inter ipsos dissidia bacchantur, neque illos vel suppliciorum terror, vel legum reverentia, nec Principum observantia coercent. Nihil enim avidum magis, furiosum, ferox, quam irritata plebs, quæ omnia timoris, ac reverentiæ fræna laxavit. Plurimi id explicant de illis, qui humili, obscuroque loco geniti ad eas dignitates evecti sunt, quæ illis auctoritatem conferunt in pauperes, atque popellum. Id genus homines aviditatem suam explere festinant, & cito ex actionibus, atque concussionibus suis Rempublicam diruunt. Septuaginta [5]; *Qui audax est in impietate, calumniatur pauperes, tamquam imber vehemens, ac inutilis*. Aristoteles l. 2. cap. 9. Polit. Lacedæmonum politiam redarguit, eo quod ad Magistratus eos eveherent, qui egeni rerum omnium erant, atque libertati vendendæ parati. Vide, quæ animadvertimus in Exodum 18. 22.

℣. 8. QUI COACERVAT DIVITIAS USURIS, & FOENORE LIBERALI IN PAUPERES CONGREGAT EAS.] Compluta Latina Exemplaria [6] transferunt coma post *liberali*; & aliqui Interpretes [7] eam vocem cum *fœnore*

1 *Sceleris in scelere supplicium est*. Senec. ep. 93.
2 Rom. 8. 35. 3 בפשע ארץ רבים שריה ובאדם מבין ידע יאריך
4 Δι' ἁμαρτίας ἀσεβῶν κρίσεις ἐγείρονται, ἀνὴρ δὲ πανοῦργος κατασβέσει αὐτάς.
5 Ἀνδρεῖος ἐν ἀσεβείαις συκοφαντεῖ πτωχούς, ὥσπερ ὑετὸς λάβρος, καὶ ἀνωφελής. Th. & Aquil. Ἀνὴρ ἄπορος καὶ συκοφαντῶν πτωχούς ὥσπερ ὑετὸς ἀποσχίζων καὶ οὐκ ἔσιν ἄρτος. 6 Complut. seu Reg. & Sixt. V. & alii non pauci. 7 Vide Lyr. hic.

nore conjungunt, ita ut pro *liberali fœnore* intelligant, quod sponte datur sine ulla conventione, vel pacto debitoris. Salomon hoc etiam fœnoris genus damnat, veluti pauperi perniciosum. Verum eorum sententia pravæ innititur lectioni, quæ nullius est auctoritatis. Hebræus [1], Septuaginta [2], & Chaldæus Vulgatæ similes sunt: qui coacervat divitias fœnore, relinquet eas viro misericordi, vel liberali in pauperes. Et equidem rarum est, Deum hæredibus, ac fœnatorum filiis bona male parta permittere. Vide Prov. 13. 22. Eccle. 2. 26. Job 27. 16.

℣. 9. ORATIO EJUS ERIT EXECRABILIS.] Deus abjiciet preces impii, uti impius per contemptum Dei legem abjecit. Septuaginta [3]: *Ipse quoque orationem suam exsecratur*. Impius ita agit, perinde hoc quæreret, ut preces suæ respuerentur. Eas quodammodo cum cordis hilaritate execrabiles reddit.

℣. 10. IN INTERITU SUO CORRUET; & SIMPLICES POSSIDEBUNT BONA EJUS.] Hebræus simpliciter habet [4]: *Qui sunt irreprehensibiles, bona possidebunt*. Et plurima Latina exemplaria nequaquam legunt *ejus* post *bona*. Septuaginta [5]; *Impii prætergredientur bona, & non ingredientur in ea*, tamquam viator, qui prope civitatem transit, quin intret in illam.

℣. 11. SAPIENS SIBI VIDETUR VIR DIVES; PAUPER AUTEM PRUDENS SCRUTABITUR EUM.] Opes non sapientiam, non scientiam, non virtutem conferunt. Audebit quidem locuples se scitum putare; at pauper sapientior scrutabitur, perpendet, observabit illius infirmitatem, ac vitia, eaque damnabit [6]. Si nobiles viri sibi fas esse putant indigna patrare; vetare nequeunt, quominus humillimus, & abjectissimus quilibet e populo ea censoria nota redarguant, ac sibi joco vertant.

℣. 13. QUI AUTEM CONFESSUS FUERIT, & RELIQUERIT EA, MISERICORDIAM CONSEQUETUR.] Nemo non peccare potest, nemo hac infirmitate vacuus est; sed cum aliquis sincere suum fatetur scelus, ac imposterum ab eodem abhorret, facile veniam consequitur. Hoc ipsum jam Salomon superius cap. 18. 17. docuit: *Justus prior est accusator sui*; hic vero delineasse videtur utramque optimæ confessionis conditionem; primam confitendi humiliter, ac sine ambage crimen suum, alteram autem veram habendi dispositionem, in priora scelera non amplius relabendi. Vera enim pœnitentia [7], uti ait Sanctus Ambrosius, non solum in eo sita est, ut lacrymis peccata abluas, sed ut caveas, ne ulterius aliquid admittas, quod lacrymis sit abluendum. Sacramentalis quidem confessio nequaquam in more posita erat apud Judæos, uti est in Ecclesia Christiana: sed constat, ipsos, cum expiationis victimas offerebant, peccata sua confiteri consuevisse, manu super victimæ caput imposita [8], atque institutum erat, ut solemni die expiationis omnes confiterentur, atque expiarent peccata populi [9]. Denique vulgatum erat in cœtibus Religionis, qui in publicis calamitatibus habebantur, palam populi peccata confiteri, ac veniam a Domino deprecari.

℣. 14. BEATUS HOMO, QUI SEMPER EST PAVIDUS; QUI VERO MENTIS EST DURÆ, CORRUET IN MALUM.] Mens dura plane opponitur menti pavidæ, ac timenti. Qui periculum timet, & semper intendit animum, ut omnes dirigat incessus suos, peccatum evitat; ejusque solers sedulitas ex plurimorum criminum periculis eruit; in quæ stupidus, vecors, temerarius singulis ferme gradibus impingit. Sententiæ hujus veritas patet non in Ethicis solum, verum in civilibus quoque negotiis. Qui amat periculum, peribit in illo [10]; quod si sæpe effugisti, tandem aliquando non evitabis. Seneca in Herc. Furent.

Nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.

Superba temeritas, ac nimia audacia, lapsus, errorum, & calamitatum origo sunt, quæ mala sapiens sedulitas, ac prudens timiditas norunt effugere: *Verebar omnia opera mea*, inquit Job 9. 28. *sciens, quod non parceres delinquenti*. Ante sapientis viri oculos semper terribilia Dei judicia versantur; numquam metu vacat, seu pro præteritis sceleribus, seu pro futurorum peccatorum periculo. *Time ergo*, S. Bernardus ait Serm. 54. in Cant. *cum arriserit gratia, time, cum abierit, time cum denuo reverterur; & hoc est semper pavidum esse*. Ea, quæ habes, amittere potes, ac vereri debes, ne illa in pravum usum detorqueas. Tibi dolendum est, si gratiæ jacturam fecisti, tibique cum timore, ac tremore est adnitendum, ut illam recipias: demum summa cura, ac sanctæ sollicitudinis refertissima, donum illud cœleste servandum est, quod iterum tibi reddere dignatus est Deus.

℣. 16. DUX INDIGENS PRUDENTIA, MULTOS OPPRIMET PER CALUMNIAM.] Hebræus ad litteram [11]; *Princeps indigens prudentia, abundat oppressionibus*. Septuaginta [12]: *Princeps, cui desunt redditus, magnus est calumniator*. Princeps non satis locuples magnæ obnoxius est tentationi, populum suum opprimendi, diripiendi, vexandi. Quodlibet causarum genus prætexet, ut sumptibus suis subveniat, ac suæ faciat satis aviditati. Quod de Principe dicitur, idem de aliis Superioribus, Magistratibus, Judicibus, Præfectisque est intelligendum; qui saltem citra indigentiam esse debent. Paupertas ipsis validior est tentatio, quam avaritia. Prior enim naturalem penitus prætextum exhibet: Ut decorum servetur, & amplissimæ provinciæ dignitas sustineatur, magnis opibus opus est. Subditi alere debent Principem suum, ejusque necessitatibus subvenire. Rationes hæ speciosæ equidem sunt; dum e contra avarum pudet, si qualis est, agnoscatur. Pecuniam ille impotenter extorquet; at magis servat modum. Hæc lectio Septuaginta haud est contemnenda: & melius antithesim servare videtur inter utrumque loci hujus membrum: *Princeps, cui desunt redditus, est calumniator; sed qui sordidos quæstus odit, diu vivet*. Qui tantum habet bonorum, quantum vitæ recte traducendæ sufficit, tranquilla in imperio suo vita fruetur, & feliciter, ac sine vitæ suæ periculo reipublicæ præerit. Neque injustum aliquid perpetrans, neque populos sibi subditos vexans, & subditorum amorem, & Dei gratiam sibi promerebitur. Vide Exod. 18. 22. & supra ℣. 3. & Isai. 3. 7. Romana Editio Septuaginta hic addit: *qui obturat aures suas ne audiat infirmum clamantem, ipse quoque clamabit, & non exaudiet*. Quod depromptum est ex c. 21. 13.

℣. 17. HOMINEM, QUI CALUMNIATUR ANIMÆ SANGUINEM &c.] Homicida omnibus vulgo perosus est: nemo luget interitum illius, qui de industria cædem patravit. Quilibet de vita sua putat agi, cum de id genus sceleribus pœnæ sumendæ sunt. Hebræus ad litteram [13]: *Qui calumniatus est in sanguine animæ suæ*; qui, videlicet, injustis calumniis innocentem opprimit, & causa fuit mortis alicujus. *Anima* sæ-

1 מרבה הונו בנשך והרבית לחונן דלים יקבצנו
2 Ὁ πληθύνων τὸ πλοῦτος αὐτοῦ μετὰ τόκων, ϗ πλεονασμῶν, τῷ ἐλεοῦντι πτωχοὺς συνάγει αὐτόν.
3 Αὐτὸς τὴν προσευχὴν αὐτοῦ ἐβδέλυκται. 4 תמימים ינחלו טוב
5 Οἱ δὲ ἄνομοι διελεύσονται ἀγαθά, καὶ οὐκ εἰσελεύσονται εἰς αὐτά.
6 70. Πένης δὲ νοήμων καταγνώσεται αὐτοῦ. 7 Ambros. in Luc. l. 8. n. 96. *Pœnitentia delictum amovet, sapientia cavet*. Et l. 2. de Pœnitentia cap. 5. *Qui agit pænitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire*. 8 Vide ad Levit. 4. & 5. & Num. 5. 7.
9 Levit. 16. 21. *Posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel*.
10 Eccli. 3. 27. 11 נגיד חסר תבונות ורב מעשקות
12 Βασιλεὺς ἐνδεὴς προσόδων, μέγας συκοφάντης. Legerunt תבאות pro תבונות Sym. Ἡγούμενος ἐνδεὴς συνέσεως. Uti Vulgata. 13 אדם עשק בדם נפש עד בור ינוס אל יתמכו בו

pius pro vivente homine usurpatur; quæ loquendi ratio in nostro quoque vernaculo sermone usum obtinuit. Septuaginta [1]: *qui fidejussit pro homine cædis accusato, exulare cogetur, & neque tunc tutus erit*: Addunt: edoce, vel *corrige filium tuum, & amabit te: cumulabit animam tuam honore, & non audies improbos*; quæ altera pars desumpta est ex cap. 29. ℣. 17. 18. Quoad priorem, Septuaginta alludunt consuetudini, quæ in Judæa erat instituta, ubi, qui præter voluntatem necem patrasset, in refugii civitates effugere poterat, ut e manibus consanguineorum demortui elaberetur, quoniam illi ultionem exposcebant propter eum, qui fuerat interfectus. Moyses non loquitur de vade involuntarii homicidæ; sed non abhorret a veritatis specie, dum quæstio contra interfectorem haberetur, atque coram judicibus disceptabatur, utrum voluntaria cædes fuisset, nec ne, aliquem ex rei cognatione pro eodem respondisse, atque absentis consanguinei sui causam suscepisse [2]. Hic autem *vas* istbic vocatur. Si probabatur, necem neque fortuitam, neque præter voluntatem fuisse, vas in vitæ periculum adducebatur, nisi reum tradidisset interfecti consanguineis, qui de eodem ultionem expeterent.

℣. 18. CONCIDET SEMEL.] Concidet, quin amplius resurgat; vel tandem aliquando peribit. Hebr. [3] *Ille, cujus viæ sunt perversæ, concidet in una viarum suarum*. Septuaginta [4]: *Involvetur*, decidet in laqueos.

℣. 20. VIR FIDELIS MULTUM LAUDABITUR &c.] Vir fidelis hoc in loco per antithesim illi opponitur, qui opes augere festinat. Prior quidem rectus est, verus, sincerus, justi commercii; alter vero deceptor, duplex, injustus, violentus. Vide sententiam eamdem supra Cap. 13. 21. & 20. 21. & hic ℣. 22. Septuaginta [5]: *Vir fidelis replebitur benedictionibus, sed impius haud erit absque supplicio*. Non esse innocentem in Hebræorum stylo passim *non abire impunem* significat.

℣. 21. QUI COGNOSCIT IN JUDICIO FACIEM &c.] Vide Prov. 18. 5. & 24. 23. & alibi. Hujus generis Judex *pro buccella panis deseret veritatem*, ac justitiam prodet. Judex, qui aliquo affectu moveri potest, metu, invidia, avaritia, personarum acceptione, atque a justitia potest deflecti, nequaquam par est maximo huic muneri explendo. Si magna utilitas eum dimovere potest, minor etiam eum movebit. Altera ad alteram est via. Justus Judex manus suas ab omni munere integerrimas servare debet, neque magna, neque parva dona recipere [6]: *Oportet te pure sumentem administrationem præ omnibus aliis mundas servare manus Deo, nobisque, & legibus, & nullum contingere lucrum, neque majus, neque minus*. Hebr. [7] *pro buccella panis opprimet hominem*, pro *opprimet veritatem*. Septuaginta [8]: *vendet hominem pro buccella panis*.

℣. 22. IGNORAT, QUOD EGESTAS SUPERVENIET EI.] Septuaginta [9]: Nescit, virum misericordem *illius dominum fore*; vel bona, quæ colligit, fore *hominis*, *qui pauperum miseretur*. Locutionem hanc supra jam vidimus Prov. 28. 8.

℣. 23. GRATIAM POSTEA INVENIET APUD EUM.] Hebræus verti potest [10]: *invenies gratiam apud me*. Salomon loquitur: qui alium corrigit, meum favorem, & gratiam consequetur. Chaldæus, & Septuaginta: *qui reprehendit factum alterius, inveniet gratiam coram illo magis, quam qui illi blanditur*. *Sic habendum est; nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem*, inquit Cicero de Amicitia: *Igitur moneri, & monere proprium est veræ amicitiæ, & alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, & non repugnanter*.

℣. 24. QUI SUBTRAHIT ALIQUID A PATRE .... PARTICEPS HOMICIDÆ EST.] Juxta hunc textum, videtur Salomon alludere ad charitatis defectum, illi similem, quem Jesus Christus in ævi sui Judæis redarguebat Marc. 7. 11. qui parentibus suis necessaria subsidia negabant, futiles pietatis causas prætexendo. Id genus homines merentur, ut in interfectorum numerum recenseantur. Hebr. [11] *Qui rapuit patri suo, vel matri suæ, et dixit se non peccasse, ligatus est cum homine destructore*; æque noxius est, ac fur, & homicida. Lex Exod. 21. 12. capite damnat filios, qui contumelias ingerunt in parentes suos; uti quoque eos, qui flagitiose vivunt, ac parentum suorum bona dissipant, Deut. 21. 18. Septuaginta [12]: *Qui vim fecit patri suo, vel matri suæ, nec se peccare credidit, est socius impii*.

℣. 27. SUSTINEBIT PENURIAM.] Complures Hebræum ita reddunt [13]: *qui avertit oculos suos a paupere infelix erit*, vel *maledictionibus obruetur*. Alii [14] vero Vulgatam sequuntur. Vide Prov. 19. 17.

℣. 28. CUM SURREXERINT IMPII, ABSCONDENTUR HOMINES.] Omnes fugient impium, & simul ac ille ad gloriæ, atque auctoritatis apicem fuerit evectus, boni delitescent, neque prodire audebunt. Septuaginta [15]: *Justi gemunt in locis, ubi adsunt impii*.

---

1 Ἄνδρα τὸν ἐν αἰτίᾳ φόνου ὁ ἐγγυώμενος, φυγὰς ἔσται, καὶ οὐκ ἐν ἀσφαλείᾳ. Παίδευε υἱόν, καὶ ἀγαπήσει σε, καὶ δώσει κόσμον τῇ σῇ ψυχῇ, οὐ μὴ ὑπακούσῃ ἔθνει παρανόμῳ.
2 Vide Num. 35. 12. & Comment. in eum locum. 3 ונעקש דרכים יפול באחת
4 Ὁ δὲ σκολιαῖς ὁδοῖς πορευόμενος ἐμπλακήσεται. 5 Ἀνὴρ ἀξιόπιστος πολλὰ εὐλογηθήσεται, ὁ δὲ κακὸς οὐκ ἀτιμώρητος ἔσται. 6 Justinian. §. oportet. de Mandat. princip. Authent. coll. 3.
7 על פת לחם יפשע גבר 8 Ὁ τοιοῦτος ψωμοῦ ἄρτου ἀποδώσεται ἄνδρα.
9 Καὶ οὐκ οἶδεν ὅτι ἐλεήμων κρατήσει αὐτοῦ. Legerunt חסד pro חסר Sym. Ἔνδεια ἐπελεύσεται αὐτῷ. Uti Vulgata.
10 אחרי חן ימצא Nonnulli accipiunt, אחרי pro אחר & hic genuinus est loci sensus.
11 גוזל אביו ואמו ואמר אין פשע חבר הוא לאיש משחית
12 Ὃς ἀποβάλλεται πατέρα ἢ μητέρα, καὶ δοκεῖ μὴ ἁμαρτάνειν, οὗτος κοινωνός ἐστιν ἀνδρὸς ἀσεβοῦς.
13 ומעלים עיניו רב מארות 14 Ita Chald. Syr. Pagn. Mercer. Geier.
15 γο. Ἐν πολλῇ ἐρημίᾳ ἔσται. Ita Vatabl. Munst. Tig. Schol. Οὐκ ἀφεθήσεται.

CAPUT XXIX.

Correptiones non contemnendæ. Rex Justus. Amicus adulator. Judex æquus. Sapiens ne se cum insipienti committat. Princeps delationes audiens: Pauper, & creditor a Deo illuminati, & judicati. Servus insolens. Humiliatio superbi. Societas furis periculosa. Dominus judicat.

1. VIro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus: & cum sanitas non sequetur. 2 In multiplicatione justorum lætabitur vulgus: cum impii sumpserint principatum, gemet populus,

lus. 3 Vir, qui amat ſapientiam, lætificat patrem ſuum: qui autem nutrit ſcor-
ta, perdit ſubſtantiam. 4 Rex juſtus erigit terram, vir avarus deſtruet eam. 5
Homo, qui blandis, fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſ-
ſibus ejus. 6 Peccantem virum iniquum involvet laqueus: & juſtus laudabit, at-
que gaudebit. 7 Novit juſtus cauſam pauperum; impius ignorat ſcientiam. 8
Homines peſtilentes diſſipant civitatem: ſapientes vero avertunt furorem. 9 Vir
ſapiens, ſi cum ſtulto contenderit, ſive iraſcatur, ſive rideat, non inveniet re-
quiem. 10 Viri ſanguinum oderunt ſimplicem: juſti autem quærunt animam ejus.
11 Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens differt, & reſervat in poſterum.
12 Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habet impios.
13 Pauper, & creditor obviaverunt ſibi: utriuſque illuminator eſt Dominus. 14
Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. 15
Virga, atque correptio tribuit ſapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati
ſuæ, confundit matrem ſuam. 16 In multiplicatione impiorum multiplicabuntur
ſcelera: & juſti ruinas eorum videbunt. 17 Erudi filium tuum, & refrigerabit te,
& dabit delicias animæ tuæ. 18 Cum prophetia defecerit, diſſipabitur populus:
qui vero cuſtodit legem, beatus eſt. 19 Servus verbis non poteſt erudiri: quia
quod dicis, intelligit, & reſpondere contemnit. 20 Vidiſti hominem velocem ad
loquendum? ſtultitia magis ſperanda eſt, quam illius correptio. 21 Qui delica-
te a pueritia nutrit ſervum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem. 22 Vir iracun-
dus provocat rixas: & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum procli-
vior. 23 Superbum ſequitur humilitas: & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. 24 Qui
cum fure participat, odit animam ſuam: adjurantem audit, & non indicat. 25
Qui timet hominem, cito corruet: qui ſperat in Domino, ſublevabitur. 26 Mul-
ti requirunt faciem principis: & judicium a Domino egreditur ſingulorum. 27 Abo-
minantur juſti virum impium: & abominantur impii eos, qui in recta ſunt via.
28 Verbum cuſtodiens filius, extra perditionem erit.

℣. 1. VIRO, QUI CORRIPIENTEM DURA CERVICE CONTEMNIT, &c.] Superbia, & pertinacia peccatoris ſunt veluti præcurſores lapſus, ac interitus ejus; currit ille in malum ſuum, neque patitur admoneri. Addet ille cumulum ſceleribus ſuis, ac repente in illum Dei juſtitia deſæviet. Hoc pacto Pharao, & filii Summi Sacerdotis Heli, ac Iſraelitæ omnes, qui ad pœnitentiam flecti noluerunt, per animi ſui obdurationem in ſæviſſimas prolapſi ſunt calamitates. Hoc ipſum quotidie etiam ob oculos noſtros contingit; licet minus animum advertamus, quod ſupplicia minus ſenſibilia ſint, ac minus afficiant. Hebræus [1]: *Vir correctionis, qui obdurat cervicem ſuam, repente confringetur, ſine medela*. Nonnulli [2] pro *correptionis viro* illum intelligunt, qui alios caſtigat, atque objurgat, ſed durius, atque inhumanius; hic meretur, ut ſumma ſeveritate in ipſum Dominus animadvertat. Vel: qui alios reprehendit, ſed ipſe in iis perſtat flagitiis, quæ in fratribus ſuis caſtigat, meretur, ut eum Dominus derelinquat. Sed plerique vulgo in priori explicant ſenſu, qui ſane æquior eſt. Qui merito increpatur, & increpantium voces contemnit &c. Septuaginta [3]: *Vir correctionis eſt melior illo, qui perfrictæ cervicis eſt: nam cum repente flammis fuerit abſumptus, nulla erit amplius medicina*. Minus malum eſt, eſſe ſimpliciter reprehenſione dignum, quam eſſe obduratum, atque incorrigibilem. Omnis homo peccare poteſt; ſed in peccato pertinacia malorum omnium eſt cumulus.

℣. 2. IN MULTIPLICATIONE JUSTORUM LÆTABITUR VULGUS.] Confer verſiculum hunc cum ℣. 28. cap. 28. & cum ℣. 16. Capitis hujus. Hebræus verti poteſt [4]: *Populus lætabitur in regno juſtorum* [5]. Omnes gaudent, cum juſti ad gloriæ, & dignitatis apicem evehuntur. Septuaginta [6]: *populi lætantur, cum juſti laudibus extolluntur*.

℣. 3. QUI AUTEM NUTRIT SCORTA, PERDET SUBSTANTIAM.] Omnia bona ſua peſſum ibunt. Salomon ſæpe opponit mala, quæ naturaliter ex maleſana libidine proficiſcuntur, iis bonis, quæ ex ſapientiæ ſtudio redundant [7].

℣. 4. REX JUSTUS ERIGIT TERRAM, VIR AVARUS DESTRUET EAM.] Quamtumvis juſtus ſit Rex, ſi Miniſtri, ac Præfecti illius avari, ac inſipientes fuerint, regnum ejus nequaquam felix erit. Hebr [8] *Rex communiet regionem judicio, & vir munerum deſtruet illam*. Princeps juſtus, & æquus tuebitur Regnum ſuum; avarus autem, & qui ſe muneribus deliniri patitur, omnia perdet. Septuaginta [9]: *Rex juſtus relevat regionem, & homo impius evertit eam*.

℣. 5. RETE EXPANDIT GRESSIBUS,] pedibus amici ſui, quem aſſentatiunculis ſuis decipit. Latina quædam exemplaria habent *pedibus ſuis*. Aſſentator ſibimet ſtatuit inſidias [10], quem ſenſum Hebræus non refugit: Qui alios in errorem impellere ſtudet, ipſe plerumque impellitur; & decidit in laqueos, quos aliis tetendit.

℣. 6. JUSTUS LAUDABIT [11], ATQUE GAUDEBIT.] Vel: juſtus lætitiæ cantica concinet, ac lætabitur; ſummo gaudio perfruetur [12].

℣. 8. HOMINES PESTILENTES DISSIPANT CIVITATEM.]

1 איש תוכחות מקשה ערף פתע ישבר ואין מרפא 2 Rabb. quid. Auth. Caten. Græc.
3 Κρείττων ἀνὴρ ἐλέγχων, ἀνδρὸς σκληροτραχήλου, ἐξαπίνης γὰρ φλεγομένου αὐτοῦ, οὐκ ἔστιν ἴασις.
4 ברבות צדיקים ישמח העם 5 Pagn. Mercer. Piſc. 6 Ἐγκωμιαζομένων δικαίων εὐφρανθήσονται λαοί. 7 Vide Prov. 7. 6. & in S. Luca, parabolam filii prodigi c. 15. 30.
8 מלך במשפט יעמיד ארץ ואיש תרומות יהרסנה 9 Βασιλεὺς δίκαιος ἀνίστησι χώραν, ἀνὴρ δὲ παράνομος κατασκάπτει. 10 Ita 70. Δίκτυον περιβάλλει τοῖς ἑαυτοῦ ποσί. Ita & Abenezra. Rab. Levi. Mercer. Vatab. Hebr. רשת פרש על פעמיו 11 Complut. *Laudabitur*.
12 70. Ἐν χαρᾷ καὶ ἐν εὐφροσύνῃ ἔσται. Hebr. ירון ושמח

TEM.] Dei maledictionem in patriam suam detrahunt; homines irritant, ac inter illos jurgia serunt, ac bella viros optimos diripiunt, eisque necem infligunt. Hebræa vox [1], quæ reddita est *homines pestilentes*, proprie significat irrisores, delusores, flagitiosos.

ỳ. 9. VIR SAPIENS, SI CUM STULTO CONTENDERIT &c.] Quodcumque consilium capias in certamine, quod tibi est cum insipiente, numquam ad finem illud perducere poteris, neque efficere, ut ratio robur suum habeat; vel serio certes, vel rem in jocum vertas, sive ira succenseas, sive humaniter agas, stultus aures rationibus obstruit. Septuaginta [2]: *Vir sapiens judicat nationes; sed stultus se irrisionibus obiicit, cum ira corripitur, ac nemini timorem incutit.*

ỳ. 10. JUSTI AUTEM QUÆRUNT ANIMAM EJUS.] Quærunt scilicet servare vitam hominis simplicis, justi, innocentis, irreprehensibilis. Hæc locutio, *quærere animam alienjus*, passim *illius vitæ insidias intentare* significat [3]; Sed oppositum omnino isthic innuitur; adniti, ut aliquem e mortis periculo eripiat. Eadem loquendi ratio in aliis quibusdam locis invenitur, ubi vitam servare [4], vel mortem ulcisci [5] significat; quo in posteriori sensu hic est intelligenda.

ỳ. 11. TOTUM SPIRITUM SUUM PROFERT STULTUS.] Effundit scilicet uno spiritu, quidquid habet in corde. Ad litteram; *summo anhelitu laborat*, veluti qui totis viribus currit, vel qui eo impetu loquitur, ut illum in medio sermone destituat anhelitus. Hoc figuratum est ad innuendum, quam ridiculus sit homo ille, qui temere secretum commissum pandit, atque inconsulto, quidquid scit, ac in buccam venit, effutit. Vide supra *Prov.* 17. 27. & 25. 28. aliquid simile. Septuaginta [6]: *Stultus effundit omnem iram suam, sed sapiens eam in partes profert.* Haud putes, sapientem ira penitus esse vacuum; primi motus modestissimum quemque perturbant, at in eo virtus est, ut feras, donec prior flamma exardescat: *Maximum remedium iræ est mora; graves habet impetus primos, tota vincetur, dum partibus carpitur*; ajebat Seneca lib. 2. c. 26. de Ira.

ỳ. 12. OMNES MINISTROS HABET IMPIOS.] Calumniatores, qui circumundique Principem obsident, ab eodem amovebunt honestum quemlibet, ac illi adstare patientur nefarios similes sibi. Viri boni nequaquam diu vivere poterunt apud regem, qui mendacibus, & malignis delatoribus adhibet aures.

ỳ. 13. PAUPER, & CREDITOR OBVIAVERUNT SIBI.] Eadem ferme sententia superius occurrit *Prov.* 22. 2. *Dives, & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus.* Septuaginta [7]: *Obæratus, & fenerator sibi obviam occurrunt, Dominus visitat illos*, vel plectit *utrumque*. Hi autem Interpretes condemnare videntur secretos contractus, simulataque fœnora, quæ mutuo consensu inter mutuatarium, ac mutuantem fiunt. Deus, qui omnia intuetur, & judicat in justitia, utrumque damnat; & si fœnus in oculis hominum est absconditum, haud latet quidem in oculis Domini. Hæc explicatio respicit tantum Septuaginta lectionem: Pro Hebraica vero, & Vulgata videre potes cap. 22. 2.

ỳ. 16. IN MULTIPLICATIONE IMPIORUM MULTIPLICABUNTUR SCELERA;] præsertim in regno, ac sub ditione impiorum. Vide ỳ. 2. Capitis hujus, & ỳ. 28. Capitis præcedentis.

ỳ. 18. CUM PROPHETIA DEFECERIT, DISSIPABITUR POPULUS.] Prophetæ maximam habebant in Judæorum Republica auctoritatem. Nihil magni momenti in publicis rebus suscipiebatur, illis inconsultis. Si Pro-

A phetæ oraculum abnueret, incœpto desistebant, & populi domum suam quisque dilabebantur; cujus rei nonnulla suppetunt in Historiis Juda, & Israel exempla: Roboam cum jam in aciem descenderet adversus Jeroboam, qui decem Tribuum suffragiis Rex fuerat renuntiatus, arma posuit, exercitumque dimisit, simulac Propheta Semeias Dei verbis illi significavit 3. Reg. 12. 23. non sine divina voluntate Jeroboami defectionem contigisse. Amasias Rex Juda, cum in Idumæam bellum instrueret, centum mille milites ex Israel regno conduxit, ut his auctus viribus in hostem moveret 2. Par. 25. 6. Sed cum vir quidam Dei illi significasset, Dominum nequaquam velle, ut ipse alienis his copiis uteretur; eas domum remisit, & pati maluit jactutam pecuniæ illius, quam pro militibus illis conscribendis

B impenderat. In alio bello inter decem Tribus, & Regnum Juda, cum milites Phaceæ Regis Israel ducenta hostium millia, ac infinitam prope prædam cepissent, Propheta quidam illi, Domini verbis, præcepit 2. Par. 28. 8. ut captivos remitteret, redderetque hostibus spolia; ille vero statim dicto paruit. Hinc liquet, quanta esset Prophetarum potestas.

Verum quidem est post Salomonis regnum præsertim Prophetas in Israel prodiisse, & ante Regis hujus ævum, nequaquam tot homines divino fuisse afflatos numine, neque adeo illorum viguisse auctoritatem; sed tunc in rebus maximi momenti consulebatur Oraculum Urim, & Thummim, ac vox Summi Sacerdotis ephod induti, potiusquam Prophetæ adirentur. Sed hoc semper idem significat. Hoc oraculum, vel supernatura-

C les manifestationes, rite vocari possunt, *visiones*, vel *prophetiæ*; ac certissimum est, nihil umquam momenti alicujus tentari consuevisse, quin primum Urim consuleretur; cujus rei plurima supperunt exempla in regnis Saulis, & David. Sed licet Prophetiæ, aut visionis nomen pressius sumeretur, non ne liquet, qualis fuerit Samuelis auctoritas? Quoties populus vel coactus est, vel dimissus ad ejus oracula, seu propitia, seu adversa? Dum arderent bella Saulem inter, ac Philisthiim, cum populus, qui Saulem in castra secutus fuerat, domum dilaberetur, Rex, quin Samuelis adventum opperiretur, Domino sacra facere instituit 1. Reg. 13. 8. Sed Propheta Regi enuntiavit, ipsum propter superbiæ, ac inobedientiæ scelus a Deo fuisse reprobatum, qui alium sibi juxta cor suum Regem quæsiverat.

D David laudabili sane consilio Templum Altissimo extruere meditabatur; sed a Propheta Nathan admonitus, hanc haud esse Domini voluntatem, operis hujus honorem filio reliquit 2. Reg. 7. 5. Salomon ipse, non ne manu, ut ita dicam, ejusdem Prophetæ Nathan ad solium totius Israel evectus fuit, dejecto de spe Adonia fratre natu majore, qui totius ferme populi, ac præcipuorum'e Sacerdotibus, ac exercitus suffragia jactabat 3. Reg. 1. 24. Post hæc ambigi ne potest de Prophetarum in Juda auctoritate vel ante Salomonis imperium? Verum igitur est id, quod Princeps iste hic ait, populum dissipatum fuisse, cum nulla amplius extitit prophetia.

Complures interpretes [8] isthic prophetiæ nomine intelligunt publicam, privatamque instructionem, qua

E viri cœlesti lumine afflati, ac Pastores populos erudiunt [9]. Cum hæc deficere incipit instructio, populus a vera virtutis via deflectit, in omne flagitiorum genus proruit, post quæ publicæ ingruunt calamitates, quibus Deus illos punit. Septuaginta [10]: *Populus impius neminem habebit, qui sibi Legem explicet: sed qui Domini observat præcepta, felicitate cumulabitur.*

ỳ. 19. SERVUS VERBIS NON POTEST ERUDIRI.] Salomon nequaquam absolute inquit, servum haud posse cor-

1 אנשי לצון 70. Ἄνδρες λοιμοί. 2 Ἀνὴρ σοφὸς κρινεῖ ἔθνη, ἀνὴρ δὲ φαῦλος ὀργιζόμενος καταγελᾶται, καὶ οὐ καταπτήσσει. 3 Exod. 4. 19. *Qui quærebant animam tuam.* Vide & 1. Reg. 20. 1. 22. 15. Psalm. 34. 4. Et alibi passim. 4 Vide Psal. 141. 5. *Non est qui requirat animam meam.* 5 Ezech. 3. 20.

6 Ὅλον τὸν θυμὸν αὐτοῦ ἐκφέρει ὁ ἄφρων. *Totam iram suam profert stultus.* Ira Hieronym. Cassian. &c.

7 Δανειστοῦ καὶ χρεωφειλέτου ἀλλήλοις συνελθόντων, ἐπισκοπὴν ποιεῖται ἀμφοτέρων ὁ Κύριος.

8 Beda, Hugo, Cajet. Bayn. Vatab. Jans. Cornel. Vide & 70. 9 Vide 1. Cor. 11. 4. 5. 14. 1.

10 Οὐ μὴ ὑπάρξει ἐξηγητὴς ἔθνει παρανόμῳ, ὁ δὲ φυλάσσων τὸν νόμον μακαριστός.

corrigi verbis. Herus forris novit quidem, quo pacto servum dicto parentem reddere debeat: sed tunc id minime potest, cum servus domini sui contemnit imperium, & vocantis verba dissimulat; quo in casu non alia superest via, ut servum in officio contineas, nisi supplicium, atque correptio. Hebræus ita quoque reddi potest [1]: *Servus non eruditur verbis, cum intelligit illa, sed non respondet*. Vel: cum intelligit, & non obtemperat [2].

℣. 20. VIDISTI HOMINEM VELOCEM AD LOQUENDUM? STULTITIA MAGIS SPERANDA EST, QUAM ILLIUS CORREPTIO.] Nonnulli legunt [3]: *Stultitia magis speranda est, quam illius correctio*. Spera potius futurum, ut stultus ad sanitatem mentis redeat, quam nebulo, ac verbosus vir sese corrigat. Hic verus est Hebraici textus sensus [4]. Nimia garrulitas magnam arrogantiam, magnamque inscitiam designat, quæ tanto difficilius curari potest, quo minus se medicina indigere arbitratur. *Imperitia confidentiam*, S. Hieronymus in ep. ad Evang. inquit, *eruditio timorem parit*.

℣. 21. POSTEA SENTIET EUM CONTUMACEM.] Hebraica vox *Manon* [5], quam S. Hieronymus reddit *contumacem*, in diversas recentiores distinet sententias. Alii quidem [6] vertunt: *videbit se postea absque liberis*. Servus insolens causa erit, ut domini sui familia pereat. Alii [7]: *tandem hic servus erit filius domus*, auctoritatem sibi vindicabit, eadem habere jura contendet, ac hæredes. Chaldæus, & Septuaginta [8]: *Qui nimium delicate se nutrit ab adolescentia sua, tandem fiet servus, & peribit*; vel in dolore versabitur. Symmachus [9]: *erunt mumurationes*. Hæc sententia adversus illos præcipue quadrat, qui nimium carni suæ blandiuntur; funestos ipsi quidem experiuntur effectus, & clamare cogentur: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. 24. Sentient affectuum suorum, & carnis suæ defectionem, & in miserrimam redacti captivitatem plorabunt: Caro igitur castiganda est, ac in servitutem redigenda 1. Cor. 9. 7. ne ipsa extollatur, ac dominetur.

℣. 22. ERIT AD PECCANDUM PROCLIVIOR.] Hebræus [10]: *multum peccabit*, frequens in flagitia proruet. Septuaginta [11]: *Vir iracundus excusat peccata*.

℣. 23. SUPERBUM SEQUITUR HUMILITAS.] Sententia sæpius in veteri novoque Testamento iterata [12]. Gaudet Deus, superborum temeritatem confringere, humiles vero exaltare. Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam Jacob. 4. 6. Denique Salvator edicit futurum, ut qui se humiliat, exaltetur, qui vero se exaltat, humilietur Matth. 23. 12. Luc. 14. 11.

℣. 24. QUI CUM FURE PARTICIPAT, ODIT ANIMAM SUAM.] Vitæ perdendæ periculum subit, ejusque infelici fine claudendæ. Apud Hebræos furtum nequaquam capite damnabatur. Vide *Prov. 6.* ℣. 30. 31. sed hominis [13], nocturnumque furtum huic supplicio addicebatur. Si fur nocturnus in ipso scelere occidebatur, non permittebat Lex, ut de interfectore quæstio haberetur. In quovis alio casu furem simpliciter ad restitutionem cogebat, cum quodam discrimine, quod in Moyse refertur; sed si fur captus, & ad Judices deductus, atque juridice interrogatus, nec non Domini nomine ad veritatem enuntiandam coactus, obstinato animo factum inficiabatur, si mox perjurii redarguebatur, mortis supplicio afficiebatur, non autem furti, sed perjurii nomine. Hoc ipsum cum furti particeps, vel eo, qui furtum absconderat, observabatur; in ipsum veluti in furem animadvertebatur; quod isthic Sapiens innuit dicens: *adjurantem audit, & non indicat*. Particeps furti coram Judice statuitur, qui in Dei viventis nomine illum adigit, ut mali auctorem profeteat; quod si noluerit, jam mortis supplicium meretur per eam Legem Levit. 5. 1. *si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam*. Capite plectetur propter perjurium, & divini nominis profanationem.

℣. 25. QUI TIMET HOMINEM, CITO CORRUET.] Cum nos a flagitiis coercent hominum ratio, ac observantia, statim corruimus; nulla solida est virtus, vel pietas, nisi quæ Dei amori, ac timori innititur. Cum animus divino amore non flagrat, sed metus dumtaxat nos in officio cohibet, nec veram virtutem jactare possumus, nec vere vitia perhorrescimus. Alius quoque sensus Hebraico textui potest appingi [14]: *Qui timet hominem*, qui illi famulatur, illique adhæret, *decides in laqueos*: sed qui sperat in *Domino, elevabitur*, & periculum effugiet, inoffenso pede laqueos supergredietur. Septuaginta [15]: *Impietas facit, ut homo decidat; sed qui confidit in Domino, salvabitur*.

℣. 26. MULTI REQUIRUNT FACIEM PRINCIPIS: & JUDICIUM A DOMINO EGREDITUR SINGULORUM.] Summa ope gratiam Principum aucupamur. Catervatim ad ipsorum Aulam itur, ut eorum Judicia accipiantur, eorumque protectio comparetur; cum interim Dominus negligatur, qui supremus est Regum, subditorumque Judex. Templum ejus infrequens est, dum Regum aula ambitiosis viris est frequentissima, qui omnes suos nervos intendunt, ut ad illum honoris gradum contendant, quem fere numquam assequi possunt, & qui re ipsa tanta sollicitudine, tantoque opere quæri non meretur.

℣. 27. VERBUM CUSTODIENS FILIUS, EXTRA PERDITIONEM ERIT.] Filius, qui fidem eorum, quæ promiserit, sedulo præstabit, vel qui Domini præcepta summa sedulitate adimplebit, non decidet in perditionem, inferni suppliciis non damnabitur. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Dominus ait Matth. 19. 17. Versiculus hic neque in Hebræo, neque in Chaldæo textu invenitur, uti neque in Septuaginta hoc loco, nec in quibusdam Latinis Editionibus [16]. Legitur tamen in Græco Romanæ Editionis post vers. 22. cap. 24. S. Augustinus [17] in Exemplaribus suis legebat: *Verbum excipiens filius, a perditione longe aberit; excipiens autem excipiet illud sibi, & nihil falsi de ore illius procedet*.

---

1 בר בריםב לא יוסר עבר כי יבין ואין מענה 2 70. Ἐὰν γὰρ καὶ νοήσῃ, οὐχ ὑπακούσεται.
3 Beda, Raban. Maur. Vide Franc. Luc. & Cornel. a Lapide, hic.
4 חזית איש אץ בדבריו תקוה לכסיל ממנו 5 ואחריתו יהיה מנון 6 Jun. Tremel. Cartv.
7 Pagn. Montan. Tigur. Piscat. Mercer. Bayn. 8 Ὃς κατασπαταλᾷ ἐκ παιδὸς, οἰκέτης ἔσται, ἔσχατον δὲ ὀδυνηθήσεται ἐφ' ἑαυτῷ. 9 Sym. Ἔσται γογγυσμός. 10 רב פשע
11 Ἀνὴρ ὀργίλος ἐξώρυξεν ἁμαρτίας. 12 Vide Prov. 15. 25. 16. 18. 19. 18. 11. Job. 22. 29. Psal. 17. 28.
13 Exod. 21. 16. 14 חרדת ארם יתן מוקש ובטח ביהוה ישגב
15 Ἀσέβεια ἀνδρὶ δίδωσι σφάλμα, ὁ δὲ πεποιθὼς ἐπὶ τῷ Δεσπότῃ, σωθήσεται.
16 Complut. 17 Aug. lib. de Mendacio ad consent. c. 18.

CAPUT

CAPUT XXX.

Sermo Salomonis, vel Agur, filii JaKe. Magnitudo operum Dei. Puritas verbi illius. Pericula paupertatis, & divitiarum. Non accusandus servus ad Dominum suum. Emblema quatuor peccatorum; duarum filiarum hirundinis; quatuor rerum insaturabilium; trium rerum difficilium ad cognoscendum; trium rerum omnem terrarum orbem perturbantium. Quatuor rerum minimarum; quatuor rerum cum gravitate incedentium.

1. VErba congregantis filii vomentis. Visio quam locutus est vir, cum quo
est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait: 2 Stultissimus
sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. 3 Non didici sa-
pientiam, & non novi scientiam Sanctorum. 4 Quis ascendit in cœlum, atque de-
scendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in
vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, & quod
nomen filiis ejus, si nosti? 5 Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus
in se: 6 Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax.
7 Duo rogavi te, ne deneges mihi, antequam moriar. 8 Vanitatem, & verba
mendacia longe fac a me. Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tan-
tum victui meo necessaria: 9 Ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam:
Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei. 10
Ne accuses servum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi, & corruas. 11
Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit. 12 Gene-
ratio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota a sordibus suis. 13 Ge-
neratio, cujus excelsi sunt oculi, & palpebræ ejus in alta surrectæ. 14 Genera-
tio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, ut comedat
inopes de terra, & pauperes ex hominibus. 15 Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicen-
tes: Affer, affer. Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod numquam dicit: Suf-
ficit. 16 Infernus, & os vulvæ, & terra, quæ non satiatur aqua: ignis vero
numquam dicit: Sufficit. 17 Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit par-
tum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus: & comedant eum filii aqui-
læ. 18 Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. 19 Viam aquilæ
in in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam vi-
ri in adolescentia. 20 Talis est, & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & ter-
gens os suum dicit: Non sum operata malum. 21 Per tria movetur terra, &
quartum non potest sustinere. 22 Per servum, cum regnaverit: per stultum, cum
saturatus fuerit cibo: 23 Per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assum-
pta, & per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ. 24 Quatuor sunt minima
terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: 25 Formicæ, populus infirmus, qui
præparat in messe cibum sibi: 26 Lepusculus, plebs invalida, qui collocat in pe-
tra cubile suum: 27 Regem locusta non habet, & egreditur universa per turmas
suas: 28 Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. 29 Tria sunt,
quæ bene gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter: 30 Leo fortissimus be-
stiarum, ad nullius pavebit occursum: 31 Gallus succinctus lumbos: & aries: nec
est rex, qui resistat ei. 32 Et qui stultus apparuit, postquam elevatus est
in sublime; si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum. 33 Qui autem forti-
ter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit,
elicit sanguinem: & qui provocat iras, producit discordias.

℣. 1. VERBA CONGREGANTIS, FILII VOMENTIS.] Hic novus est titulus, qui ad hoc tricesimum dumtaxat caput pertinet. Patrum, Interpretumque plerique [1] pu- A tant, Salomon semet isthic designare nomine *congregantis*, non secus ac in fronte libri *Ecclesiastis*, se vocat *Coheleth* [2], magistrum cœtus, vel illum, qui concilio præest, ibique concionatur. *Vomentis* vero, seu *veritates*

1 Ita Patres, Beda, Lyr. Hug. Dionys. Arbor. Tir. Cornel. Calov. R. Salom. Ludov. de Dieu, &c.
2 Eccle. 1. 1. דברי קהלת בן דוד

ritates effundentis nomine vulgo intelligitur David, qui ut omnes sciunt, divino fuit spiritu repletus, atque ex ore suo effudit plurima cantica, & præclara oracula, & qui de se ipso dixit Psal. 44. 2. *Eructavit cor meum verbum bonum*; effudit scilicet cor meum, veluti de plenitudine sua, verbum bonum. Ludovicus de Dieu vertit. *Verba colligentis, filii obedientiæ*. Prior quidem perfectè Salomonem, alter vero Davidem designat.

Sed plerique recentiorum Interpretum Hebræum reddunt [1]: *Verba Agur, filii Jake* [2]: sed quo tempore vixerit hic Agur filius Jake, non satis inter scriptores constat. Alii [3] putant, hunc Sapientem fuisse virum, qui Salomone regnante floruerit: alii hunc prophetam fuisse, quod ex sequentibus liquido innotescit: *Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus*. Nec desunt, qui autument, Salumonem collegisse, ac suis proverbia Agur addidisse; alii vero Salomonicis Proverbiis addita fuisse putant verba Agur, qui post illum vixit. Verum hac de re nonnisi conjectando aliquid afferri potest. Qui censent, caput hoc nequaquam Salomonis opus esse, innituntur primo diversitati nominum, ac titulorum; quid enim eum cogere potuisset, ut nomen suum ænigmatice efferret; secundo, varietati styli, ac dictionis, quæ longe a reliqua Proverbiorum parte differt; isthic enim nihil aliud est ferme, quam Emblemmata ænigmatico sensu ethicas veritates exhibentia. Tertio, Auctor se hominum stultissimum profitetur (℣. 2.) *stultissimus sum virorum*; quod nullatenus Salomoni potest congruere, qui in universo hoc opere eximia tradit sapientiæ præcepta. Quarto denique a Deo petit auctor, ne sibi vel paupertatem, vel opes concedat: *mendicitatem, & divitias ne dederis mihi*; quod non Rex, sed privatus dumtaxat potest deprecari. Verum si licet ambigere, utrum caput hoc sit Salomonis, nec ne, non licet tamen in dubium vocare, utrum authenticum, & canonicum sit, nec ne; Hoc enim, non secus ac reliquum opus, a Deo dictatum fuit, & Ecclesia semper totum hunc librum sine ulla restrictione inter sacros libros adnumeravit.

VISIO, QUAM LOCUTUS EST VIR, CUM QUO EST DEUS &c.] Hebraica vox *Massa*, quæ isthic redditur *visio prophetica*, crebro usurpatur ad tristes, minacesque prophetias innuendas: sed hic simpliciter prophetiam, ac moralium sententiarum congeriem significat. Hebræus reddi potest [4]: *Prophetia*, vel collectio, *quam fecit vir quidam pro Isthiel; pro Isthiel, inquam, & Ucal*. *Isthiel, & Ucal* sunt fortasse duo amici Agur, quibus sententias suas ille conscripsit, ut Theognides suas *Cyrno*, & *Onomacrito*. Qui asserunt Salomonem hujus operis auctorem, haud ægre ostendunt, hæc ipsi epitheta congruere: *cum quo est Deus, & qui Deo secum morante, confortatus est*. Facillimum quoque est hoc de Jesu Christo vero *Emmanuel*, vel *Isthiel* significare: nam Dominus est cum illo, ac in illo habet plenitudinem Divinitatis. Sed hoc ad moralem sensum spectat, nobis a littera non est recedendum. Septuaginta [5] Caput hoc posuere post 24. ac pro toto versiculo primo hæc dumtaxat verba legunt: *Hæc sunt, quæ dicis vir credentibus in Deum, & ego quiesco*.

℣. 2. STULTISSIMUS SUM VIRORUM.] Si hoc de Salomone explicari velis, dici potest, ipsum absque Deo, ac privatæ prudentiæ suæ lumine dumtaxat, nullam habuisse veram cognitionem; & ex se met infirmitatem, ac tenebras tantum fuisse. Verbo; asserere poterat cum veteri quodam Philosopho, sed longe superiori intuitu; *Hoc unum scio, quod nihil scio*. Salomon, vel si

A mavis, Agur, non loquitur de se met, nisi seorsim a divino lumine, ac cœlesti afflatu, quo percitus erat [6]. Patres quidam [7] hæc verba Jesu Christo applicant: *Stultissimus sum virorum*, non secus ac ad ipsum ea quoque Psalmi 68. 8. verba referuntur: *Deus, tu scis insipientiam meam*; nam re ipsa sibi Crucis stultitiam elegit [8]; eaque motum disciplinæ præcepta proposuit, quæ terrenis oculis stultissima videbantur. *Sapientia hominum non est mecum*.

℣. 3. NON NOVI SCIENTIAM SANCTORUM.] Scientiam salutis, scientiam divinarum rerum, sapientiam, cœlestium veritatum cognitionem. Septuaginta oppositum omnino legunt [9]: *Deus ostendit mihi sapientiam, & ego habeo scientiam sanctorum*.

℣. 4. QUIS ASCENDIT IN COELUM, ATQUE DESCENDIT?] Veluti ad eorum, quæ dicta sunt, veritatem
B ostendendam. Non novi scientiam sanctorum; quomodo enim eam comparare potui? Quis umquam ad eam potest pervenire? Quis in cœlum ascendit, ut inde hanc scientiam deduceret, & quis descendit, ut inde isthuc afferret? Salutis scientia ex illis ne rebus est, quæ studio dumtaxat percipi queant? Nonne ipsa munus est divinæ largitatis? Moyses postquam populo Domini præcepta exposuisset, ajebat illi [10]: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non supra te est, nec procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere; Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos?* Ille, cujus isthic verba ad examen vocamus, loqui vult de cognitione longe sublimiori, quam simplici Legum Domini scientia toti populo Israel communi; hoc est de
C excelsa consiliorum Domini, viarumque, & mysteriorum ejus scientia, quo in sensu se penitus inscium fatetur.

QUIS CONTINUIT SPIRITUM IN MANIBUS SUIS?] Æque difficile est homini propriis viribus ad supernaturales cognitiones ascendere, ac ventum manibus suis continere. Providentiæ secreta, ac sapientiæ profunditatem perscrutari velle, idem est, atque contendere, ut manu ventum apprehendas. Plurimi *spiritus* nomine Prophetiæ spiritum intelligunt. Quis umquam ausit asserere, se in manibus suis spiritum hunc habere, eumque summa auctoritate possidere? Septuaginta [11]: *Qui clausit ventos in sinu suo?*

QUIS COLLIGAVIT AQUAS QUASI IN VESTIMENTO?] Quis est homo, qui nubium aquas suspendere possit,
D veluti in veste quadam, quin illæ diffluant, nisi quo tempore, aut pacto ipsi libitum fuerit? Vel: Quis mortalis umquam maris aquas in alveo ipsarum coercere potest, atque intra præfinitos limites cohibere, quasi eas in vestis suæ panno contineret? Hæc omnia omnibus, præterquam uni Deo, sunt impossibilia. Ipse absoluta auctoritate & possidet, & distribuit scientiam, atque sapientiam. Nemo nonnisi ex manibus ejus recipit illas. Huic loco confer Job. 38. 8. Isai. 11. 12. Psal. 32. 7. & 77. 13. *Congregans sicut in utre aquas maris*.

QUIS SUSCITAVIT OMNES TERMINOS TERRÆ?] Quis fundavit terram, eamque super basim, ac fundamenta constituit; quis illi consistentiam, & soliditatem ipsi est impertitus? Quis eam ab aquis sejunxit, cum quibus permixta erat, atque confusa? Septuaginta [12]:
E *Quis est Dominus omnium finium terræ?*

QUOD NOMEN EST EJUS, & QUOD NOMEN FILII EJUS?] Quis nobis dixerit nomen Entis hujus Omnipotentis, qui tot mirabilia operatur? & quis docebit nos filii ipsius nomen? Quis gloriari potest illum agnoscere, eumque proprio nomine designare, vel eum colori-

1 דברי אגור בן יקה. 2 Pagn. Vatab. Bayn. Jans. Abenezra, Geier. Mercer. Pisc. Mont. Chald. Syr. Tigur. Men. Castal. 3 Rab. Salom. Giot.
4 המשא נאם הגבר לאיתיאל ואכל 5 Τὰ δὲ λέγει ὁ ἀνὴρ τοῖς πιστεύουσι Θεῷ, καὶ παύομαι. Aquil. Τῷ Ἐθιὴλ, καὶ τέλεσον. *Ethieli & comple*. Th. Τῷ Ἐθιὴλ, καὶ δυνήσομαι. *Ethieli, & potero*. Quod nullum sensum reddit. 6 Nazianzen. Orat. 29. 7 Hieronym. l. 2. contra Pelag.
8 1. Cor. 1. 23. *Prædicamus Jesum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*.
9 Ὁ Θεὸς δεδίδαχέ με σοφίαν, καὶ γνῶσιν ἁγίων ἔγνωκα. 10 Deut. 30. 11. 12.
11 Τίς συνήγαγεν ἀνέμους ἐν κόλπῳ. Aquil. Τίς συνέλεξε πνεῦμα ἐν δρακί. *Qui congregavit ventum in manibus suis*. Sym. Τίς συνήγαγεν ἀνέμους ἐν ταῖς χερσίν. *In manibus suis clausit*.
12 Τίς ἐκράτησε πάντων τῶν ἄκρων τῆς γῆς. Cæteri: Τίς ἔστησε πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς. *Qui confirmavit omnes extremitates terræ?*

loribus veluti in tabella quadam exhibere, Ita ut quid- A
quid ipse est, omnemque substantiæ ejus perfectionem repræsentet? Multo rectius intelligimus, quid ipse non est, quam quod est: *Non parva notitiæ pars est, si antequam scire possimus, quis sit Deus, possumus scire, quid non sit*, ait S. Augustinus l. 15. de Trinit. cap. 2. Patres, ac Interpretum plerique nomine filii, secundam Sanctissimæ Trinitatis Personam intelligunt. De hoc filio jam Salomon locutus est cap. 8. 22. dicens: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*. Septuaginta [1] legunt. *Quod nomen filiorum ejus?* Angelorum, Sanctorum ejus? Sed Hebræus [2], Chaldæus, & Græci Interpretes [3], Aquila, Symmachus, atque Theodotion cum Vulgata legunt; & S. Augustinus ep. 102. nov. ed. qu. 5. palam similiter legit. Immo & quidam extant Manu- B
scripti Græci, qui hanc legendi rationem sequuntur [4].

℣. 5. Omnis sermo Dei ignitus.] Omnis Dei sermo est veluti vivus ignis, corda, mentesque illuminans, & inflammans: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, ait Propheta psalm. 118. 105. & ibid. ℣. 100. *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Et Jeremias 23. 20. *Numquid non verba mea sunt, quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras?* Plerique ita hebraicum textum reddunt [5]: *Omne verbum Domini depuratum est igne*. Æque mundum est, pretiosum, ab omni fæce, sordibus, & vitio vacuum, ac pretiosissima metalla, quæ igne probantur, & defæcantur; nam ut alibi jam animadvertimus, nec semel; Hebræi non nisi per ignem aurum, argentumque probabant. Hominum verba sunt inconstantia, dolosa, mendacia; C
sed verbum Dei nulli ex his defectibus obnoxium est. In hominum commercio metalla subrepunt sequioris notæ, ac deterioribus permixta; at in verbo Dei nihil simile inveneris. *Deus meus, impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata*, inquit Regius Psaltes psal. 17. 31. & psal. 11. 7. *Eloquia Domini eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*.

Clypeus est sperantibus in se.] Protector est confidentium in ipso. In Scripturis Dominus passim *Clypeus* vocatur [6]; quo nomine nonnumquam Principes populorum suorum habita ratione appellantur. Quemadmodum clypeus præliantium protegit corpus; ita protegit Dominus in se confidentes. Hebraici textus tamen constructio [7] non patitur, ut *clypei* nomen ad D
Dei verbum, de quo sermo est, referatur; licet frequenter in Scripturis Dei verbum alicui armorum generi comparetur: *Scuto circumdabit te veritas ejus*, ait Propheta psalm. 90. 5. Et *vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. S. Paulus inquit ad Hebr. 4. 12. qui ad Ephes. 6. 16. *in omnibus sumentes scutum fidei, quo possitis omnia tela nequissimi extinguere*.

℣. 6. Ne addas quidquam verbis illius.] Hoc superiori versiculo est subnectendum. Verbum Dei est veluti metallum igne probatum; cave, ne illi aliquid addas, vel ex deteriori nota illi commisceas. Serva divinum hoc verbum in omni puritate sua, ac in pretio suo; ne illud te corrumpere posse arbitreris. Semper in semet incorruptibile permanebit: sed detegetur ne- E
quitia tua, tu in mendacio deprehenderis, & Deus in te severissime animadvertet. *Addere verbis Dei* in Scripturarum stylo significat operari contra quod ipsa præcipiunt, vel aliter ea, ac jubent, exequi: non secus ac *aliquid ab illis abscindere* præcepta aspernari significat, nec ea, quæ imperant, opere explere. Hinc præcipitur Israeli, ut Domini sui Legem sequatur, quin vel ad dexteram, vel ad lævam deflectat [8], quin aliquid addat, vel adimat. In hoc autem Scribæ, ac Pharisæi veteris, Hæretici vero, ac falsi doctores novi testamenti palam prævaricati sunt, Domini verbis aliquid addentes, vel adimentes, falsis, perniciosisque explicationibus suis. Adversus hos istam Salomon sententiam enuntiat: *ne arguaris, inveniarisque mendax*. Salvator noster, & Apostoli ejus arrogantiam, pravamque Doctorum Synagogæ licentiam redarguere, & Ecclesia Catholica mordicus, fideliterque inhærens lapidi fundamentali, atque Apostolicæ traditioni, convicit, damnavit, separavit hæreticos, triticum a zizania sejunxit, & sanam doctrinam a falsa, mendacique distinxit.

℣. 8. Vanitatem, & verba mendacia longe fac a me. Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi.] Duo hæc posco, mi Deus, (℣. 2.) Primo, verborum meorum veritatem; secundo, bonorum meorum mediocritatem. Numquam sponte vanitatem proferam, vel mendacium; intemeratam fidem erga meum proximum tuear; veritas, & æquitas tantum in omni vitæ meæ ratione innotescant: *Vanitatem, & verba mendacia ne dederis mihi*. Vanitas hoc in loco nihil aliud, quam falsitatem significat; non secus ac alibi, *assumere nomen Domini in vanum* [9], pejerare significat. Prior hæc Sapientis petitio aliquam videtur habere rationem cum iis, quæ dicta sunt ℣. 5. 6. *Omnis sermo Dei ignitus . . . ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax*. Post hæc orationem suam ad Dominum convertit, & ab eo primum poscit sincerum veritatis, & æquitatis amorem, & mox illum obtestatur, ut a se arceat duo maxima tentationum offendicula, quæ occurrunt in vita; paupertatem scilicet ac divitias. Paupertas satis frequens est ad mendacium via, ad versutias, dolos, furtum, turpes artes, humiles, indignasque assentationes, impatientiam, obmurmurationemque deducit. Opes vero fastum pariunt, philautiam, proximi contemptum, ac sæpius impotentiam, ac Domini oblivionem. Non cupio me divitem, ajebat Theognis; Deum oro, ut modica, sed sine invidia, mihi ad victum concedat. Et Horatius:

Quod satis est, cui contigit, hic nihil amplius optet.

Petitio isthæc authoris non satis videtur decere Principem, adeo locupletem, atque potentem, qualis Salomon erat. Sed dici potest, ipsum potius hic eos sensus exprimere, quos Sapiens alere debet, ac petitiones, quas Deo hic propter fluxa bona debet offerre, quam hanc esse veram ipsius petitionem, ac propriam ejus necessitatem. Vel: his verbis: *tribue tantum victui meo necessaria*, intelligit quidquid spectare potest ad cujuslibet conditionem, seu Regis, sive privati; quo in sensu Septuaginta sunt interpretati [10]: *Da mihi, quod necessarium, & quod satis est*; vel necessarium, & decorum, ut & necessitatibus meis, atque officiis urbanitatis meæ paria faciam. Ita pauperes, ut divites, Rex, ut novissimus e vulgo, quotidie petunt a Domino: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Vide hac de re Commentarium vers. 1.

Tribue tantum victui meo necessaria.] Hebræus ad litteram [11]: *Fac, ut inveniam velut prædam meam panem edicti mei*; vel edic, ut mihi panis tribuatur, qui necessarius est victui meo, quemadmodum illum tribuis servis, & familiaribus tuis. Capite sequenti dicitur mulier fortis *dedisse famulis suis prædam eorum, & ancillis suis earum mandatum* [12]. Utrisque juxta communem mensuram panem, ac annonam, quæ ipsis debebatur, distribuit. Mensura hæc, ex quorumdam sententia, erat libra farinæ in singulos dies [13]: Vel potius, quatuor libræ panis pro singulis diebus. Servius in Terent. Phorm. asserit, quatuor *modios* in singulos menses assignari consuevisse, quod juxta Pignorii

1 Τί ὄνομα αὐτῷ, ἢ τί ὄνομα τοῖς τέκνοις αὐτοῦ. 2 מה שמו ומה שם בנו
3 Τί ὄνομα τῷ υἱῷ αὐτοῦ. 4 Vide 70. Edit. Rom. 5 כל אמרת אלה צרופה
6 Gen. 15. 1. Deut. 33. 29. 2. Reg. 22. 3. 11. 36. Psal. 3. 4. & passim in Psalmis, in Hebr.
7 מגן הוא לחסים 8 Vide Deuter. 4. 2. 5. 31. 12. 32. 9 Exod. 20. 7. collatum cum Deut. 5. 11.
10 Σύνταξον δέ μοι τὰ δέοντα, καὶ τὰ αὐτάρκη. 11 הטריפני לחם חקי 12 Prov. 31. 15. חק לנערותיה
13 Horat. satyr. lib. 1. sat. 5. . . . Rogabat
Denique cur numquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo.
Verum hic locus contrarium insinuat, amplius nempe quam farinæ libram ois datam.

gnorii rationem in lib. de Servis ad quatuor Romanas libras in dies singulos redit. Cato de re Rust. c. 56, servis compede vinctis quatuor, vel quinque libras quotidie jubet distribui, pro diversa anni temporum ratione; quatuor quidem hyeme, quinque vero, cum agrorum colendorum laboribus exercerentur.

℣. 9. NE FORTE SATIATUS ILLICIAR AD NEGANDUM.] En unum ex maximis flagitiis, quæ ex opibus proficiscuntur: hæ quippe ambitionem, ac superbiam pariunt, inde vero in impietatem, atque in Deum infidelitatem impellunt. Cum non amplius indigemus, tunc homines, mox vero & Deum aspernamur. *Incrassatus est dilectus*, Moyses ait Deut. 23. 15. *& recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.*

FURER, & PERJUREM NOMEN DEI MEI.] Fures apud Hebræos nequaquam capite plectebantur, sed ablata restituere, lege tenebantur. Cum coram Judicibus prodiissent, jure jurando veritatem confiteri adigebantur; quam si negarent, ac aliunde valida in ipsum argumenta suppeterent, morti addicebantur, quemadmodum vidimus cap. 29. 24. Paupertas, quidem ad furtum alliciebat, mox vero ad eumdem perjurio denegandum, tum propter infamiam, cum propter restituendi impotentiam impellebat.

℣. 10. NE ACCUSES SERVUM AD DOMINUM SUUM] Ne addas dolorem dolori, servum accusans apud Dominum ejus. Servitus per se gravissimum jugum est, quin gravius tuis criminationibus fiat; tunc tamen, cum inania, & falsa deferuntur [1]. Temet maledictis C objicis, atque furori servi hujus, quem accusas, & qui nihil intentatum relinquet, ut te de domini sui gratia deturbet. Verti quoque potest [2]: *Ne accuses servum apud Dominum suum, ne obloquatur de te, tuque sis sceleribus obnoxius.* Ne vicissim par pari referens, te accuset apud dominum suum, teque in suspicionem apud amicum tuum vocet. Plurimi interest & Principum servos, & qui ad illos propius accedunt, vereri; possunt enim semper, vel amicis suis prodesse, vel obesse inimicis. Verum hæc adfectata cautio minimum obstare debet, quo minus eorum flagitia, ac nefarias consuetudines detegas, cum vel publica utilitas, vel justitia, & veritas postulant, vel domini illorum honor, vel res patitur detrimentum.

Septuaginta [3]: *ne tradas servum in manus domini* D *sui; ne imprecationes in te evomat, ac pereas.* Rabbini hoc intelligunt de servo alienigena, ac idololatra, qui in terram Israel se se recipit, Idolorum cultum abdicaturus, atque proselytorum albo nomen daturus; & contendunt hoc in eodem sensu, ac Deuteron. 23. 15. Legem esse intelligendum: *Non trades servum tuum, domino, qui ad te confugerit. Manebit tamen in loco, qui ei placuerit . . . . ne contristes eum.* Sed præstat, hanc Legem in generali sensu intelligere, ac Proverbiorum locum explicare eo in sensu, quem illi tribuimus, Hebræum, Vulgatamque secuti.

℣. 11. GENERATIO, QUÆ PATRI SUO MALEDICIT.] In hoc versiculo, & sequentibus tribus Sapiens tria, vel potius quatuor magna reprehendit flagitia, quæ ævo suo grassabantur. Primum eorum, qui parentes E suos probro afficiunt; alterum eorum, qui se puros putant, nec sunt; tertium illorum, qui impotentes sunt, ac superbi: quartum eorum, qui pauperes opprimunt.

A Verbo, impietatem erga parentes, superbiam, hypocrisim, atque inhumanitatem erga pauperes. Hebræus simpliciter legit [4]: *Generatio maledicit patri suo . . .* (12.) *Generatio se mundam credit . . .* (13.) *Generatio elatos habet oculos . . . .* (14.) *Generatio dentes habet æque ac enses acutos &c.* Hodie populus nec parentes suos reveretur, nec munditiam servare adnititur &c. Septuaginta [5] ubique legunt: *filii nequam*, vel generatio prava. *maledicit patri suo . . . .* (12.) *generatio prava se justam credit, neque se abluit, antequam egrediatur*, vel postquam egressa est [6]. Ad litteram: *Non lavit exitum suum.* (13.) *generatio prava elatos habet oculos &c.*

℣. 15. SANGUISUGÆ DUÆ SUNT FILIÆ.] Hæc sanguisuga est cupiditas, cujus filiæ, avaritia, & am- B bitio. Hæ numquam dicunt, satis: numquam contentæ sunt. En hujus ænigmatis solutionem. Septuaginta [7] hoc sequentibus ita subnectunt: *Hirundo tres habebat dilectas filias, quæ simul explere non potuerunt matris suæ aviditatem: & quarta numquam acquievit, ut diceret: satis.* Sed Hebræus, Chaldæus, Syrus, & Symmachus duas tantum legunt hirudinis filias. Sunt, qui per hunc duplicem numerum extremam illius aviditatem intelligant, perinde ac diceres, sanguisugam duplicem, sanguisugam insatiabilem. Sed inutile est ad has ineptias confugere. Bochartus de Animal. par. 1. l. 1. c. 9. postquam prolixius perpendit, quæ isthic de duplici sanguisugæ filia dicuntur, credit, Hebraicam vocem [8] *haluKah* potius significare fatum, vel immutabile divinæ voluntatis decretum de rebus C futuris; vertitque: *Fatum duas habet filias indesinenter clamantes: Affer, Affer.* Duæ hæ fati filiæ sunt sepulchrum, & infernus: in primum corpora, in alterum post mortem animæ descendunt. Vel, ut Rabbini docent: Fatum, ac necessitas moriendi duas habet filias, videlicet *eden*, & *gene*, Paradisum, & Infernum, quorum neutrum umquam dicunt, satis. Paradisus numquam sanctos, Infernus numquam impios, qui illi sufficiant, admittunt. Constat *halaKa* Arabice fatum significare; immo in hoc sensu in omnibus ferme Orientalibus Linguis nomen illud agnoscitur.

TRIA SUNT INSATURABILIA . . . . (16.) INFERNUS, & OS VULVÆ, & TERRÆ . . . . & IGNIS.] Proponit ænigma, & simul illius adfert explicationem. D Quidnam est insatiabile? quatuor sunt. 1. *infernus*, vel potius sepulchrum, quod numquam repletur; 2. *mulier sterilis*, vel meretrix, impudica mulier, semper impuro flagrans amore [9]. Hebræus [10] innuere potius videtur mulierem sterilem; 3. humus *arida, & avida*, vel arenosa, quæ numquam humescit; vel denique tellus generatim, quæ semper qualibet anni tempestate, quolibet anno aquis indiget, quin superioris anni, vel tempestatis imber, subsequenti valeat inservire. 4. Denique *ignis*, qui omnia combustibilia, quæ ipsi traduntur, absumit, & qui numquam magis emicat, extolliturque, quam cum plurimum illi congeritur alimentum; ille rapto vivit, & quo plura illi apponuntur, eo plura exoptat.

Hæc omnia in moralem sensum deflecti possunt, ac E dici potest, infernus, vel *sepulchrum* designare crudelitatem, quæ numquam expletur morte, ac interitu inimicorum suorum, & quæ ultionem suam ultra tumulum usque vellet extendere; qualis fuit inhumanitas

---

1 Lyran. Hug. Jans. Cornel. Gejer. 2 אל תלשן עבד אל ארניו פן יקללך ואשמת

3 Μὴ παραδῷς δοῦλον εἰς χεῖρας δεσπότου, μή ποτε καταράσηταί σε, καὶ ἀφανισθῇς.

4 דור אביו יקלל . . . .
דור טהור בעיניו . . . .
דור מה רמו עיניו . . . .
דור חרבות שניו . . . .

5 Ἔκγονον κακὸν πατέρα καταρᾶται . . . 12. Ἔκγονον κακὸν ἑαυτὸ κρίνει, &c.

6 Vide Marc. 7. 4. *A foro nisi baptizentur, non comedunt.* 7 Τῇ βδέλλῃ τρεῖς θυγατέρες ἦσαν ἀγαπήσει ἀγαπώμεναι, καὶ αἱ τρεῖς αὗται οὐκ ἐνεπίμπλασαν αὐτήν, καὶ ἡ τετάρτη οὐκ ἠρκέσθη εἰπεῖν ἱκανόν.

8 לעלוקה שתי בנות 9 70. Ἔρως γυναικός. Vatab. Mercer.

10 עצר רחם *Conclusio ventris, seu matricis.* Hinc Genes. 20. 18. *Concluserat Dominus omnem vulvam domus Abimelech.* Et 1. Reg. 1. 5. *Dominus concluserat vulvam ejus, &c.* Aquil. Ἐποχὴ μήτρας. Symmach. Συνοχὴ μήτρας. Quod mulieris sterilitatem significat.

tas eorum, qui primis Ecclesiæ temporibus in Christi-fideles sævigere. Mulier sterilis, & voluptatibus dedita, turpes carnis voluptates potest significare. Tellus, quæ numquam imbribus saturatur, avaritiam exhibet, affectum plane insaturabilem. Ignis denique symbolum est prodigalitatis, insanorumque sumptuum, qui omnia bona obligatunt, atque in destructione; ac dissipatione lætantur.

℣. 17. OCULUM, QUI DESPICIT PARTUM MATRIS SUÆ, EFFODIANT EUM CORVI DE TORRENTIBUS.] Hebræus verti potest [1]: *Oculus contemnens obedientiam matris suæ, avelletur a corvis vallis*. Vel oculus contemnens *monita matris suæ*. Septuaginta [2], Chaldæus, & Syrus: *senectutem matris suæ*. Qui non prosequuntur parentes suos eo, quod decet, obsequio, merentur procul dubio, ut eos tradat Deus morti turpissimæ. De cruce suspendi, corvis, carnivorisque feris objici mererentur. *Corvi de torrentibus*, vel de vallibus isthic velut omnium sævissimi denotantur, & qui præ cæteris humana sectantur cadavera, & quæ in sterquilinium abjiciuntur [3], ad eorum distinctionem, qui magis feri sunt, ac procul magis a civitatibus avolant. Lex Moysis Levit. 20. 6. capite plectit filios in parentes suos convicia ingerentes: *qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur*.

℣. 18. TRIA SUNT DIFFICILIA MIHI .... (19.) VIAM AQUILÆ IN COELO; VIAM COLUBRI SUPER PETRAM &c.] En novum ænigma cum explicatione sua. Quatuor res, quas omnis hominum industria detegere nequit: Viam, qua per aera tranat avis, qua serpens super petram adlabitur, qua navis mare findit, & qua homo in adolescentia sua insistit. Priores tres nulli obnoxiæ sunt difficultati. Magna licet hominum sapientia nulla umquam deteget vestigia, ubi nulla sunt. Auctor libri Sapientiæ 5. 10. ad locum hunc videtur alludere, cum de humanæ vitæ brevitate, atque inconstantia loquitur. Quarta vero res varie explicatur. Qui Vulgatæ, atque Septuaginta adhærent [4], eam intelligunt de hominum viis in adolescentia eorum, & putant, innui summum discrimen, quod inter puerum, ac virum intercedit; viam, qua ad virilem ætatem pervenit; quomodo ex infirmo, stupido, muto, inscio, simplici factus fuerit fortis, prudens, doctus, eloquens, ad agendum expeditus, voluptatibus deditus, suisque negotiis inhærens. Et sane cum vir infanti comparatur, tantum discrimen deprehenditur, quod ferme percipi nequit.

Sed recentiorum Interpretum plerique Hebraicum textum ita reddunt [5]: *& via hominis in virgine*, vel in adolescentula; in Hebraico textu adest vox *halma* insignis pro eo Isajæ loco, ubi dicitur virgo, Hebr. *halma* conceptura, ac paritura filium, qui vocabitur Emmanuel; quæ Prophetia in Salvatoris nostri Nativitate, quam de Maria Virgine accepit, fuit adimpleta. Sed notæ melioris Interpretes putant, etiamsi vox hæc vere significet virginem, & Hebræi non aliud nomen habeant, quo virginem significantius innuant, & quamvis in Isajæ loco sermonis decursus, necnon Judaicæ, Christianæque Religionis traditio, atque Apostolorum testimonium illud proprie ad Virginem significandam præfiniant, nihilominus hoc in loco simpliciter significare puellam, quæ extrinsecus quidem se Virginem profitetur, & virgo, non mulier, passim existimatur. Locus igitur, de quo est quæstio, nihil aliud significat [6], nisi notas virginitatis in muliere, vel virginem res esse in incerto positas, & nesciri liquido posse, utrum aliqua virgo sit, necne. Subsequens versiculus palam sententiæ huic suffragatur. Intelligi quoque potest veluti Vaticinium Incarnationis Verbi in sinu Sanctissimæ Virginis, quod quidem miraculum est, quod Sapiens jure, inter res, quæ intelligi nequeunt, potuit adnumerare. Hic sensus a quibusdam antiquis Rabbinis propositus fuisse dicitur, & a nonnullis Interpretibus. Vide Cornelium a Lapide.

℣. 21. PER TRIA MOVETUR TERRA [7].] En aliud ænigma. Quatuor ea sunt, quæ homines sustinere nequeunt; 1. servum dominantem; 2. stultum nimis obesum; 3. pravam mulierem in familia; 4. ancillam dominam factam; quæ omnia satis perspicua sunt, & satis superque experientia teste probantur. Servus, vel homo obscuro loco natus, animæ humilis, servilisque, cum aliis dominatur, indignationis, dolorisque fit argumentum. Si ægre dominum, licet illustri loco natum, patimur, quid credere debemus de homine, qui de servitute ad solium fuerit evectus? Plures meriti, ac probitatis gradus super alios habeat, necessum est, ut sine indignatione, atque invidia ab aliis suspiciatur. Hujusmodi dominus longius crudelior erit alio quovis, & impotentior [8].

... *Regnabit sanguine multo,*
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Servus saturatus, ac nimium commodus, satis frequenter dominum suum aspernatur. Superius jam c. 29. 21. Salomon dixit, qui nimis inter delicias servum suum ab adolescentia nutrit, primo quoque tempore intuiturum esse illum insolentia elatum, ac parere detrectantem. Rex idem sæpius nobis ob oculos posuit incommoda, & jurgii conjugii male auspicati, ac societatis contentiosæ mulieris, & quæ non amatur. Hæc est veluti domus habens tecta jugiter perstillantia, & quæ omnium ventorum furori est obnoxia. Licet permitteret Lex, ut id genus uxores repudiarentur, raro tamen fiebat, ut aliquis hac facultate uteretur, propter alias rationes decoris familiæ, & propter difficultates, quæ de industria a Judicibus nectebantur, ne quis hujus legis facultate uteretur. Demum ancilla, quæ in dominæ, vel vita functæ, vel repudiatæ locum subiit, plerumque importune nimium superbit, ita ut nemo e familia, & præcipue nulla ex aliis viri ejus uxoribus eam ferre queat; supponere enim necesse est polygamiam in Palæstina apud Judæos. Invidia, ac zelotypia, cum inter viri cujus uxores exarsit, ignis est, qui nequit extingui. Ad memoriam revoca Agar Saræ ancillam [9].

℣. 24. QUATUOR SUNT MINIMA TERRÆ (℣. 25.) FORMICÆ, POPULUS INFIRMUS.] Hoc quoque aliud est emblema. Quatuor res minimæ, & sapientissimæ, 1. formicæ, 2. lepusculus, 3. locusta, 4. stellio, vel aranea.

Formicæ quamdam reipublicæ speciem constituunt; qui eas curiosius observarunt in iis deprehenderunt ordinem, atque subordinationem melius institutam, quam quæ in florentissimis rebus plurimis cernitur. Obedientia, ac submissio illis, quæ ætate, vel gradu præstant, mutua in laboribus subsidia, concursus, ac fervor totius parvuli populi ad reipublicæ suæ incolumitatem, atque incrementum; communes, ordinatique labores; inertium pœnæ, sedulitas redditus, annonamque suam colligendi, conservandi, augendique. Vidimus jam supra Sapientem, qui nos ad formicam remittit [10], ut ab ea perspiciamus adolescentiæ tempore victum in senectutem comparare. Notæ melioris Auctores tum Græci, cum Latini sæpius animantium societatibus *populi* nomen tribuunt [11], quemadmodum isthic Agur, vel Salomon.

... LE-

1 עין . . . . תבוז ליקהת אם יקרוה ערבי נחל
2 Ὀφθαλμὸν ἀτιμάζοντα γῆρας μητρὸς, ἐκκόψαισαν αὐτὸν κόρακες ἐκ τῶν φαράγγων.
3 Jerem. 31. 40. & Isai. 15. 7.
4 Ὁδοὺς ἀνδρὸς ἐν νεότητι. Symmach. Ἐν νεάνιδι. *In adolescentia*.
5 דרך גבר בעלמה
6 Vide Hugon. Isidor. Clar. Jansen. Munster. Tig. Mercer. Juo. Pagn. Grot. Castal. Bossuet. alii plerique.
7 תחת שלוש רגזה ארץ 70. Διὰ τριῶν σείεται ἡ γῆ. *Tria turbant terram*.
8 Vide Sveton. in Tiber. cap. 59.
9 Genes. 16. 6. *Ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns, quod conceperit, despectui me habet, &c.*
10 Prov. 6. 6. *Vade ad formicam, piger*.
11 Vide collecta Testimonia apud Boch de Anim. sacr. p. 2. lib. 4. cap. 22. & de formicis. Ælian. lib. 6. cap. 43. Lucian. Apul. Plutarch. &c.

℣. 26. LEPUSCULUS, QUI COLLOCAT IN PETRA CUBILE SUUM.] Hæc animantia in foraminibus subterraneis, vel in rupibus manent; verum non adeo parva sunt, ac formicæ, neque vocari hoc nomine possunt: *minima terræ*. Cæterum neque adnotatur, lepusculis excellens adeo esse ingenium, ut ob id insignes fiant; quapropter Interpretes ad alias confugerunt explicationes. Septuaginta [1] reddunt *Chærogrillum*, hoc est herinaceum; sed quod isthic de *sapientia* effertur, nihil magis herinaceo, quam lepusculo convenit. Nos vero non recedimus ab iis, quæ in Levitico 11. 5. diximus, authographi scilicet nomen quoddam significare genus murium magnorum, ac vulgatissimorum in Arabia, qui ea in regione *aliarbubi* vocantur, & qui turmatim incedunt, atque in rupibus incolunt, ubi annonas suas in hyemem colligunt. B

℣. 27. REGEM LOCUSTA NON HABET, & EGREDITUR UNIVERSA PER TURMAS SUAS.] De locustis prolixius satis in Joel 1. & 2. locuti sumus, cujus generis animantia longe frequentiora sunt in Africa, & in Oriente, quam in nostro hoc frigidiore cœlo. Ipsæ quoque turmatim gradiuntur, & quandoque densæ adeo nubis instar advolant, ut quamdam eclypsis speciem efficiant, Solis adspectum ferme auferentes. De Provincia in aliam migrant, ac populis illas in aere intuentibus terrorem incutiunt; verentur enim, ne in suos agros dilabantur [2]: namque ubi considunt, maximam inferunt calamitatem. Omnia enim diripiunt, absumuntque, nihilque intactum in arvis relinquunt, sed cum herbas, frugesque depastæ sunt, arboribus insident, magisque tenellum ramorum corticem corrodunt, & postea, si quo vento abreptæ in mare, vel lacus projiciuntur, regionem omnem, ubi moriuntur, pestilentia inficiunt; neque alia superest via, ut pestis hæc auferatur, quam in cumulos redactas comburere, vel in maris, aquarumque litoribus, quo a fluctibus ejectæ sunt, tumulare. Agmen eorum præsertim notatu dignum est, atque ad illud præcipue Sapiens videtur alludere. Omnes simul se se attollunt in auras, simulque omnes subsidunt: cum prior castra movet, simul omnes consurgunt, cumque illa in terram devolat, omnes eam sequuntur, atque descendunt. Hæc autem est veluti acies, quæ agmine ordinato castra simul & metatur, & movet. C

Hebræus [3]: *Regem locusta non habet, & simul collecta progreditur* [4], vel parata ad *telum suum ejaculandum*, vel potius ut agmen ad decertandum expeditum, acuens dentes suos, quibus velut armis utitur, ad regiones depopulandas. Vel: *advolant eodem impetu ad telum* [5], *vel parata ad præcidendum*, absumendum, diripiendum; vel *ad spolia dividenda* [7]. Septuaginta [8]: *castra, movet velut exercitus in aciem compositus ad unius imperium*. Adnotavimus jam, simulac una illarum avolat, ac discedit, cæteras quoque sequi, ac cum illa alio contendere. Symmachus [9], aliique plures: *Omnes simul sunt ad instar arenæ*. Infinitus est numerus earum. D

℣. 28. STELLIO MANIBUS NITITUR, ET MANET IN ÆDIBUS REGIS.] Stellio parvum est animal satis cognitum, qui in parietum hiatibus, vel foraminibus manet, quodque satis familiare est, ita ut neque in ædibus frequentioribus permanere vereatur. Chelæ ipsius anteriores, manus vocari possunt, quarum imaginem exhibent. Magna illius calliditas est ad muscas capiendas, & non abhorret a fide, ipsum quoque, uti formicam, in hyemem sibi victum comparare; non enim egreditur cum pluit, neque cum imber ingruit, vel procella desævit. Bochartus [10] hoc in loco Vulgatæ, ac Septuaginta versionem confirmat [11], qui Hebraicam vocem [12] *Schemamith* de stellione intellexerunt; & putat, hic sermonem esse de virulento stellione, qui scorpium ipsum enecat, atque prolixius ostendit, quidquid Scriptura isthic attribuit *Schemamith*, stellioni convenire, quo in sensu Chaldæi etiam Paraphrastes, veteres Rabbini, ac Syrus explicuerunt. A Græcis stellio vocatur hodie *Samiaminthos*, quæ vox plane fluit a *Schemamith*. E

Interpretes alii censuerunt authographi nomen significare, vel *hirundinem* [13], vel *simiam* [14], vel *araneam* [15]; quæ posterior sententia plurimos asseclas invenit. Nemo unus ignorat, insectum hoc quolibet circuire, manuum, vel chelarum suarum adminiculo; Regum ædes, æque ac privatorum domus araneis refertæ sunt; mirabilis ars, qua telas suas ad muscas aucupandas contexit, Sapientis prorsus animadversionem meretur. Curiosi quidam recentiores, qui diligentius insectum hoc consideraverunt, plurima eximia, atque admirabilia enarrant: verum hæc omnia me haud dimovebunt, ut a vulgata versione recedam, quandoquidem belle congruit iis, quæ de *Schemamith* narrat Scriptura.

℣. 29. TRIA SUNT, QUÆ BENE GRADIUNTUR .... (℣. 30.) LEO FORTISSIMUS BESTIARUM, AD NULLIUS PAVEBIT OCCURSUM.] En aliud Emblema aliis fere simile. Quatuor belle gradiuntur: Leo, Gallus, Aries, & Rex. Leo satis cognoscitur; hic quadrupedum animantium est Rex, ferox, audax, imperterritus, nec belluas, nec homines timet, neque e certamine fugit. Si quando vi, vel magno numero cedere cogitur, gravitate quadam, ac sensim se se recipit, identidem caput convertens, ita ut receptus illius nequaquam dici queat fuga, vel cædes [16]: *Generositas ejus in periculis maxime deprehenditur, non in illo tantummodo, quod spernens tela, diu se terrore solo tuetur. Illa nobilior animi significatio: Quamlibet magna canum, & venantium urgente vi, contemptim, restitansque cedit in campis, & ubi spectari potest; idem ubi virgulta, sylvasque penetravit, acerrimo cursu fertur, velut abscondente turpitudinem loco.*

℣. 31. GALLUS SUCCINCTUS LUMBOS.] Animal hoc ferociter graditur, audax est, ac semper in prælia paratus: *Galli imperitant suo generi*, Plinius ait l. 10. c. 21. *& regnum in quacumque sunt domo, exercent. Terrori sunt etiam leonibus ferarum generosissimis.*

Authographi nomina [17] isthic solum ex universa Scriptura inveniuntur, atque non leve Interpretibus negotium facessunt. Alii [18] generatim vertunt: *Qui succinctus est lumbos*, ad iter suscipiendum paratus, vel ad præliandum expeditus. Alii, *pardales*, alii *cursorium canem*, vel *leporarium*, alii *equum militarem*, vel cursorium, vel cataphractum; Bochartus enim de Anim. par. 2. l. 4. c. 34. & Fullerus Miscell. l. 5. c. 12. qui conjecturas suas de equo proponunt, inter se non conveniunt. Alii *apem*, mirabile quidem insectum propter animum suum, levitatem, ac arma. Septuaginta, Chaldæus, Syrus, Arabs, Aquila, Theodotion, aliique complures, de gallo interpretantur. Septuaginta [19]: *Gallus qui animose inter pullos incedit* Alii

1 Οἱ χοιρογρύλλοι ἔθνος οὐκ ἰσχυρόν. Hebr. שפנים עם לא עצום
2 Vide Plin. Ælian. &c. apud Bochart. de Animal. Sacr. par. 2. lib. 4. cap. 2.
3 מלך אין לארבה ויצא חצץ כלו 4 Ita Vulg. Pag. Mercer. Jun. Chald. Vatab. Castal. Tig. Pisc.
5 Gejerus. 6 Ludovic. de Dieu. 7 Boch. loc. cit.
8 Καὶ ἐκστρατεύει ἀφ᾽ ἑνὸς κελεύσματος εὐτάκτως. 9 Symmach. Ὡς ψῆφος πᾶσα.
10 Bochart. de Animal. sacr. part 2. lib. 4. cap. 23. Vide & Grot. hic.
11 70. Καλαβώτης χερσὶν ἐρειδόμενος. 12 שממית בידים תתפש
13 Rab. Jonas. 14 Vatab. Marian. Abenezra, &c.
15 Rabb. Kimchi, Levi, Elias, Mercer. Gejer. alii. 16 Plin. lib. 8. cap. 16. Vide & Aristot. lib. 9. Histor. Animal. cap. 44. & Ælian. lib. 4. cap. 54. 17 זרזיר מתנים
18 Jun. Tremel. Montan. Bochart. Vatab. Abenezra. 19 Ἀλέκτωρ ἐμπεριπατῶν θηλείαις εὔψυχος. Aquil. & Theod. Ἀλεκτρυὼν νώτου, *Gallus supra dorsum*. Symm. Περιεσφραγισμένος ὀσφύν, *Notatus ad latera*.

Alii recentiores [1] : *Gallus cum lumbis suis* ; Gallus integer, non capo. Verficuli 30. & 31. hoc pacto verti possent [2]; quatuor sunt, quæ cum gravitate incedunt: *Leo, caput*, vel animantium fortissimus, *qui non se recipiet adversus omnem hominem armatum* ; *& hircus*, vel aries, *& rex, & alKum cum eo*. Sed nullum agnovimus animal, quod *alKum* vocetur, ni forsasse fuerit *alce*, quod minime differt ab equo, nisi aurium longitudine, ac cervicis magnitudine [3]. *AlKum*, vel *alKim* proprie populi conventum significat, cui Rex interest, ubi concionatur, & præest [4]. His in occasionibus majori cum majestate, ac gravitate Reges incedunt. Itaque vertere mallem: quatuor sunt, quorum incessus est gravis ; *Leo animantium fortissimus, & qui nullam ob causam retrocedit. Armatus miles*, ac prælio expeditus. *Hircus, & Rex inter aulicos suos*, vel in cœtu populi sui. Qui putant, *AlKum* proprium esse cujusdam Regis nomen, qui Salomonis ævo degebat, nullum sententiæ suæ adferunt argumentum; non secus ac illi, qui putant, Salomonem semet hoc nomine designare, quod juxta vocis etymon significat, neminem insurgere adversus illum, vel illi similem. Exemplaria quædam Latina habent [5]: *Et Rex, nec est, qui resistat ei*, pro: *nec est Rex, qui resistat ei* ; at prior lectio Hebraico textui conformior est.

℣. 32. EST, QUI STULTUS APPARUIT, POSTQUAM ELEVATUS EST &c.] Quidam summus, egregiusque vir habebatur, donec in mediocri dignitatis gradu consistit ; sed ad sublimiorem honoris apicem evectus, vere minor apparuit : *Si intellexisses, ori suo imposuisset manum*; neque sibi ignominiam, neque illis pudorem incussisset, a quibus ad dignitatem sublatus est. Hebr. [6] *Si imprudenter egisti te met extollens, & si male cogitasti, impone manum ori tuo*. Silentio tuo repara mala, quæ patrasti intumescens, atque inanes cogitationes enutriens. Septuaginta [7]: *Si in gaudium prorupisti, atque extendisti manum tuam decertans* ; si, nempe, certasti, ut aliena invaderes bona, *pudore suffunderis*. Chaldæus: Ne intumescas, ne stultus *habearis* ; *nec adfer manum tuam ad os tuum*. Ne cor tuum superbia extolli sinas, neque impotenter verba effutias.

℣. 33. QUI AUTEM FORTITER PREMIT UBERA AD ELICIENDUM LAC, EXPRIMIT BUTYRUM.] Hebr. [8] *Qui premit lac, exprimit serum*. Cum lac aliquantisper subsederit, serum extollitur; si vero lac prematur, & pereoletur, densiores partes remanent, & liquidum lac defluit. Sapiens tria isthic proponit, nequaquam nimium esse premendum 1. lac, ne butyrum separetur; 2. nares, ne sanguis eliciatur, eas simpliciter emungere cum velis; 3. iram, ne violenter nimis irritata, in jurgia, & contentiones desinat. Priora duo monita ad tertium referuntur : atque hoc dumtaxat innuunt, omnibus in rebus modum esse servandum, summamque severitatem evitandam. Sæpe eum pravam aliquam consuetudinem tollere adniteris, perniciosius aliquod scandalum insurgit. Imprudentia, quam medela applicatur; malum sæpe potius auget, qua levet. Septuaginta [9]: *educ lac, & habebis butyrum : si nares presseris, sanguis manabit* ; & si prolixius *sermones tuos* produxeris, *hi jurgia parient, atque contentiones*.

---

1 Menoch. Marian. Castal.
2 ליש גבור בבחמה ולא ישוב מפני כל זרזיר מתנים אותיש ומלך אלקום עמו
3 Plin. lib. 8. cap. 15. 4 Vide Chald. Castal. Lexic. 70. Καὶ βασιλεὺς δημηγορῶν ἐν ἔθνει.
5 Edit. Sixt. V. Lyran. Clar. Hug. Jans. Dionys. 6 אם נבלת בהתנשא ואם זמות יד לפה
7 Ἐὰν πρόσῃς αὐτὸν εἰς εὐφροσύνην, ἢ ἐκτείνῃς τὴν χεῖρα σε μετὰ μάχης, ἀτιμωθήσῃ.
8 כי מיץ חלב יוציא חמאה
9 Ἄμελγε γάλα, καὶ ἔσται βούτυρον, ἐὰν δὲ ἐκπιέζῃς μυκτῆρας, ἐξελεύσεται αἷμα, ἐὰν δὲ ἐξέλκῃς λόγους, ἐξελεύσονται κρίσεις, καὶ μάχαι. Theod. Εἰ ἐφρόνησας ἐν τῷ ἐπαιρεσθαι, καὶ ἐνοήθης, χεῖρα ἐπὶ στόμα.

CAPUT XXXI.

Lamuel refert præcepta, quæ didicit a matre sua ; Lustra, & scorta fugienda. Reges se vino ingurgitare non debent ; quod iis convenit, qui in squalore versantur. Mulieris fortis elogium. Ejus œconomia, sapientia, vigilantia, ac in labore sedulitas. Formæ corporis fragilitas.

1. VErba Lamuelis regis. Visio, qua erudivit eum mater sua. 2 Quid, dilecte mi, quid, dilecte uteri mei, quid, dilecte votorum meorum ? 3
Ne dederis mulieribus substantiam tuam, & divitias tuas ad delendos reges. 4 Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas. 5 Et ne forte bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis. 6 Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo : 7 Bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius. 8 Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum, qui pertranseunt. 9 Aperi os tuum, decerne, quod justum est, & judica inopem, & pauperem. 10 Mulierem fortem quis inveniet ? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. 11 Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit. 12 Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ. 13 Quæsivit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. 14 Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. 15 Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. 16 Consideravit agrum, & emit eum : de fructu manuum suarum plantavit vineam. 17 Accinxit fortitudine lumbos suos, & robo-

roboravit brachium suum. 18 Gustavit, & vidit, quia bona est negotiatio ejus:
non extinguetur in nocte lucerna ejus. 19 Manum suam misit ad forria, & digi-
ti ejus apprehenderunt fusum. 20 Manum suam aperuit inopi, & palmas suas ex-
tendit ad pauperem. 21 Non timebit domui suæ a frigoribus nivis: omnes enim
domestici ejus vestiti sunt duplicibus. 22 Stragulatam vestem fecit sibi: byssus,
& purpura indumentum ejus. 23 Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum
senatoribus terræ. 24 Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chana-
næo. 25 Fortitudo, & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo. 26
Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. 27 Consideravit se-
mitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. 28 Surrexerunt filii ejus, &
beatissimam prædicaverunt: vir ejus, & laudavit eam. 29 Multæ filiæ congrega-
verunt divitias: tu supergressa es universas. 30 Fallax gratia, & vana est pul-
chritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. 31 Date ei de fructu manuum
suarum, & laudent eam in portis opere ejus.

℣. 1. VERBA LAMUELIS REGIS.] Communior, atque constantior apud Judæos, & Christianos sententia, Lamuelem eumdem esse ac Salomonem, censet [1]. Mater sua illum Lamuelis nomine appellavit, ut ostenderet, ipsum ad Deum pertinere, ac illi esse dicatum; hic filius erat votorum, precumque suarum. Ad litteram *Lamuel* significat, qui Dei est, vel qui Deum possedit. Aliqui vero litteram addunt, perinde quasi legeretur *Lemud-el*, & reddunt, a Deo ipso edoctum. Alii legunt *Leemmo-el*, Dominus est cum illo. Verum si quid litterarum vel addideris, vel ademeris, in quamcumque significationem poteris detorquere. Hebræus verti etiam scire potest [2]: *Verba Regis Muel*, vel dicta Regi Muel. Grotius autumat, *Lamuel* fortasse esse Regem Ezechiam, qui hic collegit præcepta, quæ a matre sua Abi, vel Abia, summi Sacerdotis Zachariæ filia, perceperat. Verum quorsum inanibus conjecturis ductus recedam a constanti traditione, quam vulgo & veteres, & recentiores, tum Synagogæ, cum Christianæ Ecclesiæ Doctores sunt amplexati? Rabbini quidam ajunt, Salomonem septem diversis nominibus fuisse appellatum; alii vero sex, & S. Hieronymus in Eccle. 1. tria illi nomina tribuit, hoc est *Salomon*, *Ididaiah*, *& Coheleth*. Scriptura nobis quinque hæc illius nomina refert; Jedidiah, Salomon, Lamuel, Coheler, Agur, quibus nonnulli addunt nomen *filii Jake*, & *Ithiel*: Dominus mecum. Septuaginta [3]: *Sermones mei prolati fuere ore Dei* mei, & *Regis* mei. *Documentum, quod didici a matre sua*. Vel cum aliis [4]: *Sermones mei prolati fuere per os Dei. Instructio, quam Rex a matre sua accepit*. Græci alii Interpretes, vel eorum Librarii *Lamuelis* nomen immutarunt: & in eorum fragmentis legimus, *Lammoun*, vel *Rebuel*, vel *Jabuel*. Græci equidem vulgo parum caste, ac religiose alienigenarum nomina exscribunt.

VISIO QUA ERUDIVIT EUM MATER SUA.] Infertur isthinc, Bethsabee prophetiæ spiritu afflatam fuisse [5]; ejus enim monita intra Scripturarum Canonem admissa fuere. Verum licet Divino hoc munere nequaquam fuisset donata, satis erat, præcepta illius a Salomone auctoritatem fuisse consecuta, atque ab eodem tradita in Libro Divino, ut divino, atque cœlesti numine afflata crederentur; quandoquidem nemo Salomoni prophetiæ, ac cœlestis afflatus donum denegat. Nonnulli, ut inspirationem hanc tuerentur, dixere,

A Bethsabee a Nathan hæc monita percepisse, ac deinde ipsa filio suo Salomoni tradidisse. Hebraica vox, quæ reddita est *Visio Prophetica*, est *Massa* [6], quam vidimus jam capite superiori ℣. 1. Notatu dignum est, in Libro hoc universo, quotiescumque se obtulit occasio, Salomonem matris suæ sapientiam extollere [7]: ac discipulum suum adhortari, ut libens matris suæ audiat præcepta [8], atque ea fideliter opere compleat. Sapientis doctæque matris monita magnam semper obtinebunt vim, & summo cum fructu percipientur in corde adhuc vacuo; quandoquidem proficiscuntur ab ea, quæ unice diligit, ac habet, quidquid requiritur, ut dictis suis amorem, atque observantiam conciliet, ut ea blande communicet.

℣. 2. QUID DILECTE MI? &c.] Hebr. [9] *Quid dilecte mi; fili uteri mei; quid fili votorum meorum?*
B Hæc ars est matris, quæ summæ charitatis ardore succensa, ut filio suo ostendat, quo ipsa teneatur desiderio illum sapientem ac felicem videndi, ostendit illi, se nescire, unde exordiri, nec quibus vocibus utiy ut ipsum ejus officia edoceat, & ea, quæ vitare debet, pericula aperiat? Fidei consonum est, Bethsabee monita hæc Salomoni dedisse in ipso regni ejus primordio, & statim post Davidis occubitum. Capitis titulus, ubi Salomon Rex appellatur, & qualitas præceptorum, quæ ipsi mater tradit, ut scilicet lustra, ganeasque effugiat, hanc sententiam confirmant. Ex Scriptura liquet [10], qua observantia Salomon tunc matrem suam coleret: cum enim eam accedentem prospexisset, e solio prosiluit, illi occurrit, eam adoravit, eique thro-
C num ad throni sui dexteram jussit collocari.

℣. 3. NE DEDERIS MULIERIBUS SUBSTANTIAM TUAM, & DIVITIAS TUAS [10] AD DELENDOS REGES [11].] Ne te voluptatibus, ac meretriciis illecebris tradas; ea quippe certissima est via, qua corporis tui valetudini officias, & perperam bona tua obligurias. Princeps, qui meretrices deperit, earum avaritia, atque aviditate exhaurietur, tum pro ipsis, cum pro illis, qui ad eas spectant; & cum aliqua aderit occasio, in qua Regni sui utilitas, vel honor agatur, tunc illi deerunt adminicula, & cogetur, vel a præclaris incœptis desistere, vel populos suos opprimere, ut simul & insanis sumptibus, & Regni necessitatibus subveniat. Sedulo igitur cave, ne flagitiosæ libidinis æstus te vexet; sed evita quoque aliud malum, cui Princeps potens, & gloriæ amator sæpe est obnoxius; videlicet, ne suis opi-

bus,

1 Ita Patres & Interpp. passim. Pined. Cornel. Iansf. Mercer. Geier. Rabb. &c.

2 דברי למואל מלך 3 Οἱ ἐμοὶ λόγοι εἴρηνται ὑπὸ Θεοῦ Βασιλέως. Χρηματισμὸς ὃν ἐπαίδευσεν ἡ μήτηρ αὐτοῦ. Aquil. Ῥήματα Λαμμοῦν. *Sententiæ Lammun*. Th. Ῥήματα Ῥεβουήλ. *Verba Rebuelis* Sym. Λόγοι Ἰαμουήλ. *Sermones Iamuelis*. 4 Ambros. Exhortatio virginit. *Regis admonitio, quem erudivit mater sua*.

5 Ita Cornel. Pined. Bayn. Iansf. Geier. 6 משא אשר יסרתו אמו 70. Χρηματισμός. *Oraculum*.

7 Vide Prov. 4. 3. 4. 8 Prov. 1. 8. 2. 20. 23. 25.

9 מה ברי מה בר בטני ומה בר נדרי 10 3. Reg. 2. 19. 20. *Surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam; & sedit super thronum suum; positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus*.

11 Edit. Complut. *Et vias tuas ad delendos Reges*. Ita & nov. Edit. S. Hieronym. Quædam MSS. *Divitias*, alia, *delitias*. Correctiora, *vias*.

bus, viribusque ad finitimorum oppressionem abutatur. Cupiditatem novæ magnitudinis, & gloriæ compesce; gloriam quidem aucupare, sed per æquitatem, moderationem, clementiam, atque justitiam. Populorum tuorum amorem tibi concilia, hostibus verò terrorem incute; sed ne impendas *divitias tuas ad delendos Reges*.

Hebræus alium potest sensum admittere [1]: *ne tradideris robur tuum mulieribus, & vias tuas ad delendos Reges*. Ne te abdideris voluptatibus, quæ & saluti, & vitæ diuturnitati officiunt [2]: Ne mulieres depereas; per eas enim Reges pereunt. Verba hæc sunt veluti vaticinium futuræ Salomonicæ calamitatis. Septuaginta [3]: *Ne dederis opes mulieribus, nec tradas mentem, ac vitam tuam pœnitentiæ*. Ne tua bona profundas, ut scorta ditescant: ex omnibus voluptatibus tuis nihil tibi reliquum erit, quam acres conscientiæ stimuli, & tristis, inutilisque pœnitentia. Chaldæus: *Ne dederis robur tuum mulieribus, nec vias tuas filiis Regum*.

℣. 4. Noli Regibus dare vinum &c.] O Salomon! vini immodicus usus Regem dedecet; modice tantum mero utere. Vinum omnibus, sed Principibus præsertim est perniciosum, quorum verba veluti oracula esse deberent [4], & quorum cor veluti impenetrabilis profunditatis Oceanus [5]. Si regnare vis, disce commissi arcani fidem tueri; & si arcanum servare cupis, immodicum vini potum perhorresce. Ebrietas vim odit, & libertatem, ac veritatem amat; *in vino veritas*; non decet, Regem semper suas cogitationes proferre; & nimis cordis sui consilia detegere. Horatius l. 3. Od. 21.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.

Noli Regibus, o Lamuel! noli Regibus dare vinum.] Bethsabee prudenter eam servat reverentiam, quæ Salomoni debetur; neque illi directe dicit, ut ebrietatem evitet. Consilium nimis pertinax videri posset: Reges sibi rationem haberi volunt, cum etiam utilissima illis dicuntur: *Noli Regibus dare vinum*: Vinum ex illis arcanum posset extorquere, ac in ipso justitiæ oblivionem immittere; quæ summo studio, ac diligentia ipsos tueri par est.

Hebræus [6]: *Reges vinum non bibant, & Principes non cupiant liquores, quibus possint inebriari*. Vel: Non decet Reges vinum bibere, neque Principes amare siceram, quæ novissima vox quodvis potionis genus significat, quod ebrietatem affert, & præsertim vinum e palmis, in Oriente vulgatissimum. *Bibere vinum* generatim pro intemperantia, & commessationibus usurpatur. Septuaginta [7]: *Omnia fac cum consilio*, vel prudentia: *bibe vinum cum consilio. Potentes iræ sunt obnoxii, vinum bibere non debent*; compotationibus indulgere minime par est [8]. Vidimus in Ecclesiaste [9], Salomonem hoc profecisse præcepto, atque a mero, & ganeatum nidore abhorruisse, ut sapientiæ vacaret; verum non diu in salutari hac permansit consuetudine.

℣. 5. Et ne forte bibant, & obliviscantur judiciorum.] Hebr. [10]: ne obliviscantur *Mandatorum*, Septuaginta [11]: *ne postquam biberint, obliviscantur sapientiæ, & justitiæ, ac pauperes opprimant*. Solon teste Laertio l. 1. in Atheniensium Republica, quam legibus suis formaverat, capitis supplicio afficiendum præcepit Principem, qui ebrietate fuisset correptus; & Areopagitæ de subselliis suis Judicem ejecere, eo quod in popina quadam cœnasset; ut narrat ex Hyperide Athen. l. 13. c. 2.

℣. 6. Date siceram moerentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.] En autem quibusnam licet uti mero, ac potu illo, qui vim aliquam cerebro admovere potest: ii scilicet, qui in luctu, ac mœrore versantur: ut meri vis eos regat, & fumi potus validi nimis acrem doloris sensum adimant. Non ideo tamen putes, Sapientem hic vini excessum, ebrietatemque vel ipsis, qui affliguntur, permittere. Sed meri usum ipsis permittit propter allatas rationes, dum Reges, Principesque adhortatur, ut vel omnino vino abstineant, vel paucissimo utantur. Ex toto Historiæ sanctæ decursu liquet, vini usum apud Judæos fuisse infrequentissimum; & sane in calidioribus regionibus parcius uti debebant mero, quam iis in terris, ubi non adeo fervet æstus. Hominum natura, solis ardores, vini vis non patiebantur aliquem se illo liberalius proluere, quin maximum perciperet detrimentum. Apud Persas quoque, qui semper habiti sunt egregii potores, vinum plerumque sub cœnæ finem dumtaxat adhibebatur, quemadmodum in Esther ostendimus. Apud Hebræos vinum bibere, passim idem significat, ac in lustris ganeisque versari.

Quoad vero consuetudinem vinum illis tribuendi qui in squalore jacerent: Rabbini in Tract. Sanhedrin docent præberi consuevisse merum, vel potum alium, qui ebrietatem inferre posset, illis, qui capite erant plectendi, ut terroris pars, & aliquis supplicii sui sensus illis adimeretur. Potio hæc ipsis eo tempore offerebatur, quo ad supplicii locum trahebantur; nec deerant honestæ mulieres Jerosolymis, quæ vino huic pulveres quosdam immiscerent, ut validius esset, atque majorem haberet vim ad soporem sensibus immittendum. Vinum *myrrhatum*, quod oblatum fuit Salvatori nostro [12], antequam Cruci affigeretur, ex eo fuisse perhibetur, quod sontibus præberi ante illorum supplicium consueverat.

Non ideo tamen hunc verum esse reor loci, quem explicamus, sensum. Bethsabee animo potius obversabatur alius ille mos, qui ad hanc usque diem in Oriente familiaris est; ubi cognati ac amici mittebant esculenta, & poculenta in domos, ubi ob aliquem vita functum lesus fiebat, immo & ipsi cœnatum cum ipsis ibant, eos consolaturi, atque invitaturi, ut cibum ad corporis vires reficiendas caperent. In defuncti domo per aliquot dies nihil coquitur; nec aliqua præparatur esca; sed consanguinei, & amici epulas suppeditant. Sub horam prandii in domum illam cernuntur plures mulieres ingredi, calathos capitibus gerentes escis refertos, post quas homines subsequuntur, mortui consanguineos consolaturi, ac cœnaturi cum illis [13]. Expletis etiam funeribus convivium cognationi cunctæ instruebatur. Vide *Eccle*. 7. 3. Et Rabbini dicunt, decies bibi consuevisse, cum sapientes, vel nobiles viri tumularentur. Hebr. [14]: *Date siceram pereunti, & vinum illi, qui in animæ amaritudine sunt*. *Pereuntem* vulgo explicant de sonte suppliciis addicto; sed generatim vox illa significat pauperem, egenum [15] sine bonis, sine viribus, sine spe. Septuaginta [16]: *date ebrietatem*, vel potum, qui inebriare queat, *illis, qui in tristitia versantur, & vinum illis, qui in doloribus jacent*.

℣. 8. Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum, qui pertranseunt.] Omnium scili-

1 אל תתן לנשים חילך ודרכיך למחות מלכין 2 Vide sup. Prov. 5. 9. & 10. 7. 26.

3 Μὴ δῷς γυναιξὶ τὸν σὸν πλοῦτον, καὶ τὸν σὸν νοῦν, καὶ βίον εἰς ὑστεροβουλίαν. Th. Εἰς μεταμέλειαν. Pro πλοῦτον. Sym. Τὴν ἰσχύν, & Hebr. חיל 4 Prov. 16. 10. *Divinatio in labiis Regis*. 5 Prov. 25. 3. *Cor Regum inscrutabile*. 6 אל למלכים שתו יין ולרוזנים אי שכר 7 Μετὰ βουλῆς πάντα ποίει, μετὰ βουλῆς οἰνοπότει. Οἱ δυνάσται θυμώδεις εἰσίν, οἶνον μὴ πινέτωσαν. 8 Vide Prov. 20. 1. & 23. 31. & Luc. 7. 34.

9 Eccle. 2. 3. *Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam*. 10 פן ישתה וישכח מחקק 11 Ἵνα μὴ πιόντες ἐπιλάθωνται τῆς σοφίας, καὶ ὀρθὰ κρῖναι, οὐ μὴ δύνωνται τοὺς ἀσθενεῖς. 12 Marc. 15. 23. *Dederunt ei bibere myrrhatum vinum*. Vide & Amos 2. 8. *Vinum damnatorum bibebant in domo Domini*. 13 Dandini, Voyage du Mont. Liban. c. 19.

14 תנו שכר לאובד ויין למרי נפש

15 Deut. 26. 5. ארמי אבד אבי Job. 29. 13. ברכת אבד עלי תבא Ita & 31. 19.

16 Δότε μέθην τοῖς ἐν λύπαις, καὶ οἶνον πίνειν τοῖς ἐν ὀδύναις.

scilicet mortalium, quorum vita via est, ac transitus; A vel omnium alienigenarum, qui per regionem pertranseunt, & qui nullum habent præsidium præter Regum, Judicumque justitiam. Vel denique: *omnium pertranseuntium*, eorum omnium, qui Legum patrocinio, atque justitiæ præsidio indigent. Hebræus ad litteram [1]: *Aperi os tuum, & judica mutum: attende ad judicium omnium filiorum transitus*, vel *desolationis*, valli mortis; videlicet eorum omnium, qui in periculo versantur, ne pereant, vel ne ab aliis opprimantur. Subsequens versiculus præsentem interpretatur: *Aperi os tuum, præcipue quod justum est, redde justitiam pauperi, & egeno*. Chaldæus ℣. 8. *Aperi os tuum innocentibus, & judica omnes filios perversorum* (℣. 9.) *Aperi os tuum, redde justitiam, judica pauperes, & oppressos*. Septuaginta [2]. *Fili mi, aperi os tuum verbo Dei, & sano judicio homines judica, aperi os tuum, & juste judica, redde justitiam pauperi, & infirmo*. B

℣. 10. MULIEREM FORTEM QUIS INVENIET? PROCUL, & DE ULTIMIS FINIBUS PRETIUM EJUS.] Salomon cum retulerit præcepta, quæ a matre percepit, illi contexit elogium magnificentissimum, ac speciosissimum inter ea, quæ de aliis mulieribus in veteri Testamento leguntur; & quemadmodum Spiritus Sanctus neque adulari potest, neque mentiri, ita ex hoc Bethsabee encomio, de ejusdem virtute judicium ferre possumus; quæ & scelus cum Davide patratum per pœnitentiam diluit, & fide sua meruit ad altissimum virtutis, ac sanctitatis gradum evehi, ita ut mulieribus cæteris, & animabus, quæ per Christianarum virtutum exercitationem quærunt sanctificari, tamquam eximium pro- C ponereretur exemplar. Patres eam veluti Sanctæ Virginis [3], & Ecclesiæ JESU CHRISTI [4] imaginem intuiti sunt; & re ipsa in iis, quæ de eadem Salomon loquitur, plurimi deprehenduntur characteres, qui fidelibus omnibus maximæ esse queunt ædificationis.

Bona tamen fide fateri necesse est, in iis, quæ Salomon ait de matre sua, plurima adesse vestigia, quæ pressius illi non ad unguem respondent: exempli gratia id, quod de viro suo dicit, qui cum honore inter Judices, ac Senatores populi sedebat in porta civitatis, & id, quod de filiis ejus additum est, laudes illius celebrantibus. Verum cum præcipuum Sapientissimi Scriptoris consilium fuerit nobis veræ matronæ imaginem tribuendi, ac sapientem matrem familias describendi, addidit graphidi suæ generales quasdam no- D tas, ut plurimis pro exemplari inserviret. Ab hoc loco ad finem usque capitis versiculi omnes sunt acrostici, & litteris secundum alphabeticum ordinem dispositis incohant. Hæc scribendi ratio non uno in Scripturæ loco deprehenditur.

Hebræus ad litteram hæc habet [5]: *Quis inveniet mulierem fortitudinis*, vel divitiarum? *hæc est merces ex remotioribus terris quam uniones*; vel pretium ejus ab unionum pretio longissime distat. Longe pretiosior est, quam uniones. *Mulieris fortis* nomine Salomon omnes optimas mulieris dotes comprehendit: sed eas fere in œconomia, labore, sedulitate, diligentia, domesticarumque rerum cura constituit. Quapropter nonnulli Interpretes vertunt [6]: *quis inveniet mulierem, quæ opes colligere norit?* Mulierem divitiarum, industriam, E ac domus suæ bonis augendis deditam; & sensus hic, ut mea fert opinio, locorum [7] ubi eædem voces occurrunt, habita collatione, verus, ac litteralis loci hujus esse videtur. De unionibus in Jeremiam, Thren. 4. 7. erit sermo. Sapiens veteri alludere videtur con-

A suetudini emendarum uxorum, quæ ducebantur; cum ait, mulierem fortem mercem esse unionibus magis pretiosam, & infrequentem, atque ex remotioribus regionibus advehi.

℣. 11. CONFIDIT IN EA COR VIRI SUI, & SPOLIIS NON INDIGEBIT.] Diligentia, ac sapientia viri ejus nihil ipsi deesse patientur, sed necessaria illi suppeditabunt. Confidet vir in ejus sedulitate, eique totius rei familiaris curam relinquet; neque ipsi elaborandum erit, ut ab hostibus spolia referat, quibus & famulos induat, & illis escam suppeditet. Uxor ejus hac ipsum levabit solicitudine; omnes servi ejus duplicia habent indumenta ℣. 21. Chaldæus id aliter intelligit: *Cor viri sui confidit in ea, ipse nec vestibus caret, neque in egestate versatur*. Non spolia, non bona ipsi desunt. B Domus ejus referta est divitiis, perinde ac ex hoste victo manubias retulisset.

℣. 12. REDDET EI BONUM, & NON MALUM.] Nihil umquam efficiet, quod viro molestiam ingerat, verum e contra illum bonis cumulabit, donec ipsa vixerit [8]. Omnes in ipsa præclaræ dotes effulgent, quæ perfectam uxorem commendant, neque ulla in illa deprehenditur nota ex iis, quæ infelicia reddunt conjugia.

℣. 13. QUÆSIVIT LANAM, & LINUM, & OPERATA EST CONSILIO MANUUM SUARUM.] Hebr. [9] *Quæsivit lanam, & linum, & operata est secundum voluptatem manuum suarum*. Non emit telas, ac vestes jam textas; sed ipsas, uti libitum ipsi fuit, contexuit, vel *fecit, quod voluit*, ad instar peritæ artificis, C quæ callet lanam, filumque, prout vult, in opus redigere; olim namque apud Græcos, Romanos, Hebræos, ac alios ferme omnes populos, mulieres tantum telas, pannosque texebant; neque Reginas ipsas, Principesque mulieres pudebat huic operi insudare, quod nostris hisce diebus humillimis e plebe artificibus relictum est. Videmus istic Bethsabee Regis David uxorem serio omni domesticæ curæ vacantem, ac vel per se, vel per alios ante oculos suos vestes pro familia cuncta intexentem. Regina Penelope Ulyssis uxor [10] manibus suis pretiosissimam telam ordiebatur; Dea Calypso in id ipsum incumbens nobis exhibetur [11]. Alexander Darii matrem allocutus, ac ipsi vestem suam ostendens, ait, apud Q. Curtium l. 5. *Mater, hanc vestem, qua indutus sum, sororum non solum donum,* D *sed etiam opus vides*. Augustus domi non aliis utebatur vestibus, quam illis, quas vel Augusta uxor, vel soror, vel filiæ, ac neptes suæ fuissent elucubratæ [12]; quod ferme ipsum de Carolo Magno Eginhardus enarrat. Septuaginta [13]. *Novit lanam, & linum, ac utilia fecit opera labore manuum suarum*.

℣. 14. FACTA EST QUASI NAVIS INSTITORIS, DE LONGE PORTANS PANEM SUUM.] Mulier œconomicæ rationi vacans est viro suo, veluti navis ex litoribus exoticis profecta, ditissimis mercibus refertissima. Affert viro suo maximam cujuslibet generis bonorum copiam. *Panis* nomine intelligitur, quidquid in escam adhibetur, omnis annona, panis, vinum, oleum, fructus. Ad versiculi hujus sensum evolvendum ita verti oporteret: Colligit domi suæ omne commeatuum E genus, veluti navis, quæ ex remotissimis oris advecta quodlibet pretiosarum mercium genus adducit. Septuaginta [14]: *Est veluti mercatoria navis, quæ de longe divitias affert*.

℣. 15. DE NOCTE SURREXIT, DEDITQUE PRÆDAM DOMESTICIS SUIS, & CIBARIA ANCILLIS SUIS.] No-

1 פתח פיך לאלם אל דין כל בני חלוף   2 Vers. 8. Υἱὲ ἄνοιγε σὸν στόμα λόγῳ Θεοῦ, καὶ κρῖνε πάντας ὑγιῶς. Vers. 19. Ἄνοιγε σὸν στόμα, καὶ κρῖνε δικαίως, διάκρινε δὲ πένητα καὶ ἀσθενῆ.

3 Bernard. serm. 2. Super Missus est. Et serm. 9. Inter parvos; & Caten. Græc. hic.

4 Ita Author oper. imperf. in Matt. homil. 23. Gregor. Magn. lib. 33. Moral. August. sermo 7. de Divers. Idem serm. 57. & 58. nov. Edit. Beda, Salonius. Vide Cornel. a Lapide hic fuse.

5 אשת חיל מי ימצא ורחק מפנינים מכרה   6 Abenezra, Pisc. Bayn.   7 Prov. 12. 4. 14. 1.

8 כל ימי חייה Aquil. Sym. Theod. Πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτῆς. 70. Πάντα τὸν βίον.

9 דרשה צמר ופשתים ותעש בחפץ כפיה   10 Odyss. A.   11 Odyss. E.

12 Sueton. in August. cap. 64. & 73.   13 70. Μηρυομένη ἔρια καὶ λίνον, ἐποίησεν εὔχρηστα ταῖς χερσὶν αὐτῆς.

14 Ἐγένετο ὡσεὶ ναῦς ἐμπορευομένη, μακρόθεν συνάγει αὐτῆς τὸν πλοῦτον.

ctu, vel antelucanis horis se ex cubili proripere summam alicui rei diligentiam, attentionemque significat. Scriptura sæpius hac utitur ratione loquendi. At tantane laus est in matre familias, ut noctu consurgat, servis suis escam distributura? Præstaret, videtur, si summo diluculo surgeret, ut servos ad opus mitteret, ac postea congruum illis cibum tribueret. Responderi potest, ipsam summo mane consurgere consuevisse, ut servis diurnam escam tribueret, cum eos ad agros excolendos mittebat, seu quod vescerentur domi, antequam ad opus egrederentur, seu in agros victum secum adferrent, ubi inter laborem comederent. Hebræus aliam nobis aperit explicationem [1]: *Surrexit; cum nox esset adhuc, & dedit prædam domui suæ, & mandatum ancillis suis*. Duæ hæ voces *præda*, & *mandatum* proprie significant cibum, qui servis tribuebatur, vel B in singulos dies, vel in menses singulos; eratque stata frumenti copia, quam servi ipsi molere, ac præparare debebant; & quæ erat fere quatuor librarum panis in singulos dies. Vide, quæ dixerim in ℣. 8. cap. 30. libri hujus. Mater familias summa cum sedulitate domesticis suis cibum, qui illis debetur, distribuit. Ad id primo diluculo consurgit, ne diurnus labor hac distributione sit intermittendus. Interpretes quidam [2] vertunt; *ante diem surrexit, ac dedit cibaria* domui suæ domesticis, armentisque suis; *& ancillis suis opus præscripsit*. Edixit, quid ipsis faciendum esset, ac pensum illis proposuit; non secus ac mulier illa, de qua Virgilius Æneid. 8.

Impositum cinerem, & sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercens penso.

C Veteres Auctores, qui de œconomica re conscripserunt, summam exposcunt vigilantiam in eo, qui domesticis rebus præest, atque rusticæ domus custodiam gerit; ut *Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat*; ait Cato de re Rust. c. 5. ac adnitatur, ut omnia maturato fiant: *nam res rustica sic est; si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies*; ait Cato loc. cit.

℣. 16. CONSIDERAVIT AGRUM, & EMIT EUM: DE FRUCTU MANUUM SUARUM PLANTAVIT VINEAM.] De fructu scilicet operum suorum, quæstus sui, vel suæ parsimoniæ. Industria, ac labore suo, ea collegit, quibus fundum emere, ac vineam conserere posset. Neque inconsulto Salomon ait, illam considerasse agrum, quem erat emptura; quod consilium illis D sane prodest, qui serio œconomicæ rei student, ne ullum omittant laborem, cum visendum est, atque considerandum prædium, pecunia comparandum. *Prædium cum parare cogitabis*, ait Cato de re Rust. c. 2. *sic in animo habeto, uti ne cupide emas, neve opera tua parcas visere: & ne satis habeas semel circumire. Quoties ibis, toties magis placebit, quod bonum erit.*

℣. 17. ACCINXIT FORTITUDINE LUMBOS SUOS, & ROBORAVIT BRACHIUM SUUM.] Non sufficit matri familias imperare, hortari, rogare. Si imperata sua fieri cupit, ac optat, opus suum affabre elaborari, & opportune perfici, se se fortitudine accingat, opus est, ac manum suam addat operi. Nihil nimis difficile erit servo, cum herus, vel domina una secum adlaboraverit. Qui aliis præsunt, neque digitum admovere E volunt oneri, quod aliis imponunt, hæc sibi dicta putent. *Accingere se* significat se ad laborem, viam, actionem præparare; alioquin enim mulieres semper cingulum deferebant [3], quod plerumque erat pretiosum.

℣. 18. GUSTAVIT, & VIDIT, QUIA BONA EST NE-A GOTIATIO EJUS: NON EXTINGUETUR IN NOCTE LUCERNA EJUS.] Experientia didicit, ex labore suo se fructum non mediocrem capere; summa ex eo affecta fuit voluptate, sibi complacuit; atque diurno operi, & nocturnum addidit. *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*. Parum adeo somno indulget, ac labori indesinenter adeo vacat, ut parvum noctu deprehendatur intervallum, quo lampas ejus non ardeat: sed jugiter inter ancillas suas versatur nendo, aliisque similibus operibus occupata. Hoc enim pacto veteres nobis exhibent mulieres, amplissimæ quantumvis nobilitatis, œconomiæ studio his exercitationibus deditas [4]. Vide etiam sequentem versiculum.

℣. 19. MANUM SUAM MISIT AD FORTIA, & DIGITI EJUS APPREHENDERUNT FUSUM.] En qua in re B gloriam, ac fortitudinem suam collocet; laborando scilicet utilibus, ac captui suo, sexuique congruis operibus vacando. Sapiens nos edocet, ut res juxta verum illarum pretium æstimemus. Materfamilias œconomicis rebus intenta *manum mittit ad fortia*. Quidquid magis præclarum, atque egregium aggredi posset ultra conditionis suæ fines, nihili ducitur, si conferatur iis, quæ sedulo peragit, rei familiaris curam exercens. Idcirco *mulier fortis* appellatur, atque Spiritus Sancti meretur elogia. Telemachus matri suæ aliis se se negotiis immiscere gestienti ajebat [5]; *Mater, attende operibus tuis; colum, pensumque cape; telas contexe, ac ancillis tuis impera*.

Hebræus hujus loci textus obscurus est [6]: *Misit manum suam ad fusum*, vel *colum*, vel *verticillum*; parvu-C lum, scilicet, tornatum annulum, qui imæ fusi parti inseritur, ut fuso aliquod pondus accedat: *& manus ejus apprehenderunt fusum*, vel *colum*: nihil enim hac in re certum est apud Interpretes. Septuaginta [7]: *Affert brachia sua utilia, & manus ejus incumbunt fuso*. Prior vox, quam S. Hieronymus *fortia*, & Septuaginta *utilia* reddidere, a radice fluit, quæ *æquum esse, decere, convenire*, significat; secunda vero, quæ vulgo fusus vertitur, *baculum* quoque [8] designat. Itaque si Sapiens hic nentis instrumenta indigitat, posterior hæc *colum* propter baculi similitudinem significabit; prior illa *fusum* propter illius rectitudinem. Verum si de instrumentis mulieris telam ordientis est sermo; primum vocabulum *radium textorium* significare poterit, alterum vero, oblongum illud ad gladii normam lignum, D quo subtegminis filamina premebantur, prout cum radio stamini inserebantur. Antiquitus enim textrinæ longe aliter a nostris erant compactæ, uti ad Exod. 28. 32. ostendimus. Sozomenus lib. 5. cap. 9. refert mulieres quasdam de textrinis suis egressas, suisque textoriis radiis armatas, vulnera inflixisse quibusdam sanctis Martyribus Gazæ in Palæstina.

℣. 21. NON TIMEBIT DOMUI SUÆ A FRIGORIBUS NIVIS: OMNES ENIM DOMESTICI EJUS VESTITI SUNT DUPLICIBUS.] Singuli binas habent vestes; constat enim, Veteres vestibus suis subsutum addere numquam consuevisse; invenio tamen Persis diploides in more fuisse positas [9]. Quomodocumque se res habeat, mulier fortis summa invigilat cura [10]: *Familia ne algeat, ne esuriat, opera bene exerceat*.

E Hebræus [11]: *Non timebit nivem pro domo sua, nam omnis domus ejus vestita est purpura*, vel cocco, vel duplicibus indumentis. Hebraica vox *schanim*, frequentius coccum, purpuramve significat. Mulier fortis magnam habet pretiosarum vestium copiam, quapropter hyemem non veretur. At vestes hæ servis induendis inser-

1 ותקם בעוד לילה ותתן טרף לביתה וחק לנערתיה

2 Vide Merces. Gejer. Ita & 70. Ἀνίσταται ἐκ νυκτῶν, καὶ ἔδωκε βρώματα τῷ οἴκῳ, καὶ ἔργα ταῖς θεραπαίναις. Th. טרף Σύνταξιν, Sym. חק Πρόσταγμα.

3 Isai. 22. 21.

4 Ovid. Ep. Heroic. Penelop. ad Ulyss.
Nec mihi quærenti spatiosam fallere noctem,
Lassaret viduas pendula tela manus.

5 Homer. Odyss.

6 ידיה שלחה בכישור וכפיה תמכו פלך

7 Τοὺς πήχεις αὐτῆς ἐκτείνει ἐπὶ τὰ συμφέροντα, τὰς δὲ χεῖρας αὐτῆς ἐρείδει εἰς ἄτρακτον. Aquil. Symmach. Th. כישור τὰ ἀνδρεῖα. Fortia, sicuti Vulgata.

8 Vide 2. Reg. 3. 29. *Leprosus, & tenens fusum*. Hebr. מחזיק פלך *Tenens baculum*, seu *scipionem*.

9 Strabo l. 15.

10 Cato de Re Rustic. c. 5.

11 לא תירא לביתה משלג כי כל ביתה לבש שנים

inserviunt [4] haud procul dubio ; sed viro suo, ac filiis. Septuaginta [1] : *Vir ejus nequaquam solicitus est, quid domi suæ fiat, cum alicubi cogitur immorari ; omnes enim domestici familiæ suæ satis vestiti sunt.* Chaldæus : *Filii domus ejus non timebunt nivem, eo quod omnes domestici illius induti sunt purpura.* Si animo repures, Salomonem nobis isthic Reginæ domum, domesticosque exhibere, haud fortasse hæseris, cum audias, ipsam servis suis purpureas, vel coccineas vestes tribuentem ; licet magis veritati consonum mihi videatur, hæc indumenta pro viro, filiisque illius, uti dictum est, fuisse contexta. Textus quidem minime explicite ait, *servos*, sed *domum* ejus, quod potest etiam de conjuge, filiisque ipsius explicari.

ỳ. 22. STRAGULATAM VESTEM FECIT SIBI ; BYSSUS, & PURPURA INDUMENTUM EJUS.] Hæc sane minime nobis adstruunt ideam mulieris, quæ vel necessitate, vel lucri cupiditate adacta, labori vacet ; immo vero Matronæ amplissimæ, vel Reginæ, quæ Sapientia duce in opus incumbit ; domum suam pretiosis aulæis tam ad humum operiendam, cum ad mensas insternendas, exornat : peristromata enim, quibus ad parietes obtegendos utimur, neque tunc temporis, neque ibi locorum in more erant posita ; linum vero, & purpura ea erant, quæ maxime pretiosa ad vestes contexendas adhiberentur. Hebraica vox [2] *Marbadim*, quam reddidit Vulgata, *stragulatam vestem*, significare dicitur stragula, vel aulæa ad cubilia tegenda, lodices, tapetes utrinque villosos [3]. Nomen *Schesch*, quod S. Hieronymus *byssum* vertit, *gossypium* potius significat, quemadmodum in Exodo 25. 4. ostendimus. Quid purpura fuerit, satis liquet, neque aliquid magis hac pretiosum in vestibus suis Veteres noverant. Septuaginta [4] in hunc versiculum transtulere authographi vocem, quæ in superiori invenitur, & quæ *duplex*, vel *coccum* significat ; vertuntque : *fecit vestes duplices viro suo, ac sibi quoque indumenta e bysso, & purpura.* Sed ex Textu satis liquet, vocem hanc violenter nimis fuisse translatam ; invertit enim alphabeticum ordinem litterarum, quæ quemlibet versiculum incipiunt.

ỳ. 23. NOBILIS IN PORTIS VIR EJUS.] Vir ejus pretiosis indutus vestibus in Judicum cœtu ad civitatis portam prodibit ; illuc enim Judices, nonnisi decoris, ornatisque vestibus se se conferebant [5]. Tunc temporis vulgo inter Judices adlegebantur, atque Senatorum albo adscribebantur, qui cæteris ditiores, ac nobiliores erant. Mulier fortis hunc viro suo honorem comparabat, sedulitate sua, atque œconomicæ rei cura. Ei tempus præbebat, quo publicis vacaret negotiis, ipsa sibi domesticæ rei curam gerens ; eique quodammodo indirecte populi existimationem, atque observantiam conciliabat bonis illis, quibus domum ejus cumulabat, & quæ large, ac liberaliter in pauperes erogabat. ỳ. 20. Chaldæus : *Vir ejus notus est in Provinciis, cum sedet cum senatoribus terræ.*

ỳ. 24. SINDONEM FECIT, & VENDIDIT : CINGULUM TRADIDIT CHANANÆO.] Telas, & pretiosa cingula Phœniciæ mercatoribus vendidit, hoc enim isthic *Chananæi* nomen designat [6]. Phœnices ubique gentium mercaturas exercebant, & regionis eorum cum Judæa propinquitas, mulieri forti facilitatem præbebat illis vendendi ea omnia, ex quibus quæstum facere vellet. Manuum suarum, ac ancillarum quoque opera venumdabat. Mercatura tunc temporis, nec vilis erat, nec turpis. Nobilissimus quisque, immo & A Principes ipsi, ac Reges ab ea minime abhorrebant. Mulier fortis vendebat *Sindones*, Hebraice *Sedin* [7] vestes, telas, & *cingula*. Cingula hæc pro viris erant, & pro mulieribus : de quorum pretio judicium ferre licet ex eo, quod Persidis Reges nonnumquam urbes, vel provincias uxoribus suis assignabant pro cingulorum impensis [8]. Quoad zonas vero, ac balteos virorum, ipsi quoque maximi erant pretii, atque in eorum ornatum adhibebantur aurum, & lapilli, & opera acu phrygio magis eleganter depicta. Latis his, magnificisque zonis ad hanc usque diem Orientis populi utuntur.

ỳ. 25. FORTITUDO, & DECOR INDUMENTUM EJUS, & RIDEBIT IN DIE NOVISSIMO.] Pretiosis, magnificisque vestibus exornata in publicum prodit. Vel : B fortitudo, diligentia, sapiens vivendi ratio, & gloria sunt ipsi loco vestium, ac ornamentorum : fortiter suscipit, sapienter exequitur, feliciter complet, & mors, quæ fortissimo cuique terrorem ingerit, eam minime terret ; quoniam ipsa eam veluti solidæ felicitatis, beatiorisque vitæ initium considerat. Fiducia repleta est, ac justum laborum suorum præmium expectat a justo Judice, qui tribuit unicuique secundum opera eorum. Alii vero hoc explicant pacto : Mulier fortis vana, ac superflua ornamenta contemnit ; se fortitudine, & decore induit ; prudentia, sapientia, meritum, virtus, hæc sunt præcipua illius ornamenta ; & quemadmodum domum suam omni bonorum genere replevit, ita pro futuris malis minime solicita non famem, non frigus, non egestatem &c. [9] veretur.

C ỳ. 26. OS SUUM APERUIT SAPIENTIÆ, & LEX CLEMENTIÆ IN LINGUA EJUS.] Sermones ejus sapientia sunt refertissimi, & lingua ejus clementiæ, ac mansuetudinis tantum voces emittit. Vel : In hoc operam navavit, ut sapienter tantum, prudenterque loqueretur, & lingua ejus mitia dumtaxat, atque clementia proferre verba assuevit ; longe diversa a plerisque sexus ejusdem, quæ fere inutilia dumtaxat, ac inepta effutiunt, vel quæ non loquuntur, nisi ut obmurmurent, obloquantur, ac domesticos suos conviciis lacessant. Septuaginta [10] : *aperit os sapienter, ac legitime ; & eleemosynæ suæ sunt in linguæ ipsius.* Nonnisi opportune, ac scite loquitur ; atque in id unum incumbit, ut aliis prosit. Quædam inversio in Romana Editione invenitur ; nos vero isthic Complutensem seD quimur. Sanctus Augustinus serm. 23. legit : *Os suum aperuit adtente, & ordinem posuit linguæ suæ.*

ỳ. 27. CONSIDERAVIT SEMITAS DOMUS SUÆ, & PANEM OTIOSA NON COMEDIT.] Omnis in eo posita est, ut domus suæ necessitatibus consulat, eique tegundæ invigilet. In id unum advertit animum, quomodo consilia sua felicem consequantur eventum, atque œconomicam rem sapienter procuret. Novit illa, quid ingrediatur, quid egrediatur, exitum, introitumque habet compertum. Verbo, quidquid ad suam pertinet familiam, ipsi est præsentissimum. Cognoscit qualitates, vires, aptitudinem, ingenium servorum suorum. Numquam otiatur, vescitur fructu manuum suarum, non tamen necessitatis ergo, neque propter avaritiam, sed ex virtute ; ignavum, atque sapienti, E ac pia matrona indignum putat, non labori vacare ; aliis gravem, & illis nullatenus utilem esse. Septuaginta [11] : *Semitæ domus ejus sunt angustæ, non comedit escam inertem.* Domus ejus non cuivis patet ; necessarii tantum admittuntur. Quam caute matronarum conclavia in Oriente asserventur, nemo unus ignorat ; Non mediocris

1 Οὐ φροντίζει τῶν ἐν οἴκῳ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, ὅταν που χρονίζῃ· πάντες γὰρ οἱ παρ' αὐτῆς ἐνδεδυμένοι εἰσί.
2 מרבדים עשתה לה שש וארגמן לבושה 3 Aquil. Th. Περιστρώματα. Sym. Ἀμφιτάπους.
4 Δισσὰς χλαίνας ἐποίησε τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. Ἐκ δὲ βύσσου καὶ πορφύρας ἑαυτῇ ἐνδύματα.
5 Vide Homer. Odyss. 6. 6 Vide Job. 40. 25. Isai. 23. 8. Osee 12. 7. Sophon. 1. 11. &c.
7 Hebr. סדין 8 Plato Alcibiad. Athen. l. 1. de Urbe Antylla. Vide, si lubet, Iliad. 14. Descript. Cinguli veneris. 9 Bayn. Gejer. Hebr. Vatab. Jansf. Mercer. Jun.
10 Στόμα δὲ αὐτῆς ἤνοιγε σοφῶς καὶ νομοθέσμως, ἡ δὲ ἐλεημοσύνη αὐτῆς, ἐν τῇ γλώσσῃ αὐτῆς. Sym. Καὶ νόμος ἐπιχαρὴς τῇ γλώσσῃ αὐτῆς. Th. Νόμος χάριτος ἐπὶ γλώσσῃ αὐτῆς. *Lex est venusta in labiis ejus ; jubet sine imperio, & absque vi.* תורת חסד על לשונה 11 Στεγναὶ διατριβαὶ οἴκων αὐτῆς, σῖτα δὲ ὀκνηρὰ οὐκ ἔφαγε. S. August. serm. 37. sic legit : *Severæ conversationes domorum ejus. Cibos autem pigros non comedit.*

dioceis matronæ laus est, asserere, aditum domus suæ esse angustum. Hebræus verti potest [1]: *Observat vestigia domus suæ, & non comedit panem pigritiæ*, per antithesim *ad panem laboris*. Psal. 126. 2. 127. 2. Sapientis interest matrisfamilias, explorata habere *vestigia familiæ suæ*, illius studia, habitus, necessitudines extrinsecus filiorum, servorumque suorum.

℣. 28. SURREXERUNT FILII EJUS, & BEATISSIMAM PRÆDICAVERUNT EAM.] Non externi solum, filii quoque, ac vir ipse commendant, atque admirantur fortem mulierem. Cum enim propius ejus prudentiam intueantur, atque suavissimos illius experiantur effectus, ideo in majorem admirationem rapti ejus virtutem percelebrant. Verti potest [2]: *Filii ejus adoleverunt, & beatissimam* &c. Septuaginta [3]: *Filii ejus elati sunt, & locupletati, & vir illius laudavit eam.*

℣. 30. FALLAX GRATIA, & VANA EST PULCHRITUDO: MULIER TIMENS DOMINUM IPSA LAUDABITUR.] Hactenus Salomon raras quidem, at nequaquam supernaturalis ordinis virtutes, in matre sua commendavit, ejus industriam, vigilantiam, prudentiam reique œconomicæ studium celebrans; hic vero docet, omnes præclaras has animi dotes, immo ipsam pulchritudinem, & gratiam nihil esse absque timore Dei; absque pietate, absque vera sapientia; atque ita matris suæ encomium absolvit. Quasdam fortasse inveneris, quæ prudentiæ, atque œconomiæ laude celebrentur, in aliis suavitatem, & vigilantiam miraberis; non deerunt forma, ac ingenio præstantes; at ullane aderit, quæ hæc omnia simul complectatur, atque tot virtutibus solidam pietatem adjiciat? Hoc equidem perfectissimum est optimæ matrisfamilias, & Christianæ matronæ exemplar. Septuaginta [4]: *Fallax gratia, & vana pulchritudo in te non adsunt, prudens mulier laudabitur; ipsa quoque laudet timorem Domini.*

℣. 31. DATE EI DE FRUCTU MANUUM SUARUM, & LAUDENT EAM IN PORTIS OPERA EJUS.] Fruatur illa laborum suorum fructu, ac diuturna felicitate, ac rerum affluentia familiam suam fruentem conspiciat. Norint omnes, quid ipsa gesserit, & in conciliis populi enuntietur, quid ipsi vir ejus, filii, universaque familia debeant: *Laudent eam opera ejus*; hoc est, simplex operum illius narratio elogium absolutissimum efficiet. Licet taceremus, tamen opera ejus loquerentur; ea loqui dumtaxat sinamus oportet, eaque audiamus. Aliter: *date ei fructum manuum suarum*. Laudibus vestris præclare illius facta celebrate; par est, ut exiguum hoc tot bonorum operum fructum percipiat. Septuaginta [5] Romanæ editionis: *Date illi fructum labiorum suorum*; at plane mendum est; alii enim Græci Interpretes, uti Vulgata legunt: *Date illi opera manuum suarum.*

En mulierem fortem Salomonis, non aliquam e vulgo, neque obscuro loco genitam. Vir ejus cum honore a Principibus, & Senatoribus excipiebatur, ipsa nulla necessitate compulsa domesticæ rei curam gerebat, domus sua opibus erat referta; ipsa vero servis, ancillisque circumdata. Non misera lucelli aviditate, non demissi animi studio ex suis, ancillarumque suarum operibus fructum quærebat; magnificentia enitebat in vestibus ejus, ac viri illius; in supellectili, in cubilibus, in domo tota. Maxima, & insignis erat pietas ejus, timor Dei, atque Sapientia. Vigilans, actuosa, laboribus dedita; domi suæ delitescebat, œconomicæ rei, liberorumque institutioni sedulo intenta. Mundi muliebris inanem pompam, futilesque exercitationes aspernata, in suos mitis, in pauperes liberalis, sapienter in ea tantum incumbens, quæ ipsam decebant: *Misit manum suam ad fortia, digiti ejus apprehenderunt fusum*. In universa vita illius non ludi, non solatia, non commessationes, non otium, non inutiles visitationes, non querimoniæ, non jurgia, non tot deprehenduntur abusus, qui nostris hisce temporibus magis seria sunt fœminarum negotia, quæ victum sibi comparandi nulla necessitate tenentur.

---

1 צופיה הליכות ביתה ולחם עצלות לא תאכל   2 קמו בניה ויאשרוה בעלה ויהללה

3 Ἀνέστησαν τὰ τέκνα αὐτῆς, καὶ ἐπλούτησαν, καὶ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς ᾔνεσεν αὐτήν.

4 Ψευδεῖς ἀρέσκειαι, καὶ μάταιον κάλλος οὐκ ἔστιν ἐν σοί· γυνὴ γὰρ συνετὴ εὐλογεῖται· φόβον δὲ Κυρίου αὕτη αἰνείτω. Aug. loco ante citato; *falsæ gratiæ, & vanæ species mulieris: mulier enim sapiens benedicitur, timorem autem Domini ipsa collaudat.*

5 Δότε αὐτῇ ἀπὸ καρπῶν χειλέων αὐτῆς, &c. Aquil. Sym. Th. Complut. Ἀπὸ καρπῶν χειρῶν αὐτῆς.

FINIS LIBRI PROVERBIORUM SALOMONIS.

IN-

INDEX RERUM
QUÆ IN PSALMIS, ET PROVERBIIS
CONTINENTUR.

A

B

C

Convi-

F

G

H

I

Idithum,

Inju-

M Ma-

M

P

Q

R

S

trium

Submis-

V

Z

Tabulæ Psalmorum, & Proverbiorum.

F I N I S,

NOI

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P. F. Tommaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro intitolato: *Commentarium litterale, & Dissertationes in Sacram Scripturam Auctore R. P. D. Augustino Calmet* non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza a *Sebastian Coleti Stampadore*, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 28. Agosto 1730.

(Carlo Ruzini Cav. Procur. Reform.
(Andrea Soranzo Procur. Reform.

Agostino Gadaldini Segretario.

19. Settembre 1730.

Registrato nel Magistrato Eccellentiss. contro la Bestemmia

Angelo Legrenzi Segretario.

MONITUM AD BIBLIOPEGUM
Pro Tabulis Æneis loco suo locandis.

Tom. III.

Characteres Phœnicii, seu Samaritani. pag. 174.

Tom. IV.

Instrumenta Musica. pag. 56.